UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Lourenço, Agostinho

Leodii, 1694

urn:nbn:de:hbz:466:1-80131

Visual Library




Th. 855a.

D. VII
11.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SYNTAGMATA THEOLOGICA SIVE PRINCIPALIS THEOLOGIÆ TRACTATUS.


Ite Angeli ve loces. Isai: 18
IHS
Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. Psal. 76.
Et quid volo nisi ut accendatur.
Ignem veni mittere in terram. Luc. 12.
Splendor illius ut lux erit.
Habac. 3.
Et lingua eius quasi ignis devorans.
Isai. 30.
In meditatione mea exardescet ignis. Psal. 38.
Factus est in corde meo ignis exæstuans, et defeci. Ierem. 20.
SYNTAGMATA THEOLOGICA
Authore
P. Augustino Laurent
Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit. Iacob. 3.
Scripturis sacris et Apocalypsi.
Arma militiæ nostræ. 2 Cor. 10.
LEODII, TYPIS GVILIELMI HENRICI STREEL.
I Savage sculp:

SYNTAGMATA THEOLOGICA SIVE Principalis Theologiæ TRACTATUS.

TOMUS PRIMUS
AD PRIMAM PARTEM D. THOMÆ.

Complectitur triplicem Tractatum: Primus erit de Deo viso, sive de Visione Beata: Secundus de Deo Prædestinatore, sive de Divina Prædestinatione: Tertius de Deo Uno & Trino, sive de Sacrosancto Trinitatis Mysterio.

Collegii Soc. Jesu Paderborn

AUTHORE
P. AUGUSTINO LAURENTIO,
Societatis JESU Lusitano Terenensi; olim in Collegio Ulyssiponensi ejusdem Societatis Philosophiæ Professore; nunc Serenissimæ Magnæ Britanniæ Reginæ Dotariæ Concionatore.



LEODICI EBURONUM
Apud GUILIELMUM HENRICUM STREEL, Suæ Celsitudinis Typographum.
M. DC. LXXXXIV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SYNTAGMATA
THEOLOGICA
SIVE
Principalis Theologiæ
TRACTATUS
TOMUS PRIMUS
AD PRIMAM SUPRÆ D. THOMÆ

S. IGNATIUS DE LOYOLA.

Anagramma.

O IGNIS ILLATUS A DEO.

EXENTERATO Manresæ è silicibus Igni, quæ illapsa in cineres penè deferbuerat, scintilla officiosè præludit, ut à fornace, quâ anteà incaluit, iterùm recalescat: inflammari me herclè gestit, ut fæcem, quam ab incude contraxit, prorsùs excutiat, nam si quid erravit calamus, sub IGNATIO emendatum iri, quis nesciet? Non aliundè fortunatiùs lucem ambiret, quâ in Orchestram splendidiùs emergeret, quàm ab illo, qui in ignes sensim colliquescens, fumo caret, solùm quidem in hoc illi adnubilavit fortuna, quod caruit fumo. Vereri nesciet, quod tenebris delitescat, aut opus squaleat, quod in monumentum ære perennius, regaliqúe situ pyramidum altius unà cum corde sistit, & appendit; Lampas enim, cui excubat, exentera-

terabitur in flammas, quas illi largè impertiat, ut vermiculatim ſtrietur, teſſelatim radiet, diſcretim illuceat, nè mori diſcat, aut ſupponi cineri doloſo. Fumoſum opus ab igne debuit purgari, qui fuſcari ignorat, ut amandatâ in exilium caligine, quod à luce longè deflexerat, in lucem redeat. Sub IGNATIO laboris noſtri penſum carpi neſciet, aut livoris penſo inciſim diſcerpi, tametſi livor eò mordicùs ſcalpat, ut vel mordeat ulceroſum; fila enim, quibus hoc penſum obvolvimus, evadent aurea, è Cantabricâ licet regione chalybis feraciſſimâ Parens noſter evadat; ab hac fornace ſplendorem exantlabunt, haurientque, ut aurum ab igne, lucidiùs emicare: Seneſcent nunquam, & ſi ſeneſcant, ut juveneſcant, ſeneſcent; Phœnix ſiquidem, ſub quo IGNATIUS adumbratur, ſeneſcit, ut juveneſcat, ſepulchrique leges æternitatem æmulaturus longè proſcribit, & ad cineres identidem incaleſcens, quibus alii frigeſcunt, buſto ſuperſtes, ſibi, & labori noſtro, ut ſuſpicari fas eſt, vitæ exordium auſpicabitur,

AD MAJOREM DEI GLORIAM.



INDEX



INDEX TRACTATUUM, Disputationum, & Sectionum.

In quo prior numerus Marginalem, Secundus Foliorum indicat.

TRACTATUS PRIMUS.

De Visione Dei.

DISPUTATIO PRIMA.

De possibilitate, & existentia Visionis Beatæ.

SECTIO PRIMA.

1. Utrùm possibilis sit Visio intuitiva Dei respectu intellectûs creati? n. 1. p. 3.
2. *Declaratur sensus difficultatis, à num. 2. 3.*
3. *Deciditur resolutio, à n. 5. 3.*
4. *Error Armenorum de hac re, 10. 4.*

SECTIO II.

1. Utrùm possibilitas Visionis Beatæ possit naturali lumine demonstrari? 32. 7.
2. *Non potest constare demonstratione naturali, aut esse possibilem Visionem Beatam per vires naturales: aut esse impossibilem respectu intellectûs supernaturaliter elevati.* ibid.
3. *Naturali demonstratione constat, intellectum humanum pro hac vita non posse Deum naturaliter cognoscere intuitivè. 33. 7.*
4. *Naturali, & evidenti ratione demonstrari non potest possibilitas Visionis Beatæ, sive cognitionis intuitivæ Dei, à n. 34. 7.*
5. *Possibilitas Visionis Beatæ, etiam suppositâ revelatione, non potest naturali lumine demonstrari evidenter. 60. 10.*
6. *Potest tamen probabiliter, à n. 63. 10.*

SECTIO III.

1. Utrùm intellectus creatus possit naturaliter elicere Visionem Beatam? 65. 11.
2. *Declaratur sensus quæstionis*, ibid.
3. *Intellectus noster pro hac vita non potest naturaliter Deum videre intuitivè, à n. 66. 11.*
4. *Neque anima rationalis in statu separationis, neque Angelus, aut quævis alia substantia separata à Deo de facto producta, potest naturaliter Deum intueri, à n. 75. 12.*

SECTIO IV.

1. Undè nam proveniat impossibilitas naturalis intellectûs creati ad videndum Deum intuitivè? 82. 13.
2. *Proponitur, & rejicitur prima sententia.* ibid.
3. *Proponitur, & rejicitur secunda sententia. 83. 13.*
4. *Proponitur, & rejicitur tertia sententia. 84. 13.*
5. *Proponitur. & rejicitur quarta sententia. 86. 13.*
6. *Proponitur, & rejicitur quinta sententia. 87. 13.*
7. *Proponitur, & defenditur vera sententia, a num. 89. 14.*

SECTIO V.

1. Utrùm impossibilitas naturalis intellectûs creati ad videndum Deum ab eo proveniat prout est potentia passiva? 106. 16.
2. *Declaratur status quæstionis.* ibid.
3. *Hæc impossibilitas ad videndum Deum in ratione potentiæ passivæ provenit ex eo, quod indigeat Dei elevatione ad recipiendam Essentiam Divinam in ratione formæ intelligibilis. 107. 16.*
4. *Utrùm necessaria sit supernaturalis elevatio in intellectu creato ad recipiendam in se Visionem Beatam; & ex hoc colligatur ejus impossibilitas naturalis in ratione potentiæ passivæ ad videndum Deum? 115. 17.*
5. *Proponitur prima sententia.* ibid.
6. *Proponitur secunda sententia. 118. 17.*
7. *Proponitur tertia tenenda. 120. 17.*
8. *Supernaturalis elevatio, seu lumen gloriæ, non est necessarium ut dispositio ad recipiendum Visionem Beatam.* ibid.
9. *Neque est necessarium tanquam aliquid omninò requisitum, ut Visio Beata in intellectu recipiatur. 126. 18.*

SECTIO VI.

1. Utrùm prædicta impossibilitas naturalis ad videndum Deum reducenda sit in intellectum creatum, prout est potentia activa, 127. 18.
2. *Impossibilitas hæc reducenda est in intellectum prout est potentia activa. 128. 18.*

SECTIO VII.

1. Utrùm possibilis sit substantia intellectualis creata, cui connaturalis sit visio intuitiva, & clara Dei? 141. 20.
2. *Declaratur status quæstionis. 142. 20.*

3. *Propo-*

3. *Proponitur, & defenditur sententia negativa, à n. 143. 20.*

SECTIO VIII.

1. Cujus censuræ digna sit contraria sententia, à n. 167. 23.
2. *Utrùm hujusmodi creatura connaturaliter Beata, si foret possibilis, videret Deum lumine à se distincto? 187. 25.*
3. *An lumine à se indistincto? 189. 26.*
4. *Utrùm dici possit, non esse improbabile, possibilem esse substantiam intellectualem ita imperfectam, ut non possit elevari ad Visionem Beatam? 193. 26.*
5. *Non solùm est improbabile, sed errori proximum asserere, quod possibilis sit substantia intellectualis purè spiritualis, quæ non possit elevari ad Visionem Beatam. 194. 26.*
6. *Improbabile est, & à vera Philosophia alienum, asserere, possibilem esse animam intellectualem, quæ dicat ordinem ad materiam corpoream, & non possit elevari ad videndum clarè Deum. 195. 26.*

SECTIO IX.

1. Utrùm Deus videri possit oculis corporeis, aut potentiâ aliquâ sensitivâ? 196. 26.
2. *Utrùm sic possit Deus videri oculis corporeis, saltem de potentia absoluta? 197. 26.*
3. *Visio Beata per oculos corporis de lege ordinaria non est communicanda Beatis post resurrectionem. 219. 29.*
4. *Falsa est sententia asserens ex peculiari privilegio communicatam fuisse Visionem Beatam per oculos corporis Sanctis Patribus in apparitionibus, quæ scribuntur eis factæ in veteri Testamento. 220. 29.*
5. *De fide est, quod oculus, qui de facto datur, non potest de lege ordinaria, id est, naturaliter Deum videre intuitivè. 221. 29.*
6. *Licet non sit de fide, est tamen proximum fidei, quod neque de potentia absoluta potest Deum intuitivè videre. 222. 29.*

SECTIO X.

1. Quid dicendum sit de potentiâ sensitivâ creabili? 223. 29.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Impossibilis est potentia sensitiva, & materialis, quæ possit connaturaliter Deum intuitivè videre. 224. 29.*
4. *Imò & quæ id possit divinitùs elevata, à num. 227. 30.*

SECTIO XI.

1. Utrùm Visio Beata sit virtute divinâ intellectui creato communicanda? 239. 31.
2. *Utrùm de facto sit communicanda intellectui creato? 240. 31.*
3. *Utrùm de facto jam sit alicui communicata? 249. 32.*
4. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
5. *De fide est fuisse de facto communicatam Sanctis Angelis. 250. 32.*
6. *Quando Angeli inceperint Deum videre? 251. 32.*
7. *De fide est fuisse communicatam Animæ Christi Domini in hac vita mortali, à n. 252. 32.*
8. *De fide etiam est de facto communicari animabus Sanctis in cœlum receptis, à n. 257. 32.*

SECTIO XII.

1. Utrùm piorum hominum animæ, quæ corpore solutæ nullâ egent purgatione, jam sint admissæ ad fruendam claram Dei visionem? 259. 33.
2. *Resolutio affirmativa tenenda est de fide. à num. 259. 33.*

SECTIO XIII.

1. Utrùm Visio Beata fuerit alicui viatori communicata? 287. 36.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Deus potest de potentia absolutâ communicare viatori visionem Beatam, etiam permanenter. 288. 36.*
4. *De lege ordinaria non est communicata, neque communicari potest homini viatori, neque ad breve tempus, neque permanenter. 297. 37.*
5. *Utrùm cum aliquo in hac lege sit aliquando dispensatum? 302. 37.*
6. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
7. *Utrùm hæc dispensatio ad videndum Deum toto vitæ tempore fuerit concessa alicui puro viatori? 303. 37.*
8. *Utrùm fuerit concessa Christo Domino?* ibid.
9. *Utrùm fuerit concessa Virgini Sanctissimæ saltem ad breve tempus? 304. 37.*
10. *Utrùm ad breve tempus fuerit concessa aliquibus Sanctis Patribus tùm veteris, tùm novi Testamenti? à num. 311. 38.*

DISPUTATIO II.

De principiis Visionis Beatæ ex parte objecti.

SECTIO PRIMA.

1. AN, & qualiter Essentia Divina concurrat ad sui Visionem? n. 1. p. 39.
2. *Utrùm Essentia Divina possit immediatè concurrere ad sui visionem intuitivam? 2. 39.*
3. *Utrùm ita de facto concurrat? 14. 41.*

SECTIO II.

1. Utrùm Essentia Divina concurrat ad sui Visionem necessariò, & sub ratione Naturæ: an liberè, & sub ratione voluntatis? 28. 42.
2. *Essentia Divina concurrit ad sui visionem, non solùm in ratione causæ formalis externæ, sed etiam efficientis.* ibid.
3. *Præter hunc concursum non reperitur in Essentiâ Divinâ alius tertius, qui dicatur causalitas, seu unio formalis cum intellectu creato, ut aliqui dicunt. 30. 42.*
4. *Declaratur status quæstionis initio sectionis appositæ. 33. 43.*
5. *Essentia Divina concurrit ad sui visionem per se primò ut est, seu ut Natura est, non autem ut voluntas, & Omnipotentia est. 34. 43.*
6. *Concursus Essentiæ Divinæ in ratione formæ intelligibilis ad sui visionem, non solùm est necessarius, sed etiam independens ab applicatione, saltem immediatâ, & directâ voluntatis divinæ. 45. 44.*

SECTIO III.

1. Utrùm Essentia Divina concurrat ad sui visionem per se primariò secundùm omnes suas perfectiones: an solùm secundùm aliquas? 64. 46.
2. *Proponitur, & rejicitur prima sententia.* ibid.
3. *Proponitur, & rejicitur secunda. 65. 46.*
4. *Proponitur tertia tenenda. 67. 46.*

SECTIO IV.

1. Utrùm possibilis sit species impressa intuitiva Deitatis? 78 47.
2. *Proponitur prima sententia asserens dari de facto in Beatis, & rejicitur. 79. 47.*
3. *Proponitur, & rejicitur secunda sententia asserens impossibilem esse hujusmodi speciem tam de facto, quàm de possibili, à n. 82. 48.*

SECTIO V.

1. Referuntur aliæ sententiæ, & eligenda proponitur. 112. 51.

2, *Propo-*

2. *Proponitur, & rejicitur tertia sententia asserens hujusmodi speciem, non solùm esse possibilem, sed neque de potentia absoluta posse fieri visionem Beatam sine illa.* ibid.
3. *Proponitur quarta sententia tenenda.* 118. 51.
4. *Deo concurrente, & operante secundùm exigentiam suæ Naturæ, impossibilis est species impressa intuitiva Dei.* 120. 52.
5. *Deo non ita concurrente, sed eo modo, quo in ratione principii realis ut sic, tam universalis, quàm particularis producit effectus reales* ad extra, *non est impossibilis species impressa intuitiva Dei.* 130. 53.

DISPUTATIO III.

De principiis Visionis Beatæ ex parte potentiæ.

SECTIO PRIMA.

1. VTrùm intellectus creatus habeat se activè: an passivè respectu Visionis Beatæ, n. 1. pag. 54.
2. *Intellectus creatus de facto concurrit ad visionem Beatam producendam activè, sive effectivè, & non solùm merè passivè, à n. 2.* 55.
3. *De possibili potest intellectus creatus effectivè concurrere ad visionem Beatam.* 8. 55.
4. *Vtrùm opinio asserens intellectum creatum de facto habere se tantùm merè passivè ad visionem Beatam notanda sit aliquâ censurâ? à n.* 23. 57.

SECTIO II.

1. Utrùm Deus possit producere Visionem Beatam in intellectu Beati passivè se habente, & per illam intelligente? 28. 57.
2. *Utrùm Deus de potentia absoluta possit producere visionem Beatam in intellectu Beati passivè tantùm se habente? à n.* 29. 57.
3. *Utrùm Beatus per visionem sic à solo Deo productam possit ipsum Deum intuitivè videre?* 34. 58.

SECTIO III.

1. Utrùm ad Deum clarè videndum necessarium sit lumen gloriæ? 58. 61.
2. *De fide est, necessarium esse lumen gloriæ, quo intellectus creatus elevetur ad Deum clarè videndum. à n.* 59. 61.
3. *Utrùm in opinione asserente, intellectum creatum, sive de facto, sive de possibili habere se merè passivè respectu visionis Beatæ, adhuc necessarium sit lumen gloriæ ad Deum clarè videndum, saltem de potentia ordinaria?* 76. 62.

SECTIO IV.

1. Qualisnam sit natura luminis gloriæ? 82. 63.
2. *Proponitur, & rejicitur prima sententia asserens lumen gloriæ, quod de facto datur in Beatis ad videndum Deum, esse ipsum Lumen Increatum, nempè Deum, à n.* 83. 63.
3. *Proponitur, & rejicitur secunda sententia dicens, lumen gloriæ non esse aliud, quàm concursum Dei actualem in actu secundo, à n.* 89. 64.
4. *Proponitur, & rejicitur tertia sententia asserens, lumen gloriæ esse ipsam visionem Beatam.* 91. 64.
5. *Proponitur, & rejicitur quarta sententia defendens, esse qualitatem distinctam à visione, esse tamen speciem quandam intelligibilem objecti.* 94. 64.

SECTIO V.

1. Proponitur, & declaratur vera sententia, à n. 95. 65.
2. *Lumen gloriæ est habitus quidam creatus ordinis supernaturalis Beatorum mentibus per se infusus, quo de facto elevantur ad visionem Beatam eliciendam.* ibid.
3. *Qualenam sit munus luminis gloriæ? à n.* 96. 65.
4. *Proponitur, & rejicitur prima opinio dicens prædictum lumen esse habitum facilitantem potentiam ad visionem faciliùs producendam.* ibid.
5. *Proponitur, & rejicitur secunda opinio asserens, esse habitum gratiæ, & charitatis, qui ut dispositio moralis requiritur de lege ordinaria ad videndum Deum.* 97. 65.
6. *Proponitur, & rejicitur tertia opinio defendens, esse habitum, non qui confert ad visionem eliciendam, sed qui inservit ad decorem.* 98. 65.
7. *Proponitur, & rejicitur quarta opinio tenens esse habitum per se requisitum ad Visionem Dei, non tamen habere se ex parte potentiæ simpliciter.* 99. 65.
8. *Proponitur, & rejicitur quinta opinio affirmans esse habitum per se requisitum tanquam dispositionem, ut intellectus possit in se recipere visionem Beatam.* 101. 65.
9. *Proponitur, & defenditur vera opinio asserens esse habitum supernaturalem infusum, non solùm ad recipiendam Essentiam Divinam in ratione formæ intelligibilis, sed etiam ad corroborandam, & complendam potentiam in ratione potentiæ visivæ Deitatis, à n.* 102. 65.
10. *Utrùm sit de fide, lumen gloriæ esse habitum per se infusum, à n.* 113. 66.

SECTIO VI.

1. Quo pacto lumen gloriæ concurrat ad Visionem Beatam? 118. 67.
2. *Vtrùm concurrat effectivè?* 119. 67.
3. *Vtrùm sit intellectui totalis ratio, & adæquata influendi in visionem Beatam?* 128. 68.

SECTIO VII.

1. Utrùm intellectus concurrat ad Visionem Beatam ut causa instrumentalis: an principalis? 140. 69.
2. *Proponitur prima sententia dicens, concurrere ut causam principalem.* ibid.
3. *Proponitur secunda.* 141. 69.
4. *Proponitur tertia tenenda asserens, concurrere ut causam instrumentalem, à n.* 142. 69.
5. *Vtrùm productio visionis Beatæ sit connaturalis conjuncto ex intellectu, & lumine gloriæ?* 156. 71.
6. *Vtrùm lumen gloriæ possit esse connaturale alicui substantiæ reali?* 162. 71.

SECTIO VIII.

1. Utrùm intellectus creatus concurrat ad Visionem Beatam per virtutem sibi innatam naturalem? 165. 72.
2. *Virtus innata intellectus creati ad videndum Deum non est merè obedientialis, sed connaturalis, saltem inchoata, & incompleta, à num.* 166. 72.

SECTIO IX.

1. Utrùm intellectus creatus elevari possit ad videndum Deum absque lumine gloriæ? 185. 74.
2. *Intellectus creatus potest divinitùs elevari ad videndum Deum per solum concursum Dei extrinsecè adjuvantis, à n.* 186. 74.
3. *Vtrùm prædicta elevatio connaturaliùs fiat per lumen gloriæ?* 213. 77.

DISPUTATIO IV.

De multiplici perfectione Visionis Beatæ.

SECTIO PRIMA.

1. DE perfectione Beata prout est apprehensiva Dei. 1. 77.
2. *Vtrùm visio Beata sit apprehensio?* ibid.
3. *Vtrùm sit cognitio definitiva, & quidditativa Dei? 3. 77.*
4. *Vtrùm prout terminatur ad creaturas in Verbo, sit earum quidditativa: an comprehensiva? 9. 78.*
5. *Vtrùm sit cognitio intuitiva; an abstractiva tantùm: vel utrumque simul? 11. 78.*
6. *Prout terminatur ad solum Deum est solùm intuitiva. 12. 78.*
7. *Prout terminatur ad creaturas semper est cognitio abstractiva. 13. 78.*
8. *Prout terminatur ad Deum simul, & creaturas in Deo, est simul intuitiva, & abstractiva. 20. 79.*

SECTIO II.

1. Utrùm Visio Beata sit supra se ipsam reflexa, & per illam producatur verbum mentis? 21. 79.
2. *Vtrùm sit cognitio reflexa supra se ipsam?* ibid.
3. *Proponitur prima sententia affirmans. 22. 79.*
4. *Proponitur sententia negans. 26. 79.*
5. *Visio Beata non cognoscit se ipsam primariò etiam ut objectum partiale. 30. 79.*
6. *Reflectit supra suam existentiam, & cognoscit se ipsam ut objectum secundarium partiale. 31. 79.*
7. *De facto non cognoscit, neque reflectit supra suam perpetuitatem. 32. 80.*
8. *Potest tamen reflectere de possibili. 33. 80.*
9. *Utrùm per visionem Beatam producatur verbum, sive species expressa creata? 34. 80.*
10. *Utrùm de potentia Dei absoluta fieri possit, ut visio Dei aliter fiat, quàm per verbum productum. 58. 82.*
11. *Vtrùm visio Beata sit formalis, & expressa similitudo objecti beatifici? à n. 59. 82.*

SECTIO III.

1. De perfectionibus Visionis Beatæ, prout est cognitio judicativa. 67. 83.
2. *Vtrùm visio Beata sit cognitio propriè judicativa?* ibid.
3. *Vtrùm, & quomodò perfectiones apprehensionis, & judicii includat? 73. 83.*
4. *Vtrùm prout cadit supra objectum primarium possit esse pura apprehensio? 79. 84.*
5. *Vtrùm prout sic bearet? 85. 84.*
6. *Vtrùm sit formaliter judicium? 86. 84.*

SECTIO IV.

1. De modo tendendi Visionis Beatæ practicè, & speculativè. 87. 85.
2. *Vtrùm sit cognitio practica?* ibid.
3. *Proponitur prima sententia dicens esse adæquatè practicam.* ibid.
4. *Proponitur secunda asserens esse adæquatè speculativam. 91. 85.*
5. *Proponitur tertia tenenda affirmans, esse speculativam simul, & practicam, à n. 94. 85.*
6. *Vtrùm sit speculativa simul, & practica respectu utriusque objecti. 99. 86.*
7. *Respectu objecti primarii, nempè Dei, est speculativa.* ibid.
8. *Respectu secundarii, nempè creaturarum, partim est practica, partim est speculativa. 100. 86.*
9. *Vtrùm has rationes sibi vendicet formaliter? 101. 86.*
10. *Vtramque illam rationem speculativæ scilicet & practicæ continet eminenter.* ibid.
11. *Vtramque etiam continet formaliter. 102. 86.*
12. *Vtrùm ratio speculativæ sit in visione principalior? 103. 86.*
13. *Vtrùm in ordine ad amorem beatificum sit purè speculativa? 104. 86.*

SECTIO V.

1. De discursu, & certitudine Visionis Beatæ. III. 87.
2. *Non est formaliter discursiva.* ibid.
3. *Est virtualiter discursiva. 120. 87.*
4. *Vtrùm sit evidentior, & certior quâvis aliâ cognitione creatâ? 122. 88.*
5. *Est evidentior quâvis aliâ cognitione creatâ, etiam primi principii. 123. 88.*
6. *Est certior qualibet certitudine scientiæ creatæ. 126. 88.*
7. *Vtrùm sit certior certitudine fidei? 127. 88.*

SECTIO VI.

1. Utrùm, & quomodò Visiones Beatæ inter se specie distinguantur? 128. 88.
2. *Non distinguuntur specie, neque de facto, neque de possibili ex diversitate potentiarum, à quibus eliciuntur.* ibid.
3. *Neque sic distinguuntur ex diversa terminatione ad diversas rationes objectivas objecti primarii. 138. 89.*

SECTIO VII.

1. Aliæ difficultates circa eandem distinctionem specificam Visionum Beatarum.
2. *Neque sic distinguuntur de facto, neque etiam de possibili ex diversa terminatione ad objectum secundarium, à n. 149. 91.*
3. *Neque sic distinguuntur ex diversitate principii supernaturalis ex parte potentiæ, sive sermo sit de principio actuali, sive etiam de possibili, à num. 156. 91.*
4. *Neque sic distinguuntur ex eo, quod una tendat in Deum permanenter, & alia transeunter, à n. 162. 92.*
5. *Vtrùm admissâ visione Beatâ purè apprehensivâ, hæc distingueretur specie ab aliis judicativis? 165. 92.*

SECTIO VIII.

1. Utrùm Visio Beata ad arbitrium voluntatis possit suspendi? 167. 93.
2. *Positis requisitis ex parte objecti, & potentiæ, non potest ad arbitrium voluntatis suspendi, neque quoad primam sui productionem, neque quoad conservationem.* ibid.
3. *Posito universali Dei concursu, non potest visio Beata à causis naturalibus impediri. 177. 94.*
4. *Visio Beata est suâptè naturâ incorruptibilis, & æterna. 186. 94.*

SECTIO IX.

1. Utrùm Visio Beata impediat intellectiones Beatorum in proprio genere? 187. 95.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Non impedit de facto intellectiones in proprio genere, sive id fiat dato novo miraculo, sive non. 188. 95.*
4. *Quantùm est ex se non illas impedit, ita ut Beati Deum videndo, non possint illas elicere absque speciali miraculo. 190. 95.*
5. *Vtrùm visio Beata divinitùs communicata homini viatori, eidem esset causa mortis. 205. 97.*
6. *Vtrùm saltem impediret operationes sensuum internorum, & externorum? 206. 97.*

SECTIO

SECTIO X.

1. Utrùm Visio Beata sit immediatum principium eliciendi cognitiones non beatificas eorum, quæ videntur in Deo? 208. 97.
2. *Potest esse principium immediatum apprehensionis non beatificæ, per quam cognoscatur Deus, & creaturæ, sive simul, sive sigillatim. 209. 97.*
3. *Potest esse principium immediatum eliciendi cognitiones partiales judicativas non beatas eorum, quæ videntur in Verbo. 215. 98.*
4. *Non potest ex visione Beata elici species memorativa, neque adæquata, neque inadæquata eorum, quæ videntur in Verbo, à n. 220. 98.*
5. *Potest tamen ex illa elici species memorativa saltem mediatè. 225. 98.*
6. *Utrùm ex illa elici queat cognitio Dei quidditativa abstractiva? 226. 99.*

SECTIO XI.

1. Utrùm, & quo pacto Visio Beata sit immutabilis? 235. 100.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Utrùm visio Beata absque sui reali mutatione possit de novo terminari ad plures perfectiones, aut creaturas in Deo cognitas; aut non terminari ad illas, quas antea attingebat? à n. 236. 100.*
4. *Visio Beata semel producta ad nova objecta in Deo cognita non terminatur. 249. 101.*
5. *Si quid Deus Beatis de novo revelet, id Beati cognoscunt per cognitiones novas in proprio genere. 251. 101.*

DISPUTATIO V.

De objecto terminativo Visionis Beatæ.

SECTIO PRIMA.

1. QUænam perfectiones divinæ pertineant ad objectum primarium Visionis Beatæ? 1. 102.
2. *Certum est, Deum Vnum, & Trinum esse objectum nostræ visionis Beatæ. 3. 102.*
3. *Essentia Divina, & omnes ejus perfectiones essentiales pertinent ad objectum primarium visionis Beatæ. 6. 103.*
4. *Perfectiones Divinæ Attributales pertinent etiam ad objectum primarium. 7. 103.*
5. *Relationes Divinæ constitutivæ, & distinctivæ Personarum, & actus Notionales etiam pertinent ad objectum primarium. 11. 103.*
6. *Actus Dei liberi, si attinguntur per visionem Beatam, ad illius objectum primarium spectant. 16. 104.*

SECTIO II.

1. Utrùm, & quomodò actus Dei liberi Visionem Beatam terminent? 18. 104.
2. *Non repugnat actibus Dei liberis attingi per visionem Beatam. 19. 104.*
3. *Aliqui de facto attinguntur. 20 104.*
4. *Non omnia decreta Dei libera attinguntur à Beatis. 22. 105.*
5. *Quomodò actus Dei liberi cognoscantur in Deo à Beatis? 25. 105.*
6. *Proponuntur, & rejiciuntur aliquorum sententiæ. 26. 105.*
7. *Declaratur sensus quæstionis. 27. 105.*
8. *Actus Dei liberi prout addunt supra necessarios aliquid realiter, aut virtualiter distinctum, possunt in se ipsis terminare visionem Beatam. 28. 105.*
9. *Possunt etiam illam terminare, tam effectivè, quàm purè terminativè, prout addunt respectus quosdam rationis, aut terminationem ad extrinsecum. 29. 106.*

SECTIO III.

1. Utrùm creaturæ videantur in Deo ut objectum secundarium Visionis Beatæ. 34. 106.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Beati vident in Verbo aliquas creaturas. 36. 106.*
4. *Vident illas in Deo tanquam objectum secundarium suæ visionis. 38. 107.*
5. *Rejicitur prima sententia contraria, ut improbabilis, à n. 44. 107.*

SECTIO IV.

1. Proponitur, & rejicitur secunda sententia contraria 51. 108.
2. *Solvuntur argumenta contraria. 53. 109.*

SECTIO V.

1. Utrùm creaturæ cognoscantur in Deo à Beatis ut possibiles, futuræ, & existentes? 60. 110.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Beati de facto cognoscunt in Deo aliquas creaturas possibiles. 61. 110.*
4. *Non vident in Deo omnes creaturas possibiles. 64. 110.*
5. *Vident in Deo aliquas creaturas futuras. 69. 110.*
6. *Non omnes Beati vident in Deo de facto omnes creaturas futuras. 77. 111.*

SECTIO VI.

1. De cognitione rerum existentium in Beatis. 84. 112.
2. *Beati de facto cognoscunt in Deo creaturas existentes.* ibid.
3. *Quot, & quales? 86. 112.*
4. *Omnes Beati vident in Verbo omnia mysteria fidei, quæ in via crediderunt, à n. 87. 113.*
5. *Qualiter illa cognoscant? 92. 113.*
6. *Omnes Beati vident in Verbo hujus universi machinam, compositionem, & ordinem, saltem quoad rerum species. 93. 113.*
7. *Utrùm quoad omnes species tam perfectas, quàm imperfectas? 98. 114.*
8. *Vtrùm quoad species tam naturales, quàm supernaturales? 99. 114.*
9. *Utrùm etiam quoad individua? 100. 114.*
10. *Omnis Beatus videt in Deo, & se ipsum, & alios Beatos. 102. 114.*
11. *Non tamen cogitationes cordis, neque visiones Beatas aliorum Beatorum. 104. 114.*
12. *Vident omnia, quæ spectant ad illorum statum, dignitatem, & officium. 104. 114.*
13. *Aliquos generales eventus Ecclesiæ, qui ad statum ipsius Ecclesiæ spectant. 111. 115.*
14. *Quilibet Beatus videt in Verbo quidquid spectat ad ordinem suæ prædestinationis. 112. 115.*
15. *Vident preces, & orationes, quæ in Ecclesia adipsos funduntur à viatoribus, & eorum cogitationes cordium spectantes ad proprium statum. 113. 115.*

SECTIO VII.

1. Quænam perfectiones Essentiæ Divinæ moveant ad cognoscendas creaturas in Verbo. 121. 116.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Omnipotentia Divina cognita in Essentia est ratio cognoscendi creaturas sub esse possibili, à num. 122. 116.*
4. *Idea, seu Exemplar Divinum à Beatis clarè visum, est ratio cognoscendi creaturas possibiles. 128. 117.*
5. *Idem dicendum de Scientiâ simplicis Intelligentiæ in Deo à Beatis cognitâ. 134. 117.*
6. *Nulla perfectio Dei necessaria prout sic, sive sit essen-*

essentialis, sive Attributalis, potest esse ratio cognoscendi creaturas existentes, sive sub esse existentiæ. 139. 118.
7. *Actus, sive decreta libera absoluta Voluntatis Divinæ, ut talia à Beatis cognita, sunt eisdem ratio cognoscendi creaturas sub esse futuritionis, & existentiæ. à n. 140. 118.*
8. *Idem dicendum est de Scientia Visionis.* ibid.
9. *Modus cognoscendi creaturas in Deo, ut in causa, Idea, Verbo, seu Scientia, necessariò est per medium cognitum. 148. 119,*
10. *Rectè dicitur, creaturas à Beatis cognosci in Deo, seu in Verbo tanquam in speculo voluntario. 149. 119.*
11. *Creaturæ possunt etiam cognosci à Beatis in voluntate Divina per modum simplicis complacentiæ illas approbante. 150. 119.*

DISPUTATIO VI.

De Æqualitate, & inæqualitate inter Visiones Beatas.

SECTIO PRIMA.

1. VTrùm videri possit Deus non visis ejus perfectionibus secundariis? 1. 119.
2. *Declaratur sensus quæstionis. 2. 119*
3. *Impossibile est, videri Deum intuitivè à Beatis, quin videantur saltem confusè omnes ejus perfectiones secundariæ. 5. 120.*
4. *Non implicat tamen sic videri, quin hujusmodi perfectiones distinctè videantur. 7. 120.*

SECTIO II.

1. Utrùm videri possit Essentia Divina, non visis Attributis 15. 121.
2. *Declaratur status quæstionis.* ibid.
3. *De potentia absoluta potest videri clarè Essentia Divina, non visis distinctè omnibus Attributis, sive perfectionibus primariis illius. à n. 17. 121.*
4. *Potest etiam distinctè videri unum Attributum, non visis distinctè aliis. 27. 122.*

SECTIO III.

1. Utrùm videri possit Essentia Divina sine Relationibus? 30. 123.
2. *Potest de potentia absoluta.* ibid.
3. *Possunt etiam videri intuitivè Relationes Divinæ, non visâ distinctè Essentiâ Divinâ. 39. 124.*
4. *Sic etiam videri potest una Persona, non visâ distinctè aliâ, sive oppositâ, sive disparatâ. 45. 124.*
5. *Non potest distinctè videri Persona, non visâ distinctè Essentiâ. 42. 124.*
6. *Visio attingens Essentiam sine Relationibus esset beatifica: non ita tamen attingens Essentiam sine Attributis. 56. 125.*

SECTIO IV.

1. Utrùm videri possit Essentia Divina, quin in ea omnes: aut quin ullæ creaturæ videantur? 57. 127.
2. *Ex visione clara Essentiæ Divinæ non sequitur necessariò visio omnium creaturarum possibilium, futurarum, & existentium. à n. 58. 125.*
3. *Visâ Essentiâ, non possunt per ejus visionem intuitivam videri omnes creaturæ possibiles. 65. 126.*
4. *Non potest Essentia Divina connaturaliter videri, quin in ea videatur aliqua creatura possibilis. 69. 127.*
5. *Non repugnat tamen de potentia absoluta videri, nullâ creaturâ cognitâ in particulari. 70. 127.*
6. *Imò & quin in ea videantur creaturæ etiam in communi. 73. 127.*

SECTIO V.

1. Utrùm Visio Beata sit æqualis: an inæqualis in omnibus Beatis. 74. 127.
2. *Declaratur status quæstionis.* ibid.
3. *De fide est, non omnes Beatos futuros esse æquales in perfectione Visionis, seu Beatitudinis essentialis. 77. 127.*
4. *Neque omnes futuri sunt inæquales in Visione Beata. 91. 129.*
5. *Omnes infantes decedentes post baptismum erunt æquales in visione. 92. 129.*
6. *Neque hujusmodi æqualitas visionis repugnat inter adultos. 94. 129.*
7. *Probabile est inter adultos esse de facto aliquos æquales in gloria. 95. 129.*
8. *Probabile est omnes esse inæquales in gloria, seu visione accidentali. 96. 129.*

SECTIO VI.

1. A quonam principio effectivè proveniat inæqualitas objectiva Visionis? 102. 130.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Inæqualitas objectiva Visionis Beatæ non provenit effectivè ab Essentiâ Divinâ concurrente in ratione formæ intelligibilis. à n. 104. 130.*
4. *Reducenda est hæc inæqualitas in Lumen gloriæ, & non in intellectum. 109. 130.*

SECTIO VII.

1. Qualiter inæqualitas Visionis Beatæ respondeat Lumini? 121. 132.
2. *Non sufficit quodlibet Lumen in individuo, & in qualibet intensione ad manifestandas simul non tot, quin plures perfectiones, aut creaturas in Deo.* ibid.
3. *Non sufficit quodlibet Lumen ad manifestandas in Deo quaslibet creaturas seorsim acceptas. 124. 132.*
4. *Utrùm sufficiat quodlibet Lumen ad manifestandas non tot quin plures creaturas, aut perfectiones in Deo, saltem successivè? Non de facto: maximè de potentia absoluta. 127. 132.*
5. *Determinatio Luminis ad manifestandum certum numerum perfectionum, & creaturarum in Deo provenit ex certa, & determinata intensione; non autem ex peculiari differentia individuante. 132. 133.*

SECTIO VIII.

1. Ex quo principio effectivè causetur determinatio Visionis ad has potiùs, quàm illas perfectiones, & creaturas repræsentandas? 139 134.
2. *Proponuntur variæ sententiæ.* ibid.
3. *Non provenit ab Essentiâ Divinâ, quatenùs in ea magis relucent quædam perfectiones, & creaturæ, quàm aliæ. 142. 134.*
4. *Neque à Lumine gloriæ quocumque modo accipiatur. à n. 148. 134.*
5. *Neque à voluntate ipsius Beati physicè, aut moraliter. 150. 135.*
6. *Provenit ab ipso Deo concurrente ex parte potentiæ cum intellectu Beati, & Lumine gloriæ. 152. 135.*
7. *Undènam proveniat prædicta inæqualitas formaliter? 155. 135.*

DISPUTATIO VII.
De Incomprehensibilitate Dei.

SECTIO PRIMA.

1. VTrùm Deus comprehendi possit ab intellectu creato, saltem de potentia absoluta? 1. 135.
2. *Quid sit, & undè desumatur comprehensio? 2. 136.*
3. *Deus, neque de potentia absoluta potest à Beatis comprehendi comprehensione propriè dicta. 7. 136.*
4. *Neque sic potest Deus comprehendi ab aliqua creatura possibili, aut creabili. 31. 139.*

SECTIO II.

1. Cur cognitio creata intuitiva Dei non sit illius comprehensio. 34. 139.
2. *Declaratur ratio dubitandi*, ibid.
3. *Proponitur, & rejicitur prima sententia. 35. 139.*
4. *Proponitur, & rejicitur secunda. 39. 139.*
5. *Proponitur, & rejicitur tertia. 41. 140.*
6. *Proponitur, & rejicitur quarta. 44. 140.*
7. *Proponitur, & probatur quinta, à n. 46. 140.*
8. *Rejicitur quinta sententia. 59. 142.*

SECTIO III.

1. Proponitur, & stabilitur sexta sententia non minùs probabilis. 62. 142.
2. *Aliqua notantur ad intelligentiam quæstionis. à n. 63. 142.*
3. *Qualisnam sit radix Incomprehensibilitatis Divinæ? 73. 143.*

SECTIO IV.

1. Quid sit objectum cognosci quantùm ex se cognoscibile est? 75 143.
2. *Utrùm si objectum cognoscatur secundùm omnes suas rationes, habitudines, & connexiones, cognitione quidem certa, sed inevidenti, sufficiat ad ejus comprehensionem. 76. 143.*
3. *Utrùm objectum, ut censeatur cognosci, quantùm cognoscibile est, debeat cognosci summa claritate, & intensione cognitionis possibili? 78. 144.*
4. *Ut objectum comprehensivè cognoscatur, debet penetrari claritate, & intensione visionis eidem commensuratâ, id est, postulatâ à naturâ ipsius objecti juxta mensuram suæ propriæ entitatis, & intelligibilitatis. à n. 80. 144.*
5. *Non opus est attingi secundùm connexiones, quas habet cum actibus liberis, aut effectibus purè contingentibus. 85. 145.*

SECTIO V.

1. Utrùm cognitio distincta omnium creaturarum in Verbo sit necessariò conjuncta cum comprehensione Dei? 89. 145.
2. *Proponuntur variæ sententiæ. à n. 91. 145.*
3. *Ex cognitione distinctâ, & solùm definitivâ omnium creaturarum in verbo, non infertur comprehensio Dei. 94. 145.*
4. *Neque etiam ex earum comprehensiva. 96. 146.*
5. *Neque etiam ex earum comprehensiva in proprio genere. 102. 146.*

SECTIO VI

1. An, & qualis infinitas visionis necessaria esset, & sufficeret ad comprehensionem Dei? 110 147.
2. *Visio comprehensiva Dei, si daretur, necessariò foret in se infinita.* ibid.
3. *Hæc visionis infinitas foret entitativa, & non solùm objectiva. 112. 147.*
4. *Qualisnam foret hæc infinitas visionis entitativa? 114. 148.*
5. *Non sufficeret extensiva. 115. 148.*
6. *Non sufficeret intensiva. 121. 148.*
7. *Utrùm datâ infinitate intensivâ visionis, & quod hæc sufficeret ad comprehensionem Dei, necessariò hæc sequatur ad illius positionem? 130. 149.*
8. *Sequeretur de lege ordinaria.* ibid.
9. *Non de potentia absoluta. 133. 149.*
10. *Utrùm sufficeret infinitas essentialis in visione? 137. 150.*
11. *Proponitur sententia affirmativa.* ibid.
12. *Proponitur negativa. 139. 150.*
13. *Proponitur sententia tenenda. 143. 150.*

TRACTATUS II.
De Providentia, Predestinatione, & Reprobatione Divinâ.

DISPUTATIO I.
De Providentia Divina.

SECTIO PRIMA.

1. AN detur: & quid sit in Deo Providentia? 1. 152.
2. *An in Deo detur Providentia?* ibid.
3. *Numerantur quot fuerint errores in hac materiâ. à n. 1. 152.*
4. *Datur in Deo Providentia. 7. 153.*
5. *Utrùm Providentia actualis sit in Deo necessariò? 18. 154.*
6. *Non est in Deo necessaria simpliciter, & absolutè.* ibid.
7. *Maximè verò, suppositâ rerum creatione, tam quoad cognitionem, quàm quoad volitionem. 19. 154.*
8. *Quid sit Providentia ex vi nominis? 20. 154.*
9. *Quid in præsenti? 21. 154.*

SECTIO II.

1. In quonam formaliter consistat Providentia Divina? 22. 154.
2. *Proponitur prima sententia.* ibid.
3. *Proponitur secunda sententia. 23. 154.*
4. *Proponitur tertia tenenda. 24. 154.*
5. *Qualisnam sit actus intellectûs, in quo formaliter inadæquatè consistit Providentia? 38. 156.*
6. *Non est imperium aliquod, sed judicium, sive cognitio de proportione mediorum ad finem. 41. 156.*

SECTIO III.

1. Rejicitur hujusmodi imperium, quia impossibile in Deo. 47. 156.
2. *Utrùm, si in Deo daretur, pertineret ad Intellectum? 66. 158.*

SECTIO IV.

1. Qualiter Providentia Divina cum Prædestinatione conferatur? 67. 158.
2. *Est quasi totum potentiale, & genus respectu Prædestinationis.* ibid.
3. *Non tamen genus univocum, neque universale. 73. 159.*
4. *Utrùm, & qualiter dici possit integraliter composita? 74. 159.*
5. *In quonam conveniat cum Prædestinatione? 79. 159.*
6. *In quo ab ea differat? à n. 80. 160.*

SECTIO V.

1. An, & quomodò Providentia distinguatur à *Creatione, Dispositione, Fato, Scientiâ, & Arte? 91. 161.*

2. *Distinguitur realiter à Creatione sumptâ pro actione transeunte.* ibid.
3. *Materialiter sumpta includit Creationem.* 93. 161.
4. *Providentia, & dispositio aliquando sumuntur pro eodem: propriè tamen distinguuntur.* 94. 161.
5. *Differt à Fato.* 98. 161.
6. *Differt etiam à Scientiâ, & Arte divinâ.* 99. 161.

Sectio VI.

1. Ad quænam se extendat Providentia? 100. 161.
2. *Ad omnia, etiam minima, se extendit Providentia Divina.* ibid.
3. *Nullus eventus est casualis, neque fortuitus respectu Providentiæ Divinæ.* 107. 162.
4. *Utrùm Deus velit, & faciat monstra?* 122. 163.
5. *Nullus effectus est monstrosus respectu Dei.* 125. 164.
6. *Nullus contingens respectu Providentiæ Divinæ. à n.* 126. 164.

Sectio VII.

1. Utrùm mala cadant sub Providentiam Divinam? 130. 164.
2. *Peccatum, etiam formaliter sumptum cadit sub Providentiam Divinam. à n.* 131. 164.
3. *Utrùm peccata sint à Deo provisa?* 137. 165.
4. *Qualiter Providentia Divina attingat peccatorum malitiam? à n.* 138. 165.
5. *Quid de scientia speculativa, quæ continetur in Providentia circa peccata?* 139. 165.
6. *Quid de Scientia practica?* 144. 166.
7. *Quid de peccatorum odio?* 145. 166.
8. *Quid de positiva volitione ordinandi peccata?* 147. 166.

Sectio VIII.

1. Quid dicendum de volitione Providentiæ Divinæ circa peccata? 148. 166.
2. *Utrum Providentia Divina possit velle peccatum?* ibid.
3. *Deus non potest peccare.* ibid.
4. *Non potest velle peccatum, neque per se, neque per accidens.* 151. 166.
5. *Neque odisse bonum honestum.* 156. 167.
6. *Neque velle, mala esse, aut fieri à voluntate creata.* 157. 167.

Sectio IX.

1. Utrùm Deus possit dici author, aut causa peccati? à n. 174. 168.
2. *Non est author, neque causa peccati, neque id potest cadere in Bonitatem Divinam.* ibid.
3. *Neque cogere ad peccatum.* 176. 169.
4. *Deus non est causa physica peccati.* 177. 169.
5. *Neque præcipere peccatum, neque licentiam, aut dispensationem peccandi concedere.* 178. 169.
6. *Neque consulere, adhortari, suadere, inducere, docere peccatum. à n.* 180. 169.
7. *Deus non est, neque fuit inventor peccati: non tentat, non instigat, non movet, non præmovet, non prævenit, non excitat, non vocat, non inclinat, non impellit ad peccandum. à n.* 183. 169.
8. *Utrùm Deus saltem secundùm quid velit peccatum? à n.* 188. 169.
9. *Ex suppositione, quod sit peccatum, vult, ut ei conveniat tota essentia peccati, & ejus passiones.* ibid.
10. *Sibi complacet in eo, quod malitia peccati sit pœna sui ipsius & alterius peccati.* 190. 170.

Sectio X.

1. Quomodò materiales actiones peccatorum subjiciantur Providentiæ Divinæ. à n. 192. 170.
2. *In quo conveniat Providentia actionum materialium peccatorum cum modo providendi cæteris creaturis simpliciter bonis?* 193. 170.
3. *In quo cum modo providendi rationem formalem peccati?* 195. 170.
4. *Qualiter subjiciantur Providentiæ?* 197. 171.
5. *Utrùm actiones materiales peccatorum sint à Deo provisæ?* 200. 171.
6. *Utrùm magis repugnet Providentiæ Divinæ ad eas physicè prædeterminare, quàm ad actiones bonas?* 201. 171.

Sectio XI.

1. Utrùm, & quomodò permissio peccati cadat sub Providentiam Divinam? 202. 171.
2. *Permissio peccati cadit sub Providentiam Divinam.* ibid.
3. *Deus voluit permittere peccatum ex intentione bonorum, quæ occasione peccati poterant evenire.* 203. 171.
4. *Ex peccatorum permissione colligitur major Mundi perfectio.* 206. 171.

Sectio XII.

1. An, & quomodò Deus velit permissionem peccatorum? Et quid de malo pœnæ? à num. 225. 173.
2. *Deus volitione positiva vult permissionem peccati.* ibid.
3. *Non ita permittit peccata, ut neget lumen, & favorem, sive concursum simpliciter necessarium ad illa vitanda.* 228. 173.
4. *Deus non vult peccatum, neque est illius causa ex eo, quod non adhibeat media, quibus impediatur, sed tantùm vult illud permittere.* 229. 174.
5. *Deus Providentiâ suâ non potest velle malum pœnæ formaliter, ut malum est, neque illud causare.* 234. 174.
6. *Malum pœnæ potest terminare Providentiam, sive Volitionem Divinam.* 236. 174.
7. *Providentia, seu Voluntas Divina vult malum pœnæ, non per se, sed per accidens.* 238 174.

Sectio XIII.

1. Utrùm Providentia Divina semper assequatur suum finem? 241. 175.
2. *Non semper assequitur suum finem particularem.* ibid.
3. *Semper assequitur aliquem, saltem universalem.* 259. 177.

Sectio XIV.

1. Quomodò Deus rebus omnibus provideat? à n. 263. 177.
2. *Providentia Divina est causa Exemplaris rerum.* ibid.
3. *Est etiam causa Efficiens.* 264. 177.
4. *Conservatio, gubernatio, & administratio rerum, ac cooperatio cum omnibus causis est proprium Providentiæ Divinæ.* 265. 177.
5. *Concursus, per quem Providentia Divina conservat creaturas, debet esse totaliter immediatus.* 268. 178.
6. *Qualesnam sint proprietates Providentiæ Divinæ? à n.* 271. 178.

Sectio XV.

1. Utrùm Providentia Dei necessariò requirat Scientiam Mediam. 276. 179.
2. *Providentia absolutè sumpta non requirit Scientiam Mediam.* 279. 179.
3. *Providentia Divina quà talis necessariò secùm defert Scientiam Mediam, à n.* 280. 179.

DISPU-

DISPUTATIO II.

De Prædestinatione secundùm se.

SECTIO PRIMA.

1. AN detur, & quid sit in Deo Prædestinatio. n. 1. p. 181.
2. *Datur in Deo Prædestinatio.* ibid.
3. *Non potest ratione naturali demonstrari esse in Deo.* 11. 182.
4. *Quid sit ex vi nominis Prædestinatio? à num.* 12. 182.
5. *Quot modis sumi possit Prædestinatio?* 14. 182.
6. *Quid significet particula* præ *verbo destino, seu destinatio adjuncta? à n.* 17. 183.
7. *Significat antecedentiam durationis.* 18. 183.
8. *Et etiam causalitatis.* 20. 183.
9. *Non dignitatis.* 21. 183.

SECTIO II.

1. Qualiter definiatur, & sit in Deo Prædestinatio? 24. 183.
2. *Qualis sit definitio Prædestinationis? à num.* 24. 183.
3. *Qualiter Præscientia à Prædestinatione distinguatur?* 26. 183.
4. *Prædestinatio non ponit aliquid intrinsecum formaliter in prædestinato.* 28. 184.
5. *Est quid intrinsecum existens formaliter in solo Deo.* 39. 185.
6. *Est actus immanens in Deo.* 41. 185.
7. *Est in Deo ab æterno.* 42. 185.

SECTIO III.

1. Utrùm Prædestinatio sit libera, & in quo formaliter consistat? 51. 186.
2. *Simpliciter, & absolutè est Deo libera.* ibid.
3. *Potest dici necessaria ex suppositione, quod aliqui sint consecuturi gloriam.* 55. 186.
4. *Et etiam necessitate congruentiæ.* 56. 186.
5. *Consistit formaliter in actu Intellectûs, & Voluntatis Divinæ. à n.* 62. 187.

SECTIO IV.

1. Qualisnam sit actus, quo ex parte Intellectûs constituitur Prædestinatio formaliter? 75. 188.
2. *Est judicium quoddam practicum absolutum dictans convenire hunc eligere ad talem gloriam per talia media consequendam.* ibid.
3. *Est judicium formaliter simplex, virtute tamen multiplex.* 76. 189.
4. *Non est per modum artis, sed prudentiæ.* 78. 189.
5. *Pertinet ad Scientiam simplicis Intelligentiæ.* 81. 189.
6. *Non est per modum imperii.* 87. 189.
7. *Est per modum proponentis, & practicantis convenientiam objecti.* ibid.

SECTIO V.

1. Qualisnam sit actus constituens Prædestinationem formaliter ex parte Voluntatis? 92. 190.
2. *Componitur ex intentione finis, & electione mediorum.* ibid.

SECTIO VI.

1. Qualenam sit objectum, & terminus Prædestinationis? à n. 101. 191.
2. *Objectum, seu materia circa quam Prædestinationis non sunt, neque divinitas, neque Personæ Divinæ quà tales.* 102. 191.
3. *Est sola substantia rationalis creata.* 104. 191.
4. *Terminus Prædestinationis semper est aliquid bonum, ad quod homo ex peculiari Dei affectu ordinatur.* 113. 192.
5. *Semper est aliquod bonum supernaturale.* 114. 192.
6. *Non solius gloriæ.* 115. 192.
7. *Neque solius gratiæ.* 116. 193.
8. *Sed est simul gratia, & gloria.* 118. 193.
9. *Malum culpæ non est terminus Prædestinationis.* 119. 193.
10. *Neque malum pœnæ propriè, & rigorosè loquendo.* 121. 193.
11. *Maximè autem minùs propriè.* 123. 193.

SECTIO VII.

1. Quænam scientia debeat in Deo præsupponi ad Prædestinationem? à n. 126. 194.
2. *Prædestinatio necessariò præsupponit in Deo aliquam Scientiam.* 127. 194.
3. *Necessariò præsupponit Scientiam Simplicis Intelligentiæ.* 129. 194.
4. *Et etiam Scientiam Mediam.* 131. 194.

SECTIO VIII.

1. An, & quomodò scientia Visionis prærequiratur ad Prædestinationem? à n. 141. 195.
2. *Prædestinatio prærequirit Scientiam Visionis naturalis habentis pro objecto perfectiones divinas.* ibid.
3. *Si est medium à Deo assumptum ad manifestandam suam gloriam, & Bonitatem, præsupponit Scientiam Visionis de decreto intendente earum manifestationem.* 142. 195.
4. *Et etiam Christi Domini, & illius meritorum, si fuit causa exemplaris, & meritoria nostræ Prædestinationis.* 145. 196.
5. *Si in Prædestinatione decretum intendens gloriam est prius decreto eligente media, hoc præsupponit Scientiam Visionis absolutam illius, imò & ipsius gloriæ.* 146. 196.
6. *Nullum tamen ex his decretis supponit sui Scientiam Visionis.* 149. 196.
7. *Nulla scientia Visionis effectuum præsupponitur ex parte prædestinati ad totam ejus Prædestinationem.* 150. 196.
8. *Si electio mediorum est multiplex, electio posterioris medii supponit Scientiam Visionis medii prioris, & illius electionis.* 152. 196.
9. *Tota prædestinatio alicujus hominis non supponit necessariò Scientiam Visionis de illius existentia in rerum naturâ.* 153. 196.

SECTIO IX.

1. Utrùm in actibus Voluntatis Divinæ detur ordo prioritatis, & posterioritatis? 155. 196.
2. *Non datur realis.* ibid.
3. *Maximè virtualis, & quoad nos. à n.* 156. 197.
4. *A quonam desumatur?* 164. 198.

SECTIO X.

1. Utrùm in Deo admittendus sit ordo intentionis, & executionis distinctus? 165. 198.
2. *Non fuerunt in Deo necessarii duo illi ordines, sive actus diversi.* 166. 198.
3. *Non tamen implicant absolutè.* 172. 198.

SECTIO XI.

1. Utrùm primus actus liber Voluntatis Divinæ erga Prædestinatos sit intentio divinæ gloriæ? à n. 180. 200.
2. *Nullus actus necessarius Voluntatis Divinæ fuit necessariò prærequisitus ad nostram Prædestinationem.* ibid.
3. *Gloria divina non fuit primum motivum, seu finis per se, & necessariò prærequisitus ad nostram Prædestinationem.* 182. 200.
4. *De facto primus actus liber Dei in nostra Prædestinatione fuit intentio gloriæ divinæ.* 184. 200.

5. *Deus*

5. *Deus non priùs decrevit creare naturam rationalem, quàm illam glorificare. à n.* 189. 200.

Sectio XII.

1. Utrùm in Deo præcesserit voluntas simplex salvandi omnes ante intentionem efficacem dandi gloriam electis? 198. 202.
2. *Fuit in Deo hujusmodi voluntas.* ibid.
3. *Hujusmodi voluntas universalis in Deo non fuit signi.* 217. 204.
4. *Fuit beneplaciti propria, & realis.* 218. 204.
5. *Et per modum prosecutionis.* 229. 205.

Sectio XIII.

1. Utrùm voluntas efficax dandi gloriam sit ante absolutam præscientiam meritorum? à n. 230. 205.
2. *Proponitur, & declaratur status quæstionis.* ibid.
3. *Impossibilis est electio efficax ad gloriam ante Scientiam Mediam salvâ libertate creatâ. à num.* 236. 206.
4. *Possibilis tamen ante Scientiam absolutam, sed post Conditionatam.* 242. 207.

Sectio XIV.

1. Utrùm electio efficax ad gloriam de facto fuerit ante prævisa merita in esse absoluto? 268. 210.
2. *Proponitur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Proponuntur, & rejiciuntur variæ sententiæ, & errores. à n.* 271. 210.
4. *Proponitur multorum Recentiorum sententia.* 281. 211.

Sectio XV.

1. Proponitur, & probatur sententia tenenda. 282. 212.
2. *Prædestinatio, sive electio efficax ad gloriam facta fuit ante prævisionem absolutam meritorum.* ibid.

Sectio XVI.

1. Probatur nostra sententia authoritate Patrum, & Conciliorum. à n. 305 214.

Sectio XVII.

1. Probatur nostra sententia rationibus. à n. 324. 217.

Sectio XVIII.

1. Proponuntur, & solvuntur argumenta ab authoritate Scripturæ, & Sanctorum Patrum desumpta. à n. 347. 219.

Sectio XIX.

1. Proponuntur, & solvuntur argumenta à ratione petita. à n. 371. 221.

Sectio XX.

1. Quid de electione ante prævisa merita per ordinem ad certas personas, & ad certos gradus gloriæ? à n. 418. 227.
2. *Hujusmodi electio extenditur ad omnes, qui salutem consequuntur.* ibid.
3. *Hujusmodi electio efficax fuit determinata ad certas personas, sive Angelos, sive homines in particulari, & ad certum eorum numerum. à num.* 423. 228.

Sectio XXI.

1. Quid de electione hac per ordinem ad certos gradus gloriæ? 436. 230.
2. *Deus in illa electione cuilibet certæ, & determinatæ personæ certum, ac determinatum gradum gloriæ præparavit, ac definivit.* ibid.
3. *Utrum electio illa fuerit electio, & dilectio: unus, an multiplex actus?* 448. 231.
4. *Decretum illud dandi gloriam prædestinatis est eorum dilectio.* 451. 231.
5. *Fuit etiam rigorosa electio.* 457. 232.
6. *Hujusmodi dilectio, & electio est unus, & idem actus.* 458. 232.

Sectio XXII.

1. Utrùm in electione divina aliquis fuerit ordo inter prædestinatos? 461. 232.
2. *Virum Verbum Divinum, aut Filius naturalis Dei posit absolutè, & sine addito dici prædestinatus?* 462. 232.
3. *Declaratur præsens doctrina.* ibid.
4. *Non potest simpliciter, & absolutè sine addito dici prædestinatus. à n.* 464. 233.
5. *Verbum, seu Filius Dei potest dici lato modo prædestinatus ab æterno, ut in tempore fieret homo.* 470. 234.
6. *Non ita propriè, & strictè.* 471. 234.
7. *Christus Dominus potest dici simpliciter, & absolutè prædestinatus. àn.* 476. 234.

Sectio XXIII.

1. Quid dicendum de Christo Domino sub his nominibus *Christus, & Hic homo*? 485. 235.
2. *Sub hoc nomine* Christus *non potest simpliciter, & absolutè dici prædestinatus, ut esset Filius Dei naturalis.* ibid.
3. *Neque* Hic homo *ostenso Christo Domino, potest dici prædestinatus, ut sit Filius Dei.* 492. 236.

Sectio XXIV.

1. Quid dicendum de Christo Domino in ordine ad gloriam, & alia dona supernaturalia; & de Humanitate in ordine ad Unionem Hypostaticam? à n. 504. 238.
2. *Declarantur aliqua circa præsentem quæstionem.* ibid.
3. *Christus Dominus non potest dici prædestinatus ad gloriam, gratiam, & alia dona supernaturalia, sicut sunt, & dicuntur alii prædestinati.* 507. 238.
4. *Potest ad hæc dici prædestinatus mediatè.* 509. 238.
5. *Non immediatè, & propriè. à n.* 510, 238.
6. *Neque* Hic homo *potest ut sic dici prædestinatus.* 515. 239.
7. *Neque Humanitas Christi Domini potest dici simpliciter, & sine addito propriè prædestinata* 518. 240.
8. *Potest tamen verè, & propriè dici prædestinata ad Unionem Hypostaticam.* 19. 240.
9. *Humanitas Christi Domini non fuit prædestinata* ut quod *ad gratiam, gloriam, & alia dona supernaturalia.* 522. 240.
10. *Fuit tamen* ut quo, *& mediatè.* 526. 241.

Sectio XXV.

1. Utrùm Christus Dominus fuerit prædestinatus ad *esse* ut Redemptor ante præscientiam absolutam peccati originalis? à n. 530. 241.
2. *Declaratur status quæstionis.* ibid.
3. *Probabile est, Christum Dominum fuisse de facto prædestinatum ut Redemptorem in actu secundo ante absolutam præscientiam peccati, dependenter tamen ab ejus præscientia Conditionata.* 536. 242.

Sectio XXVI.

1. Proponitur sententia negativa tenenda. 559. 245.
2. *Christus Dominus de facto non fuit prædestinatus, nisi post prævisum peccatum in esse absoluto.* ibid.

Sectio XXVII.

1. Utrùm, & qualis detur ordo inter prædestinatos? à n. 584. 248.
2. *Christus Dominus fuit prædestinatus, & electus ad* esse *ante prædestinationem hominum ad gloriam, & hanc eis meruit, ut caput hominum.* 584. 248.

3. *Fuit etiam priùs prædestinatus ut caput Angelorum. 588. 248.*
4. *Angeli priùs fuerunt efficaciter electi ad gloriam, quàm homines. 589. 248.*
5. *Homines fuerunt efficaciter electi post prævisum peccatum Adæ in esse absoluto. à n. 597. 249.*

SECTIO XXVIII.

1. Utrùm omnes homines, etiam B. Virgo, fuerint simul electi in eodem signo? à n. 608. 251.
2. *Adamus, non priùs, sed simul cum aliis hominibus fuit efficaciter electus ad glòriam. 609. 251.*
3. *Omnes alii homines fuerunt etiam in eodem signo electi sine ulla prioritate. à n. 612. 251.*
4. *Virgo Sanctissima electa fuit ad gloriam in eodem signo cum aliis. 616. 252.*

SECTIO XXIX.

1. Utrùm Deus præparaverit media necessaria ad salutem infallibiliter cõsequendam? à n. 629. 253.
2. *Qualia sint hæc media?* ibid.
3. *Utrùm omnia hæc media sint electis præparata? 630. 253.*
4. *Utrùm inter electiones mediorum detur aliquis ordo prioritatis? 631. 254.*
5. *Utrùm hæc mediorum electio fuerit in particulari, certa, & determinata? 637. 254.*

SECTIO XXX.

1. Utrùm Deus media prædestinationis prædefiniverit; & qualia? 641. 255.
2. *Qualis hic sit prædefinitio?* ibid.
3. *Vtrùm Deus ab æterno prædefiniverit efficaciter media illa prædestinationis, quæ ab eo solo dependent, & fiunt? 642. 255.*
4. *Utrùm prædefiniat actus liberos bonos independentes à peccato antecedenter ad nostrum consensum liberum absolutè prævisum, & ante eorum esse absolutum? à n. 644. 255.*

SECTIO XXXI.

1. Quid de mediis supponentibus essentialiter peccatum? à n. 657. 257.
2. *Qualia sint hæc media?* ibid.
3. *Deus prædefinivit media supponentia essentialiter peccatum ante illius præscientiam absolutam, à n. 661. 257.*

SECTIO XXXII.

1. Utrùm Deus potuerit prædefinire actus pravos quoad materialitatem, ut media prædestinationis? à n. 681. 260.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Deus non prædefinivit hujusmodi actus, etiam materialiter, & specificativè sumptos. 685. 260.*

DISPUTATIO III.

De Causis Prædestinationis.

SECTIO PRIMA.

1. UTrùm dentur causæ aliquæ nostræ Prædestinationis? n. 1. p. 264.
2. *Utrùm, & quales sint causæ ex parte Dei ad nostram Prædestinationem?* ibid.
3. *Declaratur sensus quæstionis. à n. 2. 264.*
4. *In Deo, præter consilium, & libertatem divinam, fuit ratio specialis motiva ad eligẽdum efficaciter ad gloriam aliquas creaturas rationales. 7. 264.*
5. *Fuit etiam causa motiva ad aliquos tantùm Angelos, & homines eligendos, & non omnes, quot erant producendi. 9. 265.*
6. *In Deo, præter Libertatem Divinam, nulla fuit causa motiva à nobis cognita, ad eligendum hunc prædestinatorum numerum, & non majorem, aut minorem. 10. 265.*
7. *Neque cur elegerit potius hunc numero hominem nempè Petrum, quàm illum, nempè Judam. 11. 265.*

SECTIO II.

1. Utrùm detur aliqua causa Prædestinationis ex parte prædestinati? à n. 17. 266.
2. *Ex parte prædestinati præcessit causa motiva ad aliqua tantùm decreta prædestinationis. 18. 266.*
3. *Non ita respectu totius prædestinationis. 22. 266.*
4. *Utrùm detur causa meritoria prædestinationis ex parte prædestinati? à n. 25 266.*
5. *Proponuntur errores aliquorum.* ibid.

SECTIO III.

1. Proponitur sententia tenenda. 30. 267.
2. *Nulla data fuit causa meritoria ex parte prædestinati ad primam ejus electionem, tam ad gloriam, quàm ad media, sed ratio eligendi hunc potius, quàm illum, fuit beneplacitum divinum.* ibid.
3. *Pars, tam prædestinationis, quàm effectuum illius, quando tendit ad executionem, supponit causam meritoriam in prædestinato. 47. 270.*
4. *Non ita tamen supponit alia pars. 49. 270.*

SECTIO IV.

1. Utrùm bona opera naturalia fuerint, saltem causa dispositiva prædestinationis? 50. 270.
2. *Declaratur sensus quæstionis,* ibid.
3. *Bona opera naturalia non potuerunt disponere positivè ad prædestinationem, neque directè, neque indirectè. à n. 52. 270.*
4. *Utrùm opera bona purè naturalia potuerint esse causa impetratoria prædestinationis? 63. 272.*
5. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
6. *Prædestinatio non potuit impetrari per hujusmodi opera secundùm præsentem Providentiam. à n. 64. 272.*
7. *Neque etiam stando in alio genere Providentiæ, quæ dari poterat de lege absoluta. 71. 272.*

SECTIO V.

1. Utrùm opera bona liberi arbitrii sint saltem conditio *sine qua non* ad prædestinationem? 79. 273.
2. *Proponitur sententia negativa tenenda.* ibid.
3. *Quid Sancti Patres, tùm Græci, tùm Latini senserint de initio prædestinationis ex operibus naturæ? à n. 83. 274.*

SECTIO VI.

1. Utrùm aliquis homo purus potuerit esse causa prædestinationis alterius? 108. 277.
2. *Nullus purus homo justus de facto meruit electionem alterius ad gloriam. 109. 277.*
3. *Potuit tamen de potentia absoluta mereri alteris de congruo suam primã electionem ad gloriam. 115. 278.*
4. *De facto fuit causa meritoria prædestinationis alterius in executione quoad aliquos effectus. 121. 278.*
5. *Non ita quoad omnes effectus. 123. 278.*
6. *Potuit tamen etiam quoad omnes effectus in executione. 129. 279.*

SECTIO VII.

1. Utrùm Christus Dominus fuerit causa meritoria nostræ prædestinationis? 130. 279.
2. *Fuit causa Finalis nostræ prædestinationis.* ibid.
3. *Non potuit prout sic esse causa discriminis, cur prædestinaretur hic homo potius, quàm ille. 131. 279.*
4. *Fuit causa Exẽplaris nostræ prædestinationis. 132. 280.*
5. *Fuit etiam meritoria nostræ prædestinationis secundùm primam intentionem, & electionem efficacem ad gloriam. à n. 133. 280.*
6. *Et etiam quoad omnes effectus in executione. 142. 281.*

SECTIO VIII.

1. Utrùm Christus Dominus meruerit nostram electionem ad gloriam, prout illa dicit electionem aliquorum præ aliis? à n. 153. 282.
2. *Nobis meruit electionem ad gloriam, ut electio est. 154. 282.*

3. *Utrùm Christus Dominus sua merita specialiter applicuerit pro electis, expresè orando pro illis? à n. 162. 284.*

DISPUTATIO IV.
De Effectibus Prædestinationis.

SECTIO PRIMA.

1. UTrùm Prædestinatio aliquos habeat effectus, & quas conditiones requirant. 1. 287.
2. *Prædestinatio formalis plures habet effectus. 2. 287.*
3. *Prædestinatio formalis est causa suorum effectuum in genere causæ efficientis. 4. 287.*
4. *Prædestinatio objectiva adæquatè sumpta nullum habet effectum. 7. 287.*
5. *Maximè autem sumpta inadæquatè; sicq; unus effectus prædestinationis formalis causat alium. 8 287.*
6. *Quot, & quales conditiones requirantur, ut aliquod beneficium sit prædestinationis effectus? à n. 10. 288.*
7. *Debet esse effectus Dei.* ibid.
8. *Debet aliquo modo conducere ad salutem æternam consequendam. 11. 288.*
9. *Etiamsi conducat ad solum augmentũ gloriæ. 13. 288.*
10. *Non est necessarium quod in perpetuũ duret. 17. 288.*
11. *Debet procedere ex speciali intentione dandi gloriam. 19. 288.*
12. *Debet aliquo modo spectare ad ordinem gratiæ, & supernaturalem Providentiam. 21. 289.*
13. *Debet esse ex gratia, & meritis Christi Redemptoris. 24. 289.*
14. *Numerantur hujusmodi conditiones. 27. 289.*

SECTIO II.

1. Utrùm, & quæ res naturales sint Prædestinationis effectus? à n. 28. 289.
2. *Quæ sint hujusmodi bona, de quibus potest esse præsens quæstio?* ibid.
3. *Quoties hujusmodi bona contingunt per causas naturales, & sine speciali Dei Providentia, non sunt Prædestinationis effectus. 32. 390.*
4. *Maximè autem si induant aliquam rationem supernaturalitatis quoad modum, & in effectu conducant aliquo modo ad salutem. 34. 290.*
5. *Mundus, Cœli, Elementa, animalia, & similia, non sunt prædestinationis effectus quoad creationem. 36. 290.*
6. *Substantia prædestinati, ejus creatio, generatio, potentiæ accidentales, & proprietates consequentes ipsam substantiam, non sunt prædestinationis effectus. 41. 291.*
7. *Bona aliqua naturalia, nempè ingenium, bona indoles, nativitas ex talibus parentibus, in tali loco, tempore, personarum consuetudo, ingressus in Ecclesiam tempore concionis, assistentia morti repentinæ, & aliarum circumstantiarum occursus sunt prædestinationis effectus. 49. 292.*

SECTIO III.

1. Ostenditur specialiter, aliqua bona naturalia ex proximè dictis esse effectus prædestinationis. à n. 59. 293.
2. *Actus virtutum naturalium moralium sunt effectus prædestinationis. 67. 294.*
3. *Orationes unius sancti, sive in hac vita, sive in gloria, plerumq; sunt effectus prædestinationis alterius electi. 68. 294.*
4. *Gratiæ gratis datæ Virgini S.ma Apostolis, Prophetis, & aliis Sanctis sunt effectus prædestinationis eorum, quos ad æternam vitam adjuvarunt. 70. 294.*
5. *Idem de gratiis gratum facientibus unum prædestinatum respectu aliorum, & etiam quorumdam in speciali. 71. 294.*
6. *Bona reproborum, sive apparentia, sive vera, sive supernatur alia, sive naturalia, plerumq; sunt effectus prædestinationis electorum. 74. 294.*
7. *Bona naturalia aliquorum electorum multoties sunt effectus prædestinationis aliorum. 75. 294.*
8. *Idem de operatione corrigentis respectu multorum, qui corriguntur. 77. 295.*
9. *Idem de bonis Angelorum respectu prædestinationis hominum. 79. 295.*

SECTIO IV.

1. Utrùm omnes res supernaturales sint effectus prædestinationis. à n. 81. 295.
2. *Declarantur dona supernaturalia, de quibus hic est sermo.* ibid.
3. *Omnis gratia congrua in prædestinato, sive sit excitans, præveniens, adjuvans, sive auxilians est effectus prædestinationis. 83. 295.*
4. *Hujusmodi vocationes congruæ in reprobo respectu illius non sunt effectus prædestinationis. 90. 296.*
5. *Possunt tamen esse respectu alterius hominis prædestinati. 91. 296.*
6. *Utrùm vocationes non congruæ datæ prædestinato sint effectus prædestinationis illius? 92. 296.*
7. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
8. *Vocatio non congrua, si sumatur tantùm secundùm virtutem efficientem in ordine ad actum, non est effectus prædestinationis. 93. 296.*
9. *Potest tamen aliquando esse, ut in memoriam revocata. 95. 296.*
10. *Vocationes externæ sunt prædestinationis effectus. 100. 297.*
11. *Non item præparatio Dei, ut concurrat nobiscum ad actus supernaturales. 101. 297.*

SECTIO V.

1. Utrùm actus supernaturales in peccato facti; & omnes alii prout ab homine procedunt, sint effectus prædestinationis? à n. 107. 298.
2. *Actus supernaturales facti in peccato sunt prædestinationis effectus.* ibid.
3. *Idem de omnibus actibus supernaturalibus, non solùm prout procedunt à gratia, sed etiam à libero hominis arbitrio. 109. 298.*
4. *Idem de gratia justificante, de habitibus ad illam aliquo modo spectantibus, illorum augmento, & remissione pœnæ. à n. 117. 299.*

SECTIO VI.

1. Utrùm gratia per peccatum interrupta, finalis, donum perseverantiæ, & glorificatio sint effectus prædestinationis? *à n. 123. 300.*
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Gratia per peccatum interrupta est effectus prædestinationis quoad ejus reparationem per pœnitentiam. 124. 300.*
4. *Et etiam quoad ejus primã collationem. à n. 125. 300.*
5. *Idem de gratia finali. 141. 302.*
6. *Et de dono perseverantiæ. 142. 302.*
7. *Et de gloria beatitudinis. à n. 145. 302.*
8. *Et de gloria accidentali. 154. 304.*

SECTIO VII.

1. Utrùm mala pœnæ, & culpæ sint effectus prædestinationis? à n. 155 304.
2. *Malum pœnæ est effectus prædestinationis.* ibid.
3. *Malum culpæ, sive peccatum secundùm malitiam formalem non est effectus prædestinationis. 161. 304.*
4. *Neque etiam sumptum secundùm materialitatem prout procedit à Deo. 163. 305.*
5. *Neque etiam prout hæc procedit à peccatore. 162. 304.*

SECTIO VIII.

1. Utrùm permissio peccati sit effectus prædestinationis? à n. 172. 306.

2. *Permissio peccati, tam proprii, quàm alieni, potest esse, & sæpius est effectus prædestinationis*, ibid.

DISPUTATIO V.

De Reprobatione

SECTIO PRIMA.

1. QUid sit, & an detur in Deo Reprobatio. à n. 1. p. 308.
2. *Qualia sint Reproborum nomina?* ibid.
3. *Datur in Deo Reprobatio. à n. 4. 308.*
4. *Non fuit in Deo absolutè, & simpliciter necessaria. 12. 310.*
5. *Fuit quodammodo necessaria quoad aliquos. 13. 310.*
6. *Fuit in Deo propriè 15. 310.*

SECTIO II.

1. Qualis sit Reprobationis definitio: & in quo formaliter consistat? 17. 310.
2. *Reprobatio est actus Dei intrinsecus, immanens, liber, & æternus.* ibid.
3. *Proponitur ejus definitio. 18. 310.*
4. *Consistit formaliter in utroque actu, & intellectûs, & Voluntatis. 19. 310.*
5. *Qualesnam sint hujusmodi actus: & qualem scientiam supponant? 24. 311.*
6. *Reprobatio est pars Providentiæ supernaturalis. à n. 26. 311.*
7. *Non datur Reprobatio per modum intentionis distincta à reprobatione per modũ executionis. 29. 311.*
8. *Qualenam sit illius objectum? 30. 311.*

SECTIO III.

1. Qualisnam sit Reprobationis divisio? 32. 312.
2. *Optimè dividitur in Negativam, & Positivam.* ibid.
3. *Negatio, quam dicimus reprobationem negativam, non fuit in Deo pura suspensio actûs. 36. 312.*
4. *Ex reprobatione negativa sequitur infallibiliter reprobatio positiva. 43. 313.*
5. *Qualisnam actus sit reprobatio positiva, & negativa? 44. 313.*
6. *Qualiter inter se conveniant? 45. 313.*
7. *Qualiter prædestinationi opponantur? 46. 313.*

SECTIO IV.

1. Qualiter fuerit in Deo reprobatio positiva? 47. 313.
2. *Deus ante Scientiam Conditionatam demeritorum non potuit aliquem positivè reprobare.* ibid.
3. *Posità solâ Scientiâ Conditionatâ demeritorum, benè poterat dari voluntas Dei efficax excludens à regno, & deputans ad pœnam æternam, & non repugnaret ejus Bonitati. 48. 313.*
4. *Deus de facto neminem voluit positivè excludere à regno, & ad pœnam æternam deputare ante absolutam præscientiam peccati finalis. 51. 314.*

SECTIO V.

1. An posito peccato originali, antecedenter ad actualia, Deus aliquem positivè reprobarit? 66. 315.
2. *Deus in eo primo signo, in quo prævidit lapsum Adami, sive ob solum peccatum originale præcisè ut contractum, & antequam prævideret morituros sine remedio, nullum reprobavit. 67. 315.*

SECTIO VI.

1. De Causis Reprobationis. 83. 317.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Nulla datur causa reprobationis negativæ à gloria ex parte reprobi. 88. 318.*
4. *Neque etiam reprobationis negativæ à gratiâ congruâ. 95. 318.*

SECTIO VII.

1. Utrùm præcesserit causa reprobationis positivæ ex parte reprobi? 103. 319.
2. *Datur causa reprobationis positivæ ex parte reprobi.* ibid.
3. *Nullum peccatum, sive originale, sive personale, quod in mortis instanti est remissum, censetur causa reprobationis positivæ. 104. 319.*
4. *Neque sic est originale in omnibus, qui damnantur. 105. 319.*
5. *Neque sic est ullum peccatum, quod non conjungitur cum morte hominis. 106. 320.*
6. *Peccata finalia in adultis sunt causa reprobationis positivæ. 107. 320.*
7. *Sic etiam est in parvulis originale à Deo prævisum durans usque ad mortem. 109. 320.*

SECTIO VIII.

1. De Effectibus Reprobationis, & quæ conditiones requirantur, ut tales sint? à n. 110. 320.
2. *Assignantur hujusmodi conditiones.* ibid.
3. *Peccatum absolutè non est effectus reprobationis. 116. 320.*
4. *Neque talis est ejus materialitas prout exit à peccatore, neque de facto, neque de possibili. 121. 321.*
5. *Neque etiam prout exit à Deo. 122. 321.*
6. *Formalis malitia peccati, neque prout est pœna, potest esse effectus reprobationis. 123. 321.*
7. *Nulla permissio peccati non finalis est effectus reprobationis negativæ. 131. 322.*
8. *Omnis permissio peccati finalis, prout dicit negationem vocationis congruæ, est effectus reprobationis negativæ. 132. 322.*

SECTIO IX.

1. Utrùm permissio peccati sit effectus reprobationis positivæ? à n. 137. 322.
2. *Nulla permissio peccati, etiam finalis, est effectus reprobationis positivæ.* ibid.

SECTIO X.

1. Aliqua numerantur, de quibus dubitatur, an sint reprobationis effectus? 145. 323.
2. *Negatio gratiæ finalis est effectus reprobationis negativæ. 146. 323.*
3. *Sicut & omnia, quæ sequuntur ex tali negatione actu conducentia ad pœnam æternam; imò & ipsa pœna æterna. 147. 324.*
4. *Ingenium pravum, & ad virtutum opera rebelle, non est effectus reprobationis negativæ. 149. 324.*
5. *Neque etiam creatio hominis. 154. 324.*
6. *Neque illius mors temporalis quoad substantiam, & debitum. 157. 324.*
7. *Aliquando tamen talis est quoad aliquas circumstantias atroces. 159. 325.*

SECTIO XI.

1. Utrùm aliqui ex supra dictis sint effectus reprobationis positivæ? à n. 161. 325.
2. *Executio pœnæ æternæ, & omnia media ad illam in effectu infligendam, sive in Inferno, sive in Limbo sunt effectus reprobationis positivæ.* ibid.
3. *Idem de morte temporali, quando ita est conjuncta cum æterna, ut per modum unius sumatur cum illa. 165. 325.*
4. *Non ita tamen quando non continuatur cum æterna. 168. 326.*

DISPUTATIO VI.

Comparantur Prædestinatio, & Reprobatio inter se.

SECTIO PRIMA.

1. VTrùm in Deo detur voluntas generalis perdendi, sicut salvandi omnes? n. 1. p. 326.
2. *In Deo datur voluntas generalis excludendi omnes à regno per modum simplicis complacentiæ. 2. 326.*
3. *Non tamen per modum intentionis, & propositi ante*

prævisum peccatum Adæ. 6. 327.
4. *Imò neq; post prævisum peccatum Adæ habuit Deus voluntatem generalem excludendi eum, & posteros à regno. 12. 327.*
5. *Neque excludendi omnes reprobos adultos. 13. 327.*

SECTIO II.

1. Utrùm Deus omnibus reprobis conferat auxilia sufficientia, sicut prædestinatis omnibus confert efficacia? à n. 17. 328.
2. *Deus omnibus justis, etiam reprobis, dum sunt in gratia confert auxilia sufficientia, nè cadant. 20. 328.*
3. *Et omnibus peccatoribus fidelibus, ut per pœnitentiam resipiscant. 27. 329.*
4. *Non ita tamen pro semper, id est, omnibus diebus, horis, & momentis actu, id est, per actualem gratiam excitantem. 30. 329.*
5. *Deus, quantùm est ex se, pro nullo temporis momento denegat peccatori auxilia sufficientia, ut resurgat. 33. 330.*
6. *Deus actu confert auxilia sufficientia, & excitat ad pœnitentiam singulis momentis opportunis. 35. 330.*
7. *Qualia nam sint hæc opportuna tempora, quibus Deus excitat. à n. 36. 330.*

SECTIO III.

1. Utrùm Deus etiam peccatoribus obstinatis, & obduratis conferat auxilia sufficientia, ut resipiscant? 45. 331.
2. *Etiam his confert Deus auxilia sufficientia, ut resipiscant.* ibid.

SECTIO IV.

1. Utrùm omnibus infidelibus conferat Deus auxilia sufficientia? 58 333.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Omnibus infidelibus, qui, cùm audierint de fide, non convertuntur, prout sunt in statu infidelitatis confert Deus auxilia sufficientia. à n. 59, 333.*

SECTIO V.

1. Utrùm Deus omnibus infidelibus, qui nunquam de fide audierunt conferat auxilia sufficientia, tùm externa, & generalia; tùm interna, & specialia? à n. 73 335.
2. *Deus omnibus his confert auxilia sufficientia.* ibid.
3. *Confert illis etiam auxilia sufficientia interna, & specialia. à n. 81. 335.*

SECTIO VI.

1. Utrùm infantibus non baptizatis conferat Deus auxilia sufficientia ad salutem? 93. 337.
2. *Illis, qui in utero, aut defectu materiæ, aut ministri sine baptismo decedùt, confert Deus auxilia sufficientia specialia, saltem remotè, & mediatè. à n. 94. 337.*
3. *Etiam illis confert externa, & generalia. 96. 337.*

SECTIO VII.

1. Utrùm major sit prædestinatorum, quàm reproborum numerus? à n. 111. 339.
2. *Numerus prædestinatorum est copiosissimus. 114. 340.*
3. *Si fiat comparatio absolutissima inter omnes prædestinatos, & reprobos, major est prædestinatorum numerus. 115. 340.*
4. *Ita etiam si fiat inter solos Angelos. 116. 340.*
5. *Si fiat inter Angelos & homines prædestinatos, plures sunt Angeli, quàm homines prædestinati. 117. 340.*
6. *Si inter homines, & Angelos reprobos, plures sunt homines prædestinati, quàm Angeli reprobi. 118. 340.*
7. *Si inter solos homines, plures sunt reprobi, quàm prædestinati. 120. 340.*
8. *Si inter solos homines Christianos, major videtur esse numerus prædestinatorum. 123. 341.*
9. *Si inter solos Christianos adultos, major est numerus reproborum. 125. 341.*
10. *Si inter solos adultos verè Catholicos, plures sunt prædestinati. 127. 341.*
11. *Si inter Catholicos viros, & fœminas, plures salvantur fœminæ. 130. 341.*
12. *Æqualem fore numerum virorũ, ac fœminarum in prædestinatione, & reprobatione, tenèt aliqui. 131. 342.*

SECTIO VIII.

1. De certitudine Prædestinationis, & Reprobationis. à n. 134. 342.
2. *Proponuntur aliqui errores. 135. 342.*
3. *Prædestinatio, & Reprobatio habent certitudinem infallibilem. 136. 342.*
4. *Formalis prædestinatorum, & reproborum numerus habet certitudinem infallibilem. 142. 343.*
5. *Idem de eorum numero materiali. 147. 343.*

SECTIO IX.

1. Utrùm alicui certa sit sua, aut aliorum Prædestinatio? 153. 344.
2. *Proponuntur duo errores.* ibid.
3. *Nullus, seclusâ revelatione divinâ, potest certò scire in hac vita suam prædestinationem, aut reprobationem. 155. 344.*
4. *Post mortem alicujus infantis, quem ego baptizavi, possum habere certitudinem de ejus prædestinatione. 164. 345.*
5. *Dùm aliquis vivit, non possum certò scire moraliter esse prædestinatum. 165. 345.*
6. *Post mortem alicujus adulti potest dari viventibus certitudo moralis de ejus prædestinatione. 166. 345.*
7. *Qualianam sint signa hujus prædestinationis? à n. 167. 346.*

SECTIO X.

1. Quomodò concordet libertas creata cum Prædestinatione, & Reprobatione? 171. 346.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Prædestinatio Divina non offendit libertatem creatam. 172. 346.*
4. *Idem dicendum de Reprobatione divina negativa. 181. 347.*
5. *Idem de Reprobatione positiva. 182. 348.*
6. *Prædestinatio non est simpliciter, & absolutè in potestate prædestinati. 183. 348.*
7. *Est tamen secundùm quid. 192. 349.*

SECTIO XI.

1. Utrùm in potestate reprobi sit non prædestinari, aut reprobari? à n. 195 349.
2. *Non est in potestate reprobi non prædestinari.* ibid.
3. *Est magis secundùm quid in ejus potestate non prædestinari, quàm secundùm quid est in potestate prædestinati prædestinari. 198. 349.*
4. *In potestate reprobi non est reprobatio negativa. 199. 350.*
5. *Maximè verò sua positiva. 200. 350.*
6. *Hæ possunt absolutè proferri*, Prædestinatus potest damnari: Reprobus potest salvari. 201. 350.
7. *Qualisnam sit ordo decretorum Dei circa Prædestinationem, & Reprobationem? à n. 203. 350.*

SECTIO XII.

1. De Libro Vitæ. 213. 351
2. *Quid hîc significet liber vitæ? 215. 351.*
3. *Rejiciuntur duæ sententiæ. 217. 352.*
4. *Proponitur sententia tenenda. 220. 352.*
5. *Gratia, & merita prædestinatorum pertinent ad librum vitæ secundariò, & secundùm quid. 223. 352.*
6. *Non ita tamen gratia, & merita, quibus pro præsenti statu florent aliqui præsciti, nisi ad plurimum indirectè. 224. 352.*
7. *Utrùm Christus Dominus sit dicendus Liber Vitæ? 227. 353.*
8. *Utrùm Liber Vitæ sit vis quædam divina, quâ cujuslibet conscientiæ manifesta fiunt sua, aut aliorum facta? 229. 353.*
9. *Utrùm nomine Librorum* Apoc. 20. *significentur singulorum conscientiæ? 230. 353.*

SECTIO XIII.

1. Utrùm detur etiam *Liber mortis*: & aliquis deleatur

deleatur de Libro Vitæ? 231. 353.
2. Appellatio Libri mortis potest admitti in Deo? 233. 353.
3. Congruentiùs tamen est non dicere Librum mortis stando usu, & modo loquendi Scripturæ. 236. 354.
4. An, & quomodò aliquis deleatur de Libro vitæ? à n. 243. 354.

Sectio XIV.

1. Quid petierit Apostolus dicens: Optabam ego ipse anathema esse: & quid Moyses dicens: Dele me de libro tuo? à n. 247. 355.
2. Variæ sententiæ proponuntur. ibid.
3. Probabilior sententia. à n. 251. 355.

Sectio XV.

1. De remediis tentationis circa reprobationem: & totius tractatûs brevis Synopsis. à n. 273. 357.
2. Primum remedium. ibid.
3. Secundum remedium. 274. 357.
4. Totius tractatûs Synopsis 279. 358.

TRACTATUS III.
De Sanctissimo Trinitatis Mysterio.

DISPUTATIO PRIMA.
De existentia, & cognoscibilitate hujus Mysterii.

Sectio prima.

1. EXponitur fides catholica, & errores contrarii refutantur. n. 1. p. 360.
2. Quid hoc nomen Trinitas significet? 2. 360.
3. Quid circa hoc Mysterium fides teneat? 4. 360.
4. Qualiter circa hoc Mysterium erraverint Iudæi, & hæretici? à n. 12. 361.

Sectio II.

1. Quid cum fide tenendum stabilitur. à n. 30. 363.
2. Deus, sive Natura Divina est una numero, & planè indivisa, 31. 363.
3. Filius in Divinis est verus Deus, & ejusdem numero Naturæ, ac Essentiæ cum Patre. 42. 364.

Sectio III.

1. Proponuntur, & solvuntur argumenta contra Filii Divinitatem. à n. 54. 366.

Sectio IV.

1. Demonstratur Divinitas Spiritûs sancti: & Unitas Essentiæ cum pluralitate Personarum. à n. 94. 370.
2. Spiritus Sanctus est verus Deus. ibid.
3. In Deo est unitas Essentiæ, & Personarum pluralitas. 104. 371.

Sectio V.

1. Utrùm Mysterium Trinitatis sit contra rationem, seu lumen naturale? 137. 375.
2. Non est contra lumen naturale. 138. 375.
3. Apponuntur, & rejiciuntur variæ responsiones ad illud principium: Quæ sunt eadem in uno tertio, sunt eadem inter se. à n. 144. 376.

Sectio VI.

1. Vera responsio assignatur, & reliqua argumenta solvuntur. à n. 162. 378.

Sectio VII.

1. Utrùm, & quomodò Mysterium Trinitatis sit supra lumen naturale? 181. 380.
2. Mysterium Trinitatis, præcisâ revelatione, non potest lumine naturali cognosci evidenter quoad quid est. 182. 380.
3. Neque quoad an est evidenter. 186. 381.
4. Lumine naturali non potest dari de hoc mysterio assensus, sive cognitio etiam probabilis. 187. 381.
5. Neque ex auxilio gratiæ ordinis naturalis potest haberi assensus evidens, imò neque probabilis hujus mysterii. 203. 383.

Sectio VIII.

1. Utrùm, suppositâ revelatione divinâ, possit naturali lumine cognosci Mysterium Trinitatis? à n. 214. 384.
2. Declaratur sensus quæstionis. ibid.
3. Suppositâ revelatione divinâ, non potest intellectus creatus naturaliter demonstrare cognitione evidenti hoc mysterium. 216. 384.
4. Potest tamen naturali lumine probabiliter cognosci ex authoritate creata. 236. 387.
5. Sicut, & congruentia, & convenientia talis mysterii naturalibus quibusdam rationibus verisimiliter suaderi. 240. 387.

Sectio IX.

1. Utrùm, positâ revelatione divinâ, possint naturali lumine solvi argumenta facta contra hoc mysterium? à n. 241. 387.
2. Declaratur sensus quæstionis. ibid.
3. Possunt naturaliter solvi evidenter, etiam in actu exercito, argumenta, quæ peccant contra regulas dialecticas, aut in materia contra lumen naturale. 242. 388.
4. Quid de argumentis, quæ peccant contra mysteria, quæ solo fidei lumine cognoscuntur? 243. 388.
5. Quid de illis, quæ peccant, tam in materia, quàm in forma contra lumen fidei? 245. 383.
6. Argumenta contra mysterium Trinitatis, licet soli lumini fidei contrarientur, possunt solvi evidenter evidentiâ extrinsecâ, sive negativâ, & signatè, & exercitè. 247. 388.

Sectio X.

1. Utrùm, & quâ ratione cognoscatur hoc mysterium lumine supernaturali? 252. 389.
2. Supponuntur aliqua ad intelligentiâ quæstionis. ibid.
3. Mysterium Trinitatis non potest cognosci lumine supernaturali immediatè in se ipso, aut per propriâ speciem evidenter quidditativè, & non intuitivè. 256. 389.
4. Utrùm Visio Beata possit esse principium incognitum determinans intellectû ad cognitionem quidditativam non intuitivam Trinitatis in proprio genere. 267. 390.
5. Ex visione Beatâ priùs cognitâ potest haberi Notitia evidens quidditativa nõ intuitiva Trinitatis 277 391.

Sectio XI.

1. Utrùm per medium supernaturale evidenter cognitum haberi possit Notitia evidens hujus mysterii? à n. 282. 392.
2. Qualia possint esse hæc media. ibid.
3. Quid ex Essentia Divina evidenter, & quidditativè cognitâ? 283. 392.
4. Quid ex revelatione Divinâ etiam evidenter cognitâ? 285. 392.
5. Quid ex assensu fidei supernaturalis & aliis actibus supernaturalibus terminatis ad hoc mysterium? 289. 393.
6. Quid de habitibus supernaturalibus? 294. 393.
7. Quid de Personis Divinis, si ad sui cognitionem concurrunt: & de visione Beata? 295, 393.
8. Quid de Unionibus Hypostaticis, si tres Personæ Divinæ tres assumerent humanitates? 296 393.

DISPUTATIO II.
De Processionibus Divinis.

Sectio prima.

1. DE existentiâ, & numero Processionum Divinarum ad intra, n. 1. p. 394.

2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *In Deo ponenda est realis processio* ad intra. *2. 395.*
4. *Ex principiis fidei per evidentem consequentiam ostenditur vera processio in divinis. 14. 396.*
5. *Processiones divinæ non sunt dicendæ rigorosæ actiones, & passiones. 17. 396.*
6. *Neque etiam dicendæ sunt causalitates, neque dependentiæ. 20. 396.*

SECTIO II.

1. De numero processionum divinarum. 21. 397.
2. *Duæ sunt in Deo processiones passivæ, nec plures, nec pauciores. 22. 397.*
3. *Duæ sunt etiam in Deo processiones activæ* ad intra. *36. 398.*
4. *Hujusmodi processiones in divinis non sunt ex nihilo. 37. 398.*

SECTIO III.

1. Utrùm possit demonstrari, dari in Deo processiones divinas *ad intra?* à n. 41. 399.
2. *Resolvuntur de hoc variæ conclusiones.* ibid.

SECTIO IV.

1. Qualisnam sit quidditas, sive ratio formalis processionum *ad intra?* 52 400.
2. *Proponuntur duæ sententiæ. 53. 400.*
3. *Proponitur tertia tenenda affirmans, solam Relationem Personæ producentis esse formaliter totã processionem activam, sive actionẽ, quæ producit. 54. 400.*
4. *Quid de processionibus passivis? 72. 402.*

SECTIO V.

1. Utrùm processiones *ad intra* sint substantiales, immanentes, & vitales? 76. 403.
2. *Sunt substantiales.* ibid.
3. *Sunt etiam immanentes. 77. 403.*
4. *Sunt etiam vitales. 82. 403.*

SECTIO VI.

1. Utrùm, & quomodò processiones divinæ sint liberæ, & voluntariæ? à n. 90. 404.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Sunt liberæ libertate ab indigentia, & à coactione. 91. 404.*
4. *Sunt tamen necessariæ necessitate essendi, sive non contingentes. 93. 404.*
5. *Utrùm sint voluntariæ? 102. 406.*
6. *Sunt voluntariæ objectivè concomitanter. 103. 406.*
7. *Processio Verbi non est voluntaria causaliter intrinsecè: maximè verò processio Spiritûs sancti.* ibid.
8. *Processio Verbi non est voluntaria extrinsecè, id est, à voluntate imperante. 104. 406.*
9. *Voluntas generandi non est prior prioritate virtuali quàm generatio Filii. 105 406.*

SECTIO VII.

1. Utrùm, & quomodò distinguantur inter se Processiones Divinæ? à n. 125. 408.
2. *Processiones divinæ, tam activæ, quàm passivæ inter se comparatæ, distinguuntur essentialiter, & quasi specificè.* ibid.
3. *Sic essentialiter distinguuntur activæ à passivis. 126. 408.*
4. *Processio activa in Patre distinguitur realiter à passiva in Filio: & activa in Patre, & in Filio à passiva in Spiritu Sancto. 127. 408.*
5. *Processiones passivæ distinguuntur inter se realiter. 136. 409.*
6. *Non ita activæ inter se. 142. 410.*
7. *Non conveniunt inter se univocè. 145. 410.*

SECTIO VIII.

1. Utrùm, & quomodò Processiones distinguantur à Relationibus: & de illis, ac de Deo affirmentur? à n. 146. 410.
2. *Processiones, tam activæ, quàm passivæ distinguuntur à Relationibus virtualiter imperfectè.* ibid.
3. *Processio passiva est idem realiter adæquatè, & convertibiliter cum Relatione Personæ productæ. 149. 411.*
4. *Sic etiam est processio activa cum Relatione Personæ producentis. 151. 411.*
5. *Origines, sive actus notionales non affirmantur verè de Relationibus sumptis in abstracto. 152. 411.*
6. *Neque etiam de Deo in abstracto. 153. 411.*
7. *Maximè verò de Deo sub concreto* Deus. *157. 412.*
8. *Sic etiam de Personis propriis nominibus significatis in concreto. 163. 412.*

DISPUTATIO III.

De Principiis, & Terminis Processionum divinarum *ad intra.*

SECTIO PRIMA.

1. VTrùm in Deo detur Principium Processionum Divinarum? à n. 1. 413.
2. *Supponuntur, & advertuntur aliqua.* ibid.
3. *In Deo est vera ratio potentiæ productivæ* ad intra, *seu principium formale* quo *in actu primo divinarum processionum. 4. 413.*
4. *Utrùm, & quomodò hæc potentia, sive principium* quo *distinguatur à principio* quod? *22. 415.*
5. *Non distinguitur realiter à parte rei.* ibid.
6. *Distinguitur virtualiter, & quoad nos. 23. 415.*
7. *Utrùm detur in Deo* ad intra *potentia realis, non solùm ad Personas productas, sed etiam ad earum productiones formales? 27. 415.*
8. *Datur ad processiones passivas.* ibid.
9. *Non tamen ad activas. 28. 415.*

SECTIO II.

1. Utrùm principium formale *quo* processionum divinarum sit aliquid absolutum: an relativum? à n. 31. 416.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Proponitur prima sententia. 34. 416.*
4. *Proponitur sententia tenenda, & affirmans, principium formale* quo ad intra *esse quid absolutum connotans ut conditionem sine* quâ non *certam relationem. 35. 416.*

SECTIO III.

1. Solvuntur fundamenta contraria, 54. 419.

SECTIO IV.

1. Proponuntur, & solvuntur alia argumenta. à n. 76. 421.

SECTIO V.

1. Utrùm absolutum, quod diximus principiũ formale *quo* processionum divinarum sit ipsa Natura sub præcisâ ratione Naturæ: an sub ratione Intellectûs, & Voluntatis? à n. 93. 423.
2. *Declaratur status quæstionis.* ibid.
3. *Processiones Divinæ sunt immediatè, & formaliter à Natura sub ratione Intellectûs, & Voluntatis. à n. 95, 424.*

SECTIO VI.

1. Utrùm Intellectus, & voluntas per modum potentiæ: an per modum actûs sint principium processionum *ad intra?* 116. 426.
2. *Declaratur status quæstionis.* ibid.
3. *Utrùm in Deo detur potentia intelligendi, & volendi virtualis, & quoad nos? 117. 426.*
4. *Non datur propria, & rigorosa.* ibid.
5. *Datur impropria. 123. 427.*
6. *Intellectus, & Voluntas Divina sunt principium formale* quo *sub ratione actûs, & non potentiæ. 128. 427.*

SECTIO VII.

1. Quinam actus Intellectûs, & voluntatis sint principia formalia processionum divinarum. 139. 428.
2. *Proponitur, & rejicitur sententia Scoti.* ibid.
3. *Proponitur, & rejicitur sententia Henrici. 140. 429.*

4. *Proponitur, & probatur sententia tenenda. 145. 429.*
5. *Quid sit* dictio *formaliter. 148. 419.*

Sectio VIII.

1. Utrùm potentia notionalis, sive productiva *ad intra* contineatur sub *Omnipotentia*? à n. 152. 430.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Proponitur, & defenditur sententia affirmativa. 158. 430.*
4. *Proponitur, & defenditur sententia negativa. 172. 432.*
5. *Apponitur judicium Authoris. 182. 433.*
6. *Aliqua remissivè apponuntur. 183. 433.*

Sectio IX.

1. De terminis processionum divinarum *ad intra.* 184. 433.
2. *Declaratur status quæstionis.* ibid.
3. *Non datur terminus* à quo *processionum divinarum. 186. 433.*
4. *Qualisnam sit sensus, cùm Patres dicunt, Filium esse de substantia Patris 191. 434.*
5. *Quale sit discrimen inter has præpositiones* Ex, & De? *194. 434.*
6. *In divinis datur terminus formalis* ad quem *distinctus per rationem à termino totali. 199. 435.*

Sectio X.

1. Qualisnam sit iste terminus formalis processionum divinarum? 205. 435.
2. *Quid sit terminus formalis? 206. 435.*
3. *Proponitur, & rejicitur sententia P. Vasq.* ibid.
4. *Proponitur sententia tenenda. 208. 436.*
5. *Qualis sit terminus formalis processionum divinarum? 210. 436.*
6. *Proponitur sententia tenenda. 211. 436.*
7. *Utrùm processio Divina respiciat terminum sub ratione possibilis: an existentis? à n. 225. 437.*

Sectio XI.

1. Quænam prædicata dici possint de terminis processionum divinarum? à n. 231. 438.
2. *Persona producta potest dici* principiata. 232. 438.
3. *Persona producens potest dici* Author. 236. 439.
4. *Pater non potest dici Initium Filii, Trinitatis, aut Deitatis. 239. 439.*
5. *Neque Persona producens potest dici* Causa, *neque producta dici* Causata. 240. 439.
6. *Hæc prædicata: Esse creatum, factum, sive effectum & similia, non possunt dici de Personis divinis. 254. 441.*

DISPUTATIO IV.
De Relationibus Divinis.

Sectio prima.

1. De existentia Divinarum Relationum. n. 1. p. 441.
2. *Inter Personas Divinas dantur Relationes reales. à n. 2. 441.*
3. *Hæ relationes sunt reales etiã secũdùm esse* ad. *14. 442*
4. *Hæ Relationes sunt transcendentales secundùm conceptum implicitum. 20. 443.*
5. *Secundùm explicitum sunt quasi prædicamentales. 25. 443.*

Sectio II.

1. De existentia, & numero Relationum Divinarum *ad intra.* à n. 30. 444.
2. *Relationes Divinæ habent existentiam sibi propriam relativam distinctam ab existentiâ absolutâ Naturæ.* ibid.
3. *Dantur in Deo tres Relationes notionales reales, & realiter distinctæ. 49. 446.*

Sectio III.

1. Utrùm detur in Deo *ad intra* quarta alia Relatio realis? 50. 446.
2. *Datur in Deo quarta Relatio realis, quæ dicitur Spiratio activa. 51. 446.*
3. *Effieit quartam Relationem, suntq; in Deo quatuor Relationes reales. 59. 447.*
4. *Præter has quatuor non sunt admittendæ aliæ reales quasi fundatæ in unitate, & multitudine. 69. 448.*

Sectio IV.

1. Quomodò spiratio activa ab aliis Relationibus distinguatur? à n. 81. 449.
2. *Distinguitur realiter ab spiratione passiva.* ibid.
3. *Non distinguitur à Paternitate, & Filiatione realiter. 85. 449.*

Sectio V.

1. Proponuntur duæ aliæ sententiæ. 108. 451.
2. *Non distinguitur à Paternitate, & Filiatione formaliter ex natura rei.* ibid.
3. *Distinguitur distinctione virtuali. 111. 452.*
4. *Hæc distinctio virtualis non est solum extrinseca, & metaphysica, sed intrinseca physicè. 112. 452.*

Sectio VI.

1. Utrùm spiratio activa includatur formaliter in Paternitate, & Filiatione? 121. 453.
2. *Paternitas, & Filiatio non includuntur formaliter in spiratione activa.* ibid.
3. *Neque hæc in illis sumptis secundùm conceptum explicitum. 122. 453.*
4. *Imò neque secundùm implicitum. à n. 123. 453.*

Sectio VII.

1. Utrùm spiratio activa in Patre, & Filio sit una simplex: & à Patre communicetur Filio? à n. 136. 454.
2. *In Patre, & Filio est una simplex.* ibid.
3. *Non communicatur à Patre Filio, sed Filio producto, in utroque simul resultat, 155. 456.*
4. *Quomodò, seu quo ordine resultet? 167. 457.*

Sectio VIII.

1. Qualenam sit munus spirationis activæ? à num. 168. 458.
2. *Utrùm sit constitutiva Patris, & Filii?* ibid.
3. *Non est eorum constitutiva secundùm rationem Personæ. 169. 458.*
4. *Neque ut aliquid utrique commune, sicut Natura est de constitutione Personarum. 172. 458.*
5. *Utrùm sit accidens metaphysicè: an physicè virtualiter? 175. 458.*
6. *Non constituit Personam formaliter: sive non habet rationem subsistentiæ. 176. 458.*

Sectio IX.

1. Utrùm spiratio activa exerceat munus complendi principium formale *quo*; aut originandi activè? à n. 188. 459.
2. *Non exercet munus complendi principium formale* quo *Spiritus Sancti, neque ut ratio formalis, neq; ut conditio.* ibid.
3. *Constituit principium actu spirans, illudq; simul refert ad terminum spiratum. 204. 461.*
4. *Aliqua colliguntur ex dictis circa spirationẽ activam. à n. 205. 461.*

Sectio X.

1. Utrùm Relationes Divinæ dicant perfectionem? à n. 208 462.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Relationes Divinæ dicunt perfectionem in se, seu quam dicimus absolutam. 210. 462.*
4. *Utrùm comparativè ad Essentiam dicant perfectionem? 228. 464.*
5. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
6. *Relationes Divinæ comparativè ad Essentiam dicunt perfectionem. 232. 464.*

Sectio XI.

1. Qualis sit hęc Relationum Divinarum perfectio? à n. 243. 465.

2. *Est in suo genere infinita.* ibid.
3. *Possunt dici in Deo plures perfectiones cum addito, id est, relativæ: & sic etiam plura entia, bonitates, res, entitates, æternitates, &c.* 249. 466.

Sectio XII.

1. Utrùm Relationes Divinæ sint perfectiones simpliciter simplices? 255. 466.
2. *Non sunt taliter perfectiones.* ibid.
3. *Sunt veluti modi Essentiæ.* 269. 468.

Sectio XIII.

1. Quomodò Relationes Divinæ ab Essentia distinguantur? à n. 279. 469.
2. *Declaratur status quæstionis.* ibid.
3. *Relationes Divinæ aliquo modo, saltem virtualiter, aut per rationem distinguuntur à Natura Divina.* 283. 469.
4. *Non distinguuntur realiter.* 288. 470.
5. *Non formaliter ex natura rei.* 299. 471.

Sectio XIV.

1. Proponitur sententia tenenda. 301. 471.
2. *Solùm virtualiter distinguuntur à Natura Divina.* ibid.
3. *Distinguuntur virtualiter physicè, & intrinsecè.* 304. 472.

Sectio XV.

1. Utrùm Relationes Personales includantur in Natura Divina? 334. 475.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Non includuntur in Natura, neque formaliter confusè.* 341. 475.

Sectio XVI.

1. Utrùm Relationes Personales includant formaliter Essentiam? 365. 478.
2. *Negativa sententia tenenda.* ibid.

DISPUTATIO V.

De Personis in communi.

SECTIO PRIMA.

1. AN, & quotuplex detur in Deo ratio Personæ n. 481.
2. *Quid in divinis significetur nomine Personæ.* ibid.
3. *Qualis sit Personæ definitio?* 7. 482.
4. *Datur in Deo ratio Personæ.* 9. 482.
5. *Utrùm ratio Personæ in Deo sit univoca?* 19. 483.

Sectio II.

1. Quot in Divinis sint Personæ: & quæ prædicata ratione Personarũ in Deo multiplicentur? 23. 483.
2. *Tres sunt in Deo Personæ.* ibid.
3. *Quænam prædicata in Deo multiplicari possint ratione Personarum? à n.* 25. 483.

Sectio III.

1. Assignantur aliquot regulæ servandæ in modo loquendi in hoc Mysterio. à n. 34. 484.

Sectio IV.

1. De constitutione Divinarũ Personarum. 61. 487.
2. *In Personis Divinis datur constitutio, & proprietatibus Personalibus constituuntur.* 62. 487.
3. *Non cõstitutione à parte rei reali, aut modali.* 79. 489.
4. *Non solâ constitutione rationis.* 81. 489.
5. *Constituuntur à parte rei constitutione virtuali intrinseca.* 82. 489.

Sectio V.

1. Utrùm in Personis Divinis admittatur compositio: iisdemque proprietatibus distinguantur, quibus constituuntur? à n. 87. 490.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *In Personis Divinis non datur compositio.* 89. 490.
4. *Iisdem proprietatibus distinguuntur, quibus constituuntur.* 93. 491.

Sectio VI.

1. Utrùm proprietates constituentes, & distinguentes Personas sint absolutæ? 109. 493.
2. *Sunt Relativæ. à n.* 111. 493.

Sectio VII.

1. Sub quâ ratione formali quoad nos proprietates Personales constituant Personas? 136. 496.
2. *Qualiter in qualibet proprietate Personali distinguantur formalitates* Hypostasis, Originis, & Relationis? à n. 137. 496.
3. *Proprietates Personales à parte rei constituunt Personas secundùm omnes suas formalitates.* 146. 497.
4. *Non illas constituunt quoad nos sub expressione* Originis. 147. 497.
5. *Neque sub expressione* Relationis. 152. 497.
6. *Maximè sub expressione Hypostasis.* 163. 498.

Sectio VIII.

1. Expenditur præcipuum hujus difficultatis punctum. à n. 166. 499.
2. *An hæc formalitas subsistendi, prout antecedit quoad nos, & quoad nos distinguitur à ratione Originis, & Relationis, concipiatur ut absoluta* ibid.
3. *Proponuntur, & rejiciuntur aliquorum sententiæ. à n.* 167. 499.
4. *Apponitur sententia tenenda.* 178. 500.

Sectio IX.

1. Quot sint in Deo subsistentiæ? 183. 500.
2. *In Deo sunt tres subsistentiæ Relativæ.* 186. 501.

Sectio X.

1. Utrùm in Deo admittenda sit subsistentia aliqua absoluta? à n. 205. 503.
2. *Potest admitti impropria, & lato modo.* 208. 503.
3. *Non tamen propriè dicta. à n.* 211. 503.

Sectio XI.

1. De Notionibus Divinarum Personarum. 257. 508.
2. *Quid sit, & quomodò definiatur* Notio? 260. 509.
3. *Quas conditiones requirat?* 261. 509.
4. *Admittendæ sunt in Personis Divinis* Notiones. 264. 509.

Sectio XII.

1. Quot Notiones sint admittendæ in Personis Divinis? à n. 271. 510.
2. *Sunt tantùm quinque.* ibid.
3. *Solvuntur argumenta pro minuendo numero Notionum.* 276. 510.

Sectio XIII.

1. Solvuntur argumenta augentia numerum Notionum. à n. 296. 512.

DISPUTATIO VI.

De Persona Patris.

SECTIO PRIMA.

1. VTrùm, & quomodò nomen *Pater* sit proprium primæ Personæ? à n. 1. 514.
2. *Prima Persona propriè dicitur* Pater. 3. 514.
3. *Hoc nomen* Pater *ita est proprium primæ Personæ, ut nulli alteri conveniat in divinis.* 8. 515.
4. *Hoc nomen* Pater *priùs dicitur de prima Persona* ad intra, *quàm de Deo* ad extra. 9. 515.
5. *Paternitas est prima proprietas personalis primæ Personæ.* 13. 515.

Sectio II.

1. Qualisnam sit radix proxima, & immediata Paternitatis? à n. 19. 516.
2. *Non advenit Essentiæ per propriã, & realem productionem.* 20. 516.
3. *Sed ab illa resultat quoad nos per emanationem virtualem.* 24. 516.
4. *Resultat ab illa ut est intellectiva, & non sub ratione Essentiæ.* 26. 516.

SECTIO III.

1. De Innascibilitate primæ Personæ. 38. 518.
2. *Quomodo* Ingenitum *esse sit proprium solius Patris?* 40. 518.
3. *Hæc Innascibilitas Patris potest naturali ratione ostendi.* 48. 519.

SECTIO IV.

1. Utrùm *Ingenitum* esse dicatur de Essentia, Filio, & Spiritu sancto? 56. 520.
2. *Qualiter conveniat, & non conveniat Essentiæ? à n.* 58. 520.
3. *Non licet simpliciter, & absque aliqua declaratione concedere Filio esse* Ingenitum. 64. 520.
4. *Spiritus Sanctus simpliciter loquendo non est Ingenitus.* 68. 521.

SECTIO V.

1. Quid dicat *Ingenitum*, seu Innascibile de formali? à n. 72. 521.
2. *Proponitur, & rejicitur prima sententia.* ibid.
3. *Proponitur & rejicitur secunda.* 74. 521.
4. *Proponitur sententia tenenda asserens dicere de formali solam negationem.* 75. 521.

SECTIO VI.

1. Quit sit hoc formale, quod dicit *Ingenitum*: & in quo fundetur. 95. 523.
2. *Est privatio, licet minùs propria.* ibid.
3. *Fundatur proximè, & immediatè in Paternitate.* 99. 524.
4. *Sub qua ratione Paternitas sit illius fundamentum proximum, & immediatum? à n.* 108. 524.
5. *Innascibilitas à parte rei fundatur in Paternitate secundùm omne, quod ipsa habet à parte rei.* 109. 525.
6. *Quoad nos in solo conceptu primæ Hypostasis.* 110. 525.
7. *Utrùm, & quomodò Paternitas sit prior Innascibilitate?* 115. 525.

DISPUTATIO VII.

De Personâ Filii.

SECTIO PRIMA.

1. UTrùm secunda Persona propriè sit Filius? n. 1. p. 526.
2. *Processio Verbi Divini est propriè generatio, à n.* 1. 526.
3. *Secunda Trinitatis Persona est verè, & propriè Filius* 9. 527.
4. *Verbum Divinum, & Filius Dei idem sunt, & quoad Personam, & quoad Naturam.* 14. 527.
5. *Processio Spiritûs Sancti non est propria generatio, neque Spiritus sanctus dicitur genitus, neque Filius.* 22. 528.
6. *Quædam ex dictis colliguntur. à n.* 27. 528.

SECTIO II.

1. Quanam ratione ostendatur, processionem Verbi; non autem Spiritûs sancti esse generationem? à n. 32. 529
2. *Quid sit generatio? à n.* 34. 529.

SECTIO III.

1. Apponuntur, & refutantur aliquæ rationes minùs probabiles. à n. 41. 530.

SECTIO IV.

1. Refutantur aliæ aliorum Doctorum rationes. 56. 532.

SECTIO V.

1. Proponitur, & stabilitur sententia tenēda. 79. 535.
2. *Solvuntur argumenta contraria.* 88. 536.

SECTIO VI.

1. An, & quâ ratione secunda Trinitatis Persona sit, & dicatur *Verbum*? à n. 108. 538.
2. *Quid, & quotuplex sit* Verbum? 109. 538.
3. *Utrum respectus, quos* Verbum *formaliter importat sint prædicamentales?* 117. 539.
4. *Utrùm secunda Persona propriè dicatur* Verbum? *à n.* 122. 539.
5. *In quo conveniant, & differant* Verbum *Increatum, & creatum?* 135. 540.

SECTIO VII.

1. An *Verbum* in Divinis sit tantùm personale: aut etiam essentiale? à n. 137. 541.
2. Verbum *non dicitur de Deo, nisi personaliter, idq; de solo Filio.* 138 541.

SECTIO VIII.

1. Utrùm solus Pater soli Filio propriè loquatur? à n. 159. 543.
2. *Pater* Verbo, *non sibi, sed Filio loquitur.* ibid.
3. *Solus Pater soli Filio* ad intra *dicit, & loquitur.* 162. 543.
4. *Aliqua ex dictis colliguntur. à n.* 164. 543.

SECTIO IX.

1. An, & quâ ratione Verbum Divinum dicatur Verbum creaturarum? 170. 544.
2. *Quot, & quales respectus dicat* Verbum? ibid.
3. *Qualiter Verbum Divinum dicat hujusmodi respectus? à n.* 171. 544.
4. *Verbum Divinum propriè dicitur esse* Verbum *creaturarum.* 180. 545.
5. *Utrùm dicatur* Verbum *creaturarum ratione notitiæ absolutæ: an potius proprietatis personalis?* 185. 545.
6. *Rejicitur prima sententia.* ibid.
7. *Rejicitur secunda sententia.* 189. 546.
8. *Proponitur sententia tenenda.* 191. 546.

SECTIO X.

1. Utrùm, & qualiter Verbum dicatur *Sapientia* Patris: & Pater intelligere *Verbo*? 196. 547.
2. *Notantur aliqua.* ibid.
3. *Utrùm Pater dici possit sapiens* Sapientiâ genitâ: *seu intelligere* Verbo? 199. 547.
4. *Non potest absolutè, & sine addito dici*: Pater intelligit, cognoscit, *aut* sapit Verbo, *seu* Sapientiâ genitâ. à n. 202. 547.
5. *Utrum, & quo sensu sit vera hæc: Filius est sapiens sapientiâ genitâ?* 216. 548.

SECTIO XI.

1. Utrùm nomen *Imago* sit proprium Filii in Divinis? à n. 219. 549.
2. *Qualis sit definitio Imaginis?* ibid.
3. *Quas conditiones requirat?* 220. 549.
4. *Qualis sit Imaginis divisio?* 233. 550.

SECTIO XII.

1. Qualiter ratio Imaginis Filio competat in Divinis? à n. 235. 550.
2. *Filio in divinis competit ratio Imaginis.* ibid.
3. *Non essentialiter, sed personaliter convenit Deo ratio Imaginis.* 237. 550.
4. *Filio in Divinis verè, & propriè competit ratio Imaginis.* 240. 551.
5. *Utrùm ratione proprietatis personalis: an Essentiæ communis? à n.* 248. 551.
6. *Proponitur sententia tenenda.* 249. 551.
7. *Qualisnam Imago Patris sit Filius?* 257. 552.
8. *Non est Patris Imago artificialis.* ibid.
9. *Est naturalis realis Imago Patris.* 260. 552.
10. *Est etiam Intentionalis.* 262. 553.

SECTIO XIII.

1. Utrùm solus Filius, & solius Patris sit *Imago*? à n. 267. 553.
2. *Solus Filius verè, & propriè est* Imago. ibid.
3. *Filius in Divinis solius Patris est* Imago. 277. 554.

SECTIO XIV.
1. Ex quarum rerum cognitione formaliter procedat Verbum? 283. 555.
2. *Aliqua notantur.* ibid.
3. *Verbum procedit per se formaliter ex cognitione omnium absolutorum, quæ sunt in Deo.* 286. 555.
4. *Utrùm etiam procedat ex cognitione totius Trinitatis? à n.* 297. 556.
5. *Proponitur prima sententia.* ibid.
6. *Proponitur secunda.* 298. 556.
7. *Proponitur tertia.* 299. 556.
8. *Proponitur quarta tenenda.* 300. 556.

SECTIO XV.
1. Solvuntur argumenta aliarum sententiarum. à n. 310. 557.

SECTIO XVI.
1. Utrùm Verbum Divinum procedat formaliter ex cognitione creaturarum? 326. 559.
2. *Sic procedit ex cognitione creaturarum possibilium. à n.* 327. 559

SECTIO XVII.
1. Utrùm Verbum Divinum procedat formaliter ex Scientiâ liberâ creaturarum? 356. 561.
2. *Non procedit ex cognitione futurorum, & existentium. à n.* 357. 561.
3. *Neque etiam ex Scientia Conditionata, sive objectorum sub conditione futurorum. à n.* 383. 565.
4. *Aliqua ex dictis colliguntur.* 384. 565.

DISPUTATIO VIII.
De Personâ Spiritûs Sancti.

SECTIO PRIMA.

1. AN, & qualiter Spiritus sanctus procedat à Patre, & à Filio. n. 1. p. 565.
2. *Quales fuerint hæreses de Spiritu Sancto?* ibid.
3. *Spiritus sanctus, non solùm à Patre, sed etiam à Filio realiter procedit.* 2. 565.

SECTIO II.
1. Qualiter Spiritus sanctus à Patre, Filioque procedat? 26. 568.
2. *Spiritus Sanctus æquè procedit à Patre, atque à Filio.* ibid.
3. *Ab illis procedit eodem modo.* 41. 569.
4. *Aliqua hîc advertenda. à n.* 44. 570.

SECTIO III.
1. Utrùm Spiritus sanctus procedat à Patre, & Filio ut ab uno principio, & duobus suppositis? 49. 570.
2. *Procedit ab illis, ut ab uno principio.* 50. 570.
3. *Utrùm, & qualiter Pater respectu Filii, & Spiritûs Sancti possit dici duplex principium?* 68. 572.
4. *Quid de Patre, & Filio respectu Spiritûs Sancti?* 70. 572.

SECTIO IV.
1. An Spiritus sanctus procedat à Patre, & à Filio ut à duobus suppositis? 75. 573.
2. *Procedit ab illis per se, & formaliter, ut à duobus suppositis. à n.* 76. 573.

SECTIO V.
1. Utrùm si Spiritus sanctus à Filio non procederet, adhuc ab illo realiter distingueretur? à n. 102. 576.
2. *Declaratur status quæstionis.* ibid.
3. *Apponitur resolutio negativa tenenda.* 104. 576.

SECTIO VI.
1. De Nominibus, quæ Spiritui sancto tribuuntur. à n. 137. 580.
2. *Utrùm, & qualiter hoc nomen* Spiritus sanctus *tertiæ Personæ conveniat?* 138. 581.
3. *Utrùm, & quo pacto hoc nomen* Amor *conveniat Spiritui Sancto?* 144. 581.
4. *Utrùm, & quo sensu dicatur à Sanctis Patribus, Patrem, & Filium diligere se Spiritu Sancto? à n.* 150, 582.
5. *Ex quarum rerum Amore per se, & formaliter procedat Spiritus Sanctus?* 154. 582.

SECTIO VII.
1. An Spiritus propriè, & personaliter sit *donum?* 162. 583.
2. *Quid sit* donum? ibid.
3. *An* donum, *ut tale sit, necessariò debeat distingui à persona donante?* 164. 583.
4. *An debeat distingui ab accipiente?* 166. 584.
5. *An, & qualiter* donum *conveniat propriè Spiritui Sancto? à n.* 168. 584.

SECTIO VIII.
1. Resolvuntur aliquæ difficultates circa præcedentem doctrinam. à n. 188. 586.
2. *Utrùm Spiritus Sanctus habeat propriam rationem doni & essentialiter, & personaliter.* ibid.
3. *An dici possit* Nostrum Donum: Noster Spiritus? 193. 586.
4. *Quid reale, ac proprium significent nomina metaphorica Spiritûs Sancti, nempè* digitus Dei, Mens, Facies, Complementum, Signaculum, Sigillum, Odor, Virtus, Qualitas, Aqua, Ignis, *& similia. à n.* 198. 587.

DISPUTATIO IX.
De Comparatione Personarum inter se.

SECTIO PRIMA.

1. VTrùm inter Personas Divinas admittendus sit aliquis ordo prioritatis, & posterioritatis? n. 1. p. 587.
2. *An detur prioritas, & posterioritas originis?* 2. 588.
3. *Proponuntur variæ sententiæ.* ibid.
4. *Inter Personas Divinas necessariò admittendus est ordo realis.* 5. 588.
5. *Inter Personas producentes, & productas datur prioritas, & posterioritas realis originis, sive* à quo. à n. 7. 588.
6. *Qualiter, & inter quæ prædicata detur in divinis hæc prioritas originis? à n.* 18. 589.
7. *Utrùm præter hanc realem prioritatem, & posterioritatem admittenda sit in divinis alia virtualis, & quoad nos?* 24. 590.
8. *Potest admitti virtualis prioritas, & posterioritas exigentiæ naturalis, & objectivæ conceptibilitatis.* ibid.
9. *Et etiam prioritas subsistendi consequentiâ, non realis, sed rationis.* 27. 590.
10. *Utrùm quæ in divinis sunt priora in uno genere, possint esse in alio posteriora?* 29. 590.

SECTIO II.
1. De prioritate durationis. 33. 591.
2. *Utrùm inter Personas Divinas detur aliqua prioritas durationis, sive* in quo? ibid.
3. *Non datur realis.* ibid.
4. *Neque etiam virtualis cum fundamento.* 43, 592.

SECTIO III.
1. De comparatione Personarum quoad æqualitatem. 52. 593.
2. *Sunt omninò æquales realiter, & à parte rei.* 53. 593.
3. *Utrùm eis conveniat æqualitas ratione solius Essentiæ, & non proprietatum personalium?* 68. 595.
4. *Utrùm dici possint inæquales virtualiter, & quoad nos?* 73. 595.

SECTIO IV.
1. De Circuminsessione Personarum. 82. 596.

2. *Quid*

2. *Quid sit Circumincessio.* ibid.
3. *An detur in Personis Divinis?* 83. 596.

SECTIO V.

1. Utrùm quælibet Persona secundùm se totam sit in tota alia Persona? à n. 104. 599.
2. *Totus Pater est in Filio, & Spiritu sancto.* 105. 599.
3. *Totus Pater est in toto Filio, & in toto Spiritu sancto.* 106. 599.
4. *Non solùm Essentia, sed etiam Relatio Personalis uniuscujusque Personæ est primò, & per se in tota alia Persona.* 109. 599.

SECTIO VI.

1. De Missione Divinarum Personarum. 124. 601.
2. *Quid sit* Missio? 125. 601.
3. *Utrùm, & quomodò Divinis Personis competat* Missio? 127. 601.
4. *Verè, & propriè eis convenit.* 134. 602.

SECTIO VII.

1. In quonam consistat *Missio* in Divinis? 145. 603.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Proponuntur variæ sententiæ.* à n. 148. 603.
4. *Non consistit in sola processione, sive operatione temporali.* 150. 603.
5. *Non in sola processione æterna Personæ missæ.* 160. 604.
6. *Consistit adæquatè in utrâq;.* 167. 605.

SECTIO VIII.

1. Quid *Missio* principaliter dicat: & an sit dicenda temporalis? 180. 606.
2. *Proponuntur duæ sententiæ.* 181. 606.
3. *Proponitur tertia sequenda.* 183. 606.
4. *Missio Personæ Divinæ dicenda est simpliciter temporalis.* 185. 607.
5. *Utrùm* Missio *sit formalitas essentialis an Notionalis?* 189. 607.
6. *Proponuntur variæ sententiæ.* ibid.
7. *Proponitur sententia tenenda.* 190. 607.
8. *Utrùm in Divinis idem sit* Mitti, *atque* Dari? 194. 608.

SECTIO IX.

1. Quibusnam Personis Divinis *Missio* competat? à n. 197. 608.
2. Missio *passiva (de qua est sermo) competit Filio, & Spiritui Sancto.* ibid.
3. *Pater in Divinis neque est missus, neque potest mitti.* 199. 608.
4. *Utrùm, & quomodò una Persona possit sine alia mitti? à n.* 205. 609.
5. *Utrùm, & quomodò aliqua Persona possit se ipsam mittere? à n.* 210. 609.
6. *Quotuplex in divinis sit Missio?* 219. 610.

SECTIO X.

1. De Missione invisibili Personarum. 221. 610.
2. *An quoties alicui datur gratia sanctificans mittatur ad eum invisibiliter Persona Divina?* ibid.
3. *Qualis sit hic modus specialis, quo Persona Divina attingitur à creatura?* 224. 611.
4. *Utrùm sola gratia gratum faciens sit effectus, ratione cujus Persona Divina simpliciter, & perfectè mittitur?* 226. 611.
5. *Utrùm saltem imperfectè, & secundùm quid mittatur per quemlibet actum, aut habitum supernaturalem sine gratia sanctificante?* 232. 611.
6. *Utrùm sic mittantur per dona merè naturalia?* 236. 612.
7. *Utrùm, & quomodo fiat invisibilis Missio per quodlibet augmentum gratiæ gratum facientis? à num.* 239. 612.
8. *Aliqua ex dictis colliguntur. à n.* 245. 613.

SECTIO XI.

1. Utrùm Persona Divina possit invisibiliter mitti sine productione alicujus doni realis per solam denominationem extrinsecam? 248. 613.
2. *Declaratur sensus quæstionis.* ibid.
3. *Proponitur duplex sententia.* 251. 613.
4. *Proponitur sententia tenenda cum distinctione. num.* 252. *& sequent.* 613.
5. *Utrùm purus homo justus: aut saltem Christus Dominus, ut homo est, possit dare, & mittere Spiritum Sanctum?* 268. 615.

SECTIO XII.

1. Ad quosnam fiat invisibilis *Missio* Personarum? 277. 616.
2. *An, & quomodò ad Christum Dominum?* ibid.
3. *Utrùm, & quomodò ad Angelos, & homines fiat invisibilis* Missio? 282. 616.
4. *Utrùm ad creaturam irrationalem mittatur, aut missa fuerit Persona Divina?* 287. 617.

SECTIO XIII.

1. De visibili Missione Personarum. 291. 617.
2. *Quid sit* Missio *visibilis?* ibid.
3. *Utrùm, & quomodò supponat, includat, & conveniat cum Missione invisibili.* 295. 618.
4. *Utrùm Patribus veteris Testamenti factæ fuerint propriè Missiones visibiles?* 299. 618.
5. *Utrùm species, sub quibus Personæ Divinæ visibiliter mittebantur, factæ fuerint Angelorum ministerio?* 305. 618.
6. *Utrùm hujusmodi signa fuerint hypostaticè unita?* 313. 619.
7. *Quid utilitatis habuerint hæc signa?* 317. 619.

SECTIO XIV.

1. De qualitatibus, & circumstantiis rerum, quæ sentiuntur in Missione visibili, & singularum congruentiis. à n. 319. 620.
2. *Utrùm Columba illa, in qua Spiritus Sanctus apparuit, fuerit vera Columba?* 332. 621.
3. *An apparuerit ante, an post baptismum Christi Domini?* 341. 621.
4. *Aliqua ex dictis colliguntur. à n.* 343. 622.
5. *Utrùm Beatissimæ Virgini data fuerit visibilis Missio Spiritus Sancti die Pentecostes: & alias sibi peculiares acceperit.* 347. 622.



LICENTIA ORDINARII.

HUnc Primum Tomum Theologicum à R. P. AUGUSTINO LAURENTIO Soc. JESU, Magnæ Britanniæ Reginæ Dotariæ Concionatore compositum, & à Theologis recognitum, in lucem prodire permittimus. Datum Leodii hâc primâ Augusti 1688.

JO. ERNESTVS BARO DE SVRLET,
Vicarius Generalis Leod.

FACULTAS R.P. PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Societatis JESU, per Angliam Præpositus Provincialis, potestate ad hoc mihi factâ ab Admodum R. P. Nostro THYRSO GONZALEZ Præposito Generali Societatis JESU, concedo Facultatem ut imprimatur Tomus Primus Theologicus à R. P. AUGUSTINO LAURENTIO Societatis nostræ Theologo compositus, & à quatuor Theologis ejusdem Societatis examinatus & approbatus. In quorum fidem has manu nostra subscriptas, & officii nostri Sigillo munitas dedi. Audomari 3. Martii 1689.

JOANNES KEYNES.

PROOE-



PROOEMIUM.

CUM jam universam absolverim Philosophiam, quæ, ut lucem videat, sub prælo sudat, cui-nam Operi calamum darem, sæpè sæpius animo evolvebam: jam enim ad sacras Litteras exponendas me Concionatoris munus, quod ago, & amicorum aliqui excitabant; librorum tamen, ac Sanctorum Patrum inopia, quibus nunc careo, etsi plures meo muneri necessarios habeam, ab intento opere avertebat. Jam ad Moralem Theologiam, quam per aliquot annos edocueram, me animus impellebat, & id amicorum alii maximè optabant, & consulebant; mihi tamen incongruum videbatur, à principiis Philosophicis ad moralia gradum facere sine transitu per medium, mediant enim inter hæc & illa ipsius Theologiæ speculativa principia; hæc autem, & illa attingere impossibile in tanta humanæ vitæ brevitate, & utriusque Theologiæ latitudine. Quia tamen otium fugio, ut de mandato Sancti Ignatii Parentis mei commendatum teneo, etsi Theologiæ oceanus mihi potiùs naufragium, quàm portum promittat, magno ipsius Theologiæ pelago me committam; non quia sperem ad ultimam Theologiæ metam pervenire, quam pænè non habet Theologia, etsi haberet, illam ultra quinquagenarius homo pertingere minimè posset; sed quia Deo Optimo Maximo, ejusque Matri Virgini Sanctissimæ, ac Beatis Parentibus meis Ignatio & Xaverio gratum fore spero, si ad majorem Dei gloriam, quam semper in ore habuerat Ignatius, semper in omnibus quæsierat, quod de Deo discipulus didici, Magister jam calamo committam, ut discant alii. Incipiendo igitur à Primâ Parte D. Thomæ, quæ tota præcipuè de Deo agit, cùm jam plura pluribus in locis dixerim in Philosophia, præsertim de Attributis Divinis, nihil hîc de illis specialiter agendum, quamdiu alibi jam dicta videri possunt. Imò neque omnia, quæ in hac prima Parte continentur, eodem servato ordine tractare intendo, sed præcipua: tum quia Commentatoris munus non assumo: tum quia sic ad multa alia principaliora,

quæ nobis superſunt ad alias partes ſpectantia, & longiori tractatione indigentia, faciliùs, & fortaſſe utiliùs gradum faciemus. Tres itaque Tractatus mihi præcipuos ſeligam, quorum: Primus erit de Deo Viſo, ſive *de Viſione Dei*: Secundus erit de Deo Prædeſtinatore, ſive *de Prædeſtinatione*, ubi aliqua dicenda *de Providentiâ*: Tertius erit de Deo Trino, ſive *de Sacroſanctæ Trinitatis Myſterio*. Quibus abſolutis primum hunc Tomum (quem quinque alii, Deo dante, ſubſequentur,) abſolvam, quos & inceptos, & abſolutos jam ad majorem Dei gloriam ipſi Deo Optimo Maximo ſacratos volo.

TRACTATUS I.
DE
VISIONE DEI.

IN hac primâ Parte Summæ Theologicæ diſputat Angelicus Doctor de Deo, tùm ſecundùm ſe, prout ſcilicet eſt Unus in Eſſentia, & Trinus in Perſonis: tùm ut eſt Author creaturarum. Unde poſt quæſtionem primam, in quâ per decem articulos de ſacrâ Doctrinâ, ſeu Theologiâ latè diſſerit, per totidem integras quæſtiones, nempè a ſecundâ uſque ad undecimam incluſivè totus eſt in explicando: An ſit Deus; quid ſit; & quid ſint ejus Attributa, non ſolùm poſitiva, ſed etiam negativa, prout à nobis concipiuntur abſque reſpectu ad creaturas. A quæſtione verò duodecima uſque ad quadrageſimam-tertiam divinas Perfectiones conſiderat; tum prout ſunt comparabiles cum intellectu creato; tum ſecundùm quod ſunt operationes Dei *ad intra*. Deinceps uſque ad finem libri Deum contemplatur ſecundùm operationes *ad extra*, ubi de effectibus ipſis non pauca. In quæſtione igitur duodecimâ, quam nunc aggredimur de Deo diſputat, prout eſt, aut eſſe poteſt in cognitione intuitiva creata, ideſt, prout eſt viſibilis, ſeu cognoſcibilis intuitivè ab intellectu creato, ſicque naturam, & proprietates Viſionis beatæ dilucidè explicat, & explanat, quas nos infra per totum hunc Tractatum, eâ, quâ potuerimus brevitate, & claritate explicabimus & explanabimus.

Tractarunt de hâc materiâ multi, tùm ex Antiquis, tum ex Recentioribus Theologis, præſertim *Machin. Ocham. Paludan. Aureol. Sot. Capreol. cum Magiſtr. in* 4. *diſt.* 49. deinde *Cajet. Nazar. Zumel. Bannez. Navarret. & alii cum D. Thom.* 1. *p. quæſt.* 12. Tandem ex noſtris. *P. Soar. lib.* 2. *de Attrib. à cap* 6. *P. Vaſq.* 1. *part. d.*37. *& ſequent. P. Molin.* 1. *p. q.*12. *P. Valent.* 1. *p. q.*12. *P. Sal.* 1. 2. *tr.* 2. *P. Tanner.* 1. *p. d.* 2 *q.* 6. *per totam, P. Amicus tom.* 1. *d.* 9. *per totam. P. Heric. tract.* 4. *per totum, P. Granad.* 1. *p. tr.* 4. *&* 5. *P. Arrub. tom.* 1. *à d.* 13. *P. Præpoſit.* 1. *p. q.* 12. *P. Arriag.* 1. *p. à d.* 4. *P. Alarcon. tract.* 1. *per totum, P. Compton. tom.* 1 *à d.* 10. *P. Rhodez. tom.* 1. *q.* 1. *d.* 2. *P. Eſparza tom.* 1. *lib.* 1.

lib. 1. *quæst.* 10. *P. Joseph* 1. *part. q.* 12. *P. Gil.* 2. *part. Comment. Theologic. tom.* ferè integro nondum excusso. *P. Albertin. P. Becan.* 1. *part. tract.* 1. *quæst.* 9. & alii.

Ut tamen ordinem disputandi à me in hac materia observandum subjiciam, præmittendum est Visionem beatam dupliciter considerari posse: Primò, ut est beatitudo, saltem partialis, & prout sic ad materiam de Beatitudine spectat, de qua suo loco: Secundò, ut est pura intellectio, seu cognitio Dei intuitiva, de quâ pro ut sic hoc loco à Doctoribus agitur; nam perfectiones Divinæ, de quibus hîc scribit D. Thom. non solùm sunt in se ipsis considerandæ, sed etiam prout ad nostrum intellectum referuntur, & dicunt ordinem, ut rectè advertit P. Vasquez cit.

Totum igitur hunc Tractatum septem Disputationibus, Deo favente, comprehendemus: Prima erit de Possibilitate, sive Existentiâ Visionis Beatæ, Secunda, de Principiis ejusdem ex parte objecti. Tertia, de Principiis ex parte potentiæ. Quarta, de multiplici Perfectione Visionis beatæ. Quinta, de illius Objecto terminativo. Sexta, de Æqualitate, & Inæqualitate inter Visiones Beatorum. Septima, & ultima de Incomprehensibilitate Dei.

DISPUTATIO I.

De Possibilitate, & Existentiâ Visionis beatæ.

SECTIO I.

Virùm possibilis sit Visio intuitiva Dei respectu intellectûs creati?

1. IN qualibet scientiâ, sive quæstione juxta Philosophum 1. *Poster. cap.* 1. priùs incipiendum est à prænotione: *An sit?* quàm à prænotione: *Quid sit?* Cùm igitur naturam & proprietates Visionis beatæ lentiùs simus explicaturi, ab illius possibilitate, & existentia exordium faciemus: cùm tamen hæc Visionis beatæ possibilitas sumi possit, aut in ordine ad potentiam Dei absolutam, aut in ordine ad illius potentiam ordinariam, ut clariùs procedamus.

2. Advertes primò, illud dici fieri de potentia Dei ordinaria quoad præsens, quod fit per operationem, aut cooperationem Dei debitam secundùm exigentiam causarum naturalium, idest, quod fit per vires naturales: illud autem dici fieri de potentia Dei absoluta, quod fit per operationem, aut cooperationem Dei indebitam eisdem causis secundis naturalibus, idest, quod fit supernaturaliter, sive ea operatio sit supernaturalis quoad substantiam, sive tantùm quoad modum.

3. Advertes secundò, hujusmodi potentias in Deo posse etiam sumi in alia acceptione, quatenùs scilicet id dicitur fieri de potentia ordinaria, quod fit secundùm aliquam generalem Dei legem, licet aliundè sit supra exigentiam causarum naturalium; sic enim dicitur, quod omnes decedentes in gratiâ videbunt clarè Deum de potentia ordinaria: ex oppositio autem illud dicitur fieri tantùm de potentia absoluta, quod sit præter eam legem, sive dispensando in illa, licet aliundè fiat secundùm exigentiam causarum naturalium; sic enim dicitur, quod Deus non nisi de potentia absoluta potest negare D. Petro Visionem beatam, seu concursum ad illam. Undè patet primò, eandem Visionem beatam in patria secundùm primam acceptionem, dari tantùm de potentia absoluta; & juxta secundam acceptionem dari de potentia ordinaria. Secundò, si Visio beata alicui communicetur in via, dici communicari tantùm de potentiâ absolutâ juxta utramque acceptionem, ut ex infra dicendis constabit.

4. Advertes tertiò, difficultatem (de quâ hîc in primâ acceptione) non procedere de cognitione Dei abstractiva, sive evidenti, quæ habetur in effectu, & aliquando appellatur Visio Dei juxta illud ad Rom. 1. *Invisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: sive inevidenti, de qua idem Apostolus 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate*: sed procedere de cognitione Dei intuitiva, sive ipsius Dei immediatè in seipso, quod Theologi dicunt videri Deum per Essentiam, sive in sua Essentia immediatè. His positis.

5. Difficultas 1. Utrùm possibilis sit visio intuitiva Dei respectu intellectûs creati? Affirmativè. Est de fide. Ita *D. Thom.* 1. *p. q.* 12. *a.* 1. *& in* 4. *dist.* 49, *q.* 2. *art.* 1. *& lib.* 3. *contr. gent. cap.* 50. 54. *&* 57. *& de Verit. quæst.* 8. *art.* 1. *P. Soar. lib.* 2. *de Attrib. cap.* 7. *à num.* 2. *P. Vasq.* 1. *p. d.* 37. *cap.* 5. *P. Tanner. d.* 2. *q.* 6. *dub.* 1. *n.* 4. *P. Herice tr.* 4. *d.* 36. *cap.* 1. *P. Amicus d.* 9. *sect.* 1. *num.* 2. *P. Arrub. d.* 13. *cap.* 2. *P. Valent.* 1. *p. quæst.* 12. *punct.* 1. *P. Molin.* 1. *part. quæst* 12. *d.* 1. *P. Præpositi.* 1. *part. quæst.* 12. *art.* 1. *P. Sal. tr.* 2. *d.* 4. *sect.* 1. *P. Arriaga d.* 4. *sect.* 2. & alii supra citati.

6. Probatur primò authoritate Scripturæ, ubi dicitur, Deum videndum esse à Beatis notitiâ faciali, ut Mat. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et Mat. 18. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Et Joan. 14. 21. *Manifestabo me ipsum illi.* Et 1. Cor. 13. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Et 1. Joan. 3. 2. *Scimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum*

eum sicuti est. Et Apoc. 22. 3. *Et servi ejus servient illi. Et videbunt faciem ejus*: & sæpè alibi; ergo si de facto videndus est, utique possibilis est hujusmodi visio facialis, sive intuitiva; siquidem ab actu ad potentiam bene valet argumentum.

7. Probatur secundò ex definitione Ecclesiæ, Conciliorum, & authoritate Sanctorum Patrum, ita enim definivit Evarist. Papa *Epist. 1. Decretal.* Et Benedictus II. in Extravagant. *Benedictus.* ibi: *Definimus, quod secundùm Dei ordinationem animæ Sanctorum, quæ ex hoc mundo purgatæ decedunt, ante judicium generale vident divinam Essentiam visione intuitiva, & faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti se habente, sed divinâ Essentiâ nudè, & clarè, & apertè se ostendente.* Item Concil. Francoford. *in Epist. ad Episcopos Hispaniæ. Prædicemus,* inquit, *Christum unum Deum, & vivum, & verè Filium Dei, ut ad ejus beatissimam Visionem pervenire mereamur, in qua est æterna Beatitudo.* Item Concil. Florent. *Sess. ult. in litter. Vnion.* dicitur: *Beatas animas clarè intueri Deum Trinum & Vnum, sicuti est.* Et supponit Concil. Viennens. in Clementin. *Ad nostrum, de hæreticis.* quatenùs decernit necessarium esse lumen gloriæ ad Visionem claram Dei. Et Concil. Senonens. ubi damnatus est Abailardus tempore D. Bernard. ut patet ex illius *Epist. 187.* Nec non Concil. Trid. *Sess. 25.* Ubi in decreto de invocatione Sanctor. hæc veritas indicatur.

8. Confirmatur authoritate, & communi doctrinâ Sanctorum Patrum. D. Dionys. *de Cælest. Hierar. cap. 4.* D. Martial. *Epist. ad Tolosanos cap. 27.* Origen. *1. Periarchon. cap. 1.* D. Irenæi *lib. 18. cap. 58.* D. Nazian. *orat. 25.* D. Epiphan. *hæres. 70.* D. Gregor. Nissen. *Orat. 6. de Beatitud.* D. Ambr. in Luc. ad illud. *Apparuit ei Angelus.* D. Gregor. *lib. 18. moral. cap. 36.* D. Bernard. *serm. 31. in Cantic.* D. Hilar. ad illud *Psal. 118. Deprecatus sum faciem tuam: Quamvis,* inquit, *nemo hominum videat faciem Dei, & vivat, tamen Deum omnes mundo corde visuri sunt.* Et D. Aug. *lib. 14. de Trinit. cap. 8. & lib. 22. de Civit. cap. 29. & Epist. 111. & 112.* ibi: *Si quæris,* inquit, *utrum possit Deus videri? Resp. Potest. Si quæris unde sciam? Resp. Quia in veracissima Scriptura legitur: Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Si quæris, utrum etiam sicuti est, possit aliquando videri? Filius hoc esse promissum, de quibus dictum est: Scimus, quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.*

9. Probatur tertiò ratione ex D. Thom. hîc fidei principio nixâ, quia (suppositis fidei principiis de elevatione naturæ rationalis ad gloriam,) finis præfixus creaturæ rationali non est impossibilis; sed hujusmodi finis naturæ rationalis, sive adæquatè, sive inadæquatè, consistit in clara Dei visione, ut suo loco dicemus; ergo talis finis, sive visio clara Dei non est impossibilis; ergo Deus potest videri per essentiam, sive intuitivè ab intellectu creato.

10. Opposita sententia fuit Armenorum error, ut refert Armacan. *lib. 14. de quæst. Armenor. cap. 1.* Guido. Prateol. & alii. In hoc etiam errore fuit Almericus, ut refert idem Prateol & Turrecrem. *lib. 4. de Eccles. cap. 35.* tribuiturque etiam Petr. Abailardo, & ejus socio Arnaldo apud à Castro, verbo *Beatitudo, hæres. 1.* licet D. Bernard. eorum errores impugnans ab *epist. 187.* usque ad *198.* nullâ hujus erroris fecerit mentionem, cùm tamen illius tempore orti fuerint. Asserebant igitur hi hæretici, Angelos & homines beatos non videre Deum in se intuitivè, sed quamdam eminentem lucem ex divina substantia resultantem, ideoque dici videre Deum, non in se, sed in luce illa, eo modo, quo Sol videtur in splendore, & hanc esse beatitudinem Sanctorum. Pro eorum errore:

Argues 1. Ab Scriptura Joan. 1. & 1. Joan. 4. ibi: 11.
Deum nemo vidit unquam. Et 1. ad Tim. 1. *Regi sæculorum immortali & invisibili soli Deo honor & gloria.* Et cap. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et 1. Petr. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere*: non autem desideratur, nisi quod non habetur; ergo neque Angeli, neque homines vident Deum intuitivè, ut expressè docet D. Chrysost. D. Ambr. & alii Patres, ut statim dicemus, sed solus Filius & Spiritus Sanctus, ut videntur docere *Evarist. Papa epist. 1. D. Irenæus lib. 4. cap. 37. D. Athanas. lib. 3. & 4. de Vnitate Deitat.* quatenus verba illa Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam*: referunt cum quadam particula exclusiva: *Deum*, inquiunt, *nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris*: exceptio autem, ut dicitur, firmat regulam oppositam.

Respondeo citata loca intelligenda esse: primò 12.
de invisibilitate Dei per oculos corporeos, quo pacto Deus est invisibilis, etiam de potentia absoluta, ut infra dicemus, & jam alibi diximus. Ita *D. Thom. cit. a. 1.* Secundò, de invisibilitate Dei de lege ordinariâ, de quâ infra. Ita *D. Thom. citat. & D. Gregor. lib. 18. moral. cap. 37.* Tertiò, de invisibilitate Dei per vires naturales. Ita plures Patres apud *P. Gil. tr. 3. cap. 6.* Quartò, de invisibilitate Dei comprehensiva. Ita *D. Thom. cit. P. Soar. cit. n. 13.*

Ad illud 1. Petr. 1. *In quem desiderant Angeli* 13.
prospicere, dicimus cum *P. Herice cit. cap. 1. num. 10.* Primò, ex tali testimonio etiam probari possibilitatem Visionis Beatæ; nisi enim possibilis esset, frustra Angeli Beati eam desiderarent; & non nisi cum anxietate, nisi haberent; Angelis autem beatis neganda est omnis anxietas. Secundò, desiderium illud esse de conservanda visione in perpetuum; Potest enim Angelus beatus aliqua ratione desiderare conservationem suæ visionis, quin obstet, quod habeat certam spem de illius conservatione. Tertiò, desiderium illud non esse de re habenda, sed jam possessa, per quod explicatur, quanto affectu & voluptate, sine ullo fastidio Deum videant. Ita *D. Greg. lib. 18. moral. cap. 39. & P. Soar. cit. num. 13.*

Instabis: D. Paul. 1. Tim. 1. eodem modo dicit 14.
Deum esse invisibilem, atque immortalem, immutabilem, & incomprehensibilem; sed hujusmodi perfectiones ita Deo conveniunt, ut nullatenus Deus, neque de potentia absoluta, possit mori, mutari, aut comprehendi; ergo etiam ita erit invisibilis, ut neque de potentia absoluta possit intuitivè videri.

Respondeo negando majorem; neque enim 15
eodem modo dicitur Deus immortalis, immutabilis, & incomprehensibilis, quo dicitur invisibilis; nam ita locis citatis dicitur invisibilis, ut etiam alibi clarè exprimatur visibilis intuitivè, ut constat ex locis supra citatis *num. 6.* ideoque prædicatum *invisibilis* limitari potest uno ex modis assignatis *num. 12.* At verò circa alia tria prædicata *immortalis, immutabilis, & incomprehensibilis*, nulla fit exceptio in sacra Pagina, neque id colligitur ex Sanctis Patribus, ideòque universaliter sunt accipienda, ita ut neque de potentia absoluta oppositum sit possibile. Accedit, quod limitatio, aut exceptio circa tria illa prædicata involvit repugnantiam cum ratione naturali, quam tamen non involvit circa prædicatum invisibilitatis, ut ex infra dicendis constabit.

Argues

16. Argues 2. Ex Sanctis Patribus. D. Chrysost. in Joan. *hom. 14.* ibi: *Id quod est Deus, non modò Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli.* Et infra. *Solus ipsum videt Filius & Spiritus Sanctus. Quod si omnis natura creata est, quanam ratione Increatum videre poterit?* Idem significat *hom. 3. & 4. de Incomprehensib. Dei Natur. tomo 5.* & sæpè alibi. Simili etiam modo loquuntur *Theodoret. in dialog. Immutabilis. Theophilact. & Euthym. in Ioan. 1. D. Greg. Nyssen. lib. de Beatitud. D. Cyril. Jerosol. Cateches. 6 D. Hieron in Isai. 1. & Epist. 15. tomo 9. D. Cyprian. lib. de Idolor. vanit. D. Epiphan. hæres. 70. D. Amb. in Luc. 1. §. 3. de Angeli apparit. D. Basil. lib. 1. contra Eunom. D. Cyril. Alex. lib. 1. in Joan. cap. 22. D. Isidor. in Exod. cap. 41. Primasius ad illud 1. Cor. 13. Cognoscam sicut cognitus sum.* Quos omnes latè adducit & optimè explicat *P. Fasol. 1. p. quæst. 12. à dub. 3. num. 21.* Licet P. Vasq. *1. p. d. 37. cap. 4. num. 11.* majori, quàm par est, studio illos de eo errore suspectos reddat, ita dicens: *Hos Patres*, inquit, *si sincerè loqui velimus, vix possumus in bonum sensum interpretari.*

17. Respondeo cum *D. Thom. hic a. 1. & quæst. 8. de Verit. art. 1. ad 1. P. Valent. hic quæst. 12. punct. 1. P. Bellarm. lib. 1. de Beatitud. Sanct. cap. 4. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 7. P. Fasol. cit. P. Gil. tract. 7. cap. 5.* & aliis apud ipsos, D. Chrysostom. & omnes alios Sanctos Patres locutos fuisse de visione Dei adæquata, & comprehensiva, quæ alicui creaturæ est impossibilis, ut ex infra dicendis constabit. Quod autem hæc sit istorum Sanctorum Patrum interpretatio.

18. Patet primò, quia ex aliis eorundem Sanctorum Patrum locis (ut videre est apud Doctores citatos) apertè constat Deum intuitivè videri posse, & de facto videri à Beatis. Secundò, quia in Scriptura adeò expressa est hujusmodi veritas, ut non sit verisimile Sanctissimos Patres in Sacris Scripturis adeò versatos illam, aut ignorasse, aut negasse. Tertiò, & præcipuè, quia cùm D. Chrysostomus & alii Sancti Patres locis citat. disputarent contra Anomæos, qui dicebant Deum videri, imò & comprehendi posse naturaliter, eamque visionem, & comprehensionem jam sibi arrogabant in hac vita, æqualemque ei, quam de se habet ipse Deus; Sancti Patres, ut ostenderent se longè aliter sentire, in oppositum extremum verbo tenùs deflectebant, sæpè absolutè negantes, Deum videri posse à Beatis, id tamen intelligentes de visione comprehensiva, & naturali, quam Anomæi, contra quos agebant, sibi insolenter tribuebant. Qui modus loquendi frequens est apud aliquos Sanctos Patres in confutandis hæreticorum erroribus, & maximè observandum monet *P. Gil. 1. part. lib. 1. tract. 7. cap. 14. num. 3.* ne errores hæreticorum eis imponamus, quod cùm P. Vasq. loco cit. non observaverit, immeritò D. Chrysost. aliisque Sanctis Patribus Anomæorum errorem tribuit.

19. Argues 3 ratione: Deus clarè visus est extra objectum intellectûs creati; siquidem potentia habet connaturalem proportionem cum suo objecto, cùm ab illo sumat speciem; illam autem non habet intellectus creatus cum Deo clarè viso, alioqui illum connaturaliter clarè videret; ergo intellectus creatus non potest Deum clarè videre; siquidem nulla potentia potest etiam de potentia absoluta ferri extra suum objectum; alioqui mutaretur in essentiâ: cùm tamen essentiæ sint immutabiles.

20. Respondeo distinguendo antecedens: Deus clarè visus est extra objectum connaturale intellectûs creati; concedo antecedens; obedientiale, & adæquatum; nego antecedens: Deus enim clarè visus, licet sit extra objectum connaturale intellectûs creati, sicque non possit ferri naturaliter in Deum clarè visum; non tamen est extra illius objectum adæquatum, quale est omne ens intelligibile; Deus enim clarè visus est maximè intelligibilis; sicque potest ab intellectu creato divinitùs elevato attingi, eique dare speciem; siquidem quod continetur intra objectum adæquatum alicujus potentiæ, potest ei dare speciem cum solâ proportione obedientiali, aut naturali inchoata, qualem habet intellectus creatus cum Deo clarè viso, ut infra dicemus: Ut verò aliquid contineatur sub objecto adæquato alicujus potentiæ, ut dicimus contineri Deum clarè visum sub objecto adæquato intellectûs creati, satis est quod ab eadem potentia naturaliter operante attingatur, saltem imperfectè, & confusè, qualiter Deus attingitur ab intellectu creato sic operante.

Argues 4. Si Deus posset cognosci ab intellectu creato intuitivè, posset etiam per eandem cognitionem ab illo cognosci comprehensivè, siquidem cùm omnia in Deo sint unum omninò indistinctũ, omnia attingeret in Deo per cognitionem illius intuitivam; sicque comprehensivè; sed impossibilis est cognitio comprehensiva Dei respectu intellectûs creati, ut infra dicemus; ergo & intuitiva. Respondeo negando majorem quoad secundam partem; neque enim ex possibilitate cognitionis intuitivæ sequitur, possibilem esse cognitionem comprehensivam; nam licet cognitio illa intuitiva attingat omnia in Deo per modum unius, non ideò Deum attingit adæquatè, & quantum in se cognoscibilis est, quod requiritur ad illius cognitionem comprehensivam, ut infra dicemus. 21.

Argues 5. Deus, cùm sit objectum in se infinitum, non potest clarè cognosci, nisi per cognitionẽ infinitam in perfectione entitativa, aut saltem intensiva; siquidem inter objectum & cognitionem debet dari aliqua commensuratio; non autem possunt aliter commensurari, nisi hæc, & illud sint infinita; sed cognitio creata est omnibus modis finita; ergo &c. Respondeo negando majorem, ad cujus probationem dicimus, ad cognitionem comprehensivam necessariam esse illam perfectionem & commensurationẽ; siquidem per illam cognosceretur Deus adæquatè, & quantum in se cognoscibilis est: non ita tamen ad solam intuitivam, de qua est sermo, per quam solùm attingitur Deus inadæquatè, & modo finito, sicque satis erit cognitio finita. 22.

Instabis: Quò objectum est nobilius, eò perfectior est illius cognitio; sed Deus est objectum infinitè perfectum; ergo talis erit illius cognitio; sed nulla cognitio creata potest esse infinitè perfecta; ergo &c. Respondeo negando consequentiam primam, licet enim cognitio eò sit perfectior, quò objectum est nobilius in entitate, non tamen exinde sequitur præcisè, quod cognitio sit infinita, si illius objectum sit in perfectione infinitum, sed satis erit, quod talis cognitio sit alterius speciei, & ita perfecta, ut ad illius perfectionem nulla cognitio objecti creati pertingere, & pervenire possit; sicq; licet Visio beata excedat in perfectione visiones creaturarum in infinitum perfectiores, non ideò erit in se infinitè perfecta. 23.

Et hujus ratio est, quia cognitio ex majori nobilitate objecti non crescit in perfectione *arithmeticè*, hoc est, certo & determinato excessu, sed *geometricè*, hoc est, excessu indeterminato, & incerto, qui licet augeatur sine termino, & in infinitum, nõ ideo 24.

efficit infinitum simpliciter. Patet ab exemplo, nam Deus infra Angelum, aut hominem potest producere infinitas species naturæ corporeæ perfectiores,& perfectiores sine termino & in infinitũ, quarum tamen nulla habebit perfectionem infinitam simpliciter; siquidem omnes essent infra Angelum, aut hominem,qui sunt simpliciter finiti, & illæ species non se excederent arithmeticè, sed geometricè.

25. Dixi supra *num. 23.* perfectionem cognitionis non augeri arithmeticè ex majori nobilitate objecti *præcisè*, quia si objectum simul cum majori ejus nobilitate penetretur secundùm plures, & plures ejus partes in infinitum; tunc illius cognitio accresceret arithmeticè, quia ei adæquaretur: hoc tamen non accidit in proposito eventu; siquidem cognitio beatifica Deum non attingit secundùm infinitas illius partes, sive perfectiones, eas distinguendo, & modo infinito, alioqui esset illius comprehensiva, sed tantùm inadæquatè, & modo finito.

26. Urgebis: Cognitio ex majori nobilitate objecti augetur in perfectione geometricè; ergo etiam arithmeticè; neque enim datur major ratio. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia cum majori nobilitate objecti non semper stat, quod intellectus percipiat plures partes, aut rationes in ipso objecto, quod requiritur, ut ejus cognitio augeatur arithmeticè: semper tamen cum majori nobilitate objecti stat, quod intellectus percipiat aliquid diversum in essentiâ, quod necessariò causat diversitatem essentialem in ipsa cognitione; hæc autem diversitas essentialis, & major nobilitas inde resultans potest in infinitum augeri cum solo augmento geometrico; & ita accidit cognitioni beatificæ terminatæ ad Deum inadæquatè. Secundò, quia augmentum entitativum cognitionis non solùm pendet ab objecto specificante, quod se habet tanquam signum quoddam externum, sed etiam à potentiâ producente, quæ propriè causat illius esse; hæc autem cùm sit omnibus modis finita in sua entitate, talis etiam erit necessariò ejus cognitio, licet ad Deum objectum infinitum terminetur. De hoc tamen lentiùs infrà.

27. Argues 6. Objectum, ut possit à potentiâ percipi, debet ei uniri in ratione formæ intelligibilis, aut se ipso, aut per speciem sui vicariam; sed non ita unitur Deus clarè visus cum intellectu creato; siquidem species impressa Dei est impossibilis; & Essentia Divina non potest uniri intellectui creato in ratione formæ intelligibilis; cùm enim prout sic sit forma propria, & connaturalis Intellectûs divini, infinitam habet improportionem cum creato; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem negamus Essentiam Divinam habere omnimodam improportionem in ratione formæ intelligibilis cum intellectu creato; siquidem continetur intra illius objectum saltem adæquatum, ut diximus, & infra dicemus; sicque potest ei uniri, aut per speciem impressam, de quâ infra, aut se ipsa immediatè, supposito tamen lumine gloriæ supplente imperfectam proportionem ex parte potentiæ, ut infra explicabimus.

28. Argues 7. Major improportio datur inter intellectum creatum, & Deum clarè visum, quàm inter phantasiam, aut aliam potentiam materialem, & res spirituales, ac universales; cùm Deus sit objectum infinitum, non tamen tales sint res illæ; sed potentiæ illæ, neque divinitùs possunt attingere res spirituales, aut universales, ut alibi diximus in Logica *Tract. 1. d. 5. num. 10. &* 31. ergo neque intellectus creatus Deum clarè visum. Respondeo distinguendo majorem: major improportio datur in retione entis, concedo majorem: in ratione objecti, nego majorem: Et hujus ratio est, quia res spiritualis, & universalis, cùm sint insensibiles, nullo modo continentur intra objectum adæquatum phantasiæ, aut alterius potentiæ materialis, ita ut ab illis percipiantur saltem imperfectè cognitione naturali, ideoque neque divinitùs elevari possunt ad illas attingendas: at verò Deus cùm sit maximè intelligibilis continetur intra objectum adæquatum intellectûs creati, à quo saltem imperfectè, naturaliter percipitur, ut diximus, sicque potest divinitùs elevari ad illum clarè videndum, & cognoscendum.

29. Instabis Deus in ratione entis est objectum intellectûs; sed in ratione entis habet improportionem cum intellectu creato; ergo etiam in ratione objecti; consequenterque non potest Deum clarè attingere. Respondeo negando utramque consequentiam: ut enim Deus in ratione entis habeat improportionem cum intellectu creato, satis est quod ille sit infinitus; hic autem finitus: at verò ut cum illo haberet improportionem in ratione objecti, opus erat quod non includeret rationem entis, quod est objectum intellectûs, & recurrit cum intelligibili; sicut res spiritualis, aut universalis non includunt lucidum, & coloratum, aut aliud sensibile, quod est objectum sensûs. Neque novum videri debet esse aliquid improportionatum in ratione entis, non tamen in ratione objecti; siquidem quælibet substantia creata superat intellectum creatum in ratione entis, cùm illa sit ens per se, hic autem sit ens in alio; & tamen nulla substantia excedit intellectum in ratione objecti.

30. Argues 8. Modus cognoscendi sequitur modum essendi, ita ut supposítum intelligens nequeat cognoscere intuitivè, nisi objectum habens similem, aut imperfectiorem modum essendi; sed nulla creatura intellectiva elevari potest ad modum essendi similem divino, ut constat; esset enim, & non esset creatura; esset, ut supponitur; non esset, quia esset Deus, cùm haberet esse divinum; ergo neque poterit elevari ad modum cognoscendi similem divino, qualis est cognitio intuitiva & clara Dei.

31. Respondeo primò negando majorem; siquidem Angelus inferior cognoscit intuitivè Angelum superiorem, illumque sequitur in modo cognoscendi seipsum; quin tamen illum sequatur in modo essendi nobiliori. Respondeo secundò distinguendo majorem: modus cognoscendi sequitur modum essendi, quando agens cogoscitivum fertur in objectum propriâ virtute, & ut causa principalis, concedo majorem: quando fertur ut instrumentum elevatum, & in virtute agentis principalis elevantis, nego majorem: sic autem agit creatura elevata ad videndum Deum, ideoque sufficit quod agens principale, nempè Deus, commensuretur objecto, quod est idem-met Deus.

SECTIO

SECTIO II.

Vtrùm possibilitas Visionis Beatæ possit naturali lumine demonstrari?

32. CErtum est primò, non posse constare demonstratione naturali, aut esse possibilem visionem intuitivam Dei per solas vires naturales intellectûs creati: aut esse impossibilem respectu ejusdem supernaturaliter elevati. Probatur, quia circa falsum non potest dari demonstratio; sed fides docet, intellectum creatum non posse propriis viribus Deum intueri; posse tamen, si divinitùs elevetur; ergo &c.

33. Certum est secundò, naturali demonstratione constare, intellectum humanum in hoc statu vitæ mortalis non posse Deum naturaliter cognoscere intuitivè. Probatur, quia nobis evidens est, nostrum intellectum pro hac vita non posse cognoscere subsantias spirituales, qualis est Deus, nisi ex rebus sensu cognitis, sicque per discursum; sed per discursum nihil cognoscitur intuitivè; siquidem cognitio intuitiva debet esse cognitio objecti in se, & immediata; cognitio autem per discursum est ex alio, & mediata; ergo demonstratur Deum non posse naturaliter cognosci intuitivè ab intellectu humano pro hac mortali vita. His positis: sit:

34. Difficultas 2. Utrùm naturali, & evidenti ratione demonstrari possit, possibilem esse Visionem beatam, sive cognitionem intuitivam Dei supernaturalem, nempe elicitam ab intellectu creato supernaturaliter elevato? Negativè. Ita *Medin. 1. 2. q. 5. art. 1. Cajet. 1. part. quæst. 12. a. 1. Ocham. in 4. quæst. 14. art. 2. Herveus quodlib. 6. quæst. 3. Ferrar. 3. cont. gent. cap. 31. Carthus. in 4. dist. 49. q. 4. Bassol. quæst. 5. art. 1. Banneż 1. part. quæst. 12. a. 1. dub. 1. ad ult. & dub. 2. ad 1. Zumel. quæst. 1. ad ult. Lychet quæst. 1. Prolog. § Sed occurrit. Gabr. quæst. 1. art. 3. dub. 2. Gonzal. d. 24. sect. 2. P. Soar. in Met. d. 30. sect. 11. num. 50. & lib. 2. de Attrib. cap. 7. n. 12. & lib. 2. de Angel. cap. 29. à num. 25. P. Molin. 1. part. quæst. 12. art. 1. d. 1. & q. 1. art. 1. d. 3. P. Fons. 4. Met. cap. 1. quæst. 1. sect. 1. P. Sal. 1. 2. quæst. 3. tract. 2. d. 2. sect. ult. art. 72. P. Herice. tract. 4. d. 39. cap. 2. P. Fasol. 1. part. quæst. 12. art. 1. dub. 2. num. 18. P. Amicus 1. part. d. 9. sect. 2. num. 12. P. Tanner. d. 2. quæst. 6. dub. 1. num. 6. P. Arriaga 1. part. d. 4. sect. 1. P. Alarcon. tract. 1. d. 1. P. Ripal. de Ente supernat. lib. 1. d. 11. sect. 3. num. 14.* & alii.

35. Probatur primò, quia id quod est in se simpliciter supernaturale, non habet vestigium in natura, sive id sit in ratione causæ, à quâ procedat, sive in ratione effectûs ab illo producti; alioqui esset, & non esset simpliciter supernaturale; esset, ut supponitur; non esset, quia esset intra, & non supra naturam; sed Visio beata est ens in sua entitate simpliciter supernaturale, ut infrà dicemus; ergo vestigium non habet in natura, ex quo ejus possibilitas demonstrari possit; consequenterque est naturali lumine indemonstrabilis.

36. Probatur secundò, quia si Visio Beata naturali lumine cognosceretur possibilis, aut ita cognosceretur à priori ex penetratione, & comprehensione causæ eam producentis, qualis est Omnipotentia divina simul cum intellectu, & lumine gloriæ: aut à posteriori ex penetratione effectûs ab ea producti, vel producibilis: aut denique ex penetratione, & cognitione ipsiusmet visionis, quatenùs ex propriis terminis esset cognoscibilis; neque enim apparet aliud principium cognitionis evidentis; sed Visio beata nullo ex his principiis potest naturali lumine demonstrari; ergo &c.

37. Probatur minor quoad primam partem, quia si Visio beata esset demonstrabilis à priori per illas causas, aut id fieret ex comprehensione talium causarum simul, aut singularum: Non primum, quia omnes simul concurrunt in ratione unius principii supernaturalis simpliciter; siquidem concurrunt ad producendum effectum simpliciter supernaturalem; principium autem supernaturale simpliciter non potest prout sic naturaliter cognosci, alioqui vestigium haberet in natura, ac proinde non esset simpliciter supernaturale: Non secundum, quia in primis intellectus creatus, & lumen gloriæ seorsim sunt causæ inadæquatæ Visionis beatæ, ut infra dicemus; ex cognitione autem causæ simpliciter inadæquatæ cognosci nequit effectus adæquatus, ut patet in conclusione pendente ab utraque præmissa, quæ ex cognitione alterius præmissæ comprehendi nequit: Deinde Omnipotentia divina seorsim accepta, licet ex effectibus naturalibus cognosci possit, non ita tamen cognoscitur ut principium supernaturale alicujus effectûs supernaturalis in particulari, sed alicujus in generali, & in confuso; ergo &c.

38. Probatur eadem minor quoad alias partes, quia effectus Visionis beatæ, si aliquis datur, per quem possit demonstrari à posteriori, est supernaturalis simpliciter, sicut est ipsa Visio beata; ergo per illum non potest ipsa visio beata naturali ratione demonstrari. Deinde Visio beata, cùm sit entitas simpliciter supernaturalis, non potest ex propriis terminis cognosci, ut lumine rationis notum est; ergo neque ex propriis terminis demonstrari; consequenterque Visio beata non potest demonstrari possibilis lumine naturali cognitione evidenti.

39. Probatur tertiò ex *P. Soar. lib. 2. de Angel. cap. 29. à num. 30.* quia ut evidenter demonstretur possibilis Visio beata, necessarium est, ut possit evidenter probari duo hæc principia esse vera: Primum, *quod possit creatura elevari ad eliciendum actum vitalem, quem per naturales vires sui intellectûs, aut voluntatis, elicere non potest.* Secundum, aut *non repugnare infundi à Deo speciem supernaturalem ipsum repræsentantem sicuti est; aut certè ipsam Dei Essentiam per se ipsam supplere vicem speciei intelligibilis in intellectu creato*; sed tantùm abest, ut duo hæc principia evidentia sint, quod de illis maxima est controversia inter Doctores Theologos, ut infra videbimus; ergo &c.

40. Confirmatur primò, quia ut possibilitas Visionis beatæ evidenter constaret, necessarium esset, quod cum evidentiâ constaret, distingui in Deo visionem intuitivam & quidditativam à comprehensivâ; hoc autem vix potest naturaliter percipi, nedum evidenter demonstrari, ut ex infra dicendis constabit; ergo &c. Secundò, quia Unio Hypostatica, gratia sanctificans, modus quantitatis in Eucharistia, & similia accidentia, & dona simpliciter supernaturalia cognosci nequeunt naturaliter lumine naturali, ut probat idem *P. Soar. cit. proximè à n. 45.* & est communis Theologorum sententia; ergo neque sic cognoscetur Visio beata, quæ similiter est in entitate supernaturalis.

41. Oppositum tenent *D. Thom. 1. part. quæst. 12. art. 1. & 1. 2. quæst. 3. art. 7. & quæst. 5. art. 1. & de Verit. quæst. 8. art. 1. & alibi. Scot. in 4. dist. 49. quæst.*

quæst. 8. litt. B. quem refert & sequitur *Niphus 2. Met. d. 3. cap. 4.. P. Vasq. hic art. 1. in Comment. num. 9. & sequent. & 1. 2. d. 20. cap. 2. P. Arrub. 1. part. d. 15. cap. 1. num. 2.* ubi etiam citat *D. Thom. 3. cont. gent. cap. 51.* dum rationes naturales adducit, quibus probet Deum posse videri, & ostendere conatur re ipsâ id esse possibile. Pro quibus.

42. Objicies 1. Naturali lumine notum est: Primò, Deum esse visibilem intuitivè; siquidem à seipso ita videtur: Secundò, Deum prout sic non esse extra objectum, saltem adæquatum intellectûs creati; siquidem ipsum attingit, saltem confusè naturaliter, contineturque sub ente, quod est illius objectum: Tertiò, intellectum creatum habere ex natura sua modum tendendi in suum objectum, tam intuitivè, quàm abstractivè, ut experientiâ manifestum est: Quartò, ad videndum Deum intuitivè non esse necessarium lumen creatum, aut virtutem infinitam ex parte potentiæ; siquidem inter potentiam cognoscentem, & objectum cognoscendum non requiritur commensuratio entitativa, ut supra diximus, & patet in virtute, & lumine Angeli inferioris cognoscentis superiorem, cui in perfectione entitativa non adæquatur: & in virtute, seu voluntate, quâ Deum amamus, quæ Deo non commensuratur in entitate; ergo naturali lumine demõstrari potest possibilitas visionis beatę; siquidem naturali lumine notum est, posse quâlibet potentiam per modum tendendi sibi, & objecto intra suâ sphęram contento proportionatum tendere in tale objectum, saltem elevatam per lumen virtutis finitæ.

43. Respondeo concedendo naturali lumine notum esse, intellectum creatum de se habere modum tendendi in suum objectum, tam intuitivè, quàm abstractivè: similiterque Deum à seipso videri intuitivè: negando tamen notum esse lumine naturali, tam Deum clarè visum contineri intra objectum adæquatum intellectûs creati; quàm ad videndum Deum intuitivè sufficere lumen, aut potentiam finitæ virtutis. Ratio prioris partis est, quia licet Deus contineatur sub ente, & ab intellectu in hac vita confusè cognoscatur, non ideò sequitur, lumine naturali notum esse, quod comprehensivè cognitus contineatur intra objectum intellectûs creati; ergo neque quod cognitus intuitivè; siquidem poterit quis existimare, tam impossibilem esse intuitivam, quàm comprehensivam Dei Visionem. Confirmatur, quia sicut Deus se videt intuitivè, ita & comprehensivè; ergo sicut ex cognitione Dei comprehensiva non licet argumentari ad comprehensionem per intellectum creatum; ita etiam non ita licebit argumentari ad visionem intuitivam creatam. Accedit, quia ex eo, quod aliquid contineatur sub objecto alicujus potentiæ, vel absolutè, vel secundùm aliquem modum, aut limitationem, non statim sequitur, quod similiter contineatur secundùm omnem modum, etiam minùs perfectum; siquidem accidentia sensibilia continentur sub objecto sensûs, à quo cognoscuntur intuitivè, non ita tamen abstractivè, cùm tamen hic modus cognoscendi sit imperfectior.

44. Ratio posterioris partis est, quia licet communiter loquendo, & ut plurimùm necessarium non sit, quod potentia, & objectum non commensurentur in entitate; aliquando tamen id necessarium est, ut constat ex doctrina de comprehensione, de qua infra, utpote quæ comparatione Dei necessariò debet esse in sua entitate infinita; quod quidem posset quis cogitare de cognitione Dei clara, & intuitiva, cùm sit cognitio objecti supernaturalis, & infinitè perfecti. Neque valet argumentum de actu amoris naturalis, aut supernaturalis Dei habiti in hac vita; siquidem hic non fertur in Deum sicuti est, ut constat.

Instabis: Naturali ratione constat, posse quam- 45.
libet potentiam ferri per modum tendendi sibi possibilem perfectissimum in quodlibet singulare contentum sub ratione communi sui objecti adæquati, nisi ex parte talis objecti aliqua appareat incapacitas, qualis apparet in ente possibili ad terminandam cognitionem intuitivam; sed Deus est objectum singulare contentum sub ratione communissima entis, quod est objectum intellectûs, & de se non est incapax cognitionis intuitivæ, ut supra probavimus; ergo intellectus creatus potest in ipsum tendere per cognitionem intuitivam, quæ est illius modus tendendi perfectissimus.

Respondeo negando absolutè majorem: Deus 46.
enim etiam per adversarios est singulare contentum sub objecto communi intellectûs creati; cùm tamẽ hic non possit in ipsum Deum tendere per cognitionem comprehensivam, quæ est illius modus tendendi perfectissimus. Dicent, hunc modum tendendi in Deum non esse possibilem respectu intellectûs creati; maximè autem modum tendendi per cognitionem intuitivam, ut supra diximus. Sed contrà, quia falsò supponunt, modum tendendi in Deum per cognitionem intuitivam esse possibilem respectu intellectûs creati stando in sola ratione naturali. Patet, quia hæc solùm arguitur ex eo, quod intellectus habeat modum tendendi in objectum intuitivè, & Deus se ipsum intuitivè cognoscat; sed idem intellectus habet modum tendendi in objectum comprehensivè, & Deus se ipsum comprehendit; & tamen ex hoc non colligitur modum tendendi in Deum comprehensivè esse possibilem respectu intellectûs creati; ergo idem dicendum de cognitione intuitiva stando sola ratione naturali.

Objicies 2. Quidquid perfectionis competit 47.
potentiæ inferiori circa suum objectum, competit etiam superiori circa suum; sed oculo corporeo competit circa suum objectum cognitio, seu visio intuitiva, quæ ex genere suo est perfectior, quàm abstractiva; ergo cùm intellectus creatus sit potentia cognoscens nobilior oculo, etiam ei competit cognitio intuitiva circa suum objectum; sed Deus continetur intra objectum intellectûs creati; ergo hic cognoscit ipsum Deum intuitivè.

Respondeo primò, argumentum non probare 48.
intentum, siquidem major non est universaliter vera: Primò, quia incorruptibilitas est perfectio in genere corporis; & tamen (ut aliqui dicunt) competit Cœlo, non homini, qui est species corporis omnium perfectissima. Secundò, quia evidentia competit scientiæ naturali, & non fidei supernaturali, quæ tamen sub genere cognitionis est nobilior. Tertiò, quia, ut contra hanc rationem arguit *Bassol. in 4. dist. 49. quæst. 5. art. 1. ad 4.* sequeretur, quod phantasia, quæ est potentia superior, & nobilior, quàm visus, posset intuitivè cognoscere quodcumque objectum suum, sicut visus; hoc autem est falsum.

Respondeo secundò assignando diversitatem, 49.
cur oculus cognoscat intuitivè totum suum objectum, & non ita suum cognoscat intuitivè intellectus creatus; totum enim objectum oculi est materiale, sicque finitum, & ideò terminabit notitiam finitam intuitivam: at verò aliquod objectum intellectûs creati est infinitũ, nempè Deus, de quo dubitari posset, an terminet notitiam intuitivam, quæ sit finita. Unde ex illa cognitione intuitiva

oculi

oculi non demonstratur evidenter, posse intellectum creatum sic intuitivè Deum cognoscere.

50. Respondeo tertiò cum *P. Fasol. 1. part. quæst. 12. dub. 2. num. 12.* dato quod argumentum probet, intellectui competere cognitionem intuitivam, non ideò tamen probare intentum, ideſt, ei competere talem cognitionem respectu cujuscumque objecti, etiam Dei, utpote qui est elevatissimum quoddam intelligibile, & specie, & genere diversum à quocumque alio intelligibili creato. Patet, quia crescente lumine in objecto visibili, oculus non potest illud intueri, licet illud majus lumen sit ejusdem speciei cum minori, quod oculus intueri potest; ergo à fortiori putandum est, intellectum creatum minùs aptum esse ad intuendum objectum intelligibile, superans infinitè in ratione intelligibilitatis quodcumque aliud intelligibile, quod ab ipso intellectu creato intueri potest. Accedit, quod si ratio illa argumenti probaret, concluderet, non solùm de possibili, sed etiam de facto, intellectum naturalibus viribus intueri Deum; sicut de facto oculus intuetur naturaliter lucidum, & coloratum.

51. Objicies 3. Angelus cognoscit evidenter inter potentiam, & objectum intuitivè cognoscendum non requiri proportionem arithmeticam, nempè omnimodam æqualiter; siquidem Angelus inferior cognoscit intuitivè superiorē sine hac omnimoda, & arithmetica proportione, ut diximus; ergo cognoscit evidenter possibilem esse cognitionem intuitivam objecti infiniti, nempe Dei, quæ tamen sit finita; consequenterque hæc est evidenter demonstrabilis. Respondeo negando utramque consequentiam: licet enim Angelus evidenter cognoscat inter potentiam, & objectum creatum non exigi proportionem arithmeticam, eoquod sint intra eundem modum essendi, non tamen habet pro comperto non requiri dictam proportionem inter potentiam creatam & objectum increatum, cùm non sint intra eundem modum essendi; sicque dubitare poterit, an requiratur infinitudo in notitia intuitiva Dei, cum quo stare non potest evidens demonstratio.

52. Objicies 4 Ex D. Thom. hîc *art.* 1. Viso effectu, naturaliter in nobis excitatur desiderium videndi causam; sed videmus effectus Dei *ad extra* intuitivè; ergo naturaliter desideramus ipsum clarè, & intuitivè videre; non autem desideramus naturaliter, nisi quod naturaliter existimamus possibile; ergo possibilitas visionis Dei naturaliter demonstratur. Respondeo distinguendo majorem: naturaliter in nobis excitatur desiderium videndi causam perfectissimo modo nobis possibili; concedo majorem: aliter; nego majorem: cùm autem possibilitas visionis Dei intuitivæ nobis non constet naturæ lumine, sed per solam fidem, ex visione intuitiva effectuum solùm excitabitur in nobis desiderium inefficax, & conditionatum videndi Deum intuitivè, si videlicet possibilis sit ejusdem visio; efficax autem videndi illum perfectissimo modo nobis possibili, qui tamen non statim erit de videndo Deo intuitivè, quoadusque id per fidem constet esse possibile, in quo sensu dumtaxat illo argumento usus est D. Thom.

53. Objicies 5. Ex eodem D. Thom. cit. *art.* 1. homo naturaliter appetit summum bonum, & perfectam illius cognitionem, qualis est intuitiva; ergo hæc naturaliter cognoscitur possibilis; alioqui frustraneus esset ille appetitus. Confirmatur ex D. Aug. *lib.* 1. *Conf. cap.* 1. ubi ait: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*: quo ostendit dari in nobis prædictum appetitum; ergo &c. Respondeo primò, si sermo sit de summo hominis bono naturali, verum esse, hominem naturaliter illud appetere, atque adeò cognoscere; hoc tamen non consistit in contemplatione Dei intuitiva, sed in sola abstractiva, quam agnoscunt Philosophi, & Ethnici; sicq; argumentum nihil urget.

54. Respondeo secundò, (si sermo sit de summo hominis bono supernaturali, quod saltem partialiter constituitur in visione intuitiva Dei, ut alibi dicemus,) distinguendo antecedens: homo naturaliter appetit summum bonum, & perfectam illius cognitionem, appetitu innato; nego antecedens: neque enim in nobis datur talis appetitus ad visionem Dei, ut est supernaturalis beatitudo nostra, ut suppono ex materia de Beatitudine: appetitu elicito, non efficaci; sed inefficaci; concedo antecedens: Unde stando in solo lumine naturæ non datur in nobis appetitus elicitus efficax beatitudinis supernaturalis; siquidem cùm hujusmodi appetitus ex sua ratione tendat in futuram consecutionem objecti, necessariò pendet à judicio existentiæ illius, non solùm ut possibilis, sed etiam ut futuræ in aliqua temporis differentia; hoc autem judicium citra fidem haberi nequit, saltem secundùm regulas prudentiæ, cùm nullum sit in natura indicium, ex quo colligatur naturam rationalem de facto ordinatam esse ad videndum Deum intuitivè, ut rectè deducit D. Thom. *quæst. 5. de Malo, art. 3.* ex illo 1. Cor. 2. 9. *Neque oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit &c.* Potest tamen dari in nobis appetitus inefficax, utpote qui dari potest etiam erga impossibilia, si ut possibilia apprehendantur, saltem sub conditione; ex illo tamen non rectè deducitur possibilitas Visionis beatæ; sicque neganda est consequentia.

55. Ad confirmationem D. Aug. dicimus ex illa solùm colligi, in homine Christiano per fidem cognoscente, supremam beatitudinem consistere in clara Dei visione, dari posse adeò fervens desiderium illius consequendæ, ut in nullo alio hujus vitæ bono conquiescat, quod est verissimum: non tamen ex illa rectè inferes, dari illius summi boni affectum hujusmodi in homine, seclusâ fide, & secundùm solas naturæ vires operante.

56. Objicies 6. Naturali lumine manifestum est, posse hominem comparare suam beatitudinem; sed hæc consistit in Dei contemplatione, ut etiam ipsum rationis lumen ostendit; ergo &c. Respondeo lumine naturali solùm cognosci, posse hominem comparare beatitudinem sibi possibilem, ut diximus; quod autem hæc consistat in comprehensione Dei intuitiva, non potest naturaliter constare, ut patet ex supra dictis.

57. Objicies 7. Deus, & ipsius Attributa sunt entia maximè supernaturalia; & tamen demonstrantur à Philosophis ratione naturali; ut alibi diximus, & demonstravimus in Metaphysicâ; ergo sic etiam poterit demonstrari Visio beata, licet sit supernaturalis. Respondeo ad minorem, Deum demonstrari quidem à Philosophis ut Authorem naturæ, & ipsius Attributa ut sunt aliquid ejusdem Authoris naturæ; nunquam verò ut Authorem gratiæ.

58. Objicies 8. Remissio peccati mortalis ratione naturali ostenditur possibilis; siquidem naturaliter cognoscimus, posse Deum condonare injuriam sibi factam, sicut illam remittit homo offensus; & tamen remissio offensæ contra Deum est effectus

simpliciter supernaturalis; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: est effectus simpliciter supernaturalis, prout de facto fit per infusionem gratiæ; concedo minorem: si fiat per solum modum moralem condonationis Dei extrinsecæ; nego minorem. Unde remissio peccati mortalis, ut loquamur cum *P. Soar. lib. 2. de Angel. cap. 29. numer. 43.* duobus modis potest fieri: primò per actionem physicam productivam gratiæ sanctificantis, aut solam, aut simul cum morali remissione: Secundò per solum moralem modum extrinsecæ Dei cõdonationis. Primo modo est effectus in sua entitate supernaturalis: non tamen prout sic potest à nobis cognosci ex principiis solius naturæ, ut non possumus cognoscere Visionem beatam: Secundo autem modo non est effectus Dei physicus, sed moralis, neque est supernaturalis quoad substantiam, sed solùm liber, & voluntarius Deo, ideoque potest cum evidentia naturaliter cognosci.

59. Instabis cum aliquibus Recentioribus, & ut ipsi putant efficaciter: Remissio peccati mortalis per extrinsecam condonationem Dei est effectus indebitus naturæ; ergo est in sua entitate supernaturalis; siquidem gratia sanctificans, & ejus infusio ideò est effectus supernaturalis in entitate, quia est effectus indebitus naturæ. Respondeo instantiam nullius esse momenti; nam de ratione condonationis est, quod sit indebita; si enim esset debita, jam non esset condonatio, seu remissio, sed solutio debiti ex pura justitia; non ideò tamen quia indebita, est supernaturalis; alioqui non possent, neque inter homines fieri condonationes injuriarum naturaliter, cùm nemo sine gratia efficiat actum supernaturalem. Imò neque ipse Deus, ut Author naturæ, supposito quod naturam rationalem ordinaret in solum finem naturalem, posset eidem condonare naturaliter injuriam, ut homines inter sese faciunt, quod tamen videtur pugnare cum ratione naturali. Unde non ideo aliquid est supernaturale, quia illud natura non exigat, ut prædicti Recentiores arguunt; alioqui nulla esset naturalis gratia, ut diximus, sive nulli posset conferri gratia sive donum gratuitum naturaliter; siquidem nullum in particulari á natura ipsa postulatur, licet postuletur gratia, sive donum in generali. Ad probationem consequentiæ dicimus, gratiam sanctificantem, & ejus infusionem esse supernaturalem, quia per illam adoptamur in Dei filios, traducimurq; in superiorem & divinum ordinem, ut latiùs explicat *P. Gil. tom. 2. tract. 3. cap. 12. num. 8.*

60. Difficultas 3. Utrùm supposità divinâ revelatione, possit possibilitas Visionis beatæ naturali lumine demonstrari evidenter, aut saltem probabiliter? Dico 1. Possibilitas Visionis beatæ non potest etiam supposità divinâ revelatione, naturali lumine suaderi demonstratione evidenti. Probatur, quia aut divina revelatio, & assensus fidei conduceret ad demonstrandam possibilitatem Visionis beatæ, efficiendo ut intellectus clariùs penetraret terminos, & media talis demonstrationis; aut tollendo impedimenta rationum naturalium, quæ contra illam militant: Non primum; siquidem illa clarior penetratio deberet esse evidens, utpote principium cognitionis evidentis, cùm tamen fides sit essentialiter obscura, sicque non possit esse principium, saltem per se cognitionis evidentis: Non secundum, licet enim per fidem tollantur impedimenta rationum naturalium oppositum suadentium, non ideò statim occurrunt rationes positivæ & evidentes, quæ possibilitatem Visionis beatæ ostendant; quod in aliis materiis passim occurrit; neque enim ex eo, quod non appareat ratio, aut incommodum in contrarium, statim sequitur, esse aliquid per se, aut per rationes efficaces evidens; ergo &c.

Oppones: Supposità revelatione possibilitatis 61.
Visionis beatæ, evidenter solvi possunt argumenta, & rationes contra illam deductæ ex principiis rationis naturalis; ergo similiter dari possunt rationes evidentes ad eandem probandam; siquidem nemo cognoscit evidenter rationes, quæ contra aliquid fiunt, esse falsas, quin vel inde evidenter colligat, illud esse verum. Probatur antecedens, nempè rationes contra possibilitatem visionis beatæ factas posse evidenter solvi, supposità revelatione divinâ, idque ratione universali ad omnia per se revelatâ, quia objecta nostræ fidei sunt evidenter credibilia, ut suppono ex materia de fide; ergo evidenter solubilia sunt argumenta contra illa deducta, cùm sit eadem ratio.

Respondeo negando antecedens; positâ enim 62.
divinâ revelatione de possibilitate Visionis beatæ, aut cujuslibet alterius Mysterii per se revelati, rationes in contrarium deductæ ex ratione naturali solvi possunt sufficienter tantùm, non autem evidenter. Ad probationem concedimus cum certissimâ sententiâ in materia de fide, Mysteria nostræ fidei esse evidenter credibilia; negamus tamen indè sequi, argumenta, & rationes in contrarium esse evidenter solubilia, ut tenent *Durand. quæst. 1. prolog. num. 42. & dist. 2. quæst. 4. numer. 8. Scot. Ocham. quæst. 5. principal. quæ est 7. in ordine lit. Bassol. quæst. 5. art. 4. §. ad 1.* & ex Recentioribus aliqui. Et hujus ratio est, quia ut detur solutio evidens argumenti in contrarium, necessarium est, quod in respondente detur evidentia falsitatis propositionis, quæ pro argumento assumitur, quæ tamen non datur in defendente, utpote qui solùm illam reputat falsam ex eo, quod oppositum ex fide verum credat, ex quo nulla evidentia resultare potest ad refutandum falsum oppositum ejus, quod credit. Non tamen inficior ex eo, quod mysteria fidei sint evidenter credibilia, necessariò inferri posse dari evidentem rationem, quod solutio, aut negatio prudenter & sufficienter adhibeatur argumento. Et in hoc sensu intelligendi sunt Theologi asserentes, argumenta contra Mysteria Fidei esse evidenter solubilia.

Dico 2. Posibilitas Visionis beatæ, supposità 63.
revelatione divinâ, potest naturali lumine suaderi, saltem probabiliter. Ita *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 7. num. 12. Favet Scot. Hervæus, & Conrad.* quos citat & sequitur *P. Ægid. Lusitan. tom. 2. de Beatitud. lib. 12. quæst. 2. art. 1. §. 2. num. 24. P. Herice tract. 4. d. 39. cap. 2. num. 11.* & alii. Probatur primò ex P. Soar. cit. quia datâ revelatione divinâ potest quilibet naturali discursu difficultates, & argumenta contra possibilitatem Visionis beatæ sufficienter solvere, & ex illorum solutione rationem aliquam congruam eruere, qualis erit, quod Deus non sit omninò extra objectum intellectûs creati, & quod intellectus creatus habeat capacitatem quandam universalem ad cognoscendum omne cognoscibile; ergo ex tali ratione potest probabiliter inferre possibilitatem videndi Deum, sive Visionis beatæ. Confirmatur, quia, suppositis principiis fidei, rectè probatur, non posse mentem nostram quiescere, neque esse contentam aliâ Dei cognitione, donec videat, quid Deus sit, juxta illud Psal. 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Et

D. Aug.

Et D.Aug. *lib.1. Confess. cap.1. Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*; ergo &c.

64. Probatur secundò ex P. Herice cit. quia evidenter constat Deum in nobis multa supernaturalia, idest, quæ superant naturæ vires, efficere posse; siquidem ejus Omnipotentia non est alligata legibus naturæ; & probabile est in Visione Dei in particulari nullam esse repugnantiam, ut ex dictis constat; ergo magna cum probabilitate ex duplici hæc præmissa inferimus, possibilem esse Visionem Dei in se. Confirmatur, quia suppositâ revelatione, potest Mysterium Trinitatis probabiliter cognosci lumine naturali, prout infra dicemus. *Tract.3. d.1. à num.236.* ergo etiam sic poterit probabiliter suaderi possibilitas Visionis beatæ.

SECTIO III.

Virùm intellectus creatus possit naturaliter elicere visionem beatam, & Deum videre?

65. ADVERTES, quæstionem posse procedere de intellectu creato, aut in corpore mortali: aut in animâ separatâ: aut in Angelo. Et quidem de intellectu in hoc mortali corpore videtur res sine controversia: cùm enim prout sic solùm intuitivè cognoscat, quæ priùs intuitivè percipiuntur à sensibus corporeis, non potest res à corpore simpliciter abstractas intueri, nedum maximè supernaturales, qualis est Deus. De anima separata, & Angelo aliqua inesse potest dubitandi occasio; siquidem cùm naturali lumine notum sit, animam separatam se ipsam, & alias animas: similiterque Angelum se ipsum, & alios Angelos intuitivè cernere posse, naturali ratione non videtur satis constare, quid impedimento sit, cur etiam non valeant Deum intueri. Ut igitur veritas patefiat per sequentes conclusiones est expedienda: unde sit:

66. Conclusio 1. Intellectus noster in hoc mortali corpore non potest naturaliter Deum videre intuitivè. Est de fide contra quosdam Philosophos, de quibus *D.Nazian. orat. 42.* quæ est 2. post Pascha, asserentes Deum in hac vita videri, imò & comprehendi ab intellectu creato. Hos ex Schola Platonis fuisse, testatur Nicetas, & Psellus, eorumque Ducem Eunomium extitisse, cui eundem errorem tribuit D. Chrysost. *hom. 5. de Incomprehensib. Natur. Dei*, eosque vocavit *Anomæos*, idest, sine regula, & æqualitate, eoquod Dei Filium inæqualem esse Patri docebant. Hi autem se jactabant in hac vita Deum comprehendisse; eosque postea sequuti sunt in Germania hæretici quidam dicti *Beguardi*, & *Beguinæ*, ut refertur in Clement. *Ad nostrum, de Hæreticis.* Inter quorum errores quartus in ordine erat in hunc modum. *Homo in hac vita consequi potest beatitudinem, quam Sancti habent in alia.* Et quintus. *Quod quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata; quodq; anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eò beatè fruendum.* Ut videre est apud *P. Vasq. 1.part. d.41. cap.1. P. Valent. tom.1. d.1. quæst.12. punct.3. P.Soar. lib.2. de Attrib. cap.8. num.1.* & alios. Nostra igitur conclusio:

67. Probatur primò ex sacra Scriptura Joan.1. & 1. Joan. 4. ibi: *Deum nemo vidit unquam.* Et 1.Tim.6. *Qui lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et Matt. 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et 1. Cor. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Et Joan.14. *Qui diligit me, manifestabo ei me ipsum.* Et Psalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Quæ loca, & alia plura exponunt Sancti Patres, & cæteri Expositores de homine in hac vita mortali dicentes, non posse prout sic Deum naturaliter videre, posse tamen in altera vita supernaturaliter à Deo elevatum, ut referunt *P. Soar. P. Vasq. P. Valent. cit. & P. Sal. 1. 2. tract. 2. d.3. sect.1.*

68. Probatur secundò authoritate Ecclesiæ, & Concil. Viennens. sub Clement. V. & refertur in Clement. *Ad nostrum, de Hæreticis*, ubi de fide definitur hæc veritas contra citatos errores Beguardorum, & Beguinarum. Idem docent *D. Chrysost. hom.3. de Incomprehensib.natur. Dei. Et in Joan. homil.14. D.Epiphan. hæres.70. D.Ambr. in Luc. lib.1. cap.1. & serm.8. in psal.118. D. Nazian. tract. de fide, sub fin. D.Aug. epist.112. & lib.11.de Civ. cap.9. & lib.12. cap.9.* & alii.

69. Probatur tertiò rationibus: Prima, quia, ut supra diximus *num.65.* dum sumus in hoc mortali corpore, ea solùm intuitivè cognoscimus, quæ vel cadunt in cognitionem sensuum similiter intuitivam, juxta effatum in Philosophia receptum: *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*: Vel sunt actus nostri interni, quos per experientiam in nobis cognoscimus; sed Deus clarè & intuitivè cognitus, neque in sensum cadit, cùm sit objectum maximè spirituale; hoc autem à sensibus non percipitur, imò neque percipi potest, ut ex alibi dictis constat, & ex infra dicendis constabit: neque experientiæ humanæ subditur, ut patet; ergo &c.

70. Secunda, quia intellectus creatus ob infinitam distantiam, quam habet à Deo, sortitur virtutem incompletam, & insufficientem ad eliciendam visionem intuitivam Dei; ergo illam naturaliter elicere nequit; præsertim quamdiu sumus in hoc mortali corpore. Confirmatur primò ex illo principio: *Modus cognoscendi sequitur modum essendi*: quod idem valet, ac si dicas, quodlibet cognoscens rationale nequit naturaliter cognoscere, saltem intuitivè, & quidditativè, nisi illud cognoscibile, quod in ratione immaterialitatis, & spiritualitatis habet eundem modum essendi cum illo; sed Deus habet modum essendi longè diversum à modo essendi cujuslibet naturæ rationalis creatæ; siquidem est ens simplicissimum liberum ab omni compositione, sive physica, sive metaphysica; ergo omnis creatura rationis capax est naturaliter insufficiens ad Deum clarè videndum. Secundò, quia neque anima separata, neque Angelus possunt naturaliter Deum intuitivè videre, ut infra dicemus; ergo à fortiori quamdiu est in hoc mortali corpore. Pro damnato errore:

71. Oppones 1. Inter objectum, & potentiam non requiritur proportio in modo essendi, & abstractione à materia; siquidem intellectus creatus cognoscit substantiam; & Intellectus divinus cognoscit accidens corporeum; & tamen neque hic est accidens corporeum; neque ille est substantia; ergo licet intellectus creatus non habeat proportionem cum Deo in modo essendi, poterit illum intuitivè cognoscere naturaliter. Respondeo negando antecedens; ad probationem dicimus omnem potentiam creatam habere convenientiam cum suo objecto creato, etiã substantiali, in modo essendi, non tam ratione sui, quàm suppositi, cui

ineſt ; ſiquidem habent modum eſſendi compoſitum ſive phyſicè, ſive metaphyſicè, quæ compoſitiones in Deo non dantur. Deindè Intellectus divinus non requirit eam proportionem cum objecto inferiori, quia modo eminentiori, & omninò independenti habet virtutem illud attingendi.

72. Oppones 2. Si cognoſcens habens inferiorem modum eſſendi, non poſſet attingere objectum ſuperius, ſequeretur, neque Angelum inferiorem poſſe intuitivè cognoſcere ſuperiorem ; neque conjunctum ex intellectu creato, & lumine gloriæ habere connaturalem vim ad Deum intuitivè videndum ; ſiquidem tale conjunctum, cùm non ſit actus purus, ſicut eſt Deus, non habet eundem modum eſſendi cum Deo ; ſed neutrum eſt dicendum ; ergo &c. Reſpondeo negando utramque ſequelam : ad primam enim dicimus omnes Angelos habere eundem modum eſſendi, in quo conveniunt, tum ratione immaterialitatis : tum etiam ratione compoſitionis metaphyſicæ. Ad ſecundam dicimus conjunctum illud habere connaturalem vim ad videndum Deum in virtute principalis agentis, qui eſt ipſe Deus ; quando autem dicitur, modum cognoſcendi ſequi modum eſſendi, debet intelligi, ita ut vel cognoſcēs *ut quod*, vel principale agens ipſius cognitionis, ſequatur modum eſſendi objecti cogniti, & ita ſequitur in propoſito eventu, ut patet.

73. Oppones 3. Excellentia objecti cognoſcendi nequit eſſe ratio, ob quam à potentia cognoſci nequeat, niſi fortè per accidens ; ſic enim lux Solis, quò eſt perfectior, eò eſt viſibilior, licet per accidens à noctuâ non videatur, quatenùs efficacia, ſive intenſio talis lucis corrumpit organum ſenſûs ; ſed Deus, licet ſit objectum excellentiſſimū, nequit habere prædictum impedimentum, ne cognoſcatur ; ſiquidem intellectus, utpote ſpiritualis, eſt incapax talis læſionis ; ergo poteſt ab illo intuitivè cognoſci.

74. Reſpondeo negando majorem : poteſt enim ratio formalis objecti adæquati eſſe adeò excellens in aliquo particulari objecto, ut non dentur in potentia vires ſufficientes ad ipſum naturaliter cognoſcendum, tum propter defectum ex parte ipſius potentiæ, tum propter exceſſum ex parte objecti. Ad exemplum de noctuâ datur diſparitas, quatenùs noctua ſolùm per accidens non videt Solem, quem tamen videre poſſet, ſi non læderetur : at verò intellectus, remoto quovis impedimento, adhuc Deum intueri nequit, propter diverſum eſſendi modum, ut ſupra diximus.

75. Concluſio 2. Neque anima rationalis, etiam in ſtatu ſeparationis accepta ; neque Angelus, aut quęvis alia ſubſtantia ſeparata à Deo de facto producta, poteſt naturaliter Deum intueri. Ita omnes Doctores Catholici ; licet in oppoſitum afferri ſoleat Major. *in 4. diſt. 49. quæſt. 4.* & ſimiliter Durand. etiam *in 4. diſt. 49. quæſt. 2. num. 24.* qui cum hæreticis numeratur à *Soto in 4. diſt. 49. quæſt. 2. art. 4. P. Valent. 1. part. quæſt. 12. punct. 3. §. Porrò. P. Vaſq. 1. part. d. 41. cap. 2. num. 8. Zumel. quæſt. 2. & concluſ. 1. Bannez. art. 5. dub. 3. & Trigoſ. 1. part. quæſt. 7. art. 1. dub. 4. apud P. Faſol. 1. part. quæſt 12. art 4. num. 2.* qui immeritò id factum dicit, eumq; defendi à *P. Molin. 1. part. quæſt. 12. art. 5. d. 1. §. Illud.* ut ſtatim videbimus ; nam Major loco cit. ſolùm intendit probare, lumen gloriæ requiri ut diſpoſitionem ad recipiendam Viſionem Dei, non autem ad illam eliciendam, neque oppoſitum definiri in Clement. *Ad noſtrum. de Hæreticis.* Ex hoc autem non poteſt rectè colligi, hunc Authorem concedere ſubſtantiam de facto, quæ naturaliter poſsit Deum intueri ; ſiquidem adhuc ei non concedit principium ſufficiens in ratione recipientis, ad quod requirit lumen gloriæ, ut ipſum legenti conſtabit.

Similiter Durand. loco cit. licet aſſeruerit animam noſtram pro ſtatu hujus vitæ non poſſe 76.
Deum intueri, quia prout ſic nihil, niſi ex imaginatis, & ſenſatis intelligit, ex quo loco Doctores citati inferunt, in ſententia Durandi poſſe animam ſeparatam, aut Angelum naturaliter Deum videre, quia careret illo impedimento alligationis ad imaginata, & ſenſata, in quo videtur aliquid docere contra definitum in Clement. *Ad noſtrum.* citat. Nihilominùs cùm hic Author loco cit. aſſignet aliud impedimentum commune animæ ſeparatæ, & Angelo, quatenùs ſcilicet docet, intellectum creatum in hoc rerum ordine non poſſe Deum cognoſcere, niſi ex creaturis, quod quidem impedimentum in anima ſeparata, & Angelo perſiſtit, nec aliter, quàm ſupernaturali Dei potentiâ tolli poteſt, non poſſumus ex illius doctrina cum fundamento colligere, poſſe animam ſeparatam, aut Angelum omninò naturaliter Deum videre, quod in particulari advertit *P. Molin. cit. & P. Gil. tom. 2. tr. 3. cap. 5. n. 3.* Rectiùs pro illâ ſententiâ citari poſſet *Baſſol. in 4. diſt. 49. quæſt. 5. art. 2.* Ubi approbat opinionem aſſerentem, præſentato objecto beatifico intellectui creato, poſſe hunc elicere viſionem cum ſolo generali Dei concurſu abſque habitu, aut elevatione ſupernaturali.

Probatur tamen prima pars concluſionis ex 77.
Clement. *Ad noſtrum. de Hæreticis.* Ubi damnantur errores Beguardorum, & Beguinarum, quos ſupra retulimus, diximusque eorum quintum in ordine eſſe, quod quælibet intellectualis natura in ſe ipſa eſt beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum & eo beatè fruendum ; quæ propoſitio cùm abſolutè, & ſine reſtrictione damnetur, de anima in quolibet ſtatu, etiam ſeparationis, intelligenda eſt ; ergo &c.

Probatur ſecunda pars circa Angelos, cæteras- 78.
quę ſubſtantias ſeparatas. Primò, ex prædicta Clement. *Ad noſtrum*, quæ etiam de Angelis videtur intelligenda, quatenùs abſolutè, & ſimpliciter damnat propoſitionem aſſerentem, quamlibet intellectualem naturam in ſe ipſa naturaliter eſſe beatam, nempè videndo Deum, ut hæretici, contra quos edita fuit definitio illa, impiè credebant ; ergo &c.

Secundò, ex pluribus teſtimoniis ſacræ Paginæ, 79.
in quibus Viſio beata univerſaliter negatur omni creaturæ, ut ad Coloſſ. 1. *Qui eſt imago Dei inviſibilis.* Et 1. ad Tim. 1. *Regi ſæculorum immortali, & inviſibili.* Et cap. 6. *Qui lucem habitat inacceſſibilem.* Et Pſal. 17. *Poſuit tenebras latibulum ſuum:* & alibi, ut ſupra vidimus *n. 67.* quæ loca, cùm abſolutè loquantur, nō ſunt ad ſolos homines reſtringenda, ſed univerſaliter intelligenda de inviſibilitate reſpectu omnis ſubſtantię creatę, etiā Angelicę ut exponunt Patres cit. apud *P. Sal. cit. & P. Gil. cit. cap. 6.* ergo &c.

Tertiò ex locis Scripturæ, quibus vita æterna, 80.
& beatitudo dicitur *gratia*, ſive dari ex gratia, nam vita æterna, & beatitudo important formaliter ſaltem inadæquatè viſionem Dei intuitivam ; atqui illa non comparatur ſolis naturæ viribus, ſed Dei dono, ut habetur ad Rom 6. *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.* Et Pſalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Quæ loca intelligenda

genda sunt universaliter, etiam respectu Angelorum ex D. Aug. *lib. 12. de Civit. cap. 9.* asserente quando in Scripturâ significatur, charitatem, gratiam, & gloriam esse dona supernaturalia, æquè id intelligendum respectu hominum, & Angelorum; ergo idem dicendum est de Visione Dei intuitiva.

81. Quartò ex authoritate Sanctorum Patrum, D. Ambr. *lib. 2. Officior. cap. 1. & lib. 2. de præparat. ad Missam, fin.* D. Aug *contr. Julian. cap. 3. & lib. 12. de Civit. cap. 9. & lib. 11. cap. 9. & lib. 10. cap. 2.* D. Nazianz. *Orat. 2. de Theolog. fin.* D. Cyrill. Hierosol. *Cateches. 6.* D. Damasc. *lib. 1. cap. 1.* D. Epiphan. *hæres. 70. apud P. Soar. P. Sal. & P. Gil. citat. cap. 4.* Qui omnes communi sententia, aut visionem Dei intellectui creato per vires naturæ absolutè negant; aut specialiter Angelis denegandum censent. Ultimò probanda erat conclusio ratione naturali, quia tamen id longiorem exigit discursum, per sequentes Sectiones Conclusionis veritas constabit.

SECTIO IV.

Vndenam proveniat impossibilitas naturalis intellectûs creati ad videndum Deum intuitivè?

82. PRima Sententia asserit intellectum creatum non posse Deum naturaliter videre intuitivè, quia forma intelligibilis ex parte objecti, quâ ipse intellectus debet constitui in actu primo ad videndum, non est ei connaturalis, seu quia Essentiæ divinæ nulla datur repræsentatio naturalis. Ita communiter Scholastici cum *D. Thom. hic quæst. 12. art. 5. Cajet. ibid. Ferrar. cum eodem D. Thom. lib. 3. contr. gent. cap. 52. Capreol. in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 1. Abul. in Matt. 5.* & plures Patres passim. In idem ferè recidit *P. Vasq. 1. part. d. 43. cap. 4. & 5.* quatenùs reducit defectum naturalem intellectûs creati ad videndum Deum in supernaturalitatem speciei impressæ intelligibilis, quam appellat lumen gloriæ. Hæc tamen sententia, licet in rigore sermonis aliquid verum asserat, ex eo tamen displicet, quia non explicat, undenam proveniat quod forma illa intelligibilis ex parte objecti non sit intellectui creato connaturalis; hoc enim inquirimus.

83. Secunda sententia tenet, intellectum creatum non posse naturaliter Deum intuitivè videre ex eo, quod conjunctio essentiæ divinæ cum intellectu creato in ratione objecti intelligibilis ex sola libera Dei voluntate pendet, neque enim intellectus potest virtute suâ, neque alicujus agentis naturalis ope illam sibi facere objectivè præsentem; ex quo infert esse simpliciter supernaturalem. Ita *Scot. in 1. dist. 3. q. 2. §. Tertiò dico.* Quem sequuntur *Tartaret. in 4. dist. 49. quæst. 17. Lychet. in 1. dist. 3. quæst. 3. ad finem.* Non placet primò, quia ex eo, quod conjunctio Essentiæ divinæ cum intellectu creato sit libera, colligit esse supernaturalem, cùm tamen solùm inferri possit, non esse necessariam. Patet in creatione, & infusione animæ rationalis in corpus organizatum, quam nemo dicit supernaturalem ex eo, quod à Deo liberè fiat, sed solùm non esse necessariam. Secundò, quia licet Scoto, ejusque Sectatoribus concedamus, cõjunctionem illam Essentiæ divinę cum intellectu creato esse supernaturalem, quod videtur significare ipse Scotus *in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 2. & in 4. dist. 49. quæst. 11. litt. H.* ut illum explicat Egitanien. *tom. 2. lib. 9. quæst. 4. §. 1. num. 11. & 12.* non proinde satis assignant rationem, cur Visio beatifica sit supernaturalis, quod inquirimus.

Tertia sententia, quam tenet Durand. *in 4. dist. 49. quæst. 2.* docet ideò intellectum creatum pro statu hujus vitæ non posse Deum intuitivè videre naturaliter, quia anima nostra nihil, nisi ex imaginatis, & sensatis intelligit, quod est ei impedimentum, ne videat in se Deum, qui remotissimus est à sensibus, tam externis, quàm internis. Cùm tamen ex hac doctrinâ sic absolutè traditâ colligi posset, quod Angeli, & anima separata possent Deum naturaliter videre; siquidem non percipiunt res ex imaginatis, & sensatis, neque intelligunt cum dependentia à sensibus, ut rectè contra ipsum arguunt *Sot. in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 4. P. Valent. 1. part. quæst. 12. punct. 3. §. Porrò Durandus. P. Vasq. 1. part. d. 41. cap. 2. num. 9.* & alii supra cit. *num. 75.* paulò inferiùs ipse Durandus *num. 24.* assignat aliud impedimentum, quod non solùm militat in anima rationali corpori conjunctâ, sed etiam separatâ, & in Angelis, quale est, quod intellectus creatus secundùm naturalem rerum dispositionem non cognoscit Deum, nisi ex creaturis, quæ cognitio satis non est, ut Deus videatur in se tundè infertur, inquit, hoc, quod est Deum se unire intellectui creato in ratione formæ intelligibilis, in ordine ad visionem sui claram, & intuitivam, prætergresso illo rerum ordine, esse donum indebitum naturæ, atque adeò quid supernaturale. Quidquid tamen sit de hac sententia: 84.

Non placet primò, quia licet verissimum sit intellectum creatum secundùm vires naturæ spectatum Deum cognoscere solùm ex creaturis, illud tamen impedimentum, si solùm oriatur ex naturali rerum ordine, & non ex aliquo defectu in ipso intellectu, ut Durandus existimat, non satis explicat naturalem insufficientiam intellectûs ad videndum Deum, ut de se constat. Secundò, quia ex hac doctrinâ sequeretur, si Deus velit se gratuitò unire intellectui creato absque dono aliquo, aut supernaturali elevatione ex parte potentiæ, posse hanc elicere visionem Dei, quod tamen cum veritate, & fortasse cum fide stare non potest, ut ex infra dicendis constabit. 85.

Quarta sententia est aliquorum Nominalium asserentium, ideò intellectum creatum non posse Deum naturaliter videre intuitivè, quia Visio beata fit à solo Deo per creationem, ex quo inferunt esse supernaturalem. Non placet, tùm quia Visio beata non fit à solo Deo, sed etiam à lumine gloriæ simul cum intellectu creato: tum quia non fit per creationem, sed per eductionem è potentiâ obedientiali, vel naturali inchoatâ subjecti, ut infra dicetur: tum etiam, quia dato, quod ita fieret, non ideò foret statim supernaturalis, ut patet in anima rationali, & scientia infusa Angelorum, quæ ab aliquibus concreari dicitur, cùm tamen neutra sit supernaturalis. 86.

Quinta sententia est aliorum, quos cum Nominalibus refert nominibus tacitis *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 9. num. 3.* quatenùs asserunt, intellectum creatum, imò & creabilem, ideò non posse Deum sic naturaliter videre, quia jam subjectum illud, in quo daretur, foret naturâ suâ impeccabile, quod tamen est contra commune Theologorum, & Sanctorum Patrum, ut ex infra dicendis constabit. Hæc sententia licet probabilis sit. 87.

88. Non placet primò, quia non assignat causam à priori, quare creatura non possit Deum naturaliter videre, quod inquirimus. Secundò, quia ut rectè arguit *P. Soar. cit. num. 6.* intelligi posset visio Dei connaturalis alicui creaturæ per speciem sibi connaturalem, quæ tamen species, & visio non necessariò darentur ab initio creationis, sed juxta dispositionem Authoris naturæ, & tunc posset creatura illa peccare illo tempore, quo non daretur ei visio Dei. Verum hæc dispositio Dei Authoris naturæ solùm esset impedimentum, ne creatura illa videret Deum, non tamen ab illa tolleret, posse naturâ suâ Deum videre, atque adeò non peccare, ex quo sequeretur, fore naturâ suâ, & remotis impedimentis, beatificabilem, & impeccabilem; sicq; prior impugnatio magis placet.

89. Sexta igitur vera, & Catholica sententia tenenda affirmat intellectum creatum non posse naturaliter Deum intuitivè videre, quia in ratione potentiæ visivæ habet incompletam, & insufficientē virtutem ad visionem Dei eliciendam. Ita communissima Theologorum sententia, quatenùs requirunt aliquid supernaturale, quo intellectus intrinsecè fiat sufficiens & completus ad eliciendam Visionem beatam, eamque tenent *D. Thom. 1. part. quæst. 12. art. 1. & 5.* ubi omnes Interpretes. *& 3. contr. gent. cap. 52. Ferrar. ibidem. Richard in 4. dist. 49. art. 3. quæst. 2. Major. quæst. 4. conclus. 3. Marsil. in 3. quæst. 10. a. 2. conclus. 2. Zumel. 1. part. quæst. 12. art. 5. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 15. num. 28. P. Sal. 1. 2. tract. 2. quæst. 3. d. 5. sect. 3. num. 49. P. Albertin. quæst. 1. corol. 1. ex 1. princip. physic.* & alii apud citatos.

90. Probatur primò ex principiis fidei, quia in Clement *Ad nostrum, de Hæreticis*, definitur necessitas luminis gloriæ elevantis animam nostram rationalem ad visionem Dei; ergo si anima rationalis elevatur ad videndum Deum, ideò est, quia in ratione potentiæ visivæ non habet virtutem sufficientem & completam ad eliciendam Dei Visionem; ergo per illam supernaturalem elevationem ad videndum aliquis defectus necessariò suppletur in potentiâ cognoscendi, cujus ratione non poterat naturaliter Deum videre intuitivè.

91. Probatur secundò ex testimoniis Sacræ Paginæ supra adductis *num. 67. 79.* & 80. quibus Deus dicitur invisibilis; & quibus gloria, & beatitudo dicitur gratia, aut dari ex gratia; nam ideò Deus dicitur invisibilis, quia ob immensitatem suæ intelligibilitatis, & excellentiæ superat aciem intellectûs creati, qui proindè ad illum videndum est insufficiens in ratione potentiæ: & ideò gloria, ac vita æterna dicitur gratia, aut dari ex gratiâ, quia ab intellectu creato ob ejus defectum, & imbecillitatem naturalem, haberi non potest per naturam, ut est communis interpretatio Sanctorum Patrum ad illa loca; ergo &c.

92. Confirmatur primò, quia ex testimoniis Sacræ Paginæ, in quibus Fides, Spes, Charitas, & plura alia opera supernaturalia, tam intellectûs, quàm voluntatis dicuntur dona Dei, aut dari, seu fieri ex gratiâ, rectè colligunt Concilia, Sancti Patres, & Theologi defectum potentiarum ad tales actus supernaturales eliciendos, & requirunt auxilia gratiæ, quibus potentiæ ad eorum productionem eleventur; ergo ob similia loca circa visionē Dei rectè colligi poterit defectus naturalis ex parte intellectûs creati in ratione potentiæ visivæ ad eandem visionem naturaliter eliciendam.

93. Confirmatur secundò, quia habitus supernaturales, & auxilia gratiæ requisita ad actus supernaturales virtutum per se infusarum ex certissimâ Theologorum sententiâ, requiruntur ex parte potentiarum ad supplendum earumdem defectum ad tales actus supernaturales eliciendos; sed visio intuitiva Dei, non minùs, imò magis supernaturalis videtur, quàm cæteri actus virtutum per se infusarum, cùm sit eorum finis; ergo à fortiori supponit in potentiâ intelligendi defectum naturalem supplendum per aliquem habitum supernaturalem ad talem visionem eliciendam.

94. Probatur tertiò ex ratione naturali cum *D. Thom. 1. part. quæst. 12. art. 4. & lib. 3. contr. gent. cap. 52.* quia modus cognoscendi sequitur modum essendi, ita ut si cognoscens sit compositum ex materiâ, & formâ, solùm intuitivè cognoscat res corporeas, & hic sit illius modus cognoscendi postulatus ab intrinseca ratione suæ naturæ: si autem sit expers materiæ & formæ, compositum verò ex genere & differentia; naturâ, & subsistentiâ; essentiâ, & existentiâ; subsistantiâ, & accidentibus, ut sunt anima separata, & Angelus, solùm cognoscat intuitivè res habentes similem conpositionem, nempè alias animas separatas, & alios Angelos, & hic sit etiam illius modus cognoscendi postulatus ex principiis talis naturæ; sed Deus nullam ex prædictis compositionibus sibi vendicat, ut alibi diximus; cùm sit actus purissimus, & simplicissimus; ergo solùm potest intuitivè cognosci à natura habente similem modum essendi, qualis est sola divina; ac proinde quælibet natura creata habet virtutem insufficientem, & incompletam ad illum videndum intuitivè.

95. Probatur major, in qua est difficultas, quia quò potentia est magis immersa in materia, eò minùs cognoscit res à materiâ abstractas; siquidem eo ipso, quod à materia abstrahunt, altiorem vendicant modum essendi, & sunt altiori modo cognoscibiles; inde enim est, quod phantasia, & sensus corporeus, tam hominis, quàm bruti, res universales, aut spirituales non cognoscunt etiam abstractivè, quia sunt potentiæ immersæ in materiâ, & ab eadem dependentes, quod non habent res universales, aut spirituales; sed compositum ex materia, & forma, etiam rationali, habet modum essendi immersum in materia, ut constat; ergo etiam sic habebit modum cognoscendi; consequenterq; non potest cognoscere intuitivè res spirituales, quæ ab eadem materia omninò abstrahunt.

96. Dicent, animam rationalem esse independentem à materia; siquidem habet propriam subsistentiam. Sed contra, quia ex hac independentia solùm probatur etiam prout est in corpore cognoscere res spirituales abstractivè, quod nullatenus contingit animæ bruti, eo quod materialis sit, & à materiâ dependens: cùm tamen illa independentia non sit omnimoda propter alligationem ad corpus, non ex illa convincitur posse res spirituales intuitivè cognoscere, & prout in se sunt. Imò etiam quando illas cognoscit abstractivè, non aliter id facit quàm repræsentando illas per modum corporis, ut experimur; quod est signum, res spirituales intuitivè, & prout in se sunt, esse extra illius sphæram, saltem connaturalem.

97. Confirmatur, quia cognitio naturaliter fit secundùm quod cognitum est in cognoscente; sed cognitum, quod est quid spirituale, non est in cognoscente composito ex materiâ, & formâ, etiam rationali, nisi ad modum ejus; siquidem omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur; ergo res spiritualis à prædicto composito cognosci non poterit, nisi ad modum corporis.

Hinc

98. Hinc, & ex hac doctrina de cognitione compositi rationalis deduci potest alia universalis ad animas separatas, & ad Angelos; nam si homo non potest intuitivè cognoscere, nisi objecta habentia similem compositionem; habentia verò abstractionem à tali compositione solùm cognoscit abstractivè: sic etiam similiter anima separata, & Angelus solùm cognoscunt intuitivè alias animas, vel Angelos habentes similem compositionem; objectum verò abstrahens ab omni prorsus compositione, qualis est solus Deus, cognoscent solùm abstractivè, quod signum est ad cognitionem illius intuitivam habere in ratione potentiæ visivæ virtutem insufficientem, & incompletam.

99. Probatur quartò, quia quælibet potentia cognoscitiva habens vim naturalem, & sufficientem, atque completam ad eliciendam cognitionem alicujus objecti, suâpte naturâ postulat formam sibi connaturalem, per quam ad illud cognoscendũ determinetur, constituaturque in actu primo ad operandum, ut videre est discurrendo per omnes potentias tam corporeas, quàm spirituales, quæ habent, aut species objectorum sibi connaturales, aut ipsamet objecta, per quæ in actu primo constituuntur; sed potentia intellectiva creata in ordine ad visionem intuitivam Dei, neque habet speciem impressam intuitivam ipsius Dei sibi cõnaturalem, per quam constituatur in actu primo, neque ipsamet Essentia divina in ratione formæ intelligibilis potest esse ipsi connaturalis, cùm sit in se maximè supernaturalis, habeatq; modum ei maximè improportionatum, ut ex supradictis probatum manet; ergo potentia intellectiva creata in ratione potentiæ visivæ Dei non habet virtutem sufficientem & completam ad illum intuitivè videndum; ac proinde hæc est ratio, ob quam non potest Deum naturaliter videre intuitivè.

100. Contra rationem D. Thom. adductam *num. 94.* insurgit *Scot. in 4. dist. 49. quæst. 11. §. 2.* ut latè referunt & defendunt *Cajet. ibid. Capreol. in 4. dist. 49. quæst. 4. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 53. Sot in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 2. & P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 9. num. 9.* ejusque argumento ibi adducit, & solvit *num. 12.* & nos jam supra solvimus *à num. 71.* quia tamen hîc specialem habent difficultatem cõtra assignatam rationem D. Thom. iterùm breviter illa adducemus, & solvemus. Igitur:

101. Objicies 1. pro Scoto: Angelus inferior cognoscit superiorem sicuti est; & tamen superior habet modum essendi nobiliorem; ergo licet Deus habeat modum essendi superiorem, intellectus creatus habebit sufficientem vim ad illum videndum sicuti est, sive intuitivè. Respondeo Angelum superiorem non habere modum essendi superioritatis respectu intellectûs Angeli inferioris, sicut habet Deus respectu intellectûs creati; siquidem Angelus habet modum compositionis ex essentiâ, & existentiâ; naturâ, & subsistentiâ; genere, & differentiâ; naturâ, & accidentibus, in quibus convenit cum Angelo inferiori in modo essendi, ideoque potest ab illo cognosci habente similem modum essendi; quod aliter est in Deo respectu intellectûs creati, ut diximus.

102. Objicies 2. Neque lumen gloriæ; neque ipsa Visio beata habent rationem actûs purissimi; & tamen sunt proxima ratio videndi Deum; ergo ratio actûs puri non est necessaria in cognoscente ad videndum Deum intuitivè. Respondeo lumen gloriæ in ratione causæ effectivæ, & visionem in ratione formæ repræsentantis concurrere ut instrumenta Dei, qui est causa principalis, ut videatur & continetur intra ordinem supernaturalem, ideoque non requiri, quod sint actus omninò puri, sed satis esse quod talis sit ipse Deus, qui est causa principalis, prout supra diximus.

103. Objicies 3. Excellentia objecti non tollit quominùs cognoscatur à potentiâ, intra cujus sphæram continetur, nisi detur aliquod impedimentum, ut patet in luce Solis, quæ solum desinit videri à noctuâ, quia ob suam intensionem dissolvit temperamentum organi, mediante calore; sed Deus continetur intra sphæram intellectûs creati; ergo illius excellentia in tantùm obest quominùs videatur, in quantùm intellectus non potest illum cognoscere, nisi per medium cognitum inferioris ordinis. Respondeo excellentiam objecti in ordine supernaturali constituti, ut constituitur Deus, tollere, saltem secundùm ordinem naturæ, cognitionem sui; & hanc esse propriam Dei respectu intellectûs creati secundùm vires naturæ spectati, ut supra probavimus, non verò impedimentum naturale appositum, licet hoc impediat potentiam videndi in noctuâ respectu lucis solaris, ut in argumento rectè probatur, & nos etiam supra diximus.

104. Objicies 4. Si modus cognoscendi, prout dicitur, sequitur necessariò modum essendi, etiam sequetur, intellectum humanum, aut Angelicum posse cognoscere res spirituales supernaturales; siquidem similem sibi vendicant modum essendi; ergo etiam sic poterunt Deum cognoscere. Respondeo negando sequelam, saltem de modo cognoscendi virtute naturali; siquidem res supernaturalis, eo ipso quod talis est, neque seipsa est proportionata intellectui creato naturaliter spectato; alioqui jam supernaturalis non esset, neque talem ex se speciem diffundit ad sui cognitionem.

105. Objicies 5. Si modus essendi inferioris conditionis est in causa, quominùs intellectus creatus non habeat vim completam ad videndum clarè Deum, sequitur non posse illum videre, etiam si elevetur; siquidem phantasia, quia habet modum inferiorem essendi, neque per divinam potentiam potest res universales, & spirituales attingere; sequela autem non est admittenda, utpotè contra fidem; ergo &c. Respondeo negando sequelam, ad cujus probationem datur diversa ratio, nam inter phantasiam, & res universales, aut spirituales datur major improportio, quàm inter intellectum creatum, & Deum clarè visum; siquidem intellectus naturaliter attingit Deum, saltem confusè, quod signum est, non esse extra illius objectum, saltem adæquatum, prout supra, & alibi sæpè diximus: at verò phantasia nullâ ratione, neque confusè attingit res universales, aut spirituales in se, quod signum est, has excludi ab illius objecto, etiam adæquato, ut Philosophi probant, ideoque non posse illas attingere, neque per divinam potentiam, per quam ipsæ potentiæ non possunt ferri extra suum objectum.

SECTIO

SECTIO V.

Vtrùm impoßibilitas naturalis intellectûs creati ad videndum Deum ab eo proveniat prout eſt potentia paßiva?

105. ADVERTES, impoſſibilitatem naturalem, ſive incompletionem intellectûs creati ad videndum Deum in ratione potentiæ paſſivæ, aut provenire poſſe ex eo, quod intellectus indigeat ſupernaturali elevatione, ſeu lumine ad recipiendam Eſſentiam divinam in ratione formæ intelligibilis: aut ex eo, quod prædicta elevatio ſit eidem neceſſatia ad recipiendam in ſe viſionem Dei intuitivam; ſicque in utroque ſenſu agitandam eſſe præſentem quæſtionem: Pro quâ:

107. Dico 1. Impoſſibilitas naturalis, ſive incompletio intellectûs creati ad videndum Deum in ratione potentiæ paſſivæ provenit ex eo, quod indigeat ſupernaturali Dei elevatione, ſeu lumine gloriæ ad reçipiendam Eſſentiam divinam in ratione formæ intelligibilis; ſicque ex hoc capite datur in intellectu creato incompleta virtus ad videndum Deum. Ita *D. Thom. 1. part. quæſt. 12. art. 5. Cajet. Capreol. Ferrar.* quos citat & ſequitur *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 15. num. 21. P. Valent. 1. part. quæſt. 12. punct. 3. §. His igitur opinionibus, P. Molin. 1. part. quæſt. 12. art. 2. d. 2. & art. 5. d. 1. P. Albertin. q. 1. Theolog. ex 1. princip. phyſic. dubit. 3. num. 21. Piſant. 1. part. quæſt. 12. art. 5. d. 1. notab. 1. & 3. Zumel. 1. p. quæſt. 12. art. 5. quæſt. 1. ad 9. Ægidius Luſitan. tom. 2. lib. 9. quæſt. 5. art. 8. §. 3. Albert. 1. part. ſumm. tract. 3. quæſt. 15. memb. 3. art. 2. Alenſ. 2. part. quæſt. 24. memb. 1.* & alii quos citat & ſequitur *P. Gil. tom. 2. tract. 3. cap. 10. num. 10. & apud illum D. Dionyſ cap. 1. de Divin. Nom. & D. Nazian. orat. 4. de Theologia.*

108. Probatur primò, quia intellectus creatus conſtituitur in actu primo ad viſionem Dei per Eſſentiam divinam in ratione formæ intelligibilis, ut infra dimus; ſed non poteſt ſic in actu primo conſtitui abſque ſupernaturali diſpoſitione, ſeu lumine; ergo &c. Probatur minor, quia potentia non conſtituitur in actu primo reſpectu objecti cognoſcendi, niſi in ratione potentiæ ſit completa; ſed intellectus creatus in ratione potentiæ viſivæ Dei non eſt completus abſque ſupernaturali elevatione, ſeu lumine; alioqui ipſi connaturaliter reſponderet alterum comprincipium in ratione objecti, qualis eſſet Eſſentia divina, aut ejus ſpecies impreſſa, prout ſupra diximus, & infra dicemus; ergo neceſſaria eſt ſupernaturalis diſpoſitio, ſeu lumen, ut intellectus fiat habilis ad recipiendam Eſſentiam divinam in ratione formæ intelligibilis.

109. Probatur ſecundò, quia ut Eſſentia divina uniatur intellectui creato in ratione formæ intelligibilis ad eliciendam viſionem, requirit alterum comprincipium in ratione potentiæ, per quod ipſa potentia non ſolùm compleatur, ſed etiam proportionetur in ratione potentiæ ad ipſam viſionem eliciendam; ſed intellectus creatus abſque lumine ſupernaturali neque eſt completus, neque proportionatus in ratione potentiæ viſivæ Dei; alioqui connaturaliter poſtularet ipſam Dei viſionem, illamque attingeret, & eliceret propriâ virtute, ut per ſe patet, quod tamen non eſt dicendum; ergo &c. Confirmatur, quia intellectus creatus cum Eſſentia divina in ratione formæ intelligibilis exercet munus concauſæ ſupernaturalis reſpectu viſionis beatæ; ſed ut talis ſit neceſſarium eſt lumen, ſeu elevatio ſupernaturalis; ergo etiam, ut Eſſentiam Divinam recipiat, ſeu ſibi uniat in ratione alterius concauſæ.

110. Oppoſitam ſententiam aſſerentem, non eſſe neceſſariam ſupernaturalem Dei elevationem, aut lumen gloriæ ad recipiendam Eſſentiam divinam in ratione formæ intelligibilis, ſicque ex eo capite non dari in intellectu creato virtutem incompletam ad videndum Deum, tenuerunt *Durand. in 4. diſt. 49. quæſt. 2. art. 2. num. 22. 23. & 24. Baſſol. ibid. quæſt. 1. art. 5. §. Ad rationes aliorum, & q. 5. art. 2. §. Sed quantum. & in 3. diſt. 14. quæſt. 1. art. 1. §. Neutram. Palat. d. 1. ad finem. P. Vaſq. 1. part. d. 43. cap. 4. num. 1. & cap. 5. à num. 17.* Et eſt de mente eorum, qui aſſerunt unionem objectivam Eſſentiæ divinæ cum intellectu creato fieri per ſolam indiſtantiam illius ab intellectu creato. Pro quibus:

111. Argues 1. Ideò neceſſarium eſſet lumen, aut diſpoſitio ſupernaturalis, ut Eſſentia divina uniretur intellectui creato in ratione formę intelligibilis, quia Eſſentia divina habet rationem formæ ſupernaturalis; ſed hæc ratio non cõvincit: tùm quia cœteræ formę ſupernaturales, ut in ſubjectis recipiantur, non indigent diſpoſitione ſupernaturali: tùm etiam quia illâ nõ indiget ipſum lumen gloriæ, neq; quævis alia diſpoſitio ſupernaturalis; alioqui daretur proceſſus infinitus, ut conſideranti patebit; ergo &c. Reſpondeo negando minorem: diſpoſitio enim illa eſt neceſſaria, quia Eſſentia divina in ratione formæ intelligibilis eſt forma ſupernaturalis extrinſecè aſſiſtens, & requirens alterum comprincipium ſibi proportionatum, ſicque ſupernaturale; non autem quia eſt forma intrinſecè inhærens, quales ſunt cœteræ formæ ſupernaturales, & ipſum lumen gloriæ, quæ propterea non requirunt in ſubjecto alias diſpoſitiones ſimiliter ſupernaturales, ut intendebat argumentum.

112. Argues 2, Eſſentia Divina reſpectu intellectûs beati non eſt forma ei inhærens, ſed extrinſecè tantùm aſſiſtens, quæ non recipitur, neque ſuſtentatur à ſubjecto, nempè intellectu; ergo non requirit in eo diſpoſitionem ſupernaturalem, ut ei prout ſic extrinſecè conjungatur. Reſpondeo dato antecedente, negando conſequentiam, quia licet Eſſentia divina non recipiatur, neque ſuſtentetur ab intellectu, illum tamen requirit ut comprincipium ſibi proportionatum ad eliciendam viſionem beatam, quale eſſe non poteſt abſque diſpoſitione ſupernaturali.

113. Argues 3. Si daretur ſpecies impreſſa intuitiva Dei, ſe ſola abſque diſpoſitione, aut lumine ſupernaturali concurreret cum intellectu ad viſionem Dei eliciendam; ſed Eſſentia divina in ratione formæ intelligibilis ſupplet defectum talis ſpeciei; ergo &c. Reſpondeo negando majorem: eadem enim eſt ratio de ſpecie impreſſa Dei, ſi hæc eſt poſſibilis, de quo infra, atque de Eſſentia divina.

114. Argues 4. Unio objectiva Eſſentiæ divinæ cum intellectu Beati ſolam dicit indiſtantiam objecti ab ipſo intellectu; ſed ad hanc nulla eſt neceſſaria diſpoſitio; ſiquidem unus Angelus poteſt ſe facere localiter indiſtantem ab alio Angelo, ut ab illo intelligatur, abſque ullâ diſpoſitione, aut lumine; ergo à fortiori id poterit Eſſentia divina, quæ ratione ſuæ

suæ Immensitatis est ubique. Respondeo negando minorem: licet enim ad indistantiam absolutè non sit necessaria dispositio aliqua: talis tamen dispositio necessaria est ad indistantiam, quæ requiritur ad faciendum unum principium adæquatum Visionis beatæ, qualis est illa, quæ datur in Essentia divina respectu Intellectûs beati, quando ei unitur in ratione formæ intelligibilis. Ad probationem de Angelo dicimus, nullam habere vim; licet enim Angelus alterius intellectui uniatur in ratione formæ intelligibilis (quod aliqui minùs probabile dicunt in materia de Angelis) hujusmodi unio supponit intellectum Angeli intelligentis completum in ratione potentiæ, & connaturaliter proportionatum ad visionem alterius Angeli, qualis non supponitur intellectus creatus ad visionem intuitivam Dei, ut diximus.

115. Quoad quæstionem in secundo sensu: Utrùm scilicet necessaria sit supernaturalis elevatio in intellectu creato ad recipiendam in se Visionem beatam, sicque ex eo colligatur impossibilitas naturalis, sive incompletio illius in ratione potentiæ passivæ ad visionem Dei? variè varii sentiunt. Prima sententia absolutè affirmat, supernaturalem Dei elevationem, seu lumen gloriæ necessarium esse veluti dispositionem, ut intellectus creatus in se recipiat Visionem beatam. Ita *Major in 4. dist. 49. quæst. 4. §. Ita argumenta. Carthus. in 3. dist. 14. q. 1. fine. Cajet. 1. part. quæst. 12. art. 5. Cabrer. 3. part. quæst. 9. art. 2. d. 8. conclus. 1. Ledesma de divin. perfect. quæst. 8. art. 8. conclus. 4. P. Sal. 1. 2. tom. 1. tr. 2. quæst. 3. de 5. sect. 3.* & alii, qui tamen variis modis illam dispositionem, ejusque necessitatem explicant.

116. Primus eorum modus asserit, prædictam elevationem, seu lumen esse dispositionem talis conditionis, ut in ea recipiatur immediatè Visio beata, eo modo, quo dispositiones substantiæ materialis recipiuntur immediatè in quantitate. Secundus modus tenet, Visionem beatam immediatè recipi in toto composito ex intellectu, & lumine, quem modum non improbat *P. Sal. cit. sect. 4.* quatenùs dicit, non esse inconveniens, si ita dicamus: illumque dicit P. Soar. probabilem *lib. 2. de Attrib. cap. 15. num. 27.* Tertius modus defendit, Visionem beatam recipi immediatè, non in lumine, sed in intellectu, ita tamen ut ipsum lumen requiratur quasi dispositio extrinsecè disponens, sicut requiritur lux tanquam dispositio extrinseca, ut oculus corporeus suam eliciat visionem, & recipiat: & hunc modum probabilem dicit *Cabrer. cit. concl. 2.* Quartus modus affirmat, quamvis lumen gloriæ sit dispositio ad Visionem beatam, ad eam tamen non disponere primò, & per se, sed consequenter, & secundariò, quatenùs primò disponit ad recipiendam divinam Essentiam; & consequenter ad recipiendam visionem tanquam actum secundum; & hunc modum refert *Navarret. tom. 1. contr. 28. §. 2.* & approbat *Ledesma citat. §. Itaque.*

117. Probari potest prædicta sententia: Primò, quia potentiæ supernaturali activæ debet respondere supernaturalis passiva; sed hæc non apparet præter lumen gloriæ, quod se habet ex parte intellectûs tanquam dispositio ad recipiendam Visionem beatam, quam ipse intellectus activè producit; ergo &c. Secundò, quia non minùs improportionatus est intellectus ad recipiendam in se passivè Visionem beatam, quàm ad illam activè producendam; sed ad illam producendam requirit lumen gloriæ ut principium productivum; ergo ad illam recipiendam etiam illud postulabit, saltem per modum dispositionis receptivæ. Tertiò, quia lux corporalis necessaria est tanquam dispositio, tum ut objectum visibile ex se mittat speciem; tùm ut medium, ut organum visûs illam recipiat; ergo etiam lumen gloriæ erit dispositio necessaria, tum ut intellectus Visionem beatam eliciat, tum ut illam recipiat.

118. Secunda sententia docet, necessariam esse supernaturalem Dei elevationem, seu lumen gloriæ ad recipiendam Visionem beatam, non ut dispositionem, sed tanquam aliquid omninò necessarium, ut illa in intellectu recipiatur. Ita *Navarret. cit. Lorca 1. 2. d. 31. memb. 1. §. 2.* Probatur primò ex Lorca, quia lumen gloriæ in communi sententia necessarium est ut suppleatur naturalis insufficientia, & defectus virtutis naturalis, qui datur in intellectu creato ad eliciendam Visionem beatam; sed similis insufficientia & defectus visitur in eodem intellectu ad illam recipiendam; ergo etiam ad hunc defectum supplendum necessaria erit elevatio, seu lumen gloriæ, non autem ut dispositio.

119. Probatur secundò ex Navarret. quia lumen gloriæ requiritur tanquam actus medius comparatione Visionis beatæ, quæ est actus ultimus; ergo non est dispositio simpliciter, siquidem dispositio non cõpletur per formam; lumen verò completur per ipsam visionẽ; sicut habitus perficitur per actum.

120. Tertia nihilominùs sententia, quam sequimur, probabilior est, pro qua: Dico 2. Supernaturalis elevatio, seu lumen gloriæ non est necessarium tanquã dispositio ad recipiendam visionem beatam, ut affirmabant Doctores primæ sententiæ. Ita *Durand. in 4. dist. 49. q. 2. n. 22. & 23. Scot. quæst. 11. litt. E. conclus. 1. Capreol. quæst. 4. art. 3. ad 1. Hispalens. quæst. 4. art. 4. Soncin. quæst. 4. ad 1. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 54. P. Molin. 1. part. quæst. 12. art. 5. d. 1. P. Vasq. 1. part. d. 43. cap. 1. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 15. à num. 24.* & probabiliorem dicit *P. Sal. cit. Pesant. art. 5. d. 1. §. Utrùm lumen. Ripa ibid. dub. 1. & alii apud P. Gil. tom. 2. tract. 3. cap. 8. num. 4.*

121. Probatur, quia si elevatio supernaturalis, seu lumen gloriæ esset necessarium tanquam dispositio materialiter concurrens ad recipiendam Visionem beatam, aut id præstaret ut potentia immediatè, & totaliter receptiva Visionis beatæ, ut se habet quantitas respectu accidentium materialium (si hæc in illa immediatè recipiuntur, de quo jam in Physica;) aut ut subjectum partiale immediatè recipiens cum intellectu ipsam visionem; aut ut dispositio extrinsecè disponens, sicut se habet lux respectu visionis oculi corporei; aut denique ut dispositio secundaria, quatenùs scilicet primò disponit ad recipiendam Essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis, & consequenter ad visionem tanquam ad actum secundum, siquidem hi sunt omnes modi concurrendi per modum dispositionis, ut supra diximus *num.* 116. sed nullo ex prædictis modis id præstare potest; ergo &c.

122. Probatur minor quoad primum, quia de ratione actûs vitalis, & immanentis est, ut recipiatur immediatè in potentia vitali, à qua primò & immediatè elicitur, ut omnes fatentur; sed Visio beata est actus vitalis, & immanens elicitus ab intellectu creato immediatè, ut infra dicemus; ergo in illo debet immediatè recipi, & non in solo lumine.

123. Probatur quoad secundum: primò, quia inauditum est in Philosophia, posse unam, & eandem numero qualitatem, qualis est Visio beata, immediatè recipi naturaliter in duobus subjectis, etiam partialibus realiter distinctis, ut distinguuntur intellectus creatus, & lumen gloriæ. Secundò, quia

quia actio vitalis suâptè naturâ postulat recipi in solo principio vitali, qualis est sola potentia; ergo neque partialiter recipitur etiâ in lumine. Tertiò, & efficaciùs, quia cæteræ actiones supernaturales, tam intellectûs, quàm voluntatis, non recipiuntur immediatè, neque partialiter, in habitibus supernaturalibus; siquidem sæpè accidit, illas elici ab intellectu, & voluntate priùs naturâ, atque etiam tempore, quàm ipsarum habitus supernaturales infundantur, ut suppono ex materia de gratia; ergo idem dicendum de visione respectu luminis gloriæ.

124. Probatur quoad tertium: primò, quia si analogia lucis corporalis requisitæ ad recipiendas species objecti visibilis, & eliciendam illius visionem, satis esset ad probandam necessitatem luminis gloriæ ad Visionem beatam, probaret similiter necessarium esse lumen creatum naturale distinctum ab intellectu possibili; tum ad recipiendas species intelligibiles; tum etiam ad recipiendas naturales intellectiones; quod est inauditum in Philosophiâ. Secundò, quia si tradita doctrina de analogiâ lucis corporalis vera esset in visione beata; similiter locũ haberet in fide, sapientiâ, scientiâ, consilio & intellectu, cùm sint intellectiones similiter supernaturales; sed hoc dici non potest; siquidem prædictæ cognitiones supernaturales sæpè elici, & recipi solent in intellectu priùs naturâ, atque etiam tempore, quàm infundantur earum habitus, absque eo, quod in intellectu detur elevatio antecedens, quæ illos suppleat; nullus enim ex Doctoribus illam requirit; ergo &c.

125. Probatur quoad quartum, quia lumen gloriæ concurrit tanquam dispositio ad recipiendam Essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis extrinsecè assistentis; Visio autem, cùm sit actio immanens, non potest esse forma extrinsecè assistens; siquidem debet intrinsecè recipi in eadem potentia, à quâ elicitur; ergo lumen gloriæ non potest ut sic esse dispositio mediata ad visionem.

126. Dico 3. Supernaturalis elevatio, seu lumen gloriæ non est necessarium, tanquam aliquid omninò requisitum, ut Visio beata in intellectu recipiatur, licet aliundè non sit dispositio propriè dicta, ut docebat secunda sententia Ita Doctores proximè cit. Probatur, quia aut lumen gloriæ esset prout sic necessarium ad supplendam insufficientiam, & defectum naturalem intellectûs ad visionem recipiendam, ut asserebat Lorca: aut tanquam actus medius ad recipiendum actum ultimum, ut dicebat Navarrete: Non primum; siquidem cæteri actus supernaturales, tam intellectûs, quàm voluntatis recipiuntur in suis potentiis, quin omninò requirant habitum supernaturalem, ut probavimus *numer. 124.* ergo neque illum sic requiret Visio beata: Non secundũ; siquidem fictitia, imò & inintelligibilis est ratio illa actus medii, & ultimi excogitata à Navarrete; ergo &c. Ex dictis satis patet, quid respondendum sit ad argumenta primæ sententiæ adducta *num. 117.* Neque enim necessarium est ut potentiæ supernaturali activæ respondeat passiva etiã supernaturalis, ut communiter admitti solet. Ad illud, quod lumen necessarium sit ut dispositio receptiva ad visionem recipiendam, ut dicitur in secundo argumento, jam patet solutio ex dictis *num. 12. & 123.* Ad illud de luce corporali, quod adducitur in tertio argumento, patet etiam solutio ex dictis *num. 124.*

SECTIO VI.

Utrùm prædicta impossibilitas naturalis intellectûs creati sit in eum reducenda, prout est potentia activa?

HActenùs diximus qua ratione impossibilitas, seu defectibilitas intellectûs creati ad videndum Deum intuitivè ab eodem proveniat ut est potentia solùm passiva, explicandum nunc superest: utrùm in eundem reduci debeat, prout est potentia activa, seu elicitiva Visionis beatæ? 127.

Conclusio sit: Impossibilitas, defectibilitas, sive insufficientia naturalis intellectûs creati ad Visionem Dei intuitivam, reducenda est in ipsum intellectum prout est potentia activa. Ita omnes qui asserunt ad eliciendam Visionem beatam necessarium esse lumen gloriæ, vel auxilium supernaturale, quo potentia corroboretur, elevetur, & confortetur ad eam eliciendam, quos supra jam citavimus *num. 89.* & infra citabimus *d. 3. num. 119.* cùm de necessitate luminis gloriæ egerimus. Pro eadem sententia stant etiam, qui potentiam activam intellectûs ad visionem Dei appellant merè obedientialem; consequenterque incompletam in ratione talis potentiæ, quos inter speciatim est *P. Soar. in Met. d. 30. sect. 11. num. 46. & tom. 1. in 3. part. d. 22. sect. 1. §. Licet fortasse.* & latiùs *d. 31. sect. 6. & lib. 2. de Attrib. cap. 10 num. 14. & cap. 21. num. 8. P. Sal. 1. 2. quæst. 3. tract. 2. d. 5. sect. 7. num. 92.* 128.

Probatur primò, quia intellectus creatus in ratione potentiæ visivæ Dei est insufficiens, & incompletus, ut tanquam certum ex principiis fidei probavimus supra à *num. 90.* aut igitur in ratione potentiæ passivæ est sufficiens, & completus: aut incompletus, & insufficiens: Si primum; ergo saltem in ratione potentiæ activæ erit insufficiens, & incompletus, ut prout sic verificetur sententia, de qua loco proximè citato: Si secundum; ergo semper in ratione potentiæ activæ est incompletus, & insufficiens, quod sic probo: Aut intellectus in ratione potentiæ passivæ est insufficiens, & incompletus ad recipiendam Visionem beatam: aut ad susciendam Essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis: Si primum; ergo etiam talis erit in ratione potentiæ activæ ad eandem producendam; siquidem causalitas activa est nobilior passivâ; ergo si non est passivè completus, neque à fortiori activè. Si secundum; ergo etiam talis erit in ratione potentiæ activæ; nam ideò est incompletus, & insufficiens ad recipiendã Essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis, quia in ratione potentiæ est improportionatus ad illam prout sic recipiendam juxta superiùs dicta; sed præstantior est activa productio, quàm passiva receptio; ergo à fortiori erit improportionatus, consequenterque incompletus ad visionem producendam. 129.

Probatur secundò, quia intellectus, & voluntas sunt insufficientes, & incompleti in ratione potentiæ activæ in ordine ad eliciendos actus supernaturales in via, utpote quos elicere non possunt absque habitu vel auxilio supernaturali potentiam elevante; ergo idem dicendum de intellectu in ordine ad eliciendam Visionem beatam in patriâ. 130.

Probatur

Probatur antecedens: primò, quia actus fidei, cùm sit in entitate supernaturalis, ut est Visio beata, ut eliciatur, requirit habitum, vel auxilium supernaturale, quo potentia elevetur, factâ etiam propositione objecti materialis credendi, & formalis, quæ est revelatio divina. Secundò, quia dona Spiritus Sancti, nempè sapientia, scientia, intellectus, & consilium, qui etiam sunt actus supernaturales intellectûs, præter species objecti repræsentativas, requirunt etiam habitus supernaturales, ut docent Theologi. Tertiò, quia amor beatificus, cùm non sit minùs supernaturalis, quàm Visio beata, præter species proponentes objectum beatificum, requirit habitum, quo cõpleatur in ratione potentię effectivè attingentis tale objectũ. Quartò, quia omnes alii actus voluntatis supernaturales, qui habentur in via, præter species proponentes objecta, quas prærequirunt, etiam requirunt habitum, vel auxilium supernaturale, ut talia objecta effectivè attingant; ergo idem dicendum de Visione beata, cùm non sit actus minùs supernaturalis.

131. Dicent, licet à Theologis communi consensu requirantur prędicti habitus supernaturales ad supplendum defectum, & insufficientiam potentiarum, non proindè tamen constare, dentur ne ad supplendum defectum potentiæ passivæ potiùs, an activæ. Sed contra, quia aut tales habitus dantur ad supplendum defectum potentiæ activæ; aut passivæ: Si primum; ergo habemus intentum: si secundum; ergo si passiva in ordine ad actum supernaturalem est incompleta, à fortiori talis erit potentia activa, cùm hæc sit nobilior, prout supra diximus *num. 129.*

132. Probatur tertiò ex *D. Thom. lib. 3. contr. gent. cap. 52. Henrico quodlib. 4. quæst. 9. Capreol. dist. 49. q. 4. art. 1. apud P. Gil. tract. 3. cap.* II. *à num. 5. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 9. num.* II. quia quandocunque aliqua potentia in ratione potentiæ, seu concausæ effectivæ, est sufficiens, & completa in ordine ad eliciendam cognitionem alicujus objecti, eidem correspondet necessariò, & connaturaliter alia concausa ex parte objecti, per quam constituatur in actu primo, sive illa sit ipsummet objectum cognoscendum, sive species impressa loco illius, ut manifestum est discurrendo per omnes potentias, sive corporales, sive spirituales; sed potentiæ intellectivæ creatæ in ordine ad visionem beatam eliciendam, non debetur connaturaliter altera concausa ex parte objecti, sive hæc sit aliqua species impressa, (de quo infra,) sive ipsa Essentia divina, cùm utraque sit supernaturalis, sicque indebita; ergo ad Visionem beatam eliciendam non habet virtutem adæquatam, & completam in ratione potentiæ.

133. Probatur quartò ex *P. Soar. proximè num. 7. P. Sal. t. 2. tract. 2. d. 3. sect. 2. num. 17. & 18. P. Albertin. quæst. 1. Theolog. ex 1. princip. phys. dub. 2. à num. 5. P. Gil. proximè à num 6.* quia cujuslibet cognoscentis cognitio est secundùm modum suæ naturæ, juxta illud proloquium in Philosophia receptum: *Modus cognoscendi sequitur modum essendi:* quod in eo præcipuè verificatur, ut si cognoscens corporeum sit, solùm res corporeas intuitivè cognoscat, spirituales verò solùm abstractivè, & per modum corporis: si cognoscens sit compositum, solas res compositas intuitivè cognoscat; si verò aliqua sit omnis compositionis expers, sub illius objectum, saltem connaturale, intuitivè non cadat, sed ad summum abstractivè, & concepta adinstar rei compositæ, cujus rationem, & exempla supra adduximus à *num. 94.* Sed Deus clarè visus, cùm sit actus in se purissimus, omni prorsùs compositione caret, ut ibidem diximus; ergo non potest intuitivè cognosci, nisi à natura, quæ similem habeat modum essendi; alioqui semper cum aliqua compositione concipietur; sed hujusmodi natura est sola divina; ergo Deus intuitivè cognitus superat facultatem naturalem intellectûs creati, idque non solùm ad recipiendam, sed etiam ad eliciendam Visionem beatam.

Opposita sententia tribui potest *Durand. in 4. dist. 49. quæst. 2. num. 24.* quatenùs impotentiam naturalem intellectûs creati ad videndum Deum in eo solùm collocat, quod Deum non cognoscat, nisi ex rebus creatis, & sensatis; & hoc sit ei impedimentum, ne Deum in se videat, prout supra diximus *num. 84.* quo impedimento divinitùs sublato, existimat, statim intellectum creatum elicere Visionem beatam absque lumine, aut concursu alio supernaturali ex parte potentiæ, quo apertè significat dari in eodem intellectu virtutem elicitivam completam Visionis beatæ. 134.

Pro eâdem sententia stat *Major in 4. dist. 49. quæst. 4. ad argum. 3. contr. 3. conclus.* nec dissentit. *Scot. supra cit. num. 83.* dato, quod existimet, supernaturalitatem Visionis beatæ collocandam dumtaxat in eo, quod conjunctio Essentiæ cum intellectu creato à sola libera Dei voluntate pendeat absque alio supernaturali concursu ex parte potentiæ, prout diximus loco proximè citato; quæ opinio eidem tribui solet *in quodlib. quæst. 14. art. 2. & in 1. dist. 3. quæst. 2. cum Lychet.* Pro illa etiam videtur stare *P. Vasq. 1. part. d. 43. cap. 5.* dum latè probat, si Essentia divina concurrat ad Visionem beatam loco speciei impressæ, superfluum fore lumen gloriæ ex parte potentiæ, cùm satis sit concursus supernaturalis Essentiæ, qui solùm est ex parte objecti, quo dato benè ex eo infertur, intellectum creatum in ratione potentiæ habere efficaciam completam respectu Visionis beatæ, licet ipse P. Vasq. illam appellet incompletam, quatenùs ex se est indeterminata ad quodlibet ens intelligendum, quoad usque per speciem objecti determinetur, & compleatur: Pro illo tamen: 135.

Objicies: Plures causæ propriæ, & proximæ, etiam invicem ordinatæ, non possunt concurrere ad eundem effectum, nisi singulis in effectu producto respondeat peculiaris aliqua ratio saltem virtualiter distincta, ut patet in Visione albi v. g. quæ duas rationes includit virtualiter distinctas, quarum prima est, quod sit visio, & respondet potentiæ videndi, non autem speciei impressæ resultanti ab objecto, & concurrenti cum ipsa potentia ad eliciendam visionem; secunda verò, quod sit albi, quæ ita respondet speciei impressæ emissæ ab objecto, ut potentiæ prout sic respondere non possit, sicque de aliis exemplis: atqui si ad Visionem beatam concurrant simul Essentia divina loco speciei impressæ, potentia intellectiva, & lumen gloriæ, deberet singulis respondere sua peculiaris ratio virtualiter distincta in ipsa visione producta, quod tamen est falsum; siquidem nulla datur specialis ratio, quæ respondere possit lumini gloriæ; ergo illius concursus ad visionem est omninò superfluus; consequenterque in potentia concurrente cum sola essentia datur virtus adæquata, & completa ad visionem eliciendam. 136.

Probatur minor quoad secundam partem; major enim, & consequentia sunt manifestæ, quia in Visione beata triplex est ratio virtualiter distincta: prima cognitionis, seu intellectionis: secunda esse talis objecti, nempè beatifici: tertia claritatis, seu 137.

evidentiæ, ſecundùm quam dicitur intuitiva, & quidditativa, ſed nulla ex his reſpondet lumini gloriæ: ſiquidem prima reſpondet potentiæ intellectivæ: ſecunda eſſentiæ concurrenti loco ſpeciei: tertia eidem eſſentiæ; ſiquidem cùm non ponatur loco cujuslibet ſpeciei, ſed ſpeciei quidditativæ, & intuitivæ, ſuâptè naturâ facit videre Deum ſicuti eſt; ergo cùm præter aſſignatas rationes nulla alia detur in viſione, quæ poſſit lumini gloriæ reſpondere, vel auxilio ſupernaturali elevanti potentiam in ratione potentiæ elicitivæ illius; neque enim ſupernaturalitas viſionis eſt ſpecialis ratio, cujus ratione requiri debeat tale lumen, ſive auxilium; ſiquidem eo ipſo, quod viſio eſt clara, & intuitiva Dei, producituŕque ab Eſſentia loco ſpeciei ut emiſſæ ab objecto ſupernaturali, ſupernaturalis evadit, ut per ſe patet; ergo &c.

138. Reſpondeo primò majorem eſſe veram, quando plures illæ cauſæ ita concurrunt, ut ſingulæ ſint in ſuo genere completæ, & adæquatæ; tunc enim ſingulis reſpondent ſingulæ rationes, ſaltem virtualiter diſtinctæ in effectu producto, ut ſit in exemplo adducto cognitionis albi, in quo tam ſpecies, quàm potentia ſunt in ſuo genere cauſæ completæ: non ita verò quando fuerint in ſuo genere incõpletæ, ut in productione Viſionis Beatæ ſunt intellectus, & lumen gloriæ; nam ſeorſim ſunt in ratione potentiæ cauſæ incompletæ, & inadæquatæ illius; adæquata autem, & completa, quando ſimul illam producunt; ſicque mirum non eſt, quod lumini non reſpondeat ratio aliqua ſpecialis in effectu diſtincta ab ea, quæ potentiæ reſpondet.

139. Reſpondeo ſecundò negando minorem quoad ultimam partem, & conſequentiam probationis illius etiam quoad ultimam partem, falsò enim exiſtimat P. Vaſquez ſupernaturalitatem Viſionis beatæ reduci poſſe ad ſolum concurſum Eſſentiæ concurrentis loco ſpeciei; neceſſariò enim concurrere debet aliquid ſupernaturale ex parte potentiæ, ſive id ſit lumen, ſive auxilium peculiare, ut ex hoc duplici principio ſupernaturali cauſetur in effectu ſupernaturalitas, quæ ex quolibet ſeorſim, quia eſt incompletum, prodire non poteſt, ut ex infra dicendis conſtabit.

140. Addo, quia ſi ratio illa P. Vaſq. aliquid probaret, etiam concluderet, ſuperfluum eſſe lumen, habitum, ſive auxilium ſupernaturale ex parte potentiæ ad producendum quemlibet alium actum ſupernaturalem, tam intellectûs, quàm voluntatis; ſiquidem cùm ratio cognitionis, & volitionis ſufficienter reſpondeat potentiæ; ratio verò ſupernaturalitatis, & quod ſint talis, vel talis objecti, ſatis reduci poſſit ad propoſitionẽ objecti per ſpecies impreſſas, aut per actum intellectûs, vel voluntatis exercitã, non datur in effectu producto prædicatum aliquod peculiare, quod lumini, habitui, ſive auxilio ſupernaturali reſpondeat; ſed hoc argumentum non probat in aliis actibus ſupernaturalibus; ergo neque in Viſione beata. Scio *P. Vaſq. cit. cap. 5. num. 21.* ad propoſitam inſtantiam ſaltem in actibus fidei reſpondere; cùm tamen illius reſponſio non multùm urgeat, debeatque reſpondere in aliis actibus ſupernaturalibus, ab ea confutanda abſtineo.

SECTIO VII.

Vrùm poſsibilis ſit ſubſtantia intellectualis creata, cui connaturalis ſit viſio intuitiva, & clara Dei?

Actenùs probavimus, non poſſe intellectum creatum, qui de facto datur, naturaliter Deum videre, quia in ratione potentiæ Deum intuitivè videntis virtutem habet inſufficientem, & incompletam; nunc in præſenti Sectione inquirendum nobis eſt: utrùm ſaltem de potentia Dei abſoluta poſſibilis ſit ſubſtantia aliqua intellectualis in prædicta ratione videndi Deum habens ſufficientem, & completam virtutem naturalem, ſeu cui debita & connaturalis ſit Viſio beata? Hanc licet quæſtionem jam tractaverimus in *Met. tract. 1. d. 3. à num. 499.* quia tamen adeò præcipua eſt in hac materia, minimè prætermittendam judicavimus: Pro quâ: 141.

Advertendum eſt, illi ſubſtantiæ dici poſſe connaturalem Viſionem beatam, quæ ſuâptè naturâ talis fuerit, ut poſito tantùm univerſali concurſu cauſæ primæ, connaturaliter ſibi vendicet principia neceſſaria ad productionem, & receptionem Viſionis beatæ, qualia ſunt ex una parte potentia cognoſcitiva intellectualis ſufficiens, & completa in ratione potentiæ ad cognitionem intuitivam Dei producendam; ex altera verò parte ſpecies impreſſa etiam intuitiva Dei, aut Eſſentia Divina loco ſpeciei concurrens ad productionem illius: Hoc poſito. 142.

Concluſio ſit: Impoſſibilis eſt ſubſtantia creata intellectualis, cui connaturalis ſit Viſio beata. Ita *D. Thom. 1. part. quæſt. 12. art. 4. & 5. & 1. 2. quæſt 5. art. 5 & lib. 3. contr. gent. cap. 52. Henricus quodlib. 4. quæſt. 9. Scot. in 4. diſt. 49. q. 11. fine, Cajet. 1. p. q. 12. a. 5. P. Valent. 1. p. q. 12. punct. 3. § nihilominus. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 9. num. 2. P. Vaſq. 1. part. d. 44. cap. 1. num 3. P. Albertin. q. 2. & 3. Theolog. ex 1. princip. phyſico. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. ſect. 2. à num. 10. P. Gil. tom. 2. tract. 3. à cap. 12. Zumel. a. 4. q. unica. Peſant. a. 5. d. 5. P. Soar. Luſit. in Met. tr. 1. d. 3. num. 404. P. Martin. d. 7. de Deo, ſect. 5. & 6. P. Ægid. d. 4. de actib. ſupernat. dub. 2. num. 33. P. Arrub. d. 21. cap. 2. n. 4. P. Amicus d. 9. ſect. 6. n. 145. P. Præpoſit. 1. part. q. 12. art. 5. dub. 3. num. 40. P. Granad. tr. 4. d. 2. n. 7. P. Faſol. 1. part. q. 12. art. 4. dub. 1. P. Herice tract. 4. d. 48. cap. 4. num. 63. P. Compton. tom. 1. d. 11. ſect. 1. n. 5.* & alii. 143.

Probatur primò ex Sacra Pagina Matt. 11. *Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et 1. Cor. 2. *Ea quæ ſunt Dei nemo novit, niſi Spiritus Dei.* Ex quibus locis duo colligunt SS. Patres: Primum, propriũ eſſe divinarum Perſonarum Divinitatem, & ſe ipſas clarè intueri: Secundum, Filium & Spiritum ſanctum eſſe propriè Deum, quia naturaliter Divinitatem, Perſonas Divinas, & occulta Dei clarè intuentur; ſed quæ ſunt propria Dei, nulli creaturæ, etiam factibili communicari poſſunt; alioqui eſſet & non eſſet creatura, quod manifeſtè implicat: eſſet, ut ſupponitur: non eſſet, quia cùm haberet illud, quod eſt proprium Dei, eſſet etiã Deus; ergo &c. Confirmatur ex 1. ad Tim. 6. *Qui lucem habitat inacceſsibilem,* 144.

quem

quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Et Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam.* Et Psalm. 17. *Posuit tenebras latibulum suum.* Et ad Rom. 6. ubi loquens de Visione beata, illam absolutè appellat gratiam Dei: ibi; *Vita æterna gratia Dei*; non esset autem gratia, si alicui creaturæ deberetur; ergo &c.

145. Probatur secundò authoritate Sanctorum Patrum. D. Aug. *lib.* 12. *cap.* 1. ibi: *Quia verò*, inquit, *creatura est, hoc non ex se potest, quia ex nihilo creata est sed ex illo, à quo creata est*: ubi secundùm D. Aug. impotentia creaturæ, ut suis viribus videat Deum, ex hoc præcisè oritur, quod sit creatura ex nihilo facta. sed substantia illa, ut supponitur, esset creatura ex nihilo facta; ergo non posset ex se, sive propriis viribus fieri beata; consequenterque impossibilis est talis substantia creata, cui connaturalis sit Visio beata. Confirmatur ex D. Cyril. *lib* 1. *in Ioan. cap.* 13. *Creatura*, inquit, *cùm serva sit, nutu tantùm & voluntate Patris ad supernaturalia vocatur.* Neque verba intelligenda sunt de creatura, quæ solùm de facto datur, sed etiam de possibili, alioqui hæc non esset serva Dei, quod non est dicendum. Idem habet *lib.* 4. *de Trinit. ad initium.* Et habent *D. Basil. Apolog. ad Cesarian. D. Anselm. D. Athan. D. Damascen.* & alii apud *P. Gil. cit. cap.* 14.

146. Probatur tertiò, rationibus: Prima, quia Visio beata est operatio secundùm substantiam supernaturalis, ut est communissimum in Theologia, & videre est apud *P. Soar. cap.* 8. *P. Vasq. d.* 47. *cap.* 6. *&* 1. 2. *d.* 22. *cap.* 2. *P. Sal. tom.* 1. *in* 1. 2. *quæst.* 3. *tract.* 2. *d.* 3. *sect.* 1. tum quia gratia, fides, spes, charitas, & cætera dona gratiæ, & gloriæ in via, & in patria sunt entitates simpliciter ordinis divini, & quoad substantiam supernaturales, ut ex Scripturâ, Conciliis, & Patribus ostendunt Doctores proximè citati; sicq; à fortiori talis erit Visio beata, cùm sit earum finis, perfectissima Dei participatio, & cõjunctio cum summo bono; ergo nequit esse connaturalis alicui substantiæ creatæ. aut creabili; siquidè de ratione entis secundùm substantiam supernaturalis est, ut nulli substantiæ creatæ, aut creabili conveniat, aut commensuretur secundùm principia intrinseca talis naturæ; alioqui erit, & non erit supernaturalis; sic autem conveniret, & commensuraretur Visio beata, si esset connaturalis alicui substantiæ, saltem creabili; ergo &c.

147. Secunda, quia impossibilis est substantia creata, quæ sit actus omninò purus, idest carens omni compositione, sive ex essentia, & existentia; sive ex genere, & differentiâ; materia & forma; natura, & subsistentia; substantia, & accidentibus; alioqui esse actum omninò purum non esset proprium solius Dei, quod tamen demonstravimus in *Met. tract.* 1. *d* 3. *à num.* 295. ergo etiam impossibilis est substantia creata cui connaturalis sit Visio beata; siquidem Essentia Divina non potest connaturaliter videri, nisi à natura, quæ sit actus omninò purus, prout supra diximus. *num.* 94. *&* 133. nulla autem substantia est creabilis, quæ aliquâ ex prædictis compositionibus careat; ergo neque quæ Deum connaturaliter videre possit.

148. Confirmatur primò, quia modus essendi Dei per modum actûs puri, & omninò simplicis, infinitè excedit modum essendi creaturarum, non solùm actualium, sed possibilium; ergo infinitè superat earum modum operandi, ac proinde intelligendi; consequenterque à nulla potest intuitivè videri connaturaliter. Secundò, quia Visio beata non potest esse connaturalis, nisi potentiæ, quæ in ratione potentiæ sit completa; sed nulla est factibilis in tali ratione completa; alioqui etiam foret factibile accidens naturale in sua ratione magis, aut saltem æquè perfectum, & proportionatum Deo videndo, atque est accidens supernaturale, quale est lumen gloriæ; ergo &c.

149. Tertia, ideò foret possibilis substantia, cui connaturalis esset Visio beata; aut quia foret possibilis substantia aliqua realis supernaturalis: aut cui connaturale foret lumen gloriæ, quod de facto datur in Beatis: aut quia foret possibilis intellectus, qui naturali sua facultate Deum clarè attingeret: Non primum, tum quia impossibilis est substantia realis supernaturalis, ut latè probavimus in *Met. tract.* 1. *d.* 5. *à num.* 425. tum etiam quia supernaturalitas desumitur per ordinem ad subjectum, ut docet *P. Vasq.* 1. *part. d.* 44. *cap.* 1. *P. Sal.* 1. 2. *d.* 3. *sect.* 2. *num.* 14. & alii; cùm autem nulla substantia sit possibilis suapte naturâ respiciens subjectum, ut diximus in *Met. tract.* 1. *d.* 5. *à num.* 185. neque etiam supernaturalis. Non secundum, quia non minùs supernaturale est lumen gloriæ, quàm Visio beata; cùm sit ultima dispositio ad illam, sicque ejusdem ordinis cum illa; & sicut per gratiam adoptamur in filios, traducimurque in ordinem superiorem, & divinum, ita per lumen gloriæ consummatur unio cum Deo inchoata in via per gratiam; sed impossibilis est substantia, cui connaturalis sit Visio beata, aut gratia; ergo & cui connaturale sit lumen gloriæ Non tertium, quia aut talis intellectus esset naturalis, aut supernaturalis: Non primum, alioqui non posset producere Visionem beatam supernaturalem: Non secundum, cùm enim deberet esse proprietas alicujus substantiæ, aut hæc esset etiam supernaturalis; & hoc non; jam enim probavimus esse impossibilem: aut naturalis, & hoc etiam non; alioqui jam ens simpliciter supernaturale diceret ordinem ad subjectum naturale, quod est contra rationem entis supernaturalis; ergo &c. Vide quæ diximus in *Met. tract.* 1. *d.* 3. *à num.* 499. *&* *P. Sal. cit. sect.* 2. *à num.* 14. ubi plures adducit rationes pro hac sententia.

150. Oppositum tenent *Major. in* 4. *dist.* 49. *q.* 4. *fine. P. Ripal. de Ente supernat. lib* 1. *d.* 23. *sect.* 1. *num.* 2. *P. Becan.* 1. *part. cap.* 9. *quæst.* 5. *P. Arriag.* 1. *part. d.* 5. *sect.* 7. *P. Alarcon. tract.* 1. *d.* 2. *cap.* 8. *num.* 9. inclinat *P. Mol.* 1. *part. quæst.* 12. *art.* 5. *d.* 2. ubi expresè asserit, se nihil velle statuere, sed tantùm difficultates proponere, quarum vim, & sententiæ definitionem aliorum judicio modestè committit, additque, *multa decursu temporis aliorum examine paulatim appensa, & quasi suffragiis comprobata tutò asseruntur, quæ privato judicio statim prolata temerè effectirentur.* Favent etiam *P. Valent. P. Herice, P. Albertin. & P. Præposit. cit.* quatenus dicunt sententiam negativam, licet sit longè probabilior, non tamen demonstrari, ita ut contraria sit improbabilis, aut temeraria, & periculosa, ut dicit *P. Sal. cit.* Igitur pro illa:

151. Argues 1. Omne genus substantiæ est nobilius omni genere accidentium; ergo intra illud debet dari aliqua substantia multò perfectior quolibet accidente; sed hæc non apparet, nisi detur aliqua, cui connaturalis sit gratia, Visio Beata, lumen gloriæ, & alia accidentia supernaturalia; ergo &c. Omissis aliis solutionibus, quibus aliter, atque aliter Doctores satisfaciunt huic argumento juxta varias sententias de nobilitate accidentium supernaturalium comparatione substantiæ. Respondeo cum *D. Thom. in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 6. *P. Fons. lib.* 7. *Met. cap.* 1. *quæst.* 2. *sect.* 4. *P. Soar.*

in Met. d. 32. sect. 2. & tom. 1. in 3. part. d. 9. sect. 2. P. Vasq. 1. part. d. 214. cap. 2. num. 17. & aliis, quamlibet substantiam, etiam corpoream realem, imò & modalem, esse simpliciter nobiliorem quolibet accidente, etiam supernaturali, licet hoc sit nobilius saltem secundùm quid, qualibet substantiâ naturali, prout jam latè diximus in *Met. tr. 1. d. 5. sect. 14. à num. 526.*

152. Et hujus ratio est, quia quando aliqua entitas includit in suo conceptu formali unum saltem gradum perfectiorem omnibus, qui in alia includuntur, illam simpliciter excedit in nobilitate; ut patet in formica, & quolibet alio animali etiam imperfecto, quod simpliciter est perfectius & nobilius cælo, quia includit gradum viventis simpliciter perfectiorem omnibus gradibus in cœlo inclusis; sed quælibet substantia in suo conceptu formali includit gradum suâptè naturâ existendi per se, qui perfectior est omnibus inclusis in accidente, etiam supernaturali; siquidem hi omnes, etiam ipsa supernaturalitas, ordinantur ad substantiam ut ad suum perfectibile ultimatum, per ordinem ad quod fiunt, esse participant, & conservantur; ergo quælibet substantia est simpliciter perfectior quolibet accidente, etiam supernaturali; licet hoc sit illâ nobilius secundùm quid ratione supernaturalitatis, quam includit, prout diximus loco proximè citato: & in hoc sensu intelligendi sunt Doctores asserentes accidentia supernaturalia esse præstantiora qualibet substantiâ naturali.

153. Argues 2. Nulla in hac substantia apparet contradictio; imò pro illa sunt probabiles rationes; ergo Deo non est deneganda ejus productio de possibili; solùm enim id, in quo apparet contradictio, Deo non concedimus. Respondeo negando antecedens; & ea est: primò, quia jam Visio beata esset, & non esset gratia: esset, ut supra diximus ex D. Paulo: non esset, quia esset debitum; nam quod connaturale est, debitum est. Secundò, quia deberetur, & non deberetur: deberetur, quia esset connaturalis: non deberetur, quia cùm sit hæreditas Dei; & creatura sit illius serva, hæreditas servo non debetur.

154. Argues 3 Substantiæ perfectiori perfectiora debentur accidentia; sed Deus potest condere substantiam perfectiorem, & perfectiorem in infinitum; ergo eidem deberentur similia accidentia; sed non apparent accidentia, quæ tali substantiæ essent connaturalia, nisi fortè sint gratia, lumen gloriæ, & Visio beata; ergo &c. Respondeo negando probationem argumenti; licet enim substantiæ perfectiori in infinitum, cujus possibilitatē non negamus, deberentur accidentia perfectiora in infinitum, non ideò sequitur eidem deberi gratiam, lumen gloriæ, & Visionem beatam, aut aliquod accidens supernaturale, sed solùm nobiliora in suo ordine naturali, quod ad plurimum probat argumentum; non autem quod eidem deberentur nobiliora in ordine supernaturali, qualia sunt gratia, lumen gloriæ, & Visio beata.

155. Argues 4. Ideò impossibilis esset talis creatura, quia aliqua sunt Scripturæ loca, ex quibus constat, Deum non posse connaturaliter videri ab aliqua creatura; sed prædicta loca sufficienter explicantur de invisibilitate Dei: aut in ordine ad oculos corporeos: aut in ordine ad creaturas, quæ de facto dantur; ergo per intellectum, & creaturam creabilem videri poterit. Respondeo negando minorem quoad utramque partem: quoad primam, quia respectu oculorum etiam Angeli, & anima rationalis sunt invisibiles; ergo invisibilitas illa specialis Dei, quatenùs specialissimè dicitur invisibilis, non est intelligenda de sola invisibilitate respectu oculorum, sed intellectûs etiam possibilis.

156. Quoad secundam partem, non possunt sic explicari citata loca. Primò, quia ex Trid. *sess. 4. decret. 2.* & ex definitione 5. Synod. approbata à Concil. Lateran. sub Martino I. *consult. 5.* nobis non licet recedere à sensu Scripturarum communiter accepto, & expositò à Sanctis Patribus; hi autem communiter exponunt prædicta loca de creaturis etiam possibilibus: quod si aliqui de solis creaturis de facto mentionem faciunt, ab aliis de possibili præscindunt, de quibus tamen id non affirmant. Secundò, quia alioqui non benè probaret Concil. Lateran. Immortalitatem animæ ex illo Christi Domini. Matth. 10. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*: posset enim quis respondere id intelligi in ordine ad creaturas de facto, & non de possibili; nullus autem hîc talem admittit explicationem; ergo neque illic admitti debet.

157. Argues 5. Deus potest facere intellectum in virtute intelligendi perfectiorem, & perfectiorem sine termino; ergo æqualem conjuncto ex intellectu, & lumine gloriæ; sed huic connaturalis est Visio beata; ergo & illi. Respondeo negando consequentiam: licet enim Deus possit efficere intellectum ita perfectiorem (quod non implicat,) nunquam tamen foret æqualis tali conjuncto in perfectione.

158. Instabis: Conjunctum illud ex intellectu, & lumine gloriæ est quid finitum, & finitæ virtutis; ergo potest æquari in perfectione ab illo intellectu perfectiori creabili. Respondeo negando consequentiam, diversa ratio est, quia illud augmentum virtutis in intellectu creabili semper fieret intra eundem ordinem naturalem: at verò conjunctum illud semper est in ordine supernaturali, quem nullum naturale ut sic adæquare potest, si cætera sint paria. Patet exemplis, licet enim potentia videndi accrescat in perfectione, nunquā adæquabitur intellectui, quia sunt in diverso ordine, & genere, nempe corporis, & spiritus. Similiter licet à Deo fiant animalia, imò & homines in infinitum perfectiores, nullus erit Angelo æqualis, (ficq; de aliis,) ob proportionalē rationem; ergo à fortiori quando res fuerint in diverso ordine naturali, & supernaturali.

159. Argues 6. Possibilis est substantia adæquans in perfectione conjunctum ex intellectu, & lumine gloriæ; sed huic connaturaliter debetur Visio beata; ergo etiam illi. Respondeo negando consequentiam: argumentum enim si aliquid concluderet, etiam probaret Visionem beatam jam de facto deberi omni substantiæ intellectuali creatæ; siquidem omnis est nobilior & perfectior illo conflato, cui si debetur Visio beata est ut causæ instrumentali, cùm sit instrumentum Dei: substantiæ autem illi, si daretur, deberetur ut causæ principali, quod implicat.

160. Argues 7. Conjunctum ex intellectu, & lumine gloriæ est creatura; & tamen ei debetur gloria, seu hæreditas; ergo etiam deberi posset illi substantiæ, licet esset creatura. Respondeo distinguendo minorem: debetur gloria, seu hæreditas simpliciter, & absolutè; nego minorem: secundùm quid, & ex suppositione prioris gratiæ jam factæ; concedo minorem: tale enim debitum cùm jam fundetur in primo favore, seu gratiâ, siquidem jam est gratia illud lumen, in quo debitum illud fundatur, non est debitum simpliciter, sed solùm secundùm quid, &

ex

ex suppositione, quod facta sit prima gratia: at verò illi substantiæ, si foret possibilis, deberetur simpliciter; siquidem non supponeret lumen supernaturale gratis datum, sed etiam debitum.

161. Argues 8. Perfectio Visionis Beatæ est finita; ergo possibilis erit substantia aliqua creata, cui sit connaturalis. Respondeo negando consequentiam: Primò, quia creatio ex nihilo est finita; & tamen nulli creaturæ, etiam possibili potest ut causæ principali connaturaliter competere. Secundò, quia alia dona supernaturalia sunt etiam finita; & tamen nulli substantiæ creatæ reali possunt connaturaliter competere. Tertiò, quia omnis auditio est finita; & tamen nulli potentiæ visivæ potest etiam divinitùs competere, cùm sit extra illius objectum; ergo similiter de Visione Beata.

162. Argues 9. De ratione accidentis quà talis est, dicere connaturalem ordinem ad aliquod subjectum, cùm sit essentialiter ens in alio; sed Visio Beata est accidens; ergo etiam dicet similem ordinem ad aliquod subjectum; sed hunc ordinem non dicit ad subjectum aliquod, sive substantiam naturalem; alioqui non esset supernaturalis; ergo ad aliquam supernaturalem possibilem; consequenterque possibilis est substantia, cui connaturalis sit Visio Beata.

163. Respondeo, licet sit de ratione accidentis quà talis dicere connaturalem ordinem ad subjectum, non tamen inde sequi, quod id sit etiam de ratione Visionis Beatæ; sicut non sequitur: *De ratione substantiæ quà talis est esse indifferentem ad corpus, & ad Spiritum; ergo etiam id erit de ratione Angeli, vel Cœli.* Undè Visio Beata, & cœtera accidentia supernaturalia, licet quà accidentia absolutè dicant connaturalem ordinem, & respectum transcendentalem ad subjectum, quà talia tamen accidentia solùm dicunt ordinem obedientialem, vel naturalem inchoatum ad illa subjecta, de quorum potentia, non quidem naturali, sed obedientiali, aut naturali inchoatâ educuntur; hæc autem subjecta sunt ipsæ substantiæ naturales.

164. Instabis: Ex possibilitate accidentis realis naturalis benè arguitur possibilitas substantiæ realis naturalis, ad quam illud dicat ordinem connaturalem; ergo etiam ex possibilitate accidentis realis supernaturalis, qualis est Visio Beata, benè arguetur possibilitas substantiæ supernaturalis, ad quam illa dicat ordinem connaturalem. Respondeo negando consequentiam: Primò, quia si argumentum valeret, etiam probaret, quod sicut de facto ex actualitate accidentis realis naturalis colligitur actualitas substantiæ realis naturalis; ita ex actualitate accidentis realis supernaturalis colligeretur actualitas substantiæ realis supernaturalis, quod non dicent. Secundò, quia cùm accidentia sint entia in alio, postulant necessariò subjectū in quo sint, & à quo sustententur, & cùm hoc respectu accidentis naturalis sit ipsa naturalis substantia, ideò ex possibilitate illius colligitur hujus possibilitas: at verò aliter se res habet in accidente supernaturali; siquidem cùm ejus subjectum sit substantia ipsa naturalis elevata, ideò ex possibilitate illius non colligitur possibilitas substantiæ supernaturalis.

165. Urgebis: Accidens naturale spirituale solùm ordinatur ad subjectum spirituale naturale, & non ad corporeum; & accidens corporeum ad solum subjectum corporeum, & non ad spirituale; ergo etiam accidens supernaturale ad solum subjectum supernaturale ordinabitur, & non ad naturale. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia cùm accidentia sint propter effectus, & ab eis non distinguantur, solùm ordinantur ad ea subjecta, in quibus possunt eos præstare: cùm autem accidens spirituale, neque divinitùs, prout diximus in Physica, possit præstare suum effectum in subjecto corporeo; neque accidens corporeum in subjecto spirituali, ideò non solùm ab illis non postulantur sed neque naturâ suâ ad illa ordinantur: at verò cùm accidens supernaturale possit divinitùs præstare suum effectum in subjecto naturali, ut de facto præstat gratia in anima, ideò licet ab illa non postuletur, ad illam tamen à natura ordinabitur, quod satis est, ut dicatur habere subjectum connaturaliter, & aliud connaturale non postulare.

166. Argues 10. Ideò esset impossibilis illa substantia creata, quia implicat creatura rationalis, cujus merita Deus remunerare non possit per Visionem Beatam, per quam, cùm esset debita, talis creatura non remuneraretur; sed talis creatura merita non haberet remuneranda; siquidem status Beati est incapax meriti, talis autem creatura esset beata; ergo &c. Respondeo data majori (neque enim illud est fundamentum, ex quo negamus possibilitatem talis creaturæ) negando minorem, ad cujus probationem dicimus, statum Beati esse incapacem meriti, non ab intrinseco, seu ab intrinseca natura; sed ab extrinseco propter dispositionem, & Providentiam Divinam, qua Deus ita disposuit, ut ibi meritum non daretur, ut communiter docent Theologi. Undè ex natura rei creatura illa, licet Beata, posset mereri, si Deus aliter disponeret statum merendi, ut in re poterat disponere, quo dato, illius merita non posset Deus remunerare. Accedit, quod sicut in creatis non semper intellectus cognoscit omnia objecta, quæ cognoscere potest naturaliter, sed prout à voluntate applicatur, vel occasiones offeruntur: ita etiam illa creatura posset non semper ab intrinseco Deum videre, sed aliquando carere tali visione, & interim mereri, quo dato, non posset postea per ipsam visionem remunerari, cùm esset ei debita, quod tamen videtur implicare.

SECTIO VIII.

Cujus censuræ digna sit contraria Sententia?

167. Quamvis *P. Sal. cit. n. 20.* contrariam Sententiam dicat periculosam: *Zumel. 1. p. q. 12. d. 2.* omninò falsam, & rejiciendam: *Cabrer. 3. p. q. 2. a. 12. d. 12. Nazar. 1. p. q. 12 art. 5.* temerariam; simpliciter tamen dicendum, quod careat omni censurâ, nec sit improbabilis: tùm quia nec ex Scriptura, nec ex ratione convincitur falsitatis, ut statim videbimus: tùm quia nobilissimi Philosophi, & doctissimi Theologi ei favent, saltem ut non improbabili, quales sunt *P. Molin. cit. 1. p. q. 12. a. 5. d. 2. P. Valent. 1. p. q. 12. pun. 3. §. Nihilominùs. Major in 4. dist. 49. q. 4. P. Herice cit. tract. 4. d. 48. cap. 4. n. 63. P. Præposit. 1. p. q. 12. art. 5. dub. 3. P. Becan. 1. p. cap. 9. q. 5. P. Arriaga 1. p. d. 5. sect. 7. P. Albertin. q. 2. & 3. ex 1. princip. Philosop. P. Hurt. in Phys. d. 7. sect. 1.* quorum plures ait *P. Ripal. cit. n. 2.* quod illam teneant, licet desimulanter, nescio tamen quo jure, nam P. Valent. & alii vix, aut solùm

solùm illi favent, ut non improbabili; citat etiam Durand. Ocham. Bacon. Gabr. & Magistros aliquos Salmanticenses, qui apertè eam tuentur, quos tamen videre non potui. Ego verò nullum Authorem legi, qui illam dicat probabilem, sed tantùm non improbabilem, ut dicit *P. Alarcon. cit. tract. 1. d. 2. cap. 8. num. 9.* imò & ipse P. Ripal. licet P. Herice cit. probabilem innuat, quatenùs nostræ adhæret ut probabiliori: Scio tamen plures Sapientissimos Magistros in Eborensi, & Conimbricensi Academia illam tenuisse, posseque ut non improbabilem sic probari.

168. Primò, quia Deo, ejusque Divinæ Omnipotentiæ solùm id denegandum est, quod manifestè repugnat, aut contradictionem involvit; sed in possibilitate talis creaturæ nulla apparet repugnantia, aut contradictio, ut ex infrà dicendis constabit; ergo possibilis est ejus productio, & Deo minimè deneganda.

169. Secundò, quia non repugnat substantia supernaturalis tantæ perfectionis, quæ æquet, imò superet perfectionem conflati ex intellectu, & lumine gloriæ, cùm hoc sit finitum; sed Visio Beata debetur illi conflato, quin sequatur aliqua implicantia; ergo etiam sine illa deberetur tali substantiæ.

170. Dicent primò, argumentum, si valeret, probare etiam Visionem Beatam deberi substantiæ naturali, utpotè quæ etiam excedit in perfectione illud conflatum, prout suprà diximus. Sed contra, quia fundamentum procedit de substantia possibili supernaturali, quæ solùm excederet in perfectione conflatum illud, cui si debetur Visio Beata, cur etiam non poterit tali substantiæ deberi?

171. Dicent secundò, dato, quod possibilis sit substantia superans conflatum illud in virtute supernaturali intelligendi, adhuc illam non posse videre Deum connaturaliter. Patet, quia virtus talis substantiæ esset diversi ordinis; ergo licet esset æqualis, aut major in perfectione, non ideò sequeretur, posse Deum videre connaturaliter. Confirmant, quia licet oculus habeat majorem virtutem sentiendi, quàm auditus, vel odoratus, non ideò sequitur, quod oculus naturaliter percipiat sonum, aut odorem; nam proportio potentiæ ad objectum non est tantùm commensuranda, & trutinanda penes quantitatem virtutis, quantùm penes qualitatem; ergo licet virtus intelligendi in illa substantia esset major, quàm in illo conflato, cùm tamen foret diversi ordinis, non ideò sequeretur, posse Deum cõnaturaliter videre.

172. Sed contra, quia, ut benè notat P. Molin. Deus, cùm sit maximè intelligibilis, est intra objectum cujusq; intellectus, sicq; videtur etiam esse intra objectum intellectûs illius substantiæ, quam dicimus possibilem; sed hæc, ut supponimus, æquaret, aut superaret virtutem intelligendi illius conflati; ergo sequeretur, posse Deum connaturaliter videre, sicut illum videt tale conflatum. Ad confirmationem datur diversa ratio, quia sonus, & odor sunt extra objectum potentiæ videndi; ideoque licet hæc sit major in virtute sentiendi, non sequitur posse naturaliter, imò neque divinitùs videre sonum, aut odorem, quia nulla potentia potest ferri extra suum objectum.

173. Oppones 1. Varia sunt loca Sacræ Scripturæ, ex quibus Sancti Patres colligunt, nullam creaturam posse Deum naturaliter videre, ut in 1. ad Tim. *1. Regi sæculorum Immortali, & Invisibili.* Et cap. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et Psal. 17. *Posuit tenebras latibulum suum*; & similia; ergo &c. Respondeò primò, ea loca posse intelligi de Visione corporea; non autem de intellectuali. Secundò (admisso quod debeant intelligi de Visione intellectuali,) solùm ex illis locis probari, nullam substantiam ex his, quæ de facto dantur, & pro hoc statu, ac in via posse Deum naturaliter videre; non autem intelligi de possibilibus. Ita P. Ripalda.

Instabis: Sancti Patres asserunt, creaturam ex eo, quod talis sit, non esse per se beatam, sed per Deum, i. dest, ex gratia, & dono Dei; sed hæc ratio militat in omni creatura, etiam de possibili; ergo Sancti Patres loquuntur etiam de possibilibus. Probatur major authoritate D. Prosp. *Creaturæ rationalis bonum*, inquit, *quo beata sit, nõ est nisi Deus, quod ei non ex se ipsa est, quia ex nihilo creata est, sed ex illo, à quo creata est*; ergo &c. Respondeo D. Prosperum, sicut & alios Sanctos Patres in similibus testimoniis, solùm velle, non esse possibilem creaturam, quæ sit per se, & naturâ suâ beata objectivè, i. dest, quæ possit se ipsam beare; hoc enim solùm spectat ad summum bonum, qualis est solus Deus: non tamen negare creaturam, quæ possit connaturaliter producere effectivè suam beatitudinem, & possessionem formalem summi boni, nempè Dei. 174.

Oppones 2. Si esset possibilis creatura connaturaliter beata, hæc nullo præmio posset à Deo remunerari; siquidem beatitudo esset ei necessariò debita independenter ab omni actione libera, & meritoria; ut autẽ detur præmium, & remuneratio, prærequiritur actio libera; alioqui potius esset debitum, quàm præmium, & remuneratio; sed implicat creatura, cujus merita Deus non possit remunerari; ergo & creatura, cui connaturalis sit Visio Beata. Respondeo 1. nullũ videri absurdum, quod talis creatura non possit remunerari; sicut nullum est, quod Beatus de facto pro tali statu sit incapax meriti, quod Deus remunerari possit. 175.

Respondeo secundo negando majorem; adhuc enim substantia illa posset mereri, & remunerari à Deo, non quidem Visione illâ, ad quam haberet naturalem virtutem, sed aliâ, quæ aut in intensione, aut in specie esset nobilior illâ, quæ tali substantiæ connaturaliter deberetur, ita ut si substantiæ illi deberetur Visio intensa ut duo, vel attingens duo possibilia, posset accipere pro præmio Visionem, sive ejus intensionem ut quatuor, vel attingere quatuor possibilia. 176.

Inferes: Ergo illa substantia, cùm esset Beata, posset mereri; hoc autem non videtur dicendum; siquidem Beatus de facto est incapax meriti; sicque talis deberet esse illa substantia. Respondeo concedendo illationem, ad cujus probationem dicimus cum communi Theologorum, Beatum de facto esse incapacem meriti ex lege extrinseca, & dispositione Dei, non tamen ab intrinseco, & ex natura rei; siquidem Visio Beata, quæ de facto datur ex natura sua non excedit statum meriti, sed solùm id habet ex lege, & dispositione Dei extrinseca, quâ sublatâ, posset cum illius visione stare meritum: cùm autem Deus circa beatitudinem talis creaturæ posset non habere talem, sed aliam dispositionem, benè posset cum illius Visione stare meritum. 177.

Oppones 3. Visio intuitiva Dei postulat Essentiam Divinam præsentem, ut particulare principium objectivè movens ad talem Visionem; sed implicat creatura habens hujusmodi postulantiam; siquidem talis postulantia videtur esse contra summam Dei independentiam; ergo &c. 178.

Res-

Resp. negando minorem, & ejus probationem; neque enim id est contra Dei indepēdentiam. Patet 1. quia conflatum ex intellectu, & lumine gloriæ habet connaturaliter talem postulantiam, habendi scilicet Deum præsentem tanquam principium particulare objectivè movens. Secundò, quia Angelus, & anima rationalis postulant Deum ut causam particularem concurrentem ad sui conservationem, idque absque ulla Dei indecentia; ergo etiam Essentia Divina absque ulla indecentia poterit postulari ab illa substantia, & ejus intellectu ut objectum speciáliter movens.

179. Oppones 4. Ut aliquod principium cognoscens sit proportionatum ad cognoscendum objectum, debet habere æqualem immaterialitatem, & simplicitatem cum ipso objecto, juxta illud proloquium: *Modus cognoscendi sequitur modum essendi*; sed nulla creatura potest esse æquè immaterialis, & simplex, ac Deus est; alioqui non esset proprium solius Dei, esse actum purissimum, ut alibi diximus; ergo &c.

180. Respondeo negendo majorem: & patet primò, quia conflatum ex intellectu, & lumine gloriæ est compositum; & tamen est proportionatum ad eliciendam visionem intuitivam, & quidditativam Dei summè simplicis. Secundò, quia si detur Angelus, cujus subsistentia solùm virtualiter distinguatur ab ejus natura (quod multi dicunt non implicare, prout alibi diximus in Metaphysica,) adhuc poterit cognosci ab alio Angelo, cujus subsistentia modaliter, aut realiter distingueretur ab ejus natura; & tamen suppositum cognoscens non esset æquè simplex, atque Angelus cognitus; ergo inter cognoscentem, & objectum cognitum non requiritur proportio quoad simplicitatem æqualem, aut non æqualem; alioqui cognitio Divina immaterialis non posset cognoscere rem materialem. Undè ad illud proloquium dicimus, intelligendum esse, aut quod non possit habere cognitionem illud, quod non habet esse, sive essentiam; aut quod cognitio eò debeat esse nobilior, quò suppositum nobilius fuerit, ita ut si suppositum sit spirituale, etiam spiritualis sit ejus cognitio: materialis autem, si illud materiale sit.

181. Oppones 5. Nulla substantia ex his, quæ de facto dantur potest naturaliter Deum intuitivè videre, ut contra Beguardos, & Beguinas definitum est in Concil. Viennens. in Clement. *Ad nostrum de Hereticis*; sed hoc solùm provenit ex infinita distantia, quæ datur inter Deum, & creaturam etiam possibilem; omnis enim infinitè distat à Deo; ergo impossibilis est creatura naturaliter Deum videns. Respondeo negando minorem: nam etiam conflatum ex intellectu & lumine gloriæ est creatura infinitè distans à Deo; & tamen Deum connaturaliter videt. Undè Concil. cit. solùm definivit, non dari de facto creaturam substantialem, quæ naturaliter habeat virtutem eliciendi Visionem Beatam, nihil tamen definivit circa substantiam de possibili.

182. Oppones 6. Creatura illa, cui naturaliter deberetur Visio Beata, esset impeccabilis; sed implicat creatura rationalis libera impeccabilis; ergo & naturaliter Beata. Respondeo primò, data majori, negando minorem; dicunt enim non implicare similem substantiam liberam impeccabilem, qualis esset illa, quæ licet haberet potentiam judicativam honesti, & turpis, haberet tamen potentiam appetitivam determinatam ad solum honestum amandū, & ad odio habendum solum turpe, ita ut sola honestas esset illi objectum formale amoris, & sola turpitudo objectum formale odii.

183. Respondeo secundò negando majorem, talis enim creatura posset consistere sine Visione Beata actuali; siquidem posset non esse illi debita ab instanti suæ creationis, sed pro aliquo tempore determinato; consequenterque posset interim peccare.

184. Oppones 7. Impossibilis est creatura, cui connaturaliter debeatur cognitio futurorum intrinsecè contingentiū; ergo etiam, cui connaturaliter debeatur cognitio clara, & intuitiva Dei. Respondeo primò cum aliquibus negando antecedens, putant enim probabilem opinionem asserentem non implicare talem substantiam, neque testimonia Scripturæ, aut Sanctorum Patrum in contrarium adducta convincere de creatura possibili, cùm sufficienter explicari possint de creaturis, quæ de facto dantur.

185. Respondeo secundò, concesso antecedente, negādo consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia testimonia Sacræ Scripturæ clarius loquuntur de impossibilitate intellectûs potentis naturaliter cognoscere futura intrinsecè contingentia, & secreta cordis, quàm de creatura potenti connaturaliter Deum intuitivè videre. Secundò, quia licet Deus sit in sua entitate nobilius objectum, quàm illa futura, & cordis secreta, ex horum tamen cognitione sequeretur maximum quoddam inconveniens, quatenùs creatura naturaliter illa cognoscens derogaret dominio Dei, cui solùm competere videtur judicare de rebus pertinentibus ad liberum arbitrium, & secreta cordis suarum creaturarum; neque rectè ageretur cum libero arbitrio creaturæ rationalis, si ejus secreta aliquam creaturam latere non possent: hujusmodi autem inconveniens non sequitur ex possibilitate creaturæ naturaliter beatæ. Neque ex eo, quod beata sit sequitur, quod cognoscat talia futura, & cordis secreta; siquidem conflato ex intellectu, & lumine gloriæ debetur Visio Beata; & tamen non ei debetur cognitio talium futurorum, & secretorum cordis.

186. His ita discussis, satis patet hanc opinionem non esse improbabilem, ut asserunt tot sapientissimi Doctores, & Magistri, quorum unus P. Herice fatetur, rem esse sibi omnium difficiliorem proprium ferre judicium in hac controversia, ita ut si consideret rationes pro utraque parte, hæreat dubitabundus: si authoritatem, negativam partem esse longè probabiliorem, sicque dum ab aliquo eximio Theologo res amplius non declaratur, parti neganti ut probabiliori subscribere. Adhuc tamen hac admissa opinione:

187. Quæres primò: Utrùm hujusmodi creatura connaturaliter Beata videret Deum lumine à se distincto: an indistincto? Dico 1. Talis creatura posset Deum videre lumine distincto. Probatur, quia nulla assignabitur repugnantia, aut implicantia in possibilitate luminis distincti, quo creatura illa Deum videat; ergo &c.

188. Dices: Lumen distinctum datur ad elevandam potentiam de se insufficientem ad videndum objectum; sed illa creatura haberet potentiam de se ad id sufficientem; ergo non videret lumine distincto. Respondeo majorem esse veram de lumine distincto, quod de facto datur: non autem de omni lumine possibili. Undè neganda est consequentia: neque enim implicat intellectus possibilis, cui debeatur hoc lumen gloriæ, quod de facto

facto datur, aut aliud illi simile; sicque Deum videret lumine distincto.

189. Dico 2. Talis creatura posset Deum videre lumine indistincto. Probatur, quia non implicat creatura, quæ superet, aut saltem adæquet in perfectione conflatum illud ex intellectu, & lumine gloriæ; sed hoc potest Deum videre absque lumine superaddito; ergo etiam sic posset eum videre illa creatura; ac proindè lumine indistincto.

190. Dices: Si illa creatura haberet lumen indistinctum, sequeretur, quod ejus visio esset perfectior visione Christi Domini; siquidem fieret naturaliter à nobiliori principio; sed hoc non videtur dicendum; ergo &c. Respondeo primò permittendo sequelam: neque enim implicat, quod de possibili detur Visio Beata entitativè perfectior, quàm Visio Beata Christi Domini. Imò multi dicũt Visiones Beatas de facto differre in perfectione pro diversitate essentiali, & specifica potentiarum, eoque admisso, jam de facto datur Visio Beata, nempè Angelica, quæ sit entitativè perfectior, quàm Visio Beata Christi Domini; sicque non repugnabit illa de possibili.

191. Respondeo secundò negando sequelam, quia ut docet *P. Ripal. d. 23. num. 30. & d. 37. sect. 4.* ex potentia inferiori in entitate potest oriri visio perfectior in modo tendendi in objectum; sicque Visio Beata Christi Domini posset adhuc esse perfectior, si non physicè ex parte principii, saltem moraliter, & appretiativè, ac in ratione beatitudinis ex perfectiori modo tendendi in objectum: tùm quia clarius videret Essentiam Divinam: tùm quia videret majorem numerum possibilium.

192. Respondeo tertiò etiam negando sequelam in sententia docente, omnes actiones Christi Domini prodeuntes à natura humana subsistente per subsistentiam Verbi Divini, essentialiter petere subsistentiam Verbi ut complementũ sui principii, cùm actiones sint suppositorum. Undè prout sic, intellectiones Christi Domini (quę in sententia *P. Ripal. num. 30.* sunt actiones alligatæ Unioni Hypostaticę humanitatis cum Verbo,) ex hoc respectu superabunt intellectiones substantiæ creatæ supernaturales; siquidem complementum subsistentiæ divinæ longè nobilius est, quàm illud principium supernaturale talis substantiæ, licet indistinctum.

193. Quæres secundò: Utrùm similiter dici possit, non esse improbabile, possibilem esse substantiam intellectualem ita imperfectam, ut non possit elevari divinitùs ad Visionem Beatam? Negativè. Probatur, quia de substantia, quæ connaturaliter Deum videret, communiter dicunt Theologi, quod esset in superiori ordine ab illo, in quo sunt substantiæ intellectuales de facto creatæ, de quibus est de fide, ut supra diximus, quod non possint connaturaliter videre Deum; ergo quod substantia illa possit Deum connaturaliter videre non erit improbabile; sed nulla est possibilis substantia intellectualis ita imperfecta, ut non sit in eodem ordine cum nostra anima, de qua constat ex fide, quod possit elevari ad Visionem Beatam; ergo non eodem modo dici potest, non esse improbabile, possibilem esse hanc, quo dicitur, non esse improbabile, possibilem esse illam substantiam. Undè:

194. Dico 1. Non solùm est improbabile, sed etiam errori proximum asserere, quod possibilis sit substantia intellectualis purè spiritualis, quæ non possit divinitùs elevari ad Visionem Beatam. Probatur, quia nostra anima potest sic elevari; sed talis substantia esset perfectior in modo essendi, & in modo operandi, qui sequitur modum essendi; siquidem abstraheret omninò à materia corporea, quod non habet nostra anima; ergo posset etiã sic elevari. In quo syllogismo Major est de fide: Minor autem ita mihi videtur scientifica, ut ægrè negari possit, quod talis sit, ideoque conclusio est quasi theologica: & licet præcipuè procedat de substantia simplici, extendi etiam potest ad substantiam compositam ex materia spirituali, si hæc possibilis est, de quo jam diximus in Phys.

195. Dico 2. Improbabile est, & à vera Philosophia alienum, (quidquid in contrarium sentire videatur *P. Ripal. cit. n. 17.* asserere, possibilem esse animam intellectualem, quæ dicat ordinem ad materiam corpoream, & non possit elevari divinitùs ad Deum clarè videndum. Probatur, quia licet talis substantia foret imperfectior in sua differentia essentiali, quàm nostra anima, adhuc tamen esset intellectualis, ut supponitur; sed capacitas ad talem elevationem fundatur præcisè in ratione substãtiæ intellectualis; ergo &c. Confirmatur, quia talis anima in modo essendi & operandi minùs distaret à nostra anima, quàm nostra distat ab Angelis; sed non obstante hac majori distantiâ, nostra anima potest, imò de facto elevatur ad videndum Deum, sicut & Angeli; ergo non obstante illa minori distantia, substantia illa poterit elevari ad videndum Deum, sicut elevatur nostra anima.

SECTIO IX.

Utrùm Deus oculis corporeis; aut potentiâ aliquâ sensitivâ, saltem creabili, videri possit?

196. DE utraque hac quæstione jam egimus in *Phys. tr. 11. d. 2. à n. 54.* quia tamen de illis hoc loco agunt Theologi, & adeò sunt præcipuæ, minimè prætermittendas judicavimus, ideoque de illis sit:

197. Difficultas 1. Utrùm Deus saltem de potentia absoluta, videri possit oculis corporeis? Negativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 3. ubi Cajet. Bannez. Zumel. P. Molin. P. Vasq. d. 40. cap. 2. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 6. Medin. & Conrad. cum D. Thom. 1. 2, q. 3. a. 3. P. Sal. ibid. tract. 2. d. 5. sect. 1. num. 3. P. Gil. tom. 3. tract. 2. cap. 15. num. 3. P. Tanner. d. 2. q. 6. dub. 1. n. 7, P. Amicus d. 9. sect. 6. num. 122. P. Præposit. 1, p. q. 12. art. 3. P. Arrub. d. 18. cap. 1. n. 1. P. Arriaga 1. p. d. 6. sect. 1. P. Valent. 1. p. q. 12. punct. 8. P. Fasol. 1. p. q. 12. art. 3. P. Herice tr. 4. d. 43. cap. 1. à num. 1. P. Alarcon. tract. 1. d. 1. cap. 5.* quorum alii censent esse de fide. Alii non esse expressè definitum, oppositum tamen esse manifestum errorem. Alii non esse dogma fidei, sed proximè ad illud accedere.

198. Probatur primò authoritate Scripturæ Exod. 33. *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & vivet.* Et Isai. 64. *Sicut scriptum est, quod oculus non vidit, neque auris audivit.* Et Joan. 1. & 1. Joan. 4. *Deum nemo vidit unquam.* Et 1. ad Tim. 1. *Regi sæculorum Immortali & Invisibili.* Et c. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et Rom. 1. ubi Attributa Dei appellantur *Invisibilia Dei.* Et 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, neque auris audivit, neq; in cor hominis ascendit.* Et ad Hebr. 11. de Moyse ait:

ait: *Invisibilem tanquam videns sustinuisse*: & sæpè alibi, quæ verba propriè, ut sonant, accipienda sunt, & ad minimum intelligenda comparatione facultatis, sive potentiæ corporeæ.

199. Probatur secundò authoritate Sanctorum Patrum apud Doctores citatos, præsertim P. Valent. ex quorum locis aliquorum hæreticorum errores refelluntur ut D. Athan. *orat. cont. Idola.* ubi gentilibus exprobrat, quod *Irrationali vecordiâ usi, rem visibilem Deum esse finxerunt.* Et D. Epiph. *hæres. 70.* ubi refert, & refellit Anthropomorphitas, qui Deum corporeum esse putabant, dicebantque ipsum oculis cerni posse. Item D. August. *lib. 3. contr. Maximin cap. 26. & lib. 2. de Trinit. cap. 8. & Epist. 111. & 174. & 178.* D. Athan. in disput. cum Arrio in Concil. Nicæno. D. Iren. *lib. 4. cap. 37.* à quibus Arriani, & alii eorum errorem tenentes, refelluntur; existimabant enim, Filium Dei (consequenterque Deum,) secundùm Naturam Divinam visibilem esse oculis corporeis. In hoc etiam errore fuerunt Novatiani apud D. Hieron. *lib. 2. contr. Ruffin.* Imò & Celsus, contra quem scripsit Origenes octo libros, qui *lib. 7. Mentitur*, inquit, *Celsus contra nos dicens, quod speremus, nos Deum visuros oculis corporeis, &c.* hunc enim errorem per calumniam affingebat Celsus orthodoxis.

200. Probatur tertiò rationibus: Prima, quia major improportio datur inter potentiam visivam, & Deum clarè visum, quàm inter eandem, & objectum audibile, odorabile, aliaque objecta sensibilia quà talia; siquidem hæc sunt corporea, & suâptè naturâ sensibilia; Deus autem è contra spiritualis, & insensiblis; sed neque de potentia Dei absoluta fieri potest, quod visus percipiat audibile, odorabile, aliaque objecta sensibilia prout talia sunt, ut est constans Philosophorum sententia; ergo neque ut percipiat Deum clarè, & intuitivè. Confirmatur, quia difficiliùs est respectu oculi cognoscere Deum clarè, & intuitivè, quàm cognoscere objectum visibile abstractivè; siquidem objectum visibile etiam abstractivè cognitum, naturale est, sensibile, & corporeum, qualis non est Deus; sed oculus neque divinitùs elevari potest ad cognoscendum objectum visibile abstractivè; ergo neque ad cognoscendum Deum intuitivè.

201. Secunda, ideò intellectus elevari potest ad Deum clarè, & intuitivè videndum, quia illum naturaliter cognoscit, saltem confusè; sed oculus neque sic confusè Deum cognoscit, ut constat; ergo neque eum poterit intuitivè cognoscere.

202. Tertia à priori, quia de ratione potentiæ vitalis quà talis, & qualis est oculus, est concurrere ad cognitionem sui objecti per virtutem sibi connaturalem saltem inchoatam, & incompletam, ut patet: Primò in intellectu respectu Visionis Beatæ, ut infrà videbimus: Secundò, quia non aliter negamus posse lapidem, aut lignum elevari ad videndum Deum, nisi quia nullam habent suâptè naturâ proportionem, & virtutem ad actionem illam, sicut illam habet intellectus creatus; sed oculus non habet similem virtutem inchoatam, & incompletam, ad videndum Deum; alioqui etiam à fortiori illam haberet, ut posset ferri in appetibile, & cognoscibile quà tale, quod omnes fatentur esse impossibile; ergo &c.

203. Quarta, quia si oculus posset Deum attingere intuitivè, illum sic attingeret, aut per actum materialem; aut per spiritualem: Non primum; siquidem repræsentare rem spiritualem est extra capacitatem actûs materialis: Non secundum; tùm quia actus spiritualis non potest elici vitaliter à potentia corporea: tùm etiam quia licet admittatur posse potentiam cognoscere passivè tantùm se habendo per solam receptionem cognitionis productæ à solo Deo (quod aliqui admittunt, & nos alibi negavimus,) id tamen fieri non potest in potentia corporea cum cognitione spirituali, quę, (dato quod possit poni in subjecto improportionato, ut alibi jam diximus) non posset in illa efficere suum effectum formalem; ergo &c.

Objicies 1. Oculus noster post resurrectionem 204.
Deum videbit, ut patet ex illo Job. 19. *Et in carne mea videbo Deum.* Et cap. 42. *Auditu auris audivi te; nunc autem oculus meus videt te;* ergo &c. Respondeo verba Job intelligenda esse, aut de oculo mentis: aut de visione Christi Domini secundùm humanitatem: ut alibi diximus.

Objicies 2. Licet Deus clarè visus sit extra objec- 205.
tum cõnaturale intellectûs creati, hic potest divinitùs elevari ad Deum clarè videndum; ergo etiam sic poterit elevari oculus ad Deum clarè videndum, licet Deus prout sic sit extra illius objectum connaturale. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia intellectus creatus cognoscit naturaliter, saltem confusè Deum, ex quo colligimus eidem inesse virtutem saltem inchoatam, & incompletam ad videndum Deum; quod aliter est in oculo, ut diximus.

Instabis: Quando intellectus creatus cogitat de 206.
Deo, etiam nostra phantasia illum naturaliter attingit; siquidem intellectus in hac vita omnia cognoscit dependenter à phantasia, ejusque operatione; ergo phantasia poterit elevari ad cognoscendum Deum intuitivè; siquidem ex eodem principio diximus, posse intellectum sic elevari; & consequenter idem dici poterit de oculo corporeo. Respondeo phantasiam non attingere prout sic Deum eo modo, quo illum attingit intellectus; neque enim Deum cognoscit arguitivè, seu primò, & per se, & sicuti est in se, ut eum cognoscit intellectus, sed tantùm ut objectum materiale remotum, & per accidens, eo ferè modo quo oculus, viso colore, dicitur videre parietem, ut notat *P. Herice cit. n. 41.*

Urgebis: Licet intellectus attingat naturaliter 207.
confusè omnia, quæ formaliter, & eminenter continentur in Deo, non ideò sequitur posse divinitùs elevari, ut omnia simul attingat clarè, & distinctè; alioqui posset divinitùs Deum comprehendere; ergo è contra, licet oculus non videat Deum naturaliter confusè, non ideò sequetur, non posse divinitùs elevari ad eum clarè videndum. Respondeo negando consequentiam. Imò retorqueo argumentum: ex eo enim, quod intellectus cognoscat in Deo naturaliter omnia illa confusè, benè sequitur, omnia figillatim esse intra illius objectum obedientiale; ergo ex eo, quod oculus nullum eorum videat naturaliter confusè, benè sequitur, omnia manere extra illius objectum obedientiale. Neque, ut omnia maneant intra objectum obedientiale intellectûs, requiritur, quod hic omnia simul attingat; siquidem Omnipotentia Divina habet pro objecto omne producibile; & tamen non potest omnia simul, sed figillatim producere; sicque similiter de intellectu.

Objicies 3. Oculus potest divinitùs ele- 208.
vari ad producendum in se imaginem expressam, sive cognitionem intuitivam Dei; sed Deum intuitivè videre est habere in se

illius imaginem expressam, & cognitionem intuitivam; ergo &c Respondeo distinguendo majorem: ad producendum in se imaginem expressam, sive cognitionem intuitivam Dei spiritualem (licet aliqui id negent;) concedo majorem: corpoream; nego majorem: hæc enim, cùm desumatur per ordinem ad potentiam, & nulla sit possibilis potentia corporea, cui inserviat, quia nulla est possibilis, quæ Deum intuitivè cognoscat, etiam impossibilis est talis species expressa corporea intuitiva Dei; licet possibilis sit spiritualis, quia possibilis est spiritualis potentia, cui inserviat; & licet hanc possit oculus in se divinitùs producere, per illam tamen non cognoscet Deum, cùm sit potentia improportionata, ut in se possit recipere effectum formalem talis cognitionis; sicut est lapis respectu gratiæ; & Angelus respectu albedinis.

209. Instabis: Tam essentiale est potentię dicere ordinem ad subjectũ, quàm ad objectum; sed potentia corporea potest divinitùs poni extra suum subjectum, nèpè in subjecto spirituali: neque enim id magis implicat, quàm cognitio spiritualis poni in potentia corporea, quod modò concessimus; ergo etiam poterit divinitùs ferri extra suum objectum; consequenterque Deum videre. Respondeo primò negando majorem: nam dicere ordinem ad subjectum est ratio generica communis omni accidenti; & dicere ordinem ad objectum est ratio specifica, & differentialis; hæc autem magis essentialis est, ut patet in rationali, quod magis essentiale dicitur homini, quàm animal. Respondeo secundò data majori, distinguendo minorem: potest divinitùs poni extra suum subjectum, quin efficiat in alieno suum effectum formalem; concedo minorem: illum efficiendo; nego minorem: numquam enim oculus in Angelo faciet illum videre; sicut neque albedo album, aut quantitas quantum.

210. Inferes: Ergo etiam hoc modo poterit oculus ferri extra suum objectum, operando scilicet circa objectum non suum, illud tamen non cognoscendo. Respondeo concedendo illationem: nam benè poterit oculus divinitùs producere speciem, aut impressam, aut expressam (si illa est possibilis,) quæ Deum repræsentet, non tamen per illas Deum cognoscet, ut diximus, utpotè qui respectu illarum est potentia improportionata, illasque vitaliter non produceret; ac proindè respectu Dei maneret improportionatus in ratione potentiæ, & objecti, ut posset illum cognoscere per illas species, & recipere in se earum effectum formalem.

211. Objicies 4. Aqua baptismalis divinitùs elevatur ad producendam gratiam: Ignis inferni ad torquendos dæmones: & phantasma expressum etiam naturaliter elevatur ad producendam speciem spiritualem intelligibilem; ergo etiam oculus sic poterit divinitùs elevari ad videndum Deum. Respondeo dato antecedente, de quo jam alibi in Logica, & in Physica, negando consequentiam; diversa ratio est, quia omnia illa elevantur in genere effectivo, & concurrunt ut potentiæ productivæ, quæ habent pro objecto omne producibile, quales sunt omnes illi effectus, sicque in illis producendis non feruntur extra sua objecta: ferretur tamen oculus, si Deum intuitivè videret, ut diximus, quod est impossibile.

212. Objicies 5. Oculus potest divinitùs elevari ad cognitionem abstractivam objecti, cùm sit essentialiter intuitivus; siquidem potest Deus illi infundere speciem objecti non existentis, nempè Sanguinis, aut pueri in Eucharistia; ergo etiam poterit elevari divinitùs ad videndum Deum intuitivè. Respondeo negando antecedens, ut supra diximus, ad cujus probationem dicimus, oculum in illis casibus solùm cognoscere objectum sub præsentia apparenti, & nunquam ut formaliter absens, sive sub ratione absentiæ, cùm sit essentialiter intuitivus.

213. Objicies 6. Oculus in patria elevabitur ad videndam lucem Corporis Christi Domini, & aliorum Beatorum; ergo etiam ad videndum Deum. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia illa lux, aut est naturalis; aut si est supernaturalis (de quo alibi,) est corporea; sicque manet intra objectum oculi, qui solùm tunc eget elevatione ad sustinendam tantam lucis intensionem: at verò Deus manet extra objectum oculi, ut diximus.

214. Instabis: Lux supernaturalis etiam manet extra objectum oculi; & tamen potest elevari ad illam videndam: ergo &c. Respondeo manere extra illius objectum reduplicativè sumpta, quà supernaturalis est; siquidem supernaturalitas non est lucida, neque colorata, sicque non est objectum oculi: manere tamen sumpta specificativè sub ratione objecti lucidi, sub qua tantùm ratione attingitur ab oculo, & est illius objectum.

215. Objicies 7. Oculus cognoscit suos actus, licet non sint lucidi, & colorati; ergo etiam sic cognoscet Deum, licet non sit objectum sensibile. Respondeo negando antecedens: non enim reflectit supra suos actus, ut alibi diximus in Physica, quod necessarium erat, ut illos cognosceret, sed solùm valdè impropriè experitur suas sensationes, & se sentire, ac videre.

216. Objicies 8. Ideò oculus non posset divinitùs Deum videre intuitivè, quia illum non videt naturaliter, saltem confusè; sed intellectus creatus neque confusè cognoscit naturaliter Mysterium Trinitatis, & Incarnationis, quæ tamen divinitùs possunt ab illo cognosci; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: neque confusè illa cognoscit naturaliter defectu medii naturalis; concedo minorem: defectu virtutis potentiæ, & intelligibilitatis in objecto; nego minorem: cùm ex illo, & non ex hoc defectu non attingantur, adhuc manent intra illius objectum, possunt divinitùs clarè cognosci: at verò Deus, cùm habeat medium naturale, ut cognoscatur, sic enim ab intellectu cognoscitur, & non sic attingatur ab oculo naturaliter, saltem confusè, non potest ab eo clarè divinitùs videri.

217. Objicies 9. Intellectus creatus præter objectum, quod connaturaliter cognoscit intuitivè, habet aliud, quod supernaturaliter elevatus potest etiam intuitivè cognoscere; ergo idem dicendum de oculo, & qualibet potentia corporea; neque enim assignabitur major ratio. Respondeo concedendo totum; oculus enim intra suum objectum adæquatum, præter lucem naturalem, quam connaturaliter attingit, habet etiam lucem supernaturalem, quam elevatus attingit, ut supra diximus.

218. Inferes: Ergo sicut potest elevatus lucem supernaturalem videre; ita etiam sic poterit Deum videre intuitivè; siquidem eo ipso, quod intellectus creatus potest elevari ad videndum intuitivè objectum creatum supernaturale, nempè habitum

habitum charitatis, evidenter infertur, quod possit etiam ipsum Deum videre; ergo etiam ex eo, quod oculus videat lucem supernaturalem, benè inferetur, quod possit etiã ipsum Deum videre, cùm illa sit quodammodo in eodem ordine cum Deo. Respondeo negando illationem; diversa ratio est, quia lux illa, licet supernaturalis, cùm sit materialis, & corporea, adhuc continetur intra objectum adæquatum oculi, ut supra diximus: non ita verò Deus, cùm sit spiritualis, & minimè sensibilis. Ad probationem etiam datur diversa ratio, quia cùm intellectus sit potentia spiritualis, Deus neque quà spiritualis, neque quà supernaturalis, (si ens supernaturale dici debet, de quo jam in Metaphysica,) potest effugere illius objectum adæquatum: at verò oculus cùm sit potentia materialis, dato quod Deus ratione supernaturalitatis præcisè non esset extra illius objectum, sic tamen manet ratione spiritualitatis. Ex dictis.

219. Colliges primò, Visionem Beatam per oculos corporis de lege ordinaria non esse communicandam Beatis post resurrectionem, ut credebant aliqui relati à D. August. *Epist. 6.* quibus favere videtur idem August. *Epist. III. & lib. 22. de Civit. cap. 29.* ubi utramque partem discutiens, neutram ausus est definire, ut testantur *P. Valent. P. Vasq. P. Soar. cit. & P. Sal. 1.2. tract. 2. d. 5. sect. 1.* quem errorem confutat ex Patribus *P. Gil. tom. 2. tr. 2. cap. 16. & Egitanens. tom. 1. lib. 4. q. 5. §. 3. n. 42.* Neque D. August. locis citatis in favorem illius erroris dubitavit, utrùm oculi corporei visuri essent Deum? Sed, utrùm per resurrectionem corpus materiale mutandum esset in spirituale, & cõsequenter oculi corporales in spirituales? Quo dato, tenet D. August. videndum Deum oculis humanis; si autem oppositum dicatur, quod magis ipse probat, prorsus inficiatur, Deum videri oculis corporeis. Ita illum interpretantur *P. Gil. cit. cap. 16. num. 4.* & latiùs Egitan. *cit. q. 5. a. 2. §. 4.* Et *P. Soar. cit. num. 5.* cum D. Thom. hîc *art. 3. ad 2.* dicunt D. Augustin. ibi solùm dicere, debere de ea re inquirere, sicque locutum fuisse quasi inquirendo, non autem affirmando.

220. Colliges secundò, falsam esse sententiam asserentem ex peculiari privilegio communicatam fuisse Visionem Beatam per oculos corporis Sanctis Patribus in apparitionibus, quæ scribũtur eis factę in veteri testamento, ut opinatus est D. Epiph. *hæres. 70.* aut Humanitati Christi Domini, quod etiam crediderunt aliqui apud D. Aug. *Epist. 6. cit.* quos dicendi modos refellit. *P. Gil. cit. cap. 15. num. 3.* ex communi doctrina Sanctorum Patrum, & satis poterat confutari ex testimoniis Sacræ Paginæ à nobis sæpius adductis, in quibus Deus dicitur absolutè invisibilis, & à nemine unquam visus, quæ juxta communem Sanctorum Patrum sensum intelligenda sunt de invisibilitate per oculos corporeos. Addo, quia privilegium videndi Deum per oculos mentis puro viatori concessum non fuit, ut infrà dicemus; ergo neque per oculos corporis, licet id possibile foret.

221. Colliges tertiò, de fide esse, quod oculus, qui de facto datur, non potest de lege ordinaria, idest naturaliter Deum videre in se immediatè, & intuitivè. Ita *P. Valent. 1. p. q. 12. punct. 8. P. Arrub. 1. p. q. 12. d. 18. num. 1. P. Herice d. 43. num. 4. & P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 6. n. 4.* Ubi ait de fide certum esse Deum non esse visibilem sensibili, & corporali modo, & intelligit, quod non sit visibilis naturaliter à sensu corporeo, quia hic solùm potest cognoscere sensibili modo connaturaliter: nam utrùm ab eodem sensu possit Deus videri de potentia absoluta, ut hactenùs disputavimus, & modo veluti spirituali, ut ipse *P. Soar.* loquitur *n. 3.* est alia quæstio, quam ipse negativè resolvit *n. 5.* quod quidem diligenter notãdum est, cùm sit materia adeò gravis, & *P. Alarcon. 1. p. tract. 1. d. 1. cap. 5. n. 2. ac P. Fasol. 1. p. q. 12. a. 3.* indistinctè allegent, quasi dicant, eum non tenere esse de fide, quod Deus non possit videri oculis corporeis, cùm tamen P. Soar. quando ait id non esse de fide, loquatur in alio sensu, de quo *n. 5.* Undè.

Colliges quartò, quamvis non sit de fide, esse 222.
tamen dogma proximum fidei, quod oculus, qui de facto datur, nec de potentia absoluta potest Deum intuitivè videre. Ita *P. Soar. cit. num. 5. P. Granad. 1. p. tract. 4. d. 1. n. 4. P. Tanner. 1. p. d. 2. dub. 1. num. 8.* ubi ait, hanc conclusionem esse quasi theologicè certam, & *P. Vasq. 1. p. d. 40. num. 2.* dicit, id adeò efficaci ratione naturali probari, ut oppositum error manifestus debeat judicari. Hoc etiam extendo cum P. Granad. cit. ad sensus internos, qui de facto dantur.

SECTIO X.

Quid dicendum sit de potentia sensitiva creabili?

DIFFICULTAS 2. Utrùm Deus possit intuitivè, & in se immediatè videri per potentiam sensitivam, & materialem, saltem creabilem? Advertes, quæstionem posse procedere, aut de potentiâ sensitivâ creabili, quæ possit Deum connaturaliter videre intuitivè: aut de illa, quæ sic possit elevata Deum videre? Hoc posito. 223.

Dico 1. Impossibilis est potentia sensitiva, & 224.
materialis, quæ possit connaturaliter Deum videre intuitivè. Ita Doctores infrà citandi, & omnes illi, qui dicunt impossibilem esse potentiam spiritualem, cui connaturalis sit Visio Beata, quos supra citavimus *num.* 143. Probatur primò, quia non est à Deo factibilis potentia intellectiva, quæ suâptè naturâ, & absque dono supernaturali superaddito, Deum possit intuitivè videre, ut diximus loco proximè citato; ergo à fortiori non erit à Deo factibilis potentia sensitiva, quæ sic possit Deum connaturaliter videre.

Probatur secundò, & quasi theologicè, quia 225.
intellectus Angelicus, qui de facto datur, non potest naturaliter Deum videre; sed quælibet potentia sensitiva à Deo creabilis est minùs proportionata ad videndum Deum, quàm talis intellectus; ergo nulla est possibilis, quæ Deum connaturaliter videat. In quo Syllogismo Major est de fide, ut supra diximus: Minor autem mihi videtur scientifica, (maximè cùm *P. Soar. cit. num. 4.* dicat esse de fide, Deum non esse visibilem sensibili, & corporali modo,) quid enim magis evidens excogitari potest in scientiis, quàm quod potentia materialis non possit cognoscere modo spirituali, sed tantùm materiali?

Probatur tertiò ex D. Thom. hîc *q. 12. art. 3.* 226.
quia potentia sensitiva, etiam à Deo creabilis, esset actus organi corporei; siquidem de ratione potentiæ corporeæ est insidere organo corporeo, ipsumque cum dependentia ab illo informare; ergo suâptè naturâ ferri non posset, nisi in corpus; siquidem eo modo, quo res accipit esse, eo

accipit operari; modus enim operandi sequitur modum essendi, ut absque exceptione recipiunt Philosophi, & Theologi; sed talis potentia ab organo acciperet esse corporeum, extensum, & dependens; ergo etiam sic acciperet suum operari; sicque solùm circa corpus operaretur. Confirmatur, quia Philosophi indè colligunt animam rationalem esse independentem à corpore, quia cognoscit res spirituales; ergo è contra si potentia sensitiva suâptè naturâ à corpore dependet, signum est non posse suâptè naturâ cognoscere res sprituales, & multò minùs Deum clarè videre.

227. Dico 2. Impossibilis etiam est potentia sensitiva, & materialis, quæ dono supernaturali superaddito, sive elevata possit Deum intuitivè videre. Ita *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 6. num. 6.* ubi contrariam Sententiam dicit fictitiam, & chimæricam, *P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 5. sect. 1. n. 5. dub. 2. P. Tanner. d. 2. q. 4. dub. 1. n. 9. P. Herice tract. 4. d. 43. cap. 3. n. 38. P. Præpositi. 1. p. q. 12. art. 3. n. 25. P. Albertin. tom. 1. in 1. princip. Philos. dub. 4. P. Compton. tom. 1. d. 10. sect. 7. n. 1.* & omnes illi, qui tenent, impossibilem esse potentiam sensitivam, & materialem, quæ aut connaturaliter, aut divinitùs elevata possit attingere rem spiritualem, quos citavimus, & secuti sumus in *Phys. tract. 11. d. 2. num. 32. & 52.* ubi & fundamenta, & argumenta, quæ in contrarium adducuntur, videri possunt, eandem enim vim habent contra præsentem quæstionem, non tamen sunt repetenda.

228. Probatur, quia potentia essentialiter vitalis, qualis est omnis cognoscitiva, sive intellectiva, sive sensitiva, licet sit elevata per donum, vel auxilium supernaturale, non potest ferri in objectum, nisi cum eo habeat proportionem objectivam, eamque connaturalem saltem inchoatam, & incompletam; sed nulla potentia sensitiva, etiam creabilis ex eo, quod sit sensitiva, habet proportionem objectivam connaturalem saltem inchoatam, & incompletam cum Deo clarè viso; ergo neque elevata poterit Deum clarè videre; consequenterque est impossibilis.

229. Probatur major quoad primam partem, quia si potentia nullam habeat proportionem objectivam, sive in ratione objecti cum re cognita, ferretur sine dubio extra suum objectum; sed nulla potentia potest etiam divinitùs ferri extra suum objectum; ergo ut potentia possit ferri, etiam divinitùs in aliquod objectum, debet habere cum illo aliquam proportionem objectivam, sive in ratione objecti.

230. Probatur eadem major quoad secundam partem, nempè quod talis proportio objectiva sit necessariò cõnaturalis, saltem inchoata, & incompleta, quia licet virtute divina facilè vinci possit omnis improportio entitativa, qualis datur in potentia, vel agente corporeo ad producendum effectum spiritualem, vel supernaturalem; nullatenùs tamen vinci potest improportio objectiva; siquidem destrueretur essentia potentiæ; sed essentia potentiæ non destruitur per tendentiam ad objectum sibi improportionatum, nisi ab eadem tollatur aliquid sibi connaturale, & essentiale in ordine ad objectum sibi proprium; ergo proportio objectiva semper affert proportionem connaturalem, saltem inchoatam, & incompletam.

231. Confirmatur, quia si proportio objectiva salvari posset cum sola proportione meré obediențiali circa objectum cognoscendum, sequeretur posse etiam elevari subjectum de se improportionatum, qualis est lapis, aut lignum, ad videndum Deum; siquidem potentia obediențialis, quæ est subordinatio creaturæ ad Divinam Omnipotentiam, æqualis est in omnibus creaturis; atqui sequela non est admittenda; ergo quod hæc potius, quàm illa creatura elevari possit ad effectum cognitionis, provenit ex eo, quod ex parte potentiæ elevandæ detur proportio aliquo modo connaturalis, nempè inchoata, & incompleta.

Probatur minor nostræ probationis: Primò, 232.
quia, ut supra diximus, major improportio datur inter potentiam sensitivam, & Deum clarè visum, quàm inter auditum, & visibile; odoratum, & audibile; intellectum, & appetibile, sicque de aliis; siquidem objecta illa sunt naturalia, suâptè naturâ corporalia; Deus autem est quid omninò supernaturale, immateriale, & insensibile; sed auditus ad visibile (idemque de aliis) nullam habet proportionem objectivam, etiam inchoatam, & incompletam; ergo neque sic habebit potentia sensitiva, etiam creabilis ad Deum clarè visum. Secundò, quia ex eo colligimus dari in nostro intellectu proportionem connaturalem, saltem inchoatam, & incompletam ad cognoscendum intuitivè Deum, quia ipsum propriis viribus attingere potest, saltem confusè; sed potentia illa, cùm foret essentialiter corporea, & dependens à corpore, neque confusè posset sic attingere spiritum; ergo non haberet proportionem connaturalem etiam inchoatam ad videndum Deum.

Oppositа Sententia tribui potest *P. Valent. 1. p.* 233.
q. 12. punct. 8. §. Sed quæret. quatenùs asserit, non satis constare, quod implicet, ut potentia aliqua sensitiva sic à Deo condatur, ut vel naturâ suâ, vel dono aliquo superaddito, valeat non solùm objecta sensibilia corporalia, sed etiam aliquod objectum spirituale, atque adeò Deum ipsum percipere. Tribui etiam potest *P. Arriag. d. 5. de Anim. sect. 2. & 1. p. d. 6. sect. 1. num. 3.* quatenùs asserit, nullam esse repugnantiam in eo, quod aliqua potentia materialis creetur à Deo potens cognoscere objectum spirituale; licet enim dicat ex possibilitate potentiæ materialis potentis cognoscere aliquod objectum spirituale non sequi, possibilem esse aliam, quæ cognoscat omnia, sicque Deum; addit tamen, fortè non repugnare potentiam adeò perfectam materialem, ut elevata possit etiam Deum videre: pro quibus:

Argues 1. ex D. Aug. *lib. 22. de Civit. cap. 29.* 234.
dum sic ait: *Sicut ergo constat, videri corpora spiritu: quid si tanta erit potentia spiritualis corporis, ut corpore videatur & spiritus?* ex quibus ad minimum colligitur D. August. dubitasse, an per potentiam corpoream videri possit Deus; quod etiam colligitur ex ejus Epist. III. apud *P. Vasq. 1. p. d. 40. cap. 2. num. 2.* ergo &c. Respondeo authoritatem D. August. non facere ad præsentem quæstionem; dubium enim Sancti Doctoris (si dubitavit,) solùm fuit, utrùm corpus materiale post resurrectionem mutandum esset in spirituale, in quo sensu affirmat, Deum clarè videndum oculis talis corporis, ut suprà jam diximus.

Argues 2. Nulla apparet repugnantia, quare 235.
id Divinæ Omnipotentiæ sit denegandum; ergo &c. Respondeo negando antecedens, repugnantia enim satis apparet ex dictis in probatione in contrarium adductâ.

Argues 3. Deus potest efficere potentias sen- 236.
sitivas perfectiores in infinitum; ergo devenien-
dum erit ad aliquam, quæ aut naturâ suâ, aut
saltem

saltem dono aliquo supernaturali superaddito, possit Deum videre. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam: semper enim illa potentia quantavis perfectione prædita, maneret intra genus potentiæ sensitivæ, & materialis, de cujus ratione est, non posse attingere objectum tantùm spirituale, nè dùm spirituale supernaturale, qualis est Deus.

237. Argues 4. Hujusmodi potentia concurreret ad Visionem per potentiam obedientialem, quæ non distinguitur ab entitate rei, prout subest Omnipotentiæ divinæ; sed nullum est inconveniens, quod potentia sensitiva, saltem perfectissima, sit instrumentum obedientiale respectu Visionis Beatæ; ergo &c. Respondeo negando majorem juxta superius dicta; potentia enim vitalis, qualis esset illa, non concurrit ad cognitionem per potentiam merè obedientialem, quæ consistit in sola entitate rei cum subordinatione ad Omnipotentiam Divinam, prout diximus in Physica, sed per naturalem, saltem inchoatam, & incompletam; alioqui posset divinitùs elevari oculus ad audiendum, auditus ad videndum, lapis, aut lignum ad cognoscendum; siquidem in his datur potentia merè obedientialis ad tales effectus, ad quos tamen elevari non possunt.

238. Hinc colliges in Sententia asserente dari in nostro intellectu potentiam, seu virtutem merè obedientialem ad videndum Deum, ejusque Visionem Beatam producendam, de quo infrà, ægrè admodum solvi hanc, & superiorem difficultatem.

SECTIO XI.

Utrùm Visio Beata sit virtute divina intellectui creato communicanda: & de facto alicui jam sit communicata?

239. IN superioribus contra plures hæreticorum errores, divina saltem virtute ostendimus possibilem esse Visionem Beatam; licet connaturalis esse nequeat intellectui creato, aut creabili, prout supra etiam diximus: adhuc tamen circa existentiam ejusdem Visionis Beatæ duplex restat difficultas expedienda: Prima, utrùm alicui communicanda sit? Secunda, utrùm de facto jam sit communicata? pro quo sit:

240. Difficultas 1. Utrùm Visio Beata intellectui creato de facto sit communicanda? Affirmativè. Est de fide. Ita unanimis Sanctorum Patrum consensus, quos citant, & sequuntur omnes Doctores catholici. *P. Vasq. 1. p. d. 37. cap. 2. 3. 4. & 5. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 7. à n. 2. Egitanienſ. tom. 2. lib. 12. q. 1. a. 1. Lorca 1. 2. q. 5. d. 27. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 4. ſect. 1. P. Valent. 1. p. q. 12. punct. 1. P. Gil. tom. 2. tract. 4. cap. 3. & 4. Ægid. Luſit. tom. 2. lib. 12. q. 1. art. 2. 3. & 4.* citans ferè omnia tùm Græcorum, tùm Latinorũ Patrum testimonia.

241. Probatur primò authoritate Scripturæ Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et cap. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Erunt autem homines, *ſicut Angeli Dei.* Et Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo me ipſum illi.* Et 1 Cor. 13. *Tunc autem facie ad faciem.* Et infrà: *Tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Et 1. Joan. 3. *Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Et Apoc. 22. *Servi ejus ſervient illi, & videbunt faciem ejus.* Et sæpè alibi, quæ & plura alia loca adeò manifesta sunt, ut nisi à protervo, & pertinaci ingenio aut negari, aut aliò detorqueri nequeant, ut ostendit P. Vasq. cit.

242. Probatur secundò ex definitione Ecclesiæ in cap. *Damnamus de ſum. Trinit.* in Concil. Florent. *Seſſ. ult. in litt. unionis*, ubi dicitur *Beatas animas clarè intueri Deum Trinum, & Unum, ſicuti eſt.* In Concil. Francoford. in Epist. *ad Epiſcopos Hiſpaniæ.* In Extravag. *Benedictus Deus*, quam citat Alfons. à Castro, ubi de animabus Sanctorum, qui post mortem Christi Domini decesserunt, sunt, & erunt in Cœlo definitur à Benedicto XII. *Vident*, ait, *& videbunt Divinam Eſſentiam immediatè, ſe benè, clarè, & apertè illis oſtendentem.* Definita etiam est hæc veritas ab Evaristo Papa in Epist. 1. *Decretal. tom. 1. Concilior.* ibi: *Si enim Filius Deus verus, & vita æterna eſt, ſine dubio in hac luce ſimul cum Patre habitare credendus eſt, quam nullus modò noſtrùm in hoc mortali corpore conſtitutus poteſt aliquatenùs contueri: ſed dùm apparuerit, verè tunc illum videbit ſicuti eſt, qui ejus conſpectu fuerit dignus coaptari, & non ſicut Moyſes, cæteriq; Prophetæ per ænigma, & figuram, ſed ipſam veraciter in Filio ſecundùm Apoſtolum contuebitur veritatis imaginem, &c.*

243. Hæc veritas ratione naturali ostendi non potest; siquidem cùm possibilitas visionis Beatæ demonstrari nequeat, ut supra vidimus *num. 34.* à fortiori neque ejus futuritio demonstrari poterit; hæc enim cùm sit libera, ex solo Dei decreto pendet, quod quidem occultissimum esse creatæ menti, & Sacra Scriptura, & Patres, & Theologi passim testantur.

244. Probatur adhuc tamen ex D. Thom. hîc *art. 1.* quia homo potest consequi suam beatitudinem; siquidem ad eam, ut ad ultimum finem destinatus est; sed Beatitudo hominis, saltem partialiter, consistit in Dei visione; siquidem consistit in altissima hominis operatione, qualis est Visio Dei; ergo homo potest hanc consequi; consequenterque erit ei communicanda.

245. Hæretici, qui possibilitatem Visionis Beatæ impudenter negabant, eandem à fortiori aliquando futuram denegabunt, quorum error præter ea, quæ supra attulimus *n. 10.* sic probari potest. Objicies 1. In 1 Petr. 1. de Deo dicitur: *In quem deſiderant Angeli proſpicere*; ergo si Angeli videre Deum desiderant; signum est ipsum per visionem non possidere, imò nec possessuros; siquidem jam sunt Beati absque prædicta visione, quod de facto non haberent, si postea visuri essent Deum, ut constat. Ex quo loco etiam colligitur, homines nunquam Deum visuros; siquidem cùm in visione Dei futuri sint æquales Angelis, ut constat Matth. 11. *Sed erunt ſicut Angeli Dei*: etiam similiter Deum videre desiderabunt, & ad possessionem visionis non pervenient.

246. Respondeo per desiderium illud Angelorum non significari absentiam Visionis beatæ, sed possessionem sine fastidio: nam ut Spiritus Sanctus significet possessionem bonorũ cælestium esse sine nausea & fastidio, quæ imperfectio comitari solet bona hujus vitæ fragilia, eam sæpè exprimit in Sacrâ Paginâ per desiderium, famem, & sitim, ut patet ex illo Ecclesiast. 24. *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Quemadmodum ut oppositum defectum rerum creatarum à Beatitudine excludat, eandem sub nomine satie-

tatis

tatis aliquando explicat ut Psalm. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Et Joan. 4. *Qui biberit ex aquâ quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Et juxta hunc sensum locum D. Petr. eleganter explanat D. Greg *lib. 18. moral. ad finem*, quem sequuntur *D. Isidor. lib. 1. de Sum. Bono, cap. 10. Beda. D. Thom. & P. Soar. lib. 6. de Angel. cap. 2.*

247. Objicies 2. Illud Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam, Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*: quo in loco omnes, etiam Angeli excluduntur à visione Dei, cùm soli Dei Filio concedatur; ergo si Angeli usque ad illud tempus, quo hæc Joannes pronunciavit, Deum non viderant, cùm tamen jam essent Beati, apertè infertur ad ipsorum perfectam beatitudinem necessariam non esse visionem Dei; consequenterque neque Angelos, neque homines Deum unquam visuros. Respondeo locum illum Joannis, sicut & alia similia, quæ supra adduximus loco proximè citato, intelligenda esse de solis hominibus viatoribus, Vide *P. Vasq. cit. cap. 6.*

248. Objicies 3. Ex Sanctis Patribus tam Græcis, quàm Latinis, quorum testimonia adduximus supra *n. 16.* ex quibus cõfirmari potest hic idem error; ergo &c. Respondeo nullum ex Sanctis Patribus fuisse in hoc errore, ut in explicatione ad eorum testimonia loco proximè citato constare potest.

249. Difficultas 2. Utrùm Visio beata de facto jam sit alicui communicata? Advertes quæstionem posse procedere de communicatione Visionis beatæ facta comprehensoribus in patriâ: aut de communicatione facta viatori in viâ. In primo sensu decidenda erit in præsenti: In secundo autem sensu quid sentiendum sit, dicemus in Sectione sequenti. Hoc posito.

250. Dico 1. Certum de fide est, Visionem beatam de facto communicatam fuisse Sanctis Angelis. Probatur ex illo Matt. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris, &c.* Quæ verba intelligunt Sancti Patres de clara, & beatifica Dei visione, & intelligenda esse non solùm de Angelis custodibus, de quibus tunc loquebatur Christus Dominus, sed etiam de cæteris omnibus doctè probat *P. Soar. lib. 6. de Angelis cap. 2.*

251. Quæres tamen hìc: quandonam inceperint Angeli videre Deum? Respondeo, non constare de momento, horâ, & die. Dicendum tamen, quod non inceperint Deum videre ante hujus mundi creationem; siquidem temerarium est dicere, quod antea fuerint creati, ut tenet *P. Soar. lib. 1. de Angelis, cap. 3. num. 15.* licet *P. Vasq. 1. part. d. 224.* dicat id tantùm contineri intra terminos opinionis probabilis. Fuerunt igitur creati in eodem momento, quo cœlum, & terra, ut latè probat, & eruditè P. Soar. loco cit. & nos jam alibi diximus: & in eodem gratiam acceperunt, ut idem P. Soar. docet *lib. 5. de Angelis, cap. 4.* gloriam autem aliquo post tempore, sed ante quam Christus Dominus in carne veniret, & resurgeret, imò & primi parentes peccarent, ut doctè probat idem *P. Soar. lib. 6. de Angel. cap. 2. à n. 5.* siquidem cùm mali Angeli qui Evam tentarunt, jam essent damnati, quando tentarunt, consequenter boni erant glorificati. Utrùm verò in eadem die, aut horâ, quâ fuerunt creati? Id quidem ex fide, neque ex ratione constat, licet pro comperto habendum sit, quod intra breve tempus post suam creationem fuerint glorificati per Visionem Dei claram, ut videri potest apud eundem *P. Soar. lib. 6. de Angel. cap. 3.*

252. Dico 2. Certum est etiam de fide (licet P. Soar. contrariam sententiam solùm dicat erroneam, & hæresi proximam,) Visionem beatam perfectissimam communicatam fuisse in hac vitâ mortali Animæ Christi Domini, secundùm quam erat perfectissimus comprehensor, licet secundùm corpus esset viator. Ita omnes Theologi cum *Magist. in 3. dist. 14. & D. Thom. 3. part. quæst. 9. art. 4. & quæst. 15. art. 10. Canus lib. 12. de locis, cap. 14. P. Soar. tom. 1. in 3. part. d. 25. sect. 1.* Probatur primò ex illo Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, &c.* Ubi indicatur gloriam, & plenitudinem gratiæ datam esse Christo homini. Et eodem cap. 1 *Deum nemo vidit unquam, Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*, ac si diceret, qui videt, *ipse enarravit.* Et c. 3. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur.* Et cap. 8. *Ego quæ vidi apud Patrem loquor.* Et cap. 12. *Ubi ego sum, illic & minister meus erit*, idest in gloria. Et Psal. 40. *Beatum faciet illum in terrâ.* Confirmatur, quia gloria Transfigurationis signum fuit gloriæ latentis in anima, ut omnes Patres exponunt loquentes de illo mysterio.

Probatur secundò rationibus: Prima, quia Chri- 253.
stus Dominus futurus erat Author divinæ doctrinæ, & Doctor Mysteriorum Dei; ergo oportuit, ut non tantùm audita, sed à se visa visione beatificâ narraret. Secunda, quia Christus Dominus semper fuit Filius Dei naturalis; ergo & hæres; ergo & possessor; neque enim indigebat tempore ad fruendum hæreditate; neque interventura erat mors Patris, ut adiret hæreditatem. Tertia, quia non est credibile, Personam divinam non statim ditasse naturam suam omnibus donis gratiæ, & gloriæ; omnemque imperfectionem ab ea abjecisse; sed carere tantâ felicitate, magna esset imperfectio, quæ nec nobis erat necessaria, nec Personam Divinam decebat; ergo &c.

Dices 1. Carere Visione beatâ fuit nobis, & 254.
Christo Domino necessarium, ut sibi, & nobis mereri posset, & pro nobis dolere, & tristari; ergo &c. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, quoad ipsum melius fuisse, si semper fuisset Beatus, quàm beatitudinem mereri, præsertim cùm hæc esset sibi connaturalis ratione Unionis hypostaticæ. Additur, quod si oportuisset sibi mereri beatitudinem, potuisse id facere, quin ea caruisset: quoad nos potuit simul esse Viator, & comprehensor, & ita pro nobis mereri.

Dices 2. Gloria corporis, & animæ sunt neces- 255.
sariò conjuncta, si corpus, & anima sint inter se conjuncta; siquidem gloria corporis manat ex gloria animæ, ut docent Theologi cum D. Aug. *epist. 56.* Sed Corpus & Anima Christi Domini in via erant conjuncta, quin in ejus corpore appareret gloria animæ; ergo hæc carebat Visione beata. Respõdeo gloriam fuisse quidem debitam corpori Christi Domini à principio suæ conceptionis, non solùm ratione gloriæ animę, sed etiam ratione unionis: Divinâ tamen dispensatione propter nostram redemptionem, voluit illâ ad tempus carere.

Dices 3. Luc. 24. dicitur: *Nonne oportuit pati* 256.
Christum, & ita intrare in gloriam suam; ergo ante Passionem non intravit in gloriam. Unde dicitur Joan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat* Jesus *glorificatus.* Et ideò orat ipse Christus Joan. 17. *Clarifica me tu Pater.* Respondeo cum *P. Soar. tom. 1. in 3. p. d. 25. sect. 1.* hæc testimonia intelligi de gloria Resurrectionis & Ascensionis, & de manifestatione, & exaltatione Nominis Christi.

Dico 3. Certum est etiã de fide, Visionem beatam 257.
commu-

communicatam esse, & de facto communicari animabus Sanctis, quæ aut in suis corporibus, aut eisdem exutæ, & omninò purgatæ sceleribus, quæ in via quolibet modo contraxerunt, in cælum recipiuntur. De hac assertione primis Ecclesiæ temporibus fuit etiam inter aliquos Patres controversia propter opinionem asserentem, animas justorum non esse Deum visuras ante universalem resurrectionem, sed aut immediatè post finitum universale judicium: aut mille annos ante, vel post illud, cujus asserti, sive opinionis Authores appellati sunt Chiliastæ, sive Millenarii.

258. De hac re hodie dubitare non licet, ut ex dicendis constabit. Primus ex hæreticis, qui asseruit, omnes animas, licet Sanctorum hominum, usque ad ultimi judicii diem servari in quibusdam abditis receptaculis, ubi nec Deum videant, nec beatæ dici possint, nisi in spe, fuit Tertullian. *lib. 4. in Marcion. & lib. de Anim.* duobus ultimis capitibus. Eum sequutus est Vigilantius, de D. Hieron. in lib. contra eundem. Tribuitur etiam Armenis à Guido *in sum. de hæreticis*. In eodem versabantur Græci, ut constat ex Concil. Florent. *Sess.* 1. & D. Thom. *in Opusc. 6. cap. 9.* Eundem habet Lutherus *in prælect. in gen.* Cornel. Aggripa *lib. 3. de occult. Philosoph.* Calvin. *lib. 4. Instit. cap. 20. & 25.* & alii apud *P. Bellarm. lib. 1. de Beatitud. Sanctor. à cap. 1.* Quia tamen res est adeò gravissima, sit:

SECTIO XII.

Vtrùm piorum hominum animæ, quæ corpore solutæ nullâ egent purgatione, sint jam ad fruendam claram Dei visionem admissæ?

259. RESOLUTIO affirmativa tenenda est de fide, definitaque fuit in Concil. Florent. *sess. ult. in litr. unionis*, & in Concil. Trid. *sess. 25.* Idem etiam docet Innocent. III. *cap. Apostolicam.* Extra. *de præsbyter. non baptizat.* Idemque post longas disputationes definivit Benedictus XII. Extravag. quæ incipit: *Benedictus Deus*, quam refert à Castro, *lib. 3. contr. hæres.* verbo *Beatitudo.*

260. Probatur primò ex variis Scripturæ locis. Primus locus est in Ecclesiast. 11. ibi: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundùm vias suas*, ubi non solùm significat posse Deum id facere, ut aliqui dicunt, sed ita facere solere, ita ut illud *facile est*, non significet, posset Deus, si vellet, sed reddit Deus, & facilè reddit; alioqui, si posset, & non redderet, frustrà Sapiens hoc argumento hortaretur ad benefaciendum. Dicent, quando hæc scripta sunt, non dari remunerationem essentialem in die obitûs, sed tantùm requiem in sinu Abrahæ. Sed contra, quia tunc dabatur remuneratio, quæ pro eo tempore haberi poterat; siquidem non dum Cœlum erat reseratum; nunc autem reseratum est, sicque ex illius sententia sequitur, in die obitûs requiem, sive beatitudinem justis animabus dari.

261. Secundus locus est Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso*: id est, in regno cælestis gloriæ, ut exponunt D. Amb. Beda, Theophylact. & D. Cyril. Hierosolym. Cateches. 13. fin. ubi interpretatur idem esse, ac dicere: *Hodie erit tibi salus.* Dicent primò, cum Euthym. Christum Dominum hîc loqui de paradiso terrestri. Sed contra primò, quia paradisus terrestris est locus deliciarum corporibus, non animabus; Christus autem promisit latroni hortum deliciarum ipsi, & ejus animæ convenientem, idest spiritualem. Secundò, quia Christus ei promisit consortium secum: *Mecum eris*; Christus autem non terrestrem, sed cœlestem paradisum introivit.

Dicent secundò, latroni promissum fuisse paradisum cœlestem, sed dandum post resurrectionem; dixisse autem Christum: *Hodie eris*: propter certitudinem rei futuræ: sic enim Prophetæ sæpè exprimunt res futuras per tempus præsens, aut præteritum. Sed contra primò, quia opus non est recurrere ad figuras, & relinquere propriam verborum significationem, nisi quando alioqui absurditas aliqua sequeretur. Secundò, quia hæc verba non sunt prophetica, sed continent simplicem promissionem, sicque simpliciter intelligenda sunt. 262.

Tertius locus est Ephes. 4. *Christus ascendens in altum, captivam duxit captivitatem*: idest animas Sanctorum Patrum, quæ in limbo detinebantur, easque in cœlum evexit; ut interpretantur D. Hieron. in Psal. 67. & D. Amb. in locum cit. Dicent: Non sequitur, Sancti sunt in cœlo; ergo Deum vident. Respondeo rectè sequi; per cœlum enim intelligimus sedem, & quasi aulam regiam Dei, ubi Deus semper videtur juxta illud Matth. 18. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei*: Erunt autem homines in cœlo sicut Angeli Dei, ut idem Christus dicit. 263.

Quartus locus est Philipp. 1. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*; frustra autem id desideraret D. Paulus, si animæ servarentur in aliquo loco, extra Cœlum, & non potuisset statim esse cum Christo, qui in cœlis est; cùm tamen ex sententia D. Amb. ad eum locum sit *præmii loco Deo perfrui cum Christo*, juxta illud: *Et ubi sum ego, illic & minister meus erit.* Joan. 12. Plura alia loca adducunt *P. Bellarm. lib. 1. de Beatitud. Sanctor. cap. 3. P. Valent. tom. 2. in 1. p. d. 1. q. 4. punct. 2.* quæ ibi videri possunt. 264.

Probatur secundò authoritate Sanctor. Patrum. Ex Græcis D. Ignat. in Epist. ad Rom. *Sinite me puram lucem aspicere, illuc perveniens homo Dei ero.* Et rursum *Miserabilis sum nunc, donec Deum merear adipisci.* Et D. Dionys. *cap. 7. de Eccles. Hierarch p. 1. Norunt*, inquit, *profectò se totos percepturos exactissimam ad Christi speciem, requiem, cùm ad præsentis vitæ finem pervenerint.* Et D. Justin. *quæst. 151. At*, inquit, *post animi à corpore excessum statim bonorum, malorumq; distinctio, &c.* D. Irenæus lib. 2. cap. 63. *Per hoc manifestissimè declaratum est, & perseverare animas ..... & dignam habitationem unamquamque gentem percipere, etiam ante judicium.* Et D. Basil. hom. in 40. Martyres. *Vos*, inquit, *non terra occubuit, sed cœlum suscepit, apertæ sunt vobis paradisi portæ.* Et D. Greg. Nyss. sen. orat. in S. Ephrem. *In cælestibus tabernaculis*, ait, *animus illius consedit, ubi sunt ordines Angelorum, &c.* Et D. Chrysost. hom. 3. ad Philip. *Justi*, inquit, *sive hîc, sive in futuro sæculo fuerint, cum Rege sunt, illic tamen magis, & propiùs non per ingressum, ac fidem, sed facie ad faciem.* Idem habent *Origen. hom. 7. in Levit. D. Nazianz. orat. in Basilium. D. Cyrill. Hierosolym. Cateches. 13. D. Cyrill. Alex. lib. 11. in Joan. D. Epiphan. hæres. 78. Theodoret. lib. 8. ad Græcos*, & alii. 265.

Probatur tertiò authoritate etiam Sanctorum Patrum. Ex Latinis D. Cyprian. *lib. de Exhortat.* 266.

Martyrii cap. ultim. Quis, ait, *non omnibus viribus elaboret, ut cum Christo statim gaudeat.* Et D. Hilar. in Psalm. 64. *Beati quidem*, inquit, *sunt, qui jam à Deo ad habitandum in tabernaculis ejus electi sunt.* Et D. Ambr. epist. 59. ad Theffal. *Acolius*, ait, *Superiorum incola possessor Civitatis æternæ, illius Hierusalem, quæ in cælo est, vidit illic urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum; & hæc omnia jam dudum sibi comperta, sed nunc facie ad faciem.* Et D. Hieron. epist. ad Marcel. de obitu Leæ. *Nunc*, inquit, *pro brevi labore æternâ beatitudine fruitur, excipitur Angelorum choris, Christum sequitur, & dicit, quæcumque audiuimus, vidimus in Civitate Domini virtutum.* Et D. Aug. lib. Meditat. cap. 22. & 24. ibi: *Per ipsum vos rogo*, inquit, *qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam satiamini, de cujus immortalitate jam immortales facti estis, de cujus beatissimâ visione semper gauderis.* Idem habet *lib. 12. Gen. cap. 34. & lib. 20. de Civit. cap. 13. & 15. & lib. 2. quæst. Evang. cap. 38.* Et D. Fulgent. serm. de S. Stephano. *Hodie Stephanus stolâ est immortalitatis indutus.* Idem habent D. Prosper. *lib. 1. de Vita contemplat. cap. 1.* D. Leo. *serm. de S. Laurentio*: ibi: *Nihil*, ait, *obtines, nihil proficis sæva crudelitas, subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cœlos abeunte, tu deficis flammis tuis.* D. Greg. Magn. *in psalm. 4. Pœnitent.* D. Anselm. *in 2. Cor. 5.* & alii.

267. Probatur quartò rationibus: Prima, quia Deus non est pronior ad puniendum, quàm ad remunerandum; sed impii jam nunc in tormentis sunt, ut constat ex illo Luc. 16. ibi: *Dives autem cùm in tormentis esset*; ergo æquum videtur, ut etiam justi sua jam præmia perceperint.

268. Dicent cum Græcis, illam esse parabolam, & non historiam, & continere futurorum narrationem; ad majorem tamen efficaciam futura tanquam præsentia narrari. Sed contra primò, quia historiam esse, & non parabolam dicunt D. Amb. *in Luc. 16.* D. Hieron. *lib. 2. in Jovinian.* D. Aug. *de cura pro mortuis, cap. 14.* & D. Greg. *lib. 4. Dialog. cap. 29.* Et patet primò, quia ibi ponuntur nomina propria Lazari, & Abrahæ. Secundò, quia Ecclesia colit Lazarum illum, ut verè sanctum hominem, ut ait P. Bellarm. *lib. 1. de Beatitud. Sanctor. cap. 6.*

269. Contra secundò, quia licet esset parabola, non potest significare res futuras post diem judicii, sed præsentem, aut præteritam; siquidem Dives ait: *Rogo te Pater Abraham, ut mittas Lazarum &c.* cui respondit Abraham: *Habent Moysem & Prophetas, audiant illos*; atqui post diem judicii non erunt homines in hoc mundo, nec poterunt Moysem, & Prophetas audire; ergo si narratio illa est parabolica, adhuc tamen ostendit jam nunc animas esse in pœnis; alioqui nec vera, nec verisimilis esset.

270. Secunda ratio est, quia Sancti habent nunc meritum vitæ æternæ; aut si non habent, nunquam habebunt; siquidem post finem vitæ non est locus novis meritis; sed nullum est impedimentum, quominùs vitam æternam nunc habere possint, cùm cœlum antea clausum, nũc pateat; neque fieri potest, ut Deus absque ulla causa, & ratione differat justorum animabus conferre beatitudinem; talis enim dilatio necessariò esset conjuncta cum maxima animarum afflictione juxta illud Prov. 3. *Spes quæ differtur affligit animam*; non autem convenit, ut ii affligantur, qui nullum peccatum habent; ergo &c.

Confirmatur primò: Quia nequaquam est credendum, Deum in remunerando id committere, quod ipse ab hominibus committi non vult, cùm dicit Proverb. 3. *Ne dicas amico tuo, vade, & revertere, & cras dabo tibi, cùm statim possis dare.* Secundò, quia Levit. 19. jussit: *Non morabitur apud te opus mercenarii tui usque mane*; ergo ne sibi contrarius videatur, non retinebit mercedem Sanctorum suorum usque ad mundi consummationem. Tertiò, ex visionibus eorum, qui viderunt animas, alias in tormentis gehennæ, alias in Purgatorio, & alias in Paradiso, de quibus *D. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 37. & Beda lib. 5. Histor. cap. 13.* 271.

Argues 1. Varia Scripturæ loca: Primus Matt. 20. ubi ad vesperam jubet Paterfamilias reddi *denarium*; per *vesperam* autem significatur finis hujus mundi. Secundus, Matth. 25. *Percipite regnum, quod vobis paratum est*; ergo ante ad regnum non admittuntur. Tertius 2. Tim. 1. *Certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Et cap. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die*; ergo non ante. Quartus, ad Hebr. 11. *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consummarentur*; ergo omnes simul in die judicii accipiemus. Quintus Joan. 3. *Scimus autem quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est*; sed ante diem judicii non apparebit; ergo ante illum non videbimus Deum. Sextus, Apoc. 6. *Et vidi subtùs altare animas interfectorum..... & dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi illorum*; tempus autem illud usque ad diem judicii protendebatur; ergo &c. 272.

Respondeo ad primum per *vesperam* significari futurum generale judicium, quo publicè reddatur omnibus perfecta merces; hoc autem judicium non excludit particularia, quibus in obitu uniuscujusque singulis privatim redditur pars mercedis. Ad secundum, electos in illo die publicè admittendos ad beatitudinem consummatam, licet priùs privato judicio essentialem animæ beatitudinem sint consecuti. Ad tertium, verba illa D. Pauli etiam intelligenda esse de corona gloriæ consummatæ, tùm animæ, tùm corporis. Ad quartum, etiam intelligendum de gloria consummata, & animæ, & corporis, ut explicat ibi D. Thom. Aut si de beatitudine animæ, ibi conferri homines veteris cum hominibus novi Testamenti, quibus omnibus post adventum Christi, ejusque passionem data est beatitudo animæ. Ad quintum, illud *cum apparuerit* non ad Christum, sed ad id, quod post hanc vitam erimus, referri, cùm antea dixerit: *Non dum apparuit quid erimus*; cùm igitur apparuerit quid erimus, *videbimus eum sicuti est*; statim autem post mortem apparebit quid erimus; ergo statim beatitudinem consequemur. Ad sextum, ibi datas fuisse singulis *singulas stolas albas*, per quas intelligitur beatitudo essentialis, quâ obtentâ jubentur alteram stolam expectare, nempè gloriam corporis. 273.

Argues 2. Authoritate Joan. XXII. Rom. Pont. qui fertur ita definivisse, jussisseque Parisiensibus, ut ita docerent, neque ullum ad gradum Theologiæ admitterent, nisi juraret in eam sententiam, ut refert *Gerson. serm. de Paschat. Ockamus in opere 93. dierum. Marsil. in 4. q. 13. a. 3. Adrian. in 4. in quæst. de Sacram. Confirmat.* ergo &c. Respondeo cum *P. Bellarm. lib. 1. de Beat. Sanctor. cap. 2. P. Valent. tom. 2. d. 1. q. 4. punct. 2.* prædictum Joannem XXII. fuisse quidem aliquando ita opinatum, 274.

nunquam

nunquam tamen id definivisse ut illius successor Benedictus XII. apertè testatur in illa Extravag. *Benedictus Deus* cit. Imò opinionem suam retractavit ante mortem, asseruitq; sibi displicere priorem sententiam, nisi aliter Ecclesiæ, & sui successores definirent, ut de illo testatur *Joan. Villan. lib. 11. cap. 19. de rebus Florentinor.*

275. Argues 3. Authoritate Sanctorum Patrum quatenùs absolutè significant, tunc primùm in die judicii animas futuras beatas, & non ante, ut D. Ambr. *lib. 2. de Abel & Cain. cap. 2. Solvitur*, ait, *à corpore anima, & post finem vitæ hujus adhuc futuri judicii ambiguò suspenditur*. Et D. August. *lib. 12. in Gen. cap. 35. Mentem carne deposita non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut Sancti Angeli vident*. Et D. Bern. *serm. de Sanctis. In illam*, ait, *beatissimam Dei domum, animæ nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis*. Et D. Justin. *q. 60. de gent. Neque enim*, ait, *ante resurrectionem unicuique ex iis, quæ in vita gessit, præmium reddetur*. Et quæst. 76. ait, *Animam boni latronis custodiri in cœtu Beatorum ad resurrectionis, remunerationisq; diem*. Idem habent D. Iren. *lib. 5. cap. 31. Origen. hom. 7. in Levit. D. Chrysost. hom. 39. in 1. Cor. Theodoret. in cap. 11. ad Hebr. Theophylact. in cap. 16. Luc. Arethas in Apoc. 6.* & alii.

276. Respondeo hos Patres locis citatis, cùm significant, animas ante diem extremi judicii non fore beatas, loqui de beatitudine consummata, & ex omni parte perfecta, quæ tunc erit, quando ad gloriam animæ accedet gloria corporis; alioqui secum pugnarent Patres, cùm iidem asserant, animas hoc etiam tempore frui beatitudine sua essentiali, ut supra ostendimus.

277. Argues 4. Authoritate eorumdem, quatenùs significant, animas justorum ante diem judicii non in cœlum, sed in alia, nescio quæ abdita receptacula recipi, & detineri; ut D. Aug. in Enchirid. *cap. 108. & liq. 12. de Civit. cap. 9.* ibi: *Contineri*, ait, *animas antè resurrectionem in abditis receptaculis*. Et in Psal. 36. *Post istam vitam*, ait, *nondum ibi eris, ubi erunt Sancti*. Et D. Hilar. in Psal. 138. ibi: Dicit esse *legem humanæ necessitatis, ut sepultis corporibus, animæ ad inferos descendant, quam legem, nec ipse Christus recusaverit*. Et D. Chrysost. *hom. 39. in 1. Cor.* ubi ait: *Si corpus non resurgat, animam nostram incoronatam mansuram, & extra cœlestem beatitudinem*. Et D. Iren. *lib. 5. adversùs hæres. cap. 31.* ubi ait: *Christianorum animas abire post mortem in locum invisibilem definitum eis à Deo, & ibi resurrectionem corporum expectaturas*; ergo &c.

278. Respondeo cum *P. Valent. tom. 2. d. 1. quæst. 4. punct. 2.* D. August. nunquam dubitasse, quin animæ nunc temporis sint beatæ, cùm id constanter alibi affirmavit, sed tantùm aliquando dubitasse de loco, ubi Dei Visione, seu beatitudine afficerentur, sed illas esse in cœlo constanter affirmavit *lib. 20. de Civit. cap. 15.* Undè quod de receptaculis abditis scribit, meritò intelligi potest de sedibus mortali naturæ inaccessis, & abditis, quas animæ in cœlo habent. Et D. Hilar. locutus est de lege humanæ necessitatis pro tempore veteris Testamenti, quo non dum Christus ad inferos descenderat. Deindè D. Chrysost. solùm vult, quod nunquam anima beatitudinem acceptura esset, nisi caro aliquando esset resurrectura, & suam quoque gloriam acceptura, quando quidem ipsa etiam ut animæ socia laboravit, ideoque oporteret, aut eam aliquando mercedem quoquè accipere, aut nè animam quidem unquam remunerari. Posito autem quod caro resurgat aliquando, & remunerabitur, non negat D. Chrysost. quin hoc etiam tempore antè diem judicii accipiat anima mercedem suam. Tandem D. Irenæus per *locum invisibilem* intelligit ipsum cœlum inaccessum naturæ mortali, ut supra diximus.

Argues 5. Prædestinati ad gloriam futuri sunt similes Christo Domino juxta illud ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imagini Filii sui*; sed Christus Dominus non statim post mortem, sed post resurrectionem ascendit in Cœlum, cùm antea descendisset ad inferos; ergo similiter animæ electorum post resurrectionem corporum in Cœlum, & beatitudinem admittentur, interim tamen post mortem descendent ad aliqua receptacula sub terram, ut ibi resurrectionem expectent. Respondeo primò, Christi animam antè resurrectionem corporis sui non ascendisse quidem ad Cœlum corporeum, fuisse tamen in Paradiso cœlesti formaliter, ideſt, fuisse beatam, & gloriosam; si hoc autem Adversarii tribuant animabus Sanctorum, habemus intentum, neque est quod de isto Cœlo corporeo simus soliciti. 279.

Respondeo secundò, Christum Dominum moriendo, quiescendo, resurgendo, & ascendendo in Cœlum fuisse exemplar nostrum, quantùm ad corpus; sic enim primò morimur, postea quiescimus, resurgemus, & ascendemus in Cœlum corporaliter, sicut fecit Christus Dominus, cui in hoc similes erimus; quod autem illius anima descenderit ad inferos, priusquam corporaliter ascenderet in Cœlum, non pertinet ad exemplar, id enim non fecit, ut aliquod exemplum imitandum nobis præberet, aut ut ibi pararet nobis locum, sed ut partem muneris Redemptoris expleret, animas, quæ ibi erant, educendo, & infernum destruendo, nè animæ Sanctorum deinceps eò deducerentur. 280.

Argues 6. Anima, & caro simul tam bona, quàm mala operantur; ergo simul, & non una sine alia puniri, aut remunerari debet; sed caro post diem judicii punietur, aut remunerabitur; ergo & anima. Respondeo primò, animam, & corpus non esse duo suppositа, quales sunt duo sodales, ita ut uni fiat injuria, si priùs altero remuneretur; sed esse unum tantùm suppositum ex duabus partibus compositum; hoc autem mavult secundùm alteram partem interim beari, quàm secundùm neutram, sicque nulla ei fit injuria; hæc enim non fit volenti, sed invito. 281.

Respondeo secundò, dato quod essent duo suppositа, nullam corpori fieri injuriam; cùm enim anima principaliter ad bona, & mala opera concurrat, corpus verò solùm instrumentaliter; imò ad essentiam meriti, aut demeriti sola anima concurrat, cùm meritum, & demeritum consistat in electione voluntatis, quæ electio à sola anima procedit, & in sola anima sedem habet, nulla corpori fit injuria, dùm sola anima beatur. Accedit, dato quod anima, & corpus æquè principaliter sic concurrerent ad opera, adhuc non esset injustum animam coronari ante diem judicii, & non ita corpus, cùm illa prout sic sit capax gloriæ, & non ita sit corpus separatum, & corruptum. 282.

Argues 7. Judicium bonorum, & malorum, eorumque examen futurum est in novissimo die; ergo etiam præmia, & pœnæ usque ad eum diem differentur. Respondeo negando consequentiam: licet enim futurus sit dies judicii generalis, & tunc 283.

reddendum unicuique secundùm opera sua: illud tamen præcessit aliud judicium particulare, in quo redditum est unicuique secundùm opera ejus; neque enim hæc inter se pugnant, in primo enim judicio redduntur præmia & pœnæ privatim; in secundo autem publicè & manifestè reddentur.

284. Inferes: Ergo frustraneum videtur futurum judicium; siquidem jam sunt redditæ pœnæ, & præmia; nihil enim refert, sive palam, sive clam id fiat. Respondeo negando illationem: necessarium enim fuit judicium illud finale: Primò, ut ostendatur Dei Justitia, & Misericordia, quas nunc non ita apertè ostendit, quin aliqui inveniantur, qui eum injustitiæ accusent, vel nullam habere providentiam credant, cùm videant bonos affligi, & malos gaudere. Secundò, ut clarificetur Filius hominis; pertinet enim ad gloriâ Christi Domini, ut quem tanquam reum injustè damnarunt in primo adventu, videant in secundo Judicem, & glorioſum, impleaturque illud Isai. 45. *Vivo ego, quia mihi curvabitur omne genu.* Tertiò ad laudem bonorum, & ignominiam malorum. Quartò, ut totus homo judicetur, & præmium suum, aut pœnam recipiat, & animâ, & corpore.

285. Argues 8. Dæmones nondum puniuntur, sed puniendi reservantur post diem judicii; ideò enim dicebant Christo Domino Matth. 8. *Venisti huc ante tempus torquere nos?* Et Luc. 8. *Et deprecabantur eum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent*; ergo idem de hominibus fiet; ergo si impii non puniuntur, neque pii præmiantur ante diem judicii. Respondeo negando antecedens; nam si Angeli qui in veritate steterunt, semper vident faciem Dei, ut supra ex Evangelio ostendimus, cur non etiam Angeli rebelles judicium Dei, & æternam gehennam sustinebunt? Undè D. Aug. *lib. de correp. & grat. cap. 10.* & D. Prosper. *lib. 1. de Vita contemplat.* dæmones jam judicatos, ac miseros esse effectos docent; licet in die judicii suarum pœnarum plenitudinem habituri sint, quando ex hoc aëre, in quo ad exercitationem hominum versantur, in abyssum præcipitabuntur, & inferorum carceribus concludentur, quod pœnarum complementum maximè timent, idque:

286. Primò, quia non poterunt ampliùs hominibus nocere. Secundò, quia non amplius extorquebunt ab aliquo, cultum Deo debitum, ut modò faciunt, dum ab Ethnicis, & Necromanticis adorantur. Tertiò, quia tunc patebunt eorum fraudes, & debilitas, cùm omnes intelligent, eos à fœminis, & pueris superatos esse. Quartò, quia non solùm à Deo, sed etiam ab hominibus judicabuntur, ut ait Apostolus 1. Cor. 6. 3. *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus?*

SECTIO XIII.

Utrùm Visio beata fuerit alicui viatori communicata?

287. ADVERTES Quæstionem hanc posse in triplici sensu procedere: Primò, utrùm de potentiâ absolutâ possit communicari alicui viatori Visio beata? Secundò, utrùm eidem facta sit, aut fieri queat de potentiâ ordinariâ? Tertiò, utrùm, supposito, quod de lege ordinariâ non fiat, adhuc tamen cum aliquo in hac parte jam sit ex privilegio dispensatum? His positis.

288. Dico 1. Deus potest de potentia absoluta communicare viatori Visionem Beatam, idque absque exstasi, & raptu, & cum perfecto sensuum usu, non solùm in transitu, & ad breve tempus, sed etiam permanenter. Ita *P. Vasq. 1. part. quæst. 12. art. 11. in Comment. & quæst. 55. cap. 1. & 1. 2. quæst. 5. art. 3. in annotat. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 30. num. 9. & 1. 2. quæst. 5. art. 3. d. 16. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 10. sect. 3. Lorca 1. 2. quæst. 5. art. 3.* & alii. Probatur primò, quia Deo denegandum non est, nisi quod manifestam involvit contradictionem; sed nulla involvitur in eo, quod sic communicet Visionem beatam, ut constabit ex solutione argumentorum in contrarium; ergo &c.

289. Probatur secundò, & efficaciter, quia Christus Dominus habuit Visionem beatam permanenter, & absque exstasi, ac raptu à sensibus; & tamen fuit viator, saltem secundùm corpus, licet secundùm animam fuerit perfectus comprehensor; ergo de potentiâ absolutâ poterit Deus id concedere puro viatori.

290. Dicent cum D. Thom. *2. 2. quæst. 175. art. 4. ad 2. & de Veritat. quæst. 13. art. 3. ad 3.* in Christo Domino dari diversam rationem, ac in cæteris hominibus. Sed contra primò, quia cùm hæc diversa ratio non fundetur in Unione Humanitatis ad subsistentiam Verbi; siquidem non apparet quâ ratione formalis Unio ad Hypostasim cessationem ab operationibus sensuum formaliter impedire queat, necessariò recurrendum est ad potentiam & dominium Christi Domini in omnes actiones animæ, & corporis, ut tandem recurrit Sanctus Doctor *quæst. 13. cit. art. 3. ad 3.* Sed hæc potestas & dominium Deo denegandum non est, ut patet; ergo de potentia absoluta poterit impedire in puro viatore perfectam exstasim, sive raptum à sensibus.

291. Secundò, quia exstasis, sive raptus (si quando datur,) provenit ex limitatione animæ non valentis simul attendere ad operationes sensuum, quando tota illius intentio ad Deum avocatur; sed hæc animæ imperfectio tolli potest per Visionem beatam, ut patet, tum in Christo Domino, tum etiam in animabus beatis, quando redeuntur propriis corporibus glorioſis, in quibus cum Visione beata suas operationes exercebunt; ergo &c.

292. Nihilominùs duplex adhuc est de hac re sententia: Prima asserit absolutè non posse Visionem beatam communicari viatori etiam de potentia absoluta Dei. Ita quidam, quos tacito nomine citat P. Sal. cit. Pro quibus: Objicies 1. Exod. 33. ibi: *Non videbit me homo, & vivet.* Et 2. Cor. 5. *Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino.* Et 1. Tim. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest:* ex quibus videtur, non posse hominem in hac vita habere Visionem beatam. Respondeo hæc & similia loca intelligenda de Visione beata secundùm legem ordinariam, ut est communis Sanctorum Patrum interpretatio. In quo etiam sensu intelligendus est D. Aug. *lib. 12. in Gen. ad litt.* dum ait: *Neminem videntem Deum vivere vitâ istâ, quâ mortaliter vivitur istis sensibus corporeis.*

293. Objicies 2. Visio Beata est supremum hominis bonum, saltem partiale, excludens omne malum, & satians appetitum; sed hæc non potest habere homo, quamdiu vivit in hac vita mortali; ergo neque sic habere Visionem Beatam. Respondeo definitionem illam competere Visioni Beatæ, prout est beatitudo essentialis, & accidentalis: illa autem, quæ daretur, solùm esset essentialis secundùm animam; siquidem adhuc ille homo secundùm corpus esset viator, ut supponitur.

Objicies

294. Objicies 3. Impossibile est videri Deum cum dependentia à phantasmatibus; sed hujusmodi dependentia necessariò datur in intellectu quâdiu est in corpore mortali; ergo &c. Respondeo intellectum solùm operari cum hac dependentia, quando operatur per species acquisitas objectorum; non autem quando sic operatur illustratus lumine gloriæ, ut in illo eventu contingeret; quod nullam involvit repugnantiam, accedente divinâ potentiâ; nam potest tunc idem intellectus aliqua objecta cognoscere per species infusas à Deo, & absque dependentia à phantasmatibus, ut omnes concedunt in scientia per se infusa Christi Domini.

295. Secunda sententia affirmat, posse quidem Visionem Beatam communicari de potentia absoluta homini viatori, dummodò tamen fiat cum perfecta exstasi, seu abstractione à sensibus, tam externis, quàm internis. Ita videntur tenere *D. Aug. lib. 12. in gen. ad litt. cap. 27. D. Thom. lib. 3. contr. gent. cap. 47. & ibi Ferrar. & 2. 2. q. 175. a. 4. quodl. 1. art. 1. Henric. quodl. 7. q. 6.* & alii: pro quibus: Oppones 1. D. Aug. cit. ubi dicit, neminem in hac vita Deum videre, *Nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omninò exiens de corpore; sive ita aversus, & alienatus à carnalibus sensibus, ut meritò nesciat, sicut Apostolus ait, an in corpore, vel extra corpus sit, cùm in illam rapitur, & subvehitur visionem.* Accedit etiam authoritas D. Thom. qui idem videtur sentire. Respondeo D. August. loco citato, (sicut & D. Thom.) locutum fuisse de lege ordinaria, & homine operante secundùm modum intelligendi sibi connaturalem in hac mortali vita existenti.

296. Oppones 2. Per Visionem Beatam tota animæ intentio avocatur ad Deum; ergo necessariò feriabitur ab operationibus omnium sensuum. Respondeo negando antecedens, si loquamur de potentia Dei absoluta; sicque consequentia nihil colligit. Utrùm verò Visio Beata naturaliter impediat omnes omninò operationes naturales animæ, ita ut ex se exstasim, & interitum afferre queat? Cùm de perfectionibus Visionis Beatæ egerimus, latiùs explicabimus.

297. Dico 2. De lege ordinaria communicata non est, neque communicari potest Visio Beata homini viatori, sive ad breve tempus, sive permanenter. Est de fide. Ita *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 11. & 1. 2. q. 5. art. 3. & 2. 2. q. 180. art. 5. P. Soa. lib. 2. de Attrib. cap. 30. n. 3. P. Molin. 1. p. q. 12. a. 11. d. 1. P. Vasq. ibid. in Comment. Banneζ, Zumel. Ripa. Medin. Lorca. P. Valent. tom. 1. q. 12. punct. 7.* cui sententiæ communi consensu suffragantur Sancti Patres, quos latissimè referunt Doctores citati, & nos supra retulimus *num. 68.*

298. Probatur primò ex definitione Evaristi in epist. 1. *Decretal.* ibi: *Quem nullus modò nostrûm in hoc mortali corpore constitutus potest aliquatenùs intueri; sed cùm apparuerit, verè eum videbimus sicuti est.* Et ex Concil. Viennens. in Clem. *Ad nostrum de Hæreticis*, ubi hæc veritas definitur contra Beguardos, & Beguinas, quatenùs dicebant, Visionem Beatam posse in præsenti vita obtineri: quæ similiter definitio procedit contra Anomæos, asserentes, Deum & videri, & comprehendi posse in hac vita, prout supra diximus.

299. Probatur secundò ex Sacra Pagina Joan. 1. & 1. Joan. 4. ibi: *Deum nemo vidit unquam.* Et 1. Tim. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et Exod. 33. *Non vidit me homo, & vivet.* Et sæpè alibi, quæ omnia in hoc sensu interpretantur Sancti Patres, ut constat ex Doctoribus proximè citatis, & ex dictis supra *à num. 66.* ubi hanc assertionem, paucis mutatis statuimus.

300. Probatur tertiò ratione morali (ratio enim à priori alia esse non potest, nisi dispositio Providentiæ Divinæ Sanctæ Ecclesiæ revelata, & experientiâ comprobata;) quia tempus hujus vitæ est tempus merendi, & pugnandi; post hanc autem vitam est tempus præmii, & status coronæ, qualis est Visio Beata, ut constat ex illo 2. Cor. 3. *Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Et 1. Cor. 13. *Cùm venerit, quod perfectum est.* Et 1. Joan. 3. *Cùm apparuerit similes ei erimus*; quasi dicat non esse hoc in hac vita expectandum; ergo &c.

301. Probatur quartò ratione naturali, & physicâ, quia cognitio animæ, dùm est in corpore in hac vita mortali, de lege ordinaria est cum dependentia à phantasmatibus, ut constat; sed cùm hujusmodi dependentiâ in cognoscendo stare non potest cognitio intuitiva; siquidem cognitio illa, aut est objecti corporalis, aut cogniti ad instar corporis, quod longè abest à cognitione intuitiva Dei; ergo de lege ordinaria communicari non potest Visio Beata animæ existenti in corpore mortali.

302. Utrùm autem cum aliquo in hac lege sit aliquando dispensatum? Advertes, hujusmodi dispensationem posse à Deo fieri dupliciter: Primò permanenter, ita ut aliquis toto vitæ tempore in carne mortali Deum videat: Secundò in transitu, & ad breve tempus. Hoc posito.

303. Dubium 1. Utrùm hujusmodi dispensatio ad videndum toto vitæ tempore concessa fuerit alicui puro viatori? Negativè. Probatur, quia si alicui concedenda foret, maximè locum haberet in Beata Virgine; sed id negant Theologi, & Sancti Patres: imò aliqui id etiam negant de dispensatione facta ad breve tempus, ut infrà dicemus; ergo &c. Dixi *puro viatori*, ut excipiamus Christum Dominum, qui comprehensor erat secundùm animam juxta doctrinam fidei, sicque toto vitæ tempore habuit Visionem Beatam, & fuit quoad animam Beatus.

304. Dubium 2. Utrùm hujusmodi dispensatio saltem ad breve tempus fuerit concessa Virgini Sanctissimæ? Affirmat, id piè, ac probabiliter credi posse *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 30. num. 18. & tom. 2. in 3. p. d. 19. sect. 4. cum D. Antonin. 4. part. tit. 15. cap. 17. §. 1. Albert. Richel. Gerson. Alphabet. 15. tit. 8. Cassal. lib. 1. arbor. vitæ cap. 9. fin. D. Thom. à Villanova, serm. de Resurrect. Medin. 3. p. quæst. 27. art. 5.* tenent etiam *P. Sal. tom. 1. in 1. 2. tract. 2. d. 10. sect. 4. P. Canisius, lib. 2. de Deipara, Lorca 12. de Beatitud. d. 35. Pesant. 1. p. quæst. 12. d. 1. fine. Egitanens. tom. 2. lib. 12. quæst. 8. art. 4 §. 1. P. Amicus tom. 1. d. 9. n. 504.* & alii.

305. Probatur primò authoritate Patrum. D Antonin. citat. *Fortè*, inquit, *in ipso conceptu, vel in partu illi datum est ad horam, ut videret mysterium hujusmodi, ut in patria, sicut Paulus vidit Deum in raptu.* Et adducit in confirmationē verba illa D. Bern. serm. 4. super *Missus*. ibi: *Illi soli datum est nosse, cui datum est experiri.* Et illa. *Ut qui soli Patri notus est, sit & illi.* Et D. Cyprian. serm. de Nativit. *Unde & Matri*, inquit, *plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate insignis, spiritali, & corporali intùs & extrà Christi præsentiâ fruebatur.* Et Rupert. lib. 3 in Cantic. ad illa verba: *Oculi tui columbarum:* dicit *Virginem raptam esse in tertium Cœlum, & vidisse*

arcana verba mysteria, quæ non licet homini loqui perfectiùs & excellentiùs, quàm Paulum.

306. Probatur secundò ratione, quia omnia privilegia gratiæ reliquis concessa, perfectiori, & abundantiori modo fuerunt Virgini Sanctissimæ collata; sed est probabilis sententia, Moysem, & Paulum vidisse aliquando Essentiam Divinam viventes in corpore mortali; ergo idem, non solùm probabiliter, sed probabilius de Virgine Sanctissimâ sentiendum est.

307. Dicent primò, argumentum solùm probare in iis bonis, quæ spectant ad propriam sanctificationem; privilegium autem illud videndi interdum Deum in viâ, non referre ad majorem hominis sanctificationem, sed solùm esse quoddam donum gratis datum; sicque potuisse Deum aliis, & non Virgini Sanctissimæ illud cõcedere. Sed contra primò, quia sine causa negatur, hoc donum esse annumerandum inter illa, quæ spectant ad propriam hominis sanctificationem, ut ait P. Soar. citat. siquidem non solùm ad aliorum utilitatem, sed etiam ad suscipientis perfectionem confert, quatenùs eo tempore, quo durat, tota anima Deo vivit, eamque singulari charitate inflammat: & transacta visione, ex illius memoria & vestigio ad majorem Dei amorem, familiaritatem, & puritatem excitatur. Secundò, quia eo dato, si tale donum Deus aliquibus concessit, cur illud Matri suæ denegaret?

308. Dicent secundò, ideò probabile esse, privilegium illud fuisse concessum Moysi, & Paulo, quia Scriptura Sacra id indicat, & nonnulli Sancti Patres ita exponunt; de Virgine autem Sanctissimâ, neque Scriptura quidquam indicat, neque Sancti Patres aliquid docent; cùm tamen alioqui sit universalis Scripturæ lex, neminem Deum vidisse in hac vita mortali, ut patet Exodi 33. *Non videbit me homo & vivet.* Et Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam.* Et 1. Tim. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*: à quâ lege non licet aliquem sine fundamento excipere.

309. Sed contra primò, qui si hoc privilegium aliquibus hominibus concessum est, immeritò tantæ Virgini denegatur. Neque ad id credendum oportet aliud speciale testimonium, aut rationem spectare præter dignitatem Matris Dei, in qua tanquam in radice, & fonte omnia continentur. Secundò, quia etiam dato, quod id probabile non esset de Moyse, & Paulo, neque de quocunque alio, ut ex dicendis constabit, adhuc tamen id piè satis, & probabiliter de Virgine Sanctissimâ credi potest, aut in die Incarnationis; aut Nativitatis Christi Domini ob singularem Matris dignitatem, ad quam tunc evecta est; aut in die Resurrectionis ob incredibilem dolorem, quem in Christi Passione sustinuit: præsertim cùm ad hanc visionem fuerint elevati omnes Sancti Patres, qui in Limbo detinebantur; decuit enim, ut ipsa prima post Filium hanc gloriæ hæreditatem adiret.

310. Dicent tertiò, D. Athan. *serm. de Sanctissimâ Deipara*, id de illâ negasse in die Incarnationis. Et in *quæst. 12. ad Antiochum*, id generalius negasse de toto vitæ tempore. Sed contra, quia (licet hoc posterius testimonium sit incertum) ex hoc solùm colligitur D. Athan. fuisse illius sententiæ; hoc autem non tollit quominùs contraria sententia probabiliter defendi possit.

311. Dubium 3. Utrùm hujusmodi dispensatio ad videndum Deum, saltem in transitu, & ad breve tempus fuerit concessa aliquibus ex Sanctis Patribus, tùm veteris, tùm novi Testamenti? Affirmant de Moyse *D. Aug. lib. 12. gen. ad litt. cap. 27. & 28. & Epist. 112.* & cum eo D. Thom. *1. p. q. 12. art. 11. ad 2. & in 4. dist. 49. q. 2. a. 7. ad 4.* Durand. ibid. *q. 6. Sot. q. 2. art. 4. fine. Ferrar. 3. contra gent. cap. 47. §. quantùm ad secundum*, & alii apud illos. Negant tamen *P. Vasq. 1. p. d. 56. c. 1. P. Soa. lib. 2. de Attrib. cap. 30. n. 14. & tom. 2. in 3. part. d. 19, sect. 4. P. Valent. 1. p. q. 12. punct. 7. Zumel. Bannez, P. Molin. 1. p. q. 12. art. 11. P. Gil. tom. 2. tract. 4. cap. 9. à n. 7. P. Sal. tom. 1. in 1. 2. tract. 2. d. 10. sect. 4. num. 34.* & alii.

312. Affirmant etiam fuisse dispensatum cum D. Paulo omnes ferè Thomistæ tùm Veteres, tùm Recentiores cum D. Thom. proximè *ad 2. & 2. 2. q. 174. art. 4. & in 4. dist. 49. q. 2. ad 5. art. 7.* & supponere videtur Scot. *in 2. dist. 3. q. 9. §. secundo modo.* Oppositum ut probabilius defendunt *P. Soa. P. Vasq. P. Sal. cit. P. Cornel. 2. Cor. cap. 12. n. 132. P. Justin. ibid. Lorca 1. 2. d. 35. cit. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 11. d. 2.*

313. Aliqui hoc privilegium extendunt ad Adamum propter verba illa Gen. 2. *Immisit Deus soporem in Adam*: existimant enim hunc soporem fuisse ex clara visione Dei. Ita significat *Richard. in 2. dist. 23. art. 2. q. 1. D. Aug. lib. 9. de gen. ad litt. cap. ult. D. Bern. serm. 1. in Septuag.* & alii apud *P. Gil. cit. cap. 14. num. 1.* cujus opinionis meminit *P. Vasq. 1. p. d. 56. cit. cap. 2.* Alii id etiam docent de S. Job ad illa verba c. 42. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te*, fundanturque in D. Aug. *lib. 22. de Civ. cap. 29.* ibi: *Fortasse*, inquit, *ista virtus magna cernendi data fuerit ad horam etiam in isto mortali corpore oculis Sancti viri Job, quando ait ad Deum in obauditu auris obaudiebam priùs, nunc autem oculus meus videt te.*

314. Alii idem testantur de Divo Petro ad illa verba: Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.* Ad quæ verba D. Aug. *Epist. 112. ad Paulinam cap. 11. Quamvis*, inquit, *illa revelatio, utrùm per fidem tantæ rei creditæ, an per visionem conspectæ, factæ in ejus mente fuerit, non mihi videtur elucere.* Idem etiam asserunt alii de S. Joanne Evangelista, quando in cœna recubuit supra pectus Domini, quod etiam fundamentum habent in D. Ambros. *lib. 7. in Luc.* & Origen. *Hom. 2. de diversis.* Similiter sentiunt aliqui de Isaia, qui dixit cap. 6. *Vidi Dominum, &c.* Et de Ezechiele, cùm dixit cap. 3. se vidisse *gloriam Dei.*

315. Alii id asserunt de Sancto Hieronymo, & credit Vega in ejus vita apud P. Sal. cit. Et etiam de S. Benedicto concedunt plurimi ejus familiæ apud *P. Sal. cit. d. 10. sect. 4.* ubi pro eadem sententia adducit *D. Bernard. D. Bonav. & Rupert.* cum aliis; de quo etiam lege *D. Greg. lib. 2. Dialog. cap. 35.* Tandem de meo D. Augustino idem arbitratur Ægid. Lusitan. ejus familiæ alumnus, & alii, quos tacitis nominibus allegat *tom. 2. lib. 12. q. 8. art. 4. §. 1.* quod idem D. Augustinus de se ipso, & matre sua fateri videtur, cùm essent ad ostia Tiberina, ut ait *P. Vasq. 1. p. d. 56. cap. 2. num. 4.* dum ipse *lib. 9. Confess. cap. 10.* sic ait: *Si continuetur hoc*, inquit: *& subtrahantur aliæ visiones, ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui suspiravimus, nonne hoc est, Intra in gaudium Domini tui?*

316. Nihilominùs probabilius est, Visionem Beatam non fuisse communicatam, etiam ad breve tempus Sanctis Patribus supra numeratis, neque aliis quibuscumque in hac vita mortali. Ita universaliter de illis negant *P. Molin. 1. p. q. 12. d. 2.*

P. Soar.

P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 30. à n. 14. & tom. 2. in 3. part. d. 19. sect. 4. P. Vasq. 1. p. d. 56. cap. 1. & 2. P. Granad. tr. 7. d. 1. P. Amicus tom. 1. d. 9. à num. 502. & alii. Probatur primò authoritate Scripturæ Joan. 1. & 1. Joan. 4. *Deum nemo vidit unquam.* Et Joan. 6. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo vidit Patrem.* Et 1. Tim. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*; quæ loca cùm universaliter loquantur, debent de omnibus viatoribus intelligi; ergo &c. Confirmatur authoritate Evarist. Papæ in 1. Epist. Decretal. ad finem. *Quam*, inquit, *nempè lucem inaccessibilem nullus modò nostrum in hoc mortali corpore constitutus potest aliquatenùs contueri, sed dùm apparuerit, tunc verè illum videbit sicuti est, qui ejus conspectui fuerit dignus coaptari, & non sicut Moyses, cæteriq; Prophetæ per ænigmata, & figuram*; ergo &c.

317. Probatur secundò ratione ab hac authoritate deducta, quia quando in Sacra Scriptura aliquid de omnibus hominibus universaliter affirmatur, aut negatur verbis expressis, non debet fieri alicujus exceptio à tali propositione universali, nisi detur efficax fundamentum, aut in sacris litteris, aut in traditione Ecclesiæ, aut in ratione; sed in Sacra Pagina, ut patet locis proximè citatis, universaliter affirmatur, nullam in hac lege fuisse factam dispensationem, & nullum affertur ex eadem met Scriptura fundamentum alicujus momenti in contrarium: nulla traditio Ecclesiæ in oppositum, imò plures ex Sanctis Patribus pugnant in contrarium; nulla denique ratio quæ vim faciat; solùm enim ad summum afferuntur rationes congruentiæ, illæque fundatæ in aliqua suppositione satis dubia; ergo probabiliùs negandum est universaliter Visionem Beatam alicui viatori fuisse communicatam ex peculiari privilegio.

318. Hinc ad fundamentum oppositæ sententiæ, qualis est authoritas D. August. & D. Thom. aliorumque Scholasticorum dicimus, D. Augustino opponi posse definitionē Evaristi Papæ, aliosq; Patres apud Doctores cit. Et D. Thomæ, aliisque Scholasticis posse etiam opponi alios Doctores, qui hanc controversiam ex professo in contrarium tractarunt.

319. Ad loca Sacræ Paginæ, ex quibus colligi videtur, Moysem vidisse Essentiam Divinam, ut Exod. 33. *Ostende mihi faciem tuam.* Et iterùm. *Ostende mihi gloriam tuam.* Et iterùm. *Loquebatur Dominus ad Moysem facie ad faciem.* Et Num. 12. *Ore enim ad os loquar ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Deum videt.* Dicimus ex illis solùm convinci, Moysem fuisse elevatum ad quoddam genus familiaritatis supra cæteros Prophetas, quod ut Deus exprimeret, usus est illo modo loquendi; præsertim cum Moysi desideranti videre gloriam Dei, Deus ipse responderit: *Non videbit me homo, & vivet.*

320. Ad illud, quod afferunt de D. Paulo 2. Cor. 12. *Raptus est in Paradisum, & usque ad tertium cælum, & audivisse arcana verba*; dicimus cum *P. Soar cit. num. 17.* Primò verba illa non esse propria, sed metaphorica variis exposita interpretationibus. Secundò, totum illum raptum, prout ibi narratur, satis propriè intelligi, si Paulus elevatus est ad videndum ipsam Christi Humanitatem & gloriam, & consortium Beatorum, ibique intellexit arcana fidei mysteria. Hinc multominùs convincūt testimonia alia allata, aut Scripturæ, aut Patrum circa alios Sanctos, de quibus supra; solùm enim probant peculiarem quēdam modum cognoscendi Deum, semper tamen intra modum abstractivum, & ænigmaticum proprium hominum in hac vita degentium, & qualem possumus dicere habuisse D. Ignatium Parentem meum, cùm dixerit: *Si Sacræ Litteræ non extarent, se tamen pro side mori paratum ex iis solùm, quæ sibi Manresæ patefecerat Dominus.*

DISPUTATIO II.

De Principiis Visionis Beatæ ex parte objecti.

SECTIO I.

An, & qualiter Essentia Divina concurrat ad sui Visionem?

IN qualibet cognitione, tam naturali, quàm supernaturali duplex principium necessariò intervenit, alterum ex parte potentiæ cognitionem ipsam elicientis, qualis est ipsamet potentia, & habitus, sive naturalis, sive supernaturalis, & infusus, aut peculiare aliquod auxilium loco illius: alterum ex parte objecti, quale est ipsummet objectum si sit proportionatum, aut species impressa ejus vicaria, si sit improportionatum. Utrumque in Visione Beata, sive Cognitione intuitiva Dei, suas patitur difficultates: Primo igitur omisso in sequentem disputationem, in qua de illo latius tractabimus; de secundo, quod in Visione Beata est ipsa Essentia Divina, aut species impressa illius vices supplens, quatuor præcipuas difficultates per subsequentes sectiones expediemus: Prima, utrùm Essentia divina possit concurrere, & de facto, (licet sit possibilis species impressa Dei) concurrat immediatè ad sui Visionem? Secunda, An necessariò concurrat, & sub ratione naturæ: an potiùs liberè, & sub ratione voluntatis? Tertia, an concurrat per se primariò secundùm omnes suas perfectiones: an solùm secundùm aliquas? Quarta, utrùm possibilis sit species impressa intuitiva Dei, sive Essentiæ divinæ? His positis.

Difficultas 1. Utrùm Essentia divina possit immediatè concurrere ad sui visionem intuitivam? Affirmativè. Est communis in Theologia. Ita *D. Thom. Scot. in 2. dist. 3. q. 9. P. Molin. 1. p. q. 12. a. 2. d. 1. concluſ. 2. & d. 2. §. Licet autem. P. Valent. 1. p. tom. 1. d. 1. q. 12. punct. 2. P. Fonſ. lib. 5. Met. cap. 2. quæſt. 12. ſect. 2. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 12. num. 14. & 3. p. q. 9. art. 1. d. 24. ſect. 2. §. Ad exemplum ergò. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 5. ſect. 2. num. 34. P. Gil. tom. 2. tract. 6. cap. 1.* & alii apud illos. Probatur primò, quia ab actu ad potentiam benè valet argumentum; sed Essentia divina de facto concurrit immediatè ad sui visionem intuitivam, ut ex dicendis constabit; ergo potest sic ad illam concurrere.

Probatur secundò, quia species objectorum à Philosophis, & Theologis requiruntur, ut ipsa objecta reddantur intelligibilia in actu, quæ aut propter suam materialitatem, aut propter absentiam, aut propter distantiam à potentia cog-

noscente

noscente talia non erunt absque specie eorum locum supplente; sed Essentia divina est objectum maximè intelligibile in actu, tùm ob summam immaterialitatem, & rationem actûs purissimi, quam includit: tùm ob summam indistantiam, & supremam assistentiam respectu intellectûs creati; ergo se ipsa facere potest, quidquid faceret illius species impressa, si daretur; consequenterque potest concurrere immediatè ad sui visionem.

4. Probatur tertiò à simili, quia Angelus (idemque dicendum de anima rationali in statu separationis prout diximus in *Phys. tract.* 12. *d.* 3. *n.* 89.) per suam essentiam absque sui specie impressa potest, & de facto concurrit ad sui cognitionem intuitivam, ut ex communi Sententia rectè probat *P. Soar. lib.* 2. *de Angel. cap.* 4. *n.* 9. & nos etiam diximus loco proximè cit. *num.* 97. solùm quia ob suam immaterialitatem, & præsentiam ad proprium intellectum, redditur sufficienter intelligibilis in actu; ergo à fortiori id poterit Essentia divina. Confirmatur, quia talis modus concurrendi tantùm abest, ut in Deo arguat imperfectionem, ut potius perfectionem afferat, ut respondendo ad argumenta in contrarium patebit; ergo &c.

5. Oppositum tenent *Argent. in* 4. *dist.* 49. *q.* 2. *a.* 2. §. *Sed istud. Richard. in* 3. *dist.* 24. *a.* 1. *q.* 3. *Mayron. in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *Marsil. q.* 10. *art.* 2. *p.* 1. *P. Vasq.* 1. *p. d.* 43. *à cap.* 3. *usque ad* 7. qui omnes dicunt, dato quod possibilis sit species impressa intuitiva Dei, non posse Essentiam divinam ad sui visionem concurrere, nisi mediante tali specie; & hanc fuisse plurium Theologorum Sententiam refert *Henricus in sum. art.* 33. *q.* 2. & non esse omninò rejiciendam docet *P. Molin.* 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *d.* 2. eandemque satis prolixè probat, & sequitur *Ægid. Lusitan. tom.* 2. *lib.* 8. *p.* 2. *q.* 4. *art.* 1. *à* §. 6. pro quibus:

6. Argues 1. De ratione speciei impressæ (dato quod sit possibilis respectu Essentiæ divinæ,) est: Primò facere, ut intellectus sit Deus intentionaliter, seu intelligibiliter, & repræsentativè: secundò constituere intellectum in actu primo: tertiò præsentare objectum intellectui: quartò illud unire intellectui objectivè: quintò determinare intellectum ad talem speciem visionis: sextò influere cum intellectu ad actum videndi: septimò repræsentare objectum, ut terminum intellectionis; sed Essentia divina non potest supplere hæc omnia munia speciei; ergo neque concurrere ad sui visionem absque specie.

7. Respondeo, licet Essentia divina per se formaliter supplere nequeat munia illa speciei, quæ eidem competunt quatenùs est quoddam accidens, qualia sunt determinare potentiam eam actuando, & informando per unionem realem, & propriam inhærentiam, & similia, quæ in Deo arguerent imperfectionem; omnia tamen, quæ eidem competunt, quatenùs est comprincipium Visionis Beatæ ex parte objecti, citra imperfectionem supplere posse, ut per singula discurrendo constare potest, quod satis est, ut loco illius possit immediatè concurrere ad sui visionem; per accidens enim est ad rationem comprincipii ex parte objecti, quod sit accidens, aut substantia, dummodò habeat omnia per se requisita ad productionem cognitionis, quantùm est ex parte objecti. Circa singula speciei munia, & quomodò ab Essentia divina suppleri queant, ex infrà dicendis constabit. Vide interim *P. Soar. lib.* 2. *de Attrib. cap.* 12. *à num.* 6.

Argues 2. ex P. Vasq. cit. *cap.* 4. Deus, sive Essentia divina non potest supplere munus speciei intelligibilis, nisi subeat vicem causæ particularis; sed hoc stare non potest; alioqui jam supervacaneũ esset lumen gloriæ, aut auxilium Dei supernaturale, sine quibus tamen dari nequit Visio Beata, ut ex infra dicendis constabit; siquidem cùm Essentia divina virtutem habeat infinitam, se ipsâ potest efficere, quidquid efficeret lumen gloriæ, vel auxilium supernaturale; ergo &c. Respondeo negando minorem, & illius sequelam, ad cujus probationem negamus, Essentiam divinam, quatenùs præcisè concurrit loco speciei, posse supplere lumen, aut auxilium supernaturale; siquidem cùm hæc sint principia habentia se ex parte potentiæ, & veluti in alio genere constituta, non possunt aliter suppleri, quàm per principium, quod etiam se habeat formaliter ex parte potentiæ, quale non est Essentia divina, prout supplet præcisè locum speciei. 8.

Argues 3. Essentia divina ex se est illimitata quoad rationem causandi; sed magna imperfectio est, causam ex suo genere universalem fieri determinatam, particularem, & limitatam ad unicum effectum, qualis est Visio Beata; ergo non potest immediatè ad illam concurrendo sic limitari. Respondeo Essentiam divinam ex eo, quod concurrat ut causa particularis ad productionem Visionis Beatæ, aut alterius cujusque effectûs particularis, non statim sequi, quod imperfecta, & limitata reddatur; alioqui non posset unquam se sola efficere, quidquid efficit cum causis secundis, quod est contra rationem naturalem. Undè tantùm abest, ut id imperfectionem arguat, quod potius sit maxima perfectio. 9.

Argues 4. Si Essentia divina sic concurreret ad Visionem Beatam cum intellectu creato, sequeretur ab eo dependere in ratione causæ universalis, sine qua non posset producere ipsam visionem; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam; nam etiam quando concurrit ut causa universalis omnium rerum, non potest prout sic concurrere absque concursu causarum particularium; & tamen non ideò dicitur ab illis dependere, aut eis subordinari, ut constat. 10.

Argues 5. Si Essentia divina sic concurreret ad Visionem Beatam loco speciei, subiret vices causæ minùs principalis, & subordinatæ; siquidem ut species pendet ab applicatione intellectûs utentis, aut non utentis tali specie ad eliciendam cognitionem, ita etiam penderet Essentia divina, quod quidem satis esset ad rationem causæ minùs principalis, & subordinatæ; sed hoc non videtur admittendum; ergo &c. Respondeo negando majorem, & ejus probationem, nam Essentia divina, prout immediatè concurrit, est ipsummet objectum, quod dici nequit causa minùs principalis, & subordinata intellectui, cùm potius sit primum movens respectu illius, illumque extrahat à potentia ad actum. Undè potius ipse intellectus dici debet causa instrumentalis; Essentia autem divina dicenda est causa principalis, ut ex infrà dicendis magis constabit. 11.

Argues 6. Non sufficit realis præsentia, & assistentia extrinseca unius Angeli ad alium, ut ab illo intuitivè cognoscatur; ergo neque sufficiet immediata præsentia, & assistentia extrinseca Essentiæ divinæ ad intellectum Beati, ut ab illo intuitivè videatur; consequenterque Essentia divina non sic concurrit ad sui visionem. Respondeo cum *P. Soar. lib.* 2. *de Angel. cap.* 5. *num.* 16. 12.

&

& 17. & lib. 2. Attrib. cap. 12. num. 16. concesso antecedente; negando consequentiam; diversa ratio est, quia ut actio intelligendi prodeat vitaliter, & indivisibiliter ab objecto, & potentiâ, requiritur subordinatio, & conjunctio per se inter duo illa principia, ita ut ad influxum unius etiam alterum ei cooperetur; hæc autem subordinatio, & conjunctio non reperitur inter Angelum cognoscendum, & intellectum Angeli cognoscentis per solam realem præsentiam, & assistentiam extrinsecam; siquidem neutrum ex illis principiis per se, & ex natura sua alteri cooperatur, ut patet: at verò inter intellectum Beati perfusum lumine gloriæ, & Essentiam divinam videndam prædicta conjunctio & subordinatio reperitur; siquidem intellectus lumine illustratus subordinatur ipsi Deo ut primo motori ad Visionem.

13. Argues 7. Intellectus per speciem impressam redditur proximè potens, & constitutus in actu primo ad eliciendam Visionem; sed nihil redditur formaliter potens per virtutem sibi extrinsecam, neque constituitur in actu primo per id, quod illud non actuat, qualiter se habet Essentia divina respectu intellectus Beati; ergo hæc non potest loco speciei immediatè concurrere ad sui Visionem. Respondeo, intellectum Beati non reddi proximè potentem absolutè, & adæquatè per solam speciem impressam, sed in ratione potentiæ per lumen gloriæ, & ex parte objecti per speciem: Undè licet suppleatur concursus speciei per Essentiam, non ideo potentia dicitur fieri absolutè potens per virtutem extrinsecam, sed fieri absolutè cõpleta in ratione potentię per lumen sibi intrinsecum; & in ratione principii adæquati visionis per habitudinem ad principium extrinsecum, qualis est Essentia, quod non est inconveniens. Deindè constitutio in actu primo requirit solùm formam, quæ determinet indifferentiam potentiæ, qualiter se habet Essentia divina, non autem quæ intrinsecè actuet, & informet; hoc enim est per accidens, & proprium solius formæ accidentalis.

14. Difficultas 2. Utrùm Essentia divina de facto immediatè concurrat ad sui Visionem? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 2. Alens. 1. p. q. 7. memb. 2. & in 2. p. q. 24. memb. 1. Henric. quodlib. 3. q. 1. & quodlib. 4. q. 2. Durand. in 4. dist. 49. q. 1. art. 2. Sot. in 4. dist. 49. q. 2. art. 3. Capreol. ibid. q. 5. art. 1. Cajet. 1. p. q. 12. a. 2. Ferrar. lib. 3. contr. gent. cap. 49. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 2. d. 1. Conclus. 2. P. Soar. in Met. d. 30. sect. 11. num. 35. & lib. 2. de Attrib. cap. 12. num. 21. P. Valent. tom. 1. q. 12 pun. 2. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 5. sect. 2. num. 36. P. Granad. 1. p. q. 12. tr. 4. d. 5. sect. 3. P. Herice d. 42. cap. 3. P. Tanner. 1. p. d. 2. q. 6. dub. 2. n. 9. P. Compton. tom. 1. d. 15. sect. 1. n. 7. P. Fasol. 1. p. q. 12. art. 2. dub. 8. num. 25.* & alii.

15. Probatur primò, quia Deus, sive Essentia divina est objectum maximè intelligibile in actu; tum ob maximam immaterialitatem, & rationem actûs purissimi, quam sibi vendicat: tum ob supremam indistantiam, & assistentiâ, quam habet in ratione formæ intelligibilis respectu intellectûs Beati, ut proximè diximus; ergo superflua est species impressa, quâ mediante intellectui uniatur in ratione formæ intelligibilis; siquidem species impressa solùm à Philosophis, & Theologis admittitur propter materialitatem, improportionem, absentiam, & distantiam objectorum respectu potentiarum cognoscentium. Confirmatur, quia tam substantia Angeli, quàm animæ separatæ per se immediatè concurrunt ad sui cognitionem, ut supra jam diximus *num. 4.* non nisi, quia sunt objecta immaterialia, & propriis potentiis sufficienter præsentia; ergo à fortiori sic concurret Essentia divina ad sui cognitionem, cùm sit immaterialior, & præsentior intellectui Beati.

16. Probatur secundò, quia quando Deus concurrit ad aliquem effectum, ut causa particularis, non concurrit medio instrumento, nisi interveniat aliqua specialis congruitas, & convenientia, qualis visitur, quando effectivè producit gratiam per Sacramenta, quibus utitur tanquam signis sensibilibus, ut fideles per illa connaturaliùs, & efficaciùs excitentur ad cognitionem, & amorem rerum supernaturalium; sed Deus ad sui visionem concurrit ut causa particularis principalis, & nulla apparet congruitas, aut convenientia specialis, propter quam instrumento, sive specie uti debeat; ergo se solo, & non mediante specie ad illam concurrit.

17. Confirmatur, quia causa particularis creata instrumento non utitur, nisi quando de se insufficiens est ad producendum effectum immediatè; in quo discriminatur à causa universali, quæ media particulari ad effectum necessariò concurrit; alioqui jam esset particularis, & non universalis; sed Essentia divina est causa particularis, & per se sufficiens ad visionem producendam, ut supra diximus; ergo illam de facto immediatè producet, & non mediante instrumento, sive specie.

18. Probatur tertiò, quia statui beatifico perfectissimo concedendus est congruentior modus concurrendi ad productionem visionis talem statum constituentis; sed tali statui congruentior est concursus immediatus, quàm mediatus Essentiæ divinæ cum intellectu Beati; siquidem ille supponit majorem unionem Essentiæ cum intellectu in ratione principii, quàm iste; per illumque efficiuntur beatæ mentes Deiformes, & Deo maximè similes, quatenùs ipsum Deum cognoscunt intuitivè per eandemmet formam intelligibilem immediatam, qua Deus se ipsum intuitivè, & comprehensivè cognoscit; ergo talis concursus tali statui necessariò concedendus erit.

19. Contrariam tenent sententiam. *Vega* apud *Ovand. in 4. dist. 49. propos. 10. P. Vasq. 1. p. d. 43. cap. 7. n. 32. & 34. Egitanien. tom. 2. de Beatit. lib. 8. p. 2. q. 3. art. 3. §. 2. Richard. in 3. dist. 14. art. 1. q. 3.* Favent *Scot. in 4. dist. 49. q. 11. Argentin. in 3. q. unica art. 1. ad 1.* tenet etiam *P. Alarcon. 1. p. tr. 1. d. 3. cap. 2. n. 4. & cap. 3.* eamque plures ex viris doctis fuisse amplexos, testantur *Henricus in sum. art. 33. q. 2. ad 3. Mayron. quodlib. 4. difficult. 6. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 5. sect. 2. num. 11. & 12.* pro quibus:

20. Objicies 1. Deus non solet se solo efficere, quod potest mediante causâ secundâ præstare, ut facta inductione per omnia ejus opera, apertè constat; sed potest mediante specie creata concurrere ad sui Visionem; ergo non est cur id faciat immediatè se solo. Respondeo majorem esse veram, quando Deus concurrit ut causa universalis: non ita verò, quando concurrit ut causa particularis, ut concurrit in productione Visionis Beatæ, prout supra diximus, & infrà dicemus.

21. Objicies 2. Non sunt augenda miracula absque necessitate; sed nulla datur necessitas ad hoc, ut Deus se solo efficiat sui visionem ex parte objecti; ergo &c. Resp. falsò supponi dari aliquod miraculum in eo, quod Deus prout sic immediatè concurrat ad sui visionem, cùm sit modus maximè con-

connaturalis operandi in Deo, quod operetur ut causa particularis; præsertim cùm sic operari est magis conveniens statui beatifico, ut diximus, sicque absque ullo miraculo ita operatur; sicut nullum miraculum est, quod Angelus, aut anima separata ad sui cognitionem immediatè concurrat.

22. Instabis: Effectus connaturaliùs semper producitur à causâ magis univocâ; sed species est causa magis univoca respectu Visionis Beatæ, quàm Deus; ergo connaturaliùs producitur per speciem, quàm immediatè per Essentiam. Respondeo majorem esse veram per se loquendo; hîc autem datur specialis ratio in contrarium: Primò, quia species est vicaria objecti; sicque connaturaliter dari nequit, nisi ubi objectum ob suam improportionem non potest per se immediatè concurrere, ut potest in præsenti: Secundò, quia sic Deo immediatè concurrente, visio pleniùs sortitur rationem imaginis, quæ cùm ab illo produci petat, cujus est imago, eò perfectiùs sit, quò immediatiùs.

23. Objicies 2. Non minùs potest Deus producere Visionem Beatam, & amorem beatificum in patria; similesque actiones supernaturales in via, absque lumine, vel habitu supernaturali ex parte potentiæ; quàm producere Visionem Beatam absque specie impressa ex parte objecti; sed non concurrit ad illos actus, sive in patria, sive in via absque lumine, vel habitu supernaturali ex parte potentiæ; ergo neque sic concurret ad visionem absque specie impressa ex parte objecti. Confirmatur, quia statui beatifico, utpotè perfectissimo debet tribui perfectissimus modus operandi; perfectior autem operandi modus est per formam intrinsecè inhærentem, qualis est species impressa, quàm per formam extrinsecè assistentem, & adjuvantem, quale est objectum, sive Essentia divina cognoscenda.

24. Respondeo concessa majori, & minori, negando consequentiam; diversa ratio est, quia cùm habitus dentur ad corroborandam potentiam, & ex parte ipsius potentiæ se habeant, connaturalior modus concurrendi ex parte potentiæ est concurrere per formam intrinsecè inhærentem, quàm per modum auxilii extrinsecè adiuvantis; ideoque Deus utitur formâ illâ intrinsecè inhærente ex parte potentiæ ad omnes illos actus supernaturales tam in patria, quàm in via: at verò cùm concursus objecti per se loquendo sit extrinsecus, connaturalior est, & congruentior per formam extrinsecè assistentem, quando hæc fuerit maximè intelligibilis in actu, qualis est ipsa Essentia divina; imo & Angelica, ut supra diximus. Et per hæc patet quid dicendum sit ad confirmationem argumenti.

25. Objicies 4. Deus in hac vita concurrit ad sui cognitionem per speciem impressam; ergo & in patria. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia cognitio in patria, cùm sit clara, & intuitiva, debet esse immediata, & facialis, sicque debet à Deo immediatè, & nullo interposito, procedere; at verò in via, cùm sit obscura, & abstractiva, non habetur immediatè, sed per species alienas, & à rebus creatis emendicatas juxta illud ad Rom. 1. 20. *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

26. Objicies 5. Non implicat qualitas aliqua supernaturalis, quæ simul elevet potentiam in ratione potentiæ, & cum illa concurrat loco objecti; ergo tale erit de facto lumen gloriæ; consequenterque Essentia Divina non concurrit immediatè ad sui cognitionem. Respondeo quidquid sit de antecedente, negando consequentiam; neque enim dari potest connaturaliter talis qualitas, quando objectum est maximè præsens, & proportionatum, qualis est Deus, ut diximus.

Objicies 6. Si Deus immediatè concurreret per Essentiam ad sui cognitionem, ad eam concurreret necessariò; siquidem posito lumine gloriæ in intellectu, non potest Deus negare concursum objectivum ad producendam visionem; sed hoc stare non potest; siquidem actiones Dei *ad extra* omnes sunt liberæ; ergo &c. Respondeo argumentum in utraque sententia eandem habere vim; nam concursus objecti non est minùs necessarius ad producendam speciem, quàm visionem; ergo posito lumine, deberet Deus necessariò producere speciem, & hæc Visionem. Undè sit: 27.

SECTIO II.

Vtrùm Essentia Divina concurrat ad sui visionem necessariò, & sub ratione Naturæ: an liberè, & sub ratione Voluntatis?

DIco 1. Essentia divina concurrit ad sui Visionem, non solùm in ratione causæ formalis externæ illam specificando, quod commune est omnibus aliis objectis respectu actuum, quos terminant, sed etiam in ratione causæ efficientis, eandem effectivè producendo. Ita *P. Molin. 1. p. q. 12. art. 2. d. 2. §. His ita. P. Valent. 1. p. d. 1. q. 12. punct. 2. §. Primò intelligitur. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 12. à n. 17. P. Sal. 1. 2. q. 3. d. 5. tract. 2. sect. 2.* & alii Recentiores contra *Bannez 1. p. q. 12. art. 2. dub. 2. Conclus. 3. Pesant. d. unica ad 7.* aliosque ex Recentioribus. 28.

Probatur primò, quia Essentia divina concurrit loco speciei impressæ, prout supra diximus; sed species secundùm verissimam Philosophorum sententiam ad hoc datur, ut effectivè concurrendo potentiam determinet; ergo &c. Secundò, quia in hoc concursu nulla apparet repugnantia, aut imperfectio, ut ex supra dictis patet; ergo &c. Tertiò, quia hoc sublato concursu, non datur adæquata causa Visionis Beatæ; siquidem tolletur concursus effectivè determinans intellectum ex parte objecti, qui tamen necessarius est ad quamlibet cognitionem, etiam naturalem eliciendam, ut ex Philosophia tanquam certum supponitur; ergo &c. 29.

Dico 2. Præter concursum in ratione causæ formalis externæ, & effectivum, de quibus proximè, non reperitur in Essentia divina alius tertius, qui ab aliquibus dicitur causalitas, seu unio formalis Essentiæ cum intellectu creato. Ita *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 12. à num. 8. P. Valent. tom. 1. d. 1. q. 12. punct. 2. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 2. d. 2. P. Gil tom. 2. tr. 6. cap. 2.* ubi latiùs de hac re contra *Cajet. 1. p. q. 12. art. 2. ad 3. Banneż 1. p. q. 12. art. 2. Conclus. 4. Zumel. ibid. quæst. 3. Pesant. proximè cit. Navarret. controv. 35.* & alios negantes Essentiæ divinæ concursum effectivum ad sui visionem, quos latè refert *Ægid. Lusitan. tom. 2. lib. 12. p. 2. q. 4. art. 5. §. 1.* & admittentes tertium illum concursum, quem appellare solent unionem quandam mirabilem, & ineffabilem; ideoque dicunt admittendam, 30.

tendam, quia cùm Essentia divina concurrat in ratione formæ intelligibilis loco speciei, quæ rationem causæ formalis exercet respectu intellectûs, necessariò debet talem causalitatem supplere, quod aliter præstare non potest, quàm per unionem illam, seu causalitatem formalem. Nostra tamen conclusio:

31. Probatur primò, quia concursus effectivus, & formalis extrinsecus Essentiæ satis est ad determinandum intellectum creatum ad eliciendam Visionem Dei; ergo quilibet alius est finitus. Probatur secundò, quia species impressa non exercet rationem unionis, seu causalitatis formalis internæ in quantùm est forma intelligibilis præcisè cõstituens intellectum in actu primo, ipsumque determinans ad visionem, sed in quantùm est talis forma intelligibilis, nempè accidentalis, quæ ut sic accipit esse à subjecto; alioqui tam Essentia divina respectu Intellectus divini, quàm essentia Angeli & animæ separatæ respectu sui intellectûs haberent rationem illam unionis, & causalitatis formalis internæ, cùm respectu illorum sint formæ intelligibiles illos constituentes, & determinantes in actu primo ad sui cognitionem; sed Essentia divina per intimam conjunctionem, & assistentiam extrinsecam ad intellectum creatum, potest exercere rationem formæ intelligibilis respectu illius, illumque constituere in actu primo, & determinare ad eliciendam sui visionem, ut supra diximus; ergo frustra illi superadditur formalis illa unio, seu causalitas interna mirabilis, & ineffabilis.

32. Confirmatur primò, quia causalitas illa in forma intelligibili est magna imperfectio; siquidem solùm provenit ex ratione accidentis, ejusque dependentiâ à subjecto; sed Essentia divina est forma intelligibilis perfectissima; ergo causalitatem illam neque vendicat, neque supplet; alioqui in illam refunderetur formalis imperfectio. Secundò, quia unio illa, seu causalitas dicitur à suis Authoribus ineffabilis, & inexplicabilis; ergo vel solo nomine debet à vera Theologia ablegari, utpote quæ neque principium, neque fundamentum habeat, ex quibus deduci, aut explicari possit.

33. His ita probatis & stabilitis, pro solvenda difficultate in titulo proposita, advertendum est, duobus modis posse difficultatem illam excitari: Primò, ita ut inquiramus: An Essentia divina concurrat cum intellectu Beati per se primariò, ut est, seu ut Natura quædam est: An verò concurrat per se primò, non ut est, sed ut Voluntas, & Omnipotentia est? Secundò, ita ut investigemus: An Essentia divina ita concurrat ad sui visionem, ut saltem ad minimum sit necessarium, quod ad talem concursum applicetur, seu imperetur à voluntate Dei libera? His positis: sit:

34. Conclusio 1. Essentia divina concurrit ad sui visionem per se primariò ut est, seu ut Natura est; non autem ut Voluntas, & Omnipotentia est. Ita *Argent. quæst. Prolog. ad 5. Egitanienſ. cit. art. 1. §. 2. num. 12. P. Molin. 1. part. quæst. 12. art. 2. d. 2. §. Licet autem. P. Gil. tom. 2. tr. 6. cap. 3. à num. 3. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 5. sect. 2. num. 4.* & alii Recentiores. Probatur primò ex D. Thom. *quæst. 8. de Verit. art. 1. & in 4. dist. 49 quæst. 2. art. 1. ad. 2.* quatenùs asserit, idem esse principium intellectionis divinæ increatæ, ac creatæ beatificæ; sed principium Intellectionis divinæ est Essentia, ut Essentia, & ut Natura est; non autem ut voluntas est; ergo ita similiter erit respectu Visionis beatificæ.

35. Probatur secundò, quia essentia Angeli (idemque de essentia animæ separatæ) concurrit ad sui cognitionem, ut natura est; & non ut voluntas; aut potentia; alioqui si concurreret ut voluntas, cùm nihil detur volitum, quin præcognitum, daretur alia cognitio Angelica ante primam illius cognitionem, quod implicat; esset enim, & non esset prima; ergo idem dicendum de Essentia divina concurrente ad sui cognitionem.

36. Probatur tertiò, quia si Essentia divina concurreret ad Visionem beatam non ut Natura, sed ut Voluntas & Omnipotentia est, per se primò cognosceretur à Beato ut Voluntas, & Omnipotentia est; siquidem objectum eo modo, quo movet potentiam, ab eadem attingitur; sed hoc non est dicendum; siquidem Beatus per se primò attingit Essentiam ut Natura est, & prout includit omnia, quæ in illa sunt formaliter, ut ex infra dicendis constabit; ergo &c. Confirmatur, quia objecta creata non movent per se primò potentiam cognoscentem, prout potentiæ sunt; alioqui ut talia per se primò cognoscerentur, quod experientiæ repugnat; ergo &c.

37. Probatur quartò: Ideò Essentia divina concurreret ad sui cognitionem, ut est Voluntas & Omnipotentia, quia ante hujusmodi potentias non conciperetur à nobis sufficiens ad producendam immediatè actionem, sivè visionem illam; sed hoc est falsum; siquidem substantia creata antequam perficiatur per propriam potentiam, potest aliquas emanationes edere, ut patet in aquâ se reducente ad pristinum frigus: in substantia producente suas proprietates, & potentias realiter distinctas; suamque subsistentiam, quibus emanationibus similis est concursus ille Essentiæ ad visionem, cùm prout est ab Essentiâ sit actio quædam intentionalis; ergo &c.

38. Probatur quintò, quia Naturæ divinæ, utpotè perfectissimæ, non debet denegari perfectio aliqua competens rebus creatis, in qua nulla visitur repugnantia; sed concurrere ad sui cognitionem, prout naturæ quædam sunt, est perfectio competens rebus creatis, ut inductione facta constat; & in eo, quod Deo adscribatur, nulla visitur imperfectio, aut repugnantia; aliter assignetur; ergo &c.

39. Oppositum tenent *Scot. quodlib. quæst. 14. art. 2. §. Hinc intelligendum. Herrer. in 1. Scot. tom. 1. d. 7. quæst. 9. conclus. 3. & 4. Rada 1. part. controv. 10. art. 1. conclus. 3.* & omnes ferè Scotistæ *P. Vasq. 1. part. d. 43. cap. 7. num. 35. Egitanienſ. tom. 2. lib. 8. part. 2. quæst. 2. art. 6. §. 5. num. 43. P. Herice tr. 4. d. 42. cap. 4. num. 30.* ubi citat *Ovand. in 4. dist. 49. propoſit. 8. & D. Thom. 1. part. quæst. 19. art. 4. P. Compton. tom. 1. d. 15. sect. 2. num. 1. & 2.* licet contrarium non rejiciat: Pro illis:

40. Objicies 1. Illud Apoc. 4. ibi: *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erunt, & creata ſunt.* Ubi significatur, Essentiam ad omnia creata concurrere ut voluntatem; sed Visio beata, ad quam Essentia concurrit, est quid à Deo creatum; ergo &c. Respondeo ex loco citato, sicut ex aliis similibus (si quæ sint) solùm colligi, quæcumque à Deo fiunt, pendere ab ejus voluntate modo statim explicando; non autem Naturam, sive Essentiam divinam ad illa concurrere sub ratione Voluntatis, quod debebat probari.

41. Objicies 2. Quidquid Deus *ad extra* producit, efficit per suam Essentiam, ut per principium completum; sed hæc talis non est, nisi prout completur per Voluntatem, & Omnipotentiam; ergo &c. Respondeo negando minorem: neque enim Essentia divina, ut Natura est, est minùs sufficiens, &

completa ad sui visionem eliciendam, quàm sit substantia creata ad emanationes naturales suarum proprietatum, ut diximus.

42. Objicies 3. Si Essentia concurreret ad sui visionem, ut Natura est, sequeretur, Deum aliquid efficere *ad extra* ex necessitate naturæ; sed hoc non est dicendum: tum quia id negant omnes Theologi cum *D. Thom. 1. part. quæst. 19. art. 4.* tum etiam quia illud, quod Deus sic operaretur, necessariò foret infinitum; siquidem cùm non haberet principiũ à quo limitaretur, & determinaretur, operaretur quantùm potest; potest autem infinitum; ergo &c.

43. Respondeo cum P. Molin. cit. negando sequelam, si velint ex hac operatione sequi, Deum efficere aliquid *ad extra* ex necessitate naturæ simpliciter, & absolutè, siquidem concursus Dei ad sui visionẽ Deo est liber: concedendo tamen sequelam, si velint, sequi, Deum efficere aliquid *ad extra* ex necessitate secundùm quid, quatenùs scilicet concursus ille, quantùm est ex parte Essentiæ concurrentis in ratione formæ intelligibilis à Deo impenditur necessariò; ex quo tamen non sequitur, effectum illum esse simpliciter ex necessitate naturæ; siquidem maximè liber & voluntarius est Deo, prout ad illum concurrit cum intellectu, & lumine gloriæ, tum ut causa universalis, tum ut particularis, licet ex suppositione, quod ad illum velit concurrere, necessarius sit talis concursus, prout exit ab illius Essentia concurrente in ratione formæ intelligibilis.

44. Objicies 4. Essentia divina per id concurrit ad sui visionem, quod continet, & potest producere speciem impressam intuitivam Dei; sed hanc continet, & potest producere per Omnipotentiam, & voluntatem, ergo ad illam de facto concurrit per Omnipotentiam, & Voluntatem, seu prout est Voluntas, & Omnipotentia. In hoc argumento maximè nititur *P. Herice cit. num. 27.* cùm tamen supponat possibilem esse speciem impressam intuitivam Dei, ex iis, quæ pro illius possibilitate infra dixerimus, patebit quid dicendum proposito argumento.

45. Conclusio 2. Concursus Essentiæ divinæ in ratione formæ intelligibilis ad Visionem beatam, non solùm est necessarius ut diximus, sed etiam prout sic est independens ab applicatione, saltem immediata, & directa Voluntatis divinæ. Ita videtur tenere *D. Thom. supra cit. n. 34.* dum asserit idem esse principium Visionis Increatæ, ac Visionis creatæ beatificæ; sed Essentia divina independenter ab applicatione Voluntatis divinæ concurrit de facto ad Visionem increatam; ergo eodem modo concurret ad visionem creatam beatificam. Tenent expressè *P. Molin. 1. patt. q. 12. art. 2. d. 2. §. Licet autem. P. Gil. tom. 2. tr. 6. cap. 3. à num. 8.* & probabilem dicit *P. Becan. 1. part. tr. 1. cap. 9. quæst. 2. num. 4.* Tenent etiam *Scot. quodlib. quæst. 14. art. 2. §. Hinc intelligendum. Lichet. ibid. Mayron. in 3. dist. 12. q. 21.* & alii.

46. Probatur primò, quia Essentia divina ante applicationem liberam voluntatis, est forma intelligibilis perfectissima, nõ solùm respectu Intellectûs divini, sed etiam creati perfusi lumine gloriæ; ergo prout sic potens concurrere, & de facto concurrens cum utroque ad sui visionem. Probatur consequentia, quia ad concurrendum cum Intellectu divino ad sui visionem non est necessaria illa voluntatis applicatio, ut omnes fatentur; ergo neque sic erit necessaria ad concurrendum cum intellectu creato.

47. Probatur secundò, quia Essentia divina non est minùs potens ad præstandum suum concursum in ratione formæ intelligibilis ad sui Visionem, antequam nostro concipiendi modo compleatur per voluntatem, & potentiam executivam, quàm sunt plura objecta creata ad eliciendas suas emanationes reales, nempè elementa ad producendas proprietates sibi connaturales, Essentia ad producendum intellectum, & voluntatem, & substantia suam subsistentiam; sed hæc producunt suas proprietates per emanationes reales, antequam re ipsa compleantur per potentias, quibus cæteros effectus producunt; ergo à fortiori Essentia divina eliciet actionem intentionalem ad sui visionem, antequam nostro concipiendi modo compleatur per Omnipotentiam, qua producit effectus ad extra, & per voluntatem, quâ applicari possit.

48. Probatur tertiò, quia essentia Angeli (idemq; de anima separata) de facto concurrit ad sui visionem per proprium intellectũ independenter ab applicatione voluntatis; alioqui cum applicatio voluntatis ad hoc, ut Angelus se intelligat, pendeat necessariò à cognitione objecti; siquidem nihil volitũ, quin præcognitum, sequeretur jam habere sui cognitionem, antequam se cognosceret, quod implicat: imò cùm illa cognitio antecederet actum voluntatis, haberetur independenter ab illius applicatione, quod intendimus; ergo etiam Essentia divina sic concurret ad sui visionem independenter ab applicatione voluntatis, cùm non sit ad id minùs efficax, quàm essentia Angeli.

49. Probatur quartò, & efficaciter, quia posito concursu libero Voluntatis divinæ ex parte intellectûs creati, & luminis gloriæ, cum sola assistentia extrinseca, seu unione Essentiæ in ratione formæ intelligibilis, statim producitur Visio beatifica absque libera applicatione Essentiæ ad talem concursum; siquidem positis omnibus requisitis ex parte potentiæ, & unione formali speciei impressæ, aut objecti cognoscibilis in cognitionibus naturalibus, nihil aliud requiritur præter efficaciam speciei, vel objecti, ut statim producatur cognitio, ut factâ inductione constat; sed ex suppositione factâ dantur omnia requisita ex parte potentiæ, & aliundè Essentia divina non est minùs efficax ad præstandum concursum ex parte objecti absque applicatione libera voluntatis, quàm sunt species aut objecta creata, quæ absque ulla peculiari applicatione concurrunt cum sola naturali efficacia ad talem actionem; ergo absque necessitate introducitur, & exigitur talis applicatio libera voluntatis.

50. Confirmatur, quia positis omnibus requisitis ex parte potentiæ divinæ ad producendum aliquem effectum in creatis, statim concurrit Essentia divina in ratione causæ exemplaris absque ulla applicatione directa voluntatis illam applicantis ad talem concursum; ergo etiam positis liberè omnibus requisitis ex parte potentiæ creatæ, statim similiter concurret in ratione formæ intelligibilis absque ulla nova applicatione voluntatis ad talem concursum.

51. Et declaratur adhuc efficaciter, quia licet Essentia divina ad effectum creatum *ad extra*, quando illum producit Omnipotentia, non concurrat ut applicata à propria voluntate quoad concursum, quem ipsa præstat in genere causæ exemplaris, hoc non tollit quominùs effectus ille dicatur Deo liber, atque opus divinæ Voluntatis simpliciter, & absolutè absque ulla imperfectione; siquidem ad hoc satis est libera applicatio Voluntatis divinæ quoad cætera, quæ ad productionem talis effectûs requiruntur;

requiruntur; ergo similiter licet Essentia divina non concurrat ad Visionem beatam, ut applicata directè à Voluntate divinâ quoad rationem concursûs, quem ipsa præstat in ratione formæ intelligibilis, hoc non tollet, quominùs effectus ille dicatur simpliciter Deo volitus, & liber; siquidem ad hoc satis erit, quod omnia requisita ex parte potentiæ, & luminis gloriæ sint simpliciter & absolutè Deo libera.

52. Hinc colliges ad eliciendam Visionem Beatam sufficere applicationem Essentiæ divinæ in ratione formæ intelligibilis mediatam, & indirectam, quatenùs scilicet voluntas divina cum intellectu creato, & lumine gloriæ liberè concurrit, tùm mediatè, utrumque conservando; tùm immediatè in ratione causæ universalis, vel etiam particularis, (prout infrà explicabimus) concurrendo ad Visionem Beatam cum intellectu creato, & lumine gloriæ tanquam cum instrumento sibi peculiari.

53. Oppositam sententiam tenent *Argentin. q. 1. Prolog. Aureol. in 2. dist. 9. q. 1. art. 1. P. Vasq. & P. Sal. proximè, Ægid. Lusitan. tom. 2. lib. 8. p. 2. q. 2. art. 6. § 5. num. 47. & 48. P. Soa. lib. 2. de Attrib. cap. 12. n. 20. 22. & 25. & lib. 2. de Angel. cap. 28. num. 4. P. Becan. 1. p. tract. 1. cap. 9. q. 2. n. 4. Machin. 1. p. q. 12. a. 2. d. 15. sect. 1.* qui idem affirmant de concursu ad producendam speciem impressam, de quo infrà: pro quibus. Argues 1. Fundamenta, quibus probata est præcedens conclusio ab Adversariis in nos, videntur ad minimum probare, Essentiam divinam concurrere ut applicatam, seu imperatam directè à voluntate divina; ergo &c Respondeo negando antecedens: talia enim fundamenta partim ex fundamentis proximè adductis sunt dissoluta, partim ex dicendis dissolventur.

54. Argues 2. ex illo Psal. 134. ibi: *Omnia quæcumq; voluit Deus fecit.* Et ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*: ex quibus, aliisque similibus locis videtur satis constare, nihil à Deo fieri, aut factum esse, nisi ex beneplacito voluntatis divinæ; ergo &c. Respondeo adducta loca (& si quæ sunt alia,) solùm intendere, quæcumque Deus operatur *ad extra*, esse simpliciter, & absolutè Deo libera, quod non negamus; cum hoc tamen stare potest, quod secundùm aliquam considerationem possit concursus Dei accipi necessariò, prout de concursu ad effectum in ratione causæ exemplaris explicavimus.

55. Argues 3. Deus non communicat suam Essentiam creaturis in earum productione, nisi per Intellectum, & Voluntatem saltem ut applicantem potentiam executivam, ut constat, tùm ex alibi dictis: tùm ex locis Scripturæ proximè citatis: tùm ex communi Theologorum sententia: tùm etiam ex Philosopho passim asserente, Deum esse agens, non per Naturam simpliciter, sed per Intellectum, & Voluntatem operans; ergo etiam eisdem non communicabit suam Essentiam per ejus intelligibilitatem, sive concursum in ratione formæ intelligibilis, nisi ut applicatam directè à Voluntate Divina.

56. Respondeo primò, verum quidem esse, Deum non communicare suam Essentiam in esse reali, quando creaturas realiter producit, nisi dependenter ab applicatione libera, & directa suæ voluntatis; id tamen non esse secundùm omnem rationem concurrendi; siquidem non illam prout sic applicat in ratione causæ exemplaris, ut diximus; ergo etiam mirum non est, quod eandem non cõmunicet secundùm esse intelligibile liberè applicatam, saltem secundùm aliquam rationem, qualis est ratio concurrendi intentionaliter, & loco specie impressæ, ut etiam diximus.

57. Respondeo secundò, concesso antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia Deus non communicat suam Essentiam in productione creaturarum, nisi per actionem *ad extra* omnibus modis realem, quæ prout sic supponit ipsam Essentiam nostro concipiendi modo jam constitutam per Intellectum, & Voluntatem, atque adeò per hanc liberè applicatam; ut videre est in actionibus simpliciter realibus agentium naturalium: at verò suam intelligibilitatem communicat per actionem, prout est ab Essentia intentionalem, & similem emanationibus agentium naturalium, ideoque prout sic non requirit ipsam Essentiam completam per voluntatem ut eam liberè applicantem, ut in simili diximus de emanationibus agentium naturalium, quæ à suis causis egredi possunt, antequam constituantur & compleantur per suas potentias reales.

58. Argues 4. Deus per voluntatem, & suam Omnipotentiam potest immediatè supplere concursum suæ Essentiæ ad productionem Visionis Beatæ, siquidem hic est in genere causæ effectivæ; Deus autem potest supplere concursum causæ effectivæ, ut est communis sententia; ergo hic dependet à Voluntate Divina saltem ut applicante; siquidem Deus non illum supplebit, nisi priùs velit eum impedire, & de facto impediat, quod autem non impediat, est signum, quod ejus voluntati, & potentiæ subjacet.

59. Respondeo negando antecedens: neque enim Deus supplere potest concursum illum directè, saltem de lege ordinaria; quia licet sit effectivus, ac proindè ex genere suo possit à Deo suppleri, quia tamen nostro concipiendi modo supponitur ad eõcursum liberum Voluntatis divinæ, juxta ea quæ supra diximus, ab eadẽ suppleri non potest. Accedit, quia licet concursus ille, prout est effectivus, suppleri possit per Voluntatem divinam, (quod non concedimus,) adhuc non posset per illam suppleri, quatenùs formalis extrinsecus; siquidem hic aliter suppleri non potest, quàm per formam, quæ Essentiam ipsam divinam contineat per se primò, & formaliter, aut eminenter, aut intentionaliter; nullo autem ex his modis Voluntas divina continet Dei Essentiam, ut patet.

60. Scio aliquos ex Recentioribus putare, ex eo non posse concursum effectivum Essentiæ divinæ in ratione formæ intelligibilis suppleri per Voluntatem divinam, quia hæc Essentiam non continet aliquo ex modis proximè assignatis. Non placent, si loquantur de concursu effectivo præcisè quà effectivo; siquidem Voluntas divina non suppleret concursum activum effectivè ut principium *quod*, & principale, sed ut principium *quo*, & minùs principale; ad hunc autem effectum præstandum opus non esset, Essentiam continere aliquo ex prædictis modis, sed satis esset, quod illam sic contineret principium quod, & principale, qualis esset Deus.

61. Argues 5. Si Essentia divina non concurrit ad Visionem Beatam ut applicata, & determinata à Voluntate divina, sequeretur, concurrere necessariò, atque adeò secundùm totam suam intelligibilitatem infinitam; sed hoc non est dicendum: alioqui per talem concursum produceretur visio infinita; siquidem causa infinita, nisi aliundè habeat, à quo impediatur, producit effectum suæ virtuti adæquatum, sicque infinitum, quod implicat; ergo &c.

62. Respondeo negando sequelam, licet enim Essentia divina non concurrat ut applicata à Voluntate divina, adhuc Visio Beata non erit infinita; siquidem ex simultanea conjunctione cum intellectu creato, & lumine gloriæ finitę virtutis limitatur ad non concurrendū secundùm totam suam intelligibilitatem, sed secundùm finitam, & limitatam, sicque limitatum effectum, seu Visionem finitam producit; nam quando plures causæ diversæ rationis concurrunt ad eundem effectum producendum, potentior limitari solet ab imperfectiori, ita ut effectus sequatur deteriorem partem suæ causæ. Patet primò in conclusione deducta ex duabus præmissis etherogeneis inæqualibus in perfectione, quarum deteriorem sequitur, ut alibi diximus in Logica. Secundò in duobus cernentibus idem objectum ex eadem distantia, & per speciem impressam æqualis intensionis, quorum unus si habeat visum acutum, & alter illum habeat obtusum, visio necessariò evadet inæqualis, & repræsentatio speciei limitabitur juxta proportionem luminis naturalis; ergo ita similiter fiet in concursu Essentiæ divinæ ex conjunctione cum intellectu creato, & lumine gloriæ finitæ virtutis, quale est illud, quod de facto datur ad videndum Deum.

63. Inferes: Ergo saltem de potentia Dei absoluta poterit Essentia divina concurrere ad Visionem Beatam dependenter ab applicatione libera immediata, & directa Voluntatis divinæ. Respondeo concedendo illationem ob easdem rationes cum proportione applicatas, quibus infrà idem probabimus de concursu ejusdem Essentiæ divinæ ad producendam speciem impressam.

SECTIO III.

Vtrùm Essentia Divina concurrat ad sui visionem per se primariò secundùm omnes suas perfectiones: an solùm secundùm aliquas?

64. CUm Perfectiones Divinæ aliæ sint absolutæ, quales sunt Misericordia, Justitia, & alia Attributa; aliæ verò sint relativæ, quales sunt Relationes Personales, sive constituentes Personas, de omnibus hîc est præsens quæstio. Prima sententia asserit, Essentiam divinam concurrere per se primariò ad sui visionē, non secundùm omnes suas perfectiones, etiam absolutas, sed tantùm secundùm aliquas determinatas, nempè secundùm solam Voluntatem, & Omnipotentiam. Ita Scot. *quodlib. quæst. 14. art. 2.* & cum eo alii Scotistæ supra citati *num. 39.* Hujus tamen sententiæ fundamenta ibidem proposuimus & satis rejecimus.

65. Secunda sententia est aliquorum affirmantium, Essentiam divinam concurrere primariò ad sui Visionem, aut solùm quà intellectio actualis: aut quà est infinita simpliciter. Hæc tribui potest Authoribus, qui docent Essentiam divinam in ratione Deitatis per se primariò constitui, aut per rationem intellectionis actualis: aut per rationem infinitatis simpliciter.

66. Fundantur, quia Natura, sive Essentia divina concurrit per se immediatè ad sui visionem quà Natura est, ut supra diximus; sed in ratione Naturæ constituitur, aut per intellectionem actualem: aut per infinitatem simpliciter; ergo aliquâ earum per se primò concurrit ad sui visionem. Respondeo primò negando minorem: jam enim diximus *in Met. tract. 1. d. 3. à num. 739.* Naturam divinam constitui per Aseitatem metaphysicè; physicè autem à parte rei per existentiam perfectissimam per se subsistentem in omni genere, prout ibidem diximus *num. 660.* Respondeo secundò, dato quod Natura divina per illa prædicata ultimò constitueretur, non tamen adæquatè, sicque deberet concurrere ad sui visionem etiam secundùm alias perfectiones absolutas saltem communiores, quæ etiam in ipsâ ratione Naturæ includerentur.

67. Tertia sententia, quam sequimur docet, Essentiam divinam concurrere per se primariò ad sui Visionem secundùm perfectiones absolutas, non autem secundùm relativas. Ita *P. Soar. lib. 2. de Attributis* qui asserunt, perfectiones relativas in Deo non pertinere ad objectum primarium Visionis beatæ, quos infra citabimus *d. 5. num. 12.*

68. Probatur 1. pars primò, quia Essentia divina concurrit per se primariò ad sui Visionem, quà Natura est, ut supra diximus; idque non ut à notio *trib. cap. 12. num. 23. & 24. P. Molin. 1. part. quæst. 12. art. 8. d. 4. Conclus. 3.* & citari possunt omnes concipitur, sed ut est in re ipsa; sed prout sic per se primò constituitur in ratione naturæ per omnes suas perfectiones absolutas, ut diximus in Metaphysica loco à nobis citato; ergo secundùm omnes concurrit per se primò ad sui Visionem.

69. Probatur secundò, quia objecta creata secundùm omnes perfectiones sibi essentiales concurrunt per se primò ad sui cognitionem habitam sive immediatè, si sint ex se proportionata, ut sunt Angelus, & anima separata respectu cognitionis sui-ipsius; sivè mediante specie à se emissâ, quando talia non sunt; sed perfectiones absolutæ sunt veluti partes essentiales Essentiæ divinæ; ergo secundùm omnes per se primò concurret ad sui visionē.

70. Probatur 2. pars primò, quia Essentia divina ad Visionem Increatam Patris (idemque de cœteris Personis,) non concurrit nostro concipiendi modo secundùm perfectiones relativas Personarum primariò, sed satis est, quod secundùm illas concurrat secundariò, & quatenùs eminenter cōtinentur in Essentia; ergo eodem modo concurret reipsa ad Visionem beatam creatam.

71. Secundò, quia Relationes divinæ eminenter continentur in Essentia divina; ergo satis est concursus primarius, & immediatus Essentiæ divinæ, ut illæ videantur à Beato. Tertiò, quia si Relationes in Deo per se immediatè, & primariò concurrerent ad Visionem beatam creatam, posset earum quælibet, quantùm est ex se, sine aliâ concurrere ad sui Visionem; sed hoc non est dicendum; alioqui jam opera Trinitatis *ad extra* non essent indivisa, quod est contra Theologos & Sanctos Patres; ergo &c. Quartò, quia sequeretur, posse effectum creatum, qualis est Visio beata pendere à Deo, quatenùs Trinus est; consequenterque ex illius cognitione comprehensiva posse evidenter cognosci Mysterium Trinitatis; hoc autem in Materia de Trinitate negari solet; ergo & illud, ex quo sequitur.

72. Quintò, quia Relationes divinæ quoad nostrum modum concipiendi sunt posteriores Essentiâ, utpotè à quâ, ut à radice procedunt; ergo posteriùs ad Visionem beatā concurrunt; consequenterque mediante Essentiâ. Sextò, quia Relationes & subsistentiæ

ſtentiæ, ut tales non ſunt activæ, ut cõſtat ex relationibus, & ſubſiſtentiis creatis; ergo falſum eſt, Relationes divinas concurrere activè ad viſionem beatã; cõſequenterq; ad illam per ſe primariò concurrere.

73. Oppoſitum tenent aliqui Recentiores cum *P. Gil. tom. 2. tract. 7. cap. 1. num. 5.* Pro quibus: Objicies 1. Ideò Eſſentia divina non concurreret per ſe primò ad Viſionem beatam ſecundùm perfectiones relativas, aut quia ex tali concurſu aliquod ſequeretur abſurdum: aut quia illæ de ſe efficaciam non habent ad concurrendum effectivè in ratione formæ intelligibilis: aut quia ſatis eſt immediatus concurſus Eſſentiæ, in qua eminenter continentur, ut ipſæ ab intellectu Beati perfectè videantur: Non primum; non enim apparet quid abſurdi ſequatur: Non ſecundum; neque enim Relationibus divinis, quæ ſunt ſubſtantiæ perfectiſmæ, negari debet perfectio, quæ formis creatis, etiam minimæ entitatis, conceditur à Philoſophis; concurſus autem intentionalis ad ſui cognitionem primariò, & per ſe conceditur entibus de ſe inefficacibus ad actiones reales, ut coloribus: Non tertium, neque enim concurſus immediatus Eſſentiæ ſatis eſt, ut Beatus ipſas Relationes perfectè videat; ergo &c. Reſpondeo negando minorem quoad ultimam partem; ſatis enim eſt immediatus concurſus Eſſentiæ, in qua ipſæ relationes eminenter continentur ad perfectam earum cognitionem.

74. Inſtabis: Concurſus immediatus illius, quod aliud eminenter continet, non ſufficit ut illud intuitivè cognoſcatur, niſi ad ſummum quando contentum in illo continetur, ut in cauſa infinitè perfecta; ſed Relationes divinæ non continentur in Eſſentia, ut in cauſa; ergo &c. Reſpondeo negando majorem: ſatis enim eſt, quod in illo contineantur, ut in radice; ſic autem continentur Relationes divinæ in Eſſentia.

75. Objicies 2. Relationes divinæ ſunt formæ æquè intelligibiles in actu, & æquè præſentes intellectui creato Beati, atque ſunt perfectiones eſſentiales, & attributales abſolutæ; ſed hæ concurrunt ad ſui viſionem per ſe primò, neceſſariò, & independenter ab applicatione Voluntatis divinæ; ergo etiam ſic concurrent perfectiones Relativæ. Reſpondeo negando majorem: perfectiones enim abſolutæ, cùm integrent Eſſentiam in ratione Naturæ, prout ſupra diximus, ſub qua ratione Eſſentia per ſe primò concurrit ad ſui viſionem, etiam ipſæ perfectiones abſolutæ ſic cum illa concurrunt ad ſui viſionem, quod aliter eſt in perfectionibus Relativis, ut ex dictis conſtat.

76. Objicies 3. Quando in una, eâdemque natura reperiuntur plures rationes virtute diſtinctæ æquè capaces alicujus effectûs, aut cauſalitatis exercendæ, impoſſibile eſt, talem effectum, aut cauſalitatem ab una illarum exerceri per ſe primò, quin etiam per ſe primò ab omnibus exerceatur; ſed Relationes divinæ ſolùm virtualiter diſtinguuntur ab Eſſentia, cæteriſque perfectionibus abſolutis, quæ per ſe primò concurrunt ad ſui viſionem, ipſæque Relationes non ſunt incapaces concurſus effectivi in ratione formæ intelligibilis; ergo per ſe primò illum exercent, ſicut Eſſentia, aliæque perfectiones abſolutæ. Reſpondeo negando minorem quoad ultimam partem; Relationes enim divinæ ſolùm ſunt capaces concurſus effectivi mediati, & ſecundarii ratione Eſſentiæ ad ſui viſionem, ut patet ex dictis; ſicut tales ſunt in ordine ad effectus *ad extra*, ad quos Deus ſolùm immediatè, & per ſe primò concurrit, ut Unus, & non ut Trinus eſt, alioqui illius opera *ad extra* eſſẽt diviſa.

77. Objicies 4. Nobilior concurrendi modus concedendus eſt divinis Relationibus, niſi indè aliquod ſequatur incommodum; ſed nobilior modus concurrendi eſt per ſe primò concurrere, quàm ratione alterius, in quo contineatur; & in eo, quod hic modus concurrendi concedatur Relationibus divinis reſpectu Viſionis Beatæ, nullum apparet incommodum; ergo &c. Reſpondeo majorem eſſe veram, ſi loquamur de nobiliori modo concurrendi Relationibus divinis connaturaliter debito; talis autem non eſt modus concurrendi per ſe primò, qui ſolùm eſt proprius Eſſentiæ, cujus ratione ipſæ Relationes tantùm concurrunt, ſicque ſolùm ſecundariò, & mediatè, ut patet ex dictis.

SECTIO IV.

Vtrùm poſſibilis ſit ſpecies impreſſa intuitiva Deitatis?

78. PRÆSENS hæc quæſtio, cùm ad utrumque jam forum tam Theologicum, quàm Philoſophicum ſpectet, quia priùs in me Philoſophum judicem incidit, latè à me deciſa eſt in Logica *tract. 3. d. 3. num. 46. & 60.* nè tamen Theologus conqueratur, habeantque repetita leporem, eam iterùm novitate aliqua perſtringam.

79. Prima ſententia aſſerit dari in Beatis de facto ſpeciem impreſſam divinæ Eſſentiæ. Ita *P. Vaſq. 1. p. d. 43. cap. 7. Theodor. Smiſing. tr. 2. de Deo, Uno d. 6. num. 69.* & videtur concedere *Aureol. quodlib. 8. art. 2.* probabilemque judicat *Richard. in 3. diſt. 14. art. 1. q. 3.* Probatur primò ex P. Vaſq. cit. quia in omnium ſententia infunditur Beatis lumen gloriæ, ut comprincipium Viſionis Beatæ; ſed tale lumen eſt ſpecies impreſſa Eſſentiæ divinæ: tùm quia *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 2. & 3. contra gent. cap. 54.* appellat lumen gloriæ ſimilitudinem Dei, quod eſt proprium ſpeciei: tùm etiam, quia lumen gloriæ ita determinat intellectum Beati ad videndum Deum, ut nullo alio ſuperaddito ipſum ſufficienter determinet, quod eſt munus ſpeciei impreſſæ; ergo &c.

80. Reſpondeo argumentum ſolùm concludere, lumen gloriæ eſſe aliquo modo principium Viſionis Beatæ, ut infrà dicemus, non tamen quod tale ſit per modum ſpeciei; ad hoc enim opus erat, ut eſſet principium per modum exprimentis, & producentis objectum intra ipſam potentiam cognoſcentis. Undè D. Thom. ſolùm appellat illud ſimilitudinem Dei quatenùs cum intellectu concurrit ad Viſionem Beatam, quæ eſt ſimilitudo intentionalis Dei; in qua etiam ratione concurrendi determinat etiam potentiam habendo ſe ex parte illius, non autem objecti, quod neceſſarium erat, ut haberet rationem ſpeciei. Addo D. Thom. non loqui de ſimilitudine intentionali, ideſt ſpecie impreſſa, quam negat, ſed latè de reali quatenùs omnis effectus eſt ſimilitudo Dei, quem refert, ut ejus participatio.

81. Probatur ſecundò cum Aureol. quia Deus videtur à Beatis per ſimilitudinem creatam, qualis eſt actus intelligendi; ſed intelligere formaliter eſt ipſa receptio ſpeciei; ſiquidem ex Philoſopho *lib. 3. de Anima*, intelligere eſt *quoddam pati*: non autem ſic eſſet, ſi in alio, quàm in ipſa receptione ſpeciei formaliter conſiſteret; ergo lumen gloriæ, quod in intellectu Beati recipitur habet rationem

rationem speciei. Respondeo negando minorem: falsum enim est, intelligere formaliter esse solam receptionem speciei, cùm potius sit actus vitalis à propria potentia elicitus, concurrente aliquo determinativo ex parte objecti. Dicitur autem à Philosopho quoddam pati, quia non transeunter, sed immanenter producitur ab ipsa potentia producente, & illum in se recipiente.

82. Secunda sententia tenet impossibilem esse speciem impressam intuitivam Dei, tam de facto, quàm de possibili. Ita *Henricus in sum. art. 33. q. 2. ad 3. & quodlib. 4. q. 7. D. Thom. 1. p. q. 12. art. 2. & lib. 3. contr. gent. cap. 49. & 51. & q. 8. de Verit. art. 1. & q. 10. art. 11. & quodlib. 7. art. 1. & in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. Durand. q. 2. à num. 12. Capreol. q. 5. art. 1. Sot. quæst. 2. art. 3. Conclus. 2. Palat. d. 1. Bassol. in 3. dist. 14. q. 1. art. 1. §. Dico igitur. Marsil. q. 10. art. 2. Conclus. 2. Ferrar. lib. 3. contr. gent. cap. 49. Caiet. 1. p. q. 12. art. 2. Bannez. Zumel. ibid. d. 2. Gonzal. d. 25. sect. 3. Torres. q. 27. art. 1. d. 5. p. 2. dub. 4. P. Arrub. d. 16. cap. 4.* quos citat, & sequitur *P. Amicus tom. 1. d. 9. num. 89. Albert. Magn. 1. p. sum. tr. 3. q. 15. memb. 1. Ægid. Rom. quodlib. 6. q. 5. & 15. D. Antonin. 1. p. tit. 3. cap. 6. §. 20. Altisiodor. lib. 3. sum. tract. 11. q. 3 Ripa. q. 1. dub. 2. Cabrer. in 3. p. q. 11. art. 1. d. 5. conclus. 2. Navarret. controv. 43. §. 2. conclus. 2. P. Gil. tom. 2. tract. 7. cap. 10. & 11. P. Recupit. q. 31. àn. 20. P. Tanner. d. 2. quæst. 6. dub. 2. num. 12. P. Granad. 1. part. tr. 4. d. 5. sect. 3.* & alii tùm Veteres, tùm Recentiores.

83. Fundantur 1. Omnis similitudo perfecta aliquod objectum perfectè exprimens debet ei perfectè assimilari; sed impossibilis est creatura, quæ sit perfecta similitudo Dei, ita ut illum perfectè exprimat, & repræsentet, qualiter illum exprimeret species impressa illius intuitiva; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: quæ sit perfecta similitudo Dei in essendo; concedo minorem: in repræsentando; nego minorem.

84. Instabis: ut aliquid sit perfecta similitudo Dei, debet esse Deus; siquidem Apostolus ad Hebr. 1. ex eo ostendit æqualitatem Christi Domini cum Patre, quia est perfecta imago, & figura substantiæ ejus; sed nulla creatura potest esse Deus; ergo neque perfecta illius imago, & similitudo. Respondeo distinguendo majorem: debet esse Deus, si sit perfecta Dei similitudo in essendo, realis & substantialis; concedo majorem: si solùm in repræsentando, & intentionalis; nego majorem: cùm autem Christus Dominus sit similitudo realis, & substantialis in essendo Patris, benè ex illius similitudine arguit Apostolus esse Deum æqualem Patri: at verò species illa impressa, sicut & expressa foret similitudo intentionalis in repræsentando, cum qua stare potest ratio creaturæ, ut patet in ipsa Visione Beata, quæ est similitudo intentionalis expressa Dei, quin sit Deus.

85. Fundantur 2. Omnis species intelligibilis debet esse immaterialior, aut saltem æquè immaterialis suo objecto, quod in repræsentando continet; ideò enim species corporea nequit Angelum, aut rem spiritualem repræsentare; sed species impressa Dei nequit esse immaterialior, aut saltem æquè immaterialis, quàm Deus; ergo est impossibilis. Respondeo negando majorem; nam de facto datur species expressa Dei, nempè ipsa Visio beata, quin tamen sit immaterialior, aut saltem æquè immaterialis, quàm Deus. Undè ut sit possibilis species impressa, quæ sit imago intentionalis objecti, satis est quod sit ejusdem ordinis cum illo, nempè spiritualis, & supernaturalis, si tale sit illius objectum; ut se habet de facto species expressa Dei, & species impressa in Angelo inferiore repræsentans superiorem: hoc autem non habet species corporea respectu Angeli, cum quo est in diverso ordine, ut patet, sicque cùm Angelus sit extra objectum potentiæ materialis, cui talis species inserviret, & per ordinem ad quam sumitur ejus possibilitas, ideò impossibilis est talis species: Deus verò est intra objectum intellectûs creati, ut supra diximus.

86. Fundantur 3. Deus, cùm sit actus purissimus, est per suam Essentiam maximè intelligibilis; sed nullum objectum per suam essentiam intelligibile, ut proximè, & immediatè moveat potentiam ad sui cognitionem, potest repræsentari, & fieri intelligibile habitualiter per speciem impressam; alioqui potentia per suam essentiam facillima posset reddi facilis per habitum superadditum: & substantia immediatè per se ipsam operativa posset fieri potens operari per potentias accidentales distinctas; ergo Deus non potest fieri intelligibilis per speciem impressam; sicque hæc est impossibilis.

87. Respondeo negando minorem: Angelus enim est sibi intelligibilis per suam essentiam (idemque de anima separata,) & tamen potest fieri divinitùs intelligibilis extrinsecè per speciem; sicque idem dicendum de Deo respectu intellectûs Beati. Undè ad probationem concedimus etiam potentiam per se ipsam facillimam ad operandum posse reddi facilem per habitum superadditum: & substantiam per se ipsam immediatè operativam, (si hæc possibilis est, de quo alibi,) posse operari per potentias distinctas accidentales; solùm enim in his daretur superfluitas, quæ licet naturaliter pati non valeat, potest tamen divinitùs sustineri.

88. Instabis: Quod est formaliter tale, non potest fieri tale per aliud, alioqui una actio posset fieri per aliam: una unio uniri per aliam: una subsistentia subsistere per aliam: una relatio referri per aliam: unum ubi ubicari per aliud: & una albedo dealbari per aliam; sed Essentia divina est formaliter per se ipsam intelligibilis; ergo non potest fieri talis, nempè intelligibilis per speciem impressam; consequenterque hæc est impossibilis. Respondeo primò distinguendo majorem: non potest fieri tale per aliud in eodem genere; concedo majorem: & ita fierent omnia in exemplum adducta: in diverso genere; nego majorem: & sic fieret Essentia divina; cùm enim sit per se essentialiter intelligibilis, talis fieret accidentaliter per speciem, quod cùm sit in diverso genere non implicat: sic enim intellectus, qui per se ipsum est essentialiter qualis, fit etiã accidentaliter qualis per actus, & habitus; sicque de aliis.

89. Respondeo secundò, datâ majori, distinguendo minorem: Essentia divina est formaliter per se ipsam intelligibilis non ultimâ actualitate; concedo minorem: ultimâ actualitate; nego minorem: cùm autem in exemplum adducta talia sint formaliter ultima actualitate, non possunt per aliud fieri talia; alioqui jam non essent ultima: at verò Essentia divina, cùm non sit per se intelligibilis ultima actualitate, idest, illius intelligibilitas non sistat necessariò in eo, quod sit intelligibilis tantùm per se immediatè, sed sit indifferens, ut intelligatur, aut per se immediatè, aut per aliud distinctum, ideò potest etiam intelligi per speciem impressam.

90. Urgebis: Deus non potest fieri Justus, Misericors, Immensus, Æternus, Sanctus, Volitivus, Intellectivus, &c. per aliud accidentaliter; ergo neque

neque intelligibilis. Respondeo negando consequentiam: diversa ratio est, quia Deus non est per se intelligibilis ultima actualitate, ut diximus: at verò est Justus, Misericors, &c. ultima actualitate.

91. Inferes: Ergo etiam ultima actualitate erit intelligibilis. Respondeo negando illationem; diversa ratio est, quia effectus illorum Attributorum sunt Deo omninò intrinseci, ideoque non possunt ei præstari per aliquid ab eo distinctum; alioqui mutaretur intrinsecè Deus: at verò esse per se intelligibilis ultima actualitate addit supra posse intelligi per se etiam actualem concursum cum potentia ad sui cognitionem; hic autem concursus, cùm sit Deo extrinsecus, utpotè creatus, & in tempore, non est de illius essentia, sicque potest suppleri per speciem extrinsecam, quin Deus mutetur.

92. Fundantur 4. Omnis species impressa naturâ suâ ordinatur, ut suppleat aliquem defectum ex parte objecti, aut improportionis, aut præsentiæ; sed talis species nullum defectum suppleret ex parte objecti; siquidem Deus est objectum maximè præsens, immateriale, & proportionatum intellectui Beato; ergo impossibilis est. Respondeo 1, data majori; negando minorem: talis enim species suppleret defectum concursûs immediati ex parte objecti; nam supposito, quod Deus velit videri à Beatis, & nolit per se immediatè concurrere ad talem visionem, tunc suppleret talem concursum per speciem.

93. Respondeo secundò distinguendo majorem: naturâ suâ ordinatur, ut suppleat aliquem defectum ex parte objecti secundariò; concedo majorem: primariò; nego majorem: species enim impressa primariò solùm est, quod sit imago, & similitudo intentionalis consignata in potentia, & cum illa concurrens ex parte objecti ad illius cognitionem, quod haberet illa species impressa Dei: supplere autem defectum proportionis, aut præsentiæ objecti, est ei quid secundarium, & fortasse proprium tantùm specierum, quæ de facto dantur, quod non tollit possibilitatem illius speciei.

94. Fundantur 5. Talis species esset, & non esset finita: esset, utpotè creata, & cum intellectu creato concurrens ad Visionem creatam finitam: non esset, utpotè egrediens ab Essentia divina, cujus infinitæ intelligibilitati adæquaretur; sed hoc involvit contradictionem; ergo etiam illam involvit talis species; sicque est impossibilis. Respondeo negando majorem: talis enim species esset finita in sua entitate, sicut talis est Visio Beata de facto producta immediatè concurrente ad illam ipsa Essentia divina prout supra diximus *n. 62.*

95. Fundantur 6. Impossibilis est species, quæ nunquam posset actu concurrere ad cognitionem, cùm tamen à natura ad id ordinetur; sed species illa nunquam actu cõcurreret ad Visionem Beatam; siquidem aut concurreret sine Essentia, & hoc non, cùm sit illius instrumentum: aut simul cum Essentia, & hoc etiam non, quia aut utraque esset causa totalis: aut utraque partialis: aut una totalis, & altera partialis: Non primum, alioqui idem effectus penderet à duplici causa totali ejusdem rationis: Non secundum, deberet enim, saltem ex parte impediri concursus Essentiæ: Non tertium; alioqui superfluus esset concursus causæ illius partialis; ergo &c.

96. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus: Primò, nullum esse inconveniens, quod prædicta species concurrat se sola absque concursu Essentiæ divinæ; siquidem multæ species de facto naturales influunt in cognitionem, quin objecta concurrant. Secundò, posse Essentiam divinam, & speciem impressam ita concurrere, ut unus, & idem concursus procederet à quolibet principio inadæquatè, ab utroque tamen adæquatè; neque enim repugnat, quod Essentia Divina à Deo impediatur quoad actiones *ad extra*, circa quas subordinatur Voluntati divinæ. Tertiò, benè posse Essentiam divinam, & speciem impressam esse causas totales, & simul concurrere per concursus adæquatos; siquidem non repugnat, eundem effectum pendere divinitùs à duplici efficiente totali, ut alibi diximus.

97. Instabis: Implicat causa ita naturâ suâ ordinata ad operandum, ut operari nequeat absque miraculo; sed ex proximè dictis constat, speciem illam non posse absque miraculo operari; siquidem si cum illa concurreret Essentia, jam idem effectus penderet à duplici causâ totali: si cum illa non concurreret, jam suspenderet suum connaturalem concursum; cum tamen utrumque sit miraculum; ergo &c. Respondeo negando majorem: species enim, quæ sunt in aëre naturâ suâ ordinantur ad complendam potentiam; & potentia hominis cœci ad videndum; & tamen neque hic potest videre, neque illæ complere actualiter potentiam absque miraculo.

98. Fundantur 7. Ex eo, quod species impressa sit vicaria objecti, non potest produci, nisi aut ab objecto, aut ab aliquo ipsum objectum eminenter continente, ut constat discurrendo per omnes species, quæ de facto producuntur; sed neque voluntas, neque Omnipotentia divina continent eminenter objectum illius speciei producibilis, nempè Essentiam divinam; alioqui possent illam producere, essetque Essentia divina producibilis, quod non est dicendum; ergo neque quod producibilis sit talis species. Ita *P. Gil. cit. cap. 10. num 9.*

99. Respondeo negando majorem; ut enim aliqua species possit ab aliquo produci, satis est, quod in illo contineatur virtute species ipsa, licet non sic contineatur ejus objectum: hæc autem species sic continetur in Omnipotentia, licet in ejus virtute productiva non ita contineatur Essentia. Patet in intellectu agente, qui producit species intelligibiles, quin contineat eminenter earum objecta.

100. Fundantur 8. Impossibilis est entitas accidentalis, quæ semper sit superflua omni, & cuicumque subjecto; siquidem esset, & non esset accidens: esset, ut supponitur: non esset, quia nullum haberet subjectum, cui inserviret, cùm nullum illâ indigeret; sed talis species semper esset superflua; ergo & impossibilis. Respondeo primò negando majorem: licet enim natura abhorreat superflua, Deus tamen ut Author naturæ, & supra naturam, potest omnem superfluitatem vincere, quam si vincat, tunc solus intellectus creatus est illius proprium subjectum, utpotè qui solus est capax recipiendi illius effectum formalem. Respondeo secundò, data majori, negando minorem, nam facta suppositione, quod Deus suspenderet concursum effectivum intentionalem Essentiæ, sicut potest, species illa non esset superflua, sed necessaria ut concurreret effectivè intentionaliter ad Visionem Beatam.

101. Fundantur 9. Implicat creatura extrahens Deum à suo connaturali modo operandi; sed illa species sic illum extraheret; siquidem illum extra-

extraheret à modo concurrendi per se & immediatè ad Visionem Beatam, qui est modus ei connaturalis; ergo &c. Respondeo primò, majorem ad plurimum esse veram, quando Deus operatur ut causa universalis; non autem ut particularis; sic autem concurrit ut causa particularis, quando per se, & immediatè concurrit ad Visionem Beatam, ideoque non implicat, quod à tali modo concurrendi extrahatur per speciem impressam.

102. Respondeo secundò negando absolutè majorem: Primò, quia modus connaturalis creandi in Deo, est se solo creare; & tamen saltem probabile est, dari posse instrumentum, quod naturâ suâ postulet cum illo creare. Secundò, quia connaturalis modus terminandi in subsistentia divina, est immediatè terminare; & tamen in Christo Domino terminat mediante Unione Hypostaticâ; ergo similiter de specie impressa extrahente Deum à modo concurrendi per se ipsum immediatè.

103. Fundantur 10. Impossibilis est creatura beatificans hominem objectivè; sed eum ita beatificaret species illa, utpotè se habens ex parte objecti; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem: beatificans objectivè terminativè: concedo majorem: effectivè; nego majorem: talis autem species solùm id præstaret effectivè, quatenùs ex parte objecti concurreret informando potentiam, & cum illa effectivè produceret Visionem Beatam: alioqui dicant, impossibile esse lumen gloriæ, quod sic effectivè concurrit ad Visionem Beatam, & potest dici etiam beatificare effectivè: & impossibilem esse ipsam Visionem Beatam, quæ etiam beatificat formaliter: solùm igitur implicat creatura, quæ beatificet terminativè, sic enim solùm beatificat summum bonum, qualis est solus Deus.

104. Fundantur 11. Deus non potest intelligere producendo in se habitum; ergo neque intelligi producendo à se speciem. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia habitus, cùm sint formæ intrinsecæ, & potentiam intrinsecè adjuvantes, deberent in Deo intrinsecè recipi, quod implicat, mutaretur enim Deus: at verò species, cùm sit objecto extrinseca, non in Deo, qui habet rationem objecti, sed in potentia, quam informat, recipitur intrinsecè, sicque potest à Deo in illa produci absque ulla Dei mutatione. Utrùm autem in Deo dentur habitus virtuales? Jam alibi diximus.

105. Fundantur 12. Impossibilis est species impressa comprehensiva Dei; ergo etiam intuitiva. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia ex hac nulla sequuntur absurda, habetque potentiam, cui possit inservire, & ex illa maxima sequuntur absurda, ut vidimus *in Log. tract. 6. d. 4. à num. 99.* & infrà dicemus.

106. Fundantur 13. Sicut esse causam Primam competit Deo incommunicabiliter, ita ei incommunicabiliter competit esse primum intelligibile; siquidem intelligibilitas sequitur rationem entis, ac proindè sicut Deus est primum ens, & in ratione talis est incommunicabilis creaturæ; ita est primum intelligibile, & in ratione talis est incommunicabilis creaturæ; sed talis non esset, si posset producere speciem impressam sui, jam enim communicaret creaturæ rationem primi intelligibilis; siquidem species, cùm sit vicaria, & substituta objecti, per omnia gerit vicem illius; ergo &c.

Respondeo negando minorem, nam sicut Deus communicat creaturæ rationem causæ, quin ei communicet rationem Primæ Causæ; ita potest ei communicare rationem intelligibilis, quin ei communicet rationem primi intelligibilis. Confirmatur, quia Deus non minùs est intellectivum sui primum, quàm est primum sui intelligibile; sed potest communicare intellectivum sui, medio lumine gloriæ, quin communicet primum intellectivum sui; ergo etiam poterit communicare intelligibile sui, mediâ specie creatâ, quin communicet primum intelligibile sui. 107.

Et hujus ratio est, quia primitas perfectionis divinæ consistit in eo, quod sicut ipsa est prima in essendo à nullo dependens, ita sit prima in operando, à qua omnia in operando dependent; sed Deus communicando aliquam intelligibilitatem sui, non ideò necessariò communicaret hanc primitatem in operando; siquidem adhuc talis species in activa determinatione potentiæ creatæ, penderet à prima intelligibilitate, & denominatione Dei, sicut dependent cæteræ causæ secundæ in productione suorum effectuum; ergo &c. Undè species impressa non gereret per omnia vicem objecti; sicut causa secunda per omnia non gerit vicem Causæ Primæ. 108.

Instabis: Deus non potest communicare creaturæ passivam intelligibilitatem sui; ergo neque activam. Respondeo negando consequentiâ; diversa ratio est, quia illam potest creatura participare, mediâ entitate distinctâ ab ipso Deo, nempè mediâ specie impressâ, cùm illa consistat in ratione causæ efficientis: at verò hanc, nempè intelligibilitatem, cùm consistat in ratione causæ formalis objectivæ, participare non potest, nisi participando ipsam Essentiam Dei, quod implicat. 109.

Fundantur 14. Species rerum habent esse eminentius, quàm ipsæ res, quarum sunt species; sic enim species rei materialis habet esse spirituale, & intentionale; idemque dicendum de speciebus aliarum rerum; sed impossibilis est creatura habens esse eminentius Deo; ergo etiam species impressa ipsius Dei. Respondeo negando majorem, primò, quia alioqui etiam impossibilis esset species expressa Dei, cùm in illa militet eadem ratio. Secundò, quia Deus est species tùm impressa, tùm expressa sui; cùm tamen non sit se ipso ut objecto eminentior. Tertiò, quia alioqui species substantiæ spiritualis esset illâ eminentior; cùm tamen hæc sit substantia; illa verò accidens. Quartò, quia species est naturalis proprietas rei cognoscibilis; nulla autem proprietas est eminentior re ipsâ, cujus proprietas est. 110.

Fundantur 15. Si foret possibilis species impressa Dei, hæc posset ab Angelo naturaliter cognosci, & cùm illa esset naturalis imago Dei, naturaliter Angelus per eam Deum cognosceret; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Respondeo negando majorem: nam cùm talis species esset supernaturalis, utpotè Deum in se ipso repræsentans, nulli intellectui creato foret naturaliter debita; sicque à nullo esset naturaliter cognoscibilis. 111.

SECTIO

SECTIO V.

Referuntur aliæ Sententiæ, & eligenda proponitur.

112. TERTIA Sententia docet speciem impressam intuitivam Dei, non solùm esse possibilem, sed neque de potentia absoluta posse fieri Visionem Beatam sine specie impressa. Ita *Ægid. Lusitan. lib. 8. de Beatit. p. 2. q. 3. & 4.* citans aliquos: pro quibus: Objicies 1. Cognitio, qualis est Visio Beata, æquè essentialiter respicit cognoscentem, atque objectum cognitum; sed ex parte cognoscentis essentialiter exigit potentiam distinctam à substantia cognoscentis; ergo etiam ex parte objecti cogniti sic exiget essentialiter speciem distinctam ab ipsa entitate objecti. Respondeo negando antecedens, si velit, quod cognitio æquè essentialiter respiciat objectum in ratione principii moventis ad illam, atque respicit potentiam cognoscentem; solùm enim respicit objectum cognitum æquè essentialiter in ratione termini specificantis, ad quod est habitudo, & respectus transcendentalis, sicut est ipsa potentia, & à quo specificari potest, sive illud per se immediatè, sive mediante specie ad illius productionem concurrat.

113. Instabis: Cognitio, qualis est Visio Beata, & est vitalis, & est intentionalis; sed quà vitalis non potest dari sine potentia distincta; ergo neq; quà intentionalis dari poterit sine specie distinctâ. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia intentionalitas cognitionis etiam provenit à potentia intentionali: at verò vitalitas à sola potentia. Accedit, quia cognitio non dicitur operatio intentionalis ex eo, quod producatur ab specie impressa, sed à potentia intentionaliter operante, sive hæc compleatur per speciem ex parte objecti, sive immediatè per ipsum objectum.

114. Urgebis: Substantia cognoscens non potest cognoscere, quin cõcurrat ad cognitionem per potentiam à se distinctam; ergo neque objectum poterit cognosci, nisi per speciem à se distinctam. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia esse immediatè operativam per potentias indistinctas est proprium solius substantiæ divinæ; quod autem est proprium solius Dei, non potest alicui creaturæ communicari: at verò non est proprium cujusque objecti cognosci per speciem à se distinctam, nisi quando est improportionatum, distans, & absens, sicque quando fuerit maximè proportionatum, indistans, & præsens, qualiter est Deus respectu intellectus Beati, poterit immediatè, & sine specie concurrere ad sui cognitionem, ut supra diximus.

115. Objicies 2. Cognitio, qualis est Visio Beata, est quidam partus, qui generatur simul à cognoscente, & objecto cognito, ut ait D. August. *lib. 9. de Trinit. cap. 12.* ibi: *Tenendum est, quod omnis res, quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui, ab utroque enim notitia paritur à cognoscente, & cognito*; sed cognoscens non potest cognoscere, nisi media potentia vitali distincta; ergo neque nisi media specie intentionali distinctâ. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia operari per potentias indistinctas est proprium solius substantiæ divinæ, ut diximus: at verò species, cùm sit vicaria objecti, ita habet essentialiter præstare munus objecti, ut ipsum objectum possit aliquando per se ipsum tale munus præstare; alioqui species non rectè diceretur ejus vicaria. Et in hoc eventu adhuc cognitio diceretur partus congenitus à cognoscente, & objecto cognito, ut ait D. Aug.

116. Objicies 3. Licet qualitates materiales immediatè jungantur potentiis Tactûs, Gustûs, & Olfactûs, emittunt tamen sui species impressas in ipsas potentias ad producendas suas sensationes, quas sine illis producere non possent; ergo etiam licet Deus sit intimè præsens intellectui Beati, emittet sui speciem impressam ad producendam Visionem Beatam, quam sine illa producere non poterit.

117. Respondeo primò negando antecedens juxta probabilem sententiam asserentem objecta istarum potentiarum per se immediatè sine speciebus concurrere cum ipsis potentiis ad eliciendas suas sensationes. Respondeo secundò juxta nostram sententiam, de qua in *Phys. tract. 11. d. 4.* dato, & concesso antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia objecta istarum potentiarum sunt maximè crassa, ideoque non possunt æquè benè movere potentias immediatè per se ipsa, ac per species, quæ sunt subtiliores: at verò Deus subtilissimè, & aptissimè potest proportionari intellectui Beati, imò est magis proportionatus, quàm ipsa species impressa. Pro hac Sententia confirmanda faciunt omnia argumenta, quæ supra adduximus *à n. 6. & n. 20.*

118. Quarta Sententia negat de facto speciem impressam intuitivam Dei; illam tamen admittit de possibili. Ita *P. Molin. 1. p. q. 12. art. 2. d. 1. Conclus. 4. Pesant. ibid. d. unica Conclus. 3. P. Valent. tom. 1. d. 1. q. 2. punct. 2. §. Tertium autem. P. Vasq. 1. p. d. 38. à cap. 2. & d. 39. & 43. cap. 7. num. 32. & 33. Herrer. in 1. Scot. d. 10. q. 4. art. 1. Rada 1. part. controv. 10. a. 1. Concl. 3. Argentin. in 3. dist. 14. q. 1. a. 1. ad 3. Mayron. quodlib. 4. fine. P. Soa. in Met. d. 30. sect. 11. à n. 17. & lib. 2. de Attrib. cap. 13. n. 10. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 5. sect. 2. à n. 11. Palat. in 1. dist. 1. d. 4. Aureol. apud Capreol. in 4. dist. 49. q. 5. art. 2. P. Fasol. 1. p. q. 12. art. 2. dub. 10. P. Herice tract. 4. d. 40. cap. 8. n. 21. P. Becan. cap. 9. de vision. conclus. 2.* ubi etiam citat *Scot.* & cum eo *Scotistas*, *Ægid. Lusit. P. Præposit. 1. p. q. 12. art. 2. dub. 2. num. 19. P. Compton. tom. 1. d. 15. sect. 4. n. 4. & d. 17. de Anima, P. Hurt. de Anim. d. 12. sect. 2. P. Ovied. controv. 13. de Anim. punct. 6. P. Arriaga 1. p. d. 8. sect. 2. num. 19. & d. 4. de Anim. sect. 2.* & alii quos citavi, & secutus sum in Logica *tract. 3. d. 3. à n. 60.* ubi tam fundamenta, quàm argumenta in contrarium videri possunt, & quæ supra diximus *à num. 83.* quæ etiam contra hanc Sententiam faciunt, quatenùs hujus speciei possibilitatem impugnant.

119. Nihilominùs cùm jam ex dictis pateat immeritò Divinæ Omnipotentiæ denegari productionem hujus speciei impressæ de possibili, ut denegat secunda Sententia: & superfluum esse illam de facto admittere, ut admittunt prima, & tertia: & deindè justum mihi non videatur omninò ablegare à divina Essentia concursum connaturalem, seu ut Natura est, ad sui communicationem secundùm esse intelligibile, qui tamen perfectio quædam est naturaliter competens rebus creatis, etiam minimæ entitatis, & non importat ex genere suo aliquam imperfectionem Deo alienam: denique ut in tanta tantorũ Doctorum discordia aliquam sine discordia concordiam apponamus, quid hac de re sentiam per sequentes conclusiones jam explico: sit igitur:

120. Conclusio 1. Deo operante secundùm exigentiam suæ Naturæ, impossibilis est species impressa intuitiva Essentiæ divinæ. In hoc sensu intelligendos existimo Theologos Antiquos, & Recentiores supra citatos pro secunda sententia *num. 82.* qui pro hac conclusione sine formidine citari possunt. Probatur unicâ ratione, sed efficaci, quia, Deo sic operante, producit sui speciem ut Natura est, & independenter ab applicatione Voluntatis divinæ, quidquid in contrarium dicant *P. Soar. in Met. d. 30. sect. 11. num. 29. & lib. 2. de Attrib. cap. 12. num. 22. & cap. 13. num. 11. P. Vasq. 1. p. d. 38. cap. 3. num. 15. P. Sal. 1. 2. tract. d. 5. sect. 2. ad 7.* illud enim approbant omnes ab eisdem citati, & quos supra citavimus *num. 34.* ergo necessariò eam producit adæquatam suæ intelligibilitati; consequenterq; infinitam; sed hæc est impossibilis; ergo impossibilis est species impressa intuitiva Dei, Deo sic operante.

121. Probatur antecedens, & etiam efficaciter, quia concursus immediatus Essentiæ in ratione formæ intelligibilis ad producendam Visionem beatam de facto, ab illa exhibetur, ut Natura est, & independenter ab applicatione Voluntatis divinæ, ut supra diximus *num. 45.* ergo etiam sic ab illa exhibebitur concursus mediatus, per quem ipsa produceret speciem sui impressam; siquidem in illo æquè ac in immediato militant cum proportione eædem rationes, cùm uterq; sit, ut Essentia se communicet intellectui creato secundùm suum esse intelligibile.

122. Confirmatur primò, (& est probatio primæ consequentiæ,) quia Essentia ut sic non haberet à quo limitaretur; siquidem non limitaretur, neque posset limitari à voluntate, quia ille concursus antecederet actum liberum Voluntatis: non ab aliqua causa naturali simul concurrente, quia ad productionem talis speciei non concurreret effectivè intellectus creatus, aut lumen gloriæ, ut patet; non apparet alia causa, aut ratio sic determinans, & limitans talem concursum Essentiæ; ergo esset adæquatus illius intelligibilitati, sicque infinitus; ergo etiam infinita esset species ab eo producta.

123. Confirmatur secundò, ideò concursus immediatus Essentiæ ad Visionem beatam non est adæquatus divinæ intelligibilitati, sed finitus, quia ab intellectu Beati, & lumine gloriæ virtutis finitæ limitatur, ut supra diximus; sed concursus ejusdem Essentiæ ad productionem speciei impressæ Deitatis non haberet, à quo limitaretur; ergo produceretur adæquata intelligibilitati divinæ, sicque infinita; hæc autem implicat; ergo etiam illa; consequenterque prout sic est impossibilis.

124. Oppones 1. Licet species impressa intuitiva Essentiæ ab illa procederet ut Natura est, & independenter ab applicatione Voluntatis divinæ, adhuc non produceretur extra subjectum, sed in intellectu Beati, de cujus potentia obedientiali, aut naturali inchoata educeretur; ergo ab eodem limitaretur, ne foret infinita; consequenterq; ex hoc capite non est impossibilis. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam; falsò enim supponitur, concursum illum Essentiæ ad producendam speciem impressam posse ab intellectu Beati limitari, ut diximus.

125. Instabis: Concursus immediatus Essentiæ ad Visionem beatam, licet sit naturalis, & independens ab applicatione Voluntatis divinæ, potest ab intellectu, & lumine finitæ virtutis limitari, ut diximus; ergo etiam productio speciei impressæ poterit ab eodem intellectu simul cõcurrente in ratione causæ materialis limitari. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia intellectus, & lumen cõcurrunt cum Essentia ad productionem Visionis Beatæ in eodem genere causæ effectivæ; ideòque effectus sequitur deteriorem partem causæ, in quo sensu intelligendum est axioma illud Philosophorum: at verò concursus intellectûs & Essentiæ ad productionem speciei impressæ sunt in diverso genere, cùm hic sit in genere causæ effectivæ; ille autem in genere causæ materialis, in quo sensu non habet locum affatum illud *Effectus sequitur deteriorem partem suæ causæ.*

126. Urgebis: Concursus ille ex parte intellectûs est quædam illius perfectio limitata, sicut limitatus est ipse intellectus in sua entitate; ergo necessariò limitabit concursum essentiæ; siquidem effectus sequitur deteriorem partem. Respondeo negando antecedens: neque enim concursus materialis ex parte subjecti est perfectio simpliciter, imò imperfectio; nam cùm concursus receptivus respiciat essentialiter formam, seu actum ut perfectionem, quâ caret subjectũ, & cujus accessu perficitur, potiùs imperfectionem, quàm perfectionem dicit, & quò plus recipitur formæ, eò major denotatur indigentia ex parte subjecti; sicque potentia receptiva subjecti non habet terminum, ex quo possit limitare concursum speciei producendæ in ipso subjecto. Accedit, quod species illa impressa educeretur de potentia, non quidem naturali simpliciter, sed obedientiali subjecti; hæc autem nullum habet terminum, ut recte docent PP Conimbr. *lib. 2. de Cœlo. cap. 11. quæst. 4. art. 2.* ergo limitare non potest productionem speciei impressæ.

127. Oppones 2. Species impressa non producitur, nisi secundùm capacitatem & dispositionem subjecti, quod experimur etiam in objectis sensibilibus; siquidem fortiùs, & efficaciùs agunt in potentiam magis dispositam; sic enim luminosum plus lucis producit in corpus magis diaphanum, quia plus diaphaneitatis, quæ est dispositio, in eo invenit: & objectum visibile efficaciùs producit speciem in subjecto magis lucido, ut constat; sed capacitas mentis nostræ, ejusque dispositio per auxilium, aut lumen gloriæ, finita, & limitata est; ergo Essentia divina speciem sui in ea producet finitam, ac limitatam, non verò comprehensivam, & adæquatam suæ intelligibilitati.

128. Respondeo majorem esse veram de speciebus, & formis, quæ requirunt dispositionem aliquam physicam, ut primò introducantur in subjectum, ut constat in exemplo de luminoso, quod requirit diaphaneitatem; & de specie impressa objecti visibilis, quæ prærequirit lucem: non autem de speciebus, ac formis supernaturalibus, quæ nullã hujusmodi dispositionem requirunt, quales sunt actus, & habitus supernaturales, inter quos quoad hunc effectum recenseri potest illa species, quæ ut primò recipiatur in intellectu, nullam prærequirit dispositionem ex parte ipsius; alioqui jam ei ratione talis dispositionis deberetur, sicut ei dispositio per lumen gloriæ debetur connaturaliter Visio beata: Unde non potest ab illo limitari.

129. Instabis: hæc species concurreret loco Essentiæ divinæ; sed hæc requirit dispositionem, ut intellectui Beati primò uniatur in ratione formæ intelligibilis, ut supra diximus; ergo etiam illa species sic requiret. Respondeo hujusmodi speciem spectari posse, aut quatenùs intellectui unitur loco objecti in ratione formæ intelligibilis, aut quatenùs eidem inhæret tanquam accidens supernaturale: primo modo prærequirit quidem elevationem; aut lumen supernaturale, non tamen ut dispositionem

propriè

propriè dictam ex parte potentiæ; siquidem dispositio propriè dicta solùm dicitur in ordine ad formam informantem prout sic, qualis non est species illa secundùm rationem illam concurrendi: Secundo autem modo non illam requirit, neque ut primò recipiatur, neque ut postea conservetur, ut supra diximus de Visione Beata *d. 1. num. 107. & 120.* idemque de cœteris actibus supernaturalibus, tam intellectûs, quàm Voluntatis docent communiter Theologi.

130. Conclusio 2. Deo concurrente in ratione formæ intelligibilis, seu principii intentionalis, non secundùm exigentiam suæ Naturæ, sed eo modo, quo in ratione principii realis ut sic, tàm universalis, quàm particularis producit effectus reales *ad extra*, impossibilis non est species impressa Deum intuitivè repræsentans. Ita videntur expresè tenere Authores à nobis citati pro quarta sententia *num.* 118. & quos etiam citavimus in *Log. tract. 3. d. 3. n. 60.* Probatur primò, quia quando Deus concurrit in ratione principii, seu causæ realis ut sic ad producendos effectus, eos producit ut agens liberum, sicque dependenter ab applicatione suæ Voluntatis divinæ, ut ex supra dictis satis constare potest; ergo si prout sic concurrat ad productionem speciei impressæ Essentiæ divinæ, talis species non erit adæquata divinæ intelligibilitati, neque infinita; siquidem habebit à quo limitetur, nempè Voluntatem divinam liberè applicantem Essentiam, cujus oppositum erat in causa, ut species egrederetur infinita, Deo operante in ratione principii intentionalis secundùm exigentiam suæ Naturæ, ut proximè diximus; ergo in facta suppositione possibilis est species impressa intuitiva Dei.

131. Confirmatur primò, quia Deus quando de facto se communicat secundùm suum esse reale producendo effectus *ad extra*, non id præstat modo infinito, sed limitato per suam Voluntatem; ergo similiter quando se communicat secundùm suum esse intelligibile. Secundò, quia non minùs efficax est Voluntas divina ad limitandum concursum suæ Essentiæ in productione speciei impressæ illius repræsentativæ, quàm intellectus creatus simul cum lumine gloriæ ad limitandum concursum immediatum ejusdem Essentiæ in productione Visionis Beatæ; sed intellectus creatus simul cum lumine gloriæ hunc limitat, ut supra diximus; ergo & Voluntas divina illum limitabit. Tertiò, quia species à Deo infusæ Angelis inferioribus ad cognoscendos Angelos superiores, ex eo quod à Deo liberè infunduntur, non illos repræsentant comprehensivè, ut est communior sententia; sed illa species intuitiva Essentiæ à Deo liberè produceretur, ergo non esset illius comprehensiva, neque infinitæ illius intelligibilitati adæquata.

132. Probatur secundò, quia impossibilis non est, imò de facto datur species expressa intuitiva Dei, illum finito modo repræsentans, ut cum communi probant *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 11. P. Vasq. 1. p. d. 38. cap. 2.* & nos infrà probabimus; ergo impossibilis non erit species impressa intuitiva Dei; siquidem actus secundus supponit essentialiter actum primum; sed ille non repugnat, cùm sit formalis, & essentialis repræsentatio Essentiæ divinæ; ergo neque iste, qui est illius species impressa. Confirmatur, quia expressior similitudo Essentiæ divinæ est Verbum, seu species expressa, quàm sit impressa; siquidem illa perfectiori modo facit Deum sibi intuitivè præsentem, cùm sit actualis repræsentatio, quàm ista, cùm sit repræsentatio veluti habitualis; sed illa non repugnat; ergo neque ista repugnabit.

Probatur tertiò, quia non est impossibile, imò 133.
de facto datur lumen gloriæ virtutis finitæ, quod tanquam Dei instrumentum in ratione potentiæ illam reddat ultimò constitutam ad Visionem Dei; etgo etiam impossibilis non erit species finitæ virtutis, quæ tanquam Dei instrumentum eidem correspondeat ex parte objecti.

Probatur quartò, quia in sententia probabili 134.
Theologorum non est impossibilis species impressa quidditativa, & abstractiva Deitatis; ergo neque impossibilis erit species impressa quidditativa, & intuitiva, ejusdem Deitatis. Confirmatur, quia rationes, quæ in contrarium adducuntur, & nos supra adduximus *à num. 83. & in Log. tract. 3. d. 3. à n. 63.* impossibilitatem hujus speciei non demonstrant, ut ex earum solutionibus, quæ ibi videri possunt, constare potest; ergo &c.

Dices: Licet rationes proximè adductæ satis 135.
demonstrent, concurrente Deo in ratione principii intentionalis eo modo, quo concurrit in ratione principii realis *ad extra*, non esse impossibilem speciem impressam intuitivam Deitatis, non tamen ex illis satis constat, posse Deum prædicto modo se habere in producenda tali specie; imò ex dictis à nobis supra *à num. 34. & 45.* videtur contrarium sequi, & colligi; ergo &c. Respondeo negando antecedens, quod jam specialiter probo.

Probatur igitur, Deum posse prout sic con- 136.
currere ad productionem talis speciei, quia prius saltem naturâ, quàm species impressa emanet ab Essentia, & recipiatur in intellectu, debet intellectus ipse præsupponi completus in ratione potentiæ per lumen gloriæ, quod à Deo eidem liberè confertur; siquidem species emanat ab Essentia per actionem eductivam, ad quam concurrit intellectus, de cujus potentia, saltem obedientiali educitur ipsa species; intellectus autem ad illam recipiendam non concurrit, nisi ut illustratus lumine gloriæ; utpotè qui illam reciperet eodem modo, quo recipit Essentiam in ratione formæ intelligibilis, hanc autem recipit ut elevatus per lumen, ut supra diximus; ergo in illa prioritate naturæ poterit Voluntas divina Essentiam divinam liberè applicare ad producendam speciem impressam, quæ ipsam Essentiam repræsentet juxta ipsius luminis mensuram.

Probatur consequentia, (antecedens enim vi- 137.
detur per se notum,) quia aut id repugnaret ex parte speciei suâptè naturâ postulantis produci ab Essentia per emanationem naturalem, ut fit in speciebus aliorum objectorum: aut ex parte Voluntatis divinæ non potentis supplere concursum Essentiæ in productione talis speciei, quatenùs ipsam Essentiam divinam non continet formaliter, neque eminenter, neque intentionaliter. Non primum, quia licet species impressa, quâ unus Angelus alium intuitivè cognoscit, de se postulet ab Angelo cognito produci per naturalem, seu intentionalem emanationem, idque secundùm naturalem exigentiam naturæ Angeli cogniti non sit impossibile, ut benè explicat, & approbat *P. Soar. lib. 2. de Angelis cap. 5. num. 19.* nihilominùs tamen Angelo cognoscenti à Deo ut Authore naturæ per actionem realem liberè infunduntur in primo instanti creationis, sicut etiam species objectorum naturalium, ob rationes in materia de Angelis assignari solitas; ergo etiam licet species impressa Essentiæ divinæ postulet ab ea produci

per intentionalem emanationem, poterit tamen per realem actionem à Deo produci ex rationabili causa; imò de facto ita produceretur, nisi ipsa Essentia de se foret maximè intelligibilis in actu, ut supra diximus.

138. Secundum, quod scilicet non repugnet ex eo, quod voluntas divina supplere nequeat concursum immediatum Essentiæ speciem illam producendo, patet, quia Voluntas divina non concurreret ad illam speciem producendam ut principium *quod*, & principale, sed ut principium *quo*, & minùs principale; ergo necessarium non esset, Essentiam divinam continere formaliter, eminenter, aut intentionaliter, ut speciem illam de facto produceret; siquidem hoc ad summum solùm requiritur ad supplendum concursum illum in ratione causæ principalis.

139. Dices 1. Ut species impressa Deitatis ex applicatione voluntatis divinæ per actionem realem produceretur, deberet priùs saltem naturâ impediri concursus immediatus Essentiæ; sed hic impediri nequit à voluntate, utpotè qui antecedit actum liberum voluntatis, ut supra diximus; ergo &c. Probatur major; minor, & consequentia constant, quia Essentia de se sine specie est sufficientissima ad concurrendum loco speciei cum intellectu illustrato lumine gloriæ ad producendam Visionem Beatam, cùm sit ei intimè præsens, & maximè, imò & magis proportionata, quàm ipsa species in illo recepta, & quam tempore antecedit; ergo ut species concurreret loco illius, deberet concursus ipsius Essentiæ impediri; alioqui idem effectus prodiret naturaliter à duabus causis totalibus conjunctim operantibus, quod in Philosophia non admittitur.

140. Respondeo negando majorem, ad cujus probationem dicimus, ex suppositione, quod species produceretur eo modo, quo cæteri effectus reales, nempè dependenter ab applicatione libera Voluntatis divinæ, concursum illius ad Visionem Beatam producendam futurum in ratione causæ instrumentalis, non autem principalis, qualis foret sola Essentia, sicque opus non fore, concursum ipsius Essentiæ impediri; siquidem causa principalis, si extat, semper cum suo instrumento actualiter concurrit, si illud habeat conjunctum, ut facta inductione constat. Neque ex hoc sequitur, eundem effectum produci à duabus causis totalibus principalibus conjunctim operantibus, sed ab una principali, & altera instrumentali, quod nihil absurditatis continet in Philosophia.

141. Instabis: Concursus Essentiæ est prior naturâ, & sufficiens ad producendam Visionem; ergo necessariò deberet impediri; alioqui fruſtraneus esset concursus speciei, sive instrumenti. Respondeo negando antecedens, quoad primam partem; concursus enim Essentiæ solùm antecedit actum liberum Voluntatis divinæ, quando sit secundùm exigentiam Naturæ divinæ in ratione principii intentionalis; non verò in ratione principii realis ut sic, in qua solùm suppositione procedimus; & in qua licet concursus speciei videatur superfluus, à Deo vinci potest ipsa superfluitas.

142. Dices 2. Eadem ratio militat ut Essentia divina concurrat immediatè ad Visionem Beatam dependenter, aut independenter ab applicatione Voluntatis divinæ, quæ militat ad hoc ut concurrat mediante sui specie impressa; sed Essentia quâdo per se immediatè concurrit ad Visionem beatam, concursum in ratione formæ intelligibilis non aliter applicat, quàm in ratione principii intentionalis, ut natura est, sicq; independenter ab applicatione voluntatis divinæ, ut supra diximus; ergo eodem prorsùs modo concursum suum applicabit producendo speciem sui impressam, cùm non sit assignabilis major ratio, seu disparitas.

Respondeo aliud esse loqui de concursu intentionali Essentiæ tam immediato, quàm mediato, 143.
prout fiunt, aut fieri possunt secundùm exigentiam Naturæ divinæ, atque adeò semper intentionaliter: aliud verò prout fieri possunt per potentiam Dei absolutam eo modo, quo exhibetur concursus in ratione principii realis; & primo quidem modo dicimus, tam concursum Essentiæ, quàm productionem speciei fieri independenter ab applicatione Voluntatis divinæ, prout supra diximus *num. 45.* secundo autem modo asserimus, utrumque fieri posse dependenter ab applicatione Voluntatis divinæ, & liberè ob rationes omninò similes cum proportione applicatas; quod notandũ est, ut solvi possint difficultates aliquæ emergentes contra doctrinam à nobis traditam loco proximè citato.

Ex dictis colliges primò, speciem impressam 144.
Deitatis non esse possibilem de potentia ordinaria: tùm quia prout sic Essentia concurrit per se immediatè ad sui Visionem: tùm etiam quia si concurreret mediante specie, talis species foret infinita; siquidem ad illam concurreret secundùm exigentiam suæ naturæ; ac proindè illam produceret adæquatam suæ intelligibilitati infinitæ. Secundò, hujusmodi speciem non implicare de potentia Dei absoluta: tùm quia prout sic non teneretur Deus concurrere per se immediatè ad sui visionem intuitivam: tùm quia si concurreret mediante specie impressa, illam non produceret necessariò secundùm exigentiam suæ Naturæ, sed secundùm regulas suæ Voluntatis divinæ, prout diximus.

DISPUTATIO III.

De Principiis Visionis Beatæ ex parte potentiæ.

SECTIO I.

Utrùm intellectus creatus habeat se activè: an passivè respectu Visionis Beatæ?

ADVERTES ad Visionem Beatam 1.
producendam duplex concurrere principium ex parte potentiæ, & quodlibet partiale: Primum est ipsamet potentia, sive intellectus Beati secundùm sua naturalia: Secundum est lumen gloriæ à Deo infusum, sive auxilium speciale, quod non distinguitur à concursu supernaturali Dei in actu primo specialiter juvantis intellectum creatum ad eliciendam sui Visionem intuitivam. Circa utrumque variæ excitari solent difficultates, quas per sequentes Sectiones expediemus: sit igitur:

Difficultas

2. Difficultas 1. Utrùm intellectus creatus in producenda Visione Beata habeat se activè : an solùm passivè; idque tam de possibili, quàm de facto? Dico 1. Intellectus creatus de facto concurrit ad productionem Visionis Beatæ activè, sive effectivè, & non solùm merè passivè. Ita *Argentin. in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 1. ad 4. Capreol. q. 4. art. 3. ad 1. Scoti. Soncin. Major. q. 4. Ferrar. 4. contr. gent. cap. 54. ad 1. Bannez hîc dub. 2. ad 1. P. Molin. 1. part. quæst. 12. art. 5. d. 1. conclus. 1. P. Vasq. 1. p. 4. d. 43. cap. 5. & 1. 2. d. 9. cap. 3. n. 11. & 12. P. Valent. 1. p. tom. 2. d. 1. q. 3. punct. 4. & tom. 1. d. 1. q. 12. punct. 3. P. Soar. in Met. d. 30. sect. 11. n. 46. & lib. 2. de Attrib. cap. 10. num. 5. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 2. sect. 4. P. Becan. 1. p. tract. 1. cap. 9. q. 4. n. 2. & 8. P. Lorin. in Psal. 35. vers. 10. §. Refellitur. P. Arrub. d. 19. num. 3. & cap. 5. P. Fasol. 1. part. q. 12. art. 5. dub. 7. Ægid. Lusitan. tom. 2. lib. 10. q. 1. art. 3. §. 2. & art. 5. §. 2.* & alii.

3. Probatur primò ex Trid. *Sess. 6. can. 4.* ubi damnat, qui dixerit hominem in justificatione habere se merè passivè; ergo Beatus ad suam actualem beatitudinem, qualis est Visio Beata, non habebit se merè passivè. Confirmatur, quia actiones meritoriæ vitæ æternæ effectivè exeunt à suis potentiis; siquidem non possunt esse meritoriæ, nisi sint voluntariæ; voluntarium autem definitur à Philosopho *3. Ethicor. cap. 1.* quod pendet à principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actus, nempè elicitivè, seu effectivè; ergo si actus meritorii supernaturales sic pendent effectivè à suis potentiis, sic etiam pendet Visio Beata ab intellectu Beati, cùm nulla detur ratio contrarium convincens, ut ex solutione argumentorum patebit.

4. Probatur secundò, quia modus concurrendi effectivè ad Visionem Beatam connaturalior est rerum naturis, siquidem nostræ animæ magis connaturale est, ut effectivè concurrat ad suas operationes; & ipsis etiam actibus, quibus anima vitaliter tendit in objecta, magis connaturale est, ut effectivè procedant à suis potentiis vitalibus; ergo hic concurrendi modus concedendus est intellectui Beatorum ad producendam Visionem intuitivam Dei.

5. Probatur tertiò, quia Deus de lege ordinaria res naturales operari finit propriâ virtute, neque solus operatur, quæ per agentia naturalia operari potest, nisi indè sequatur incommodum, ut in Philosophia est satis tritum; sed Visio Beata absque ullo incommodo potest ab intellectu Beati effectivè elici; ergo congruentius est Divinæ Providentiæ, ut ita fiat: neque enim sine necessitate multiplicanda sunt miracula.

6. Probatur quartò, quia nobiliori statui, qualis est beatificus, nobilior modus operandi concedendus est in ordine ad illud, per quod talis status constituitur; sed statui beatifico gloriosiùs est effectivè attingere Visionem Beatam, per quam formaliter, saltem inadæquatè constituitur; sic enim Beati magis participes fiunt, & consortes divinæ Naturæ, quatenùs tales fiunt non solùm participando, sed etiam agendo in ipsam visionem, per quam tales fiunt; neque est cur Deus eos tali honore privet, cùm ex illo plus laudis, & honoris, & gloriæ in ipsum Deum redundet, quatenùs dedit eis potestatem, filios Dei fieri, esse, & nominari; ergo &c.

7. Probatur quintò ex Sacra Pagina, in qua sæpè dicitur, Beatos videre, aut visuros esse Deum in Patria, ut Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et 1. Cor. 13. *Tunc autem facie ad faciem.* Et 1. Joan. 3. *Quoniam videbimus eum sicuti est*: & sæpè alibi, quæ locutio accipienda est secundùm modum ordinarium, quo ipsa visio accidere solet, nempè illam producendo, & recipiendo, cùm nihil cogat ad oppositum, ut ex dicendis constabit. Confirmatur ex D. Greg. Nyssen. *tract. de Infantib.* ubi Visionem Beatam appellat efficientiam respiciendi ad Deum; ergo &c.

Dico 2. Intellectus creatus de possibili potest 8.
effectivè concurrere ad Visionem Beatam eliciendam. Ita Doctores citati. Probatur primò, quia de facto ita concurrit, ut probavimus; ab actu autem ad potentiam benè valet argumentum; ergo &c. Secundò, quia intellectus creatus, sicut & cæteræ potentiæ vitales in via, possunt effectivè attingere, & producere suos actus, tam naturales, quàm supernaturales, ut omnes fatentur, & ex dictis constat, ac definitum est in Trid. *Sess. 6. cap. 5. & can. 4.* ergo nihil implicabit quominùs in patria attingat, & effectivè eliciat Visionem Beatam.

Confirmatur primò, quia actus Visionis Beatæ 9.
convenit univocè in ratione communi visionis intellectivæ cum cæteris visionibus non beatificis; sed aliæ ut sic dicunt essentialem ordinem ad intellectum creatum, non solùm ut potentia passiva est, sed etiam ut activa; siquidem de ratione actus immanentis est tùm recipi, tùm causari effectivè à potentia, in qua recipitur; ergo &c. Secundò, quia Philosophus 1. *Ethicor. cap. 1. text. 36. & lib. 9. cap. 9. text. 38. & lib. 1. Magnor. Moral. cap. 4.* dicit, felicitatem naturalem esse animæ, mentisque operationem, positamque esse in benè operando; sed Visio Beata est summum hominis bonum, & suprema illius felicitas supernaturalis; ergo similiter collocanda erit in operatione, seu productione illius ab intellectu creato ipsius hominis, cùm id nullo modo repugnet; alioqui assignetur repugnantia, cur effectiva productio Visionis Beatæ nostro intellectui repugnet, saltem elevato per lumen gloriæ.

Oppositum tenent *Scot. quodlib. q. 14. art. 2. §.* 10.
Utrum propter istud. & quodlib. q. 15. art. 2. Vel aliter, licet pluribus aliis in locis sub dubio loquatur; & contrarium clarius insinuet *in 4. dist. 50.* ut dicit *P. Soar. cit. cap. 10. num. 5. Ocham. in 1. dist. 1. q. 2. Conclus. 2. Gabr. ibid. q. 2. art. 2. D. Bonav. in 3. dist. 14. q. 3. art. 1. n. 24. Durand. ibid. q. 1. num. 9. Major in 4. dist. 49. q. 4. Richard. art. 3. q. 1.* & plures alii ex antiquis asserentibus, Visionem Beatam à solo Deo in intellectu Beati produci posse, & de facto produci: pro quibus:

Objicies 1. Intellectus Beati non causat effec- 11.
tivè, neque causare potest lumen gloriæ; ergo à fortiori neque sic causabit, aut poterit causare Visionem Beatam; siquidem quod effectivè non causat, quod est imperfectius, à fortiori non ita causabit, quod est perfectius. Respondeo dato antecedente, saltem de lege ordinaria, negando consequentiam, & ejus probationem, cujus falsitas manifesta est; siquidem Leo potest producere formam Leonis, quæ est perfectior, nam tamen formicæ, licet sit imperfectior, sicque in aliis pluribus exemplis; ergo etiam intellectus Beati poterit producere Visionem Beatam perfectiorem (si est perfectior, de quo est controversia,) licet non ita possit producere lumen gloriæ imperfectius.

Et hujus ratio est, quia tunc solùm quod po- 12.
test producere perfectius, potest etiam producere imperfectius, quando sunt in eodem genere, vt sunt lux magis, & minùs intensa; sic enim qui potest

potest producere magis intensam, potest etiam minùs intensam producere: non autem quando fuat in diverso genere, ut sunt visio Beata, quæ est operatio, & actus, qui connaturaliter producitur à potentia, qualis est intellectus, & lumen gloriæ, quod habet rationem potentiæ; una autem potentia non ita connaturaliter aliam producit. Dixi *saltem de lege ordinaria*, quia de potentia absoluta id non repugnat; potest enim fieri, ut potentia creata assumatur à Deo ut instrumentum ad producendam gratiam, cæteraſque virtutes infusas; consequenterque ipsum lumen gloriæ.

13. Objicies 2. Anima in via non cõcurrit effectivè ad sui justificationem; alioqui non Deus, sed homo se ipsum justificaret; ergo neque in patria concurret effectivè ad sui glorificationem; alioqui non Deus, sed homo se ipsum beatificaret. Respondeo primò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia justificatio fit formaliter per habitum gratiæ, qui prævius est ad actum vitalem, & cùm habeat rationem potentiæ, intellectus non habet ad illum concursum effectivum: at verò Visio Beata non habet rationem potentiæ, sed actus, qui proindè prodire potest effectivè à potentia qualis est intellectus, ut patet.

14. Respondeo secundò negando antecedens, si sermo sit de justificatione actuali, qualis est, quæ fit per actus meritorios; neq; enim in hoc sensu ullum est incommodum asserere, hominem se justificare, sanctificare, aut vivificare, ut ex Scriptura, & Sanctis Patribus doctè probat P. Lorin. in 1. Joan. *cap. 3. 3.* in quo etiam sensu dici potest, hominem se glorificare actualiter, quatenùs scilicet producit actualem glorificationem, qualis est visio ipsa Dei; non tamen lumen gloriæ, qui cùm sit habitus, dici potest glorificatio habitualis, sicut habitus gratiæ dicitur habitualis justificatio.

15. Objicies 3. Visio Beata est præmium essentialiter; sed præmium decentiùs, & congruentiùs exit à præmiante, qualis est solus Deus juxta illud Psal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*; ergo &c. Respondeo præmium Beatorum duplex esse, alterum objectivum; & alterum formale: objectivum est ipse Deus, ut objectum beatificans, qui se ipsum confert in præmium meritorum, & de hoc præmio, sive gloriâ intelligenda sunt verba Scripturæ citata: formale est adeptio, sive possessio ipsius objecti beatifici, quæ fit per Visionem Dei formalem: licet igitur præmium objectivum totum sit à Deo, quatenùs solus Deus est summum bonum satians appetitum rationalem, non inde sequitur, quod à solo Deo sit præmium illud formale, sed fieri etiam potest, imò debet necessariò fieri ab eo, qui præmio illo donatur, ut patet ex dictis.

16. Inferes: Ergo Beatus ita concurrens dici poterit se ipsum modo aliquo præmiare. Respondeo negando illationem: sicut enim Deus ipse concurrens ad actiones hominis meritorias, & vitales, non dicitur per illas mereri, & vivere; ita etiam homo concurrens ad visionem, quæ est præmium formale, non dicetur se ipsum præmiare. Et hujus ratio est, quia meritum præter actionem, dicit habitudinem quandam servitutis, subjectionis, & indigentiæ eius, qui meretur, quæ in Deum secundùm propriam Naturam cadere non possunt: & vivere accidentaliter præter concursum effectivum, dicit receptionem actûs vitalis in potentia illum producente, quod etiam à potentia divina alienum est, sicque Deus per talem actum neque vivere, neque mereri dicitur; ergo etiam Beatus licet effectivè concurrat ad suum præmium formale, non dicetur se modo aliquo præmiare; siquidem ratio præmiandi exigit distinctionem inter præmiantem, & præmiatum, insuperque proprietatem, ac dominium præmii, & superioritatem quandam respectu ejus, qui præmio donatur, quæ in Beatum nullatenùs cadunt.

17. Objicies 4. Intellectus Beati nequit influere in Visionem Beatam virtute propria, cùm hæc sit supernaturalis, ille verò potentia naturalis: non etiam elevatus; tunc enim tota vis influendi esset ab elevante, illo nihil virtute propria operante; ergo ad illam effectivè non concurrit. Respondeo negando antecedens quoad secundam partem; concurrit enim elevatus per lumen gloriæ, vel auxilium; neque indè sequitur, totam virtutem influendi esse à solo lumine, licet sit principalis, ut infra explicabitur.

18. Objicies 5. Si intellectus creatus recipiat in se visionem à solo Deo productam, ipso tantùm passivè se habente, satis erit, ut Deum perfectissimè videat: aliundè verò cùm ipsa visio sit ens supernaturale, & nobilissimum, convenientiùs à solo Deo producitur; ergo intellectus neque de facto, neque de possibili eam producet. Respondeo dato, quod intellectus de potentia absoluta possit intelligere, & Deum videre passivè tantùm se habens, quod infrà examinabimus, id tamen non esse congruentius, imò oppositum, ut probavimus, sicque de facto effectivè concurrit ad Visionem Beatam.

19. Objicies 6. Si Visio, in qua consistit formalis Beatitudo, penderet effectivè ab intellectu, posset hic suspendere suum concursum, & tunc desineret beatitudo; sed hoc dici nequit, cùm Beatitudo sit æterna; ergo ab illo effectivè non pendet. Respondeo negando majorem; Visio enim Beata necessariò producitur ab intellectu, ita ut voluntas eam nequeat impedire: tùm quia illius causas tollere non potest: tùm etiam, quia ut ait *D. Thom. 1. 2. q. 5. art. 4.* nequit velle privationem visionis, cùm sit recta, & ipsa necessariò appetat summum bonum evidenter cognitum.

20. Objicies 7. Si Visio Beata effectivè produceretur ab intellectu creato, sequeretur, duos Angelos æquales in meritis, inæquales verò in perfectione essentiali, fortiri præmium inæquale; siquidem, cùm præmium formale Beatorũ sit visio, perfectiori intellectui quoad naturam perfectior respondebit visio; sequela autem non est admittenda; ergo neque illud ex quo sequitur. Respondeo negando sequelam, ad cujus probationem dicimus, intellectum nudè sumptum non esse potentiam visivam Dei, cùm in ea ratione constituatur ultimò per lumen, vel auxilium: undè licet per vim naturalem ad visionem concurrat, sitque in essentia perfectior, quàm est intellectus alterius Angeli, non ideò ei seorsim sumpto, & absque elevatione respondebit inæqualis, & perfectior visio, quia hæc solùm ei respondet ut elevato.

21. Objicies 8. Visio Beata fit per creationem; sed nulla potentia creata potest esse principium creandi, neque principale, neque instrumentale; ergo intellectus creatus nequit effectivè concurrere ad Visionem Beatam. Respondeo negando majorem: Visio enim Beata non fit, nisi per eductionem de potentia obedientiali intellectûs, à quo pendet in fieri, & conservari tanquam à principio, & subjecto.

22. Objicies 9. Visio Beata habet, & quod sit cognitio,

cognitio, & quod sit beatifica, seu beatitudo; ergo licet ut cognitio quædam, fiat ab intellectu, tamen ut beatitudo est, fiet à solo Deo. Ita *Capreol. in 4. dist. 49. q. 4. art. 3.* Respondeo negando consequentiam; nam si velit, visionem fieri ab intellectu secundùm rationem genericam, & non specificam, hoc est improbabile: tùm quia actio attingit rem in singulari, & prout est in re, non autem in communi: tùm quia etiam ut est beatitudo est vitalis; ergo etiam ut sic debet à potentia vitali procedere: si velit ibi distinguere duas illas rationes, talis distinctio non potest esse physica, neq; in ordine ad efficientiam; siquidem visio non habet, quod sit beatitudo ex aliquo modo superaddito, sed ex vi suæ entitatis, quatenùs est visio Dei; ergo si homo facit visionem, facit se videntem Deum, quia illam non facit separatam, sed informantem; si autem videntem Deum; ergo & beatum, prout supra diximus; consequenterque facit visionem, ut beatitudo est.

23. Difficultas 2. Utrùm opinio asserens, intellectum creatum de facto habere se tantùm merè passivè ad Visionem Beatam, notanda sit aliquâ censurâ? Hæc sententia, licet sit falsa, nullâ aliâ censurâ est digna. Ita *P. Vasq. 1. p. 43. & 1. 2. d. 9. cap. 3. num. 12. P. Sal. 1. p. tract. 2. d. 2. sect. 4. num. 26. Lorca ibid. d. 16. memb. 1. Ovand. in 4. dist. 49. propos. 8.* & alii ex Recentioribus. Probatur primò, quia hujusmodi sententia habet pro se tot graves, & sapientissimos Doctores, quot supra citavimus, aliosque ab ipsis citatos, quorum authoritate fulcitur, & sit probabilis; ergo &c. Secundò, quia ex argumentis, quibus Adversarii eam impugnant, temeritatis, erroris, aut periculi in fide non convincitur; ergo &c.

24. Nihilominùs *Medin. 1. 2. q. 3. art. 2. in 3. q. concluf. 2. Ledesm. de Divin. perfection. q. 8. art. 8. ad 4. Bannez 1. p. q. 12. art. 5. dub. 1. Zumel. ibid. q. 1. concluf. 4.* & alii ex antiquis existimant hanc sententiam esse temerariam, & periculosam in fide. *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 10. num. 6.* dicens, aliquos propter Trid. cit. *Sess. 6. cap. 5. & Can. 4.* censere nostram sententiam ita certam, ut contraria sit erronea, aut aliquid simile, addit sibi videri valdè falsam, multumque repugnantem principiis fidei. *P. Valent. tom. 2. d. 1. q. 3. punct. 4.* ait illam non satis tutò defendi: pro quibus:

25. Oppones 1. In Clement. *Ad nostrum de Hæreticis.* sæpiùs à nobis citata, definitum est, lumen gloriæ de facto animam elevare ad videndum Deum; sed hujusmodi elevatio locum non haberet, si intellectus ad Visionem Beatam se haberet merè passivè; ergo &c. Respondeo cum Doctoribus supra citatis, verum quidem esse in Clement. cit. requiri lumen elevans potentiam ad videndum Deum, non tamen expresè definiri, requiratur nè lumen habituale, & creatum; an verò actuale, & increatum. Undè per lumen illud plures Theologi infra citandi, intelligunt lumen ipsum Increatum, nempè Deum concurrentem in actu primo cum potentia creata. Alii verò lumen quoddam habituale, non tamen ad producendam visionem, sed aut ad recipiendam Essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis; aut ad recipiendam ipsam Visionem Beatam; quæ duæ responsiones nequeunt falsitatis evidenter convinci, nec omninò incongruè explicant mentem Concil. in Clement. cit.

26. Oppones 2. In Trid. cit. *Sess. 6. cap. 5. & can. 4.* damnatur, qui dixerit, hominem in sua justificatione *nihil cooperari assentiendo, sed veluti inanime quoddam, nihil omninò agere, merèq; passivè se habere*; ergo similiter videtur damnari, qui dixerit, hominem in sui glorificatione habere se merè passivè. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio esse potest, quia actus, quibus homo in via disponitur ad justificationem, debent esse liberi ut sic; libertas autem esse nequit absque concursu effectivo ipsius hominis operantis: at verò Visio Beata de se est actus necessarius, sicque ad illius necessitatem probandam, congruentiùs esset asserere, eam ab intellectu effectivè non produci.

Oppones 3. In sacris litteris sæpè dicitur, Beatos 27.
Deum videre; sed verbum *videre* in proprietate sermonis, & rigore philosophico, dicit productionem simul, & receptionem visionis in eadem potentia, ut lumine naturali notum est; ergo &c. Respondeo negando minorem; neque enim lumine naturali notum est, visionem dicere productionem simul, & receptionem, cùm plures Doctores affirment, actiones, quibus potentiæ vitales feruntur in sua objecta, esse qualitates in eisdem receptas, etiam si potentiæ ipsæ ad illas effectivè non concurrant. Undè prædicta sententia etiam ex hoc capite, neque proprietati sermonis, neque rigori philosophico videtur repugnare, licet contraria simpliciter tenenda sit tanquam omninò vera.

SECTIO II.

Vtrùm Deus possit producere Visionem Beatam in intellectu Beati passivè se habente, & per illam intelligente?

28. DIXIMUS, intellectum nostrum de facto non habere se merè passivè in producenda Visione Beata, sed eandem in se effectivè producere, sicut producit cæteras actiones, sive actus vitales, tam naturales, quàm supernaturales; modò supereſt inquirendum: Utrùm de potentia absoluta possit oppositum à Deo præstari; & eo dato, intellectus per visionem à solo Deo sic productam ipsum videat; sicut ipsum videret, si ad productionem talis visionis effectivè concurreret? Duæ in hoc sunt difficultates distinctæ, ac diversæ: Prima, utrùm Deus de potentia absoluta possit producere Visionem Beatam in intellectu Beati, ipso merè passivè se habente? Secunda, utrùm Intellectus Beati per talem visionem sic à solo Deo productam intelligeret, & ipsum Deum videret? Sit igitur:

29. Difficultas 1. Utrùm de potentia absoluta possit Deus producere Visionem Beatam in intellectu Beati, ipso merè passivè se habente? Affirmativè. Ita omnes asserentes, solùm Deum de facto visionem sui producere in intellectu Beati, quos citavimus supra *num. 10.* Probatur primò, quia in hoc nulla apparet repugnantia; Deo autem solùm id, quod repugnat denegandum est. Secundò, quia plures, ut diximus, affirmant ita fieri de facto; ergo à fortiori de possibili; ab actu enim ad potentiam benè valet argumentum. Tertiò, quia quidquid Deus facit cum causa secunda, potest se solo efficere, & operari, nisi aliundè repugnet; sed Deus simul cum intellectu Beati producit in eo visionem Beatam; ergo illam poterit se solo pro-

producere in eodem intellectu Beati passivè tantùm se habente, cùm id aliundè non repugnet, ut diximus. Quartò, quia Visio Beata procedit ab intellectu Beati per actionem distinctam; sed Deus se solo potest supplere concursum distinctum, & mediatum causæ secundæ; alioqui non posset se solo producere calorem, quem simul cum igne producit; neque ipsam visionem, quam simul cum intellectu Beati in ipso producit, posset se solo extra illum producere; sicque de aliis exemplis; ergo &c.

30. Oppositum tenent *Medin. 1. 2. q. 3. art. 2. Lorca ibid. d. 16. memb. 2. Bannez 1. p. q. 12. art. 5. d. 15. art. 2. Conclus. 3. Cabrer. 3. p. q. 9. art. 2. d. 11. §. 3. num. 43. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 5. d. 1. ad 4. Ochami. P. Vasq. 1. 2. d. 9. à cap. 3.* & probabilem dicit *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 10. n. 7.* pro quibus: Objicies 1. Visio Beata cùm sit actus vitalis, importat essentialem dependentiam à principio vitali; in hoc enim essentialiter distinguitur actio vitalis à non vitali, quod illa, non verò ista dicat essentialem dependentiam à principio vitali; sed Deus, ut producens Visionem Beatam, non exercet, nec exercere potest rationem principii vitalis; siquidem per illam actionem, aut terminum ejus, etiam accidentaliter vivere non potest, in quo est ratio principii vitalis respectu potentiarum cognoscentium; ergo non potest se solo Visionem Beatam sic producere.

31. Respondeo distinguendo majorem: importat essentialem dependentiam à principio vitali, quando vitaliter producitur; concedo majorem: quando non ita vitaliter producitur; nego majorem: quando igitur vitaliter producitur, idest, vivificando principium, à quo producitur, dicit ab eo ut vitali dependentiam essentialem, & hanc habet solùm respectu intellectûs creati, quem vivificat: quando autem producitur non vitaliter, ut prout sic à Deo produceretur, non dicit hujusmodi dependentiam, quia Deum producentem non vivificat. Et hinc patet, in quo actio vitalis à non vitali distinguatur, quia illa de sua ratione habet vivificare principium aliquod, à quo vitaliter exit, quod tamen non competit non vitali.

32. Instabis: Deus non potest elevare lapidem, aut lignum ad sui visionem, sive ad videndum se ipsum intuitivè; sed hoc ideò est, quia Visio Dei requirit principium vitale, qualis non est lapis, neque lignum; ergo dicit essentialem dependentiam à principio vitali; consequenterque non potest à solo Deo produci, intellectu passivè tantùm se habente. Respondeo argumentum solùm probare, non posse Deum elevare lapidem, aut lignum ad producendam Visionem Beatam vitaliter; sic enim dicit principium, quod vivificet, cujus vivificationis capax non est lapis, neque lignum: non autem probat, non posse Deum illos elevare, ut instrumenta ad producendam visionem non vitaliter, quod etiam concedimus, sicut non vitaliter eam produceret intellectus Beati in facta suppositione, in qua: An si tunc per illam intelligeret? infrà dicemus.

33. Objicies 2. De ratione intellectionis creatæ est, quod sit essentialiter actus immanens potentiæ per illam cognoscentis; sed talis non esset in facta suppositione; siquidem non ab ipsa potentia immanenter, sed à solo Deo transeunter produceretur; ergo &c. Respondeo majorem esse veram de cognitione creata, quæ producitur vitaliter, idest, vivificando principium, à quo producitur: non autem quando producitur non vitaliter, ut in facta suppositione produceretur.

Difficultas 2. Utrùm intellectus Beati per talem visionem sic à solo Deo productam posset Deum ipsum intuitivè videre? 34. Affirmant omnes, qui asserunt, nostrum intellectum de facto in productione Visionis Beatæ habere se merè passivè, quos supra citavimus *num. 10.* & expressè illam docent *Ægid. Lusit. tom. 2. d. 1. art. 5. à §. 2. Victor. apud Medin. 1. 2. q. 3. art. 2. Vega lib. 5. in Trid. cap. 8. Rada, 1. p. controv. 7. fine. P. Valent. tom. 1. q. 12. pun. 3. & tom. 2. d. 1. q. 3. punct. 4. dub. 1. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 2. sect. 4. n. 27.* & alii apud illos.

Fundantur primò, quia fieri non potest, etiam de potentia Dei absoluta, ut causa formalis posita in subjecto sibi proportionato, non causet in eo suum effectum formalem primarium; sed effectus primarius, & adæquatus Visionis Beatæ, etiam non vitaliter, sed à solo Deo productæ, est facere intellectum actualiter videntem Deum, ponitur- 35. que ut supponimus in potentia illustrata lumine gloriæ, quæ prout sic est ejus subjectum proportionatum; ergo in illa præstat talem effectum, eamque facit videntem Deum formaliter.

Probatur minor, in qua est difficultas, quia illa forma facit intellectum videntem Deum formaliter, quæ habet virtutem faciendi illum potentiæ intentionaliter præsentem; sed sola species expressa, sive visio, etiam absque actione vitali, & cum sola unione ad potentiam illustratam lumine gloriæ, Deum facit intentionaliter præsentem potentiæ; ergo facit potentiam formaliter Deum videntem. 36.

Dices: Actio vitalis etiam habet virtutem faciendi Deum potentiæ præsentem, saltem effectivè, & *ut quo*, sicut illam habent potentia, & lumen gloriæ; sed ibi in facta suppositione non datur actio vitalis; ergo visio non potest præstare suum effectum formalem in intellectu. Respondeo negando consequentiam: talem enim virtutem effectivam supplet Deus per suam actionem non vitalem, qua speciem expressam, seu visionem collocat in intellectu, illamque in eo conservat. 37.

Fundantur secundò, ideò Visio Beata in facta suppositione, non statim redderet intellectum formaliter Deum videntem, quia ibi non daretur actio vitalis, quæ in ipso formali conceptu Visionis Beatæ, quà visio, seu cognitio est, formaliter includitur; sed actio vitalis productiva visionis, seu cognitionis Dei expressæ, non ita includitur in ejus conceptu formali; ergo etiam sine illa poterit præstare suum effectum formalem. 38.

Probatur minor, in qua est tota vis fundamenti, quia si actio vitalis sibi vendicaret rationem visionis, seu cognitionis, saltem partialiter cum ipsa visione, aut id haberet tanquam effectum formalem primarium: aut tanquam secundarium: Non primum; alioqui haberet duplicem effectum primarium; consequenterque duplicem essentiam, quod implicat; siquidem esset formalis dependentia hujus speciei expressæ abhoc principio; & esset formalis intellectio, qui sunt effectus essentialiter diversi; primus enim solùm dicit dependentiam speciei à suo principio, qui absolutè, & simpliciter potest esse absque ratione intellectionis: secundus autem solùm dicit repræsentationem objecti intentionalem; hi autem effectus secundùm essentiam sunt diversi. Non secundum; siquidem cùm effectus formalis secundarius tolli possit à Deo; sic enim potest ponere in eodem subjecto calorem simul, & frigus ut octo, quin unus expellat aliud; & duas quantitates extensas in eodem spatio; quia 39.

expellere

expellere frigus in calore, & expellere aliam quantitatem in ipsâ quantitate sunt effectus secundarii, sequeretur, etiam posita actione vitali simul cum specie expressâ Dei, posse Deum impedire intellectionem, quod ipsi Adversarii non concedunt; ergo &c.

40. Fundantur tertiò, quia positâ visione Dei in intellectu Beati illustrato lumine gloriæ, & passivè tantùm se habente, talis intellectus per illam viveret absque aliquâ aliâ actione vitali; ergo absolutè, & simpliciter Deum videret. Probatur antecedens, quia corpus organizatum cujuslibet viventis essentialiter, & substantialiter vivit per solam formam substantialem; non autem per generationem, aggenerationem, aut nutritionem, quæ sunt actiones vitales productivæ, aut saltem unitivæ formæ substantialis ad materiam organis distinctam; alioqui aut vita substantialis consistit in actione substantiali, & animâ simul, quod nullus concedit: aut Beatorum corpora in Cœlo non vivunt substantialiter, cùm ibi non detur neque propria generatio, neque aggeneratio, neque nutritio; ergo similiter potentia cognoscitiva cujuslibet viventis accidentaliter vivet per solam formam accidentalem, qualis est species expressa; consequenterque sic vivet, & Deum videbit intellectus Beati absque ulla actione vitali.

41. Confirmatur 1. quia vita substantialis, & accidentalis sibi proportionaliter correspondent; sed illa in sola forma substantiali formaliter salvatur; ergo etiam hæc in sola accidentali formaliter salvabitur. Secundò, quia impossibile est poni à Deo formam substantialem in materia proportionata, quin eam reddat substantialiter viventem absque actione vitali substantiali, vel antecedente, vel superaddita; ergo etiam impossibile erit poni à Deo vitam accidentalem in potentia sibi proportionata, quin in ea proportionatum sibi effectum efficiat absque actione vitali superaddita.

42. Dicent primò, esse diversam rationem, quia vita accidentalis est actus potentiæ cognoscentis; hic autem sine actione ipsius potentiæ agentis intelligi non potest. Sed contra primò, quia de hoc assignanda est peculiaris ratio, quare ad vitam accidentalem requiratur actio vitalis, & non ita requiratur ad vitam substantialem. Secundò, quia vita actualis substantialis optimè intelligitur cum sola forma substantiali; ergo etiam vita actualis accidentalis optimè intelligetur cum sola forma accidentali.

43. Dicent secundò, non posse naturaliter fieri, ut intellectus, aut potentia aliqua cognoscitiva, actu intelligat, aut cognoscat, quin actu in suam cognitionem agat, eam producendo; ergo &c. Sed contra primò, quia multa non possunt naturaliter fieri, quæ divinitùs, & de potentia Dei absoluta non repugnant. Secundò, quia id non posse naturaliter aliter fieri est, quia cùm cognitio non sit aliquid à natura inditum potentiis, sed propriis viribus acquisitum, ideò non potest acquiri absque conatu, & efficacitate potentiæ; hoc autem satis non est, ut indè colligamus, ipsam actionem productivam cognitionis in illa formaliter includi, ita ut sine illa non possit ipsa cognitio de potentia Dei absoluta suum effectum formalem præstare; alioqui dicamus in effectu formali cujuslibet formæ in subjecto proportionato receptæ includi actionem productivam illius, quod est falsum; siquidem scire, dealbare, lucere, & similes, sunt effectus formales formarum realium, in quibus actiones earum productivæ formaliter non includuntur.

Oppositum tenent *Ferrar. lib. 3. contra gent cap. 54. ad 4. Holcoth. q. 8. art. 2. Capreol. in 4. dist. 49. q. 4. art. 3. ad 4. Sot. ibid. q. 2. art. 4. Cajet. 1. p. q. 26. art. 3. & 3. p. q. 9. art. 2.* probabilem dicit *Banez 1. p. q. 79. art. 2. dub. 2. concluſ. 2. P. Soa. lib. 2. de Attrib. cap. 10. num. 7.* pro quibus: Argues 1. Videre Deum actualiter, est potentiam intelligendi actualiter vivere per ipsam visionem Dei; sed non intelligitur quomodo actualiter vivat, quin actualiter visionem producat; ergo si actualiter illam non producit, ut supponimus, per eam actualiter non vivit; consequenterque Deum non videt. 44.

Respondeo negando minorem: potentia enim vitalis intelligitur absolutè vivere per vitam in se receptam, ut in facta suppositione illam reciperet, licet ad illam vitaliter non concurreret, quod necessarium non est, ut diximus, ad recipiendum in se hujusmodi effectum: sicut corpus organizatum intelligitur substantialiter vivere per solam formam, sive vitam substantialem in se receptam absque productione substantiali. 45.

Instabis: Ignis nō intelligitur actu calefacere; neq; aqua actu frigefacere, nisi actu calorem, & frigus producant; ergo neque intellectus actu intelligere, nisi actu intellectionem producat. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia calefacere, & frigefacere ex se dicunt facere calidum, & facere frigidum, quæ intelligi nequeunt absque actione; sicut neque sine illa intelligitur facere potentiam intelligentem: aliud tamen est facere intelligere, & aliud est intelligere, sive cognoscere, seu Deum videre; hoc enim solùm dicit formam, sive visionem ipsam absque actione, sicut solam formam sine actione dicunt scire, lucere, dealbare, &c. 46.

Urgebis: Vita vegetativa in actu primo consistit in potentia movendi se ab intrinseco, & vita vegetativa in actu secundo consistit in actu secundo, sive actuali motione ab intrinseco; ergo etiam vita intellectiva in actu primo consistet in potentia intelligendi; & vita in actu secundo, qualis est Visio Beata consistet in actu secundo intelligendi, qualis est ipse actualis concursus, sive actio productiva. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia vita vegetativa in actu secundo consistit in quodam motu nutritionis, augmentationis; motus autem intelligi nequit absque actione: at verò vita intellectiva, & sensitiva de se non dicit motum, sed solam formam vitalem in subjecto proportionato, qualis datur in facta suppositione: sicut vita substantialis solam dicit formam substantialem in materiâ organizatâ. 47.

Argues 2. Visio Beata, & quævis alia cognitio, sive intellectiva, sive sensitiva de sua ratione habet, quod sit actuale exercitium potentiæ vitalis, quà talis; sed actuale exercitium de se dicit actionem realem; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: dicit actionem realem grammaticalem, & minùs propriam; concedo minorem: propriè realem; nego minorem: ratio enim actionis, sive exercitii actualis, prout sic non competit cognitioni, aut Visioni Beatæ; sed ad plurimum grammaticaliter, & impropriè, in quo sensu idem est exercitium potentiæ, atque tendentia in suum objectum, non quidem effectiva, sed formalis. 48.

Argues 3. De ratione Visionis Beatæ, & cujusvis alterius cognitionis quà cognitio est, est, quod potētia per illam attendat ad objectum cognitum; sed attentio nihil aliud est, quàm actio potētiæ producentis terminum, sive speciem expressam; siquidem 49.

attentio de se dicit vim quandam exercitam, sive conatum potentiæ; vis autem exercita, sive conatus potentiæ actionem ipsius potentiæ secum necessariò affert; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: nihil aliud est, quàm actio impropria, & grammaticalis; concedo minorem: propria, & de Prædicamento actionis; nego minorem. Undè:

50. Advertes, hujusmodi attentionem dupliciter sumi posse: Primò in actu primo, & prout sic significat potentiam promptam, & expeditam ad cognoscendum objectum: Secundò in actu secundo, & prout sic dicit potentiam jam applicatam, seu affixam objecto per actum, sive speciem illius expressam, quâ ipsa potentia informatur, sive talis species sit ab ipsa potentia vitaliter producta per actionem vitalem, sive producta ab alio non vitaliter, sed in ipsâ recepta, ut in facta suppositione.

51. Argues 4. Impossibile est, quod potentia appetitiva, sive sensitiva, sive rationalis tendat in objectum per amorem, qui est illius proprius actus, habendo se merè passivè; siquidem ex D. Thom. *2. 2. q. 23. art. 2.* de ratione amoris est, quod sit voluntarius; voluntarium autem ex Philosopho *lib. 3. Ethicor. cap. 1.* definitur: *Quod est à principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actus*; quod sine actu fieri nequit; ergo etiam impossibile erit, quod potentia intellectiva tendat per Visionem Beatam in Deum clarè visum, quin producat suam cognitionem, sive speciem expressam actualem; siquidem, proportione habitâ, eodem modo se habet voluntas ad amorem, quo se habet intellectus ad cognitionem.

52. Respondeo negando absolutè antecedens, ad cujus probationem concedimus cum D. Thom. & cum Philosopho, amorem debere esse voluntarium; implicat enim amor, qui voluntarius non sit, ex hoc tamen non sequitur voluntarium illud semper secum importare actionem; siquidem voluntarium dupliciter accipi potest: aut effectivè, hoc est, per eductionem vitalem à voluntate: aut formaliter, idest, quatenùs forma voluntatis proportionata est, connaturalis, & vitalis: & licet primo modo actionem importet, non ita tamen secundo modo; siquidem actio antecedens non dat actui amoris proportionem cum voluntate, ut patet. Undè quando Philosophus voluntarium definivit: *Quod est à principio intrinseco, &c.* explicavit voluntarium, quod tale est effectivè, & quod habetur, nullo facto miraculo, supponitque semper effectionem voluntatis: non autem voluntarium formale, quod actionem illam de se non curat.

53. Instabis: Actus voluntatis, qualis est amor, de sua ratione habet, quod sit liber, & indifferens, ut fiat, aut non fiat à voluntate; sed hæc indifferentia non potest collocari in manu potentiæ habentis se merè passivè, ut patet; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem: habet, quod sit liber, & indifferens, ut fiat, aut non fiat à voluntate, si sit voluntarius effectivè, aut effectivè simul, & formaliter; concedo majorem: si sit voluntarius solùm formaliter, qualis est, qui à solo Deo producitur in voluntate habente se merè passivè; nego majorem: hic enim, ut suspendatur, saltem directè, non est in manu voluntatis, sed solius Dei, qui est illius causa effectiva, non solùm universalis, sed etiam particularis; hoc tamen non tollit quominùs sit actus voluntatis, atque adeò voluntarius, licet liber non sit quoad efficientiam, ut patet in amore beatifico, qui maximè voluntarius est, quin vel quoad primam productionem, vel quoad ejus conservationem sit liber.

54. Urgebis: Juxta communissimam sententiam omnium ferè Theologorum in materia de Voluntate, Deus non potest inferre violentiam voluntati creatæ quoad actus elicitos; sed dato, quod voluntas velle posset habendo se merè passivè, Deus posset ei inferre violentiam, quatenus in ea producere posset actum contra ejus internam inclinationem, illâ non conferente vim, sed renitente, quæ est definitio *violenti* ab omnibus recepta; ergo &c. Respondeo concessa majori, negando minorem, ex qua nihil colligitur; nam si voluntas non elicit actum, sed illum recipit à Deo productum habens se merè passivè, ut supponimus, undè, quæso, infertur, quod Deus violentiam ei inferat quoad actum elicitum? Solùm igitur ad plurimum in formali consequentia inferri posset, quod voluntas aliquam pateretur violentiam, saltem quoad receptionem actûs, dato, quod ei à Deo infunderetur contra internum illius impetum, & inclinationem, saltem in actu primo, quæ suppositio non est impossibilis, ut in Materia de Voluntate latiùs explicatur; hanc tamen illationem concedere nullum est absurdum, cùm plures habeat pro se Patronos procedendo juxta traditam doctrinam, quidquid in contrarium opinentur *P. Valent. & P. Sal.*

55. Argues 5. Si intellectus habendo se merè passivè, posset Deum intuitivè videre, sequeretur, quod si à Deo conservaretur separatus ab anima, & in eo Deus produceret se solo, ut posset, Visionem Beatam, posset etiam per illam Deum videre; hoc autem plura habet absurda; ergo &c. Respondeo negando sequelam; dato enim, quod intellectus possit ita separatus existere, quod satis dubium est propter sententiam non improbabilem asserentem potentias non distingui realiter ab anima, de qua jam in Log. *tract. 5. d. 1 sect. 1.* adhuc talis intellectus sic constitutus Deum non videret; siquidem denominatio illa videndi Deum solùm quadrat in animam, aut suppositum, quod intelligit *ut quod*: non autem in potentiam, quam cognitio solùm denominat *ut quo*.

56. Argues 6. Formalis ratio intelligendi juxta communem sententiam in scholis admissam consistit, aut in sola actione productiva cõceptus, & ab intellectu egrediente: aut in ipsa actione simul & termino, sive specie expressâ per illam productâ; atqui si intellectus passivè tantùm se haberet ad videndum Deum, actionem productivam talis visionis non eliceret; ergo nullatenùs per talem visionem à solo Deo productam Deum ipsum intuitivè videret. Respondeo negando majorem: ratio enim formalis intelligendi, neque in sola actione productiva, neque in illa simul & termino producto consistit, ut patet ex supra dictis in probationibus: præsertim, quia formalis ratio intellectionis sclùm id vendicat, quod habet virtutem faciendi formaliter, & intentionaliter præsens objectum cognoscendum; hoc autem sola habet species expressa, & non illius actio vitalis productiva, neque lumen, neque potentia; ergo &c.

57. Hæc juxta horum Doctorum sententiam, quam ita discussam, & stabilitam apposuimus, non quia à nobis sequenda, contrariam enim ex alibi jam dictis sequimur, sed ut ejus probabilitas appareret, & ne nostram inculcando, eadem jam alibi latiùs dicta iterùm repetere cogeremur; jam enim diximus in Log. *tract. 5. d. 1. à n. 142.* intellectionem consi-

consistere quidem formaliter in solo conceptu, sive cognitione producta; addidimus tamen *num. 182.* intellectionem, licet formaliter non consistat in actione, illam tamen logicè requirere. Præterea ibidem *àn. 267.* diximus, intellectū radicatum in propriâ animâ posse divinitùs elevari ad producendum in se suum conceptum, quin per illum intelligeret, idque defectu concursûs vitalis, quem in facta suppositione non præstaret, & esset logicè requisitus, ut in se reciperet effectum formalem ab intellectione in eo præstandum, quæ omnia cum præsenti sententia stare nequeunt, ea tamen repetere fastidium pareret, sicque ad prædicta loca citata recurrere necessum erit, ex quibus deducenda hîc est nostra sententia, quam ibi paucis mutatis & excitavimus, & latiùs tractavimus.

SECTIO III.

Utrùm ad Deum clarè videndum necessarium sit lumen gloriæ?

58. ALterum comprincipium ex parte potentiæ requisitum ad Deum clarè videndum dici solet à Theologis lumen gloriæ, quasi ultima dispositio intellectûs ad obtinendam gloriam, quæ est ipsa Visio Beata: circa illius necessitatem, quæ, & quanta sit respectu intellectûs creati, præsentem instituimus Sectionem, inquirimusque: An necessarium sit ad Deum clarè videndum?

59. Conclusio sit: Necessarium est lumen gloriæ, quo intellectus creatus elevetur ad Deum clarè videndum. Est de fide. Ita *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 2. & 5. & lib. 3. contr. gent. cap. 53. ubi Caiet. Ferrar. Capreol. Palud. Sot. in 4. dist. 49. D. Bonav. in 3. dist. 14. art. 1. q. 3. ad ult. & art. 2. q. 1. ad 3. Major. ibid. q. 2. Argent. in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 1. Richard. ibid. art. 3. q. 2. & in 3. dist. 14. art. 3. q. 1. Marsil. q. 10. art. 2. Henric. quodlib. 3. q. 3. & quodlib. 4. q. 6. P. Soa. lib. 2. de Attrib. cap. 14. num. 3. P. Valent. tom. 1. d. 1. q. 12. punct. 3. P. Molin. 1. p. p. q. 12. art. 5. d. 1. P. Vasq. 1. p. d. 42. cap 1. & 2. P. Sal. 1. 2. tom. 1. tract. 2. d. 5. sect. 3. Lorca 1. 2. q. 5. d. 30. & 31. Ægid. Lusit. tom. 2. de Beatid. lib. 9. q. 4. art. 1. §. 3. & 4. P. Gil. tom. 2. tr. 5. cap. 5. P. Amicus tom. 1. d. 9. num. 197. P. Arrub. d. 19. cap. 3. n. 14. P. Fasol. 1. p. q. 12. art. 5.* & ferè omnes.

60. Probatur primò ex definitione Concil. Vienn. in Clement. *Ad nostrum de Hæreticis*, ubi inter errores Beguardorum, & Beguinarum damnatur, prout supra jam diximus, *Quod anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum.* Et hoc est potissimum, & irrefragabile fundamentum adstruendi de fide necessitatem luminis gloriæ absolutè loquendo, licet loquendo de lumine gloriæ prout à nobis infrà explicabitur, non videatur de fide ejus necessitas ex vi præsentis definitionis.

61. Probatur secundò ex Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Et Psal. 35. *Et in lumine tuo videbimus lumen.* Et Isai. 60. *Non erit ibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te, sed erit ibi Dominus in lucem sempiternam.* Et Joan. Apoc. 21 & 22. *Civitas non eget Sole, neque Lunâ, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam*: & sæpè alibi, quæ intelligunt de lumine gloriæ D. Hieron. *in Nahum 1.* D. Aug. *tract. 40. in Joan.* D. Basil. *lib. 4. contr. Eunomium*, & explicat P. Lorin. cit. *vers. 10.* Carthusian. Titelm. Jansen. Genebr. & alii. Confirmatur authoritate Sanctor. Patrum. D. Cyril. *lib. 12. in Joan.* D. Bern. *serm. 31. in Cant.* D. Laurent. Justin. *tract. de Casto connub. cap. 15.* D. Basil. D. Nazian. *Orat. 10.* ibi: *Magno Regi stans hinc, atque illinc magno lumine impletur.*

62. Probatur tertiò rationibus: Prima, quia intellectus creatus in ratione potentiæ, tam activæ, quàm passivæ insufficiens est ad Deum clarè videndum per vires suas naturales, ut supra diximus, tùm ob rationes ibi assignatas: tùm præsertim ob imbecillitatem luminis creati pertingere non valentis ad excellentiam objecti supernaturalis, & beatifici; ergo necessariò juvari debet lumine aliquo à Deo creato, quod dicitur lumen gloriæ; consequenterque hoc necessarium est ad Deum clarè videndum.

63. Confirmatur primò, quia Deus 1. Tim. 6. dicitur *Lucem habitare inaccessibilem.* Et Psal. 17. *Posuisse tenebras latibulum suum*; ergo ut intellectus creatus lucem illam prospicere, & tenebras penetrare valeat, supernaturali aliquo lumine perfundi debet. Secundò ex analogia lucis creatæ, quæ necessariò requiritur ad eliciendam visionem corporalis objecti ob ineffiaciam potentiæ visivæ respectu objecti non illustrati; ergo etiam naturalis insufficientia, seu imbecillitas potentiæ creatæ ad cognoscendum objectum supernaturale, necessariò juvari debet luce aliqua, sive lumine supernaturali.

64. Secunda à simili, quia ob imbecillitatem potentiæ cognoscitivæ erga objecta fidei obscurè cognoscenda, necessarium est lumen supernaturale fidei essentialiter obscurum, quo potentia juvari queat ad illa obscurè, & inevidenter cognoscenda; ergo proportione habita ob insufficientiam intellectus creati erga objectum beatificum clarè attingendum, necessarium erit lumen supernaturale, quo ipse juvari possit ad illud clarè, & intuitivè cognoscendum. Confirmatur ex aliis donis supernaturalibus pertinentibus ad intellectum, qualia sunt Scientia, Intellectus, & Consilium, quæ elici nequeunt ab intellectu absque lumine supernaturali, ut est certissima Theologorum sententia; ergo &c.

65. Tertia, quia ad eliciendum amorem Dei supernaturalem tam in via, quàm in patria necessarium est supernaturale quoddam juvamen ex parte potentiæ, non ab ipsa potentia, sed à Deo infusum, ut est indubitatum in Theologia; ergo pari modo ad eliciendam Visionem Beatam necessarium erit lumen supernaturale, quo potentiæ imbecillitas juvari possit; siquidem non minùs superat aciem intellectus creati divina Essentia, prout est objectum supernaturale intellectûs, quàm prout est objectum supernaturale voluntatis.

66. Oppositum, necessarium scilicet non esse lumen supernaturale ad Deum clarè videndum crediderunt sine dubio Anomæi, & alii hæretici, de quibus jam supra, & quos referunt *P. Vasq. 1. p. d. 41. cap. 1. P. Valent. tom. 1. d. 1. q. 12. punct. 3. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 8. P. Sal. in 1. 2. tom. 1. tract. 2. d. 3. sect. 1.* quatenùs quidam eorum asserebant, Deum videri, alii etiam comprehendi posse per vires naturales intellectûs creati; ad cognoscendum autem id, quod naturæ viribus clarè percipitur necessarium non est lumen supernaturale, ut discurrendo per omnes cognitiones rerum creatarum notum est. Eundem errorem, ut supra diximus expresserunt etiam Beguardi, & Beguinæ relati in Clement. *Ad nostrum de Hæreticis*, affirmâtes

expresè in suo quinto asserto ibidem damnato, animam non indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad videndum Deum.

67. Consentiunt ex Scholasticis *Durand. in 4. dist. 49. q. 2. à n. 21.* dùm absolutè rejicit qualecumque lumen ad videndum Deum, sive creatum, sive increatum illud sit. *Bassol. in 3. dist. 14. q. 1. art. 1. & in 4. dist. 49. q. 15. art. 2.* dùm utrobique statuit, præsentato objecto beatifico intellectui creato, posse hunc cum solo concursu Dei generali absque habitu, vel elevatione supernaturali elicere Visionem Dei. Idem videtur sentire *Scot. in 3. dist. 14. q. 2. art. 2. §. Similiter, & in 4. dist. 49. quæst. 11. litt. H.* in primo enim loco docet, ad recipiendam Visionem Dei non indigere intellectum nostrum lumine supernaturali: in secundo autem loco exprimit, ad eandem eliciendam non videri sibi necessarium lumen gloriæ, ex quibus colligitur neque ad recipiendam, neque ad eliciendam Visionem Dei lumen requirere: pro quibus:

68. Objicies 1. Aut lumen supernaturale esset necessarium ex parte objecti; aut ex parte potentiæ: Non primum; siquidem ex parte objecti satis est ipsa Dei Essentia, vel species impressa supernaturalis Deitatis: Non secundum, siquidem ex parte potentiæ nihil est necessarium; sicut enim potentia videndi, v. g. (sicque de aliis naturalibus,) in ratione potentiæ ex se proportionata est ad omne visibile, ita potentia intelligendi proportionata est ad omne intelligibile, Deus autem est maximè intelligibilis; ergo ad illum intelligendum, seu videndum non est necessarium lumen gloriæ.

69. Respondeo negando minorem quoad secundam partem; requiritur enim lumen gloriæ ex parte potentiæ, ut supra diximus. Ad cujus impugnationem negandā est ultima pars; neque enim intellectus ex se est proportionatus ad omne intelligibile absolutè in ratione potentiæ, sed tantùm ad intelligibile naturale, qualis non est Deus clarè visus; potentia autem videndi (sicque de aliis potentiis naturalibus) ex se non est proportionata, nisi ad visibile naturale.

70. Objicies 2. Aut lumen gloriæ requiritur, ut Essentia divina potentiæ uniatur in ratione formæ intelligibilis: aut ut Visio Beata producatur ab intellectu: aut ut in illo recipiatur; sed ad nullum ex his datur necessitas luminis gloriæ; ergo &c. Respondeo negando minorem: Lumen enim gloriæ requiritur, tùm ut Essentia divina uniatur intellectui in ratione formæ intelligibilis: tùm ut Visio Beata ab illo effectivè producatur, ut supra diximus; licet non ita requiratur præcisè ad hoc, ut recipiatur in intellectu ipsa Visio Beata ob rationes supra assignatas; neque ex hoc aliquod infertur incommodum, ut ex supra dictis constare potest.

71. Objicies 3. Objectum, quod suâptè naturâ est lumen, non eget alio lumine, aut luce, ut videatur, ut patet in Sole, qui sola sua luce videtur; sed Deus de se est ipsum lumen increatum juxta illud Symboli: *Lumen de lumine.* Et Joan. 1. *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*; ergo non eget lumine creato, ut videatur. Respondeo negando majorem: quando enim objectum est lumen suâptè naturâ inaccessibile à creatura, quale est Increatum, necessariò eget lumine creato, ut connaturaliùs videatur. Ad probationem dicimus, licet Sol in creatis ex se ita lucidum sit, ut lumen dici possit, luce tamen aliâ à se diffusâ indigere, quâ meliùs videatur, ex quo potiùs confirmatur, quàm infirmatur tradita doctrina, ut consideranti patebit.

72. Instabis: Lux requiritur, quando objectum non est intelligibile in actu, ut prout sic fiat proportionatum potentiæ, ut cernitur in objectis creatis; sed Deus est objectum summè intelligibile in actu, ut supra diximus; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: est objectum summè intelligibile in actu respectu cujuslibet intellectûs absolutè sumpti; nego minorem: lumine illustrati; concedo minorem: hujusmodi autem est, aut Intellectus divinus, aut creatus supernaturali lumine perfusus.

73. Objicies 4. Ideò in cæteris cognitionibus supernaturalibus requiritur lumen habituale, quia cùm non sint actus ex se permanentes, requirunt habitum, qui maneat, actu transacto; sed Visio Dei est actus ex se permanens, & æternus; ergo habitu luminis gloriæ non eget. Respondeo quidquid sit de habitu luminis; nobis enim interim satis est, quod ad Deum clarè videndum necessarium sit, ut esse probavimus, lumen aliquod supernaturale creatum, sive hoc sit, sive non sit habitus, de quo infrà.

74. Objicies 5. Non minùs improportionata est Essentia divina ad concurrendum cum intellectu creato ex parte objecti ad sui visionem intuitivam, quàm est ipse intellectus in ratione potentiæ ad ipsam Dei visionem producendam; sed nulla de facto requiritur species impressa, ut Essentia divina concurrat ex parte objecti, ut supra diximus; ergo neque necessarium erit aliquod lumen, quod cum intellectu concurrat ex parte potentiæ.

75. Respondeo negando majorem; diversa ratio est, quia Essentia divina de se est objectum maximè intelligibile in actu, continetque perfectiones speciei, atque adeò rationem adæquatam principii ex parte objecti, sicque necessaria non est species impressa ex parte objecti: at verò intellectus creatus in ratione potentiæ visivæ Dei est incompletus, & inadæquatus, ut diximus, ideoque eget lumine gloriæ, quo ejus defectibilitas suppleatur. Hùc usque solùm processimus juxta nostram, & verissimam sententiam asserentem, intellectum creatum effectivè concurrere ad Visionem Beatam producendam. Quid autem dicendum, si cum pluribus Theologis supra citatis teneatur, intellectum creatum, sive de facto, sive saltem de possibili, habere se merè passivè respectu Visionis Beatæ?

76. Resolutio sit: Admissâ hujusmodi sententiâ, adhuc necessarium est lumen gloriæ ad Deum clarè videndum, saltem de potentia ordinaria. Ita *D. Antonin. 3. p. tit. 30. cap. 4. §. 1. Richard. in 4. dist. 49. q. 2. art. 3. Palud. q. 1. Major. q. 4. Gabr. q. 2. a. 2. dub. 2. Ovand. propos. 7.* & alii Recentiores, inter quos etiam citari possunt, qui asserunt ad recipiendam visionem Dei necessarium esse lumen gloriæ, quos supra citavimus *d. 1. sect. 5. num. 115.* Probatur primò, quia Clement. *Ad nostrum de Hæreticis*, absolutè, & simpliciter definit ad videndum Deum, necessarium esse lumen gloriæ; ergo ejus definitio semper locum habet, sive intellectus activè, sive merè passivè se habeat; siquidem quod tanquam certum decernitur, non debet pendere ab opinione dubia de concursu activo, vel merè passivo intellectus creati ad videndum Deum intuitivè.

77. Confirmatur, quia prædicta definitio Clement. *Ad nostrum*, edita est contra hæreticos asserentes, Deum videri posse per vires naturales intellectûs creati; atqui si intellectus habendo se merè passivè, Deum videat absque lumine gloriæ, quantùm est

ex

ex parte sua Deum videbit naturaliter, quod est contra prædictam definitionem; ergo quocumque modo se habeat intellectus, sive activè, sive merè passivè, semper ad videndum Deum eget lumine gloriæ supernaturali.

78. Probatur secundò, quia si intellectus creatus, habendo se merè passivè, non egeret lumine supernaturali ad videndum Deum, esset ex se in ratione potentiæ naturaliter proportionatus ad Deum videndum; eique naturaliter responderet ex parte objecti species impressa, aut objectum beatificum, qualis est Deus; siquidem omnibus potentiis naturalibus ex eo, quod in suis rationibus completæ sint, connaturaliter correspondent ex parte objecti, aut species impressa, aut ipsum objectum cognoscendum, cujus cognitionem eliciunt naturaliter absque ullo incommodo; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur.

79. Confirmatur, quia Visio Beata, cùm sit actus vitalis, non potest denominare, nisi potentiam proportionatam; sed intellectus creatus, absque lumine, & nudè sumptus non est potentia proportionata ad recipiendam in se denominationem Visionis Beatæ, cùm hæc sit actus vitalis supernaturalis, ille autem ut sic potentia naturalis; ergo &c.

80. Oppositum tenent in facta suppositione *Scot. in 4. dist. 49. quæst. 11. litt. C. Mayron. in 3. dist. 12. q. 2. Conclus. 1. 2. & 4.* & citari solent omnes, qui asserunt ad recipiendam in se Visionem Beatam non esse necessarium lumen gloriæ, quos supra citavimus loco proximè cit. n. pro quibus: Objicies: Lumen gloriæ in facta suppositione, aut esset necessarium præcisè, ut intellectus in se reciperet Visionem Beatam; aut ut reciperet Essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis: Non primum; siquidem ut supra diximus, lumen gloriæ non est necessarium præcisè ad hoc, ut intellectus recipiat in se Visionem Beatam: Non secundum; siquidem Essentia divina non concurrit in ratione formæ intelligibilis, nisi quando intellectus effectivè concurrit ad visionem, illum scilicet determinando ad ejus productionem; in suppositione autem facta habet se merè passivè, & in illa non exercet Essentia divina rationem formæ intelligibilis, sed objecti dumtaxat; ergo ad hunc effectum, neque ad quemcumque alium (cùm alius non appareat) non requiritur lumen gloriæ.

81. Respondeo licet verum sit, si intellectus se habeat merè passivè, lumen gloriæ non esse necessarium, neque ad recipiendam Essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis, ut rectè probat argumentum; neque ad hoc præcisè, ut Visionem Beatam in se recipiat, ut supra probavimus, adhuc tamen fore necessarium, ut intellectus posset vitaliter tendere in Deum clarè videndum, quod habere non posset, si solùm secundùm sua naturalia concurreret, ut proximè diximus.

SECTIO IV.

Qualisnam sit natura luminis gloriæ: & an sit de fide esse Habitum Beatorum mentibus infusum?

82. QUAMVIS ex hactenùs dictis in præcedenti Sectione satis constet, ad videndum Deum intuitivè necessarium esse lumen gloriæ; quid tamen talis luminis nomine veniat; & an de fide sit hujusmodi lumen esse habitum à Deo supernaturaliter infusum? Adeò incertum est, ut in plurimas sententias abire fecerit graves, & sapientissimos Theologos, ut ex dicendis constabit. Igitur.

83. Prima sententia asserit, lumen gloriæ, quod de facto datur in Beatis ad videndũ Deum, esse ipsum lumen Increatum, nempè Deum speciali concursu assistentem, & elevantem in actu primo intellectum creatum ad sui visionem eliciendam, sive id fiat ex parte potentiæ tantùm, sive ex parte solius objecti, sive ex parte utriusque simul. Ita aliqui, quos tacitis nominibus referunt. *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 14. à n. 5. & P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 5. sect. 3. n. 51.* speciatim tamen tribuitur *Bassol. in 3. dist. 14. q. 1. art. 1. ad 2. Mayron. ibid. dist. 12. q. 2. §. Sed dubium est.* Quatenùs asserunt lumen creatum à Theologis admitti solitum, solùm requiri ad decorem, nihil verò conducere ad visionem causandam, sed solùm lumen Increatum. Pro eadem stat *Lychet. in 1. dist. 3. q. 3. §. Ad illud.* Favet *Scot. ibid. q. 3. litt. H. & in 4. dist. 49. q. 11. litt. H.* in quibus locis, præter lucem Increatam, nullum creatum lumen videtur admittere.

84. Fundantur primò. In Psal. 35. ibi: *In lumine tuo videbimus lumen*: quod idem valet, atque in virtute tua, sive in verbo tuo nos supernaturaliter elevante, te ipsum videbimus, ut interpretantur Orig. D. Hieron. & D. August. apud P. Gil. *tom. 2. tract. 5. cap. 4. n. 7.* Favet illud Isai. 60. *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Et Apoc. 21. *Claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus est Agnus*: ut communiter explicant Sacri Interpretes ad hæc loca; ergo &c. Respondeo prædicta testimonia intelligi posse de Visione Dei in luce, seu lumine, quod est Verbum, tanquam in objecto, in quo Beati vident Patrem, & cætera omnia, ut interpretantur P. Lorin. ad cit. Psal. & P. Viegas in Apoc. & Patres apud illos: Quod tamen non tollit quominùs possint etiam cum proprietate intelligi de lumine à Deo infuso, quo effectivè elevemur ad videndum Deum, ut supra diximus.

85. Fundantur secundò, quia in hac sententia optimè salvatur definitio Concil. Viennens. in Clement. *Ad nostrum*; siquidem lumen Increatum magis proprium, longè perfectius, & infinitè majoris virtutis est, quàm lumen creatum, ad supplendum defectum intellectûs; & ex eo, quod se ipso peculiariter concurrat ad effectum suæ visionis, nullum sequitur incommodum. Respondeo negando antecedens; neque enim in hac sententia æquè benè salvari potest definitio Concil. in Clement. cit. ut infra videbimus.

86. Fundantur tertiò, quia licet Deus posset concurrere ad sui visionem per speciem impressam creatam ex parte objecti, de facto tamen concurrit cum

cum mentibus Beatorum se ipso immediatè ut supra diximus; ergo etiam licet posset cum illis concurrere per lumen creatum ex parte potentiæ, de facto tamen concurret se ipso immediatè; militant enim eædem rationes. Respondeo negando consequentiam, & ejus probationem, nam concursus per habitum infusum est perfectior, & connaturalior modus operandi, ut supra diximus; Deo autem perfectior, & connaturalior modus operandi concedendus est.

87. Fundantur quartò, quia quando Concil. antiqua definiunt contra Pelagianos, omninò requiri gratiam divinam ad opera bona exercenda, ex eorum definitionibus non colligitur, necessariam esse gratiam habitualem, sed satis intelliguntur de gratia Increata, seu de Deo ipso per speciale auxilium juvante infirmitatem nostram; ergo similiter quando Concil. in Clement. *Ad nostrum*, decernit necessarium esse lumen gloriæ elevans potentiam ad videndum Deum, optimè explicabitur de lumine Increato, seu Deo supernaturali concursu juvante naturalem defectibilitatem intellectûs creati. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in antiquis Concil. non dabatur verbum ita significans gratiam habitualem, sicut postea additum est in Trident. & in re, de qua agimus, de facto invenitur in Clement. cit. ad significandum lumen habituale, ideoque prædicta definitio potius debet à nobis intelligi de lumine habituali, quàm de concursu Dei immediato in actu primo.

88. Hæc igitur sententia, licet non incongruè aptari possit ad text. Clement. cit. & ut plurimum de possibili vera sit; de facto tamen à nobis rejicienda est. Primò ex solutione fundamentorum illius, ut ex dictis patet. Secundò, quia plures Theologi infra citandi credunt esse hæreticam, & expresè definiri in Clement. cit. lumen habituale. Tertiò, quia licet hæretica non sit, ut non ignobiles Theologi etiam infra citandi opinantur, aut erronea est, aut temeraria, aut ad minimùm non satis tuta in fide. Quartò, & præcipuè, quia omnes Theologi, qui post Clement. cit. scripta sua typis mandarunt, & plus Patres infrà citandi, sententiam hanc censurâ aliquâ notandam censent, quo solo nomine ad minimum non potest à notâ aliquâ liberari. Quintò, quia satis est, prædictam sententiam, ejusque interpretationem ad Clement. cit. esse contra omnes Theologos post dictam Clement. cit. ut temeritatis notâ non careret. Sextò ex rationibus, quibus ultima, & vera sententia probanda est, ex quibus constare poterit, qualinam censurâ digna sit.

89. Secunda sententia docet, lumen gloriæ Beatorũ mentibus de facto communicatum non esse aliud, quàm concursum Dei actualem in actu secundo. Ita aliqui nominibus tacitis apud *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 14. n. 9. P. Sal. cit. Sot. q. 2. art. 4.* Probatur, quia hujusmodi concursus Dei visionem efficit manifestando objectum beatificum; ergo ille satis est ut salvetur concursus luminis gloriæ à Clement. cit. & à Theologis requisitus.

90. Non placet primò, quia talis concursus non potest sortiri appellationem luminis; lumen enim non significat concursum, sed qualitatem aliquam; non autem licet impropriè Concilium interpretari; alioqui nihil erit certum. Secundò, quia lumen in Clement. definitum est aliquid prævium ad concursum actualem respectu visionis, ut infrà videbimus. Tertiò, quia lumen naturale intellectûs humani, & Angelici; lumen fidei, & scientiæ per se infusæ cum proprietate accommodari nequeunt concursui in actu secundo, neque enim Theologi, aut Philosophi eam acceptionem usurparunt, sed aliam diversam; ergo diversum quid est lumen gloriæ à tali concursu. Quartò, quia Concil. cit. duos errores damnat: Primus, quod Visio Beata sit naturalis, contra quem definit esse supernaturalem, & in hoc continetur, quod necessarium sit auxilium supernaturale ad illam eliciendam, sive illud sit per modum habitûs, sive actionis & concursûs in actu secundo: Secundus, quod lumen non sit necessarium, & hoc distinctè damnat; ergo aliquid in hoc docet, quod in altero non continebatur.

Tertia sententia asserit, lumen gloriæ esse ipsam 91.
Visionem Beatam, quâ Beati Deum formaliter intuentur. Hæc tribuitur Theologis Lovanienſibus, quos refert *Aureol.* apud *Capreol. in 4. dist. 49. q. 4. art. 2.* in argument. quinto loco positis, neque displicet ipsi Aureol. tenet etiam Adam. *in 2. dist. 1. q. 8. Concluſ. 1.* Probatur, quia Visio ipsa beatifica est quoddam lumen Beatorum mentibus infusum, quo formaliter illuminantur, & clarè intuentur objectum beatificum, idque ex *D. Bonavent. in 2. dist. 4. art. 3. q. 2.* ubi asserit cognitionem Dei esse diem, & lumen: D. Hilarius in Psal. 118. ad illa verba: *Deprecatus sum faciem tuam:* ubi docet, Beatos Visione contemplatæ Majestatis illuminari. *D. Bern. serm. 51. in Cant. D. Dionys. cap. 4. de divin. nominib.* & aliis Patribus apud *T. Gil. cit. cap. 4. n. 8.* ergo illa optimè intelligi potest per lumen in Clement. cit.

Non placet, quia juxta hanc sententiam nullate- 92.
nùs explicari possunt verba illa Clement. cit. ibi: *Quodq; anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante, &c.* quæ verba in proprietate sermonis significant necessitatem luminis prævii ad Visionem Dei, ut patet, tùm ex verbis ipsis: tùm quia hæretici negabant lumen gloriæ, quo vis intellectiva naturalis elevaretur ad videndum Deum, quia credebant, potentiam intelligendi se ipsa sufficere ad eliciendam Visionem Dei; ergo cùm Clement. cit. oppositum contra hæreticos definiat, necessariò fatendum est, intelligendam esse de lumine prævio ad visionem; ergo prædicta verba accommodari non possunt ipsi visioni, quæ se ipsam non antecedit.

Neque Sancti Patres, licet Visionem Dei lumen 93.
appellent, quod non negamus, illam citatis locis appellant lumen ad videndum Deum, de quo est sermo, sed solùm asserunt esse manifestationem Dei, quod est verissimum. Pro utraque hac sententia impugnanda vide *P. Soar. cit. P. Sal. & P. Gil. cit.* quibus adde *Pesant. 1. p. q. 12. art. 2. d. 1.* qui alios referunt.

Quarta sententia affirmat, per lumen in Cle- 94.
ment cit. intelligi qualitatem infusam distinctam quidem à visione, illam tamen solùm esse speciem quandam intelligibilem objecti. Ita aliqui tacitis nominibus apud *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 14. num. 8.* Non placent: Primò, quia species non solet significari nomine luminis, nisi valdè metaphoricè; in Clement. autem cit. definitur, necessarium esse lumen. Secundò, quia species objecti ex naturâ suâ non requiritur ad elevandam potentiam, sed ad conjungendum objectum potentiæ, ut patet in actibus naturalibus, ad quos potentia non elevatur; sed Concilium loquitur de lumine necessario ad potentiam elevandam; ergo non de sola specie; ergo de lumine, quod sit virtus ex parte potentiæ ipsam elevans.

SECTIO

SECTIO V.

Proponitur, & declaratur vera Sententia.

95. QUINTA, & verior sententia tenenda docet per lumen gloriæ necessariò requisitum, & definitum in Clement. *Ad nostrum de Hæreticis*, intelligendum esse habitum creatum ordinis supernaturalis Beatorum mentibus per se infusum, quo de facto elevantur ad Visionem Beatam eliciendam. Est inter Theologos communissima, & eam tenent cæteri omnes, iis exceptis, quos pro supra appositis sententiis citavimus. Probatur ab exclusione aliarum, quia hujusmodi lumen non est ipsum lumen Increatum, sive Deus ipse assistens; neque auxilium aliquod supernaturale, sive per modum habitûs, sive per modum concursûs in actu secundo, seû actionis; neque ipsa Visio Beata; neque qualitas aliqua, quæ sit species impressa; non apparet aliud, quod sit; ergo est habitus à Deo infusus potentiæ, ipsamque elevans ad Visionem Beatam eliciendam.

96. Nihilominùs in explicando munere hujus luminis gloriæ magna est opinandi varietas. Prima opinio asserit, prædictum lumen esse habitum facilitantem potentiam ad Visionem Beatam facilius producendam, sicut se habent habitus naturales ad productionem suorum actuum. Ita *Tartaret. in 4. dist. 49. q. 11. fine, & Lychet. in 1. dist. 3. q. 3. fine.* Rejicitur primò, quia in Clement. *Ad nostrum* cit. apertè exprimitur, animam indigere lumine gloriæ ad videndum Deum, sicq; est ei necessarium *ad esse* visionis; atqui facilitas solùm requiritur *ad melius esse*, ut constat in habitibus naturalibus; ergo lumen gloriæ non est tantùm ad facilitandam potentiam. Secundò, quia lumen gloriæ à Theologis per se requiritur ad complendam defectibilitatem naturalem intellectus creati ad videndum Deum; ergo non solùm ad facilitandam potentiam. Tertiò, quia dato, quod lumen gloriæ per se non compleret comprincipium visionis ex parte potentiæ, adhuc non posset dici esse habitum facilitantem; siquidem hic admittitur, aut quando potentia non operatur necessariò, aut si necessariò operetur, saltem habet impedimentum, difficultatem, aut quid simile circa proprium objectum; sed Visio Beata, & est operatio de se necessaria, & impedimentum, aut difficultatem non habet circa objectum beatificum, imò potius habet oppositum; ergo &c.

97. Secunda opinio tenet, lumen gloriæ esse habitum gratiæ, & charitatis, qui est dispositio de lege ordinaria per se requisita ad videndum Deum, non tamen dispositio physica, sed moralis in genere meriti. Ita singulariter *Gabr. in 1. dist. 1. q. 2. art. 3.* Rejicitur ut omninò improbabilis à *P. Vasq. 1. p. d. 42. cap. 1. P. Sal. cit. d. 5. sect. 3. num. 51.* & aliis Recentioribus, quia Clement. *Ad nostrum cit.* requirit lumen supernaturale elevans defectum naturalem intellectus creati ad videndum Deum, quem negabant hæretici asserentes, potentiam intellectivam creatam posse propriis viribus physicè, & adæquatè producere Visionem Beatam; sed hujusmodi defectus naturalis suppleri nequit per solum concursum moralem gratiæ, seu charitatis, ut patet; ergo &c.

98. Tertia opinio docet, lumen gloriæ esse quidem habitum Beatorum mentibus infusum, non tamen ut aliquid conferat ad visionem eliciendam, sed tantùm ad decorem. Ita *Bassol. in 3. dist. 14. q. 1. art. 1. §. Sic ergo. Mayron. ibid. dist. 12. q. 2. fine*, & alii Scotistæ. Rejicitur ab *Scot. in 4. dist. 49. q. 11. §. Respondeo ergo. P. Gil. tom. 2. tr. 5. cap. 5. n. 6.* & aliis, quia Clement. *Ad nostrum cit.* expressè damnat propositionem asserentem, animam non indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad videndum Deum; atqui si lumen non conducit, neque elevat animam ad visionem eliciendam, sed solùm inservit ad decorem, intellectus non illo indigebit ad videndum Deum, ut patet; ergo talis opinio stare non potest cum decreto prædictæ Clementinæ.

99. Quarta opinio sustinet, lumen gloriæ esse habitum per se requisitum ad Visionem Dei, non tamen habere se ex parte potentiæ simpliciter, ut se habent cæteri habitus naturales, sed ex parte objecti, coincidereque cum specie impressa intuitiva Deitatis. Ita *P. Vasq. 1. p. d. 43. à cap. 3.* ubi pro se citat *Richard. D. Thom. Scot. & Argentin.* & iterùm *in 3. p. d. 54. cap. 2. n. 5.* Verùm hi Authores id non asserunt ut rectè contra *P. Vasq.* ostendit *P. Gil. cit. tract. 5. cap. 6. à num. 5.* pro eadem tamen citari potest *Lorca 1. 2. q. 5. art. 1. d. 30.* quatenùs docet, sibi non displicere sententiam Vasq. si ita explicetur, ut species impressa Dei, saltem secundùm diversas rationes virtute distinctas, & speciei, & luminis rationem vendicet, & pro ut sic videtur assentiri P. Vasq. cit.

100. Hanc opinionem latè impugnant *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 15. à num. 4. & 3. p. d. 29. sect. 2. §. Tertiò si objectum. P. Sal. d. 5. cit. sect. 3. n. 52. P. Gil. tract. 5. cit. cap. 8. & 9. Ægid. Lusit. tom. 2. de Beatit. lib. 5. q. 8. art. 1. §. 4.* & alii ex Recentioribus, & nos ejusdem opinionis fundamentum proposuimus, & dissolvimus supra *d. 1. sect. 6.* & indè facilè impugnatur, quia species impressa Deitatis, quocumque modo applicetur ad producendam Visionem Beatam, semper illam producit, prout supplet vices Essentiæ concurrentis in ratione objecti ut sic; sed Essentia in ratione objecti præcisè non potest supplere defectum naturalem intellectûs ex parte potentiæ; siquidem ad hoc requiritur peculiaris concursus, sive entitas supernaturalis superaddita ex parte ipsius potentiæ, qualis non est species impressa Deitatis; ergo lumen gloriæ necessariò requisitum ad supplendum hujusmodi defectum, est aliud ab specie impressa Deitatis.

101. Quinta opinio existimat, lumen gloriæ esse habitum per se requisitum tanquam dispositionem, ut intellectus possit in se recipere Visionem Beatam. Ita plures Theologi, quos supra allegavimus *d. 1. sect. 5. à n. 115.* quorum fundamenta ibi proposuimus, & satis rejecimus *à n. 120.*

102. Sexta, & verissima opinio tenenda affirmat, lumen gloriæ esse habitum supernaturalem Beatorum mentibus infusum de facto, non solùm ad recipiendam Essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis, sed etiam, & præcipuè ad corroborandum, & complendum intellectum in ratione potentiæ visivæ Deitatis. Prima pars hujus sententiæ, quatenùs affirmat, lumen gloriæ à Deo Beatorum mentibus infundi ad recipiendam Essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis, jam à nobis & authoritate, & ratione probata est *d. 1. sect. 5. à n. 107.* ubi videri potest.

103. Secunda pars asserens, lumen gloriæ esse habitum complentem intellectum in ratione potentiæ

visivæ Dei, ipsumque elevantem ad eliciendam Visionem Beatam, est *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 5. & in 1. 2. q. 5. a. 5. & 6. lib. 3. contr. gent. cap. 53. & in 4. dist. 49. q. 2. art. 7.* & sæpè alibi, quem sequitur tota ejus Schola, eam tenent etiam Sententiarii *in 4. dist. 49. & in 3. dist. 14. q. 1. Prolog. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 5. d. 1. Conclus. 2. & 3. P. Valent. 1. p. tom. 1. d. 2. q. 12. punct. 3. P. Soa. lib. 2. de Attrib. cap. 14. num. 2. & cap. 15. n. 1. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 5. Lorca 1. 2. d. 31. memb. 1. & 2. Zumel. 1. p. q. 12. art. 5. q. 1. Conclus. 3. Ægid. Lusit. tom. 2. de Beatit. lib. 9. q. 3. art. unico, & q. 5. art. 2. §. 2. P. Gil. tom. 2. tr. 5. cap 6. Richard. in 4. dist. 49. art. 3. quæst. 1. opinion. 1. Palat. d. 1. Conclus. 8. Capreol. quæst. 4. art. 3. ad 1. Aureol. & Ferrar. lib. 3. contr. gent. cap. 54. ad 1. Bannez 1. p. q. 12. art. 5. dub. 2. ad 5. P. Becan. 1. p. tract. 1. cap. 9. q. 3. Conclus. 2. P. Fasol. 1. p. q. 12. art. 5. dub. 5. P. Tanner. d. 2. quæst. 6. dub. 3. num. 8.* & alii.

104. Hæc verò secunda pars, ut distinctè explicetur, duo continet probanda: Primum est, lumen gloriæ esse habitum à Deo infusum, ipsique intellectui creato intrinsecè inhærentem. Secundum, hujusmodi habitum à Deo infundi ad elevandum, & confortandum intellectum creatum Beati, ut possit elicere Visionem Dei intuitivam. Quoad primum: Probatur primò ab exclusione aliarum Sententiarum, de quibus supra *à n. 83.* eo modo, quo jam probavimus *n. 95.*

105. Probatur secundò ratione: Prima, quia verba Scripturæ, & Conciliorum, etiam quando sumptâ metaphorâ, ex naturalibus, divinis rebus accommodantur, accipienda sunt in magis propriâ, & magis connaturali significatione; sed verba Clement. *Ad nostrum cit.* in qua definitur necessitas luminis gloriæ, in magis propriâ, & magis connaturali significatione explicantur de lumine creato, qui est habitus intrinsecè inhærens in potentia, quàm de quocumque alio lumine, etiam Increato, ut patet ex dictis; ergo &c. Confirmatur primò, quia in naturalibus res lucida, qualis est Sol, & quodvis aliud luminosum, potentiam visivam naturaliter adjuvat per lucem à se effectivè diffusam in Medium, & in organum potentiæ; ergo melius, & connaturaliùs tranfertur similitudo lucis corporalis ad spiritualem nostri intellectus, si Deus, qui est spiritualis, & sempiternus Sol, atque intelligibile quoddam luminosum, lumen spirituale ex se in nostrum intellectum diffundere dicatur, eique intrinsecè inhærens, quàm si eundem illuminet, per sui extrinsecam assistentiam, aut quocumque alio ex supra dictis modis.

106. Confirmatur secundò authoritate Patrum, nam Dionys. Chartusian. in hunc sensum explicat illud Apoc. 21. *Claritas Dei illuminabit eam*: hoc est, inquit, Increata lux efficienter, & claritas ab ipsa Beatis communicanda illuminabit instrumentaliter, atque formaliter. Similiter plures Patres interpretantur illud Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*: hoc est in lumine supernaturali à te mentibus nostris communicato, te Increatum lumen videbimus: quæ interpretatio post Clement. *Ad nostrum cit.* communis est Patrum, & Theologorum, apud *P. Gil. tom. 2. tract. 5. cap. 5. n. 3.*

107. Secunda, quia connaturalior, & perfectior operandi modus tribuendus est statui perfectiori, qualis est beatificus; sed connaturalior, & perfectior operandi modus ex parte potentiæ est operari per formam sibi intrinsecè inhærentem, qualis est habitus; siquidem per illam redditur potentia magis propriè potens, tanquam habens in se operandi virtutem, quam minùs propriè aliter habere diceretur; ergo &c.

Tertia, quia Deus facili negotio posset concurrere ad actiones supernaturales in via per peculiarem assistentiam in actu primo: tùm quia status viatorum minùs perfectus est: tùm quia prædictæ actiones non sunt perpetuæ, neque illarum habitus; siquidem plures non transferuntur in patriam, aut quia ratione talis status amittuntur, aut quia per peccata deperduntur demeritoriè; & tamen Deus ad illas concurrit per habitus infusos, ut omnes Theologi fatentur, quia modus ille concurrendi est perfectior, & connaturalior; ergo à fortiori ita concurret in patria ad sui visionem, quæ est perfectior, & simul cum suo habitu in æternum duratura. 108.

Quoad secundum, nempè quod hujusmodi habitus à Deo infundatur ad elevandam, & confortandam potentiam ad eliciendam visionem Dei. Probatur 1. ex Clement. cit. *Ad nostrum*: quatenùs damnans asserentes, *Quod anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad videndum Deum*: videtur definire, lumen ipsum dari ad elevandam animam, eamque confortandam, ut possit Deum videre; ergo &c. 109.

Probatur secundò, quia hujusmodi habitus non infunditur ad facilitandam potentiam; non solùm ad illius ornatum; non ut dispositio ad Visionem Beatam recipiendam, ut patet ex supra dictis; non apparet alius effectus, quem præstare possit; ergo ad elevandam, & confortandam potentiam infunditur. 110.

Probatur tertiò, quia intellectus creatus secundùm suas vires naturales in ratione potentiæ est insufficiens ad eliciendam Visionem Dei, ut supra diximus; sed virtus, quæ ei à Deo infunditur, est ad supplendam ejus naturalem insufficientiam, & defectibilitatem; ergo habitus luminis gloriæ, qui est hæc virtus infusa, ei infunditur, ut elevetur, & corroboretur ad videndum Deum. 111.

Probatur quartò ex proximè dictis, quia habitus supernaturales à Deo infusi ad actiones supernaturales in via infunduntur ad elevandas, & confortandas potentias naturales, earumque insufficientiam, & defectibilitatem compensandam in ordine ad tales actiones eliciendas, & non ad effectus illos supra impugnatos; ergo etiam habitus iusfusus à Deo in patria ad elevandam, & confortandam defectibilitatem potentiæ infundetur. 112.

Dubium tamen est: Utrùm de fide sit, lumen gloriæ esse habitum per se infusum? Prima sententia affirmat esse de fide. Ita *Caiet. 1. p. q. 12. a. 5. ad 4. Ripa. dub. 1. Conclus. 1. Ovand. in 4. dist. 49. propos. 6.* Favet *Sot. q. 2. art. 4. §. Est tamen notandum. Palat. d. 1. Conclus. 7.* & est expressa plurium antiquorum. Fundantur, quia id videtur definitum in Clement. *Ad nostrum cit.* Confirmari potest fundamentis proximè adductis *à n. 104.* 113.

Secunda sententia absolutè negat id esse de fide. Ita *Lychet. in 1. dist. 3. q. 3. fine. §. Ad illud. Mayron. in 3. dist. 12. q. 2. §. Sed dubium. P. Vasq. 1. p. d. 42. cap. 2. P. Albertin. q. 1. Theolog. Corol. 1. in 1. princip. philosoph. dub 3. num. 22.* Fundantur primò, quia Clement. *Ad nostrum cit.* ad id non cogit. Secundò fundari potest eisdem rationibus, quibus stabilita est sententia appositа *num. 84.* 114.

Tertia sententia, quam ut probabiliorem sequimur, asserit Concil. in Clement. *Ad nostrum*, non definisse, lumen gloriæ esse habitum Beatorum mentibus per se infusum: oppositum tamen affirmare esse ad minimum temerarium, & non satis 115.

tutum

tutum in fide. Ita primam partem tenent Authores secundæ sententiæ: secundam verò partem à fortiori tenent Doctores pro prima sententia citati: utramque tamen expresè tenent *P. Molin. 1. p. q. 12. art. 5. d. 1. §. Secunda propositio. P. Valent. tom. 1. d. 2. q. 12. punct. 3. §. Dico tertio.* Favent *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 14. n. 9. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 5. sect. 3. n. 52. Banneζ 1. p. q. 12. art. 1. dub. 1. Concluſ. 1. Peſant. ibid. d. 1 Notabil. 4. Lorca 1. 2. d. 30. P. Tanner. d. 2. q. 6. dub. 3. num. 10. P. Amicus d. 9. num. 204.*

116. Probatur prima pars primò, quia in Clement. *Ad noſtrum cit.* nullum eſt verbum, quod exprimat *habitum.* Secundò, quia tota illa definitio non incongruè explicari poteſt de lumine Increato, ſeu Deo ſpeciali ſuo concurſu in actu primo elevante intellectũ eo modo, quo ſupra probatum eſt *à n. 84.* Undè non benè Caiet. ſententiam Scoti, qui videtur ſub quadam conditione negare habitum luminis gloriæ, putat eſſe damnatam.

117. Probatur ſecunda pars primò, quia ita ſentiunt plures Patres apud *P. Gil. tom. 2. tract. 5. cap. 5. n. 1. & 2.* Secundò, quia negando habitum luminis gloriæ, non ſatis explicatur definitio Clement. *Ad noſtrum cit.* nec ſatis reſpondetur rationibus, quibus noſtram ſententiam de concedendo hujuſmodi habitu comprobavimus *à num. 104.* Tertiò, quia rationes, quæ probant, temerarium eſſe dicere, Deum de facto per ſolum concurſum peculiarem in actu primo producere Viſionem Beatam, ſimiliter etiam oſtendunt, temeritatis notâ dignum eſſe negare habitum luminis gloriæ; qui tamen, poſitâ illâ ſententiâ, non daretur; ſed temerarium eſſet illud de facto affirmare, ut patet ex ſupra dictis *num. 89. & à n. 105.* ergo temerarium eſſet aſſerere id, ex quo infertur.

SECTIO VI.

Quo pacto Lumen Gloriæ concurrat ad Viſionem Beatam?

118. MUlta ſub hoc titulo ſcitu digniſſima involvuntur, quæ ſub unâ, cãdemque quæſtione diſſolvi nequeunt: quæ igitur majoris momenti ſunt ſeorſim per ſequentes difficultates proponemus, commodiùsque enodabimus: Sit igitur:

119. Difficultas 1. Utrùm lumen gloriæ effectivè concurrat ad Viſionem Beatam? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 5. corp. & ad 1. & 2. & art. 6. & lib. 3. contr. gent. cap. 53. 54. & 55. Richard. in 4 diſt. 49. a. 3. q. 1. Palat. d. 1. concluſ. 8. Capreol. q. 4. art. 3. ad 1. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 54. ad 1. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 5. d. 1. Concluſ. 3. Zumel. ibid. q. 2. concluſ. 5. Banneζ ibid. dub. 2. ad 5. P. Soar. 1. p. lib. 2. de Attrib. cap. 7. 8. 9. 12. & 15. num. 1. & 2. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 5. ſect. 3. n. 49. Lorca ibid. d. 31. memb. 1. Cabrer. 3. p. q. 9. art. 2. d. 9. §. 4. n. 18. P. Vaſq. 1. p. d. 43. cap. 6. 7. & 8. Ægid. Luſit. tom. 2. lib. 10. q. 4. art. 1. §. 2. P. Becan. 1. p. tract. 1. cap. 9. q. 3. Concluſ. 2. P. Faſol. 1. p. q. 12. art. 5. dub. 5. P. Tanner. d. 2. q. 6. dub. 4. n. 6. P. Valent. 1. p. tom. 1. q. 12. pun. 3. §. His igitur. P. Herice tr. 4. d. 45. cap. 3. P. Præpoſit. 1. p. q. 12. art. 5. dub. 1. n. 32.* & alii.

120. Probatur primò, quia lumen gloriæ non ſolùm elevat intellectum creatum ad tendendum vitaliter in Deum clarè viſum præſcindendo à productione viſionis, ſed ad ipſam viſionem eliciendam prout ſupra diximus *d. 1. à num. 129.* atqui non poteſt ſic eum elevare ad efficientiam viſionis, quin ſimul cum illo ipſam viſionem coefficiat; ſiquidem cùm habeat eſſentialiter complere rationem potentiæ activæ viſionis, quæ in intellectu ſecundùm ſua naturalia conſiderato incompleta eſt, etiam cum illo habet eſſentialiter, quod ſit potentia activa, & productiva ipſius viſionis; ergo &c.

Probatur ſecundò, quia lumen concurrit ad viſionem ut inſtrumentum Dei peculiariter juvantis intellectum ad productionem illius; ſed inſtrumentum Dei peculiariter juvantis ad actiones, effectivè illas attingit; ſiquidem Deus mediante ſuo inſtrumento efficit, quod ipſe immediatè per ſe facturus erat; per ſe autem immediatè applicaret concurſum effectivum; neque enim aliter juvare ſolet actiones agentium; ergo ſic concurrit mediante lumine ad viſionem; conſequenterque lumen ad illam effectivè concurrit. 121.

Probatur tertiò, quia lumen gloriæ ſuâptè naturâ eſt habitus de ſe ordinatus ad actum Viſionis Dei, ut patet ex ſupra dictis; ſed de ratione habitus eſt effectivè concurrere ad actus, ſive id fiat facilitando potentiam, ſive dando ei poſſe ſimpliciter ad eorum productionem; ergo &c. Confirmatur primò, quia cæteri habitus ſupernaturales effectivè concurrunt ad actus vitales ſupernaturales in via elicitos, ut communiter cõcedunt Theologi; ergo etiam ſic concurret habitus luminis gloriæ ad productionem viſionis in patria Secundò, quia Viſio Beata, cùm ſit ſupernaturalis connaturaliùs producetur, ſi habitus luminis gloriæ effectivè ad eam concurrat; ſic enim habebit principium ſuæ effectionis ſupernaturale; ergo ſic ad eam concurrit. 122.

Negativam ſententiam tenent omnes, qui aſſerunt, intellectum habere ſe merè paſſivè ad Viſionem Beatam, quos ſupra citavimus *num. 10.* cùm enim affirment Viſionem Dei ob ſuam excellentiam à ſolo Deo produci poſſe, conſequenter excludunt ab illius effectione lumen gloriæ, quod plures eorum, aut omninò negant, aut ſolùm illud admittunt ad Viſionem Dei recipiendam, non autem producendam: quorum ſententiæ, etiam admiſſa activitate intellectûs, adhæret expresè *Major in 4. diſt. 49. q. 4. in epilog.* pro quibus: 123.

Objicies 1. Nihil cogit aſſerere lumen gloriæ concurrere effectivè ad Viſionem Dei; ſiquidem definitio Clement. *Ad noſtrum cit.* optimè ſalvatur, dummodò aſſeramus lumen gloriæ neceſſarium eſſe ad hoc, ut intellectus fiat proportionatus in ratione potentiæ ad tendendum in Deum vitaliter abſque ulla efficientia; ſicut illam explicavimus in ſententia aſſerente, intellectum habere ſe merè paſſivè ad Viſionem Dei; ergo &c. Reſpondeo negando antecedens; cogimur enim ad concedendam vim effectivam in lumine gloriæ: tùm ob rationes aſſignatas: tùm ob definitionem Clement. cit. quæ non ita rectè ſalvatur abſque concurſu effectivo luminis gloriæ. Patet, quia abſque temeritate ſalvare non poſſumus hujuſmodi definitionem denegando lumini gloriæ rationem habitûs, ut ſupra diximus; ſed denegando ei concurſum effectivum, eidem etiam denegamus rationem habitûs, de cujus ratione eſt effectivè concurrere ad actum; ergo ſine temeritate ſalvare non poſſumus prædictam definitionem, denegando lumini concurſum effectivum ad Viſionem. 124.

Inſtabis: Elevatio intellectus, quam prædicta definitio tribuit lumini, optimè intelligitur abſque illius concurſu effectivo; ſiquidem ſi intellectus habeat 125.

habeat se merè passivè, adhuc nihilominùs per lumen elevabitur ad visionem ; & tamen in eo eventu lumen nihil producet, sicut neque intellectus ; ergo &c. Respondeo negando antecedens : licet enim elevatio ad videndum Deum salvari possit, abstrahendo à definitione Clement. cit. & supponendo, quod intellectus habeat se merè passivè ; non ita tamen post prædictam definitionem ; siquidem cùm hæc introducat lumen tanquam habitum, prout supra diximus, consequenter explicat elevationem intellectûs per concursum connaturalem talis habitûs ; habitus autem concurrit ad actum effectivè.

126. Objicies 2. De ratione actûs vitalis, quà talis est, est produci à principio essentialiter vitali, & in eodem immediatè recipi ; sed lumen gloriæ, neque est principium vitale, neque immediatè recipit in se Visionem Beatam, ut supra diximus ; ergo non est principium illius productivum. Respondeo distinguendo majorem : est produci à principio adæquatè vitali, & in eodem adæquatè recipi ; nego majorem : à principio saltem inadæquatè vitali, & in eodem recipi ; concedo majorem : ut autem visio sit actus vitalis satis est, quod ab intellectu ut à principio essentialiter vitali, & in eodem recipiatur immediatè. Patet in actibus vitalibus naturalibus, qui tales sunt ; & tamen non recipiuntur, neque in habitibus naturalibus, neque in speciebus impressis ad eos effectivè concurrentibus, sed in solis potentiis.

127. Objicies 3. Si lumen gloriæ effectivè concurreret ad Visionem Beatam, aliquid ei ut causæ responderet in ipsa visione, seu effectu producto ; sed nihil omninò ei correspondet ; siquidem ratio adæquata visionis respondet potentiæ ; ratio autem talis visionis respondet speciei intelligibili, seu Essentiæ divinæ loco illius concurrenti ; ergo &c. Respondeo negando minorem ; lumini enim gloriæ simul & potentiæ respondet ratio visionis supernaturalis, & beatificæ quoad ea quæ postulat ex parte potentiæ, licet nulla peculiaris ratio competat, & correspondeat lumini absque potentia. Nisi velis dicere non improbabiliter, ei correspondere rationem, seu prædicatum supernaturalitatis.

128. Difficultas 2. Utrùm lumen gloriæ in intellectu Beati sit ei totalis, & adæquata ratio influendi in Visionem Beatam ? Negativè. Ita *Ita D. Thom. 1. p. q. 12. art. 5. corpor. & ad 1. & in 3. dist. 14. q. unica, art. 1. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 5. d. 1. §. Quidquid autem, & art. 6. d. 2. §. Ex his duabus. P. Vasq. 1. p. d. 43. cap. 4. num. 11. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 10. num. 14. & tom. 3. de grat. lib. 6. cap. 5. P. Herice tract. 4. d. 45. cap. 3. n. 53. P. Valent. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 5. sect. 5. n. 37. P. Gil. tr. 5. cap. 11. n. 4. & 5. P. Albertin. q. 1. Theolog. ex prim. princip. dub. 3. nu. 19. P. Præposit. 1. p. quæst. 12. art. 5. dub. 1. num. 32. P. Arrub. 1. part. d. 19. cap. 5. num. 23.* & alii.

129. Probatur primò, quia virtus influendi in visionem Dei essentialiter involvit posse producere rationem vitalitatis, quæ datur in ipso actu videndi Deum ; sed hujusmodi potestas non reperitur in lumine gloriæ ; siquidem hoc non est principium vitale, sed sola potentia ; ergo lumen gloriæ non est tota ratio intellectui influendi in Visionem Beatam.

130. Probatur secundò, quia Concilia, ut Trid. *Sess. 6. can. 5. & can. 40.* & Sancti Patres, ut D. Aug. *lib. 2. de Peccator. merit. cap. 5.* & in Psal. 78. ad illa verba : *Adjuva nos Deus salutaris noster*, sæpè asserunt adjuvari nos gratiâ ad actus supernaturales meritorios vitæ æternæ, sive ad operandum sicut oportet ad salutem ; ergo supponunt dari in nobis virtutem aliquam, saltem incompletam ad tales actus eliciendos, ut constat ex D. Aug. primo loco cit. ibi : *Adjutor enim Deus noster dicitur, nec adjuvari potest, nisi qui aliquid sponte conatur.* Et secundo loco cit. ibi : *Qui enim adjuvatur, etiam per se ipsum aliquid agit.*

131. Probatur tertiò, quia si tota vis influendi esset ab habitu supernaturali luminis gloriæ, hoc idem militaret in quocumque alio habitu per se infuso, cùm non detur dispar ratio ; sed hoc de habitibus per se infusis voluntati dici nequit ; alioqui quando peccator ante primam justificationem elicit actus supernaturales, quibus disponitur ad primam gratiam sine habitibus per se infusis, non posset denominari eliciens tales actus ; siquidem non haberet in se principium elicitivum illorum etiam incompletum ; ac proindè solus Deus peculiari auxilio ei in actu primo assistens prædictam denominationem subiret, quod non est dicendum ; ergo neque illud, ex quo sequitur.

132. Probatur quartò, quia si tota vis influendi proveniret ex solo lumine gloriæ, sequeretur, quod si lumen gloriæ à Deo infunderetur oculo, voluntati, aut cuilibet alteri potentiæ improportionatæ (quod fieri non repugnat, ut alibi diximus) illam redderet ex parte potentiæ proportionatam ad videndum Deum ; siquidem cùm lumen esset tota ratio videndi Deum, nullam aliam virtutem, aut proportionem requireret ex parte potentiæ ad illum effectum producendum ; sed hoc non est dicendum ; ergo neque illud ex quo sequitur.

133. Probatur quintò cum P. Arriaga *d. 7. sect. 2. n. 13.* quia si habitus charitatis v. g. (ex hoc enim benè procedit argumentum ad habitum luminis gloriæ, de quo est eadem ratio,) esset tota ratio agendi, & anima solùm conservaret hunc habitum, sequeretur nullo modo esse liberam, dignam laude, aut vituperio propter bonum, aut malum opus ; siquidem nec in potestate ejus esset frænare, aut impellere habitum, sed habitus ille charitatis totum quasi ex proprio libitu faceret ; sicque non esset culpabilis, aut laudabilis ; sed hoc non est admittendum ; ergo neque illud ex quo sequitur.

134. Oppositum tenent *Ledesm. de Divin. perfect. d. 8. art. 8. §. Dico 4. Sot. in 4. dist. 49. q. 3. art. 2. Cabrer. 9. p. q. 9. a. 2. d. 4. §. 4. & d. 9. §. 5. Navarret. tom. 1. controv. 37. §. 4. & 6. & controv. 41, Pesant. 1. p. q. 12. art. 6. d. 2. Notabil. 3. & conclus. 2.* pro quibus : Argues 1. Ita se habent lumen gloriæ, & potentia per ordinem ad Visionem Beatam, sicut se habent potentia, & ejus virtus per ordinem ad objectum ; sed virtus potentiæ est ei tota ratio tendendi in objectum ; ergo etiam lumen erit ei tota ratio tendendi in visionem. Respondeo majorem ita esse distinguendam, ut dicamus, potentiam intellectivam, & lumen ita se habere, sicut quælibet potentia, & ejus virtus partialis supernaturalis, non autem totalis & supernaturalis, & naturalis, nam lumen gloriæ est ejus virtus influendi partialis supernaturalis, quæ in ipsa potentia supponit aliam partialem naturalem, quæ non est ab ipso lumine.

135. Argues 2. Si lumen gloriæ non esset intellectui tota ratio influendi in visionem, illud, & intellectus in ipsam visionem influerent tanquam duæ causæ partiales ; siquidem ab utroque applicaretur partialis virtus ; sed hoc dici non potest ; siquidem causæ partiales ita immediatè concurrunt ad esse-

effectum, ut neutra alteri subordinetur, neque ab ea virtutem, aut perfectionem accipiat, & utraque denominetur ab eodem effectu, ut patet in duobus luminosis producentibus eandem lucem; & in duobus trahentibus idem pondus; intellectus autem subordinatur lumini, ab eo virtutem, & perfectionem accipit, & solus ille, non verò lumen, denominatur videns Deum; ergo non sunt causæ partiales visionis.

136. Respondeo cum *P. Molin. cit. art. 5. d. 1. §. At dices. P. Soar. tom. 1. in 3. p. d. 31. sect. 6.* & aliis, negando minorem, ad cujus probationem dicimus, conditiones illas ad rationem causæ partialis petitas solùm requiri, quando causæ partiales fuerint ejusdem rationis, ut sunt in exemplis adductis; non autem diversæ rationis, ut sunt lumen gloriæ, & intellectus. Patet, quia species objecti, & intellectus sunt causæ partiales respectu cognitionis juxta *Scot. in 1. dist. 3 q. 7. §. Ad quæstionem*, quem sequuntur Scotistæ ibid. *Caiet. hic q. 12. art. 2. ad 3.* & alios; & tamen intellectus ab specie ut instrumento sui objecti accipit ultimum complementum in ratione principii adæquati cognitionis; eidem subordinatur ut primo moventi, & solus ipse, non verò species denominatur intelligens ab intellectione; sicque de aliis exemplis.

137. Argues 3. Si intellectus etiam esset causa influens in visionem Beatam, sequeretur, quod duo intellectus prædíti æquali lumine, inæquales verò in virtute nativa, is melius Deum videret, qui perfectior esset in virtute sua; sed hoc videtur absurdum, ergo & illud, ex quo sequitur. Respondeo negando sequelam; omnes enim intellectus, etiam diversæ speciei, in ratione potentiæ obedientialis, vel etiam naturalis incompletæ, & elevatæ æqualiter se habent. Hæc interim, de hoc enim argumento infra specialem quæstionem instituemus. Vide P. Arriaga proximè *num. 22.* ubi de illo latiùs.

138. Argues 4. Vitalitas visionis est etiam supernaturalis; ergo debet etiam fieri à lumine gloriæ; ergo solùm illud concurrit, & non intellectus, qui nihil ibi producit. Confirmatur, quia visio non est composita ex vitalitate naturali, & ex supernaturalitate ut ex prædicatis in re diversis, sed tota est vitalis supernaturalis; ergo nihil est in ea, quod attingatur immediatè ab intellectu, ratione cujus ipse intellectus dici possit causa influens in illam.

139. Respondeo cum P. Arriaga cit. *num. 21.* & ad argumentum, & ad illius confirmationem, vitalitatem quidem esse realiter supernaturalem, & supernaturalitatem esse vitalem, ideoque illam realiter & à lumine, & ab intellectu procedere, ratione tamen nostra ibi esse compositionem, & unam formalitatem quasi ab uno, & alteram ab altero procedere quoad nos, utramque tamen ab utroque in re, in quo nulla est repugnantia. Additur, argumentum posse ita contra Thomistas retorqueri. Supernaturalitas est vitalis; ergo debet prodire ab intellectu; siquidem lumen non est principium vitale, ut ipsi fatentur; ergo lumen non influit; sicut ipsi è contra inferebant, intellectum non influere, quia vitalitas erat supernaturalis, qualis non erat intellectus.

SECTIO VII.

Vtrùm intellectus concurrat ad Visionem Beatam ut causa principalis: an instrumentalis?

DIFFICULTAS 1. Utrùm intellectus Beati illustratus lumine gloriæ concurrat ad Visionem Beatam ut causa principalis: an ut instrumentalis? Prima sententia asserit, concurrere ut causam principalem. Ita *Bannez 1. p. q. 12. art. 5. dub. 1. 2. & 3. Zumel. ibid. d. 2. & 1. 2. tom. 2. q. 109. art. 1. d. 1. Concluſ. 2. & art. 4. ad 2. Ledesm. de divin. perfect. q. 8. art. 8. Concluſ. 1. Ripa 1. p. q. 12. art. 5. dub. 1. cap. 1. propoſit. 2. Navarret. controv. 39 §. 1. P. Sal. 1, 2. tract. 2. d. 5. ſect. 5. à n. 74. P. Vaſq. 1. p. d. 176. Cabrer. 3. p. q. 8. art. 2. d. 11. §. 3. Concluſ. 1. P. Anton. Perez. Certamin. 6. Scholaſt. cap. 4.* & alii apud citatos, quorum fundamenta infra proponemus. 140.

Secunda sententia media distinguit inter intellectum informatum lumine gloriæ, & intellectum concurrentem ad Visionem Beatam per auxilium Dei extrinsecè adjuvantis, & in primo sensu concedit intellectui rationem causæ principalis respectu Visionis Beatæ: in secundo autem sensu dicit esse purum instrumentum. Ita quidam, quos tacitis nominibus referunt Bannez proximè §. *Tertia sententia. P. Soar. tom. 1. in 3. p. d. 31. sect. 6.* in solutione quarti argumenti, *& tom. 3. de grat. lib. 6. cap. 6.* agendo de actibus supernaturalibus in communi. Quoad primam partem probanda erat fundamentis primæ sententiæ infra ponendis: quoad secundam verò probanda erit fundamentis tertiæ sententiæ, de qua jam dicimus. 141.

Tertia sententia, quam sequimur, tenet, Deum esse causam principalem Visionis Beatæ, intellectum verò, seu creaturam Deum videntem, esse illius causam instrumentalem, idque sive intellectus operetur mediante lumine gloriæ in se recepto, sive per auxilium dumtaxat extrinsecum Dei. Ita *P. Soar. tom. 1. in 3. p. d. 31. sect. 5. & lib. 2. de Attrib. cap. 10. n. 14. & tom. 3. de grat. cap. 6. à n. 6. & cap. 7. à n. 1. & lib. 3. de Auxil. cap. 15. n. 20. & in Met. d. 30. sect. 11. n. 46. P. Vaſq. 1. p. d. 46. & 1. 2. d. 22. cap. 2. n. 10. & 11. Medin. 1. 2 q. 3. art. 2. dub. 1. ad. 7. Ægid. Luſit. tom. 2. d. 26. q. 2. art. 3. §. Ad quod. Palat. in 4. dist. 49. d. 1. Paludan. in 4. dist. 49. q. 1. n. 42. P. Faſol. 1 p. q. 12. art. 5. dub. 7.* & alii apud *P. Gil. tom. 2. tr. 5. cap. 10. n. 3.* 142.

Probatur primò, quia illa solùm potentia est causa principalis sui actus, quæ ad illum concurrit per virtutem adæquatam sibi connaturalem, & non aliundè communicatam, & emendicatam; sed intellectus creatus non ita concurrit ad visionem Dei; concurrit enim per virtutem principalem, nempè lumen gloriæ, sive auxilium, aliundè emendicatam, nempè à Deo, qui est causa principalis talis virtutis; ergo solus Deus, & non intellectus erit causa principalis respectu visionis productæ. 143.

Confirmatur exèplis, quia aqua v. g. non concurrit ad calefaciendum principaliter, sed instrumentaliter, quia licet sit substantia, ad illam tamen actionem non concurrit per virtutem sibi propriam, sed alienam, & ab igne desumptam, qui est illius causa principalis. Similiter instrumenta artificis, non principaliter, sed instrumentaliter concurrunt ad actiones, quia præcipuam concurrendi virtutem 144.

participant extrinsecùs ab artifice principaliter operante; ergo etiam intellectus erit solùm causa instrumentalis Visionis Beatæ, quatenùs eam producit per virtutem infusam à Deo principaliter operante.

145. Probatur secundò à posteriori, quia si homo, aut creatura aliqua concurreret aliquo modo ad Visionem Beatam ut causa principalis illius, posset etiam aliquo modo dici, se beatificare, glorificare, &c. sed hujusmodi actiones, sive denominationes in solum Deum cadunt, ut supra diximus; ergo &c.

146. Probatur tertiò ex Sacra Pagina 1. Cor. 15. *Plus omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum.* Et ad Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei*: in primo enim loco D. Paul. principalem efficientiam tribuit gratiæ; se autem agnoscit ut gratiæ instrumentum. In secundo autem loco, significat, justos ita opera salutis agere, ut non nisi per specialem elevationem Spiritus Sancti, & tanquam illius instrumenta se moveant, & operentur; ergo eodem modo se habebit intellectus noster ad visionem Dei eliciendam, cùm sit eadem ratio, ut ex supra dictis constat. Pro prima sententia.

147. Argues 1. Potentiæ naturales creatæ concurrunt ut causæ principales ad actus supernaturales virtutum per se infusarum, ut in Matetia de gratia probari solet; ergo etiam intellectus creatus ut causa principalis concurret ad actum supernaturalem Visionis Beatæ, cùm sit eadem ratio. Respondeo negando antecedens: oppositum enim ut probabilius defenditur in Materia de gratia, ut patet ex P. Soar. loco cit.

148. Instabis: Instrumentalis efficientia non sufficit ut actus sint vitales, voluntarii, liberi, ac meritorii; siquidem actio ut sit vitalis debet esse à principio intrinseco ut tali, sicque influente per virtutem innatam, quæ sola est intrinseca: Ut sit voluntaria debet esse à principio intrinseco, quo operans se moveat; instrumentalis autem non sic est à principio intrinseco: Ut sit libera requirit intrinsecam potestatem agendi, & non agendi, quod repugnat instrumento: & ut sit meritoria requirit causalitatem moralem; ergo ut actus talis sit non sufficit sola efficientia instrumentalis; consequenterque voluntas non concurrit ad suos actus supernaturales ut instrumentum, sed ut causa principalis; idemque dicendum de intellectu, cùm sit eadem ratio. Respondeo cum *P. Soar. cit. cap. 7. n. 9.* antecedens ad plurimum esse verum de instrumento puro, non autem de instrumento, quod licet tale sit, agit per virtutem sibi intrinsecam, & innatam, ut agit voluntas, quæ licet à Deo principaliter moveatur, ita tamen movetur, & producit suum actum, ut habeat virtutem, saltem inchoatam ad illum producendum, per illumque verè, & propriè vivat, & habeat potentiam intrinsecam ad agendum, & non agendum, quod satis est ad rationem vitalitatis, voluntarii, liberi, ac meritorii: aliter verò se res habet in instrumentis puris, & non vitalibus, in quibus tota ratio influendi est à principali agente, ut ex Philosophia satis constat.

149. Argues 2. Intellectus producit Visionem Beatam per virtutem sibi innatam, & naturalem, ut ex proximè dictis de voluntate constat, & ex inferiùs dicendis de ipso intellectu constabit; ergo non illam producit ut instrumentum; siquidem de ratione instrumenti est concurrere per virtutem alienam, & emendicatam ab agente principali. Respondeo negando consequentiam, ad cujus probationem dicimus esse veram de instrumento puro, non autem vitali, qualis est intellectus, aut quævis alia potentia ad suos actus supernaturales, quæ licet habeat ad illos virtutem connaturalem, non desinit habere rationem instrumenti, quatenùs præcipuam virtutem influendi accipit à Deo causâ principali, mediante lumine, sive auxilio supernaturali.

Argues 3. Effectus numquam est proportionatus instrumento, sed agenti principali, ut facta inductione constat; atqui Visio Beata est proportionata intellectui creato; siquidem cùm sit vitalis, illum necessariò vivificat, quod non efficeret, si ei proportionata non foret; ideo enim non vivificat voluntatem, aut potentiam sensitivam, quia cum illis proportionem non habet; ergo intellectus est illius causa principalis, non verò instrumentalis. Respondeo majorem esse veram de instrumento puro, & non vitali; non autem de vitali, qualis est intellectus respectu visionis, quam vitaliter producit, ideòque ei proportionata est, & per illam vivit. 150.

Argues 4. Visio beata est connaturalis conjuncto ex intellectu & lumine gloriæ, ut infra dicemus; & quia cognitiones sunt connaturales suis potentiis in suo genere completis, & adæquatis, sive tales constituantur per principia naturalia, sive per supernaturalia; sed ab intellectu, saltem de lege ordinariâ, non producitur, nisi ut informatus est tali lumine; ergo producitur ab intellectu, ut à principio connaturali; consequenterque principali, & non instrumentali. 151.

Respondeo negando consequentiam: neque enim sequitur, producitur visio ab intellectu, & lumine ut à principio connaturali; ergo ut à principali; siquidem productio ignis v.g. aggeneratio, nutritio, & similes actiones naturales vitales, & nō vitales, connaturaliter fiunt à calore, à semine, cæterisque dispositionibus, non ita tamen principaliter; plura enim instrumenta agentium sunt eis connaturalia, & effectibus causarum principalium, quin eos principaliter causent; sic igitur erit intellectus perfusus lumine gloriæ respectu Visionis beatæ. 152.

Argues 5. & efficaciùs: Si intellectus creatus non esset causa principalis Visionis beatæ, solus Deus denominaretur videns se ipsum per intellectum, quo ut instrumento utitur ad producendam visionem beatam; siquidem causa principalis magis propriè denominatur à sua actione; sed hoc est apertè falsum; siquidem solus Beatus denominatur videns Deum; ergo intellectus, non ut instrumentum, sed ut causa principalis concurrit ad Visionem beatam. 153.

Respondeo negando majorem, ad cujus probationem dicimus, solùm esse veram, quando actio de se non involvit habitudinem, aut rationem aliquam, quæ soli instrumento, non autem causæ principali competat, ut accidit in præsenti; nam videre Deum Visione beata, cùm sit actus vitalis, de se involvit receptionem in principio vitali, illud vivificando; hæc autem denominatio Deo non competit, ideoque talis actio illum non denominat, licet sit illius causa principalis, sed solùm denominat instrumentum, qualis est creatura. Patet, quia Deus de facto est causa principalis in singulis productionibus creaturarum; & tamen à pluribus non denominatur; neque enim dicitur videre, generare, &c. sed hæc solis competunt creaturis. Et è contra, creatura non dicitur se beatificare, glorificare, præmiare, &c. quia hujusmodi denominationes soli Deo competunt ob specialem habitu- 154.

habitudinem, quam habent ad solum Deum, prout supra diximus.

155. Argues 6. Si intellectus solùm esset instrumentum respectu visionis Beatæ, sequeretur, non aliter esse illius causam, quàm Sacramenta sunt causa gratiæ; siquidem hæc etiã instrumentaliter gratiam efficiunt; sed hoc est falsum; alioqui sicut sacramenta tanquam quid inanime gratiam efficiunt, ita & intellectus visionem efficeret; ergo &c. Respondeo cum *P. Soar. lib. 6. de grat. cap. 7. num. 16.* negando sequelam; licet enim conveniant in communi ratione instrumenti agentis divini per potentiam obedientialem; in modo autem plurimum differunt; siquidem Sacramentum concurrit ut instrumentum inanime, & influens actione transeunte, quod ita movetur, ut ipsum non se moveat, neque habeat potestatem, aut influxum in suam actionem: at verò intellectus ita assumitur, ut sit verum principium vitale, & vitali modo operetur, licet elevetur ad operandum supra ordinem naturalem, in quo solùm convenit cum Sacramentis.

156. Difficultas 2. Utrùm Visio Beata, saltem quoad productionem connaturalis sit conjuncto ex intellectu, & lumine gloriæ, sive intellectui perfuso lumine gloriæ? Affirmativè. Ita *Capreol. Soncin. Caiet. 1. p. q. 12. art. 5, ad 2. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 14. Bannez 1. p. q. 12. art. 5. dub. 2. ad 3. Zumel. q. 1. ad 2. & d. 2. ad ult. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 17. n. 4. P. Vasq. 1. p. d. 44. cap. 2. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 5. ad 3. Scoti. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 5. sect. 3. n. 6. Trigos. 1. p. q. 7. art. 1. dub. 5. P. Fasol. 1. p. q. 12. a. 5. dub. 11.* & alii. Probatur, quia ut aliquis effectus sit connaturalis alicui principio, satis est, quod in eo ut principio detur adæquata virtus, & proportionata respectu talis effectus; sed hæc reperitur in conjuncto ex intellectu, & lumine gloriæ respectu Visionis Beatæ, ut patet ex supra dictis; ergo &c.

157. Confirmatur, quia licet Visio Beata non sit effectus adæquatus respectu solius luminis gloriæ, neque proportionatus respectu solius intellectûs, respectu tamen utriusque simul est effectus, & adæquatus, & proportionatus; ergo & connaturalis; sic enim calefactio licet non sit effectus naturalis, imò præternaturalis, seu potius contra naturam respectu aquæ, est tamen naturalis respectu aquæ calidæ.

158. Dices 1. cum *Medin. 1. 2. q. 5. a. 5. ad 6. Sot. in 4. dist. 49. q. 2. a. 4. Pesant. art 5. hic, P. Gil. tom. 2. tract. 5. cap. 10. num. 8.* & aliis. Effectus alicui principio connaturalis supponit in eo virtutem connaturalem completam ad illius productionem; sed hæc non reperitur in tali principio Visionis Beatæ; neque enim reperitur in solo intellectu, neque in solo lumine, ut patet ex supra dictis; neque etiam in utroque simul, alioqui jam visio non esset actus supernaturalis simpliciter, etiam quoad productionem, utpotè connaturalis, & debita; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, licet vis adæquata, & proportionata non reperiatur in solo lumine, aut in solo intellectu, satis esse, quod reperiatur, ut reperitur in utroque simul, de quo excitatur difficultas, & non de singulis seorsim; neque ex hoc sequitur, visionem non esse supernaturalem simpliciter; siquidem talis dicitur facta comparatione cum solo intellectu, non autem cum toto illo conflato.

159. Dices 2. Intellectus, & lumen habent rationem instrumenti respectu Visionis Beatæ, non autem causæ principalis, qualis est solus Deus; sed effectus nequit esse connaturalis instrumento; alioqui jam hoc non esset tale, sed causa principalis; siquidem cùm proportio sequatur connaturalitatem, jam esset proportionatum; consequenterque causa principalis potius, quàm instrumentum; ergo &c.

160. Respondeo negando minorem, & ejus probationem, etiam dato, quod intellectus cum lumine esset purum instrumentum; siquidem ad rationem causæ principalis non satis est quælibet proportio quoad entitatem, sed necessaria est proportio quoad virtutem productivam propriam. Patet, quia calor, cæteræque dispositiones, & potentiæ naturales habẽt proportionem cum suis effectibus naturalibus substantialibus; & tamen dici nequeunt eorum causæ principales, quia talis proportio solùm est quoad entitates naturales, non verò quoad virtutem productivam, utpotè quos producũt, non virtute propria, sed agentium principalium, in quo est ratio instrumenti quà talis; ergo similiter de intellectu, & lumine respectu Visionis Beatæ. Undè effectus potest esse connaturalis tùm instrumento, tùm causæ principali, diverso tamen modo, nempè instrumento quoad virtutem participatam, & causæ principali quoad virtutem propriam.

161. Dices 3. Lumen gloriæ est intellectui omninò supernaturale; ergo etiam visio quæ à lumine elicitur; siquidem quando alicui supernaturalis, & indebitus est actus primus, quale est lumen, etiam ei supernaturalis, & indebitus esse debet actus secundus, qualis est visio. Respondeo negando consequentiam; disparitas est, quia ante lumen nihil est in intellectu, quod cõnaturaliter exigat concursum illius ad productionem visionis, quod tamen aliter est posito lumine, ratione cujus, & simul cum illo manet jam principium connaturale, non principale, sed instrumentale respectu visionis, ut patet ex dictis.

162. Difficultas 3. Utrùm lumen gloriæ possit esse connaturale alicui substantiæ reali? Dico 1. Nulla substantia realis est possibilis, cui sit connaturale lumen gloriæ. Ita *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 9. P. Vasq. 1. p. d. 45. cap. 1. P. Sal. 1. 2. d. 3. tract. 2. sect. 2. à n. 10. P. Herice tract. 4. d. 48. cap. 4.* & alii, quos supra citavimus *d. 1. n. 143.* & citat, non tamen sequitur *P. Ripal. lib. 1. de Ent. supernat. d. 23. sect. 1. num. 1.* Probatur, quia si lumen gloriæ foret connaturale alicui substantiæ reali creatæ, hæc videret Deum naturaliter; sed impossibilis est substantia realis creata, cui connaturalis sit visio intuitiva Dei, ut supra diximus loco proximè citato; ergo &c.

163. Dico 2. Admissâ etiam substantiâ reali creatâ, quæ Deum naturaliter videret, adhuc ei connaturale non foret lumen gloriæ, neque alius habitus, aut actus supernaturalis ex iis, qui de facto dantur. Ita *P. Herice tract. 4. d. 48. cap. 1. num. 2.* licet subdubitet *P. Ripal. cit. n. 30.* Probatur, quia lumen gloriæ, & reliqui habitus supernaturales, qui de facto dantur, dicunt essentialem ordinem ad substantiam naturalem, quam elevant ad ordinem superiorem, & supernaturalem; sed substantia, quæ Deum naturaliter videret, elevari non posset, neque respectum illum terminare, cum jam esset in ordine supernaturali, in quo elevatione non indigeret ad videndum Deum; ergo ei non essent connaturales tales habitus.

164. Dico 3. Impossibilis est substantia, cui connaturalis sit cognitio intuitiva alicujus entis supernaturalis creati. Ita communiter omnes, qui negant sub-

substantiam supernaturalem realem, & expresè *P. Recupit.* 1. *p. lib. 6. q. 5.* licet oppositum tanquam probabile teneat P. Ripal. cit. Probatur, quia talis substantia posset etiam Deum naturaliter videre; siquidem eadem de Deo est ratio, atque de reliquis entibus supernaturalibus, cùm sint etiam ordinis divini; sed impossibilis est substantia, quæ Deum possit naturaliter videre, ut diximus; ergo &c. Hinc colliges, etiam dari non posse lumen gloriæ connaturale alicui substantiæ, per quod connaturaliter videat ens supernaturale creatum.

SECTIO VIII.

Vtrùm intellectus creatus concurrat ad Visionem Beatam per virtutem sibi innatam naturalem: an merè obedientialem?

165. SUppono ut certum cum P. Soar. & aliis Doctoribus infra citandis intellectum creatum Visionem Dei attingere per virtutem sibi innatam; siquidem cùm lumen gloriæ non sit illi tota ratio tendendi in objectum beatificum, ut supra diximus *n.128.* debemus necessariò fateri, dari in eodem intellectu virtutem aliquam innatam, per quam Visionem ipsam beatificam producat. Solùm igitur quæstio est, (de quâ inter Recentiores non parva est controversia:) Utrùm hæc nostri intellectûs virtus innata dicenda sit merè obedientialis: an verò naturalis, saltem inchoata, & incompleta? Pro quo:

166. Resolutio sit: Virtus innata intellectûs creati ad videndum Deum non est merè obedientialis, sed connaturalis, saltem inchoata, & incompleta. Ita *D. Thom. in 4. dist. 49. q. 1. a. 2. quæstiunc. 2. ad. 2. & lib. 3. contr. gent. cap. 53. in 4. ration. & 1. part. q. 12. a. 5. & alibi. Richard. in 4. dist. 49. a. 2. ad 3. Major q. 10. ad 7. Cajet. 3. p. q. 10. a. 4. ad 2. P. Valent. tom. 1. q. 12. pun. 4. §. ult. & tom. 2. d. 1. q. 5. pun. 3. §. Quæ doctrina. P. Molin. 1. p. q. 12. a. 6. d. 2. Bannez a. 5. dub. 2. ad 1. Pesant. d. 1. ad 1. Ledesma de divin. perfect. d. 8. a. 7. conclus. 2. Ægid. Lusit. tom. 2. lib. 10. q. 3. a. 4. §. 2. P. Vasq. 1. p. d. 43. à num. 11. P. Albertin. tom. 1. princip. 1. corol. 2. n. 11. P. Tanner. d. 2. q. 6. dub. 4. n. 5.* & alii apud illos.

167. Probatur primò, quia Deus clarè visus continetur intra objectum adæquatum, & specificativum intellectûs creati, ut supra diximus *d. 1. àn. 5.* ergo intellectus creatus habet potentiam connaturalem, & non merè obedientialem ad illum clarè videndum. Probatur consequentia: Primò, quia omnis potentia essentialiter ordinatur, & respicit objectum à quo specificatur; specificatio autè, seu proportio essentialis, est naturalis, non solùm ad objectum, qualis est Deus, sed etiam ad actum, quo mediante tèdit in objectum, qualis est Visio beata. Secundò, quia potentia intellectiva creata habet proportionem objectivam cum Deo clarè viso; proportio autem objectiva essentialis est, & naturalis, & non merè obedientialis; ergo &c.

168. Probatur secundò, quia intellectus creatus ita respicit Visionem beatam, ut per illam activè, verè, & propriè vivat; sed non posset per illam sic vivere, nisi haberet cum illa proportionem naturalem, ut per se patet; ergo &c. Confirmatur, quia lapis, lignum, potentia sensitiva, etiam creabilis, aut volitiva ideò elevari nequeunt ad producendam vitaliter Visionem Dei, quia per illam vivere non possunt, quæ est ratio à priori talis impotentiæ; sed ideò non possunt per illam vivere, quia cum illa non habent proportionem connaturalem, licet habeant obedientialem, quæ tamen satis non est ad vivificandam potentiam, ut patet; ergo cùm intellectus creatus per Visionem beatam vivificetur, cum illâ habet potentiam sive proportionem connaturalem, & non solùm merè obedientialem; alioqui à lapide & ligno non distingueretur in illius productione.

169. Probatur tertiò, quia effectus merè obedientialiter producti non habent essentialem dependentiâ à suo principio, si solùm accipiantur secundùm rationem dependentiæ obedientialis præcisè, ut patet in gratiâ, & quovis alio effectu supernaturali non vitali, nullus enim sic essentialiter dependet ab instrumento, quo mediante à Deo producitur; sed Visio beata essentialiter pendet ab intellectu creato quoad productionem vitalem, de qua solùm est sermo; ergo ad illam supponitur in intellectu virtus aliqua naturalis, & non solùm merè obedientialis.

170. Confirmatur primò, quia potentia obedientialis ex se non est magis determinata ad unum, quàm ad omnes alios effectus, ut videre est apud P. Soar. locis infra citandis; siquidem cùm illa fundetur in sola subordinatione creaturæ ad Omnipotentiam divinam, de se non respicit hunc potiùs quàm alios effectus; sed potentia innata intellectûs creati magis respicit Visionem beatam, quàm cæteros effectus; nemo enim negare poterit intellectum creatum magis inclinari ad Deum clarè videndum, quàm ad producendam instrumentaliter gratiam; ergo ad videndum Deum habet virtutem, non merè obedientialem, sed naturalem, saltem inchoatam, & incompletam.

171. Confirmatur secundò, quia ex eodem P. Soar. potentia obedientialis non convenit rei, cujus est potentia, essentialiter, sed tantùm concomitanter; sed potentia intellectûs creati ad producendam Visionem beatam ei convenit essentialiter; siquidē progreditur ex principiis potentiæ vitalis intellectivæ quà talis; ergo &c.

172. Confirmatur tertiò, quia accidens naturale (idem est de phantasmate expresso materiali respectu speciei intelligibilis spiritualis,) licet de se sit improportionatum ad producendam substantiam virtute propriâ, habet tamen capacitatem naturalem, ut illam producat tanquam instrumentum elevatum ab alia substantia, quæ sit causa principalis; ergo etiam intellectus creatus, licet de se sit improportionatus ad producendā Visionem beatam virtute propriâ, habebit tamen virtutem, seu capacitatem naturalem ad illam producendam, saltem ut instrumentum elevatum à Deo causâ principali.

173. Oppositum tenent *Cabrer. tom. 1. in 3. part. q. 9. a. 2. d. 4. §. 2. conclus. 2. n. 58. Navarret. tom. 1. controv. 37. §. 4. conclus. 8. P. Soar. in Met. d. 30. sect. 11. n. 46. & tom. 1. in 3. p. d. 22. sect. 1. §. Dicet fortasse, & latiùs d. 31. sect. 6. & lib. 3. de Auxil. cap. 15. n. 20. & tom. 3. de grat. lib. 6. cap. 6. n. 10. & 1. 2. q. 5. art. 2.* quem postea sequuti sunt aliqui Recentiores, qui omnes asserunt, virtutem innatam intellectus creati ad videndum Deum esse merè obedientialem, & nullatenùs naturalem, si naturale aliquid addat supra id, quod est esse innatum, & non aliundè emendicatum.

174. Fundantur 1. Potentiæ naturali activæ respondet natura-

naturalis passiva, teste Philosopho *lib. 9. Met.* sed in intellectu creato non datur potentia naturalis passiva ad recipiendam Visionem Beatam; siquidem illam recipit per potentiam, seu capacitatem obedientialem; ergo per hanc, non autem per naturalem illam producit. Respondeo data majori, negando minorem, nam in intellectu creato, prout supra diximus *d. 1. à n. 120.* datur potentia naturalis passiva ad recipiendam Visionem Beatam, quæ potentia sive sit incompleta, sive completa, quod fortè probabilius est, satis probat, dari de facto in intellectu creato potentiam activam naturalem, saltem incompletam, contra id, quod argumentum intendebat.

175. Fundantur 2. Nulla potentia, etiam de potentia Dei absoluta, excedit sphæram suæ capacitatis; alioqui mutaretur ejus essentia, quod est impossibile; sed res supernaturalis, qualis est Visio Beata, est extra sphæram intellectûs creati; alioqui naturale, & supernaturale ut sic essent sibi adæquata, & proportionata, quod non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando minorem; cùm enim Deus clarè visus contineatur intra objectum adæquatum, & specificativum intellectûs creati, licet objectum supernaturale sit, nunquam verum est dicere, quod Visio Beata sit extra illius objectum; siquidem idem est esse aliquid intra objectum specificativum alicujus potentiæ, atque contineri intra sphæram virtutis talis potentiæ, saltem supernaturaliter elevatæ, & sic continetur Visio Beata intra sphæram intellectûs creati. Neque ex hoc sequitur, naturale, & supernaturale esse sibi invicem proportionata proportione naturali, nisi solùm inchoatâ, & incompletâ, quod intendimus.

176. Fundantur 3. Si intellectus creatus per virtutem sibi naturalē concurreret ad Visionem Beatam, sequeretur, hanc esse mixtam ex naturali, & supernaturali; siquidem effectus debet proportionari suo principio; hoc autem esset naturale ex parte intellectûs, & supernaturale ex parte luminis; atqui sequela non est admittenda; ergo neque illud, ex quo sequitur. Respondeo negando sequelam; quando enim principium alicujus actûs est simpliciter supernaturale, talis est etiam actus ab illo productus; cùm autem principium Visionis Beatæ, quale est lumen, vel auxilium simul cum intellectu, sit simpliciter supernaturale; siquidem de illo conjuncto verum est dicere, quod simpliciter non contineatur intra virtutem causarum naturalium, quod satis est, ut rectè dici queat simpliciter supernaturale, etiam simpliciter supernaturalis dicitur Visio Beata. Patet, quia quando concurrunt duæ præmissæ, quarum altera sit supernaturalis, conclusio dicitur supernaturalis simpliciter, quia procedit, tùm à præmissa supernaturali, tùm à lumine, vel auxilio in intellectu existente, quæ faciunt principium simpliciter supernaturale, utpotè quod intra virtutem causarum naturalium non continetur; ergo similiter de Visione Beata.

177. Fundantur 4. Si intellectus virtute suâ naturali attingeret Visionem Beatam, sequeretur, esse illius causam principalem; siquidem quando virtus productiva est naturalis respectu effectûs, simul etiam est propria causæ, & proportionata, in quo consistit ratio causæ principalis; sed hoc est contra superiùs dicta; ergo &c. Respondeo negando sequelam, ad cujus probationem dicimus, ad rationem causæ principalis in aliquo genere requiri virtutem naturalem adæquatam, & completam in tali genere: at verò virtus intellectus, licet sit aliquo modo naturalis, est in ratione potentiæ incompleta, ut supra diximus, ideoque nequit esse causa principalis.

178. Fundantur 5. In nostro intellectu non datur potentia naturalis ad producendam gratiam, & cæteros habitus supernaturales; ergo neque ad producendam Visionem Beatam, cùm sit perfectior, & illorum finis. Respondeo negando antecedens; ad cæteros enim actus supernaturales vitales datur in potentiis vitalibus virtus naturalis inchoata, & incompleta ob easdem rationes, quibus id probavimus de intellectu.

179. Fundantur 6. Implicat contradictionem dari in eadem potentia respectu ejusdem effectûs virtutem, sive potentiam, quæ simul sit naturalis, & obedientialis; sed potentia, quam habet intellectus ad videndum Deum, est obedientialis; siquidem non potest ferri in Deum, nisi prout subordinatur Omnipotentiæ Divinæ supernaturaliter concurrenti per lumen gloriæ, sive per auxilium; ergo impossibile est quod sit naturalis. Respondeo distinguendo majorem: quæ simul sit naturalis, & obedientialis simpliciter; cōcedo majorem: quæ sit obedientialis simpliciter, & naturalis secundùm quid; nego majorem: talis autem est potentia intellectûs ad videndum Deum; est enim naturalis secundùm quid, quia inchoata, & incōpleta: obedientialis verò simpliciter, quia posse simpliciter ferri ad videndum Deum, participat absolutè, & obedientialiter per subordinationem ad Omnipotentiam divinam.

180. Fundantur 7. Si intellectus virtute sua naturali concurreret ad Visionem Beatam, sequeretur, qui acutiorem mentis aciem haberet cum æquali lumine gloriæ, sive auxilio, Deum clariùs, & perfectiùs intueri; sed hoc non est admittendum, ut ex infra dicendis constabit; ergo &c. Respondeo negando sequelam; nam cùm intellectus principalem virtutem influendi in visionem intuitivam Dei accipiat à lumine, vel auxilio, & absque illo sit insufficiens in ratione potentiæ ad illam eliciendam, intensio, seu claritas ipsius visionis regulari debet, non per illius virtutem, sed per virtutem, & intensionem luminis gloriæ, sive auxilii, quæ dant simpliciter posse illam producere.

181. Fundantur 8. Si intellectus haberet hujusmodi potentiam naturalem ad Visionem Beatam eliciendam, sequeretur, ipsum esse propriis viribus naturalibus propensum ad videndum Deum, possēque ipsum Deum ut sic intueri; sed hoc videtur sapere Pelagianismum; etiam si potentia illa sit inchoata, & incompleta, ut rectè notat *P. Fonf. lib. 9. Met. cap. 1. q. 4. sect. 3. §. Præterea*; ergo &c. Respondeo concedendo sequelam, si sermo sit de propensione, & potentiâ inchoatâ & incompletâ ad videndum Deum. Neque hoc Pelagianismum sapit ullo modo, ut inter alios admittunt *P. Soar. tom. 1. in 3. part. sect. 6. cit. & P. Vasq. 1. p. d. 176. cap. 5. n. 29.* Quemadmodum Pelagianismum non sonat admittere appetitum naturalem ad Beatitudinem supernaturalem, quem tamen in materia de Beatitudine admittunt plures Theologi.

182. Et hujus ratio est, quia nos admittimus potentiam naturalem ad videndum Deum ita imperfectam, ut nullatenùs ad actum reduci queat per agens naturale ut sic, sed per supernaturale simpliciter, qui est Deus, quod longè abest à sententia Pelagii. Undè in nostra sententia verum est dicere, posse intellectum creatum videre Deum per suam virtutem naturalem, non simpliciter, & absolutè, sed per virtutem innatam naturalem elevatam: sicut dicimus, phantasma corporeum

producere speciem, aut cognitionem spiritualem per virtutem innatam naturalem: & accidens corporeum vitale, aut non vitale attingere productionem substantiæ per virtutem etiam innatam naturalem, sed elevatam.

183. Fundantur 6. & efficaciùs: Si in intellectu daretur hujusmodi facultas, sive potentia naturalis incompleta ad videndum Deum, pertineret ad ipsum Deum, ut Authorem naturæ illam complere ad effectum producendum, conferendo intellectui lumen, aut complementum aliud similiter connaturale, ut effectum produceret: sicut ad Providentiam Dei, ut est Author naturæ, spectat infundere animam rationalem in materia dispositа supplendo naturalem defectum agentis naturalis, à quo dispositа est: & similiter ad eundem spectaret, ut Authorem naturæ præparare comprincipium naturale ex parte objecti ad videndum Deum, dato, quod ex parte intellectûs creati daretur facultas naturalis completa in ratione potentiæ ad illum effectum, ut supra diximus; sed complementum illud à Deo, ut Authore naturæ conferri non potest, ut est manifestum; ergo &c.

184. Respondeo negando majorem: nam ad Deum ut Authorem naturæ solùm spectat complere causam, aut comprincipium, quando hoc in sua ratione ita perfectum est, ut in suo saltem genere dici possit causa naturalis, saltem partialis simpliciter: at verò intellectus creatus respectu Visionis Beatæ non est in ratione potentiæ causa, etiam partialis perfecta simpliciter; siquidem in ratione illa habet quidem potentiam naturalem, sed inchoatam, & incompletam; sicque dicitur causa naturalis secundùm quid Visionis Beatæ, utpotè qui potiùs est instrumentum quoddam, ut supra diximus: Cùm autem agens naturale disponens materiam sit causa adæquata, & completa, non solùm producendo dispositiones in materia, sed etiam effectivè attingendo unionem, prout diximus in Physica, ideò ad Deum ut Authorem naturæ spectat animam rationalem infundere in materiam sic dispositam. Hæc doctrinæ, & novitatis gratiâ diximus, nè eadem repetere cogeremur; oppositam enim sententiam jam alibi defendimus in Logica *tract. 6. d. 4. à n. 146.* quæ ibi videri potest, & hîc apponenda, seu potius transcribenda erat. Plura alia fundamenta à P. Soar. cit. aliisque Recentioribus adduci solent contra præcedentem sententiam, quæ tamen cùm nihilo plus habeant difficultatis, & efficaciæ, & facilè ex hactenùs dictis solvi possunt, ideò omittenda censuimus.

SECTIO IX.

Virùm intellectus creatus elevari possit ad Deum videndum absque lumine gloriæ?

185. HÆc præsens quæstio, quæ hîc specialiter excitari solet de intellectu creato in ordine ad Visionem Beatam, in terminis magis communibus etiam alibi excitatur, eamque excitavimus in Phys. *tract. 2. d. 6. n. 113.* ubi inquisivimus: An potentia obedientialis se sola absque auxilio Dei intrinseco, & cum solo extrinseco possit efficere actus supernaturales? Et affirmativè resolvimus. De hoc etiam Dei concursu in ordine ad Notitiam, sive cognitionem supernaturalem, tam immediato, quàm mediante aliquo auxilio, sive intrinseco, sive extrinsecò multa jam diximus in Logica *tract. 6. d. 4. à num. 154.* ex quibus locis satis constare poterat, quid in præsenti à nobis dicendum erat. Nè tamen quæstionem in hac Materia adeò præcipuam omittamus, illamque aliundè emendicare cogatur Lector, quid in illa à nobis hîc, & ex alibi jam dictis tenendum sit jam dicimus: Igitur:

Conclusio sit: Intellectus creatus potest divinitùs elevari ad videndum Deum clarè absque lumine gloriæ habituali, aut qualitate aliqua supernaturali intrinsecè inhærente, & per solum concursum Dei extrinsecè adjuvantis. Est, non solùm probabilior, sed mihi omninò certa. Ita *Scot. in 3. dist. 13. q. 4. §. Ad quartam, & dist. 14. q. 2. §. In prima. Palat. in 4. dist. 49. d. 1. art. 2. Durand. ibid. propos. 7. Baccon. q. 1. Prolog. art. 3. §. Sequitur ergo. Aureol. Zabarel. Gabr. Argentin. in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. Concluf. 1. Bassol. in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 1. §. Neutram. Victoria 1. p. q. 12. art. 4. Zumel. ibid. d. 2. Concluf. 3. D. Antonin. 3. p. tit. 30. cap. 4. §. 1. Major. in 4. dist. 49. q. 4. §. Contra istam. Aragon. 2. 2. q. 23. art. 2. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 5. d. 1. §. Contraria tamen. P. Valent. tom. 1. d. 1. q. 12. punct. 3. §. Nec tamen. P. Vasq. 1. p. d. 46. cap. 2. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 16. num. 5. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 5. sect. 4. à n. 66. P. Albertin. q. 1. Theolog. corol. 1. P. Gil. tom. 2. tract. 5. cap. 5. à n. 14. P. Arrub. d. 20. cap. 3. n. 9. P. Fasol. 1. p. q. 12. art. 5. dub. 12. P. Arriaga tom. 1. in 1. p. d. 7. sect. 5. n. 11. P. Herice tract. 4. d. 47. cap. 2. n. 8. P. Præpos. 1. p. q. 12. art. 5. dub. 2. P. Tanner. d. 2. q. 6. dub. 3. num. 12. P. Amicus tom. 1. d. 9. n. 246. P. Compton. tom. 1. d. 14. sect. 3. n. 3. P. Alarcon. tract. 1. d. 3. sect. 4. P. Marat. 1. p. q. 12. d. 12. P. Granad. hic d. 6. sect. 4. n. 19.* estque nostrorum Scriptorum communi calculo confirmata sententia, ut ait *P. Herice cit.* & magis consentanea menti D. Thom. ut benè ostendit *P. Arrub. cit.* qui ex *Durand. cit.* addit hoc docuisse D. Thom. *in 4. dist. 49.* ut statim videbimus. 186.

Probatur primò ex D. Thom *quæst. 10. de verit. art. 11.* ubi loquens de Omnipotentia Divina, concedit, quod Deus *sicut Petrum fecit super aquas ambulare sine hoc, quod ei dotem agilitatis tribueret, ita potest mentem ad hoc perducere, ut Divinæ Essentiæ uniatur in statu viæ modo illo, quo unitur sibi in patria sine hoc, quod à lumine gloriæ perfundatur.* Idem expressè affirmat *in 4. dist. 49. q. 2. art. 7.* ubi: *Potest miraculosè fieri, quod divina virtute aliquis intellectus non habens, nisi dispositiones viæ, elevetur ad videndum Deum per Essentiam*: quo nihil expressius dici potest. Et propter hunc locum censet *Durand. in 4. dist. 49. q. 2. num. 23.* Sanctum Doctorem tenuisse hanc sententiam dicens: *De possibili tenet Frater Thomas lib. 4. dist. 49. quod Beata visio potest communicari homini existenti in puris dispositionibus viæ, & ita non habenti lumen gloriæ.* Idem in simili habet *2. 2. quæst. 23. art. 2. & quæst. 175. art. 3. ad 2.* 187.

Probatur secundò à priori, quia Deus se solo, & virtute suâ infinitâ potest efficere quidquid efficit, mediante causâ secundâ finitæ virtutis, nisi aliundè sequatur inconveniens; sed mediante lumine gloriæ finitæ virtutis elevat de facto intellectum creatum ad videndum Deum; ergo idem poterit efficere se solo, cùm indè nullum sequatur inconveniens, ut ex solutione argumentorum patebit. 188.

Probatur tertiò: ideò Deus peculiari, & majori suo concursu non posset supplere concursum luminis gloriæ, quia Visio Beata ab illo dependeret essentia- 189.

essentialiter; sed talis dependentia fictitia est; siquidem actus vitalis, qualis est Visio Beata, solùm pendet essentialiter à principio vitali, quale non est lumen gloriæ, sed sola potentia; ergo &c.

190. Probatur quartò, quia non minùs potens est Deus ad concurrendum effectivè cum nostro intellectu ex parte objecti, quàm ad præstandum concursum effectivum ex parte potentiæ, sed ex parte objecti potest se ipso immediatè concurrere, imò ita de facto concurrit effectivè supplendo concursum speciei impressæ, ut supra diximus; ergo etiam ex parte potentiæ poterit se ipso concurrere supplendo concursum effectivum luminis gloriæ, cùm non detur major ratio.

191. Probatur quintò à simili, quia Deus potest se solo, & per auxilium, seu concursum suum in actu primo efficere erga actus supernaturales elicitos in via id, quod efficit mediis habitibus supernaturalibus; ergo etiam poterit se solo, & per auxilium suum extrinsecum erga Visionem Beatam elicitam in patria efficere quidquid efficit medio lumine gloriæ.

192. Probatur antecedens, consequentia enim colligit à paritate rationis, quia adultus infidelis disponitur ad primam justificationem per actus supernaturales fidei, spei, & contritionis priùs tempore, quàm ei infundantur habitus fidei, & spei, & priùs saltem naturâ, quàm ei infundatur habitus charitatis, ut constat ex Trid. *Sess. 6. cap. 7.* definiente, habitus fidei, spei, & charitatis infundi in prima justificatione hominis adulti; hanc autem necessariò antecedit dispositio per actus supernaturales proximè dictos; ergo prædicti actus ab homine eliciuntur absque habitibus supernaturalibus, & per solum auxilium, seu concursum Dei extrinsecè adjuvantis; ergo similiter elici poterit à Beato Visio Dei per solum ejus auxilium extrinsecè assistentis.

193. Oppositum tenent communiter Thomistæ *Ferrar. 3. contr. gent. cap. 54. & ad 4. Scoti. Capreol. in 4. dist. 49. art. 3. ad 4. Durand. Soncin. q. 4. Conclus. 2. ad 3. Aureol. Sot. q. 2. art. 4. §. Cajetanus quidem. Sylvest. in Constat. ad 1. p. q. 12. art. 5. Cajet. hìc art. 5. ad 3. Durandi, & ad 2. Scoti, Bannez hic art. 5. dub. 3. Ripa. art. 1. dub. 1. cap. 1. conclus. 2. Navarret. controv. 39. Ledesma. de Divin. perfect. d. 8. art. 8. conclus. 2. Cabrer. 3. p. q. 9. art. 2. d. 11.* & alii: pro quibus:

194. Argues 1. D. Thom. *q. 2. de Verit. art. 2. & q. 8. art. 3. ad 4.* ibi: *Per lumen gloriæ fit, ut intellectus uniatur divinæ Essentiæ, sicut formæ intelligibili, quod aliter fieri non potest.* Idem dicit *q. 10. art. 11.* Et *2. 2. q. 175. art. 3. ad 2.* ibi: *Divina Essentia videri ab intellectu creato non potest, nisi per lumen gloriæ*; ergo ex mente D. Thom. videtur affirmandum, non posse Deum videri absque lumine gloriæ, etiam de potentia absoluta ipsius Dei. Respondeo D. Thom. locis hìc citatis locutum fuisse de potentiâ Dei, non absolutâ, sed ordinariâ, ut constat ex locis à nobis supra citatis *n. 187.* in quibus nobiscum consentit; neque enim fas est dicere pugnantia tenuisse.

195. Argues 2. Impossibile est, intellectum ferri in objectum, quin priùs constituatur in actu ad illius cognitionem; sed intellectus nequit sic constitui in actu ad videndum Deum absque lumine gloriæ; siquidem intellectus non fit in actu ad videndum Deum, nisi quando fit proportionatus; hoc autem habet per solum lumen gloriæ, aut qualitatem aliam supernaturalem; ergo &c. Respondeo negando minorem; ad cujus probationem dicimus, veram esse, si loquamur de potentia Dei ordinaria, non verò de absoluta; sic enim proportionari potest ad videndum Deum per auxilium Dei extrinsecè adjuvantis.

Instabis: Intellectus creatus, neque divinitùs ferri 196.
potest in objectum naturale absq; lumine naturali, & potentiâ, seu virtute similiter inditâ à natura; ergo neq; ferri poterit in Deum clarè visũ absq; potentia, seu virtute supernaturali; hæc autem tota est à lumine gloriæ, à quo tota virtus videndi Deum intellectui communicatur; ergo &c. Respondeo negando minorem; neque enim virtus intellectûs à solo lumine est, sed etiam ab intellectu, prout supra dictum est: quæ autem à lumine præstatur benè potest accommodatè suppleri per solum auxilium Dei extrinsecum, ut probavimus.

Urgebis: Potentia non fit potens ad actum cog- 197.
noscendi, nisi per virtutem, quam in se habet; sic enim paries non fit albus, nisi per albedinem sibi inhærentem; sed si non informetur lumine gloriæ, aut qualitate aliqua supernaturali, non habebit in se virtutem influendi in actum; ergo sine illis non erit potens ad videndum Deum. Respondeo potentiam non posse quidem fieri potentem ad actum per virtutem, quam nullo modo in se habet, posse tamen per virtutem, quæ licet non sit ei intrinsecè inhærens, est tamen intima, & maximè præsens, qualiter se habet Essentia divina modo peculiari; & supernaturali concurrens cum intellectu Beati.

Argues 3. Intellectus non potest exire in actum 198.
secundum, quin priùs constituatur in actu primo; hic enim ab illo supponitur; sed non potest sic constitui in actu primo nisi per formam sibi intrinsecè inhærentem, qualis est solum lumen, aut qualitas aliqua supernaturalis; sic enim constituuntur omnes aliæ potentiæ cognoscentes, sive sensitivæ, sive intellectivæ, utpotè quæ constituuntur in actu primo per species emissas ab objectis, & in se receptas potius, quàm per ipsa objecta immediatè; ergo &c.

Resp. negando minorem; neque enim repugnat, 199.
potentiam in ratione potentiæ constitui in actu primo, seu compleri per formam extrinsecè assistentem, saltem de potentia absoluta; sicut de facto constituitur in actu primo ex parte objecti, non per speciem impressam intrinsecè inhærentem, sed per ipsam Dei Essentiam extrinsecè assistentem. Undè ad insinuatam probationem concedimus, omnes potentias cognoscitivas, saltem naturæ corporeæ, constitui de facto in actu primo per species emissas ab objectis, ex quo nihil concluditur contra nos; siquidem illud complementum solùm est ex parte objecti; non autem ex parte potentiæ, de quo est sermo.

Accedit, quia complementum ex parte objecti 200.
potest, imò de facto fit per ipsummet objectum, ut patet, quando Angelus, & anima separata se cognoscunt; ergo etiam complementum ex parte potentiæ poterit fieri per aliquid extrinsecè assistens. Undè prædicta probatio potest sic in Adversarios retorqueri. Potentia ex parte objecti potest, imò de facto constituitur in actu primo per formam extrinsecè assistentem; ergo etiam ei non repugnabit sic constitui in ratione potentiæ, saltem de potentia absoluta.

Instabis: Assistentia Dei extrinsecè adjuvantis 201.
nihil antecedenter ponit in intellectu præter habitudinem quandam ad Deum in ratione principii supernaturalis extrinseci concurrentem; sed hujusmodi

hujusmodi habitudo non habet vim constituendi intellectum in actu primo; ergo &c. Respondeo verum quidem esse, habitudinem illam, sive relationem ad Deum extrinsecè adjuvantem non constituere potentiam in actu primo; per illam tamen à nobis intelligi virtutem divinam applicatam in actu primo ad concurrendum cum intellectu supplendo defectum luminis gloriæ. Undè solùm constituitur potentia in actu primo per subordinationem ad assistentiam Dei parati in tali tempore, & talibus circumstantiis concurrere majori auxilio cum nostro intellectu: & hoc modo dicitur elevari in actu primo; intelligitur autem de facto ita elevari per habitudinem illam jam explicatam.

202. Urgebis: Ad hoc, ut dicamus, Deum in hoc potius determinato instanti, quàm in alio antecedente, concurrere cum intellectu Petri v. g. in actu primo ad sui Visionem, debet in intellectu ipsius Petri dari aliquid antecedens de novo ad eliciendam visionem, quod antea non dabatur, per quod dicatur constitui in actu primo; sed hoc antecedens non est assistentia Dei intima, & extrinseca; siquidem hæc, non de novo, sed ab æterno dabatur, non solùm respectu intellectûs Petri, sed omnium creaturarum; ergo necessarium erit lumen gloriæ, aut qualitas alia supernaturalis.

203. Respondeo ad hoc, ut intelligamus, Deum in hoc potius instanti elevare intellectum in actu primo, quàm in alio antecedente, aut subsequente, non esse necessariam entitatem aliquam potentiæ superadditam, eique intrinsecam antecedenter ad actum eliciendum, ut argumentum intendit, sed satis esse divinum Decretum de concurrendo cum tali potentia in tali instanti determinato, & in talibus circumstantiis; adveniente enim tali tempore, & circumstantiis, per applicationem Omnipotentiæ Divinæ infallibiliter exit potentia in suum actum secundum, quod est signum, ipsam supponi constitutam in actu primo per subordinationem ad prædictum Decretum.

204. Argues 4. Productio Visionis Beatæ supponit Essentiam Dei intellectui creato unitam in ratione formæ intelligibilis, aut per se ipsam immediatè; aut per speciem sui impressam, ut est aliquorum sententia probabilis; sed Essentia Divina sive per se immediatè, sive mediante specie, non potest sic uniri intellectui nisi disposito, & proportionato; non autem disponitur, neque proportionatur, nisi per lumen gloriæ, aut per qualitatem intrinsecè inhærentem; ergo &c. Respondeo negando minorem, quoad secundam partem: Unio enim Essentiæ cum intellectu creato, quocumque modo ei uniatur, illum sufficienter dispositum, & proportionatum invenit per solum auxilium Dei extrinsecè applicatum, prout jam diximus.

205. Argues 5. Visio Beata, cùm sit essentialiter actus vitalis supernaturalis, necessariò supponit principium vitale supernaturale; sed hoc est ipse intellectus simul cum lumine gloriæ, aut qualitate supernaturali intrinsecè inhærente, ut ratione intellectûs sit vitalis, ratione autem luminis sit supernaturalis; ergo &c. Respondeo negando minorem; potentia enim sufficienter constituitur in ratione principii vitalis supernaturalis per supernaturalem elevationem in actu primo, quæ æquè fieri potest per assistentiam Dei concurrentis in ratione potentiæ, atque per lumen gloriæ intrinsecè inhærens: sicut elevatio ex parte objecti optimè fit per Essentiam extrinsecè assistentem, cùm tamen fieri possit per se loquendo per speciem impressam intrinsecè inhærentem, prout supra, & jam alibi diximus.

Argues 6. Non potest Deus se solo efficere, ut homo mereatur præmium, aut laudem per actionem à solo Deo elicitam; ergo licet possit se solo efficere Visionem Beatam absque lumine gloriæ, non tamen poterit prout sic præstare, ut homo per illam dicatur Deum videre. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in primo eventu homo per actionem à solo Deo egressam nihil operatur, ideoque nihil meretur: at verò quando Deus hominem juvaret per auxilium extrinsecum absque lumine gloriæ ad sui visionem, adhuc intellectus ipsius hominis illam produceret, & ad illam vitaliter concurreret, ut supponimus, sicque per illam diceretur Deum videre. Si tamen à solo Deo egrederetur, ipso intellectu non concurrente (in quo sensu non procedit quæstio,) tunc non diceretur homo videns Deum, prout supra, & alibi jam diximus. 205.

Argues 7. Nostra anima, ut est valdè probabilis Philosophorum sententia, immediatè cum intellectu influit in quamcumq; intellectionem; & tamen Deus non potest concursum intellectûs ita supplere, ut anima influat, ipso intellectu non influente; ergo neque sic poterit efficere, ut intellectus influat in Visionem Beatam, lumine non influente. Respondeo data majori, & minori, contrarium enim diximus in Logica *tr. 5. d. 1. an. 101.* negando consequentiam; diversa ratio est, quia anima, & intellectus, prout sic sunt duo principia vitalia subordinata essentialiter, quæ unum totale constituunt respectu ejusdem actûs vitalis; Deus autem non potest supplere concursum aliquem vitalem vitaliter, ut patet ex alibi dictis: potest tamen supplere effectivum non vitale, qualiter concurrit lumen gloriæ ad Visionem Beatam. 207.

Argues 8. Facta suppositione, quod lumen gloriæ poneretur intimè indistans ab intellectu, illi tamen non inhæreret, sed existeret per se, non posset prout sic elevare intellectum ad productionem Visionis Beatæ; ergo neque sic poterit elevare Omnipotentia extrinsecùs assistens. Respondeo primò cum P. Ripal. *lib. 2. d. 34. sect. 3. n. 21. & 22.* negando antecedens: nam accidentia Eucharistica connaturaliter operantur, licet sint extra subjectum. Item habitus fidei, quin inhæreat in speciebus naturalibus, illas elevat, ut concurrant ad actum fidei. 208.

Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia Omnipotentia Divina, cùm sit substantia per se existens, non requiritur, ut inhæreat ad præstandum aliquem effectum: maximè tamen requiritur in accidente, quale est lumen gloriæ, quod ut accidens postulat inhærere subjecto, ut in illo præstet suum effectum. Neque exempla adducta à P. Ripal. aliquid conficiunt; siquidem accidentia Eucharistica nullum effectum formalem præstant in subjecto extra quod sunt: habitus verò fidei, licet elevet species extrinsecè, inhæret tamen suo subjecto proportionato. 209.

Argues 9. Aqua, neque divinitùs potest calefacere sine calore sibi intrinsecè inhærente; ergo neque intellectus producere Visionem Dei sine principio intrinsecè illum complente in ratione potentiæ producentis. Respondeo negando antecedens: licet enim non sic possit naturaliter calefacere, cùm totam activitatem prout sic ad calefaciendum habeat à calore: potest tamen divinitùs 210.

calefa-

calefacere non per calorem sibi inhærentem, sed per potentiam obedientialem completam ad calefaciendum per Omnipotentiam assistentem, & elevantem, ex quo potius confirmatur, quàm infirmatur præsens doctrina.

211. Argues 10. Intellectus constitutus in actu primo ad videndum Deum subit realem quandam denominationem, quam antea non habebat, nempè potentis Deum videre; sed talis denominatio nequit intelligi per solam applicationem Omnipotentiæ ad intellectum; siquidem per illam non fit in intellectu nova aliqua mutatio; ergo ad hanc requiritur qualitas aliqua in intellectu intrinsecè recepta. Respondeo negando minorem; nam aqua baptismalis à non potente redditur absolutè potens in actu primo producere gratiam per solam assistentiam Omnipotentiæ extrinsecè elevantis, quin ad talem denominationem detur aliqua realis mutatio.

212. Instabis: Omni decreto Dei libero debet respondere *ad extra* aliqua mutatio physica; sed Visio Beata supponit in Deo decretum de addendo complemento intellectui ad illius productionem; ergo tale complementum fiet per aliquid intrinsecum, per quod in ipso intellectu fiat talis mutatio. Respondeo negando majorem, ut patet in ipsa aqua baptismali, quæ antecedenter ad productionem gratiæ nullam subit realem mutationem ex vi decreti.

213. Quæres tamen hîc: Utrùm prædicta elevatio ex parte potentiæ connaturaliùs fiat per lumen gloriæ, aut qualitatem intrinsecè inhærentem, quàm per auxilium extrinsecè applicatum? Affirmativè. Patet ex supra, & alibi jam dictis, & ita fieri de facto dicimus, concurrente Deo de potentia ordinaria, quod non obest, quominùs aliter fieri possit de potentia absoluta, de qua solùm procedit quæstio.

DISPUTATIO IV.

De multiplici perfectione Visionis Beatæ.

SECTIO I.

De perfectione Visionis Beatæ, prout est apprehensiva Dei.

1. SUppono cum *P. Molin. 1. p. q. 12. art. 8. d. 6. dub. 2. Zumel. ibid. art. 7. q. 2. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 1. n. 3. & 6.* & aliis communiter, Visioni Beatæ creatæ, verè, & propriè competere rationem apprehensionis intellectivæ, sive talis ratio à ratione judicii re ipsa distincta sit, sive solùm virtute, de quo infrà. Probatur primò, quia Visioni Beatæ verè, & propriè convenit ratio notitiæ facialis, seu intuitivæ divinitatis, ut patet ex supra dictis; sed intuitio per se formaliter reperitur in sola apprehensione, ut ex veriori sententia suppono; ergo &c.

2. Probatur secundò, quia Visio Beata est verum, & proprium judicium eorum, quæ videntur in Deo, prout infrà latiùs explicabimus; sed judicium involvit, aut certè præsupponit apprehensionem; ergo &c. Hoc supposito.

3. Difficultas 1. Utrùm Visio Beata sit cognitio definitiva, & quidditativa Dei? Affirmativè. Ita *D. Thom. q. 8. de Verit. art. 1. ad 8. & in 4. dist. 49. q. 2. art. 3. ad 5. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 56. § Ad ult. Abul. in Matth. 5. q. 22.* & omnes asserentes videri à Beatis quid sit Deus, ut *Henric. in sum. art. 24. q. 1. Hervæ. quodlib. 6. q. 3. P. Soar. in Met. d. 30. sect. 12. n. 4. & lib. 2. de Attrib. cap. 18. n. 4. & tom. 1. in 3. p. d. 27. sect. 5. §. Primus modus. P. Vasq. 1. p. d. 134. cap. 3. n. 6. & 7. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 7. conclus. 2.* & alii apud illos.

4. Probatur primò, quia cognitio quidditativa, & definitiva alicujus objecti, ut ex dictis in Philosophia patet, est illa, quæ attingit omnia prædicata essentialia talis objecti; sed Visio Beata attingit omnia prædicata essentialia Dei; siquidem Beati vident Deum sicuti Deus est in sua Essentia; ergo talis visio est quidditativa, & definitiva ipsius Dei.

5. Probatur secundò, ideò Visio Beata non esset definitiva, & quidditativa Dei, quia sequeretur, talem visionem esse etiam comprehensivam Dei; sed non ita esset; siquidem cognitio quidditativa, & comprehensiva (ut alibi diximus) in eo distinguuntur, quod hæc adæquetur objecto, illud percipiendo distinctè, quantùm ex se cognoscibile est, usque ad ultimam differentiam; illa verò solùm clarè attingat illius quidditatem, & partes essentiales, licet non omnes omninò distinguat; qualis est cognitio hominis per animal rationale, quæ est illius quidditativa, licet per illam non percipiantur distinctè in homine omnes illius gradus essentiales intermedii; ergo cùm per Visionem Beatam attingantur in Deo omnes illius perfectiones essentiales, non tamen omnes omninò distinguantur, indè est, quod talis cognitio sit quidditativa, non verò comprehensiva Dei.

6. Confirmatur primò, quia probabile est, non solùm Angelos, sed etiam nos in hac vita, posse naturaliter cognoscere aliquo modo, quid sit Deus, sive quidditatem Dei, ut probat *P. Soar. in Met. d. 30. sect. 12. n. 6.* & tamen per nullam virtutem possumus Deum comprehendere; ergo stare potest cognitio quidditativa Dei, quin sit illius comprehensiva. Secundò, quia plures Theologi apud *P. Soar. lib. 2. de Angel. cap. 17.* opinantur, dari de facto in Angelis speciem quidditativam Dei; & tamen nullus est, qui eis cõcedat speciem illius comprehensivam ergo &c. Tertiò, quia plures Theologi censent, posse dari, saltem divinitùs, cognitionem quidditativam abstractivam Dei, de qua nos jam in Logica *tr. 6. d. 3. à n. 154.* quæ tamen non sit comprehensiva; ergo similiter dari poterit quidditativa intuitiva, quæ etiam non sit comprehensiva, qualis est Visio Beata.

7. Oppositum tenent aliqui cum *D. Thom. q. 7. de potent. art. 3. ad 5. D. Bonav. in 3. dist. 14. art. 1. q. 3. Alens. 1. p. q. 7. memb. 1. ad 1.* & aliis apud *P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 7.* pro quibus. Objicies 1. Plures Patres apud *P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 4. num. 4.* negant videri à Beatis quid sit Deus; ergo eisdem negant Visionem Dei quidditativam. Respondeo Sanctos Patres, sicut & D. Thom. proximè cit. locutos fuisse de cognitione quidditativa rigorosa, prout coincidit cum comprehensiva, qualis non est Visio Beatorum, ut diximus.

8. Objicies 2. Cognitio definitiva, seu quidditativa ex Scot. *in 1. dist. 28. q. unica. § ad primum principale*, est notitia distincta definiti secundùm omnes

ejus partes essentiales usque ad ultimam differentiam, aut quasi differentiam; sed per Visionem Beatam non attinguntur omnes omninò perfectiones tam primariæ, quàm secundariæ Deitatis; alioqui comprehenderetur Deus, quod est impossibile; ergo &c. Respondeo definitionem hanc ex Scoto desumptam accommodandam esse cognitioni Dei comprehensivæ potius, quàm quidditativæ, ut patet ex dictis.

9. Difficultas 2. Utrùm Visio Beata prout terminatur ad creaturas in Verbo sit earum quidditativa: an verò comprehensiva? Respondeo, non repugnare respectu quarumdam esse comprehensivam, & respectu aliarum esse quidditativam. Probatur, quia quasdam attingit quantùm ex se cognoscibiles sunt: alias verò attingere potest solùm secundùm sua prædicata essentialia non illa omnia distinguendo, sed per modum unius; sed hæc est ratio cognitionis quidditativæ, illa verò comprehensivæ; ergo &c.

10. Dices: Cognitio comprehensiva, utpotè perfectissima, debet attingere rem immediatè in se ipsa, imò & intuitivè, si res ita valeat attingi; sed Visio Beata, prout est cognitio creaturarum in Deo, est abstractiva, ut infrà videbimus; ergo nullius potest esse comprehensiva. Respondeo admittendo majorem de cognitione naturali; negando tamen de supernaturali, qualis est Visio Beata, qua Beatus perfectiùs, & clariùs res creatas percipit in Deo eas perfectissimè continente, quàm illas naturaliter cognoscat in suo proprio genere.

11. Difficultas 3. Utrùm Visio Beata sit cognitio intuitiva tantùm: an tantùm abstractiva: vel intuitiva simul, & abstractiva? Advertes, quæstionem posse procedere de Visione Beata, prout solùm terminatur ad objectum primarium, qualis est Deus secundùm omnia, quæ formaliter continet: aut prout solùm terminatur ad objectum secundarium, quales sunt creaturæ: aut denique prout ad utrumque simul terminatur. Hoc posito.

12. Dico 1. Visio Beata, prout terminatur ad solum Deum objectum primarium, est solùm cognitio intuitiva. Probatur primò, quia de fide est, Visionem Beatam esse notitiam Dei facialem, ut constat ex 1. Cor. 13. aliisque locis Sacræ Paginæ supra relatis, *d. 1. sect. 1. n. 6.* sed hujusmodi notitia, nemine dissentiente, est intuitiva; ergo &c. Secundò, quia omnia in Deo formaliter contenta æquè visibilia sunt, æquè existentia, ac præsentia intellectui illustrato lumine gloriæ; neque unum est ratio, ut aliud à Beato cernatur, ut ex supra dictis satis liquet; ergo omnia intuitivè cognoscuntur per Visionem Beatam.

13. Dico 2. Visio Beata, prout terminatur ad objectum secundarium, nempè ad creaturas possibiles, futuras, & existentes, semper est abstractiva. Ita omnes Philosophi, & Theologi notitiam intuitivam definientes Cognitionem rei in se ipsa, & non in alio priùs cognito, de qua definitione jam nos in Logica, & specialiter tenent *Greg. in 1. dist. 3. q. 3. art. 1. & 3. conclus. 7. Hispal. in 2. dist. 7. q. 2. art. 3. notab. 2.* estque indubitata apud Recentiores. Probatur unico illo fundamento, quia nihil cognitum in alio priùs cognito, & ex illius cognitione intuitivè cognoscitur, sed tantùm abstractivè; atqui creaturæ videntur in Deo priùs cognito, & ex illius cognitione attinguntur per Visionem Beatam; ergo &c.

14. Objicies 1. pro Alphons. de Toledo, *q. 1. Prolog. art. 1. 2. p. art.* asserente, prædictam visionem, neque intuitivam, neque abstractivam esse: Creaturæ prout sic videntur in Deo; ergo non intuitivè; siquidem ratio notitiæ intuitivæ semper est cognitio rei in se. Deindè, licet creaturæ cognoscantur in Deo, tanquam in medio cognoscendi, non tamen in illo cognoscuntur, tanquam in medio creato, quod requiritur ad rationem notitiæ abstractivæ; ergo non ita abstractivè cognoscuntur. Respondeo talem notitiam esse quidem abstractivam; falsò enim supponitur ad notitiam abstractivam requiri medium creatum; sive enim sit creatum, sive increatum, semper notitia ex illo habita est abstractiva, cùm sit ex alio, & non rei in se ipsa, quod requiritur ad rationem notitiæ intuitivæ.

15. Objicies 2. pro Mayron. *in Prolog. q. 17. art. 1. ad 4. & art. 2. difficult. 4.* existimante prædictam visionem respectu omnium creaturarum esse solùm intuitivam. Rationes notitiæ intuitivæ, & abstractivæ sunt adeò oppositæ, ut confluere nequeant in unam, eandemque numero notitiam; sicut ratio rationalis, & irrationalis uniri nequeunt in eadem specie; ergo prædicta notitia solùm sumet speciem ab objecto primario, quod in se immediatè attingit, eritque solùm intuitiva. Respondeo non repugnare, rationes disparatas, imò & oppositas notitiæ intuitivæ, & abstractivæ uniri in una, eâdemque notitia materiali respectu diversorum objectorum, imò & ejusdem objecti materialis, ut latè ostendimus in Log. *tract. 6. d. 3. à n. 43.* siquidem non uniuntur formaliter secundùm suas rationes specificas adæquatas, sed inadæquatas: sicut in eadem specie, sive cognitione naturali Angeli cognoscentis causam simul & effectum in causa uniuntur: imò in eâdem Cognitione Divina, quæ cùm simplicissima sit, in se ipsa, non solùm eminenter, sed etiam formaliter continet rationes oppositas notitiæ intuitivæ simul, & abstractivæ; speculativæ, & practicæ.

16. Objicies 3. pro P. Gil. *tom. 2. tr. 8. cap. 3. n. 5.* opinante, prædictam visionem esse intuitivam, prout terminatur ad creaturas existentes: abstractivam verò prout tendit ad creaturas possibiles: D. Aug. *lib. 2. gen. ad litter. cap. 8.* aliisque in locis dicit, Sanctos Angelos clariùs, & perfectiùs videre creaturas in Verbo, quàm in se ipsis; hoc autem verum esse nequit, nisi existimarit, illas intuitivè videri in Verbo; ergo &c.

17. Respondeo D. Aug. loco cit. & sæpè alibi, solùm intendere, Angelos certiùs, & evidentiùs cognoscere creaturas in Verbo, quàm in se ipsis, sive per cognitionem intuitivam in proprio genere; siquidem huic subesse potest falsitas, & deceptio; non ita tamen cognitioni habitæ in Verbo. Confirmatur, hanc fuisse mentem D. August. ex *lib. 83. quæst. q. 26.* ubi de cognitione creaturarum: *Omnia*, inquit, *quæ facta sunt in ipso, & vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in se ipsis vita non sunt; ac per hoc plus videntur ab Angelis in Verbo Dei, ubi sunt vita, quàm in se ipsis.* Et *lib. 11. de Civit. cap. 9.* Cognitio quippè creaturæ, ait, *in se ipsa decoloratior est, ut ita dicam, quàm cùm in Sapientia Dei cognoscitur, velut in arte, quâ facta est*: & sæpè aliis in locis.

18. Objicies 4. Scientia Dei Increata creaturarum dividi solet à D. Thom. aliisque Doctoribus in Intuitivam in ordine ad creaturas existentes, & aliquando futuras, & in Abstractivam in ordine ad possibiles, quas tamen omnes Deus cognoscit in seipso; ergo etiam sic dividetur Scientia Beatifica creata, cùm sit participatio quædam Scientiæ Divinæ.

Divinæ. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia Cognitio Increata Dei ita perfecta est, ut ex vi suæ infinitatis attingat creaturas existentes, & futuras in se ipsis, ideoque respectu illarum dicitur intuitiva, sive Scientia Visionis: at verò scientia Beatorum solùm illas cognoscit in Deo, ideòque semper est abstractiva.

19. Objicies 5. Per Visionem Beatam creatam videtur actualis existentia, & modus existendi, quem creaturæ vendicant in se ipsis, & extra suas causas; ergo saltem in ordine ad res futuras, & existentes erit cognitio intuitiva. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam; licet enim creaturæ sic videantur quoad proprias existentias, & modum, quem habent, vel habituræ sunt extra suas causas, non ideò talis cognitio est intuitiva, sed abstractiva, utpotè quæ semper est in alio, nempè in Essentia Dei, & ex illa priùs cognita.

20. Dico 3. Visio Beata, prout terminatur ad objectum primarium simul, & secundarium, nempè ad Deum, & creaturas in Deo, est intuitiva simul, & abstractiva. Probatur, quia respectu Dei est cognitio facialis objecti in se ipso; respectu autem creaturarum est cognitio in alio priùs cognito; sed illa est ratio constituens cognitionem intuitivam; hæc autem constituens abstractivam; ergo &c. Confirmatur, quia ut ex alibi dictis in Logica *tract. 6. d. 3. à n. 43.* nulla datur repugnantia in eo, quod ratio notitiæ intuitivæ, & abstractivæ in una, eâdemque simplici notitia simul reperiatur respectu diversorum, imò & ejusdem objecti; ergo &c.

SECTIO II.

Vtrùm Visio Beata sit supra se ipsam reflexa: & per illam producatur Verbum?

21. Difficultas 1. Utrùm Visio Beata sit cognitio reflexa supra se ipsam? Jam de hac præsenti quæstione latè egimus in Logica *tr. 3. d. 3. sect. 5. à n. 153.* ubi diximus quomodo de facto se cognoscat: & an de possibili possit supra se ipsam reflectere, suamque perpetuitatem attingere, quod ibidem *num. 163.* diximus non repugnare. Quia tamen in hac materia specialem locum habet præsens difficultas, non omninò prætereundam censuimus.

22. Duplex est sententia: Prima affirmat, Visionem Beatam esse cognitionem reflexam supra se ipsam. Ita *D. Bonav. in 3. dist. 14. art. 1. q. 3. ad ult. Paludan. ibid. q. 1. art. 2. object. 1. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18. n. 9. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 4. Ægid. tom. 1. de Beat. q. 9. art. 6. §. 2. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 7. n. 3.* qui alios ex antiquis refert. Probant 1. quia Beati videndo Deum, distinctè vident se Deum videre; siquidem ad complementum, & perfectionem Beatitudinis, qualis est Visio Beata spectat, & securitas de illius perpetuitate, & gaudium de Deo possesso; atqui si Visio Beata se ipsam non videat, neque securitatem de sui perpetuitate, neque gaudium de Deo possesso importabit, ut patet; ergo Beati supra suam visionem reflectunt. Confirmatur, ideò per Visionem Beatam attinguntur creaturæ, quia ad complementum Beatitudinis spectat, quod per ipsam compleatur appetitus rationabilis cognoscendi res alias in Deo; sed non minùs pertinent securitas illa, & gaudium, quæ stare nequeunt sine cognitione ipsius visionis; ergo &c.

23. Probant 2. quia si per Visionem Dei non attingeretur etiam ipsa Visio Beata, posset quis esse beatus, Deum videndo, & ignorare se esse beatum; sed id imperfectionem arguit; ergo &c.

24. Probant 3. quia Scientia, sive cognitio Divina ob summam suam perfectionem, est reflexa supra se ipsam; sed Visio Beata est suprema participatio Cognitionis Divinæ; ergo poterit similiter reflecti supra se ipsam.

25. Probant 4. quia Visio Beata ob suam perfectionem in una, eademque ratione simplici complectitur rationem judicii, & discursûs, quas eminenter habet; ergo etiam rationem notitiæ reflexæ. Confirmatur, quia ex D. Thom. *1. p. q. 87. art. 7.* quem sequitur Cajet. ibid. notitia, qua Angelus se cognoscit, est reflexa supra se ipsam; ergo talis erit notitia, qua Beatus Deum intuitivè cognoscit, cùm sit perfectior.

26. Secunda sententia negat, Visionem Beatam esse cognitionem reflexam supra se ipsam, saltem si sermo sit de reflexione, qua visio ipsa in se cognoscatur, quæ est reflexio propriè dicta in cognitionibus. Ita *D. Thom. in 1. dist. 17. q. 1. art. 5. ad 4. & quodlib. 19.* & videtur esse *D. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 12.* quatenùs existimat, cognitionem reflexam semper distingui à directa. Tenet expressè *Ocham. in 2. q. 21. Gabr. in 3. dist. 24.* & alii apud *P. Gil. cit. n. 4.*

27. Fundantur primò, quia inter cognitionem creatam, & objectum cognitum, necessariò datur habitudo causæ, tùm effectivæ, tùm formalis extrinsecæ, & effectûs producti, atque accipientis speciem; sed inter idem, & se ipsum dari nequit hujusmodi habitudo causæ, & effectûs; ergo Visio Beata nequit habere se ipsam pro objecto; consequenterque non est supra se ipsam reflexa. Confirmarur, quia cognitio, & objectum cognitum semper se habent, ut mensurans, & mensuratum in re ipsa; hæc autem distinctionem important; sicque in una, eademque entitate reperiri nequeunt; ergo &c.

28. Fundantur secundò, quia eadem cognitio, quæcumque illa sit, non potest simul esse directa ad objectum, & reflexa ad se ipsam; alioqui posset esse confusa respectu objecti, & distincta respectu sui: opinio objecti, & scientia, quod ipsa sit opinio: dubitatio de objecto dubio, & certitudo de sua ipsius dubitatione; intensa respectu objecti, & remissa respectu sui, & his similia, quæ omnia videntur absurda; ergo &c.

29. Fundantur tertiò, quia absque eo, quod Visio Beata sit reflexa supra se ipsam stare potest, quod sit cognitio de sui perpetuitate, & gaudium importet de Deo possesso, si videlicet se ipsam videat in Deo clarè viso absque reflexione propria, qua se ipsam in se cognoscat; ergo &c. His tamen non obstantibus.

30. Dico 1. Visio Beata non cognoscit se ipsam primariò, etiam ut objectum partiale. Probatur, quia si Visio Beata ita se ipsam cognosceret, sequeretur aliquid creatum, qualis est ipsa Visio Beata, pertinere ad objectum primarium, saltem partiale beatitudinis; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur.

31. Dico 2. Visio Beata reflectit supra suam existentiam, cognoscitque se ipsam ut objectum secundarium partiale, dato, quod etiam alias creaturas cognoscat, & repræsentet ut objectum similiter secundarium partiale. Probatur 1. quia hoc

nullam

nullam involvit implicantiam; ergo &c. Secundò, quia est cognitio perfectissima, & perfectissima participatio Cognitionis Divinæ; sed hæc se ipsam existentem cognoscit; ergo etiam illa saltem prout sic, se ipsam existentem cognoscet.

32. Dico 3. Visio Beata de facto non cognoscit, neque reflectit, etiam secundariò supra suam perpetuitatem. In hoc convenio cum Doctoribus supra citatis pro secunda sententia *num. 26.* Probatur, quia si ita reflecteret, videret se perpetuò duraturam, & cùm non posset aliundè esse falsa, non posset non perpetuò durare; consequenterque esset à Deo inannihilabilis; sed implicat dari de facto creaturam aliquam existentem, quam Deus non possit annihilare; ergo &c.

33. Dico 4. Visio Beata de possibili potest esse reflexiva supra se ipsam, suamque perpetuitatem, saltem secundariò attingere. In hoc consentio cum Doctoribus supra citatis *num. 22.* pro prima sententia. Probatur, quia nulla datur repugnantia in contrarium; sed Deo illud tantùm negari debet, in quo aliqua apparet repugnantia: ergo cùm nulla detur in productione hujusmodi Visionis Beatæ reflexivæ supra se, & sui perpetuitatem, benè poterit dari, & à Deo produci. Quæ contra præcedentes quatuor conclusiones adduci poterunt vide in Logica *tract. 3. d. 3. à n. 153.* ubi plura, quæ hìc apponenda erant, non tamen apponuntur, nè repetantur.

34. Difficultas 2. Utrùm per Visionem Beatam producatur *verbum* sive species expressa creata? Affirmativè. Ita *D. Thom. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 11. n. 4. P. Sal. 1. 2. d. 5. sect. 2. n. 28. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 6. n. 9. P. Vasq. 1. p. d. 38. cap. 2. §. Verum nulla. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 2. d. 1. Concluſ. 1. P. Valent. ibid. punct. 2. P. Arrub. 1. p. d. 17. cap. 2. n. 4. P. Tanner. 1. p. d. 2. q. 6. dub. 2. n. 7. P. Granad. 1. p. tract. 5. d. 1. P. Fasol. 1. p. q. 12. art. 2. dub. 3. P. Arriaga 1. p. d. 8. sect. 3. n. 26. P. Compton. tom. 1. d. 15. sect. 3. n. 4. P. Herice tract. 4. d. 40. cap. 1. n. 14. P. Præpoſit. 1. p. q. 12. art. 2. dub. 1. n. 17.* & alii apud illos.

35. Probatur primò authoritate D. Auguſt. *lib. 9. de Trinit. cap. 7.* ibi: *In illa æterna veritate formam, ſecundùm quam ſumus, vel aliquid recta ratione operamur, viſu mentis conſpicimus. Atque indè conceptam rerum veracem notitiam, tanquam verbum apud nos habemus, & dicendo intùs gignimus, nec à nobis naſcendo diſcedit*; ergo ipsa notitia mente concepta est verbum. Idem habet *lib. 7. de Trinit. cap. 10. & 11. & lib. 14. cap. 16. & 17. & lib. 15. cap. 16.* Et D. Anſel. *in Monolog. cap. 31.* ibi: *Quamcumque rem mens, ſive per corporis imaginationem, ſive per rationem cupit veraciter cogitare, ejus utique ſimilitudinem, quantùm valet, in ipsâ ſuâ cogitatione conatur exprimere, quod quantò verius facit, tantùm rem ipſam verius cogitat*; ex illius ergo mente, quando Beatus Deum intelligit, seu cogitat, imaginem, seu verbum producit.

36. Probatur secundò ex D. Thom. qui pluribus in locis in genere docet ab omni intellectu creato formari verbum, cùm intelligit, ut in *q. 9. de Potent. art. 5. & lib. 4. contr. gent. cap. 11. & 12. & 1. p. q. 27. art. 1.* ibi: *Quicumque intelligit, ex hoc ipſo, quod intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ, & dicitur verbum cordis ſignificatum verbo vocis*; ergo sentit, Beatos in Cœlo Deum videntes formare verbum mentis.

37. Dicent D. Thom. intelligendum esse de intellectione naturali. Sed contra primò, quia illæ particulæ *Quicumque intelligit*, universaliores sunt. Secundò, quia illa causalis *Ex hoc ipſo, quod intelligit*, universalem indicat sensum. Tertiò, quia si solùm dixisset S. Doctor per intellectionem naturalem produci verbum, sequeretur, illius doctrinam utilem esse non posse ad explicandum, per Intellectionem Divinam produci Verbum, quod explicare intendebat; siquidem id, quod intellectio naturalis haberet ex sua, aut objecti imperfectione, non benè tribueretur Intellectioni Divinæ Patris Æterni in productione Verbi Divini.

38. Probatur tertiò ex eodem D. Thom. *q. 4. de Verit. art. 2.* ubi explicans quomodò in divinis Verbum dicatur personaliter, & accedens ad explicandam rationem verbi nostri: *Quod*, inquit, *verbum intellectûs noſtri eſt id, ad quod operatio intellectûs noſtri terminatur, quod eſt ipſum intellectum, quod dicitur conceptio intellectûs*; ergo sentit, terminum nostræ intellectionis, ut est fieri, & operatio, esse verbum; consequenterque, quoties intelligimus, producere verbum.

39. Dicent, id verum tantùm esse cùm alia à Deo; sive cùm per speciem impressam intelligimus. Sed contra, quia S. Doctor universaliter vult, produci verbum ab actione intelligendi, dùm addidit: *Et hoc*, ait, *univerſaliter verum eſt de omni, quod à nobis intelligitur, ſive per eſſentiam intelligatur, ſive per ſimilitudinem.*

40. Probatur quartò rationibus: Prima, quia de ratione cognitionis quà talis est, quod per illam fiat objectum intentionaliter, & actualiter præsens potentiæ cognoscenti; sed per Visionem Beatam, si solùm sit actio de Prædicamento Actionis, quin verbum, seu speciem expressam producat, non ita fit objectum beatificum præsens intellectui creato; siquidem actio quà talis, ut constabit discurrendo per omnes actiones immanentes potentiarum cognoscentium, solùm est repræsentatio *in fieri*, quatenùs ex se ordinatur ad productionem Verbi, quod est repræsentatio in *facto esse*; ergo &c.

41. Dicent, satis esse, quod objectum beatificum sit actualiter præsens potentiæ cognoscenti, ut hæc in ipsum feratur actualiter per solam actionem suam absque verbo creato: sicut satis est concursus Essentiæ Divinæ in actu primo absque specie impressa creata, ut intellectus Deum cognoscat habitualiter, prout supra diximus.

42. Sed contra primò, quia, ut ex Met. suppono, impossibile est, dari productionem realem sine termino reali per ipsam producto, sed Visio Beata, ut dicunt, est realis productio de Prædicamento Actionis; ergo necessariò per ipsam debet aliquid reale produci; sed hoc non est ipsum objectum beatificum, utpotè Increatum, & improductum; ergo species expressa, sive verbum creatum. Secundò, quia ut objectum beatificum cognoscatur à potentia, debet ei fieri præsens secundùm esse intellectum; sed hoc non fit per præsentiam realem; siquidem Deus de facto est realiter præsens cuilibet potentiæ Viatoris, quin ab eâdem clarè cognoscatur: non per speciem impressam, aut objectum, prout illam supplet; siquidem prout sic solùm fit præsens secundùm esse intelligibile; ergo per speciem expressam, seu verbum creatum.

43. Secunda ratio est, quia Visio Beata participat rationem communem intellectionis creatæ æqualiter cum omnibus aliis intellectionibus creatis naturalibus, & supernaturalibus, quà tales sunt; sed ratio intellectionis quà talis secundùm diversas sententias, de quibus in Logica *tract. 5. d. 1. sect. 4.* consistit formaliter, aut in solo conceptu producto,

ut

ut ibidem tenuimus; aut in actione simul, & conceptu producto; aut in actione ut est productiva verbi, sive conceptûs; aut in actione, conceptu, & illius receptione in intellectu; ergo semper in Visione Beata datur verbum, quod est terminus actionis; alioqui dabitur actio sine termino, & productio sine re producta, quod, ut alibi diximus, est impossibile. Vide quæ diximus loco proximè citato Logicæ.

44. Oppositum tenent Recentiores Thomistæ *Bannez 1. p. q. 12. art. 4. dub. 1. ad 3. Zumel. ibid. q. 2. conclus. 3. & ad 4. Petr. Ledesm. de Divin. perfect. q. 8. art. 6. Conclus. 2. Navarret. controv. 34. §. 3. & 4. Cabrer. 3. p. q. 11. art. 1. d. 5. §. 9.* & ante illos *Caiet. 1. p. q. 27. art. 1. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 49. §. Adverte. Torres. Henrice, sum. art. 33. q. 2. ad 3. & quodlib. 4. q. 8. & 26. & quodlib. 3. q. 1. Durand. in 4. dist. 49. q. 2. Richard. in 3. dist. 14. q. 1. art. 1. q. 3. Bassol. q. 1. art. 1. §. Dico igitur. Ripa, apud Capreol. in 3. dist. 14. art. 2. Gonzal. dist. 25. sect. 4. Nazar. controv. 2.* & cum illis *P. Amicus 1. part. d. 9. sect. 3. num. 40.* & alii apud illos: pro quibus:

45. Argues 1. cum Scot. *in quodlib. q. 14. art. 2. ad finem*, quatenùs ibidem existimare videtur, per Visionem Beatam non produci verbum, licet pro nostra sententia citetur à P. Soar. supra cit. *in 4. dist. 49. q. 2. art. 3.* De ratione intrinseca verbi est, procedere à suo principio per modum naturæ; cùm sit proles objecti cognoscibilis, quæ in sui processione assimilatur processioni naturali, quæ semper est à causâ naturali applicatâ per modum naturæ; sed species expressa in sententia Scoti non procedit à Naturâ Divinâ, ut Natura est, sed ut voluntas, prout supra diximus; ergo &c.

46. Respondeo ad rationem verbi, non tam requiri, quod procedat ab objecto per modum naturæ, quàm quod exeat ab intellectu ut à dicente, seu loquente; nam Verbum divinum procedit à Patre ut à dicente, non autem ab objectis; è contra verò species impressa Dei, aut cujuslibet alterius objecti, ab eodem procedit per modum naturæ, cùm tamen non sit verbum. Undè argumentum Scoti non concludit, desumit enim rationem verbi per ordinem ad objectum, quà principium est, cùm debeat desumi per ordinem ad intellectum ut dicentem.

47. Argues 2. cum Mayron. *in 3. dist. 29. dub. 1.* verbum quà tale effectivè procedit à memoriâ fœcundâ; sed visio à solo Deo infunditur; ergo rationem verbi non habet. Respondeo negando minorem: falsò enim assumit, Visionem Beatam à solo Deo produci, ut ex supra dictis satis liquet.

48. Argues 3. ex Aristot. *lib. 10. Ethicor. cap. 3.* ubi Beatitudinem collocat in operatione; & *cap. 7.* ubi felicitatem constituit in contemplatione, quæ etiam operatio quædam est; sed Visio Beata, saltem partialiter, ut alibi dicemus, est nostra Beatitudo, & suprema felicitas; ergo in pura actione consistit, quin verbum producat. Respondeo cum P. Soar. cit. negando consequentiam: beatitudo enim, & felicitas naturalis non dicitur operatio ex eo, quod sit actio pura de Prædicamento Actionis absque termino producto, sed ex eo, quod talis conditionis sit qualitas, ut informare nequeat potentiam, nisi elicientem, & producentem illam; sicut etiam durare non potest, nisi quatenùs durat actio ejusdem productiva. Undè cùm Visio Beata, quæ est beatitudo supernaturalis, ab intellectu creato de facto producatur, actionem, sive productionem necessariò requirit, per quam fiat, & producatur, non tamen sine termino, & verbo producto, ut probavimus.

Argues 4. Plures Theologi apud *P. Soar. in Met. d. 48. sect. 2. n. 5.* existimant per actiones immanentes potentiarum cognoscentium non produci terminum; sed visio Dei est actus immanens potentiæ cognoscentis; ergo per illam non producitur terminus, sive verbum. 49. Respondeo sententiam illam esse omninò falsam, ut ibidem probat P. Soar. & nos etiam alibi probavimus; sicque falsum est, quod ex illa colligitur.

Argues 5. Ideò in cognitionibus naturalibus producitur verbum, aut quia objectum est absens à potentia: aut quia se ipso non est intelligibile in actu; siquidem illa inter alias à Theologis assignatur differentia inter verbum in divinis, & in creatis, quod illud producitur ex fœcunditate Naturæ; hoc autem ex indigentia, quæ maximæ consistit in duplici defectu assignato; sed objectum beatificum se ipso est maximè præsens, & intelligibile in actu intellectui Beatorum; siquidem propterea absque specie impressa illum determinat in ratione formæ intelligibilis, ut supra diximus; ergo per visionem absque specie, aut verbo producto de facto cognoscetur 50.

Respondeo negando absolutè majorem; verbum enim in cognitionibus naturalibus ad eum solum finem requiritur, ut objectum fiat præsens potentiæ secundùm esse intellectum, qui finis in visione Dei cùm obtineri nequeat per speciem impressam, aut præsentiam realem objectivam Essentiæ Divinæ, necessariò fatendum est, per illam produci de facto verbum, quo mediante, effectus ille formalis præstari queat. 51.

Argues 6. In divinis reperitur vera, & propria ratio intellectionis essentialis, & communis omnibus tribus Personis, per quam nullum producitur verbum, ut plerique Theologi fatentur in Materia de Trinitate; ergo neque sic producetur per visionem creatam. Resp. primò negando antecedens; plures enim Theologi admittunt in Cognitione Divina essentiali conceptum essentialem communem omnibus Personis, qui dicitur verbum impropriè. Ita *P. Fonsec. lib. 7. Met. cap. 8. q. 3. sect. 5 §. Ad secundum, & §. Ad ultim.* & multò ante *Albert. in 1. dist. 10. art. 3. & dist. 27. art. 5. ad 5.* quem sequutus est *D. Thom. ibid. dist. 27. q. 2. art. 2.* ex quo magis confirmatur, quàm infirmatur nostra doctrina. 52.

Respondeo secundo, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia verbum propriè dictum significat aliquid locutione productum ad repræsentandum potentiæ, seu terminum locutionis repræsentantem; sicque ex sua ratione importat emanationem realem ab eo, cujus tanquam loquentis est verbum, ut ex communi Patrum sententia doctè probat *P. Vasq. 1. p. d. 141. cap. 3.* cùm autem in essentialibus Dei non detur emanatio realis, siquidem non datur distinctio realis, ut est de fide, indè est, quod etiam non detur verbum essentiale propriè dictum: at verò in creatis, cùm necessariò danda sit, non solùm emanatio, sed realis productio; siquidem causatur, & producitur actualis repræsentatio de lege ordinaria ab intelligente, seu dicente, necessariò concedendum est verbum propriè dictum actione reali intelligendi productum. 53.

Argues 7. Si per visionem Dei produceretur verbum, sequeretur ipsam visionem terminari immediatè ad ipsum verbum, & illo mediante ad objectum beatificum; consequenterque Deum non videri 54.

videri à Beatis in se immediatè, sed in medio priùs cognito; sed hoc non est admittendum, ut contra hæreticos probavimus supra *d.* 1. *sect.* 1. ergo &c. Respondeo negando sequelam; nam actio illa intelligendi terminatur immediatè ad verbum, tanquam ad terminum internum, quem denominat productum, & non cognitum; & ad Deum terminatur, tanquam ad terminum externum, quem denominat clarè visum, & cognitum; cùm autem primum cognitum illius visionis sit Deus, ideò dicuntur Beati videre Deum in se ipso, & non in alio priùs cognito.

55. Argues 8. Non minùs impossibilis est similitudo Dei expressa, quàm impressa; sed hæc est impossibilis; ergo etiam illa, sive verbum, impossibilis erit. Respondeo primo negando majorem; species enim, sive similitudo impressa, ut alibi diximus in Logica *tract. 3. d. 3. à n. 46. & 60.* possibilis est, licet de facto non admittatur propter superfluitatem; siquidem Deus ob summam actualitatem, est objectum maximè præsens potentiæ, & intelligibile: at verò in productione speciei expressæ non datur superfluitas, sed necessitas, ut infrà dicemus; alioquì dabitur via, sive actio sine termino.

56. Respondeo secundò juxta ea, quæ supra diximus de possibilitate speciei impressæ, negando eandem majorem: nam species impressa intuitiva Dei ideò est impossibilis, quia esset infinita in repræsentando; siquidem non daretur, à quo limitari posset concursus Essentiæ ex se infinitus, & per modum naturæ exhibitus: at verò in productione speciei expressæ longè aliter se res habet, quæ cùm vitalis sit, & ab intellectu vitaliter producta, ab eodem limitari potest, & de facto limitatur, ut supra diximus.

57. Argues 9. Hæc videtur esse expressa sententia D. Thomæ, quatenùs pluribus in locis negat speciem creatam divinitatis; rationes autem, quas adducit, æquè probare videntur de specie impressa, atque expressa; ergo &c. Respondeo negando esse sententiam D. Thom. ut patet ex locis supra adductis, aliisque allegatis à *P. Soar. P. Gil. P. Herice, P. Tanner.* supra cit.

58. Ex dictis infero cum *P. Soar. cit. n. 9. P. Tanner. cit. num. 8.* neque de potentia Dei absoluta fieri posse, ut visio Dei aliter fiat, quàm per verbum productum. Probatur, quia impossibile est, Deum clarè videri per visionem creatam, quin potentiæ creatæ præsens fiat secundùm esse intellectum; sed non potest ita fieri præsens potentiæ, nisi per repræsentationem actualem, quæ quidem non est species impressa, neque pura actio, vel qualitas non repræsentativa, ut diximus; ergo &c.

59. Difficultas 3. Utrùm Visio Beata sit expressa, & formalis similitudo Dei? Huic quæstioni excitandæ occasionem præbuerunt Thomistæ supra allegati negantes per Visionem Beatam produci verbum, qui ut congruenter procedant, similiter negant Visioni Beatæ rationem formalis similitudinis Essentiæ divinæ, ut in speciali negant *Zumel. 1. p. q. 12. art. 2. q. 1. conclus. 2. & ad 2. Bannez dub. 1. ad 2. Ripa art. 1. dub. 2. cap. 1. Cabrer. 3. p. q. 11. art. 1. d. 5. sine ad 12. Navarret. controv. 34. §. 7. ad 1. & 2.* Et eidem sententiæ adhærent qui collocant actus potentiarum cognoscentium in genere actionis; & rationem formalem cognitionis, sive intellectionis constituunt in sola actione, ut collocant *PP. Conimb. in Log. q. 2. de signis. art. ult. & lib. 3. de Anima cap. 8. q. 3. a. 3. & q. 4. a. 2. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 2. d. 1. §. Tertia conclusio*, & alii.

Nihilominùs vera sententia tenenda docet, Visionem Beatam esse formalem, & expressam similitudinem objecti beatifici. Ita *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 11. n. 8. & cap. 12. n. 12. & cap. 13. n. 3. P. Vasq. 1. p. d. 38. cap. 2. à §. Verum nulla. P. Sal. 1. 2. tract. d. 4. sect. 2. n. 29. Ægid. tom. 2. de Beatit. lib. 11. q. 5. art. 3. §. 10.* & alii. Probatur primò authoritate D. Aug. & D. Ansel. supra cit. *n. 35.* quorum verba ponderant Doctores citati, & speciatim *P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 6. n. 4.* 60.

Probatur secundò ratione, quia Visio Beata, cùm sit essentialiter cognitio Dei, in sua ratione intrinseca importat verbum, seu speciem expressam Essentiæ divinæ, ut supra diximus; sed species, seu verbum creatum, ut ipsi Adversarii fatentur, semper est formalis similitudo proprii objecti; ergo &c. Confirmatur, quia per Visionem Beatam fit objectum beatificum præsens intellectui creato secundùm esse intellectum; sed prout sic præsentari nequit per similitudinem virtualem, neque per formalem Increatam, ut diximus; ergo per solam formalem creatam inclusam in ipsa Visione Beata. 61.

Objicies 1. pro Thomistis: Si Visio Beata esset similitudo formalis, & expressa Essentiæ divinæ, sequeretur necessariò admittendam esse de facto similitudinem impressam ejusdem Essentiæ; sed hæc, aut de facto non admittitur; aut ut omninò impossibilis rejicitur, prout jam alibi, & supra diximus; ergo &c. Respondeo negando sequelam; ex eo enim, quod admittatur similitudo expressa Dei, non rectè infertur necessariò admittendam esse de facto impressam, ut jam alibi diximus. 62.

Objicies 2. Visio Beata est essentialis intellectio; sed intellectio est formalis productio, & non formalis similitudo: sicut illuminatio est formalis productio lucis, non verò lux: & calefactio est productio caloris, non verò calor; ergo &c. Respondeo negando minorem; licet enim intellectio involvat formalem productionem similitudinis, aut antecedenter, & præsuppositivè ut conditionem; aut per se primò, & formaliter secundùm diversas sententias, de quibus jam in Logica *tract. 5. d. 1.* non ideò desinit esse similitudo formalis, ut constat. Neque exempla aliquid probant, quia illuminare, & calefacere dicunt ex se facere lucidum, & facere calidum, ut alibi diximus, quæ denominationes per se primò important meras actiones: at verò intelligere, sive intellectio dicit actualem repræsentationem objecti secundùm esse intellectum, quæ absque formali similitudine intelligi non potest. 63.

Objicies 3. Licet Visio Beata non sit formalis similitudo creata Essentiæ divinæ, non ideò Beati desinunt assimilari formaliter Deo; siquidem defectum verbi creati supplet ipsum Verbum Divinum Increatum; ergo licet Visio Beata non sit formalis similitudo Dei, adhuc in Beatis datur assimilatio. Respondeo negando antecedens, & ejus probationem; neque enim Verbum Increatum supplere potest creatum; siquidem hoc necessariò est aliquid productum à potentia; illud autem sit improductum, sicque produci nequeat à potentia creata. 64.

Instabis: Habitualis assimilatio inter intellectum Beati, & objectum beatificum fit formaliter per Essentiam divinam intellectui unitam in ratione formæ intelligibilis; ergo etiam assimilatio formalis fiet per eandem Essentiam unitam in ratione objecti, quod formaliter intelligitur. Respondeo dato antecedente, negando cõsequentiam; diversa 65.

ratio

ratio est, quia assimilatio habitualis antecedit operationem potentiæ, illamque constituit in actu primo, sicque fieri potest, aut ab specie, aut ab objecto immediatè, si sit maximè præsens, & proportionatum, qualis est Essentia divina: at verò assimilatio formalis, cùm sit ab intellectu dicente, seu loquente, per eundem necessariò fieri debet; non enim datur locutio absque productione verbi; ac proindè per objectum, quod actu intelligitur, formaliter suppleri nequit.

66. Objicies 4. Formalis ratio visionis quà visio, seu cognitio est, constituitur formaliter in actione; siquidem cùm prout sic sit actualis vita potentiæ, necessariò constituitur in actu vitali, qualis est actio ipsa; sed hæc à nullo dicitur formalis similitudo, ut constat; ergo &c. Respondeo negando majorem, ut patet ex dictis in Logica *tract. 5. d. 1. àn. 142.* Neque ut visio, aut quævis alia cognitio sit actualis vita potentiæ requiritur, quod includat formaliter actionem, sed satis est, quod sit formalis repræsentatio objecti recepta in potentia proportionata, quod stare potest absque actione vitali ut formaliter inclusa, licet sit conditio logicè requisita, prout diximus loco citato.

SECTIO III.

De perfectionibus Visionis Beatæ, prout est cognitio judicativa.

67. DIFFICULTAS 1. Utrùm Visio Beata sit cognitio verè, & propriè judicativa? Affirmativè. Ita *D. Thom. q. 8. de Verit. art. 1. ad 14. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18. n. 8. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 8. d. 6. dub. 2. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 3. Zumel 1. p. q. 12. art. 7. q. 2. conclus. 4. & 5. P. Gil. tom. 2. tract 8 cap. 1.* & alii. Probatur primò, quia Visio Beata est cognitio perfectior qualibet cognitione, tam naturali, quàm supernaturali humanâ, vel Angelicâ non beatificâ; sed hæc perfectionem judicii de facto participat; ergo & illa.

68. Probatur secundò, quia ratio judicii maximè extollit perfectionem cognitionis, utpotè certificans intellectum de veritate, & falsitate objecti cogniti, quod non præstat apprehensio; ergo illa, & non hæc concedenda est Visioni Beatæ, quæ cæteras cognitiones creatas excedit in perfectione.

69. Probatur tertiò, quia Visio Beata, saltem partialiter participat rationem beatitudinis nostræ supernaturalis; sed non potest esse perfecta beatitudo, nisi quà cognitio judicativa est eorum, quæ de facto beatas mentes beant, ut in Materia de Beatitudine latè probatur, & nos ibi probabimus; ergo &c.

70. Oppositum tenent *Adam. q. 2. Prolog. ad 2. probat. 4. supplem. Gabr. in 4. dist. 49. q. 3. dub. 1. art. 3. Ocham. in 4. q. 13. art. 5. ad 1. dub.* & alii: pro quibus: Objicies 1. Judicium, quà judicium est supponit pluralitatem partium in objecto, seu enuntiabili, quas affirmando conjungat, aut negando separet; sed in objecto beatifico, cùm sit simplicissimum, pluralitas admitti non potest; ergo circa illud solùm est apprehensio, & nullo modo judicium. Respondeo ad hoc, ut judicium componat, aut dividat sine compositione formali, sed solùm virtuali, qualis datur in Visione Beata, satis esse pluralitatem virtualem partium enuntiabilis, qualis datur inter perfectiones beatificas, ut alibi diximus, & ex infrà dicendis constabit.

71. Objicies 2. Visio Beata est notitia intuitiva objecti, saltem primarii, ut supra diximus; ergo solùm est apprehensiva; siquidem ratio cognitionis intuitivæ, aut abstractivæ solùm sequitur apprehensionem, non autem judicium. Respondeo licet ratio intuitionis ut sic sequatur per se solam apprehensionem, hoc non tollere, quominùs etiam reperiatur in judicio, saltem quando hoc rationem apprehensionis, & judicii essentialiter participat, ut participat Visio Beata, de quo statim.

72. Objicies 3. Judicium non stat sine compositione, aut divisione; sed Visio Beata, cùm sit actus in se valdè perfectus, omni prorsùs compositione caret; ergo &c. Respondeo Visionem Beatam carere omni compositione formali, non autem virtuali: pro quo sit:

73. Difficultas 2. Utrùm Visio Beata perfectiones apprehensionis, & judicii formaliter includat cum omnimoda simplicitate actuali, cum complexione tamen, & multiplicitate virtuali? Affirmativè. Ita *P. Vasq. 1. 2. d. 12. cap. 1. n. 6. P. Valent. tom. 2. d. 1. q. 3. punct. 4. fine. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18. n. 8. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 3. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 1. Ægid. tom. 1. lib. 4. q. 9. ar. 3. §. 2.* & alii. Probatur prima pars, primò à priori, quia solùm tunc ratio apprehensionis, & judicii in actu cognoscendi ex natura rei distinguuntur, quando ex parte potentiæ cognoscentis, speciei, aut luminis datur imperfectio, cujus ratione intellectus non statim penetrando connexiones terminorum, eosdem priùs simpliciter, confusè tamen apprehendit, & deindè per magis claram manifestationem veritatis judicat approbando, aut reprobando eorum connexiones; sed in Visione Beata non datur hujusmodi defectus; siquidem potentia illustrata lumine gloriæ, & per intimam assistentiam objecti beatifici, non solùm videt perfectiones divinas clarè, & distinctè, sed etiam illarum connexiones, & veritates unico intuitu penetrat; ergo in una, eademque cognitione beatifica includitur simul ratio apprehensionis, & judicii.

74. Probatur secundò, ideò in communi sententia Theologorum, quam doctè probat *P. Soar. lib. 2. de Angel. cap. 32.* in cognitione Angelica non datur formalis compositio, aut divisio, saltem circa evidentia, ut alibi diximus, quia per lumen naturale, & species à Deo inditas in primo instanti suæ creationis adeò perfectè percipiunt objecta, ut & eorum terminos simplices, & connexiones simul penetrent; ergo à fortiori id concedendum est cognitioni Beatificæ, utpotè perfectior. Confirmatur, quia non minùs clarè ostendit Visio Beata creaturas Beatorum mentibus, quàm species, & lumen Angelicum ostendunt Angelo objecta naturalia; ergo &c.

75. Probatur tertiò, quia Visio Beata est perfectissima participatio Visionis Beatificæ Increatæ, ut omnes Theologi concedunt; sed hæc rationes apprehensionis, & judicii cum omnimoda simplicitate actuali complectitur; ergo & illa. Confirmatur, quia ideò nos primò apprehendimus, & deindè judicamus objecta, quia eadem, ut in se sunt, & quoad connexiones terminorum attingere non possumus; sed id possunt efficere Beati unâ, eâdemque simplici cognitione beatificâ; ergo &c.

76. Probatur secunda pars, quia Visio Beata, prout apprehensiva, & judicativa est, æquipollet nostræ apprehsienoni, & judicio, quæ sunt plures perfectiones creatæ ex natura rei distinctæ; ergo cum simplicitate actuali importat simul complexionem, seu multiplicitatem virtualem.

77. Oppositum tenent *D. Bonavent. & Medina* apud *Ægid. tom. 1. lib. 4. q. 9. a. 3.* & alii, quos tacitis nominibus allegat *Sot. in 4. dist. 49. q. 3. concluſ. 9. §. At verò*: pro quibus: Dices: Apprehenſio objecti ordine naturæ præſupponitur ad ferendum judicium de eodem objecto, ita ut oppoſitum fieri nequeat, etiam de potentia abſoluta, prout diximus in Log. *tr. 5. d. 2. n. 31.* Sed in Viſione beata datur vera ratio judicii, ut proximè diximus; ergo præſupponi debet apprehenſio præcedens tale judicium, ab illoque diſtincta. Reſpondeo negando majorem, ſi procedat de apprehenſione formali, & realiter diſtinctâ, de quâ tantùm locuti ſumus loco cit. ſolùm enim quando datur imperfectio ex parte potentiæ, ſpeciei, & luminis, requiritur, quod apprehenſio realiter diſtincta præcedat judicium, ciſque proponat connexiones, & veritatem objecti: in Beatis autem talis imperfectio non reperitur.

78. Inſtabis: Eodem modo ſe habet apprehenſio ad judicium, quo ſe habet judicium antecedentis ad inferendam concluſionem; & cognitio bonitatis objecti ad actum appetitûs & voluntatis; ſed neque divinitùs inferri poteſt concluſio ſine judicio præcedente præmiſſarum; neque dari actus appetitûs & voluntatis ſine bonitate cognita; ergo neque judicium ſine præcedente apprehenſione. Reſpondeo argumentum, ſi procedat de judicio antecedentis in diſcurſu virtuali, non probare illud diſtingui à parte rei à judicio concluſionis, ſed ſolùm virtualiter, ſicque pro nobis facit, ut conſideranti patebit: ſi autem procedat de diſcurſu formali, tunc datur quidem diſtinctio realis, ex defectu tamen luminis, qui defectus non datur in Viſione beata, ideoque ſine apprehenſione præcedente diſtinctâ unico intuitu judicat objectum. Cognitio verò bonitatis ſemper erit realiter diſtincta ab actibus appetitus & voluntatis, quia potentiæ, quarum ſunt actus, ſunt realiter diſtinctæ, ſicque actus realiter diſtinctos elicere debent.

79. Difficultas 3. Utrùm Viſio beata, prout cadit in perfectiones divinas, ſeu objectum primarium, ita neceſſariò ſit judicium, ut neque de potentia abſoluta poſſit eſſe pura apprehenſio ſine ulla incluſione judicii? Negativè. Probatur primò, quia nulla apparet repugnantia in eo, quod Deus cognoſcatur intuitivè per apprehenſionem, & non per judicium; ergo ſic cognoſci poteſt. Confirmatur quia Deus de facto, & ſecundùm leges ordinarias limitat, & determinat ſuum concurſum ad oſtendendum Beatis has potiùs, quàm illas creaturas; ergo etiam abſolutè, nullâ ſpectatâ lege poterit limitare intellectum Beati, ut circa objectum beatificum clarè propoſitum eliciat apprehenſionem puram, & non judicium.

80. Probatur ſecundò, quia nulla cernitur implicantia in eo, quod Deus ita limitet & determinet concurſum ſpeciei, & luminis intellectûs Angelici naturalis, ut eliciat apprehenſionem, & non judicium; ergo idem poterit efficere circa concurſum, & lumen ſupernaturale intellectûs Beatorum. Cõfirmatur primò, quia Beatus circa objectum ſecundarium minùs clarè, & cum remiſſo lumine propoſito, poteſt efformare aliquas propoſitiones, circa quas ſuſpendat judicium; ergo etiam ſic poterit circa objectum primarium. Secundò, quia ſaltem circa veritates contingentes cognitas in objecto primario viſionis, poteſt Beatus aliquas propoſitiones apprehenſas efformare, circa quas judicium ſuſpendat ob defectum luminis, & manifeſtationis objecti; ergo idem poterit circa connexiones neceſſarias cognitas in objecto primario, ſaltem de potentiâ Dei abſolutâ, cùm in hoc nulla appareat repugnantia.

Oppoſitum videntur tenere *P. Gil. tom. 2. tr. 8. cap. 15. n. ult. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 23. n. 8. Cabrer. 3. p. q. 9. a. 2. d. 5. Zumel 1. p. q. 12. a. 7. q. 2. concl. 4. & 5.* & alii: quorum tamen ſententia, cùm ab illis non ſatis exprimatur, mihi videtur explicanda de Viſione beata de facto, & ſecundùm legem ordinariam; non autem de poſſibili, & ſecundùm abſolutam Dei potentiam: Pro illis tamen: 81.

Argues 1. Fieri non poteſt ut intellectus ſuſpendat aſſenſum circa objectum omni ex parte verum; ſed tale eſt beatificum quoad omnia, quæ manifeſtantur Beato; ergo &c. Reſpondeo negando majorem, ut patet ex dictis; ſiquidem poteſt Deus impedire concurſum eſſentiæ, aut luminis quoad virtutem ſibi adæquatam, & ſolvere tantùm quoad virtutem inadæquatam. 82.

Argues 2. Viſio beata reſpectu omnium, quæ ſunt in Deo, eſt intuitiva, non ſolùm quoad terminos ſimplices, ſed etiam quoad eorum connexiones; ergo neceſſariò erit judicativa. Reſpondeo dato antecedente negando conſequentiam; neque enim de ſe repugnat viſio intuitiva abſque ratione judicii, ut ſæpè accidit, quando intellectus operatur circa objecta ſibi naturalia. 83.

Argues 3. Viſio beata eſt perfectiſſima participatio Viſionis Increatæ; ſed in hac dari nequit ratio puræ apprehenſionis abſque ratione judicii, ut alibi diximus in *Log. tr. 5. d. 2. n. 62.* ergo neque in illa. Reſpondeo in Deo dari ſpecialem rationem, ut videre eſt loco proximè cit. neque neceſſarium eſt, quod Viſio beata ſecundùm omnem conſiderationem participet perfectionem Viſionis Increatæ; alioqui eſſet etiam ſubſtantialis, & comprehenſiva Dei. Undè ſatis eſt, quod rationem illam participet de lege ordinariâ, in quo ſenſu etiam negavimus loco cit. *n. 59.* nullam dari virtualitatem purè apprehenſivam in Viſione beata, quod non tollit quominùs oppoſitum contingere poſſit de potentia Dei abſoluta, ut diximus. 84.

Quæres hîc: Utrùm Viſio beata prædicto modo elicita bearet prout ſic totaliter, aut partialiter intellectum Beati? Reſpondent ex materia de Beatitudine negativè ob eaſdem rationes, quibus ibidem probari ſolet, Viſionem Dei, non prout eſt apprehenſiva, ſed prout eſt judicativa, beare. De hoc tamen ſuo loco. 85.

Ex dictis colliges primò, Viſionem beatam non eſſe judicium formale, ſicut etiam diximus in *Log. tr. 5. d. 2. n. 223.* Patet, quia judicium formale ſupponit apprehenſionem realiter diſtinctam, & ipſos terminos connexionis apprehenſos formaliter, aut conjungit affirmando, aut ſeparat negando; ſed Viſio beata neque ſupponit hujuſmodi apprehenſionem, neque formaliter conjungit, aut ſeparat; ergo &c. Secundò, Viſionem beatam eſſe judicium virtuale. Patet, quia Viſio beata ob ſuam perfectionem æquivalet apprehenſioni, & judicio realiter diſtinctis. Deindè æquivalet formali judicio copulanti prædicatum cum ſubjecto; ergo &c. 86.

SECTIO

SECTIO IV.

De modo tendendi Visionis Beatæ practicè, aut speculativè.

87. DIFFICULTAS 1. Utrùm Visio beata intuitiva Dei sit notitia practica: an speculativa? Fuerunt hac de re plures sententiæ, quas tamen ad tres præcipuas reducemus. Prima sententia absolutè defendit, Visionem beatam esse cognitionem adæquatè practicam. Est communis Scotistarum cum Magistro *Scot. q. 4. Prolog. §. Ad quæstionem, & q. 5. §. Contrasic, & § Ad argumenta*, quem sequuntur *Lychet. & Viguer. ibid. Anton. Andreas q. 4. a. 3. ad 1. Herrer. in 1. Scot. d. 15. q. 13. concl. 1. Rada. controv. 3. a. 4 concl. 2. Ovand. in 4. dist. 49. propos. 1.* & plerique alii.

88. Fundantur 1. Visio beata est dictamen, & regula, ut Beatus eliciat amorem beatificum; ergo est cognitio practica adæquatè; siquidem hæc definitur: *Dictamen, seu mensura, & regula actionis eliciendæ, sive quoad entitatem, sive quoad modum illius*: amor autem beatificus est quædam actio elicienda, seu praxis quædam regulata, & mensurata per Visionem beatam, quæ illum antecedit. Respondeo quidquid sit de antecedente, de quo sunt duæ sententiæ oppositæ, statim proponendæ, & negando consequentiam; nam sive Visio Dei respectu amoris beatifici sit practica, sive speculativa, aut etiam neutra, adhuc habet unde accipiat rationem speculativæ simul & practicæ; siquidem prout terminatur ad essentiam, & illius perfectiones, erit speculativa: prout autem ad plures creaturas, aut actiones Beati regulandas, erit practica.

89. Fundantur 2. Beatus in Deo clarè viso optimè intelligit, qua ratione debeat elicere qualcumque actiones circa ipsum Deum, quales sunt actus reverentiæ, laudis, orationis, & similes; ergo tota Visio beata est practica. Respondeo negando consequentiam; licet enim per Visionem beatam attingantur illæ veritates practicè, & prout sic Visio sit practica, etiam attinguntur veritates aliæ speculativè, propter quas etiam rationem speculativæ induit.

90. Fundantur 3. Ex cognitione finis colliguntur media, ut in ordine ad illum regulentur, quæ regulatio, & directio ad cognitionem practicam spectat; sed Visio beata est cognitio finis simpliciter ultimi, qualis est Deus; ergo &c. Confirmatur, quia omnes actus voluntatis rationabilis, sive naturales, sive supernaturales supponunt in intellectu regulam ejusdem ordinis; sed circa Deum clarè visum dantur actus voluntatis maximè rationabiles; ergo Visio beata erit eorum regula; consequenterque est cognitio practica. Respondeo ex hoc fundamento, & illius confirmatione, verum quidem assumente, solùm colligi Visionem beatam esse practicam, quod fatemur, addentes tamen, esse simul speculativam, quod non impugnatur.

91. Secunda sententia extremè opposita asserit, Visionem beatam esse adæquatè speculativam. Ita *Bassol. in Prolog. q. 8. a. 2. §. De Theologia, Ocham. ibid. q. 4. & 12. ab 2. & 3. Henric. in sum. a. 8. q. 3. ad 3. P. Vasq. 1. 2. d. 12. cap. 1. §. Verum.* & alii: Pro quibus: Argues 1. D. Aug *lib. 1. de Trinit.* docet nobis promitti contemplationem tanquam æternam gaudiorum perfectionem; cui consonat aliorum Sanctorum Patrum effatum, cessaturam scilicet in Beatitudine vitam activam, & solam contemplativam permansuram; ergo &c. Respondeo D. Aug. verè loqui de Visione Dei, prout est Beatitudo, quia prout sic solùm terminatur ad Deum objectum primarium, & solùm speculativa est, quod non tollit, quominùs sit practica, prout terminatur ad creaturas. Reliqui autem Patres intelligendi sunt de cessatione vitæ activæ quoad opera externa, quibus in hac vita proximorum necessitatibus occurritur; & non quoad omnes operationes practicas.

92. Argues 2. Cognitio speculativa est præstantior practicâ; sed Visio beata est præstantissima omnium cognitionum, utpotè finis ultimus naturæ rationalis; ergo merè speculativa esse debet. Respondeo cognitionem speculativam esse præstantiorem practicâ cæteris paribus; sicque Visio beata quà speculativa est, excedit omnes cognitiones simpliciter: quà verò practica est, si non sub hac ratione, saltem quà ultimus finis est, excedit etiam omnes alias cognitiones speculativas.

93. Argues 3. Munus cognitionis practicæ est ex se ordinari ad praxim, ut ad finem; sed Visio beata nequit ordinari ad finem, cùm ipsa sit finis ultimus; ergo non est practica. Respondeo negando majorem; nam Cognitio Increata est perfectissimè practica; & tamen non ordinatur ad praxim, ut ad finem, sed illam tantùm dirigit, ut effectum, & ita se habet Visio beata.

94. Tertia sententia, quam ut probabiliorem sequimur, affirmat, Visionem beatam esse cognitionem speculativam simul, & practicam. Ita *D. Thom. in 4. dist. 49. q. 1. a. 1. quæstion. 3. & 1. 2. q. 3. a. 5. & 1. part. q. 1. a. 4. Caiet. 1. 2. q. 3. a. 5. Sot. in 4. dist. 49. q. 1. a. 4. Richard ibid. a. 1. q. 8. P. Valent 1. 2. d. 1. quæst 3. punct. 4. P. Mol. 1. p. q. 1. a. 4. d. 2. post conclus 4. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18. n. 11. & in Met. d. 44. sect. 13. n. 45. & 52. P. Sal 1. 2. tr. 2. d. 3. sect. 5. n. 26. P. Fons. lib. 6. Met cap. 1. q. 2. sect. 7 P. Gil. tom. 2. tr. 8. cap. 2. n. 5. Ægid. lib. 4. de Beatit. q. 9. a. 5. §. 1.* & alii.

95. Ante probationes advertes ex receptissima Theologia, & Philosophia, ut jam alibi diximus, notitiam practicam esse dictamen intellectûs de opere faciendo, aut modo servando in operatione elicienda: praxim verò esse operationem ipsam faciendam, aut regulandam per ipsum dictamen practicum. Deinde, notitiam speculativam esse cognitionem objecti sistentem in solâ contemplatione veritatis cognitæ, quin ulterius operationem, aut illius modum regulet. Undè à *D. Thom. in 4. dist. 49. cit.* Notitia practica dicitur causa operis, non ita verò speculativa, quod communiter recipiunt cæteri Theologi. His positis.

96. Probatur primò à priori, quia Visio beata est cognitio perfectè latians appetitum rationabilem sciendi in quolibet Beato; sed hujusmodi appetitus extenditur ad omnes scientias non solùm speculativas, sed etiam practicas; ergo Visio Beata est essentialiter cognitio speculativa simul, & practica. Secundò, quia per Visionem beatam clarissimè & perfectissimè cognoscuntur in Deo omnia illa, quæ in via per habitum fidei attingebantur obscurè, sed per hunc attinguntur in via veritates, tum speculativæ, tum etiam practicæ; neque enim repugnat, quod unus, idemque numero habitus sit simul speculativus, & practicus, ut ex alibi dictis constat; ergo etiam per illam attingi debent eædem veritates; neque enm repugnabit, quod simul speculativa sit, & practica.

97. Tertiò, quia Visio Beata est perfectissima participatio Scientiæ Increatæ; sed hæc ex communi Theologorum sententiâ est speculativa simul, & practica; ergo etiam illa. Quartò, quia si Visio Beata non esset speculativa simul, & practica, Beatus per illam non esset sufficienter instructus ad omnes suas actiones dirigendas, sed ad id indigeret aliâ scientiâ à Deo communicatâ; hoc autem aliquid imperfectionis argueret in ipsâ Scientiâ beatificâ, ut patet; ergo &c. Quintò, quia visioni Beatæ tribuenda est major perfectio in ratione cognitionis creatæ, cùm sit omnium perfectior; sed perfectior est cognitio speculativa simul, & practica, quàm solùm speculativa, aut solùm practica; ergo &c.

98. Ex dictis rejicienda est ut improbabilis sententia *Ægid. Roman. q. ult. prolog. in fine, & ad ult. & Argent. ibid. q. 4. art. 4. ad 3.* quatenùs asserunt, visionem Beatam, neque speculativam, neque practicam esse, sed fruitivam, quemadmodum & nostra Theologia hujus vitæ, neque practica est, neque speculativa, sed affectiva. Nam cùm dari nequeat cognitio, quæ aut non referatur ad opus aliquod, aut in purâ veritatis consideratione non quiescat, nulla etiam reperietur, quæ aut practica, aut speculativa non sit; nisi fortè utramque rationem simul participet, ut de Scientia Increata, & de Theologia nostra hujus, & alterius vitæ communiùs docent Theologi. Undè rationes practici, & speculativi immediatè dividunt notitiam, aut cognitionem judicativam.

99. Difficultas 2. Utrum visio Beata sit speculativa simul, & practica respectu utriusque objecti, tam primarii, quàm secundarii? Dico 1. Visio Beata respectu objecti primarii, quod est Deus, & quæcunque in eo formaliter continentur, est speculativa. Probatur, quia Notitia practica de se respicit operationem efficiendam, & à se modo aliquo regulandam; sed Deus, & quæ in eo formaliter continentur, rationem operationis non exercent respectu Beati, ut constat; ergo ab eo non practicè, sed solùm speculativè attinguntur.

100. Dico 2. Visio Beata respectu objecti secùdarii partim est practica, partim speculativa. Probatur, quia Notitia speculativa est illa, quæ sistit in mera veritatis contemplatione; practica autem versatur circa objectum operabile; sed objectum secundarium visionis Beatæ, nempè creaturæ, partim ut operabiles, partim ut non operabiles ei objiciuntur, ut supra ostendimus; ergo &c.

101. Difficultas 3. Utrùm visio Beata formaliter: an solùm eminenter sibi vendicet utramque rationem speculativæ simul, & practicæ? Dico 1. Visio Beata utramque rationem speculativæ scilicet simul, & practicæ continet eminenter. Ita *P. Fonſ. P. Mol. P. Sal. P. Gil. Ægid.* & alii proximè citati. Probatur, quia Visio Beata in una, eademque entitate omninò indivisâ continet id, quod in cognitionibus minùs perfectis importatur per duas cognitiones re ipsa distinctas; ergo illas continet eminenter, eisque æquipollet; siquidem hæc continentia eminentialis non pugnat cum formali; nam anima rationalis, cùm formaliter sit sensitiva, & vegetativa, dicitur hujusmodi gradus continere eminenter, quia æquipollet distinctè habentibus.

102. Dico 2. Visio Beata utramque illam rationem continet etiam formaliter. Ita Doctores citati. Probatur, quia visio Beata creata ita se habet, sicut se habet Increata; cùm sit illius perfectissima participatio, sed hæc est formaliter speculativa simul, & practica; ergo etiam talis erit & illa.

103. Difficultas 4. Utrùm ex his duabus rationibus principalior sit in visione Beata ratio speculativæ? Affirmativè. Ita Doctores cit. Probatur, quia in visione Beata ratio principalior debet esse, quæ desumitur ex objecto primario, quàm quæ desumitur in ordine ad secundarium; sed ratio speculativæ desumitur in ordine ad objectum primarium; practicæ verò in ordine ad secundarium; ergo illa est principalior.

104. Difficultas 5. Utrùm Visio Beata in ordine ad amorem beatificum sit cognitio purè speculativa? Affirmativè. Ita *P. Fonſ. lib. 6. Met. cap. 1. quæst 5. sect. 2. P. Vaſq. 1. 2. d. 12. cap. 1. n. 2. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18. n. 12. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 2. à num. 7.* & tenet *Scot. q. 4. Prolog. litt. M. §. Illud amare*, juxta sententiam magis receptam asserentem, amorem beatificum esse actum necessarium.

105. Probatur primò, quia amor beatificus est actus necessarius, & non liber, ut cum probabiliori sententia infrà probabimus; ergo solùm terminare potest cognitionem purè speculativam, & non practicam; siquidem sola illa operatio rationem praxis sibi vendicat, quæ pendet à libera voluntate eliciente, aut imperante; actus verò necessarius voluntatis libertatem de se non curat. Confirmatur; quia praxis est operatio regulata juxta normam, & leges Notitiæ practicæ; ergo si necessaria sit, non poterit prædicto modo regulari, siquidem, quod necessarium est, de se determinatum est ad unum; consequenterque est omninò incapax regulæ, aut normæ ab alio præscriptæ, ut patet.

106. Probatur secundò ex Philosopho *3. de Anim. cap. 10. text. 51. & 6. Ethicor. cap. 1.* asserente, notitiam practicam versari circa id, quod aliter se habere potest; nam si aliter se habere non potest, ex se ipso regulatum est, ac determinatum, nec ulterius dirigi, aut regulari potest; sed amor beatificus, cùm sit actus necessarius, aliter se habere non potest; ergo neque terminare cognitionem practicam. Confirmatur, quia Notitia practica est notitia prudentialis; sed prudentia solùm circa actiones liberas, quas sic, aut sic moderari queat, versari potest; amor verò beatificus est actus necessarius, & non liber; ergo &c.

107. Oppositum censet *Scot. q. 4. Prolog. ad 1.* quem sequuntur Scotistæ cit. *num. 87.* & ex aliis *Sot. in 4. dist. 49. q. 1. art. 4. P. Mol. 1. p. q. 1. art. 4. d. 1. ad finem, & d. 2. §. Pro solutione. Zumel. ibid. q. 1. Conclus. 5. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 5. num. 26.* & alii: pro quibus: Objicies 1. Notitia practica est dictamen de operatione aliqua exercenda, pro ut supra diximus; sed Visio Beata est hujusmodi dictamen respectu amoris beatifici; siquidem per illam non solùm cognoscitur Deus ipse in ordine ad se, sed etiam in ordine ad actum amoris beatifici, cognoscente simul ipsâ potentiâ intelligendi, quod Deus sit amore beatifico summè diligendus, & quod maximè honestum sit Deum summè amore prosequi; ergo Visio Beata praxim dirigit circa amorem beatificum.

108. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, hoc quod est cognoscere, Deum esse amore beatifico summè diligendum, aut maximè honestum esse, Deum summo amore prosequi, non esse cognitionem practicam; siquidem non præscribit modum, aut normam operationi, seu actui amandi, qui necessarius est, sed esse directivam amoris eo modo, quo cæteræ intellectiones creatæ dirigunt actiones necessarias voluntatis, vel aliarum potentiarum.

Objicies

109. Objicies 2. Ut actio aliqua in toto rigore praxis dici queat, opus non est, quod à potentia libera egrediatur, sed satis est, quod per verum dictamen potentiæ intelligentis dirigatur; atqui amor beatificus ita dirigitur; ergo &c. Respondeo supponi falsum posse actionem dirigi per dictamen intellectûs, quin sit libera; sicque non potest rationem praxis propriæ habere, quin à potentia omninò libera, prout talis est, egrediatur.

110. Instabis: Visio Beata non aliundè est practica in ordine ad creaturas, nisi quia actiones circa illas dirigit; sed ita dirigit circa amorem beatificum eliciendum; ergo &c. Respondeo Visionem Beatam in ordine ad creaturas esse practicam, quia circa illas directiva, & regulativa est actionum liberarum, seu quæ aliter se habere possunt; quod tamen habere non potest in ordine ad amorem beatificum, ut diximus.

SECTIO V.

De discursu, & certitudine Visionis Beatæ.

111. DIFFICULTAS 1. Utrùm Visio Beata sit cognitio discursiva? Dico 1. Visio Beata non est formaliter discursiva. Ita *D. Thom. q. 8. de Verit. art. 15. ad 1. & q. unica. de Anim. art. 7. ad 4. Cabrer. 3. p. q. 10. art. 4. d. 5. num. 44. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18. n. 7. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 3. n. 3. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 1. n. 11. P. Soar. Lusit. de Anim. tr. 3. d. 3. n. 160. P. Tellez. d. 85. sect. 3. n. 8. Ægid. Lusit. lib. 5. de Beatit. q. 8. art. 1. § 2. n. 14. Lorca tom. 1. in 1. 2. d. 18. §. secundum dubium. P. Ripal. d. 55. n. 40.* quorum plures jam citavimus in Log. *tract. 5. d. 4. n. 135.* ubi jam de hac, & sequenti conclusione, & ideò de illis hîc breviter.

112. Probatur primo à priori, quia cognitio formaliter discursiva solùm reperitur, quando potentia ob defectum luminis, speciei, aut aliud impedimentum ex parte potentiæ, vel objecti appositum, non potest penetrare effectum in sua causa, ut utrumque unâ, eâdemque cognitione attingat, sed efformando priùs cognitionem causæ, ex ea manuducitur ad eliciendam aliam cognitionem effectûs causatam ab illa priori; atqui in Visione Beatâ nulla hujusmodi imperfectio reperitur, neque ex parte luminis, quod est perfectissimum, neque ex parte speciei, quæ est ipsa Essentia Divina, neque ex parte objecti cognoscendi, quod est ipse Deus; ergo quidquid ratione luminis gloriæ Beato est manifestabile, unâ, eâdemque cognitione percipit, & sine ullo discursu.

113. Probatur secundò, quia communior Theologorum sententia, quos citat, & sequitur *P. Soar. lib. 2. de Angel. cap. 33.* non admittit in Angelis hujusmodi discursum, saltem quoad evidenter cognita, ex eo, quod causas, eorumque effectus unico intuitu simul attingunt ob perfectionem luminis, & specierum; sed in Beatis lumen, & species sunt perfectiora, ut constat; ergo &c.

114. Probatur tertiò, quia Theologi cum D. Thom. cit. ut videre est apud *P. Soar. tom. 1. in 3. p. d. 28. sect. 2. §. Dico 1. & P. Vasq. ibid. d. 52. cap. 3. n. 18.* excludunt hujusmodi discursum à Scientia per se infusa Christi Domini ob illius perfectionem, utpotè utens lumine, & speciebus perfectissimis; ergo ob eandem rationem excludi debet à Visione Beata.

115. Probatur quartò, quia Visio Beata est perfectissima participatio Visionis beatificæ Increatæ; sed huic denegare solent Theologi cum *D. Thom. 1. contr. gent. cap. 88. & 1. p. q. 14. art. 7.* ut vidimus in Log. *tract. 5. d. 4. à num. 187.* omnem rationem discursûs; licet enim perfectissimè cognoscat effectus in suis causis, utrumque tamen unâ, & eâdem cognitione simul attingit absque ratione causalitatis, & dependentiæ ob summam perfectionem luminis Increati; ergo Visioni Beatæ deneganda erit ratio discursûs, saltem formalis.

116. Oppositum tenent aliqui Recentiores cum *P. Arriaga tom. 2. in 1. p. d. 51. n. 13. & P. Recupit.* qui tamen adeò clarè non loquuntur: pro quibus: Argues 1. cum *Mayron. quodlib. q. 2. ad 1. & q. 14. Prolog. §. Sed contra. Bassol. ibid. q. 1. art. 1. Lychet. q. 4. dicto 3.* qui hanc sententiam secuti sunt: Visio Beata cognoscit creaturas ex ratione Essentiæ divinæ priùs cognitæ, quæ secundùm suas perfectiones est ratio cognoscendi illas; sed quando cognoscitur unum ex vi alterius priùs cogniti, datur ratio discursûs; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: datur ratio discursûs, vel formalis, vel virtualis; concedo minorem: semper formalis; nego minorem: hunc autem negamus in Visione Beata ob rationes assignatas; de discursu autem virtuali, quem ad plurimum probat argumentum, infrà dicemus.

117. Argues 2. Visio Beata habet rationem perfectissimæ scientiæ; sed hæc per discursum comparatur, ut constat; ergo &c. Respondeo Visionem Beatam esse quidem scientiam perfectissimam, non tamen definitam ab Aristotele, idest, causatam ab antecedente cognitione distincta, sed à cognitione perfectè attingente effectum in causa, & propter causam, secluſis imperfectionibus pluralitatis cognitionum, & dependentiæ, quas habet Scientia ab Aristotele definita.

118. Argues 3. In cognitione naturali Angelica conceditur ratio discursûs, etiam circa evidentia, ex sententia Scot. & aliorum apud *P. Soar. lib. 2. de Angel. cap. 33. à n. 1.* quam etiam in Scientia per se infusa Christi Domini, saltem quoad usum, concedit *D. Thom. 3. p. q. 11. art. 3,* & cum eo *Cajet. Medin.* & alii; ergo etiam in Visione Beata concedi poterit: sicut enim Visioni Beatæ competit supernaturale lumen adæquatum objecto cognoscendo, ita proportione servatâ, cognitio Angelica in intellectu Angeli naturale lumen & speciem adæquatam objecto præsupponit: similiterque Scientia per se infusa Christi Domini utrumque hoc principium supponit supernaturale.

119. Respondeo negando antecedens quoad utramque partem; probabilior enim sententia, quam cum multis tenuimus in Log. *tract. 5. d. 4. à n. 111.* affirmat nullum dari in Angelis discursum formalem, saltem circa evidentia, idque ob rationes supra, & loco cit. adductas, ut latè probat P. Soar. loco cit. *de Angel. à num. 9.* Idem etiam ut certissimum existimo de Scientia per se infusa Christi Domini, ut latè probant Recentiores loco cit. 3. *p.* & nos satis ostendimus ex dictis in Logica *tract. 5. d. 4. à num. 128.* undè argumentum ad plurimum solùm probat de discursu virtuali: pro quo:

120. Dico 2. Visio beata est virtualiter discursiva. Ita *P. Soar. cit. & lib. 2. de Angel. cap. 33. num. 5. P. Granad. tom. 1. d. 2. n. 2. P. Sal. cit. P. Soar. Lusit. cit. n. 165. P. Tellez. cit.* & alii. Probatur primò, quia Visio beata primariò attingit Essentiam Divinam, & ex illâ priùs cognitâ attingit secundariò

creaturas ; sed hoc fit per discursum, saltem virtualem ; ergo &c. Secundò quia in Visione beata possumus distinguere per nostros conceptus duas cognitiones, seu potiùs duas virtualitates, alteram tendentem in Immutabilitatem Dei, alteram in Æternitatem ex vi Immutabilitatis, in quo non potest non dari ratio discursûs, saltem virtualis.

121. Confirmatur primò, quia Visio beata utitur signis instrumentalibus, ut diximus in Log. *tr. 3. d 4. num. 37.* sed usus istorum signorum ordinariò fit per discursum, saltem virtualem, ut diximus ibid. *d. 2. n. 49* ergo &c. Secundò, quia Visio beata, licet sit perfecta participatio Cognitionis Divinæ, est illâ imperfectior ; sed Cognitio Divina, utpotè perfectissima, neque virtualiter est discursiva, ut diximus in Log. *tr. 5. d. 4. à n. 190.* ergo Visio beata, utpotè imperfectior, erit saltem virtualiter discursiva. Argumenta quæ adduci possunt contra hanc & præcedentem conclusionem, vide in Log. *tr. 5. à n.* 136. *& à n.* 147.

122. Difficultas 2. Utrùm Visio beata evidentior sit, & certior quâvis aliâ cognitione creatâ ? Advertes primò, certitudinem aliam esse formalem, & aliam objectivâ : Formalis propriè accepta est, ut definit D. Thom. *in 3. dist. 26. q. 2. a. 4. Firmitas adhæsionis potentiæ in suum cognoscibile.* Certitudo objectiva, à quâ oritur formalis, est infallibilitas objecti, quod ita necessarium repræsentatur potentiæ, ut aliter se habere non possit. Secundò certitudinem objectivam non impendere cognitioni certitudinem formalem, nisi prout intentionaliter illi applicatur. Unde potest objectum in se infallibile fallibiliter applicari cognitioni, ita ut opinionibus, & erroribus subjiciatur. His positis.

123. Dico primò, Visio beata evidentior est quâvis aliâ cognitione creatâ, etiam cognitione primi principii. Ita *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap.* 18. *n. 2. ad finem. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 3. sect. 6. n.* 22. ubi id probat ex quibusdam locis D. August. *Ægid. lib. 11. de Beatit. q. 5. a. 3. §. 7. n.* 26. *Cæsar. lib. 6. de Verit. q. 29. n. 5. Ribas tr. 3. d. 3. cap. 5. n. 50.* & alii. Probatur primò authoritate D. August. *lib.* 15. *de Civit. cap. 29.* ubi asserit Beatos singulas Personas, & unum Deum ita nosse, ut magis ista sint nota, quàm nos ipsi nobis cogniti sumus.

124. Probatur secundò ratione, quia Visio beata procedit à lumine altioris ordinis, & multò majoris perfectionis, quàm est illud, à quo procedunt scientiæ, & prima principia increatis ; siquidem procedit à lumine gloriæ, tenditque in objectum habens veritatem unam, simplicissimam, & clarissimam respectu talis luminis ; ergo est evidentior qualibet cognitione, etiam primi principii in creatis. Confirmatur, quia ex communi sententiâ evidentia cognitionis sumitur tum ex parte potentiæ, & est manifestatio veritatis : tum ex parte objecti, & est proprii objecti claritas, & perspicuitas ; sed hæc in Visione beata superant quamlibet evidentiam creatam, ut ex assumptis constat ; ergo &c.

125. Dices : Evidentia, & claritas primi principii dici solet summa ; ergo evidentia Visionis beatæ non est illâ major ; alioqui jam non esset summa. Resp. evidentiam primi principii solùm dici summam in ordine ad lumen naturale ; nam si prima principia cognoscantur per nobilius lumen, sive sit supernaturale, sive etiam naturale Angelicum, adhuc evidentiùs poterunt penetrari.

126. Dico 2. Visio beata est certior quâlibet certitudine scientiæ creatæ. Ita *Durand. in 3. dist. 23. q. 7. n. 10. P. Soar. cit. Ægid. cit. n. 30.* & alii. Probatur, quia quando cognitio objecti est evidens, ex illius evidentia desumitur ejus certitudo, ut constat ex Philosophia ; siquidem quò objecti veritas est evidentior, eò magis infallibilem generat assensum, in quo certitudo cognitionis constituitur ; sed Visio beata evidentissimè ostendit veritatem summè necessariam objecti primarii, & objecta secundaria per veritatem summè necessariam cum maximâ evidentiâ cognitam ; ergo certior est quâlibet scientiâ creatâ. Confirmatur, quia certitudo Visionis beatæ sumitur ex rationibus primis, & æternis clarissimè cognitis in Deo : certitudo autem scientiæ creatæ desumitur ex habitudine, vel connexione extremorum participata ab ipsis rationibus æternis ; ergo illa absolutè major est.

Difficultas 3. Utrùm certitudo Visionis beatæ 127. sit major certitudine fidei ? Affirmativè. Probatur, quia licet hujusmodi cognitiones sint omninò æquales ex parte objecti, & ejusdem infallibilitatis ; siquidem utraque in prima veritate nititur ; certitudo tamen Visionis beatæ includit quidquid importat certitudo Fidei, & multò plura : primò necessitat intellectum, excludendo ab illo omnem prorsùs dubitationis umbram. Secundò procedit ex lumine supernaturali non obscuro, sicque nobiliori : Tertiò fundatur in prima veritate, non loquente, sed in se manifestante totam suæ infallibilitatis necessitatem, in quâ fundatur certitudo Fidei : Quartò habet se ut certitudo subalternans ad subalternatam ; siquidem ostendit originem, unde Fides suam accipiat certitudinem ; ergo negari non potest certitudinem Visionis beatæ esse majorem certitudine Fidei ; imò & certitudine scientiæ per se infusæ Christi Domini, & cujuslibet alterius scientiæ non beatificæ.

SECTIO VI.

Vtrùm, & quomodò Visiones Beatæ inter se specie distinguantur ?

Difficultas 1. Utrùm Visiones Beatæ hominis v.g. & Angeli de facto, aut 128. saltem de possibili, specie distinguantur ex diversitate essentiali potentiarum, à quibus eliciuntur ? Negativè. Ita *Durand. in 3. dist. 14. q. 1. n. 8. Marsil. q. 10. a. 2. Mayron. in 2. dist. 3. q. 1. Sot. in 4. dist. 49. q. 3. a. 2. §. His non obstantibus, P. Mol. 1. p. q. 12. art. 6. d. 5. Zumel. Pesant. ibid. P. Vasq. d. 47. cap. 5. §. Respondeo, P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 19. concluſ. 1. P. Valent. 1. 2. q. 5. d. 1. pun. 3. fine. P. Sal. 1. 2. tr. 2 d. 3. sect. 9. P. Gil. tom. 2. tr. 8. cap. 8. P. Amicus tom. 1. d. 9. n. 281. P. Becan. tr. 1. q. 8. cap. 9. P. Fasol. 1. p. q. 12. art. 6. dub. 2.* & alii.

Probatur 1. pars primò, quia diversitas specifica 129. actuum dignosci nequit ex diversitate essentiali potentiarum, à quibus eliciuntur, nisi quando potentiæ illos producunt secundùm earum rationem specificam completam & adæquatam, non autem secundùm genericam, incompletam, & inadæquatam ; siquidem actus secundùm suam rationē adæquatam acceptus, est quædam proprietas, seu quasi proprietas potentiæ, à qua egreditur ; proprietas autem subjectum, seu naturam, cujus est proprietas respicit, & ab eadem specificatur, non secundùm rationem genericam, sed secundùm solam specificam ; atqui potentiæ hominis & Angeli secundùm se acceptæ Visiones beatas producunt secundùm quod in ratione potentiarum habent incompletum, inadæquatum, & genericum, nempè

nempè intellectricium; siquidem per lumè gloriæ, vel auxilium constituuntur in ratione specifica, completa & adæquata potentiarum potentium producere, ut patet ex supra dictis; ergo istorum actuum diversitas potiùs sumenda est ex prædictis potentiis, ut sunt illustratæ lumine gloriæ, vel auxilio, quàm secundùm quod sunt potentiæ hominis, & Angeli diversæ in sua entitate propriâ; sed prout sic jam non sub diversa specie, sed sub eadem constituuntur; siquidem lumen & auxilium sub eadem specie collocantur, ut infra dicemus; ergo &c.

130. Probatur secundò ex absurdo, quia si Visiones beatæ sumerent distinctionem essentialem à potentiis essentialiter diversis, sequeretur: Primò quemlibet Angelum, etiam infimum habere Visionem beatam essentialiter perfectiorem visione omnium hominum: Secundò habere Visionem perfectiorem Visione beatâ Beatissimæ Virginis, imò & Christi Domini; sed primum non est dicendum; siquidem ex D Thom. infra *q. 108. a. 8. & lib. 3. contr. gent. cap. 57.* sententia dicens, homines non posse pervenire ad æqualitatem gloriæ Angelorum, vocatur *erronea*. Et in *2. dist. 9. q. 1. a. 8.* dixerat, esse contrariam dictis Sanctorum, & videri sapere hæresim: Secundum autem est contra communem sensum Ecclesiæ canentis: *Exaltata est Sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cælestia regna.* Et utrumque videtur esse contra illud Luc. 20. *Filii resurrectionis, & Filii Dei, æquales Angelis sunt in alio sæculo.* Et Apoc. 21. *Mensura hominis, quæ est Angeli.*

131. Dicent primò, visionem hominis posse adeò crescere, ut æquivaleat visioni Angelicæ, eamque superet: sicut si argentum argento addatur, excedetur in valore, ac pretio parum auri. Sed contra, quia hic excessus in argento est moralis, quoad usus hujus vitę; & non physicus, quoad intrinsecam rei naturam; alioqui ipsemet intellectus humanus fieri posset perfectior, & perfectior, ita ut æquaret, & superaret Angelicum, quod non est dicendum.

132. Dicent secundò, non necesse esse, ut quod est perfectius in ratione visionis, sit etiam perfectius in ratione beatitudinis; sicque Angelum posse habere perfectiorem visionem, quàm animam Christi Domini in ratione Visionis, non tamen in ratione beatitudinis. Sed contra, quia Anima Christi Domini superat omnes Angelos non solùm in ratione beatitudinis, sed etiam visionis & scientiæ, ut tanquam certum probatur in *3. part. quæst. 10.* ex illo ad Ephes. 1. ibi: *Constituens illum in cælestibus supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationē*, &c. Et ad Colos. 2. ibi: *In quo sunt omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ absconditi.*

133. Probatur secunda pars negans etiam de possibili discrimen specificum inter Visiones beatas desumendum ex potentiis essentialiter diversis: quia diversitas actuum solùm potest desumi à potentiis secundùm rationem specificam, completam, & adæquatam earum, ut diximus; sed quæcumque potentia à Deo producibilis in ordine ad Visionem beatam solùm concurreret secundùm rationem genericam, incompletam, & inadæquatam; siquidem omnis compleretur per lumen gloriæ, vel auxilium supernaturale ad productionem talis visionis, ut patet ex supra dictis, quod quidem lumen, vel auxilium esset ejusdem speciei in omnibus; ergo neque de possibili dari potest distinctio specifica in visionibus desumpta ex diversitate essentiali potentiarum.

Oppositum tenet *Major. in 1. dist. 1. q. 14. ad 5. & in 4. dist. 49. q. 11. art. 16.* & inclinare videtur *Paludan. in 4. dist. 49. q. 5. art. 1.* & re ipsa placuit *Scot. in 2. dist. 1. q. 6. à §. Contra. & in Reportat. in 3. dist. 13. q. 3. §. Ad 3, quæst.* ubi ad hoc, ut probet, Visiones beatificas specie non distingui, defendit, intellectus Angeli, & hominis esse ejusdem speciei; ergo manifestè supponit, si essentialiter differant, etiam sic distinguendas esse eorum Visiones. Et ex eodem capite, saltem de possibili hoc idem sequitur *Lychet. in 3. dist. 14. q. 1. §. Duo duo*; pro quibus: 134.

Argues 1. Potentiæ essentialiter diversæ respiciunt actus, & objecta essentialiter diversa, utpotè quæ ab illis distinctionem specificam sumunt; sed intellectus Angeli, & hominis sunt potentiæ essentialiter diversæ; sicut enim Angelus, & homo, ita & eorum proprietates, quales sunt eorum intellectus, specie differunt; ergo Visiones beatæ, sive actus talium potentiarum, etiam specie distinguentur. Respondeo majorem esse veram de potentiis respicientibus actus naturales, & objecta naturalia; siquidem illa respiciunt adæquatè, & completè secundùm totam suam rationem & genericam, & specificam: aliter verò de potentiis respicientibus actus supernaturales, quales sunt Visiones beatæ, & objectum supernaturale, qualis est Deus, ut constat ex dictis. 135.

Argues 2. Hujusmodi potentiæ concurrunt ad Visiones Dei eliciendas per virtutem, seu vitalitatem, non merè obedientialem, sed sibi intrinsecam naturalem, quam essentialiter communicant suis actibus, prout supra diximus; sed vitalitates harum potentiarum specie distinguuntur, sicut & ipsæ potentiæ; ergo sic etiam distinguentur earum actus, seu Visiones. Respondeo potentias istas concurrere quidem ad Visiones Dei per virtutem sibi naturalem, saltem inchoatam, prout supra diximus, & suis actibus communicare vitalitates specie diversas, inficior tamen eisdem similiter communicare diversitatem specificam. Et hujus ratio est, quia diversitas specifica actus non desumitur ex gradu potentiæ generico, sed specifico, qui in proposito eventu confertur à solo lumine, vel auxilio ejusdem speciei infimæ, ut diximus. 136.

Argues 3. Si potentia visiva hominis, & bruti specie distinguerentur, licet idem objectum sub eodem lumine, & per easdem species perciperent, illarum tamen visiones specie distinguerentur, ob solam diversitatem potentiarum; ergo licet lumen, species, aut forma intelligibilis sint eadem respectu ejusdem objecti beatifici, Visiones tamen erunt specie diversæ, quia specie diversæ sunt potentiæ hominis, & Angeli. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia potentiæ illæ vitivæ concurrerent ad suos actus naturales per virtutem sibi intrinsecam completam & adæquatam; sicque cùm hæc esset in illis specie diversa, sicut & ipsæ potentiæ, necessariò producerent actus specie diversos: at verò in re de qua agimus, longè aliter contingeret, ut diximus. 137.

Difficultas 2. Utrùm Visiones Beatæ de facto, aut saltem de possibili distinguantur specie ex diversa terminatione ad diversas rationes objectivas objecti primarii? Negativè. Ita quoad primam partem tenent *Zumel. 1. p. q. 12. art 6. q. ult §. 11. Pesant. ibid. d. 2. conclus. 1. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 9. à n. 7. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 9. n. 36. ad 2. & 3.* estque de mente omnium asserentium, Visiones Beatas specie non distingui. Quoad secundam partem de possibili defendunt *Paludan.* 138.

in 4. dist. 49. q.3. art.1. P. Gil. cit. lib. 8. cap.9.tr. 8. à n. 11. & possunt etiam citari *Caiet. 3. p. q. 10. a. 10. Cabrer. ibid. P. Soar. lib.2. de Attrib. cap. 19. conclus. 2. & tom. 1. in 3. d. 26. in præfat. §. 1. Dico 4. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 9. n. 38.* cum aliis ex antiquis, quatenùs docent, neque de potentia absoluta dari posse Visiones Beatas specie distinctas.

139. Probatur prima pars, quia quælibet Visio Beata, sive hominis, sive Angeli de facto clarè, & distinctè percipiunt omnia Attributa, & perfectiones primarias in Deo, solùmq; differût in eo, quod una clarè, & distinctè penetret aliquas perfectiones secundarias, quas nõ ita clarè & distinctè attingit alia, licet omnes omninò videat per modum unius, ut infrà dicemus; sed hoc non arguit in illis discrimen essentiale; ergo omnes in ordine ad objectum primarium continentur de facto sub eadem specie.

140. Probatur minor, in qua est difficultas, quia quando plures cognitiones attingunt objectum omninò idem, per idem lumen, & eandem speciem, non distinguuntur specie, licet aliquæ magis, & distinctiùs, aliæ verò minùs distinctè objectum illud cognoscant, ut patet in pluribus visionibus ejusdem parietis, quæ omnes sunt ejusdem speciei, licet alia in objecto propinquiori plures partes distinguat, alia verò pauciores propter objecti distantiam; siquidem omnes attingunt idem objectum, licet alia plures partes, alia autem pauciores distinguat, quod solùm efficit discrimen accidentale; ergo licet aliquæ Visiones Beatæ in objecto beatifico plures partes, sive perfectiones secundarias distinguant, aliæ verò pauciores, solùm accidentaliter, non verò essentialiter distinguentur, utpotè quæ omnes idem objectum primarium attingunt, & solùm differunt per majorem, aut minorem distinctionem, & claritatem, quæ solùm arguunt discrimen accidentale.

141. Probatur secunda pars, quia quando plures cognitiones idem omninò objectum percipiunt secundùm omnes partes, quas essentialiter includit, impossibile est, quod ab eodem accipiant diversitatem specificam, licet una partes illas aut quoad omnia, aut quoad aliqua clariùs, & distinctiùs percipiat, quàm alia; siquidem non datur caput, ex quo talem diversitatem sumant; sed Visiones Beatæ, etiam possibiles, cùm necessariò sint intuitivæ Dei, omnes illius perfectiones attingunt per modum unius, licet aliæ aliis clariùs, & distinctiùs ex diversitate luminis, applicationis Essentiæ divinæ, aut concursûs divini, prout infrà latiùs explicabimus; ergo &c.

142. Confirmatur, quia impossibile est, quod plures cognitiones naturales intuitivè attingentes idem objectum creatum distinguantur specie inter se ex eo, quod una distinctiùs, quàm alia partes illius penetret, dummodò utraq; omnes illas attingat per modum unius, ut supponimus; ergo id ipsum erit impossibile in Visionibus Beatis supernaturalibus terminatis ad idem objectum beatificum.

143. Oppositum, saltem de possibili defendunt *Bassol. in 1. dist. 1. q. 1. art. 3 §. Sed non video. Paludan. in 4. dist. 49. q. 3. art. 1.* & probabile indicant *Ægid. lib. 5. de Beatit. q. 14. art. 7 §. 3. n. 41. & tom. 2. lib. 11. q. 5. art. 3. §. 15. n. 90. Navarret. tom. 1. Controv. 39. §. 2. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 9. n. 11. & 14.* afferentes, Visiones Beatas, saltem de possibili specie distingui ex diversa terminatione ad objectum primarium, qui est ipse Deus visus secundùm has, vel illas perfectiones essentialiter diversas: pro quibus:

144. Objicies 1. De potentia absoluta fieri potest, ut per unam visionem Angeli, vel hominis videantur quædam perfectiones sive primariæ, sive secundariæ, quæ non videantur per aliam: ut videatur Essentia sine Personis: & ut videatur una, aut plures Personæ, quæ non videantur per aliam visionem, ut infrà dicemus; sed hujusmodi visiones necessariò erunt specie diversæ; siquidem respicerent transcendentaliter objecta essentialiter diversa, à quibus specificarentur, & distinguerentur; ergo &c. Respondeo majorem esse falsam, si velit, ut divinitùs fieri possit, ut per aliquam visionem videatur in Deo una perfectio, aut Essentia, aut una Persona, quin aliquo modo videatur alia, de quo infrà: Veram autem si intendat fieri posse, ut per unam visionem videatur una perfectio clarè, & distinctè (sicque de aliis adductis,) quin ita videatur per aliam; in quo tamen sensu negamus minorem, & ejus probationem; tunc enim tales cognitiones non terminantur ad objecta essentialiter, sed accidentaliter diversa, prout patet ex supra dictis.

145. Objicies 2. Si eadem natura hominis cognoscatur per diversas cognitiones, quarum una attingat hominem, ut animal, alia ut rationalis est, tales cognitiones erunt essentialiter diversæ: ergo sic etiam distinguentur specie plures visiones, si attingant diversas perfectiones in Deo. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia cognitiones illæ hominis, cùm sint abstractivæ, & præcisivæ, ita per unam attingitur unus gradus, ut alius non attingatur, sicque habent objecta essentialiter diversa, & ideò ipsæ cognitiones sunt etiam specie diversæ: at verò Visiones Beatæ, cùm sint intuitivæ, & quidditativæ Dei, non possunt non attingere omnem illius quidditatem, sicque omnes illius perfectiones, saltem confusè, ac proindè omnes habent idem objectum beatificum, ideoque specie non distinguuntur. Si tamen omnes gradus hominis per modum unius perciperentur, tunc eodem modo philosophandum esset de illis cognitionibus hominis, atque de visionibus Dei.

146. Objicies 3. Quando objecta sunt essentialiter diversa, etiam cognitiones specie differunt; sed objecta primaria illarum visionum sunt essentialiter diversa; sic enim differunt in Deo perfectiones absolutæ, & relativæ; ergo sic etiam specie differrent visiones. Respondeo negando minorem, (dato quod perfectiones relativæ pertineant ad rationem objecti primarii, de quo infra,) nam unum, & idem est objectum primarium illarum visionum, nempè Deus secundùm omnes suas perfectiones, licet magis, aut minùs distinctè cognitas.

147. Objicies 4. Si foret possibilis Visio Dei comprehensiva creata, hæc à cæteris non comprehensivis specie distingueretur; sed non ex alio capite, nisi quia per illam attingerentur plures, imò omnes perfectiones primariæ, quæ tamen per alias visiones inadæquatas de facto non attingerentur; ergo Visiones Beatæ possunt specie distingui ex diversa terminatione ad objectum primarium. Respondeo negando majorem: Cognitio enim comprehensiva creata (dato, quod foret possibilis, de quo infrà,) in eo ab aliis non comprehensivis distingueretur, quod illa, non verò aliæ, distingueret omnes perfectiones Dei, sicque illas tantùm excederet in intensione, aut extensione, ac proindè intra eandem speciem. Patet, quia si daretur quantitas infinitè extensa, aut qualitas infinitè intensa, adhuc essent ejusdem specici cum aliis quantitatibus,

tibus, & qualitatibus finitis in extensione, & intensione.

148. Objicies 5. Cognitiones, quibus in via Deum cognoscimus secundùm has, aut illas perfectiones essentialiter diversas, sunt etiá essentialiter diversæ; ergo etiam sic erunt Cognitiones, sive visiones in patria. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est; quia cognitiones, quibus Deum in via cognoscimus, cùm sint abstractivæ, non attingunt Deum secundùm omnes suas perfectiones per modum unius: at verò Visiones Beatæ, quælibet, utpotè intuitiva, & quidditativa Dei, attingit totum Deum per modum unius objecti secundùm omnes perfectiones, sive magis, sive minùs distinctè.

SECTIO VII.

Aliæ difficultates circa distinctionem Specificam Visionum Beatarum resolvuntur.

149. DIFFICULTAS 3. Utrùm Visiones Beatæ de facto, aut saltem de possibili specie distinguantur ex diversa terminatione ad objectum secundarium? Negativè. Undè visio, quâ solus Deus videretur, specie non differret ab ea, qua simul cum creaturis videretur: Neque illa, quâ videretur simul cum certis creaturis, specie differret ab ea, quâ videretur simul cum aliis creaturis specie diversis Quoad primam partem traditur à *Zumel. 1. p. q. 12. art. 6. d. ult. §. 10. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 6. d. 5. ad 2. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 19. n. 12. ad 2. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 9. num. 26. ad 2. & 3.* & est aliorum communis. Quoad secundam verò partem est etiam eorumdem Doctorum, & *P. Recupit. lib. 6. cap. 5. num. 55.*

150. Probatur prima pars, quia distinctio specifica scientiarum non desumitur ab objecto materiali, sed formali; atqui in visionibus objectum formale est objectum primarium, materiale verò est secundarium, quæ sunt creaturæ; ergo à solo primario, nempè Deo clarè viso desumi debet objectiva distinctio visionum; ac proindè sive diversæ, sive nulla creatura in Deo videatur, semper visiones manebunt intra eandem speciem. Confirmatur, quia visio attingens creaturas in Deo procedit à potentia illustrata eodem lumine, & determinata per eandem speciem, nititurque eâdem veritate; sicut procedit, determinatur, & nititur illa, quæ nullam, aut plures creaturas diversas attingit; siquidem nulla creatura attingitur propter se, & propter connexionem suorum terminorum; ergo creaturæ non præstant visionibus discrimen essentiale.

151. Probatur secunda pars, quia quælibet Dei Visio, etiam possibilis, in ordine ad quaslibet creaturas existentes, aut possibiles, eo ipso, quod beatifica est, debet procedere à potentia illustrata eodem lumine, determinatâ per eandem speciem, & niti eâdem veritate clarè cognitâ; ergo necessariò participabit idem objectum formale, à quo in scientiis accipi solet distinctio; consequenterque manebit sub eadem specie cum aliis visionibus de facto.

152. Oppositum tenent *Adam. in 2. dist. 1. q. 8. a. 2. Major in 4. dist. 49. q. 10. & q. 12. ad 2. Almayn. in 3. dist. 14. q. unica. art. 1. Greg. in 2. dist. 7. q. 2.*

art. 1. ad 1. P. Herice tract. 4. d. 49. cap. 3. num. 30. & probabilem dicit hanc sententiam *Paludan. in 4. dist. 49. q. 5.* pro quibus: Argues 1. Visiones specie distinguuntur, quoties ad objecta specie diversa terminantur; siquidem specie ab alio differt, quod caret aliquo prædicato essentiali illius; visiones autem, cùm sint essentialiter repræsentativæ, dicunt essentialem ordinem ad quidquid repræsentatur, & aliæ repræsentant aliquid essentialiter diversum, nam Deus solus, & Deus cum creaturis est quid essentialiter diversum; ergo &c. Respondeo antecedens esse verum, si objecta formalia sint specie diversa; non autem sola materialia; nam ad distinguendas cognitiones essentialiter, solùm attenditur diversitas objecti formalis, & non materialis, ut supra diximus, & patet in actibus Fidei Divinæ: creatura autem addita Deo in ordine ad visionem, solùm se habet materialiter, & ita se habet ejus repræsentatio in visione.

153. Argues 2. Si daretur potentia cognoscitiva simul, & appetitiva, differret specie à sola cognoscitiva; ergo sic distinguetur Visio Dei simul, & creaturarum à visione solius Dei. Respondeo admissâ suppositione (fortasse impossibili ob connexionem impossibilem duplicis illius rationis formalis, ut constat ex alibi dictis) concesso antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia in illa potentia sic coalescente ex cognoscitivo, & appetitivo daretur diversum objectum formale ab objecto potentiæ solùm cognoscitivæ, ut patet: non ita verò in visionibus, ut diximus.

154. Argues 3. Si darentur tres visiones trium Personarum divinarum, quarum quælibet unam tantùm Personam attingeret, essent diversæ speciei ob diversas repræsentationes; ergo sic distinguentur visiones terminatæ ad diversas creaturas. Respondeo admissa suppositione, de qua alibi, distinguendo antecedens: essent diversæ speciei, si Personæ viderentur seorsim sub peculiari intelligibilitate, non gerente Essentiâ divinâ rationem speciei; concedo antecedens: si viderentur sub intelligibilitate ipsius Essentiæ gerentis vicem speciei respectu uniuscujusque Personæ; nego antecedens: in primo enim eventu daretur multiplex objectum formale; in secundo autem daretur unicum tantùm.

155. Argues 4. Minùs differunt inter se duæ visiones Dei terminatæ v. g. ad easdem duas creaturas, quàm terminatæ ad plures, vel pauciores; sed illæ differunt numero; ergo hæ different specie. Respondeo negando consequentiam: nam intra latitudinem differentiæ individualis dari solet major, & minor differentia, præsertim in illis, quæ dicunt ordinem ad extrinsecum, ut dicunt visiones, sicque hæ possunt magis differre, quàm illæ, & tamen omnes solùm numero.

156. Difficultas 4. Utrùm Visiones Beatæ specie distinguantur ex diversitate principii supernaturalis ex parte potentiæ? Negativè; idque sive sermo sit de principio supernaturali actuali, sive etiam de possibili. Prima pars est expressa *D. Thom. quæst. 9. de Verit. art. 1. ad 17. Cajet. 3. p. q. 16. art. 4. Zumel. 1. p. q. 12. art. 6. ad ult. §. 1. P. Mol. ibid. d. 5. §. Contrariam.* Secunda pars traditur *à Cajet. cit. Cabr. 3. part. q. 10. d. 4. art. 4. Machin. 1. p. quæst. 12. art. 6. d. 17. sect. 2. §. Dicendum est. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 9. num. 10. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 19. num. 10.* & probabilem dicit *Zumel. cit.*

157. Probatur prima pars, quia principium supernaturale de facto concurrens ex parte potentiæ, illam elevans, & constituens in ordine supernaturali, est habitus luminis gloriæ; sed hic de facto constituitur sub eadem specie infima; siquidem gratia habitualis, charitas, & omnes aliæ virtutes per se infusæ sub eadem specie infima de facto continentur, ut Theologi unanimiter consentiunt, sicque idem dicendum est de lumine gloriæ, cùm sit eadem ratio; ergo etiam sub eâdem specie infimâ contineri debent Visiones, ad quas concurrit.

158. Probatur secunda pars, quia impossibilis est diversitas essentialis in habitu, aut qualitate concurrente ex parte potentiæ ad visiones, consequenterque in ipsis visionibus, quando impossibile est fundamentum, aut principium, à quo talis diversitas desumi possit; sed nullum datur fundamentum, aut principium, à quo desumi possit diversitas hæc in lumine, aut qualitate supernaturali elevante potentiam ad videndum Deum; siquidem objectum specificans actus, & habitus potentiæ videntis clarè Deum, est ipsemet Deus, prout est verum ens in se & à se; prout sic autem semper est idem omninò ens invariabile, & eodem modo conjungibile mentibus Beatorum in ordine ad claram sui visionem; ergo &c.

159. Oppositum quoad secundam partem defendunt *Navarret. tomo 1. controv. 39. §. 2. & Pesant. 3. p. quæst. 12. art. 6. d. 2. not. ab. 2.* Pro quibus: Objicies 1. Ideò lumina gloriæ non possent differre specie, quia habent idem objectum invariabile, quod respiciunt, nempè Deum; sed hæc ratio nulla est; siquidem lumen creatum, & Increatum per suas entitates differunt essentialiter, sicut ipsæ visiones creata, & Increata, cùm tamen respiciant idem objectum invariabile; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem datur diversa ratio, nam lumen Increatum, cùm sit substantia Increata, ex se ipso habet distinctionem, & specificationem, & non ab objecto: at verò lumen creatum, cùm sit habitus accidentalis, sicque essentialiter respiciens objectum, ab hoc sumit specificationem, & distinctionem, quod si sit idem, nulla erit distinctio specificans lumina essentialiter diversa.

160. Objicies 2. Potest dari principium essentialiter diversum ex parte potentiæ; siquidem Deus se solo potest supplere defectum luminis elevando intellectum ad visionem eliciendam, ut supra diximus; Deus autem essentialiter differt à lumine; ergo ex his diversis principiis poterunt visiones essentialiter differre. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, Deum in sua entitate differre essentialiter à lumine, non ita tamen in ratione principii visionis; siquidem supplendo defectum luminis creati, & præstans se ipso, quod facturus erat mediante lumine, solùm concurrit quà habens in se eminenter virtutem luminis.

161. Objicies 3. Deus potest producere quidquid non involvit repugnantiam; sed nulla apparet in producendis luminibus specie diversis; ergo potest illa producere; consequenterque ex illis poterunt produci visiones specie diversæ. Respondeo negando minorem; repugnantia enim apparet in eo, quod talia lumina haberent, & non haberent principium specificativum; haberent, ut supponitur; non haberent, ut probavimus.

162. Difficultas 5. Utrùm Visiones Beatæ specie distinguantur ex eo, quod una in Deum tendat permanenter, & alia transeunter? Negativè. Undè Visio Virginis Mariæ, & D. Pauli, si quam habuerunt in viâ, non differt specie ab ea, quâ beatificantur in patriâ. Ita *D. Thom. q. 13. de Verit. art. 2. in corpore. Palat. in 4. dist. 49. d. 2. fine. & d. 11. sect. 2. num. 11. Cabr. 3. part. quæst. 10. d. 4. a. 4. ad 4. P. Gil. tomo 2. tract. 8. cap. 9. initio. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 3. sect. 9. fine*, & alii.

163. Probatur, quia quod Visio Dei ad breve tempus alicui communicetur, non provenit ex principiis ipsius Visionis beatæ, quà talis, sed ex beneplacito Dei volentis ita se liberè communicare; ergo tendentia illa Visionis in Deum per breve temporis spatium non potest in ipsa visione, quæ de se postulat permanentiam, discrimen specificum causare. Confirmatur, quia si Deus crearet Angelum in certo aliquo ordine, quem statim annihilaret; & alterum eidem per omnia similem relinqueret suæ naturæ in ævum duraturum, nemo sapiens diceret, hos duos Angelos specie distingui ex eo solùm, quod unus duraret ex se permanenter, alter verò ex Dei jussu abiret in nihilum; ergo &c.

164. Dices cum Medin. *1. 2. quæst. 5. a. 4. ad 1.* Qualitas suâptè naturâ permanens distinguitur essentialiter à transeunte, ut rectè docent Philosophi de Habitu, & Dispositione; ergo Visiones beatæ specie distinguentur per modos tendendi in objectum permanenter, & transeunter. Respondeo antecedens esse verum de qualitatibus, quarum altera postulat esse permanens, & altera esse transiens, ut postulant in argumento assignatæ: non ita tamen postulant visiones esse transeuntes, sed naturâ suâ omnes postulant esse permanentes, sicq; sunt ejusdem speciei.

165. Difficultas 6. Utrùm admissâ de possibili Visione Dei purè apprehensivâ, quam supra admisimus *num. 79.* hæc distingueretur specie ab aliis visionibus judicativis? Affirmativè. Ita doctissimi Recentiores hoc in loco. Probatur, quia in cognitionibus naturalibus specie distinguuntur apprehensio, & judicium de eodem objecto ex solo modo tendendi in illud per affirmationem, aut simplicem intuitum: Similiter in naturalibus distingui debet cognitio, quæ solùm sit apprehensio ab ea, quæ apprehensio simul sit & judicium; ergo ita distingui debent Visiones Beatæ, factâ hypothesi, quod in illis, saltem de possibili, admittantur aliquæ, quæ sint solùm purè apprehensivæ; aliæ verò apprehensivæ simul, & judicativæ.

166. Advertes hîc hujusmodi visionem omnino simplicem, & purè apprehensivam non fore Beatitudinem, ut in materia de Beatitudine dicitur, neque dicendam esse Visionem beatam, utpotè quæ de objecto non certificaret. Unde licet specie distinguatur à Visionibus beatis, adhuc verum est, quod hactenùs diximus duabus præcedentibus Sectionibus, nempè Visiones beatas quà tales, neque de facto, neque de possibili distingui inter se specie, neque specificam inæqualitatem vendicare

SECTIO

SECTIO VIII.

Utrùm Visio Beata ad arbitrium voluntatis creatæ suspendi possit: aut per causas alias naturales impediri?

167. DIco 1. Visio Beata, positis requisitis ex parte objecti, & potentiæ, non potest ad arbitrium voluntatis creatæ suspendi, neque quoad primam sui productionem, neque quoad continuationem, semel producta. Ita *D. Thom. 3. contr. gent. cap. 62. Ferrar. ibid. & in 1. 2. q. 5. a. 4. Caiet. Ægid. quolib. 6. quæst. 6. Argent. in 1. q 2. a. 4. Sot. in 4. dist. 49. quæst. 3. art. 4. Zumel 1. p. q. 12. a. 5. q. 1. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 17. n. 7. & 8. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 5. sect. 3. num. 60. & d. 11. sect. 2. à num. 7. P. Gil. tom. 2. tr. 8. cap. 11. à n. 8. Cæsar. lib. 4. quæst. 30. num. 1.* & alii.

168. Probatur prima pars quoad primam productionem, quia quoties objectum per speciem primò offertur potentiæ expeditæ, necessariò sequitur ejus actus, ut constat experientiâ in oculo corporeo, & in aliis sensibus, imò & appetitibus; neque enim voluntas efficere potest, ut oculus apertus non videat lucidum, & coloratum; neque ut appetitus, proposito vehementi delectabili, non capiat voluptatem, & præsente objecto nocivo, non formidet; neque ut ipse intellectus ab actibus, qui sequuntur sensationes, abstineatur; ergo neque fieri poterit, ut intellectus, positis omnibus requisitis, Visionem beatam non eliciat.

169. Probatur secunda pars, nempè quoad continuationem, quia si voluntas posset interrumpere actum Visionis beatæ, aut id efficeret, intellectum ipsius Beati directè, & immediatè avocando à videndo Deo; aut indirectè affigendo illum diversis cogitationibus cum ipsâ clarâ Dei Visione incomposibilibus, vel in quibus tota intelligendi virtus exhauriretur: Non primum, quia aut id efficeret per suspensionem influxûs physici, quo efficienter concurreret cum intellectu ad suos actus; & hoc non; talis enim concursus physicus non conceditur à Philosophis voluntati in actus intellectûs: aut propter subordinationem moralem, ratione cujus cæteræ potentiæ obediunt voluntati; & hoc etiam non; nam si voluntas ratione subordinationis moralis efficere non potest, ut appetitus, proposito sibi vehementi delectabili, actum non eliciat, vel oblato objecto nocivo non formidet; neque etiam efficere poterit, ut intellectus suspendat actum, proposito objecto beatifico. Non secundum: tum quia cognitiones aliorum objectorum non sunt incomposibiles cum Visione clara Dei, neque possunt facultatem intellectûs exhaurire, ut ex infra dicendis constabit: tùm quia cum Visione beatâ solùm potest esse incomposibilis aliquis error circa ea, quæ per eandem cognoscuntur; hic autem ex applicatione voluntatis introduci nequit; siquidem Visio beata adeò clara, & evidens est, ut nullum patiatur errorem; ergo &c.

170. Confirmatur utraque pars: Primò, quia Visio beata confertur Beatis ut præmium; hoc autem solùm pendet à voluntate merentis dispositivè; à voluntate verò præmiantis formaliter; ergo &c. Secundò, quia in patria prima operatio est ipsâ visio, quam consequitur, ut proprietas, gaudium, & fruitio voluntatis; ergo independenter à voluntate producitur. Tertiò, quia Visio progreditur ab intellectu, ut à potentia, seu agente determinato quoad exercitium; siquidem Essentia Divina concurrens per modum speciei, non habet aliud munus in actu primo, quàm determinare quoad exercitium; ergo &c. Quartò, quia impossibile est impediri decretum absolutum Dei; siquidem hoc fit independenter à voluntate creata; sed quando Essentia Divina unitur per modum speciei intellectui Beati, involvit essentialiter connotationem decreti Dei de concurrendo cum intellectu creato ad Visionem, idque independenter à voluntate creatâ; ergo &c.

Argues 1. Non minùs potens est voluntas in actus intellectûs Beati erga Deum clarè visum, quàm circa suos proprios erga eundem Deum; sed voluntas, non obstante summâ Dei Bonitate, potest liberè actus suos erga Deum cohibere; neque enim ab objecto beatifico necessitatur, ut tenet expressè *Scot. in 1. dist. 1. q. 4.* & cum eo omnes Scotistæ, & plerique Nominalium; ergo etiam impedire poterit actum intellectûs, ne Deum videat. Respondeo negando minorem, & ejus probationem: communior enim, & verior est sententia asserens in materiâ de Beatitudine, non posse voluntatem actus suos circa Deum clarè visum cohibere, sed ad illos necessitari, ex quo magis confirmatur nostra sententia; si enim non potest suos, neque alienos poterit impedire. 171.

Argues 2. Voluntas nostra potest appetere cessationem à Deo videndo; siquidem cùm Visio beata non sit summum bonum, non ita rapit ad se voluntatem, ut non possit, illâ omissâ, ad aliud bonum se convertere; ergo poterit se convertere ad actus erroris, & peccati, cum ipsâ visione incompossibiles; aut ad bonum aliud creatum, saltem apparens, repudiatâ, aut derelictâ ipsâ Dei Visione; sicut derelicto Deo naturali lumine cognito, sæpè convertitur ad creaturas, quod nostro maximo damno quotidie experimur. 172.

Respondeo negando majorem: licet enim Visio beata in se formaliter non sit summum bonum, cùm tamen sit ultimus finis noster, & suprema beatitudo formalis, ac possessio summi boni, omne bonum includit, saltem in radice, sicque cessatio, aut suspensio illius appetiti non potest sub ratione boni alicujus momenti præ illâ, ac proindè non poterit voluntas, eâdem relictâ, bonum aliud appetere. Ad bona verò creata apparentia, & vana, ideò se convertit, relicto Deo naturali lumine cognito, quia cùm naturale lumen Deum attingat solùm abstractivè, & imperfectè, potest voluntas à bonis sensibilibus efficaciùs moveri ex naturæ corruptione, quod contingere nequit, cùm Deum clarè videt. 173.

Argues 3. Meliùs est voluntatem esse liberam in exercitio, quàm non esse liberam; sed in patriâ debet habere, id, quod est melius; ergo pro sua libertate exercenda poterit velle cessare à Deo videndo, & amando. Respondeo majorem esse veram cæteris paribus, atque adeò circa bona finita, quæ non inducunt necessitatem: non ita verò circa Deum clarè visum, qui continet omne bonum absque ulla mistione mali, & sine ulla difficultate, imò cum maxima necessitate in exercitio amoris. 174.

Argues 4. Voluntas potest impedire intellectum circa assensus Fidei supernaturalis; se ipsam 175.

circa actus spei, & charitatis in via; & cæteras potentias naturales, ne actus suos eliciant, aut illos suspendant, ut experientiâ constat; ergo etiam in patria poterit impedire intellectum, ne visionem suam eliciat, aut suspendat erga Deum. Respondeo negando consequentiam, diversa ratio est, quia actus illi, neque suas potentias, neque ipsam voluntatem necessitant; maximè verò necessitat objectum beatificum clarè visum, ut circa illud eliciat intellectus visionem, & voluntas amorem; ideoque voluntas potest illos impedire, aut suspendere; non ita tamen istos.

176. Quoad secundam tituli partem: An scilicet Visio Beata per alias causas impediri valeat? Advertes, quæstionem non procedere de Causâ Primâ, & Increatâ; siquidem, quidquid creatum est posse à Deo destrui, manifestum est, utpotè quod à Deo dependet in fieri, & conservari: solùm igitur procedit difficultas de impeditione, sive destructione per causas naturales, aut supernaturales secundùm legem ordinariam. Hoc posito.

177. Dico 2. Posito universali Dei concursu, non potest Visio Beata à causis naturalibus impediri. Ita *D. Thom. 3. contr. gent. cap. 62. & 1.2. q. 5. art. 4. & cum eo Cajet. Medin. & Conrad.* & alii infrà citandi, quatenùs docent, Visionem Beatam suâptè naturâ esse incorruptibilem, & æternâ. Probatur primò, quia Visio Beata est nostra Beatitudo formalis, saltem partialiter, ut Theologi communiter docent in Materia de Beatitudine; sed de ratione, & perfectione Beatitudinis est mensurari Ævo, seu Æternitate participatâ; ideoque in Sacra Pagina pluribus in locis appellatur corona incorruptibilis, & immarcescibilis; ergo per nullam causam creatam destrui potest, aut impediri.

178. Probatur secundò, quia si Visio Beata posset impediri, aut destrui per aliquas causas, vel ipsa causa impediens, aut destruens, esset aliquid applicans intellectum ad visionem, quod tamen à tali applicatione cessaret: vel esset aliquid ipsi visioni contrarium, sive moraliter, ut peccatum, sive physicè, ut error: Non primum; non enim datur causa applicans, cùm ipsemet intellectus, proposito clarè objecto, à se ipso applicetur: Non secundum, neque enim peccatum, & error in statu beatifico sunt possibiles; ergo Visio Beata impediri nequit per alias causas.

179. Objicies 1. cum *P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 11. sect. 2.* & aliquibus Scotistis: Essentia divina concurrit ad visionem Dei ex parte objecti, aut immediatè, aut per sui speciem, non ut Natura est, sed aut ut est voluntas formaliter, aut saltem ut applicata à voluntate; ergo sicut voluntas liberè applicat, liberè poterit non applicare, sicque visionem eliciendam impedire. Resp. primò negando antecedens, ex superiùs enim dictis probatum est, Essentiam divinam de lege ordinaria concurrere ad Visionem Beatam, ut Natura est, & independenter ab applicatione voluntatis divinæ. Respondeo secundò cum aliis, voluntatem divinam, attentâ potentiâ absolutâ, posse quidem impedire, & destruere Visionem Beatam, utpotè pendentem à Deo in fieri, & conservari, sicut reliquæ creaturæ; nostram autem sententiam procedere de causis creatis, & secundùm potentiam Dei ordinariam.

180. Objicies 2. Non magis supernaturalis est Visio Beata, & lumen gloriæ, quàm habitus gratiæ, & charitatis; sed hi de facto destruuntur in via per peccatum demeritoriè; ergo sic poterunt illa destrui in patria. Respondeo negando consequentiam; neque enim per gratiam, & charitatem in via redditur quis impeccabilis, sed per lumen, & Visionem Beatam, quâ semel admissâ in Beato, admitti non potest peccatum, ratione cujus lumen gloriæ, & ipsa Visio corrumpi possit, ut in Materia de Beatitudine dicitur.

Objicies 3. Noster intellectus, cùm ex se sit in- 181.
differens, & incompletus ad Visionem Beatam, neque necessariò illam producet, utpotè qui ab altero principio determinari debet; neque à lumine gloriæ determinatur quoad exercitium, sed quoad speciem; siquidem tale lumen habet se, sicut se habet habitus fidei respectu ejusdem intellectus; & sicut species supernaturales, quæ solùm determinant quoad speciem; ergo impediri poterit ab actu erroris, aliisvè causis contrariis.

Respondeo, licet noster intellectus sit indiffe- 182.
rens, & incompletus ex se respectu Visionis Beatæ, compleri tamen, & determinari per lumen gloriæ, & Essentiam divinam loco speciei, tanquam per causas necessarias in essendo, & operando; est autem hujusmodi determinatio quoad exercitium, & concursus adeò efficax, ut impediri nequeat ab errore, aut simili contrario; siquidem lumen ob sui claritatem omnia impedimenta excludit, quod aliter accidit habitui Fidei, & speciebus supernaturalibus.

Objicies 4. Posito habitu charitatis in voluntate viatoris; & sic de aliis habitibus in intellectu, non ideò necessariò producitur à voluntate actus dilectionis Dei; neque cæteri actus in intellectu; ergo etiam applicato lumine gloriæ, Essentiâ, & cæteris requisitis ad producendam Visionem Beatam, non ideò necessariò producetur ipsa Visio Beata; consequenterque non habet causas necessarias tam in essendo, quàm in operando, poteritque impediri. 183.

Respondeo, dato antecedente, negando con- 184.
sequentiam; diversa ratio est, qui voluntas per actum charitatis non beatificæ, & per alios similes circa Deum obscurè cognitum, neque trahitur à summo bono clarè viso, neque à summa illius efficacitate impellitur, sicut impellitur, & attrahitur, sive fertur potentia intelligendi circa objectum beatificum: quæ etiam circa actus Fidei, & alios supernaturales intellectûs habitos in via non necessitatur, quia Deum attingit lumine obscuro. Undè prædictæ causæ Visionis Beatæ necessariæ sunt, & in essendo, & in operando.

Objicies 5. Intellectus Angeli non determina- 185.
tur ab speciebus infusis quoad exercitium, sed adhuc ejus cognitio manet impedibilis à causis naturalibus; ergo etiam sic manebit impedibilis intellectus Beati determinatus ab Essentiâ divinâ ut ab specie. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia species Angeli sunt creatæ, ideoque voluntati creatæ subjici possunt: at verò Dei Essentia est Increata, sicque incapax talis subordinationis. Secundò, quia lumen Angelicum est indifferens ad hoc, & illud intelligibile; at verò lumen gloriæ est omninò determinatum ad Deum videndum. Tertiò, quia intellectus Angeli, cùm sit finitus, & limitatus, non est expeditus ad intelligendum simul omnia, quorum habet species, sicque debet à voluntate determinari: at verò Essentia divina per modum speciei præsentatur intellectui Beato jam determinato per lumen gloriæ ad videndum Deum.

Ex dictis colligitur contra *Scot. in 4. dist. 49.* 186.
q. 6. §. Hæc duo sunt, & §. Dico ergo, & in Reportat. q. 5. cæterosque Scotistas, Visionem Beatam esse suâptè naturâ incorruptibilem, & æternam; siquidem

siquidem suâptè naturâ postulat causas necessarias, tam in essendo, quàm in operando, quod est proprium entitatis suâptè naturâ incorruptibilis. Ita cum communiori tenent *D. Thom. Caiet. Medina, Conrad. Zumel. 1. p. q. 12. art. 8. Ledesm. de Divin. perfect. q. 7. art. 4. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 17. à n. 5. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 10. & 11.* & alii, qui id confirmant ex *D. Thom. 1. p. q. 10. & 1. 2. q. 5. art. 4.* dicente, Visionem Beatam mensurari, aut Ævo, aut Æternitate participatâ; hæ autem durationes ex se denotant rem incorruptibilem ab intrinseco, & æternam; ergo &c. Deindè, cùm sit nostra suprema beatitudo, saltem participata, ut perfecta sit, debet esse æterna, incorruptibilis, & immarcessibilis, ut diximus, & suo loco dicemus in Materia de Beatitudine.

SECTIO IX.

Vtrùm Visio Beata impediat intellectiones Beatorum in proprio genere?

187. ADvertes, præsentem quæstionem posse in duplici sensu excitari: Primò: Utrùm Visio Beata de facto impediat intellectiones Beatorum in proprio genere, ita ut in patria nulla de facto detur cognitio in proprio genere, seu vespertina? Secundò: Utrùm Visio Beata, quantùm est ex se, & nullo admisso novo miraculo, intellectiones in proprio genere impediat? His positis.

188. Dico 1. Visio Beata intellectiones in proprio genere de facto non impedit, sive id fiat, dato novo miraculo, sive non. Ita communis Theologorum sententia cum *Magist. in 2. dist. 3. D. Thom. 1. p. q. 58. art. 6. & 7. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 4. Ægid. lib. 2. de Beatit. q. 4. art. 2.* & alii. Probatur primò, quia ex *D. Aug. lib. 4. de gen. ad lit. cap. 30. & lib. 11. de Civit. cap. 7. & 29.* in Angelis Beatis datur cognitio matutina, quâ scilicet videtur Deus, & creaturæ in Deo, & vespertina, qua Deus ipse, & creaturæ videntur in proprio genere; sed hujusmodi cognitiones ob paritatem rationis dantur etiam in hominibus Beatis, ut probant Doctores citati; ergo Visio Beata de facto non impedit intellectiones Beatorum in proprio genere, tam in

189. Angelis, quàm in hominibus.

Probatur secundò, quia in Angelis dantur illuminationes, & in omnibus Beatis datur communitas quædam politica, & societas amicabilis juxta illud Psal. 121. *Hierusalem, quæ ædificatur ut Civitas, &c.* & plura alia testimonia Sacræ Paginæ, quæ ad hunc sensum explicant Interpretes, & Sancti Patres; sed hujusmodi illuminationes, & communicatio politica fieri nequeunt per Visiones Beatificas singulorum, utpotè quæ cuique propriæ sunt, & solùm Deum determinatum objectum respiciunt; ergo per cognitiones in proprio genere. Confirmatur, quia Beati Angeli plura mysteria de novo cognoverunt ex divina revelatione, & tam ipsi, quàm homines plura futura de novo cognoscunt, quæ antea non cognoscebant: imò animæ separatæ, ut alibi diximus hinc secum asportant habitus scientiarum, quas in via comparârunt; & in patria à Deo donantur scientiâ infusâ plurium, quæ in via non cognoverunt, ut his scientiis utantur in proprio genere, sicut Christus Dominus usus est in corpore mortali; ergo &c.

190. Dico 2. Visio Beata quantùm est ex se, & naturâ suâ non impedit intellectiones in proprio genere, ita ut Beati Deum videndo non possint illas elicere absque speciali miraculo cõfortationis potentiæ, aut aliquo simili. Ita communior, & probabilior sententia, quam tenent *D. Thom. 1. p. q. 58. art. 3. & in 3. dist. 14. quæstiunc. 5. ad 1. Richard. in 3. dist. 14. art. 3. quæst. 3. Capreol. q. 1. art. 3. ad 1. Caiet. 1. p. q. 26. art. 3. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 30. n. 10. & tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 16. n. 11. Pesant. 1. p. q. 10. d. 7. fine. P. Gil. tom. 2. tr. 8. cap. 14. à num. 8.* & alii apud citatos, qui tamen in assignanda ratione valdè laborant.

191. Probant aliqui ex eo Visionem Beatam intellectiones in proprio genere non impedire, quantùm est ex se, quia noster intellectus, saltem in statu beatifico, in quo datur immunitas à peccato, capax est non tot, quin plurium intellectionũ, sicut quodlibet objectum de se potest simul elicere non tot, quin plures species intentionales, si dentur requisita ex parte subjecti. Alii verò probant ex eo, quod cognitio matutina, & vespertina sunt in diverso genere, habentque principia simpliciter diversa, neque sibi repugnant, imò una ad aliam ordinatur. Alii tandem ex eo, quod potentia ad Visionem Beatam non concurrit propria virtute naturali, sed tantùm obedientiali, sicque non posse in illa elicienda ita occupari, ut ad cognitiones in proprio genere eliciendas non sufficiat. His tamen omissis rationibus.

192. Probatur hac unicâ ratione, quia potentia quò minùs virtutis, efficaciæ, & attentionis impendit circa aliquod objectum, eò manet expeditior, & sufficientior circa alia; sed intellectus Beatorum parum virtutis, & efficaciæ, & attentionis impendit circa objectum beatificum; ergo non impeditur, imò expeditior, & sufficientior manet, ut circa alia objecta in proprio genere cognitiones eliciat. Probatur minor, in qua solùm videtur difficultas, quia minus virtutis, efficaciæ, & attentionis requiritur circa objectũ in se clarius, & quando potentia majori lumine illustratur, quàm circa objectum in se obscurũ, & quando in potentia lumen deficit, ut experientiâ constat; sed objectum beatificum est in se clarius, & intelligibilius quovis alio, & deindè intellectus Beatorum circa illud majori, & nobiliori lumine illustratur; ergo parum virtutis, efficaciæ, & attentionis impendit in elicienda visione circa illud; consequenterque expeditior, & sufficientior manet ad eliciendas cognitiones in proprio genere circa alia objecta.

193. Confirmatur primò, quia mens nostra circa objecta creata ideò insufficiens est ad omnia, aut plurima simul percipienda, quia in singulis aliquid virtutis, efficaciæ, & attentionis impendit, & circa singula peculiares vincit difficultates in singulorum penetratione occurrentes; sed in objecto beatifico nullæ apparent difficultates vincendæ, ut diximus, & parum virtutis, efficaciæ, & attentionis impendit mens nostra in Deo videndo; ergo manet expedita ad alia objecta in proprio genere intelligenda.

194. Confirmatur secundò, quia beata mens non ita occupatur circa objectum beatificum, ut ad operationes sensuum internorum, & externorum non applicetur, ut ex infra dicendis constabit; ergo sic poterit applicari ad cognoscenda objecta in proprio genere. Confirmatur tertiò, quia miracula non sunt multiplicanda absque necessitate; atqui si mentis nostræ attentio tota ferretur in objectum beatifi-

beatificum (ut volunt Adversarii,) per totam æternitatem duraret miraculum illud in Beatis, nempè eliciendi cognitiones in proprio genere: Imò in Christo Domino præter miraculum suspensionis gloriæ sui corporis, aliud fieret, ad hoc ut habitibus scientiarum in proprio genere uteretur, quod Theologi, & Sancti Patres non celebrant, neque agnoscunt; ergo &c.

195. Oppositam sententiam asserentem, Visionem Beatam ex natura sua postulare impedire cognitiones in proprio genere, & has solùm haberi divinitùs per novum miraculum, quatenùs scilicet Deus imprimit qualitatem aliquam, aut confert auxilium supernaturale, quo mentem roborat, & quodam modo ejus vim naturalem extendit, quibus sublatis easdem non posset naturaliter elicere, defendit *Joan. Ripa apud Capreol. cit. in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 1.* & alii quos tacitis nominibus refert *Gregor. in 2. dist. 7. quæst. 2. art. 2.* quos sequuntur aliqui ex Recentioribus Theologis: Pro quibus:

196. Argues 1. Intellectus eo majori conatu fertur in objectum, quo ipsum objectum in se clarius est, & majori intelligibilitate præditum; sed objectum beatificum claritate maximâ manifestatur intellectui Beatorum, & est in se maximè intelligibile; ergo potentiam ad se videndum ita rapiet, ut nihil ei virtutis ad intendendum aliis cognitionibus supersit. Respondeo negando majorem; quò enim objectum clariùs est, & potentia magis illuminatur, eò minùs attentionis, & applicationis ex parte potentiæ requiritur, ut meliùs videatur; siquidem circa illius cognitionem non patitur difficultates, ut diximus.

197. Instabis; Ideò in voluntatis arbitrio non est Visionem beatam, etiam ad breve tempus directè, aut etiam indirectè suspendere, quia intellectus ita est Visioni beatæ affixus, ut aliis cogitationibus nequeat absque novo miraculo intendere; ergo ab ipsâ Visione impeditur ad cognitiones in proprio genere. Respondeo negando antecedens; neque enim voluntas idcircò non potest intellectum directè, aut indirectè aliis cogitationibus ita applicare, ut à Visione beata cesset, quia secundùm totam suam virtutē affixus est objecto beatifico, sed quia talis objecti claritas, & summa intelligibilitas mentem ita convincit, ut ab ejusdem veritate intuenda divelli nequat propter creatas veritates multò imperfectiores, quod stare potest, quin potentia totam suam agendi virtutem circa objectū beatificum exhauriat, imò multò minùs circa illud insumat, ut supra diximus.

198. Argues 2. Quando potentia naturalis ab objecto necessitatur, ita ad ipsum rapitur secundùm omnes suas vires, ut ei nihil virtutis supersit, ad hoc ut simul aliis objectis applicetur; sed beata mens ad videndum Deum maximè necessitatur; ergo ejus virtus ita in videndo Deo exhauritur, ut nihil supersit ad alias cognitiones in proprio genere. Respondeo negando majorem; experientiâ enim constat, oculum necessitatum ad videndum aliquod objectū, posse aliud & aliud simul videre, si proponantur. Undè potentia naturalis, quando necessitatur ab objecto, in ipsum rapitur secūdùm eas vires, quæ necessariæ sunt ad illud percipiendum; ita tamen, ut eò minor conatus, & attentio requiratur, quò objectum in se clarius est, & lumen potentiam illustrans est majus.

199. Argues 3. Experientiâ constat, vehemens sensibile circa unum sensum sæpè impedire aliorum sensuum perceptionem; sic enim majus lumen absorbere solet lucem minorem; ergo etiam quando intelligibile fuerit valdè vehemens, infinitæ intelligibilitatis, & efficacitatis in movendo, quale est objectum beatificum, impediet necessariò intellectiones aliorum objectorum in proprio genere.

Respondeo dato antecedente, negando consequentiam, saltem quando objectum intellectûs fuerit, non solùm valdè efficax in movendo potentiam, sed etiam in se valdè clarum: diversa ratio est, quia circa objecta sensûs (imò etiam intellectûs non cognita lumine beatifico,) plures occurrunt difficultates, & impedimenta, propter quæ necessaria est maxima attentio potentiæ, aut saltem talis applicatio, ut potentiæ ad intendendum rebus aliis vires non supersint: at verò in Visione beatâ aliter se res habet propter objecti claritatem, & illuminationem potentiæ, ut probavimus. 200.

Argues 4. Si Visio beata intellectui Viatoris de potentiâ absolutâ communicetur, hic necessariò cessabit ab operatione omnium sensuum, dabiturque perfecta extasis, idque ex eo, quod intellectus ad Deum clarè visum ita rapitur, ut ad eliciendas sensuum operationes non sufficiat; ergo à fortiori non sufficiet ad eliciendas cognitiones in proprio genere. Probatur consequentia, ideò virtus potentiarum sensibilium ad præsentiam Visionis beatæ penitùs exhauritur, quia radicatæ sunt in eâdem animâ cum intellectu; ergo à fortiori absumetur virtus intellectiva erga alias cognitiones, cùm sit eadem numero cum illa, quam intellectus applicat ad Deum videndum. Respondeo negando antecedens cum *P. Soar. P. Mol.* & aliis infra citandis; nam in Christo Domino Viatore, & perfectissimè Beato fuit usus sensuum sine novo miraculo, ut diximus, & infra dicemus. 201.

Ex dictis infertur primò, ad hoc, ut intellectus Beati eliciat intellectiones in proprio genere, necessariam non esse qualitatem aliquam infusam, aut elevationem peculiarem superadditam lumini supernaturali; imò è contrà miraculum fore, si cognitiones in proprio genere non posset naturaliter elicere; siquidem ex Visione beata nullum impedimentum contrahit, quominùs rebus aliis cognoscendis in proprio genere incumbere non possit, imò illius naturalis facultas ita juvatur, ut multò plura simul cognoscere queat, quàm antea. 202.

Infertur secundò, rationes supra adductas *numer. 191.* quibus aliqui nostram sententiam probare contendebant, non concludere. Non prima, quia intellectus noster (ut facilè dicere possunt Adversarii,) potentiam non habet eliciendi non tot, quin plures cognitiones, sive naturales, sive supernaturales, idque tam in statu naturæ integræ, & reparatæ per statum gloriæ, quàm per peccatum corruptæ. Patet, quia cùm operetur ex peculiari intentione, applicatione, & conversione supra objectum, quæ finita est, sicut finita est ipsa potentia, si objecta plura sint, necessariò insumi debet, & aliquando exhauriri; ergo &c. Hoc tamen non accidit in objectis circa eliciendas species intentionales; siquidem cùm illas eliciant per puras emanationes naturales absque peculiari intentione, vel advertentiâ, poterunt tot simul elicere, quot capacia fuerint subjecta, in quibus recipiuntur. 203.

Non secunda, quia de cognitione Beatâ, & in proprio genere quæstionem non excitamus ob aliquam repugnantiam, quam vendicent quoad entitates suas, quæ tamen desumi posset ex objectis, aut 204.

aut principiis, sed de illis propter defectibilitatem potentiæ in agendo, quæ ad Visionem beatam, & cognitiones alias in proprio genere eliciendas simul, non videtur sufficiens, ad quã impertinens est repugnantia quoad objecta, aut principia, ut ex dictis constat. Non tertia, quia intellectus ad Visionem beatam per virtutem suam naturalem, saltem inchoatam necessariò concurrit, ut cum aliquibus supra probavimus. Adhuc tamen hîc:

205. Quæres primò: Utrùm Visio beata divinitùs communicata homini viatori existenti in corpore mortali, eidem esset causa mortis, ejus unionem physicam dissolvendo? Negativè. Ita *P. Vasq. 1. p. d. 55. cap. 4. num. 18. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 30. num. 6. & 7. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 10. sect. 4. num. 37.* & alii. Probatur, quia Visio beata nullam habet repugnantiam, neque physicam, neque moralem cum unione physica; ergo illam non destrueret.

206. Quæres secundò: Utrùm Visio beata impediret saltem operationes sensuum internorum, & externorum, ita ut hominem collocaret in extasi perfectâ? Negativè. Ita *P. Vasq. 1. part. d. 56. cap. 1. §. Respondeo verò. P. Soar. cit. num. 10. 9. & 11. & tomo 2. de Relig. tract. 4. lib. 2. cap. 16. P. Mol. 1. part. art. 11. d. 2. §. Accedit. P. Sal. cit. num, 40. & 42.* & alii. Probatur primò, quia Visio beata, ut diximus, non impedit cognitiones in proprio genere, cùm tamen sint ipsi proximiores, utpotè quæ ab eadem potentia producuntur, & in illa recipiuntur; ergo multò minùs impediet operationes sensuum, utpotè quæ magis distant, cùm ab aliis potentiis producantur, in illisque recipiantur radicatis in eodem supposito.

Probatur secundò, quia sequeretur esse speciale
207. miraculum in Christo Domino, & beatis hominibus per totam æternitatem, exercere operationes sensuum internorum, & externorum, quod non est facilè concedendum; ergo &c. Quod si aliquando divinitùs, aut naturaliter data est extasis perfecta, aut imperfecta ex vi contemplationis, vel alicujus alterius illustrationis Divinæ, illa accidit, quia cognitio Dei obscura erat; aut quia communicatio Divinæ Visionis (si alicui facta dicatur) fuit ad breve tempus, & non ita perfecta, sicut in Christo Domino, dum esset in corpore mortali, eritque in Beatis, cùm eisdem fuerint reunita corpora gloriosa; per quod responderi poterit ad aliquorum Patrum dicta in oppositum adducta.

SECTIO X.

Vtrùm Visio Beata sit immediatum principium eliciendi cognitiones non beatificas eorum, quæ videntur in Deo?

208. Ut hanc quæstionem in terminis excitarit, neminem dari, se uno excepto, dicit *Ægid. tom. 2. de Beatit. lib. 11. q. 7. art. 1. n. 7.* decipitur tamen, ut ex iis, quæ ante ipsum doctè scripsit *P. Gil. tom. 2. tr. 8. cap. 5.* & ex Authoribus statim allegandis constabit, Imò communiter excitari solet in materia de Angelis, quando agitur de locutione, & illuminatione Angelorum. Sensus igitur quæstionis est inquirere: Utrùm sicut cognitio creata naturalis potest esse principium immediatum alterius cognitionis terminatæ ad proprium objectum, aut ad partes illius, ita Visio beata de facto sit, aut esse possit Beato principium immediatum eliciendi cognitiones alias non beatificas de Deo, & de his, quæ in Verbo videt, ita ut peculiarem inde hauriat scientiam, secundùm quam ipse cognoscat, & cum alio Beato communicare possit? De quo nonnullas breviter excitabimus difficultates: Sit igitur:

Difficultas 1. Utrùm Visio Beata possit esse 209.
principium immediatum apprehensionis non beatificæ, per quam cognoscatur Deus, & creaturæ, sive simul, sive sigillatim? Affirmativè. Ita *Hispalens. in 1. dist. 27. quæst. 2. art. 5. Notab. 4. ad 1. Rubion. in 1. dist. 2. quæst. 3. art. 1. concluf. 2. & dist. 3. q. 2. art. 2. D. Thom. in 1. dist. 2. art. 3. Capreol. in 1. dist. 8. quæst. 4. art. 3. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 5. à num. 4. P. Soar. Ægid.* infra citandi. Probatur primò à simili cognitionis naturalis, quia intellectus, & phantasia ex notitia totali alicujus objecti naturalis possunt elicere cognitiones alias peculiares, & veluti partiales, quibus separatim cognoscant partes talis objecti, quod in Philosophia diximus; similiter ex cognitione speciei, nempe hominis, potest intellectus elicere cognitionem generis, nempè animalis, aut cujuslibet alterius gradûs in homine inclusi; ergo pari modo poterit ex Visione beatifica elicere peculiares apprehensiones non beatificas eorum, quę per ipsam Visionem beatam cognoscuntur.

Probatur secundò, quia superiores Angeli pos- 210.
sunt inferiores illuminare, imò de facto illuminant de iis, quæ ipsi, & non inferiores vident in Verbo, ut ex communi Theologorum probat *P. Soar. lib. 6. de Angelis cap. 14. num. 5.* sed non possunt id præstare per ipsammet visionem, sive conceptum beatificum eisdem formaliter communicatum: tum quia illa communicatio erit impossibilis: tum quia non erit major ratio, cur hæc potiùs, quàm cætera alia, quæ in Deo vident, illis manifestarent; ergo id præstant per alias cognitiones, & conceptus ex Visione beata elicitos.

Probatur tertiò, quia Beatus videndo Deum, 211.
& in eodem creaturas, potest supra suammet visionem per aliam supernaturalem reflectere, ex quâ deinde plures alias cognitiones eliciat ejusdem objecti beatifici; ergo omnium potest esse principium ipsa Visio beata. Confirmatur, quia Beatus ex Visione beata potest elicere plures notitias judicativas non beatas, ut statim dicemus; ergo à fortiori poterit elicere apprehensivas.

Dices 1. Ideò cognitio creata naturalis potest 212.
esse principium apprehensionis naturalis circa proprium objectum, aut partes illius, quia cùm sit de se corruptibilis, per species, aut cognitiones à se causatas conservatur; sed id locum non habet in Visione beata, cùm sit incorruptibilis; ergo &c. Respondeo negando majorem, quæ solùm probat de specie memorativa relicta ex actibus naturalibus corruptibilibus potentiarum, de quâ infra; de cognitione autem ex notitia creata immediatè elicita non concludit, ut exemplis supra adductis convincitur, ex quibus nostra sententia probata est.

Dices 2. Deus, & quæcumque in Deo viden- 213.
tur, perfectissimè cognoscuntur à Beato per cognitionem beatificam; ergo superflua erit alia cognitio non beatifica ex illa causata, per quam minùs perfectè cognoscantur. Respondeo negando consequentiam; nam ad apprehensiones illas datur in Beatis peculiaris necessitas, ut probavimus, & infra magis explicabitur. Accedit, quia omnes Theo-

logi admittunt in Beatis cognitiones in proprio genere eorum, quæ videntur per Visionem Beatam, ut patet ex supra dictis: & in Christo Domino plures scientias præter Beatam, quin indè sequatur superfluitas, aut indecentia, imò multò major nobilitas, & perfectio statûs Beatifici.

214. Hinc colliges cum *Ægid. lib. 11. de Beatit. q. 7. art. 2.* posse Beatum ex ipsa Visione Beatifica elicere cognitiones, quibus distinguat in Deo Attributa Divina inter se, & Essentiam à Relationibus, sive Personis, quod ex infrà dicendis magis constabit.

215. Difficultas 2. Utrùm Visio Beata sit intellectui beato principium immediatum eliciendi cognitiones partiales judicativas non beatas eorum, quæ videntur in verbo? Affirmativè. Ita *D. Thom. Opusc. 63. cap. 5. & 6. Rubion. in 2. dist. 2. q. 3. art. 1. Concluſ. 2. & dist. 3. q. 2. art. 2. Capreol. in 3. dist. 14. q. 2. ad 2. Soncin. ibid. q. 2. ad 2. Scot. in 4. dist. 49. q. 3. art. 3. P. Gil. tom. 2. tr. 8. cap. 5. à n. 8. P. Soar. lib. 6. de Angel. cap. 14. n. 5. Ægid. tom. 2. de Beatit. lib. 11. q. 7. art. 2. à n. 2.* & alii.

216. Probatur primò, quia ex veriſſima ſententia, quam ex Sacris Litteris, & Sanctorum Patrum teſtimoniis rectè probat D. Thom. cit. Beati ex Viſione Beata in divinas laudes, & gratiarum actiones prorumpunt, Deoque cultum, honorem, & reverentiam exhibent; hi autem ſunt actus, ſeu judicia partialia non beatifica; ergo &c. Confirmatur ex D. Chryſ. apud D. Thom. cit. aſſerente, Angelos Deum videndo, ipſum laudare, quoſdam ut Majeſtatem, quosdam ut Bonitatem, ſicque de aliis Attributis; hoc autem ſtare non poteſt, quin de ſingulis forment verba, atque adeò judicia partialia; ergo &c.

217. Probatur ſecundò à priori, quia quæcunque intellectus intuitivè apprehendit, poteſt per actum judicii approbare, vel reprobare; ſed omnia, quæ intellectus Beati in Deo videt, poteſt per intellectiones non beatificas apprehendere, ut ſupra diximus; ergo eadem poterit per partialia judicia judicare.

218. Probatur tertiò, quia ſuperiores Angeli cum inferioribus loquuntur, ipſoſque illuminant, non ſolùm de rerum, quas in Deo vident, quidditatibus, & terminis ſimplicibus, ſed à fortiori de veritatibus, & connexionibus rerum, quas cognoſcunt; ideò enim de his alios inſtruunt, ut latè probat *P. Soar. lib. 6. de Angel. cap. 13. & 14.* hujuſmodi autem illuſtrationes per Viſionem Beatam fieri nequeunt; ergo ex Viſione Beata per cognitiones non beatas judicativas.

219. Probatur quartò, quia Beati poſſunt politicè agere, atque invicem communicare ea, quæ in Deo vident; ſed non per ipſam Viſionem Beatificam, ut conſtat; ergo per propoſitiones, ſive cognitiones judicativas non beatificas ab eadem elicitas; cùm in hoc nulla appareat repugnantia; imò id maximè cedat in gloriam divinam, & majorem perfectionem ſtatûs beatifici.

220. Difficultas 3. Utrùm ex Viſione Beata elici queat ſpecies memorativa eorum, quæ cognoſcuntur in verbo? Advertes, quæſtionem poſſe procedere, aut de ſpecie memorativâ adæquatâ, quâ ſcilicet repræſententur, tam perfectiones divinæ, quàm creaturæ in illis contentæ; aut de inadæquatâ, quâ repræſententur aliquæ duntaxat perfectiones divinæ, aut ſolùm creaturæ, prout fuerunt in Deo cognitæ. De ſpecie memorativâ adæquatâ affirmant *Scot. in 2. dist. 3. q. 9. §. Ad quæſtionem. Lychet. Anton. Andreas, ibid. Baſſol. q. 1. Prolog. §. Sed quidquid. Mayron. ibid. q. 15. art. 2. concluſ. 2.* & alii. De ſpecie tamen memorativa inadæquata affirmant plures. Ita *Vincent. lib. 26. Speculi cap. 110. D. Thom. in 3. dist. 14. qneſt. unica, art. 1. quæſtiuncula 4. Capreol. ibid. quæſt. 2. art. 3. ad 3.* & alii.

221. Nihilominùs probabilior ſententia, quam ſequimur tenet, ex Viſione Beata non poſſe immediatè elici ſpeciem memorativam eorum, quæ videntur in verbo, neque adæquatam, neque inadæquatam. Ita *Alfonſ. de Toledo, q. 1. Prolog. art. 2. Durand. ibid. q. 3. n. 15. Argentin. q. 3. art. 1. ad 3. Altiſiodor. lib. 1. ſum. tract. 11. quæſt. 3. ad 3. Richard. in 3. dist. 14. art. 2. q. 2. ad 5. & ex parte. P. Gil. tom. 2. tr. 8. cap. 5. à num. 5.* & alii. Probatur, quia ſpecies memorativa ad hoc ſolùm ab actibus produci ſolet, ut eosdem repræſentet in abſentia, ut inductione factâ conſtat; ſed Viſio Beata, utpotè naturâ ſuâ incorruptibilis, etiam ad breve tempus corrumpi, & interrumpi non poteſt; ergo non producit ſpeciem memorativam, neque adæquatam, neque inadæquatam, cùm ſit omninò fruſtranea.

222. Dices pro prima ſententia: D. Paulus, juxta graviſſimos Authores, in ſuo raptu vidit intuitivè Deum, idque per viſionem ſupernaturalem intuitivam; ſed ex hac viſione relicta fuit ſpecies memorativa adæquata, qua ille poſtea recordabatur, & Eſſentiæ Divinæ, & Eſſentiæ, & eorum, quæ in tali Eſſentia viderat juxta illud 2. Cor 12. ibi: *Scio hominem raptum, quoniam raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba, &c.* ergo Viſio Beata producit naturâ ſuâ ſpeciem memorativam adæquatam.

223. Reſpondeo primò negando majorem; neque enim D. Paulus in eo raptu vidit Eſſentiam divinam prout ſupra diximus *d. 1. n. 320.* Reſpondeo ſecundò, data majori, negando minorem: nam D. Paulus poſtea fuit recordatus eorum, quæ vidit in verbo, aut per ſpecies à Deo immediatè impreſſas, ut ſentiunt *D. Thom. quæſt. 8. de Verit. art. 5. & ad 6. Hiſpalenſ. & P. Gil. cit. cap. 6. n. 2.* aut per ſpecies memorativas immediatè elicitas ex cognitionibus non beatificis, quas habere potuit quamdiu duravit brevis illa viſio, & immediatas reſpectu ipſius viſionis. Neque eſt ulla imperfectio reſpectu viſionis beatificæ carere perfectione fœcunditatis, quæ reſpectu illius potius eſſet imperfectio, cùm hujuſmodi fœcunditas ſit tantùm propria cognitionum corruptibilium, ut diximus.

224. Dices pro ſecunda ſententia: Nulla apparet repugnantia in ſpecie memorativâ inadæquatâ; ſiquidem ex illa non ſequitur, poſſe Deum cognoſci quidditativè, & abſtractivè, ſicut ſequeretur ex ſpecie memorativâ adæquatâ; inadæquata enim non repræſentat divinam quidditatem, ut patet; ergo &c. Reſpondeo negando antecedens: licet enim ex ſpecie memorativâ inadæquatâ viſionis non ſequatur dari cognitionem quidditativam, & abſtractivam (quod nullum eſt inconveniens, ut infrà videbimus,) adhuc tamen Viſio Beata, etiam in ordine ad ſuum objectum partiale, eſt incorruptibilis, ut conſtat, ſicque infœcunda in ordine ad ſpeciem memorativam, ſicut talis eſt in ordine ad ſuum objectum totale.

225. Quæres hîc: Utrùm ex Viſione Beata elici poſſit ſpecies memorativa, ſaltem mediatè? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 9. ad 2. & q. 8. de Verit. art. 5. Cajet. 2. 2. q. 175. art. 4. P. Gil. cit. n. 6.*

Proba-

Probatur, quia cognitiones ex Visione Beata immediatè elicitæ, cùm non sint beatificæ, non sunt ex se incorruptibiles, ut per se constat; ergo possunt immediatè producere species memorativas, quæ tamen sint mediatæ respectu ipsius Visionis Beatæ.

226. Difficultas 4. Utrùm ex Visione Beatâ elici possit, imò & de facto Beatus eliciat cognitionem Dei quidditativam abstractivam? Affirmativè. Pro hac necessariò stare debent, qui nobiscum sentiunt, ex cognitione beatifica posse, & de facto elici plures apprehensiones, & judicia non beatifica circa ea, quæ in Deo formaliter continentur, quos supra citavimus *n.* 209. & 215. Potest etiam tribui Doctoribus, qui absolutè affirmant, possibilem esse cognitionem Dei quidditativam abstractivam, sive non intuitivam, quos refert, & sequitur *Ægid. lib. 8. de Beatit. tom.* 2 *q.* 5. *art.* 2. §. *n.* 4. & nos etiam retulimus in *Log. tract. 6. d. 3. n.* 154.

227. Probatur 1. quia Beatus potest ex Visione Beata immediatè elicere cognitiones apprehensivas, & judicativas non beatas, in quibus formaliter repræsententur quæcumque per Visionem Beatam de facto cognoscit, ut supra diximus; sed hujusmodi cognitiones, cùm representent, aut repræsentare possint omnia, quæ Beatus in Deo videt, non possunt non esse quidditativæ; & cùm sint cognitiones non beatificæ, sed ex beatifica elicitæ, non possunt non esse abstractivæ, ut patet; ergo &c.

228. Probatur secundò, quia Beatus, sive Angelus, sive homo loqui potest cum alio Beato de iis omnibus, quæ in Deo videt, & de modo, quo illa intuetur, ut ex supra dictis constat, & liberaliter concedit *P. Soar. lib. 6. de Angel. cap. 14. n.* 5. ubi etiam affirmat, Christum Dominum, etiam si non haberet Scientias infusas in proprio genere, adhuc posse revelare ea, quæ in verbo videbat, quod absque peculiari cognitione non beatificâ fieri non posset; sed Beatus de illis loqui non potest, nisi efformando propriam cognitionem, quæ, cùm terminetur ad ea, quæ in Deo videt, necessariò erit quidditativa, cùm tamen non sit intuitiva, ut patet; ergo &c.

229. Probatur tertiò, quia non repugnat, repræsentari abstractivè aliquas perfectiones spectantes ad quidditatem; ergo neque sic abstractivè repræsentari omnes illas, quæ necessariò sunt ad totâ quidditatem Dei; consequenterq; dabitur cognitio quidditativa nõ intuitiva, sed abstractiva Dei. Probatur consequentia, quia existentia Dei, & præsentia illius, de quibus solet controverti, repræsentari possunt in se immediatè, aut per species alienas, sicut de facto repræsentantur per media creata naturalia, & supernaturalia, & per revelationem obscuram; aut per species à Deo infusas obscuras; ergo prout sic cognoscentur solùm abstractivè; ergo à fortiori poterunt sic cognosci aliæ perfectiones ad quidditatem Dei spectantes.

230. Probatur quartò, quia Deus, (non enim repugnat,) potest revelare alicui viatori per species, & lumen Fidei obscurum suam ipsius quidditatem; sed, hoc posito, viator ille efformabit cognitionem abstractivam de quidditate Dei; siquidem ut actum Fidei circa sibi revelata eliciat, illa omnia per simplicem apprehensionem debet priùs cognoscere; talis autem cognitio intuitiva non est, ut

231. per se patet; ergo abstractiva quidditativa.

Probatur quintò, quia quando Angelus Beatus cum alio loquitur de iis, quæ videt in Deo, id facit imprimendo in intellectu illius speciem, quæ repræsentet objectum, de quo loquitur, & eo modo, quo de illo loquitur, quoad omnia scilicet, quæ in eo videt, ut necessarium fatetur *P. Soar. lib.* 2. *de Angel. cap.* 27. *à n.* 32. *& lib.* 6. *cap.* 14. *à n.* 8. quod nos tamen non admisimus in *Log. tr* 3. *d.* 3. *à n.* 674. ergo dari potest species Dei quidditativa abstractiva elicita, quæ sit principium cognitionis in Angelo audiente; sed hæc semper supponit cognitionem non beatificam ejusdem objecti repræsentativam in Angelo loquente, ut ipse P. Soar. cit. concedit; ergo &c.

Oppositum tenent *P. Soar. in Met. d.* 30. *sect.* 11. *n.* 22. *& 1. p. lib.* 2. *de Attrib. cap.* 18. *num.* 4. *&* 5. *p. d.* 27. *sed.* 5. §. *Primus modus. P. Vasq.* 1. *p. d.* 134. *cap.* 3. *n.* 6. *&* 7. *P. Arriaga* 1. *p. d.* 11. *n.* 17. *Durand. q.* 3. *Prolog. num.* 8. 12. *&* 13 *Zumel. Cabr. & alii apud Ægid. lib.* 7. *de Beatit. q.* 5. *art.* 1. pro quibus: Argues 1. Cognitio quidditativa Dei necessariò terminatur ad illius existentiam, utpotè quæ ad illius quidditatem spectat; sed cognitio terminata ad rem existentem quà talem semper est intuitiva; ergo Cognitio quidditativa Dei non potest esse abstractiva. Respondeo negando minorem: cognitio enim terminata ad rem existentem quà talem potest non esse intuitiva: Primò si ad illam non terminetur immediatè, sed ex alio priùs cognito: Secundò si terminetur ad illius existentiam, immediatè, non tamen in actu exercito, sed in actu signato; sic enim recordatio rei existentis aliquando ad ipsius existentiam tendit, semper tamen abstractivè, ut ait *P. Mol.* 1 *p. q.* 1. *art.* 2. *d.* 7. 232.

Argues 2. Ideò cognitio illa terminata ad Deum existentem, & præsentem non esset illius intuitiva, quia ad ipsum ut præsentem non terminaretur; sed hoc est falsum; siquidem si non cognosceretur ut præsens, cognosceretur ut absens, quod non est dicendum, cognosceretur enim ut est, sicque neque absens à loco, neque à tempore; ergo &c. Respondeo negando majorem; licet enim illa cognitio terminaretur ad Deum præsentem immediatè, adhuc non esset intuitiva, quia ipsius præsentiam non repræsentaret in actu exercito, ita ut existentia, & præsentia exerceant rationem objecti immediatè moventis, & terminantis actum potentiæ. 233.

Argues 3. Impossibilis est species impressa quidditativa abstractiva Dei, ut probat *P. Soar. in Met. d.* 30. *sect.* 11. *num.* 23. *Zumel.* 1. *part. q.* 56. *art.* 3. *quæst.* 1. §. *Sed his. Cabr.* 3. *part. quæst.* 11. *art.* 1. *d.* 5. §. 6. *num.* 118. ergo etiam impossibilis erit expressa. Respondeo primò negando antecedens, ut tenent *P. Mol.* 1. *p. q.* 1. *art.* 2. *d.* 3. *& quæst.* 56. *art.* 3. *P. Gil. tom.* 2. *tract.* 11. *cap.* 14. *P. Sal.* 1. 2. *tract.* 2. *d.* 3. *sect.* 7. *n.* 32 *& d.* 5. *sect.* 2. *num.* 30. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; cognitio enim Dei, de qua loquimur, neque fit, neque postulat fieri, seu produci ab specie impressa, sed ab ipsa Visione Beata, ut ex supra dictis constat. Vide quæ diximus in Log. *tract.* 6. *d.* 3. *à n.* 155. 234.

SECTIO XI.

Utrùm, & quo pacto Visio Beata sit immutabilis?

235. QUÆ sub hoc titulo explicanda occurrunt sunt: Utrùm Visio beata ad plura objecta possit de novo terminari: aut ad aliqua, quæ antea attingebat, non terminari absque sui mutatione reali? Deinde: utrùm cum sui mutatione, saltem accidentali de facto terminetur de novo ad plura objecta: an cognitio de novo adveniens fiat per alias intellectiones in proprio genere? Omnia per sequentes difficultates resolvemus: sit igitur.

236. Difficultas 1. Utrùm Visio beata possit de novo terminari ad plures perfectiones, aut creaturas in Deo cognitas: Vel non terminari ad illas, quas antea attingebat, absque sui mutatione reali? Negativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 57. a. 1. & 2. 2. q. 83. a. 4. ad 2. D. Bonav. in 3. dist. 14. art. 2. q. 3. Marsil. in 3. q. 10. art. 2. Almain. q. 1. art. 1.* & alii quos citat & sequitur *P. Vasq. 1. part. d. 54. cap. 2. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. num. 5.* & latiùs *lib. 6. de Angelis cap. 6. per totum. P. Valent. 1. part. quæst. 12. punct. 6. §. Secunda assertio. Zumel 1. p. quæst. 12. a. 10. q. unica. Pesant. ibid. d. 3. in 2. dicto cum Ripa in annot. P. Gil. tom. 2. tr. 9. cap. 3.* & alii apud illos.

237. Probatur prima pars, quia in Visione beata repræsentari objectum beatificum secundùm plures, aut pauciores perfectiones sibi essentiales, aut non essentiales clarè cognitas provenit formaliter ex differentia individuali, & peculiari ipsius Visionis beatæ, & ex illius majori, aut minori intensione, vel extensione, prout infra dicemus; sed hæc nequeunt Visioni beatæ communicari absque sui mutatione reali; ergo &c.

238. Probatur secundò, quia terminatio Visionis beatæ ad plures, aut pauciores creaturas in Deo, tanquam à ratione remota, ortum habet ex majori, aut minori penetratione Essentiæ, & Perfectionum Divinarum; sed hujusmodi major, aut minor penetratio stare non potest sine mutatione in entitate individuali, intensione, aut extensione ipsius Visionis, quæ mutatio semper est realis; ergo &c.

239. Probatur tertiò, quia Visio beata respicit transcendentaliter, sive essentialiter suum objectum, sicut illud respiciunt aliæ cognitiones naturales; sed hæ, si aliquid de novo attingerent, aut non omnia, quæ antea, essentialiter mutarentur; ergo etiam Visio beata ita mutabitur, si terminari desinat ad perfectiones, aut creaturas, quas antea attingebat, vel ad alias, quas non attingebat, terminetur.

240. Probatur quartò ex absurdo, quia si Visio beata ad plures perfectiones, aut creaturas posset de novo terminari absque sui mutatione reali, etiam sic poterit terminari ad infinitas, cùm sit eadem ratio; sed hoc non est admittendum; sequeretur enim Deum posse attingere comprehensivè; ergo &c.

241. Oppositum tenent *Magist. in 2. dist. 11. Abulens. Matt. 5. quæst. 44. & cap. 24. quæst. 206. Scot. in 3. dist. 14. q. 2. §. Sed si istis, & ad 2. & in 1. dist. 1. quæst. 2. art. 2. §. Quantum. Paludan. in 4. dist. 45. num. 31. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 59. §. Sed remanet, Rubion. in 3. dist. 14. quæst. 1. & in 4. dist. 50. quæst. 4. §. Quantum. Maj. in 4. dist. 49. q. 9. ad 3. Ocham. Mayron. in 3. dist. 12. quæst. 3. fine.* & alii quos citat & sequitur *Ægid. Lusit. tomo 3. de Beatit. q. 1. art. 13. §. 2. in appendice.* Pro quibus:

Objicies 1. Essentia Divina, prout est objectum beatificum, liberè terminat actus beatificos cognoscendi; ideò enim à pluribus Scholasticis dici solet speculum voluntarium; ergo poterit videri magis, aut minùs; vel ut repræsentativa est harum, aut illarum creaturarum; vel non ita videri absque sui mutatione reali. Resp. negando antecedens; neque enim Deus potest Visionem beatâ secundùm diversas perfectiones, aut creaturas liberè terminare, quin etiam liberè mutet realitatem ipsius visionis, ut diximus: Unde sicuthanc mutare non solet pro suâ libertate, ita neque ipsi liberum est actum immutatum ipsius Visionis sic, aut sic terminare. 242.

Objicies 2. Idem fundamentum relationis in se immutatum ad novam positionem plurium terminorum, novas accipit denominationes relativas, cum solâ mutatione facta in termino; ergo etiam eadem Visio beata repræsentare poterit plures perfectiones, aut creaturas absque mutatione in se facta. Respondeo cum *P. Soar. lib. 6. de Angel. cap. 6. num. 24.* negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia in communi sententia, de quâ jam in Metaphysica eidem fundamento nova denominatio relativa non advenit absque nova mutatione reali facta ex nova forma relativa resultante ad novam positionem termini realis; ergo eodem modo Scientia Beatifica mutabitur ex novo objecto cognito; sicque magis confirmatur, quàm infirmatur nostra doctrina. 243.

Secundò, quia dato, quod relatio non sit forma de novo resultans, sed eadem omninò entitas cum fundamento, ut aliqui dicunt, quos nos rejecimus in Metaphysica, cùm tamen denominatio relativa non sit respectus aliquis transcendentalis, sed quid per accidens resultans ex nova positione termini, satis est mutatio facta in termino, ut denominatio illa de novo resultet sine ulla mutatione in fundamento: at verò Scientia Beatifica, cùm sit respectus transcendentalis ad objectum cognitum, ad mutationem ipsius objecti necessariò mutabitur ipsa cognitio beatifica. 244.

Objicies 3. Eadem species impressa Angeli, quæ antea repræsentabat rem, ut possibilem, incipit illam repræsentare existentem absque sui mutatione entitativa, cum sola mutatione objecti; ergo etiam Visio beata absque sui mutatione reali poterit terminari ad nova objecta, cum sola objectorum mutatione. Respondeo dato antecedente, saltem quoad res possibiles, & præsentes, negando consequentiam cum *P. Soar. cit. num. 22.* diversa ratio est, quia species impressa ad cognitionem Angeli concurrit effectivè, & quin mutet suam repræsentationem, quam accepit semel producta, concurrens ad cognitionem rei abstrahendo ab illius existentia, eadem concurrit ad cognitionem illius existentis, data existentia: at verò Cognitio Beatifica tendit ad objectum formaliter, & essentialiter, sicque necessariò mutabitur ad quamlibet mutationem objecti. 245.

Objicies 4. Distinctio realis, & numerica solùm desumitur ab objecto dante specificam; sed hoc est solùm primarium; ergo licet creaturæ in Deo cognitæ augeantur, vel minuantur, eadem perseverabit Visio. Respondeo negando majorem; licet enim cognitio solùm varietur essentialiter, variato objecto specificante; entitativè tamen, & quasi materialiter mutatur mutato objecto secundario; sicque visio beata subiret mutationem entitativã, & realem mutato 246.

mutato objecto secundario; siquidem utrumq; indivisibiliter,& transcëdentaliter respicit, licet à primario speciem, & à secundario realitatem accipiat.

247. Objicies 5. Si Deus, ut potest, instituerèt alium rerum ordinem diversum ab eo, qui de facto datur, Scientia Visionis Increata esset eadem, quæ de facto est, sine ullâ mutatione intrinseca; & tamen haberet diversum objectum secundarium, nempè diversas res existentes; ergo etiam nostra Visio beatifica, licet extenderetur ad diversas creaturas, esset eadem sine mutatione. Respondeo primò negando majorem: nam cùm Scientia Divina sit essentialis repræsentatio objectorum, si ad diversum ordinem rerum terminaretur, esset etiam diversa, si non quoad intrinsecam entitatem, saltem quoad formalem denominationem, sicque impossibilis est talis rerum ordo diversus, sicut impossibilis est alia Scientia Increata diversa.

248. Respondeo secundò, data majori & minori, negando consequentiam; diversa ratio est, quia Scientia Divina, cùm sit Increata, sicque Infinita, ac proindè ab objecto nec speciem, nec individuationem sumat, terminatur ab æterno ad omne intelligibile, si quod sit: unde si decretus fuisset alius rerum ordo, & hic esset quid intelligibile, ad illum extenderetur, & terminaretur absque sui mutatione reali, & cum sola mutatione objectorum: at verò Visio Beata creata, cùm sit finita, ab objecto etiam creato adhuc secundariò dependet, ad quod est respectus transcendentalis, sicque illo variato, non potest non ipsa essentialiter mutari.

249. Difficultas 2. Utrùm Visio beata semel producta ad nova objecta in Deo cognita de facto terminetur: an si quid Beatis à Deo de novo revelatur, id fiat per novas cognitiones in proprio genere? Dico 1. Visio beata semel producta ad nova objecta in Deo cognita non terminatur. Ita *Bannez 1. p. q. 12. art. 10. dub. unico. Zumel. ibid. art. 8. q. unica. propos. 3. Ledesma de Divin. perfect. q. 7. a. 3. ad 3. P. Valent. P. Vasq. P. Soar. P. Sal. P. Gil.* locis supra cit. cum pluribus aliis, quatenùs asserunt, Visionem beatam nullatenùs mutari de facto, neque quoad essentiam, neque quoad realitatem. Pro eadem stant, qui defendunt Angelos, cæterosq; Beatos in Beatitudine essentiali non proficere, sive ex novis meritis, sive aliter, quos refert, & sequitur *P. Soar. lib. 6. de Angelis, cap. 6. à num. 3.* ubi latè, & doctè, ut solet de hac quæstione.

250. Probatur, quia Visio beata non potest ad nova objecta terminari sine sui mutatione in natura individuali, intensione, aut extensione, ut hactenùs diximus, sed hujusmodi mutatio, cùm sit realis, nõ potest naturaliter stare cum Visione beata; ergo &c. Probatur minor primò, quia Visio beata est nostra Beatitudo, saltem partialis; ergo naturâ suâ est æterna; consequenterque immutabilis. Secundò, quia Visioni beatæ, cùm sit perfecta participatio Cognitionis Divinæ, debet tribui major perfectio; sed major perfectio est Visionis beatæ, & Statûs beatifici non mutari, etiam realiter, quàm oppositum; ergo &c. Tertiò, quia sequeretur Beatos in Patriâ proficere in Beatitudine essentiali, cujus oppositum docent Theologi, ut latè probat *P. Soar. cit.* ergo &c.

251. Dico 2. Si quid Deus Beatis de novo revelat, id Beati cognoscũt per novas cognitiones in proprio genere. Ita communissima sententia in Theologia, quam tenent *P. Valent. cit. Bannez. Zumel. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 27. n. 18. & lib. 6. de Angel. cap. 6. P. Sal. P. Gil. cit.* & alii. Probatur, quia Beati plura de novo cognoscunt, quæ antea non cognoscebant, ut ex dicendis constabit; sed non ea cognoscunt per Visionem beatam, ut diximus; ergo per cognitiones, & species à Deo communicatas in proprio genere.

252. Oppositum sentiunt *Adam q. 2. Prolog. & in 2. dist. 1. q. 8. art. 2. Gregor. ibid. q. 2. a. 1. ad 1. Gabr. in 3. dist. 14. q. unica, art. 1.* quatenùs asserunt Visionem beatam ad nova objecta terminari cum sui mutatione saltem accidentali. Pro eadem stant *Magist. in 2. dist. 11. & Abulens. Matt. 5. q. 44. & cap. 24. q. 206.* qui defendunt apud *P. Soar. lib. 6. de Angelis cap. 6. num. 2.* Angelos (idemque videtur dicendum de aliis Beatis,) usque ad diem judicii crescere in sua Beatitudine essentiali. Favet *P. Mol. 1. p. q. 12. a. 8. d. 6. §. Vt tamen.* & est communis sententia Nominalium asserentium, quoties Beatus de novo cognoscit creaturam existentem, novam producere visionem in verbo: pro quibus.

253. Argues 1. Angeli Beati ab initio non viderunt in Deo Mysterium Incarnationis, quod postea in Verbo viderunt juxta illud ad Ephes. 3. 10. ibi: *Vt innotescat Principatibus, ac Potestatibus in Cœlestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei.* Et 1. Tim. 3. ibi: *Magnum est Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, &c.* quæ loca Sancti Patres, & Interpretes de Mysterio Incarnationis intelligunt; ergo Visio beata de facto terminatur ad nova objecta in Verbo cognita.

254. Respondeo cum *D. Thom. 1. p. q. 57. a. 5. Alens. 2. p. sum. q. 26. memb. 1. P. Soar. lib. 6. de Angel. cap. 5.* distinguendo antecedens: non viderunt in Deo Mysterium Incarnationis quoad omnes circumstantias, concedo antecedens: quoad substantiam Mysterii; nego antecedens. Undè Apostoli loca intelligenda sunt, aut de cognitione Mysterii quoad circumstantias, quas Angeli Beati postea viderunt per cognitiones in proprio genere: aut, ut aliqui volunt, de cognitione experimentali, quæ sufficienter significatur per verbum *apparuit.*

255. Argues 2. Beati cognoscunt in Verbo quæcumque in mundo fiunt, & eo modo, quo fiunt; siquidem hoc pertinet ad perfectissimum illorum statum; sed hæc non simul fiunt, sed successivè; ergo successivè illa cognoscunt per Visionem beatam. Respondeo negando consequentiam: licet enim Beati videant in Verbo, quæ in mundo fiunt antequam fiant (non quidem omnia, sed quæ ad illos pertinent,) hæc tamen, & plura alia vident ut præsentia per revelationes speciales à Deo factas, aut per illuminationes ab aliis Beatis; siquidem cognitio illorum successiva stare nequit sine mutatione reali Beatitudinis eorum statui beatifico repugnante, prout diximus.

256. Argues 3. Beati per Visionem beatam cognoscunt in Verbo quæcumque pertinent ad statum beatificum uniuscujusque, ut probat *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18 à n. 15.* sed non statim ab initio suæ Beatitudinis; alioqui Angeli & homines ab initio suæ Beatitudinis viderent in Verbo diem judicii; orationes sibi fundendas in tali tempore: Angeli, quę per eorum ministeria in Ecclesia eventura sunt, quandiu hæc duraverit: omnes eventus hominis sibi in custodiam cõmissi; cùm hæc ad eorum status, & ministeria spectent; ergo successivè; sicq; nova aliqua per Visionem beatam cognoscunt.

257. Respondeo cum *P. Soar. lib. 6. de Angel. cap. 6. num. 33.* & alibi, Beatos, præsertim Angelos, videre quidem in Verbo statim ab initio suæ Beatitu-

dinis omnia, quæ pertinent ad suum statum; neque tamen indè rectè inferri, videre in Verbo diem judicii; siquidem id, neque ad statum, neque ad ministerium Angelorum spectat, ut rectè ostendit idem *P. Soar. ibid. cap. 5. num. 16.* Et quamvis videant orationes sibi in futurum fundendas, quatenùs id necessarium est, aut ad eorum ministeria, aut ut Ecclesia militans, & homines viatores fidentiùs possint cum illis colloqui, & securiùs in eorum potestate confidere, illas tamen non vident quoad omnes individuas circumstantias, etiam temporis; neque enim opus est, ut videant, an sint à Deo exaudiendæ, & quomodò implendæ; an res postulatæ expediant postulantibus, & similia, quæ expressit *Caiet. 2. 2. q. 86. art. 4. ad 2* idemque dicendum de cœteris, quæ per Angelorum, aut hominum ministeria in Ecclesia sunt eventura, quamdiu hæc duraverit. Neque etiam infertur, singulos Angelos ab initio suæ beatitudinis videre in verbo omnes eventus futuros sui clientuli, eos præsertim, qui aut ex voluntate, & libero Dei decreto pendent; aut ad secreta cordis spectant.

258. Instabis: Ad statum Beati pertinent, non solùm futura, sed etiam præsentia ut sic; ergo illa cognoscunt ut sic in verbo; consequenterque successione temporis. Respondeo non omnia præsentia spectare ad statum cujuslibet Beati; alioqui omnes quoad hoc essent æquales; quæ tamen ad cujuslibet statum spectant, statim ab initio suæ beatitudinis videntur, si jam extabant; aut videntur ut futura antequam fiant, & cognoscuntur secundùm præsentiam per cognitionem in proprio genere.

259. Argues 4. Christus Dominus per suam Visionem Beatam creatam videt quæcunq; Deus scit, & cognoscit Scientiâ Visionis, ut in Materia de Incarnatione latè explicatur; sed hæc non solùm cognoscit futura, sed etiam præsentia successione temporis; ergo etiam sic illa cognoscit Christus Dominus Visione Beata; consequenterque sic ea cognoscent alii Beati. Respondeo quidquid sit de majori, quod scilicet Christus Dominus videat totum objectum Scientiæ Visionis, & illud sit, sive finitum, sive infinitum, dataque minori, negando consequentiam; satis enim est, quod Christus Dominus objecta ab initio suæ beatitudinis futura, postea cognoscat, quando suo tempore esse actuale accipiunt, causaliter, id est, per cognitiones peculiares in proprio genere, prout singula succedunt suo tempore.

260. Argues 5. Non posse Beatum cessare à Visione Dei, saltem prout terminatur ad objecta creata, videtur magna imperfectio statûs Beatifici, quatenùs ita necessariò fertur in objecta creata, atque in Deum; sed hujusmodi cessatio stare nequit absque mutatione ipsius Visionis beatæ, aut quoad esse simpliciter; aut saltem quoad intensionem, vel extensionem, quæ sunt illius accidentia; ergo &c. Respondeo cum *P. Gil. tom. 2. tract. 9. cap. 3. fine* negando majorem: perfectius enim est, non solùm respectu Statûs Beatifici, sed etiam respectu ipsiusmet Visionis Beatæ, esse necessariam, consequenterque immutabilem, quàm contingentem, & possibilem, atque adeò mutabilem: sicut cernitur in Scientiâ Dei Increatâ necessariâ, & contingente; prima enim, saltem ratione necessitatis nobilior, & perfectior est, quàm secunda, ut constat. Neque ex hoc sequitur objectum creatum necessitare potentiam primariò, & ratione sui, sed solùm secundariò, & ratione objecti Increati priùs cogniti.

DISPUTATIO V.

De objecto terminativo Visionis Beatæ.

SECTIO I.

Quænam perfectiones Divinæ pertineant ad objectum primarium Visionis Beatæ?

ADVERTES primò, perfectiones divinas, alias esse absolutas, & alias Relativas; ad perfectiones divinas absolutas spectare, non solùm Essentiam, & illius prædicata essentialia, qualis est ratio substantiæ, viventis, &c. sed etiam perfectiones illas, quæ à Theologis dici solent Attributales, quæ instar proprietatum censentur emanare à Natura Divina, quales sunt Omnipotentia, Misericordia, Justitia, &c. Ad perfectiones autem Relativas pertinere Relationes constitutivas, & distinctivas Personarum, quales sunt Paternitas, Filiatio, Spiratio passiva, & omnes actus Notionales, de quibus omnibus suo ordine inquirendum est: Utrùm de facto (de possibili enim quid dicendum sit constabit disput. 6.) pertineant ad objectum primarium: an secundarium Visionis Beatæ? 1.

Advertes secundò, objectum primarium alicujus cognitionis esse illud, quod in se, & non in alio priùs cognito, cognitionem ipsam terminat, sive ad illam moveat per se immediatè, sive per speciem à se productam: secundarium autem, ut tale dicatur, debere: Primò attingi per eandem indivisibilem cognitionem, per quam attingitur primarium: Secundò cognosci per primarium, ita ut primarium priùs cognitum sit ratio attingendi secundarium. 2.

Advertes tertiò, certum esse, Deum Unum, & Trinum esse objectum nostræ Visionis Beatæ, ita ut nec sola Deitas, nec solæ Personalitates, sed utrumque simul videatur à Beatis. Patet primò ex Concil. Florent. *in litt. unionis*, ubi ait: *Beatas animas clarè intueri Deum Trinum, & Unum, ut est in se.* Et Concil. Francford. *in Epist. ad Episcop. Hispan.* fine: *Prædicemus*, ait, *Deum verum, ut ad ejus beatissimam Visionem pervenire mereamur.* Et 1. Joan. 3. *Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Idem habetur Matth 18. & 1. Cor. 13. aliisque in locis supra relatis. 3.

Patet secundò ex Sanctis Patribus præsertim D. Greg. Naz. *Orat. de S. Basil.* fine. *Simul*, ait, *viventes Sanctam, & Beatam Trinitatem cujus nunc exiguam speciem, & imaginem accipimus, purius, perfectiusq; conspicientes desideriis nostris finem statuamus.* Et D. August. *tom. 4. lib. de Catechiz. and. cap. 25. Credimus*, ait, *quod non videmus, ut ipsis meritis Fidei, etiam videre, quod credimus, & inhærere mereamur: ut æqualitatem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & ipsius Trinitatis Unitatem, quomodo sunt hæc tria Unus Deus, non jam verbis Fidei personemus, sed* 4.

contem-

contemplatione purissima, & ardentissima in illo silentio sorbeamur.

5. Patet tertiò rationibus: Prima, quia hoc Mysterium est omnium, quæ in Deo sunt, maximè sublime; ergo valdè consentaneum fuit, non latere Beatos, qui Deum vident, ut est in se. Secunda, quia maximè proportionatum præmium est obscuræ fidei, ut id, quod firmiter creditur, clara visione conspiciatur. Tertia, quia Deus, ut constat ex locis citatis, videtur à Beatis sicuti est; atqui sine visione hujus Mysterii non videretur absolutè Deus, ut in se est; ergo &c. His positis.

6. Dico 1. Essentia divina, & omnes ejus perfectiones essentiales pertinent ad objectum primarium Visionis beatæ. Est indubitata resolutio, ita ut nullus, quem viderim, dissentiat. Probatur primò ex locis sacræ Paginæ, Concil. & Sanctorum Patrum proximè adductis. Secundò, quia objectum primarium alicujus cognitionis est illud, quod non in alio priùs cognito, sed se ipso immediatè, aut per speciem à se productam, ipsam cognitionem terminat, ut supra diximus; atqui ita se habet Essentia divina, & omnes ejus perfectiones essentiales respectu Visionis Beatæ; siquidem cùm in Deo nihil sit prius prædicatis essentialibus, hæc nequeunt aliquid supponere, quod priùs terminet Visionem beatificam; ergo &c. Confirmatur, quia omnia illa spectant ad objectum primarium Visionis Beatæ, quæ aut per se immediatè, aut per sui speciem impressam determinant potentiam ad talem cognitionem eliciendam; sed ita se habet Natura Divina secundùm omnia sibi essentialia, ut supra diximus; ergo &c.

7. Dico 2. Perfectiones divinæ Attributales pertinent ad objectum primarium Visionis Beatæ. Ita expressè *Aureol. in 1. dist. 1. quæst. 1. art. 5. ad 1. Major q. 14. ad 5. Caiet. 2. 2. q. 2. art 8 §. Quoad 3.* & alii, quos citat, & sequitur *P. Gil. tom. 2. tr. 7. cap. 1. à n. 5.* Probatur, quia objectum primarium cognitionis, ut diximus, est illud, quod immediatè, & non in alio priùs cognito, ipsam cognitionē terminat; sed perfectiones Attributales sic immediatè terminant Visionem Beatam; siquidem objectū eodem modo terminat cognitionem, quo ad illam concurrit; perfectiones autem Attributales immediatè concurrunt ad cognitionem beatificam, utpotè quæ immediatè, & æquè primò ad illam concurrunt, atque perfectiones essentiales, ut supra diximus; hæ verò sic immediatè ad illam concurrunt; ergo &c.

8. Confirmatur primò, quia perfectiones Attributales sunt eædem ex natura rei cum perfectionibus essentialibus, & æquè primò, ac immediatè visibiles ab intellectu beato illustrato lumine gloriæ; ergo æquè immediatè visionem terminant; consequenterque ad illius objectum primarium spectant. Secundò, quia ad objectum primarium visionis Beatæ spectant quæcunque includuntur in Essentia, ut est à parte rei; cùm sit cognitio Essentiæ prout est à parte rei; sed Essentia prout est à parte rei, imò & quoad nostros conceptus (ut aliqui dicunt,) includit omnes perfectiones absolutas, etiam Attributales, ut diximus in Metaphysicâ; ergo &c.

9. Oppositum tenent *Scot. collat. 21. Mayron. in 1. dist. 1. q. 4. art. 2. Bassol. q. 1. art. 3. §. Sed non video*, & cum illis Scotistæ, quibus favere videtur *P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 9. n. 144.* pro illis. Dices 1. Perfectiones Attributales sunt posteriores essentialibus in essendo; ergo etiam in cognoscendo; siquidem modus cognoscendi, etiam passivus, sequitur modum essendi; consequenterque posteriùs terminant Visionem Beatam, & ad illius objectum primarium non spectant. Respondeo negando antecedens: perfectiones enim Attributales à parte rei sunt omninò idem cum essentialibus, sicque respectu illarum nequeunt esse posteriores in essendo, consequenterque neque in terminando visionem; idem enim non potest esse prius, & posterius se ipso. Neque obstat quod tales sint ex nostro concipiendi modo; siquidem Visio Beata ex nostro intelligendi modo non pendet.

10. Dices 2. Connaturalis modus cognoscendi proprietates est, percipiendo priùs earum subjectum, & essentiam, quæ est ratio, seu occasio attingendi illas, ut patet, facta inductione in cognitionibus proprietatum in rebus creatis, quæ semper causantur ex cognitione antecedente subjectorum; sed Attributa in Deo habent se ut proprietates Essentiæ, quod omnes concedunt; ergo &c. Respondeo majorem esse veram de proprietatibus in creatis, quæ ex natura rei distinguuntur à suis subjectis: non ita verò in Attributis, quæ ita non distinguuntur ab Essentia.

11. Dico 3. Relationes divinæ constitutivæ, & distinctivæ Personarum, atque adeò actus Notionales spectant ad objectum primarium Visionis Beatæ. Ita *P. Mol. 1. p. q. 12. art. 8. d. 4. concluſ. 2. Zumel. art. 7. q. 2. ad 3. Ægid. lib. 5. de Beatit. q. 14. art. 3. §. 9. n. 67 & art. 7. §. 4. à n. 45.* estque eorum, quos supra citavimus *num. 7.* Probatur, quia omnia illa pertinent ad objectum primarium Visionis Beatæ, quæ illam primò, & immediatè terminant, ut diximus; sed Essentia Divina æquè primò, & immediatè illam terminat non solùm secundùm perfectiones absolutas, sed etiam Relativas; siquidem illam terminat eodem modo, quo ad illam concurrit; ad illam autem æquè primò, & immediatè concurrit, non solùm secundùm perfectiones absolutas, sed etiam Relativas, ut supra diximus *d. 2.* ergo &c. Confirmatur, quia omnes rationes, quas Adversarii adducere solent, nè Relationes divinæ spectent ad objectum primarium Visionis Beatæ, eædem militant, nè ad illam per se primò, & immediatè concurrant; sed hoc secundum non convincunt, ut patet ex dictis loco proximè citato; ergo neque primum.

12. Oppositum tenent *Scot. in 1. dist. 1. q. 2. §. Quantùm ad istum. Cabrer. 3. p. q. 10. art. 2. d. 5. ad 2. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 32. n. 2. & lib. 9. de Trinit. cap. 5. n. 4.* & alii apud *Ægid. cit. §. 1. n. 4.* pro quibus: Objicies 1. Relationes divinæ eodem modo se habent ad terminandam Visionem Beatam, quo ad illam eliciendam concurrunt; sed ad illam eliciendam concurrunt mediante Essentia; cùm hæc sit illarum radix, & fundamentum; ergo etiam sic illa mediante, & non primariò, & immediatè terminant Visionem Beatam; consequenterque ad illius objectum primarium non spectant. Respondeo negando minorem, ut constat ex dictis loco proximè citato; nam Relationes divinæ habent veram, & realem entitatem, suntque formæ æquè intelligibiles, & præsentes intellectui creato, atque sunt perfectiones absolutæ; ac proindè sicut hæ, ita & illæ concurrunt immediatè, & per se primò ad eliciendam, & terminandam Visionem Beatam.

13. Objicies 2. Pater in eo priori, quo antecedit Filium, & Spiritum Sanctum, est perfectissimè Beatus per Visionem Increatam; sed hujusmodi Visio in eo priori solùm ad Essentiam, & perfectiones absolutas

absolutas terminatur, & non ad Relativas Filii & Spiritus Sancti, siquidem pro eo priori, neque productæ, neque existentes sunt; ergo sola Essentia & perfectiones absolutæ spectant ad objectum primarium Visionis Beatæ Increatæ; ergo & creatæ. Respondeo negando minorem; nam in eo priori jam sunt productæ, & existunt dictæ Relationes; siquidem prioritas originis, qualis est illa, non denotat aliquam durationem, & præcedentiam temporis, in quo unum existat sine alio, sed tantùm quod Persona producens sit ad productam, & producta à producente, cum quo stare potest, quod utraque esse possit in eodem indivisibili momento.

14. Instabis: Prioritas originis, quâ Pater antecedit Filium, & Spiritum Sanctum satis est, ut Persona Patris concurrat ad productionem Filii, & non ita concurrat Persona Filii, aut Spiritus Sancti; ergo eadem prioritas Patris sufficiet, ut sola Essentia, & perfectiones absolutæ terminent illius Visionem Increatam, & non ita illam terminent Relationes Filii, & Spiritus Sancti. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia ad productionem realem, qualis est illa, per quam producitur Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non solùm requiritur præsentia realis in eodem instanti ex parte principii productivi, sed quod principium sit in signo aliquo antecedente principiatum; cùm autem neque Persona Filii, neque Persona Spiritus Sancti, sui ipsius productionem antecedat, licet in eodem instanti existat Filius cum Patre, & Spiritûs Sanctus cum Patre, & Filio, inde est, quod sui productiones non attingant: at verò ad intellectionem essentialem, sive conceptum, & illius concursum in ratione termini, qualis est ille, quem exhibent Relationes Personales erga Intellectionem Increatam Patris, satis est præsentia realis in eodem instanti temporis, licet in diverso signo; siquidem, ut aliquid sit terminus cognitionis, etiam intuitivæ, satis est præsentia objectiva, quæ datur etiam in rebus futuris; undè tantùm abest, quod ad intellectionem Patris requiratur præsentia Relationum Personarum in eodem signo, quod neque necessaria sit in eodem instanti, quam tamen habent de facto. Accedit, quod Visio Increata Patris, cùm sit improducta, & improducibilis, non exigit Relationes, ut principia effectiva, sed ut terminos; ratio autem termini tantùm abest, quod exigat præsentiam in eodem signo, ut dari possit in re futura & longè distanti, tam quoad durationem, quàm quoad locum.

15. Objicies 3. Si Personalitates Relativæ haberent rationem objecti primarii respectu Visionis Beatæ, etiam Increatæ, sequeretur: Primò Visionem Patris accipere ab illis suum esse; siquidem haberent se, ut illius motivum: Secundò, non omnem perfectionem essentialem & absolutam in Deo esse priorem Relativis; siquidem cùm Relationes simul cum Essentia haberent rationem objecti respectu Visionis Essentialis Increatæ, sicut ipsa Essentia est prior, quia ad illam ex parte objecti concurrit, ita priores illâ essent Relationes; sed hæc ut absurda non sunt admittenda; ergo neque illud, ex quo sequuntur. Respondeo negando utramque sequelam; nam cùm Relationes Personales non se habeant, ut principium, sive causa motiva Visionis Increatæ, utpotè quæ à nullo causari potest, sed tantùm ut terminus objectivus talis cognitionis, inde est, quod prædicta Visio, sive cognitio essentialis neque ab illis accipiat esse, neque sit illis posterior; ac proindè semper absoluta in Deo sunt priora relativis.

Dico 4. Actus Dei liberi (si quo pacto attinguntur per Visionem Beatam, de quo statim) ad illius objectum primarium spectant. Ita *Ægid. lib. 5. de Beatitud. in proæm. quæst. 3. & 15. P. Gil. tomo 2. tr. 7. cap. 2. num. ult.* & alii Recentiores, Probatur, quia actus Dei liberi habent sufficientem entitatem, ut per se primò, & immediatè terminent cognitionem Increatam; siquidem eorum entitas non distinguitur ad entitate actuum necessariorum, prout alibi diximus; ergo etiam sic poterunt terminare cognitionem creatam beatificam; consequenterque spectare ad illius objectum primarium. Confirmatur, quia omnes perfectiones Divinæ, tam absolutæ, quàm Relativæ, pertinent ad objectum primarium Visionis Beatæ, ut diximus, utpotè quam immediatè terminant; ergo idem dicendum erit de actibus Dei liberis, cùm in illis non appareat specialis difficultas. 16.

Oppositum tenet *P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 9.* Pro quo objicies: Actus Dei liberi videri nequeunt aliter, quàm per Visionem Dei, dependenter tamen ab Essentiâ clarè visâ; sicut modi rerum creatarum cognoscuntur dependenter à cognitionibus earum, quarum sunt modi; ergò cùm non terminent ipsam Visionem immediatè in se, ad illius objectum primarium non spectant. Respondeo negando antecedens: licet enim prædicti actus in sola Essentia Divina videantur, & dependenter ab illa, non ideò desinunt immediatè per se terminare Visionem beatam: sic enim figura, & intensio objecti colorati dependenter ab illo visionem terminant, immediatè tamen, & per se primò. 17.

SECTIO II.

Vtrùm, & quomodò actus Dei liberi Visionem Beatam terminent?

DIximus proximè, actus Dei liberos spectare ad objectum primarium Visionis Beatæ (*si quo pacto per illam attinguntur*,) superest nunc examinare hanc conditionalem *si quo pacto*, & inquirere: Utrùm, & quomodo attingantur? Triplex enodanda venit difficultas: Prima, an repugnet actibus Dei liberis attingi per Visionem Beatam? Secunda, an aliqui de facto per illam attingantur? Tertia, quomodò & quâ ratione illam terminent? Sit igitur. 18.

Difficultas 1. Utrùm repugnet actibus Dei liberis attingi per Visionem Beatam? Negativè. Ita *P. Gil. tom. 2. tract. 7. cap. 3. num. 3. & 4. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 24. num. 6. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 4. sect. 9. n. 144. Ægid. lib. 5. de Beatit. q. 21. a. 1. §. 1.* & alii. Probatur, quia actus Dei liberi sunt in se ipsis cognoscibiles; siquidem à Deo cognoscuntur; ergo non eis repugnat attingi à Beatis per Visionem beatam. 19.

Difficultas 2. Vtrùm aliqui actus liberi Dei cognoscantur de facto à Beatis per Visionem beatam? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. part. q. 12. a. 7. Ægid. P. Soar. P. Gil. P. Sal. cit. P. Fasol. 1. part. quæst. 12. art. 8. dub. 3. num. 27.* & alii. Probatur primò authoritate Sanctorum Patrum, D. Dionys. *cap. 3. de Divin. Nomin.* ubi dicit Angelos inferiores illuminari à superioribus de divinis consiliis, quæ ipsi 20.

ipsi norunt. Et D. Bern. *lib. 5. de Considerat. cap. 4.* ad illud Psalm. 26. *Vt videam voluntatem Domini: Quid,* inquit, *ni ibi videatur cor Dei? Quid ni ibi probetur quæ sit Voluntas Dei bona, & perfecta?..... Patent viscera Misericordiæ, patent cogitationes pacis, divitiæ salutis, &c.*

21. Probatur secundò rationibus: Prima, quia hujusmodi actus sunt cognoscibiles intuitivè, siquidem ita cognoscuntur a Deo; ergo aliqui saltem cognoscuntur à Beatis. Secunda, quia Beati vident in Deo creaturas existentes; sed in Deo nulla datur perfectio, quæ sit medium magis accommodatum ad cognoscendas creaturas existentes, quàm ejus actus liberi; ergo &c, Tertia, quia in Beatis datur appetitus connaturalis, & maximè rationabilis cognoscendi in Deo ordinem, & fines Providentiæ Divinæ circa res creatas; ergo ut hic appetitus impleatur, saltem secundùm quod spectat ad statum cujuslibet Beati, manifestabit illis Deus per Visionem Beatam, aliqua saltem decreta libera, in quibus circa illas res elucet Providentia Divina.

22. Dixi in conclusione *aliqui actus liberi Dei,* quia Beati omnia libera Dei decreta non cognoscunt. Primò propter aliqua incommoda inferius adducenda. Secundò, quia jam non esset singulare privilegium Animæ Christi Domini omnia Dei consilia intueri. Tertiò, quia Naturæ Divinæ denegaretur privilegium concessum naturæ creatæ intellectuali, quatenùs scilicet cognita, etiam intuitivè ab intellectu creato, non statim apparent in ea actus illius liberi, & secretæ cordis cogitationes.

23. Oppones 1. Si Beatus per Visionem Beatam intueretur aliquem actum Dei liberum, intueretur omnes; siquidem Beatus de facto intuetur quidquid est in Deo formaliter, & cognoscibile; omnes verò actus liberi sunt cognoscibiles, & in Deo formaliter, imò ab Essentia indistincti quoad positivam entitatem; sed non intuetur omnes, alioqui Deum ipsum comprehenderet, quod est impossibile, ut ex dicendis constabit; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem: intueretur omnes materialiter, & confusè; concedo majorem: formaliter, & distinctè; nego majorem: cùm enim omnes actus Dei liberi sint à parte rei una, & simplicissima entitas, rectè sequitur, cognitâ entitate unius, cognosci etiam entitatem omnium, & omnes saltem confusè: sicut cognito uno Attributo, cognoscuntur omnia confusè, utpotè in illo inclusa: non tamen inde sequitur, cognosci omnes distinctè, & secundùm diversas habitudines ad extrinsecum, sicque Deum non comprehendit, ut ex infra dicendis clariùs constabit.

24. Oppones 2. Actus Dei liberi, ut possent cognosci à Beatis, deberent habere aliquid, per quod moverent intellectum Beati ad sui visionem; sed nihil in illis datur, quod ita moveat; siquidem in actu Dei libero solùm datur, aut entitas intrinseca; hæc autem non movet, utpotè indistincta ab entitate actûs necessarii; aut respectus rationis, sivè terminatio ad objectum, quæ etiam non movet, cùm non sit aliquid divinum; ergo &c. Respondeo negando minorem; talis enim actus sufficienter movet, & determinat intellectum Beati ad sui visionem, ut jam explicabimus.

25. Difficultas 3. Quomodò actus Dei liberi cognoscantur in Deo à Beatis? De hac controversia nihil ferè antiquiores Scholastici, pauca quædam dixerunt Recentiores, breviter nos etiam illam expendemus. Vide *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 24. à n. 7. P. Mol. 1. p. q. 12. a. 8. d. 5. memb. 5. Banez ibid. §. His positis. Zumel. ibid. a. 7. q. 2. ad 1. P. Granad. tr. 6. d. 1. sect. 7. P. Fasol. 1. p. q. 12. a. 8. dub. 3. n. 28. P. Amicus tom. 1. d. 9. n. 346. P. Herice. tr. 4. d. 52. cap. 1. P. Arriaga tom. 1. d. 9. sect. 8.* & alios apud illos, qui omnes juxta varias sententias de constitutione Libertatis Divinæ communiter explicant hanc præsentem difficultatem, quas tamen hîc non adducemus, tum quia jam de illis egimus in Logica *tr. 5. d. 5. à n. 356.* tum etiam quia ad alium locum spectat.

26. Plures igitur responsiones adhibent Recentiores, quas latè referunt *P. Soar. P. Herice. & P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 4. sect. 9. à n. 146,* Alii enim dicunt, hujusmodi actus videri, visis creaturis aliquando futuris, & aliqua mutatione in ipsis facta, quin sit necessarium, actus ipsos in se primò attingi. Non placent, quia actus illi sunt cognoscibiles immediatè in se ipsis: ergo non solùm à posteriori per effectus. Alii asserunt, prædictos actus cognosci in Essentiâ Divinâ, tanquam in causâ cognitâ. Non etiam placent, quia nihil cognoscitur in alio cognito, nisi cum illo habeat connexionem necessariam; sed prædicti actus liberi non habent necessariam connexionem cum Essentia, cùm hæc ad illos sit causa indifferens; ergo &c. Alii, & quidem non improbabiliter juxta *P. Soar. cit. num. 11.* affirmant, modum cognoscendi tales actus esse à nobis inexplicabilem. Sed cùm nostri muneris sit, etiam res difficiles exponere, his Doctoribus non acquiescimus, ut tamen sententiam nostram dicamus.

27. Advertendum est primò, actus Dei liberos addere supra necessarios aliquid, ratione cujus liberi denominantur, & distinguuntur ab actibus necessariis, & de hoc aliquo, quod addunt, variè varios sentire, ut diximus in Logica loco proximè citato. Secundò difficultatem hic posse procedere, aut in sententia eorum, qui asserunt actus Dei liberos addere supra necessarios aliquid realiter distinctum, ut asserit *Cajet. 1. p. q. 19. a. 2. & 3. q. 1 a. 2.* aut saltem aliquid virtualiter distinctum, ut asserunt *P. Fons. 7. Met. cap. 8. q. 5. sect. 4. & 5. & P. Sal. 1. 2. q. 6. a. 3. tr. 3. d. 1. sect. 8.* aut posse procedere in sententia eorum, qui affirmant actus Dei liberos addere supra necessarios, vel respectus rationis ad objectum, ut affirmant *P. Mol. 1. p. q. 14. art. 15. & quæst. 19. a. 2. cum Capreol. Hispal. Zumel. Banez. Medin. Palu.* & aliis: vel solam terminationem ad objectum contingens, ut affirmavimus in Log. *tr. 5. d. 5. à num. 377.* cum *P. Soar. in Met. d. 30. sect. 9. num 46.* & sæpè alibi. *P. Albertin. P. Granad. 1. part. quæst. 19. d. 5. sect. 6. P. Mærat. tom. 1. d. 32. sect. 2. P. Tanner. 1. part d. 2. quæst. 10. dub. 4. num. 14. P. Arriag. de Voluntat. Dei. d. 28. P. Soar. Lusit. de Anima tract. 6. d. 3. num. 466.* & aliis. His positis.

28. Dico 1. Actus Dei liberi, prout addunt supra necessarios aliquid virtualiter distinctum (& à fortiori si realiter distinctum addant) possunt in seipsis terminare Visionem beatam creatam, sive constituendo intellectum in actu primo, illumque movendo effectivè ex parte objecti, sive solùm se habendo purè terminativè sine ullo influxu effectivo. Est communis inter Recentiores. Probatur prima pars, quia hujusmodi actus, prout sic sumpti, non sunt minùs efficaces ad constituendum intellectum creatum in actu primo, illumque effectivè movendo loco speciei impressæ, atque sunt perfectiones divinæ Relativæ; siquidem in Deo absoluta non sunt inferiora Relativis; sed

perfectiones divinæ Relativæ, ut supra probavimus, id sufficienter præstant; ergo &c. Probatur secunda pars eisdem rationibus, quibus infra probabimus, actus Dei liberos in sententia asserente solùm addere supra necessarios respectum, aut terminationem ad extrinsecum, posse terminare Visionem beatam creatam, terminativè tantùm se habendo ex parte objecti: Undè:

29. Dico 2. Actus Dei liberi, prout addunt supra necessarios solùm respectus quosdam rationis, aut terminationem ad extrinsecum, etiam possunt terminare Visionem beatam creatam, tam effectivè, quàm purè terminativè se habendo. Probatur prima pars de motione, & terminatione effectiva, quia juxta prædictam sententiam actus Dei liberi eandem prorsus entitatem vendicant cum necessariis, à quibus solùm distinguuntur quoad nostrum modum cognoscendi ex connotatione creaturarum, quæ aliquando futuræ sunt; sed entitas illa movet, & movere potest effectivè intellectum Beati, ut cognoscat illos actus ut necessarios; ergo eadem sufficiet ut illos sic cognoscat ut liberos per Visionem beatam.

30. Confirmatur primò, quia actus Dei necessarii majorem habent identitatem cum actibus liberis, quàm habet accidens cum substantia, hæc enim ab illo realiter distinguitur; illorum autem eadem est entitas; sed species impressa immediatè elicita ab accidente concrescente cum substantia movet ad cognitionem & accidentis, & substantiæ realiter distinctæ, ut communiter tenent Philosophi; ergo à fortiori actus Dei necessarii movere poterunt effectivè ad visionem actus liberi.

31. Confirmatur secundò, optimoque exemplo in Divinis, quia eadem entitas movens intellectum ad cognoscendum actus Notionales, quà origines activæ, & passivæ sunt, movet etiam ad eosdem cognoscendos, quà Relationes sunt constitutivæ, & distinctivæ Personarum; sed hujusmodi actus quà origines, & quà Relationes solùm distingnuntur secundùm majorem, & minorem expressionem conceptuum, ut infrà dicemus *tract. 3. de Trinit. d. 2. à num. 146.* ergo etiam eadem entitas, quæ movet ad videndum actus, quà necessarios, movebit intellectum Beati ad videndum eosdem quà liberos.

32. Probatur secunda pars, quod scilicet actus illi per Visionem beatam attingi possint, habendo se tantùm terminativè, quin potentiam per se ipsos, aut per sui speciem immediatè moveant. Primò, quia concursus in actu primo ex parte objecti solùm est necessarius ratione efficientiæ erga cognitionem, seu actum secundum cognoscendi efficiendum: tùm quia juxta sententiam à nobis superiùs approbatam, Visio beata fieri potest absque ullo concursu effectivo ex parte potentiæ, & objecti simul concurrentis, quod fieri non posset, si species aliter, quàm effectivè concurreret: tùm etiam, quia in sententia P. Soar. pluribus in locis Metaphysicæ, species objectorum in cognitiones solùm concursum effectivum exercent, & nullatenùs repræsentativum, neque specificativum; sed Deus potest supplere omnem efficientiam, seu concursum effectivum, ut patet ex dictis, & omnes fatentur; ergo &c.

33. Probatur secundò, quia non repugnat fieri à Deo cognitionem creatam, quæ ratione sui luminis, entitatis individualis, aut extensionis veluti modalis attingat formaliter actus liberos, quin ab eisdem primò determinetur; ergo tunc cognoscentur, quin præstent aliquem concursum effectivum, sed solùm terminativè se habendo. Dices: Hoc, quod est cognoscere objectum, quin ab eodem determinetur in actu primo, est proprium & peculiare solius Cognitionis Divinæ; ergo repugnat dari in aliqua cognitione creata. Respondeo solùm esse proprium, & peculiare Cognitionis Divinæ id postulare ab intrinseco ratione suæ infinitatis, immutabilitatis, & omnimodæ independentiæ: quod tamen non tollit, quominùs cognitio creata id habere possit communicatum ex miraculo, & privilegio, cùm in hoc non appareat ulla repugnantia, aut ratio in contrarium.

SECTIO III.

Vtrùm creaturæ ita videantur in Essentia Divina, seu Verbo, ut constituant objectum secundarium Visionis Beatæ?

ADvertes primò, idem esse quærere: an videantur creaturæ in Essentia Divina, sive in Deo, atque inquirere: an videantur in Verbo? Siquidem quacumque ratione aliquid videtur in Deo, dicitur videri in verbo, licet solùm per quamdam appropriationem; sicut enim quæcunque dona gratiæ, licet à Deo, & tota Trinitate sint collata, appropriantur Spiritui Sancto, qui specialiter est Amor, & illa ex amore nascuntur: ita etiam quæcunque supernaturaliter in Deo, seu Essentia divina sunt cognita, dicuntur cognosci in verbo, utpotè quod speciali- 34.
liter per Intellectum, & Cognitionem Divinam procedit.

Advertes secundò, dupliciter posse aliquid in Deo videri: Primò causaliter, ita ut virtus Dei sit causa cur aliquid videatur, sive per speciem talis objecti, sive per revelationem; sicut homo dicitur in Deo aliquid peragere, nempè virtute Dei roboratus: Secundò formaliter, tanquam in objecto viso, & quæ ita videntur in verbo, dicuntur videri per Visionem beatam. Advertes tertiò, ut aliquid dicatur objectum secundarium, duas exigere conditiones, prout jam supra diximus: Prima est, ut attingatur per eandem indivisibilem cognitionem, per quam attingitur primarium: Secunda est, ut cognoscatur ex vi primarii cogniti, ita ut primarium sit ratio cognoscendi secundarium. His positis. 35.

Difficultas 1. Utrùm Beati videant in Deo, sive in Verbo aliquas creaturas? Affirmativè. Est indubitata inter Theologos tùm veteres, tùm recentes, ita ut sic indistinctè proposita à nullo possit rectè negari, ut dicit *P. Fasol. 1. part. quæst. 12. art. 8. dub. 4. num. 34.* Probatur primò authoritate Sanctor. Patr. D. Aug. *lib. 4. de Genes. ad litt. cap. 23. & 24. & lib. 11. de Civit. cap. 7.* ibi: *Cognitio creaturæ in se ipsa decoloratior est, ut ita dicam, quàm cùm in Sapientia Dei cognoscitur, velut in arte, quâ facta est.* Et cap. 29. ibi: *Angeli sancti*, inquit, *ipsam quoque creaturam meliùs in Sapientiâ Dei, tanquam in arte, quâ facta est, quàm in ea ipsa sciunt.* Et D. Bern. *lib. 5. de Considerat. in princip.* loquens de Beatis civibus: *Creatura*, inquit, *cœli illa est, præsto habens per quod potius ista intueatur. Videt verbū, & in verbo facta per verbum.* Et D. Isidor. *lib. 1. sentent. cap. 12. n. 17. Angeli*, inquit, *in Verbo Dei cognoscunt omnia, antequam in re fiant.* Et favet D. 36.
Paul.

Paul 1. Cor. 13. ubi loquens de Visione beata, & de videndo non solùm Verbum, sed etiam alia objecta, quæ scilicet correspondeant cognitioni ænigmaticæ per Fidem: *Videmus*, ait, *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

37. Probatur secundò ratione, quia Deus est talis causa omnium creaturarum, ut non solùm immediatè creaturas ipsas, sed etiam quidquid ab illis producibile est, possit ipse producere; sed non potest producere, nisi quod in se eminenter continet; ergo sic eminenter continet, non solùm ipsas creaturas, sed etiam earum imagines, & similitudines quascumque ab illis producibiles; ergo Beatus cognoscens intuitivè Deum, aliquas creaturas videre debet.

38. Difficultas 2. Utrùm Beatus ita videat creaturas in Deo clarè viso, ut ipsæ constituant objectum secundarium Visionis beatæ? Affirmativè. Ita *D. Aug. lib. 4. de gen. ad litter. cap. 23. & 24. & lib. 11. de Civit. cap. 7. & 29. D. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 33. & lib. 12. Moral. cap. 14. D. Bernard. lib. 5. de Considerat. ad Eugenium. D. Thom. 1. p. q. 12. art. 8. 9. & 10. & q. 58. art. ult. & cum illo Thomistæ, Capreol. in 4. dist. 49. q. 6. Cajet. 1. p. q. 12. art. 8. Ferrar. 3. cont. gent. cap. 56. Sot. dist. 49. q. 3. art. 3. Zumel. 1. p. q. 12. art. 8. Bannez ibid. Navarret. controv. 48. Durand. dist. 14. q. 2. & in 4. dist. 49. Argentin. q. 2. art. 4.* Et ex nostris *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 25. P. Gil. tom. 2. tr. 7. à cap. 11. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 8. d. 5. P. Sal. 1, 2. tract. 2. d. 4, sect. 4. à n. 38. P. Valent. q. 12 pun. 6. P. Albert. q. 4. Theolog. P. Fasol. 1. p. q. 12. art. 8. dub. 5. num. 37. P. Amicus tom. 1. d. 9. n. 361. P. Arrub. 1. p. q. 12. art. 6. d. 25. cap. 3. P. Granad. 1. p. q. 12 art. 8. tract. 6. d. 1. sect. 2. P. Tanner. 1. part. d. 2. q. 6. dub. 8. P. Arriaga tom. 1. d. 10. à n. 42.* & alii.

39. Probatur primò authoritate Sanctor. Patr. D. Aug. *lib. 4. de gen. ad litter. cap. 24. Universam*, inquit, *creaturam in ipso Verbo Dei priùs noverunt, in quo sunt omnium, quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes tanquam in eo, per quod factæ sunt, ac deindè in ipsa creatura*: ex quibus verbis videtur manifestum cognitionem matutinam non applicari solùm cognitioni creaturarum secundùm illud, in quo distinguuntur à Creatore, sed simul etiam ipsi Deo, in quo cognoscuntur. Idem habet *cap. 26. & lib. 65. quæst. q. 26. & lib. 11. de Civit. cap. 7. & 29.* Et D. Bernard. ubi supra. *Videt*, inquit, *verbum, & in verbo facta per verbum.* Et D. Greg. *lib. 4. Dialog. cap. 53. Quia omnes*, inquit, *communi claritate Deum conspiciunt*: ubi verba illa *communi claritate* clarè significant ex lumine, quo Beati vident Deum provenire etiam visionem creaturarum. Et D. Dionys. *cap. 7. de divin. nomin.* ibi: *Si causa una Deus rebus omnibus statum largitur, eadem etiam causa una omnia, ut à se perfecta, & in se ante constantia, cognoscet.* Et Concil. Senonens. *in Decret. Fidei Decret. 13. Beatis*, inquit, *pervium esse illud divinitatis speculum, in quo quidquid eorum interfit illucescat.* Ubi videtur loqui de visione in divina Essentia, ut in objecto primario.

40. Probatur secundò rationibus: Prima est, quia hujusmodi visio creaturarum in Verbo est possibilis: tùm quia in ea nulla apparet repugnantia: tùm quia Deus ipse cognoscendo se, in se ipso cognoscit, & videt creaturas; ergo non est deneganda Beatis. Probatur consequentia primò, quia Beatis concedenda est cognitio creaturarum perfectior; sed hæc eo ipso, quod habetur per principium longè excellentius, qualis est ipsa Essentia divina, est multò excellentior, & perfectior, quàm est si habeatur per proprias species; ergo &c. Secundò, quia cognitio Beatorum, cùm sit quædam participatio Cognitionis Divinæ, debet esse talis, ut Beati per illam Deo assimilentur; sed per hujusmodi cognitionem magis accedunt ad similitudinem Dei, utpotè qui ipse in se ipso velut ratione cognoscendi, cognoscit, & videt creaturas; ergo &c.

41. Secunda est, quia Beati, ut ex superius dictis constat, vident clarè, & distinctè Essentiam, & omnia Attributa divina; sed difficillimè explicari potest, quomodò ea sic videant, & non simul etiam videant creaturas: tùm, quia Attributa inter se virtualiter non distinguuntur, nisi per respectum ad creaturas: tùm etiam, quia quædam Attributa, nempè Omnipotentia, Immensitas, & Æternitas, explicari à nobis non possunt sine respectu ad creaturas, utpotè quæ ad illas dicunt ordinem transcendentalem, ut alibi diximus in Phys. *tr. 2. d. 5. à num. 246.* de Omnipotentia Divina; ergo &c.

42. Tertia est, quia qui cognoscit causam, cognoscit effectum, eòque perfectiùs, quò perfectiùs causa continet effectum, & clariùs ab intelligente cognoscitur; sed creaturæ continentur in Deo, ut in causa modo perfectissimo, & Deus ipse à Beatis clarè & quidditativè cognoscitur; ergo fieri potest, ut creaturæ in Deo veluti in causa, idque ex vi visionis Dei cognoscantur.

43. Dicent, qui cognoscit causam, cognoscere effectum, si sit causa creata, non verò Increata. Sed contra, quia per se incredibile est, minorem vim habere ad repræsentandum suum effectum causam Increatam, quàm creatam, cùm illa sit perfectior, & quò causa est perfectior, eò meliùs possit suum effectum repræsentare; ergo si qui cognoscit causam creatam, cognoscit suum effectum, à fortiori ita fiet in causa increata.

44. Dupliciter adhuc in contrarium datur sententia: Prima asserit, creaturas videri quidem in verbo per Visionem beatam, non ex vi Essentiæ priùs cognitæ, sed concomitanter, exercente ipsâ Essentiâ, aut se ipsâ, aut per suam Omnipotentiam rationem speciei intelligibilis creaturarum, quam cùm similiter exerceat, dùm est forma intelligibilis respectu sui, & suarum perfectionum, indè fit, ut per unam eandemque visionem, & videatur ipsa Essentia Divina, & in eadem concomitanter videantur etiam creaturæ. Ita *P. Valent. 1. p. quæst. 12. punct. 6 quæst. 1. 2. & 4. Cabrer. 3. p. quæst. 10. art. 2. d. 1. §. Secundò convenit. Pesant. 1. p. quæst. 12. art. 10. d. 2. §. Notandum quod. Ægid. lib. 5. de Beatit. q. 17. art. 4. & q. 18. arr. 3.* & Nominales apud *P. Gil. tom. 2. tract. 7. cap. 14.*

45. Rejicitur tamen, ut improbabilis, & impossibilis à *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 25. n. 45. & à P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 4. sect. 4 à n. 55.* Primò, quia aut hujusmodi sententia loquitur de concursu speciei intelligibilis creaturarum effectivo, aut formali extrinseco: Non primum, neque enim de illo est quæstio; siquidem nullus dubitat, posse Deum supplere concursum cujuslibet causæ efficientis, qui tamen in re nostra absque formali extrinseco satis non est: Non secundum, cùm sit impossibile: primò ex ipsâ rei naturâ; siquidem Essentia Divina, neque se ipsâ, neque per suam Omnipotentiam est intentionaliter, aut formaliter, aut etiam identicè creatura in Deo visa, cùm hæc omnia imperfectionem involvant à Deo alienam; ergo supplere nequit concursum speciei intelligibilis creaturæ in ratione causæ formalis externæ; nam cùm hujusmodi concursus specificativus sit cognitionis,

solùm fieri potest à causa, quæ aut formaliter, aut intentionaliter contineat creaturas, qualiter illas non continet Essentia, quæ licet illas contineat eminenter, id non sufficit; siquidem continentia eminentialis solùm conducit ad hoc, ut Essentia cognita ducat in cognitionem creaturarum; sicut ex simili continentiâ quælibet causa rectè excitat ad cognitionem sui effectûs: Secundò, quia nullus Philosophus asseruit, causam creatam, aut speciem illius intelligibilem, supplere posse concursum formalem speciei intelligibilis sui effectus, ita ut non cognita in cognitionem proprii effectûs excitet.

46. Rejicitur secundò ex ipsa ratione visionis, quia visio creaturarum in Verbo solùm illa dici potest, quæ beatificat; sed hæc, cùm esset creaturarum in se, & non in Verbo, ad summum enim haberi potest concomitanter cum visione Essentiæ, non ita beatificaret, ut patet; ergo impossibile est visionem creaturarum in Verbo ita prædicto modo exerceri.

47. Addo, etiam libenter dato cum Authoribus citatis, posse Essentiam Divinam ratione continentiæ eminentialis sortiri rationem speciei intelligibilis respectu creaturarum, quam sententiam supra probabilem diximus, juxta eam dici non posse, creaturas in Essentia, aut ex Essentia prædicto modo cognitas pertinere ad objectum secundarium Visionis Beatæ, sed potiùs ad primarium. Patet, quia in hujusmodi sententia non cognoscerentur creaturæ ex vi Essentiæ priùs cognitæ, quæ est conditio necessaria ad rationem objecti secundarii, ut supra diximus, sed ad summum concomitâter, & æquè primò cum ipsa Essentia Divina, sivè per eandem cognitionem cum illa, sive per aliam diversam ab illa, juxta diversum loquendi modum istorum Authorum, qui illam sequuntur; ergo solùm possent constituere rationem objecti primarii, & nullo modo secundarii. Adhuc tamen.

48. Objiciunt 1. Potentiæ Divinæ solùm est denegandum, quod contradictionem involvit; sed nulla datur contradictio, aut repugnantia in eo, quod Essentia Divina concurrat loco speciei intelligibilis æquè primò ad sui, & creaturarum cognitionem, sicque Beatus per eandem cognitionem attingat concomitanter Deum, & creaturas absque ulla virtuali dependentia; ergo id fieri poterit. Respondeo negando minorem, ut patet ex dictis; repugnat enim talis cognitio ut impossibilis; siquidé neque Essentia divina potest esse species intelligibilis creaturarum, neque supplere illius concursum, saltem formalem externum, ut diximus.

49. Objiciunt 2. Nihil potest à se ipso dependere; sed si creaturæ attingerentur ex vi Essentiæ priùs cognitæ per eandem indivisibilem cognitionem, eadem cognitio quà terminata ad creaturas dependeret à se quà terminata ad Essentiam Divinam; ergo non dependenter, sed concomitanter cognoscuntur creaturæ in Verbo. Respondeo majorem esse veram de dependentia ad plurimum reali per influxum, qui cùm supponat rem existentem, nihil potest præsupponi existens ad se ipsum, alioqui esset priùs, quàm esset, & existeret; sicque non potest à se ipso realiter dependere: non ita tamen est de dependentia virtuali, & quoad diversas partes virtualiter, & quoad nos distinctas, quales censentur dari in visione Beata prout terminatur ad Deum, & creaturas; sicut enim admittimus dependentiam realem inter partes realiter distinctas, ita nunc admittimus virtualem inter partes distinctas virtualitèr; alioqui omnis discursus virtualis de medio tolleretur.

50. Objiciunt 3. Si Essentia Divina ob continentiam eminentialem creaturarum esset ratio cognoscendi illas, sequeretur omnes illas cognsci per Visionem beatam; siquidem cùm omnes æqualiter contineat, sicut est ratio cognoscendi aliquas, ita poterit esse ratio cognoscendi omnes; sed nullus admittit, quod per quamlibet Visionem Beatam cognoscantur omnes creaturæ, ut ex infra dicendis constabit; ergo &c. Respondeo negando sequelam, si procedat de cognitione distincta omnium creaturarum; licet enim Essentia divina omnes creaturas contineat, & lumen gloriæ sufficiat ad quaslibet manifestandas, Deo tamen liberum est concurrere ad cognitionem aliquarum, & non omnium. Quomodò autem de facto id præstet? dicemus infra.

SECTIO IV.

Proponitur, & rejicitur secunda sententia, & argumenta in contrarium dissolvuntur.

SECUNDA Sententia nostræ opposita 51.
tenet, creaturas non cognosci in Verbo formaliter, hoc est, ita ut ipsa Dei Essentia priùs cognita sit ratio illas cognoscendi, sed tantùm causaliter, idest per revelationē, aut illuminationem factam ab ipso Verbo, & per proprias species creaturarum, ita tamen, ut prædicta cognitio ex Visione Dei resultet, sive per causalitatem physicam, sive per proportionem quamdam cum Beatitudine, & statu beatifico. Undè infert hæc sententia, quod quando Sancti Patres, & graviores Theologi dicunt, videri creaturas in Verbo, hujusmodi locutionem intelligendam esse de Visione in Verbo causaliter, prout diximus, & non formaliter. Ita tenent *D. Bonavent. in 3. dist. 14. art. 2. quæst. 3. fine. Scot. q. 2. §. Sed si ista, Gabr. in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 1. Nota 3. Almai. ibid. quæst. 1. art. 1. & 2. dub. 1. Major. in 3 dist. 14. quæst. 3. & in 4. dist. 49. quæst. 16. Marsil. in 3. quæst. 10. art. 2. in 3. part. Ocham. in 4. quæst. 13. art. 2. Alliacens. in 1. quæst. 12. art. 3. §. His præmissis. Paludan. in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 2.* quos citat, & sequitur *P. Vasq. 1. part. d. 50. cap. 4. 5. & 6. P. Becan. tract. 1. cap. 9. quæst. 13. à num. 8.* & alii. Undè immeritò dicunt aliqui, quos tacitis nominibus citat *P. Fasol.* supra cit. hanc sententiam esse manifestum errorem in Fide, aut non admodum consentaneam Fidei, quæ censura videtur nimis gravis, cùm tot gravissimi Authores illam sequantur. Igitur

Hæc sententia, quatenùs negat Essentiam Divinam priùs cognitam esse rationem cognoscendi creaturas, prout supra diximus in nostra, mihi non probatur, ut ex solutione fundamentorum illius constabit. Dato tamen, & non concesso, hujusmodi sententiam per possibile, aut impossibile esse veram, ex illâ sequeretur, creaturas non cognosci in Verbo propriè, sed in se ipsis, ut liquidò apparet; imò neque pertinere ad objectum etiam secundarium Visionis Beatæ. Patet primò, quia creaturæ in hac sententia viderentur per revelationem, & species à Deo communicatas, consequenterque per cognitiones ad ipsas per se primò & immediatè terminatas, ut illius Authores fatentur; ergo non essent objectum neque primarium, neque secundarium Visionis Beatæ. Secundò, quia licet peculiares illæ cognitiones ex Visione Dei causentur, quocunque modo id fiat, sive physicè, 52.

sive

sive moraliter, non efficit, quod Visio Beata creaturas attingat in se ipsis, ut patet; ergo per illam non attinguntur creaturæ, neque ut objectum primarium, neque ut secundarium. Adhuc tamen:

53. Fundantur 1. Creaturæ dicuntur à Sanctis Patribus, & Theologis cognosci in Deo, sive in Verbo per Visionem Beatam; sed non ita cognoscuntur formaliter ex vi Essentiæ priùs cognitæ; ergo causaliter modo explicato, cùm non appareat modus illas cognoscendi melior, aut congruentior statui beatifico. Respondeo negando minorem, ut patet ex authoritatibus, & rationibus supra adductis.

54. Instabis: Aut Essentia Divina esset ratio cognoscendi creaturas, quia hæ in illa continentur formaliter; & hoc non, utpotè apertè falsum: aut quia in illa continentur eminenter, sive tanquam in causa, sive tanquam in cognoscente; & hoc etiam non; siquidem quovis ex prædictis modis Essentia contineat creaturas, semper in sua entitate manet absoluta, sive quid absolutum in se absque ullo respectu, sive transcendentali, sive quasi prædicamentali ad creaturas; ergo ex vi illius cognitæ nequeunt cognosci creaturæ. Resp. negando minorem quoad secundam partem; creaturæ enim cognoscuntur in Deo, quia in eo continentur eminenter, hæc enim continentia eminentialis sufficit, ut Essentia Divina sit, tanquam causa, ratio cognoscendi creaturas, tanquam effectus, cùm prout sic habeat cum illis connexionem, sive Omnipotentia, & aliæ perfectiones Divinæ sint solùm relata secundùm dici, sive secundùm esse, de quo jam in *Physic. tract. 2. d. 5. àn. 246.*

55. Fundantur 2. Si supponamus, nullas creaturas esse possibiles, uno excepto Angelo beato, Deus esset idem, qui modò; proindèque non aliter videretur, ac de facto videtur à Beatis; sed Essentia in factâ suppositione non esset ratio videndi creaturas, utpotè impossibiles. Major constat, quia Deus est omninò absolutus, & independens ab ullo respectu, & ordine ad creaturas; ergo licet hæ forent impossibiles, adhuc Deus maneret idem. Respondeo creaturas dupliciter posse supponi impossibiles, aut quia ex objecto implicent; aut quia non implicent contradictionem: Si hoc secundo modo, Deus intrinsecè non esset idem, qui modò est; siquidem illa impossibilitas non daretur ex parte objecti, sed ex parte Potentiæ Divinæ non potentis tunc illas producere, cùm possit nunc producere illas: si primo illo modo, licet Deus maneret idem intrinsecè (quod alibi negavimus in Physicâ loco proximè citato,) non tamen maneret idem extrinsecè, & quoad nos; siquidem non maneret cum denominatione Omnipotentis, & cum habitudinibus ad creaturas: ac proindè non posset cognosci eodem modo, quo de facto cognoscitur, saltem in ordine ad extrinsecum: sufficeret tamen, ut cognitus prout sic, esset ratio cognoscendi Angelum illum possibilem, ad verificandam nostram conclusionem.

56. Fundantur 3. Si Essentia Divina cognita esset ratio cognoscendi creaturas, sequeretur: primò, quemlibet Beatum videre omnes creaturas possibiles; siquidem Essentia omnes æqualiter continet, & repræsentat: Secundò, dato, quod quilibet non omnes cognoscat, saltem eum, qui habuisset minora merita, posse esse magis Beatum cognoscendo plures creaturas spectantes ad suum statum; siquidem hanc majorem cognitionem sibi vendicaret ex majori penetratione Essentiæ, in quo ratio majoris beatitudinis consistit; sed nulla ex sequelis est admittenda; ergo &c. Respondeo negando primam sequelam; neque enim opus est, quod Beatus Deum videns clarè, & distinctè, sic etiam videat omnes creaturas, ut jam supra diximus, & inferiùs ex professo dicemus: nam quod non omnes videantur, aut videantur hæ potiùs quàm illæ, provenit ex lumine, & concursu Essentiæ sic, vel sic applicato. Quid dicendum sit ad secundam sequelam, ex inferiùs dicendis constabit.

57. Fundantur 4. Essentia Divina est actus purus; ergo non potest aliquid repræsentare, nisi purè, sive ad modum actus puri; sed creatura est essentialiter ens potentiale; ergo Essentia Divina non potest illam repræsentare; consequenterque neque Beatus illam cognoscere ex Essentia. Respondeo negando primam consequentiam; potest enim in Deo puro repræsentari creatura non pura; siquidem hujusmodi repræsentatio non fit per formalem, sed eminentialem continentiam creaturæ, quæ sicut sufficit, ut dicatur, licet sit impura, & potentialis, contineri in actu purissimo Essentiæ, ita sufficiet, ut dicatur ab illâ repræsentari.

58. Fundantur 5. Essentia Divina non est propria species creaturarum; ergo hæ non possunt per illam videri visione intuitivâ, distinctâ, & expressâ. Respondeo non esse speciem creaturarum formaliter; esse tamen eminenter, quatenùs eminenter continet, non solùm objectum creatum, ejusque virtutem, sed etiam illius speciem & ipsius speciei virtutem, per quam tale objectum videri potest; sicque non minùs clarè, & distinctè potest Deus ostendere creaturas per suam Essentiam, quàm ipsæ videri possint per proprias species.

59. Fundantur 6. Beati per Visionem Beatam cognoscunt res clarè, & distinctè, prout in se sunt; sed non ita possunt cognoscere creaturas in Essentiâ Divinâ; siquidem quod in alio, & non in se ipso cognoscitur, non cognoscitur distinctè, prout in se est, ut patet in Visione, quâ videmus imaginatum in imagine; & quâ Angelus in se ipso videt naturaliter Deum; ergo &c. Respondeo negando minorem; ad cujus probationem dicimus, esse veram de visione in alio tanquam in imagine, quæ aliquando est imperfecta, ut est imago Cæsaris ad illius cognitionem: aut tanquam in effectu, qui cùm sit quid particulare, & determinatum, non potest continere, & demonstrare adæquatè universalem virtutem causæ, & ita est in exemplis adductis: non ita tamen veram esse de visione in alio, ut in causa, quæ cùm contineat, & superet suum effectum, potest in se ipsa illum distinctè repræsentare, & ita repræsentat Essentia Divina creaturas in se, & ex se cognoscibiles.

SECTIO V.

Utrùm creaturæ cognoscantur in Deo à Beatis ut possibiles, futuræ, & existentes?

60. DIFFICULTAS 1. Utrùm Beati de facto cognoscant in Deo aliquas creaturas possibiles, non tamen omnes? Ante resolutionem advertes, illam procedere de possibilibus cognitis distinctè, & determinatè, quia ut benè docet *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. n. 14.* visa Dei Essentia Omnipotente, necesse est cognoscere omne producibile confusè, nempè sub conceptu communissimo possibilis, & creabilis. Hoc posito.

61. Dico 1. Beati de facto cognoscunt in Deo aliquas creaturas possibiles. Ita *Magist. in 3. dist. 14. Hugo de Sanct. Victor. tom. 3. de Sapient. Christi. Altrisiodor. lib. 3. tract. 1. cap. 5. Alens. 3. p. q. 13. memb. ult. Albert. in 3. dist. 14. art. 1. Baccon. q. 2. art. 4. §. 2. P. Granad. tom. 1. tract. 6. d. 1. sect. 6.* quatenùs omnes affirmant, Animam Christi Domini videre in Deo actu omnes creaturas tam possibiles, quàm existentes, licet non eadem claritate, qua Deus ipse videt. Tenent etiam *Durand. in 3. dist. 14. q. 2. & in 4. dist. 49. q. 3. n. 15. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. P. Recupit. lib. 6. q. 37. cap. 1. P. Arrub. 1. p. q. 12. d. 25. P. Alarcon. tract. 1. d. 4. cap. 4.* & alii.

62. Probatur primò, quia Beati, ut ex supra dictis constat, vident in Deo aliquas creaturas; sed hujusmodi visio est potius creaturarum possibilium, quàm futurarum, & existentium: siquidem illæ creaturæ debent potius videri in Essentia, quæ cum illa majorem habent connexionem; major autem cõnexio datur inter Deum, & creaturas possibiles, utpotè necessarias, quàm inter Deum, & creaturas futuras, & existentes, utpotè contingentes; ergo aliquas possibiles vident in Deo.

63. Probatur secundò, quia percipienti causam, & ejus virtutem connaturale est percipere aliquos ejus effectus possibiles eminenter contentos in ipsa causa; sed Beati Deum videntes, percipiunt ejus virtutem productivam possibilium, nempè Omnipotentiam; ergo aliqua saltem possibilia cognoscunt.

64. Dico 2. Beati de facto non vident in Deo omnes creaturas possibiles. Ita *D. Thom. 3. p. q. 10. art. 2. & 3. contr. gent. cap. 56. & q. 8. de Verit. art. 4. Caiet. ibid. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 60. Palud. in 3. dist. 14. q. 1. fine Capreol. q. 2. art. 1. & in 4. dist. 49. q. 6. art. 1. Sot. q. 3. art. 3. Argent. in 3. dist. 14. q. 1. art. 3, & in 4. dist. 49. q. 1. art. 4. Gonzal. 1. p. q. 12. d. 2. n. 21.* quatenùs asserunt à nullo intellectu creato videri posse omnes creaturas possibiles. Tenent etiam *P. Soar. P. Recupit. P. Arrub. P. Alarcon. cit.* & alii. Probatur, quia Beatus de facto videt Deum cognitione finita, & limitata in sua entitate; sed non ita videret, si talis cognitio attingeret distinctè omnia possibilia; siquidem cùm hæc sint infinita, infinita etiam foret illa in sua entitate; nam quò visio attingit plura, eò est entitativè perfectior; ergo Beatus de facto non cognoscit omnia possibilia. An verò de potentia absoluta possit omnia cognoscere? Ex infrà dicendis *d. ult.* constabit.

65. Oppositum videntur sentire omnes Doctores supra citati *num. 61.* asserentes id habere actu Animam Christi Domini. Idem etiam sentiunt *Henrice quodlib. 7. q. 4. & 5. Godfred. quodlib. 6. q. 3. Bassol. q. 4. Prolog. art. 3. Durand. in 3. dist. 14. q. 2. & in 4. dist. 49. q. 3.* & alii: pro quibus: Argues 1. ex illo D. Greg. *lib. Dialog. cap. 33. & lib. 2. Moral. cap. 2.* ibi: *Quid est, quod non videant, qui videntem omnia vident*; sed Beati de facto vident Deum videntem omnia possibilia; ergo omnia illa de facto in Deo vident. Respondeo mentem D. Greg. esse, Beatos de facto cognoscere omnia possibilia, quæ ad uniuscujusque statum spectant; hoc enim manifestè colligitur ex eodem D. Greg. *lib. 2. Mor.* ubi ita habet: *Quod de eis, quæ scienda sunt nesciunt, qui scientem omnia sciunt.*

Argues 2. Essentia divina æqualiter repræsentat omnia possibilia; sed non datur major ratio, cur intellectus elevatus lumine gloriæ potius hæc, quàm illa cognoscat; non enim petenda est ex diverso lumine, aut diversa intensione visionis; siquidem tam lumina, quàm visiones sunt ejusdem speciei; ergo omnia cognoscet. Respondeo negando minorem; diversa enim ratio petenda est, aut ex diversa ratione individuali, & intensione luminis; aut ex libera voluntate Dei concurrentis ad has potius, quàm illas creaturas cognoscendas, prout latiùs infra dicemus. 66.

Argues 3. Beatus in patria debet perfectè satiari quoad appetitum, & capacitatem cognoscendi; sed est capax cognitionis omnium possibilium, quæ à Deo cognoscuntur; ergo omnia cognoscit. Respondeo quidquid sit de capacitate in ordine ad potentiam Dei absolutam, de qua infra; Beatum autem perfectè satiari sola visione ipsius Dei, qui est summum bonum, proindèque latè satians appetitum. Undè D. Aug. *lib. 5. Confess. cap. 4. Infelix*, inquit, *ille homo, qui scit omnia illa, te autem nescit: Beatus, qui te scit, etiam si illa nesciat.* 67.

Argues 4. Anima Christi Domini de facto cognoscit omnia possibilia in Deo per Visionem beatam, ut patet ex illo ad Coloss. 2. ibi: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & Scientiæ Dei.* Ad quem locum D. Chrys. *Hom. 5.* asserit, Christum Dominum omnia scire, & nihil ignorare: *Dicendo thesaurum*, inquit, *ostendit multitudinem: dicendo verò omnes, eum nihil ignorare*; ergo idem dicendum de Angelis, & reliquis Beatis. Respondeo cum *P. Soar. tom. 1. in 3. p d. 26. sect. 3. §. Dico 1.* negando antecedens; nam juxta *D. Thom. 3. p. q. 10.* si Anima Christi Domini cognosceret in Deo omnia possibilia, Deum comprehenderet. Undè quando D Chrysost. & aliqui alii Patres dicunt, Christum Dominum cognoscere omnia, intelligendi sunt de omnibus futuris, & existentibus. Addo, etiam admisso antecedente, cujus examen ad alium locum spectat, negandam esse consequentiam; diversa ratio esse potest, quia Animæ Christi Domini, utpotè Deo unitæ, debetur perfectissima, & infinita cognitio, si hæc possibilis sit, non ita verò cœteris Beatis. 68.

Difficultas 2. Utrùm Beatus cognoscat in Deo creaturas futuras? Dico 1. Beati vident in Deo aliquas creaturas futuras. Ita *D. Thom. 3. p. q. 12. a. 8. 9. & 10. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 27. n. 10. P. Recupit. lib. 6. q. 38. cap. 1. P. Ribas, tr. 3. d. 10. cap. 2.* & alii. Probatur primò, quia Visio Beata creata est quædam perfectissima participatio Visionis Increatæ, prout attingit ipsum Deum, & creaturas; sed Visio Increata attingit ipsum Deum, & omnes creaturas futuras; ergo Visio beata creata attinget etiam Deum, & in Deo saltem aliquas creaturas futuras. 69.

Probatur

70. Probatur secundò, quia ad complementum, & perfectionem beatitudinis spectat, ut in Beatis satietur omnis rationabilis appetitus; sed intellectus creatus habet naturale desiderium sciendi futura; hinc enim olim apud Ethnicos tot consultationes oraculorum, tot responsiones aruspicum; imò & inter Christianos tot inanes astrorum observationes; & deindè Beatus habet desiderium valdè rationabile sciendi, saltem aliqua futura, quæ saltem spectant ad proprium statum; ergo &c.

71. Contrarium defendunt *Henric. quodlib. 3. q. 3. & Durand. in 4. dist. 49. q. 3.* apud *P. Ribas. cit. n. 4.* licet *P. Recupit. cit. cap. 2. num. 4.* illum in contrarium adducat. Fundantur 1. Beati cognoscendo creaturas, illas cognoscunt in Essentia, sive ex Essentia tanquam ex ratione cognoscendi illas; sed nequit esse ratio cognoscendi illas, nisi ut possibiles; siquidem solùm est ratio cognoscendi ut illarum causa, solùm autem est causa illarum ut possibilium, cum solùm ut possibiles illas cõtineat; ergo non est ratio cognoscendi illas ut futuras, consequenterque Beati nullas creaturas futuras cognoscunt. Respondeo negando minorem; nam Essentia divina terminans Visionem beatam sumi potest, aut ut potens, aut ut volens producere, & cognoscens res producendas: Si primo modo, solùm est ratio cognoscendi res possibiles; si tamen secundo, potest ducere in cognitionem rerum futurarum, ut infrà latiùs dicemus.

72. Fundantur 2. Si Beati per Visionem Beatam cognoscerent aliqua futura, ut futura, quando postea hæc existunt, aut maneret eadem visio, quæ antea; aut non: Non primum; siquidem cùm sit essentialiter repræsentatio futuri, ut futuri, hoc variato per illius existentiam, non potest non ipsa variari, alioqui manebit falsa: Non secundum; nam si non maneret repræsentativa rei futuræ, sed existentis, amitteret aliquid essentiale, quale est repræsentare futurum, ut futurum, totaque visio destrueretur, & mutaretur, cùm tamen sit immutabilis, & incorruptibilis, prout supra diximus; ergo Beati per Visionem beatam non cognoscunt futura.

73. Respondeo primò cum *Ocham. in 4. q. 13. art. 3. dicto 4.* negando minorem quoad secundam partem; talis enim visio, inquit, mutaretur, quando res futura fieret præsens, desineretque visio rei futuræ, & succederet alia rei præsentis. Sed contra, quia Visio beata, ut supra probavimus, est immutabilis, & incorruptibilis, sicque unanimi consensu docent Theologi; sed talis non foret, si una desineret, & alia succederet, ut patet; imò foret deterioris conditionis, quàm lumen gloriæ; siquidem hoc semper invariatum persisteret; ergo &c.

74. Respondeo secundò cum *P. Recupit. cit. cap. 3. num. 20.* negando eandem minorem quoad primam partem; maneret enim eadem visio; siquidem Beati, (ut ipse dicit,) non cognoscunt rem futuram reduplicativè, nempè quà futuram, sed solùm specificativè, nempè rem, quæ est futura, & stat sub existentia præscindendo ab eo, quod sit futura, aut præsens; cùm autem res, prout sic specificativè cognita, semper sit eadem, eadem est semper ipsa Visio illam attingens. Sed contra est, quia hujusmodi solutio stare non potest cum eo, quod idem *P. Recupit. cap. 1. n. 2.* asserit, nempè per Visionem beatam cognosci in Deo aliqua futura formaliter ex vi ipsius Visionis Dei; siquidem tum temporis Beatus non diceretur absolutè cognoscere per Visionem beatã rem futuram, sed aliundè futuram, solùm enim illam cognosceret sub existentia habenda, quin per talem visionem sciret quo tempore habenda esset, an jam haberetur, ad hoc enim indigeret aliâ cognitione, qua attingeret extra verbum talem differentiam temporis, quod concedit idem *P. Recupit. cap. 3. n. 19.* An autem id sit cognosci futura per Visionem beatam, ut ipse asserit? Ipse videat.

Respondeo igitur tertiò meliùs, & faciliùs negando eandem minorem quoad primam partem, quam cùm Beati per Visionem beatam cognoscant simul rem & futuram, quà futuram, & præsentem, quà præsentem, & præteritam, quà præteritam, sicque pro omnibus illis differentiis temporis, in quibus respectivè acceptis res est futura, præsens, & præterita, indè optimè salvatur immutabilitas, & incorruptibilitas Visionis beatæ. Patet, quia Visio beata modò attingens Antichristum futurum pro hoc præsenti tempore respectu cujus est futurus, quando postea Antichristus existet, non desinet illum attingere futurum pro illa differentia temporis respectivè sumptâ, in qua erat futurus, siquidem non attinget de novo existentem, & postea præteritum, quem jam antea pro illis differentiis temporis attingebat præsentem, & præteritum; ergo absque ulla mutatione ex parte ipsius visionis modò attingit Antichristum futurum, & illum postea attinget præsentem, & præteritum. 75.

Confirmatur, quia Visio beata attingit creaturas, sive possibiles, sive futuras in ipsa visione, sive Scientiâ divinâ tanquam in objecto primario, prout supra probavimus; ergo eo modo illas attingit, quo in ipsâ Scientiâ divinâ repræsentantur, & ab illa attinguntur, cùm sit illius perfectissima participatio; sed Scientia divina ita repræsentat, & attingit creaturas futuras, præsentes, & præteritas pro omnibus differentiis temporis, ut quando de facto existunt, aut prætereunt non mutetur, neque varietur; ergo idem similiter cum proportione dicendum de Visione beata, quæ in illa ipsas creaturas prout sic attingit. 76.

Dico 2. Non omnes Beati vident de facto in Deo omnes creaturas futuras. Ita *D. Thom. 3. p. q. 10. art. 2. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 27. n. 5.* & omnes illi, qui aut soli Animæ Christi Domini concedunt, aut Beatis Angelis negant scientiam omnium futurorum: tenet etiam *P. Recupit. cit. cap. 4. num. 22.* Probatur, quia Angeli Beati non cognoscunt in Deo omnes res futuras; siquidem neque sciunt diem Judicii futuri ut patet ex illo Christi Domini Matth. 24. *De die illa*, inquit, *& hora, nemo scit, neque Angeli Dei in Cælo*: & dùm unusquisque deprecabatur pro populo suo juxta illud Apocap. 7. *Angelus clamavit voce magna quatuor Angelis: Nolite nocere terræ, & mari, &c.* ostendit, se ignorasse, quid Deus facere disposuisset; ergo &c. Confirmatur, quia D. Dionys. *de cælest. Hierarch. cap. 7.* & alii Patres affirmant, Angelos inferiores illuminari à superioribus; non autem illuminantur, nisi de illis, quæ ignorant; ergo &c. 77.

Oppositum tenent aliqui apud *Durand. in 4. dist. 49. quæst. 3. n. 10.* existimantes à singulis Beatis videri in Deo omnia futura: Pro quibus: Objicies 1. Quilibet Beatus videt in Deo omnia decreta libera Voluntatis Divinæ; siquidem quilibet videt quidquid formaliter est in Deo; omnia autem decreta sunt in Deo formaliter; sed non potest omnia illa videre, quin etiam videat omnia futura; siquidem decreta Dei de futuris, cùm sint efficacia, secum devolvunt ipsa futura; sicque illis cognitis necessariò cognoscuntur omnia futura; 78.

ergo

ergo &c. Respondet *P. Recupit. cit. num. 24.* argumentum omninò convincere, si dicamus, decreta constitui in ratione liberi per terminationes ad futura, & hæc cognosci in ipsis decretis, tanquam in ratione cognoscendi. Miror tamen tantum Authorem tam tenui difficultati tantam vim concedere: Unde adhuc duobus illis concessis.

79. Respondeo negando minorem: Primò, quia licet videat omnia decreta, cùm multa sint futura, quæ tamen à Deo non sunt decreta; neque enim Deus decrevit peccata, non ideò sequitur videre omnia futura. Secundò, quia licet cognoscat omnia decreta, non illa cognoscit omnimodâ distinctione, & cum omnibus habitudinibus distinctis in ordine ad omnia futura; sicque potest omnia illa, non tamen omnia ista cognoscere. Confirmatur, quia cognoscens Omnipotentiam formaliter, illâ cognitâ, non venit in cognitionem omnium possibilium, cum quibus habet necessariam connexionem, ut alibi diximus; siquidem illam non attingit distinctè secundùm omnes habitudines, quas habet ad omnia possibilia; ergo similiter cognitis omnibus decretis, non est necesse, ut veniat in cognitionem omnium futurorum.

80. Objicies 2. Deus, qui est ratio ducens in cognitionem futurorum, omnia illa æqualiter continet; ergo in omnium cognitionem æqualiter ducit; consequenterque Beatus, qui aliqua, etiam omnia cognoscit. Respondeo negando ultimam consequentiam, diversa ratio est, tum ex parte Dei liberè volentis potiùs ad unius, quàm alterius cognitionem concurrere, prout infra dicemus: tùm ex parte objecti, quatenùs conveniens est ratione statûs, ut quilibet specialiter cognoscat, quod ad illius proprium statum spectat, ut colligitur ex Concil. Senon. *in Confess. Fidei cap. 13.* ubi dicitur *Beatis pervium esse uniforme illud Divinitatis speculum, in quo quidquid eorum interfit, illucescat.*

81. Objicies 3. Ideò de facto nullus Beatus habet in Verbo cognitionem omnium possibilium, quia ex illa sequeretur ipsius Verbi comprehensio; sed non ita sequeretur ex cognitione omnium futurorum, cùm hæc sint finita; ergo poterit de facto Beatis concedi. Respondeo negando consequentiam; nam si cognitio omnium possibilium in Verbo foret possibilis, ea de facto soli Christo Domino concederetur, & non aliis; sicut ei soli, & non aliis conceditur cognitio omnium futurorum in Verbo; siquidem cognitio futurorum, ut diximus, sicut & existentium, ut dicemus, solùm conceditur ratione statûs, ita ut quisque ea tantùm cognoscat futura, quæ ad suum statum spectant.

82. Inferes: Ergo poterit Beatus habens Visionem minùs claram cognoscere plura futura, quàm qui habet visionem magis claram, si v. g. dentur plura futura pertinentia ad ejus statum; sicque D. Ignatius ratione suæ magnæ Familiæ Societatis JESU videbit plura futura, quàm S. Stephanus Protomartyr, aut S. Laurentius, quod non videtur dicendum. Respondeo concedendo sequelam, & ejus probationem; neque enim ex illa sequeretur, habentem clariorem visionem, videntem tamen pauciora futura, esse minùs, imò magis Beatum; siquidem cognosceret in Deo plures perfectiones, eminentias, & habitudines, ac ex vi illarum tot creaturas possibiles, ut superaret numerum futurorum, quæ alius Beatus cognosceret.

83. Objicies 4. Ideò diximus, Angelos non cognoscere omnia futura, quia de illis dicitur, ignorare diem Judicii juxta illud Matt. 24. 36. supra adductum; sed ex hoc non colligitur, eos simpliciter ignorare talem diem; alioqui idem diceremus de Christo Domino, de quo etiam dicitur, ipsum diem ignorare Marc. 13 32. ibi: *De die autem illo, vel hora, nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*: quod non est dicendum, cùm Theologi communiter pro comperto habeant, Animam Christi Domini cognovisse omnia futura; ergo sicut Sancti Patres locum illum interpretantur de Christo Domino non simpliciter, & ut sonat, sed eum nescire, ut dicat, & doceat, ita poterit de Angelis interpretari. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus cum *P. Granad. 1. p. tr. 6. d. 12. sect. 9. n. 54.* dari specialem rationem in Christo Domino, cur non excludatur simpliciter à cognitione illius diei, & excludantur Angeli; quatenùs ad Christum ut Filium, & tanquam supremum Judicem valdè spectat scire diem, in quo suprema sententia ferenda est; sicque de illo non possumus verba illa interpretari propriè, & ut sonant, maximè autem de Angelis debent, ut sonant, & propriè interpretari, cùm ad aliud nulla sit ratio cogens.

SECTIO VI.

De cognitione rerum existentium in Beatis.

DIFFICULTAS 1. Utrùm Beati de facto cognoscant in Verbo creaturas existentes? Affirmativè. Ita *D. Thom. 3. p. quæst. 12. art. 8. 9. & 10. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 27. num. 10. P. Compton. tom. 1. d. 18. sect. 9. num. 1. P. Herice. tract. 4. d. 52. cap. 2. n. 26.* & alii. Probatur primò authoritate Concil. Senon. *de Confess. Fidei cap. 13.* ubi definitur *Beatis pervium esse uniforme illud Divinitatis speculum, in quo quidquid eorum interfit, illucescat.* Et D. Aug. *lib. 13. Confess. cap. 15. Vident enim*, inquit, *faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit voluntas tua.* Et *lib. 63. quæst. q. 26. Ipsa creatura*, inquit, *plus videtur in arte, qua facta est, quàm ipsa in se ipsa, quæ facta est.* Et D. Bernard. *lib. 5. de Consideral. ad Eugenium, cap. 4. Vident*, inquit, *Verbum, & in Verbo facta per Verbum.* Et D. Gregor. *lib. 2. Moral. cap. 2. Quid non vident, qui videntem omnia vident.* Ex quibus satis constat, Beatos, non solùm creaturas possibiles, sed etiam existentes in Verbo videre. 84.

Probatur secundò rationibus: Prima est, quia in hoc nulla datur contradictio, aut implicantia; nulla enim apparet; ergo &c. Secunda, quia Deus potest hujusmodi res secundùm suas existentias manifestare per aliquam scientiam per se infusam; ergo multò magis per scientiam Beatam, cùm sit altioris ordinis. Tertia, quia Anima Christi Domini, ut est communis Theologorum sententia, videt in Verbo quidquid Deus per scientiam Visionis, ita ut id negare, nec pium, nec prudens, nec probabile sit, ut ait *P. Soar. cit. num. 10.* ergo sic poterunt videre alii Beati aliquas creaturas existentes. Quarta, quia ut infra dicemus, Beati vident in Verbo mysteria fidei; hæc autem sunt facta, non enim solùm credimus, posse Deum hæc facere, sed fecisse; ergo &c. 85.

Difficultas 2. Quot & qualesnam in Deo creaturas de facto videant Beati? Cùm jam dixerimus Beatos videre in Verbo tum res possibiles, tum futuras, 86.

futuras, tùm existentes, supereſt nunc inquirere quot & quales de facto videant; de hac re multa multi dixerunt, omnia tamen, quia valdè incerta, ad tria possunt capita revocari, Primum esse poteſt de Mysteriis Fidei, & rebus supernaturalibus: Secundum, de naturalibus: Tertium, de actibus liberis, & contingentibus, tam præsentibus, quàm futuris creaturarum. His positis.

87. Dico 1. Omnes Beati vident in Verbo omnia mysteria Fidei, quæ in via crediderunt. Ita *D. Thom. 1. p. q. 1. art. 2. & 2. 2. q. 1. art. 1. & 1. 2. quæst. 4. art. 3. P. Molin. P. Valent. P. Compton. tomo 1. d. 18. sect. 6. num. 11. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap 28. num. 2.* Ubi, inquit, aliquos putare contrarium erroneum esse, aut ut minimum parùm tutum, & consentaneum fidei. Probatur primò, ex illo 1. Cor. 3. *Ex parte cognoscimus, cùm autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* Et 2. Cor. 3. *Nos autem revelata facie, gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem*, ideſt, inquit D. Auguſt. epiſt. 112. cap. 21. *A claritate fidei in gloriam contemplationis æternæ.* Et lib. 15. de Trinit. cap. 8. *Transformamur*, inquit, *de forma in formam, ideſt, de obscura in lucidam, de gloria fidei, in gloriam speciei.* Et lib. 20. de Civit. cap. 21. ibi: *Quid videbimus*, inquit, *nisi Deum, & omnia illa, quæ nunc non videmus credentes.* Et D. Gregor. lib. 18. Moral. cap. ultim. *Quæ visio*, inquit, *nunc fide inchoatur, tunc in speciem perficitur.* Idem habent D. Ambr. D. Anſelm. & D. Thom. ad loca D. Pauli proximè citata.

88. Probatur ſecundò rationibus: Prima, quia fideles rationabiliter cupiunt videre quæ credunt; ſed id facili, & perfectiori modo fieri poteſt; ergo veriſimile eſt hoc juſtum eorum deſiderium explendum eſſe ipſa beatitudine eſſentiali. Secunda, quia hujuſmodi viſio eſt præmium valde conſentaneum eorum fidei; ergo &c. Tertia, quia Beati, viſo Deo, neceſſariò vident Myſteria Fidei, quæ ad ipſam Divinitatem ſpectant: quæ autem ſpectant ad Chriſti Humanitatem, partim videri non poſſunt perfectè extra Verbum, & partim ſunt quaſi proprietates conſequentes myſterium Incarnationis, quo viſo, valdè expedit cætera videri; ergo &c.

89. Objicies 1. Angeli Beati, cùm Chriſtus Dominus Cœlos aſcendit, videbantur ignorare Myſterium Incarnationis juxta illud Pſalm. 23. *Quis est iste Rex gloriæ*: Et illud Iſai. 63. *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus*; ergo non cognoſcunt Myſteria Fidei. Reſpondeo negando antecedens: talia enim verba non ſunt ignorantium, ſed admirantium, ut explicat *Origen. in Matt.* Aut ſiquidem Angeli non plenè cognoſcentes Myſterium Incarnationis admirantur, ut ait *D. Hieron.* ad locum Iſai. cit. non ex eo eſt, quod illud ſimpliciter ignorabant, ſed quia cùm Myſterium Unionis Hypoſtaticæ ſit incomprehenſibile, Angeli inferiores edoceri cupiebant à Superioribus illud clariùs intelligentibus, & cognoſcentibus, ut dicit *D. Dionyſ. de Cœleſt. Hierarch. cap. 5.*

90. Objicies 2. Non omnes Fideles habuerunt in via actus fidei circa omnia Myſteria Fidei; ergo ſaltem illi non habebunt in patria cognitionem claram omnium myſteriorum. Reſpondeo primò, dummodò illam habeant eorum, quæ crediderunt in via, ſatis eſſe; ſic enim procedit concluſio. Reſpondeo ſecundò, negando conſequentiam, quia ſaltem dicti fideles fuerunt in animi præparatione ad credendũ quidquid Deus revelaverat, ſicq; illis ex congruentia debetur omnium clara viſio.

Objicies 3. Infantes decedentes poſt Baptiſmum nullum omninò actum habuerunt circa Myſteria fidei; ergo ſaltem illi non illa videbunt in Verbo. Reſpondeo negando conſequentiam; quia prædicti infantes ſimul cum gratia receperunt habitum fidei infuſum, & circa illa, quæ ſunt communia omnibus, ſuppletur ex meritis Chriſti Domini, quod ex proprio haberi nequit. 91.

Hinc colliges primò cum *P. Soar. cit. num. 7.* Myſteria illa, quæ exiſtunt in uno tantùm individuo, qualia ſunt Divinitatis, Incarnationis, & quæ in ſpeciali creduntur de Humanitate Chriſti, & Beatiſſimâ Virgine, etiam in individuo videnda eſſe: tum quia ita creduntur: tum etiam quia id ſpectat ad exactam, & perfectam eorum ſcientiam. Secundò, quæ non in uno, ſed in variis individuis exiſtunt, cujuſmodi ſunt myſteria Euchariſtiæ, Reſurrectionis, & ſimilia, non oportere videri in omnibus individuis: tum quia id neceſſarium non eſt ad eorum perfectam cognitionem: tum etiam quia abſolutè non creduntur in omnibus individuis, ſed aut confusè, aut ſub ratione communi: credibile tamen eſt videri in aliquibus individuis, quæ præcipua fuerint, ut viſio ſit magis clara, & diſtincta. Tertiò cum *P. Recupit. lib. 6. q. 39. n. 21. & 22.* videnda etiam eſſe objecta fidei, etiam levioris momenti, qualia ſunt, Tobiam habuiſſe canem, peregrinationem Abrahæ, exitum populi hæbraici ex Ægypto, & ſimilia. 92.

Dico 2. Omnes Beati vident in Verbo hujus Univerſi machinam, compoſitionem, & ordinem, ſaltem quoad rerum ſpecies. Ita *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 8. ad 4. & lib. 3. cont. gent. cap. 59. Ferrar. ibid. Sot. in 4. dist. 49. quæst. 3. art. 3. concl. 6. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 28. num. 8. P. Valent. 1. part. q. 12. pun. 6. P. Mol. ibid. art. 8. d. 5. P. Compton. tomo 1. d. 18. sect. 6. num. 10. P. Herice. tr. 4. d. 52. cap. 3. num. 33. P. Arriaga 1. p. d. 11. sect. 6. num. 39.* & alii. Probatur primò authoritate Concil. Senon. cit. ubi dicitur *Beatis esse pervium speculum Divinitatis, in quo eis illucescat, quidquid eorum interfit.* Et ex doctrina D. Aug. dicentis, Angelos videre in Verbo omnia opera ſex dierum. Et D. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 33. ibi: *Quid est*, inquit, *quod non vident, qui videntem omnia vident.* 93.

Probatur ſecundò ex D. Thom. cit. Beatus naturaliter appetit hæc omnia ſcire; utpotè qui eorum omnium habet capacitatem, ut ſciat; ſed Beatitudo illa explet omnem ordinatum appetitum, etiam naturalem; ergo &c. Dicent primò, hanc rationem videri infirmam; ſiquidem, aut D. Thom. loquitur de capacitate abſoluta intellectûs; aut de proxima per lumen gloriæ: Non primum; ſiquidem, cùm prout ſic, non ſolùm ſit capax ſcientiæ rerum, quæ factæ ſunt, ſed etiam omnium poſſibilium, aut Beati vident omnia poſſibilia quod non dicet; aut ratio nihil probat de his, quæ facta ſunt: Non ſecundum; ſic enim petitur principium; nam id inquirimus: an ſcilicet Beatus per lumen gloriæ ſit proximè capax videndi hæc omnia in Verbo; ergo &c. Reſpondeo nullo ex his modis locutum fuiſſe Angelicum Doctorem; ſicut neque de ſolo appetitu innato, qui fundatur in ſola capacitate remota, aut eſt idem cùm illa, ſed de elicito rationabili, & conſentaneo naturæ humanæ, ſuppoſito ordine conſtituto à Deo in ſuis operibus. Unde: 94.

Probatur tertiò eâdem ratione D. Thom. ſic: Omnis Beatus de facto ſatiatur cognitione earum rerum, quarum ſciendarum habet naturalem, & rationabilem appetitum, ut omnes fatentur; ſed 95.

omnis homo appètit naturaliter, & rationabiliter scire omnes naturas rerum sibi in mundo coexistentium, quas aut videt, aut videre potest; ergo omnes illas in Deo cognoscet factus Beatus.

96. Dicent secundò, ex hoc non sequi, debere id fieri per Visionem Beatam, cùm satis sit, quod per aliquam perfectionem ab ipsa manantem id fiat. Respondeo argumentum ad plurimum solùm concludere, assertionem non esse omninò certam; non tamen non esse valdè probabilem; siquidem cùm hujusmodi appetitus expleri possit per Visionem beatam, sicque modo perfectiori, & aliundè nihil obstet, quominùs ita fiat, credibile est ita fieri. Accedit, quod ita poterunt semper in actu habere totam illam scientiam; hoc enim valdè spectat ad modum perfectum explendi hujusmodi appetitum.

97. Confirmatur primò, quia omnis scientia naturalis, quæ ab homine comparatur pro hac vita, aut est Metaphysica, aut Physica, aut Mathematica; sed Beatus cognoscens in Deo existentium rerum genera, species, & earum rationes, nempè definitiones, essentias, & proprietates, assequitur perfectissimè tres illas Scientias; consequenterque satiatur quoad appetitum habendi illas; ergo &c. Secundò, quia Angelis inditæ fuerunt harum omnium rerum species, eisque debetur illarum cognitio ex perfectione naturali intellectuali; ergo non est cur id negemus animæ beatæ elevatæ ad Visionem beatam; cùm ad hoc negandum nulla sit ratio conveniens, neque convincens. Adhuc tamen:

98. Quæres 1. Utrùm præcedens conclusio intelligenda sit de omnibus speciebus, tam perfectis, quàm imperfectis? Affirmativè. Ita *P. Soar. cit. num.* 10. Probatur primò, quia nulla datur necessitas, ut addamus limitationem hanc, quoad species scilicet tantùm perfectas. Secundò, quia tota hæc varietas specierum pertinet ad perfectionem universi; & cujusque naturæ, etiam imperfectæ cognitio, est perfectio intellectûs, & si in Deo videatur, est signum perfectioris Visionis Dei, cæteris paribus; ergo &c.

99. Quæres 2. Utrùm intelligenda sit de speciebus, tam naturalibus, quàm supernaturalibus? Affirmativè. Ita *P. Soar. cit.* Probatur, quia cognitio specierum, tam naturalium, quàm supernaturalium spectantium ad ordinem universi, sive ad potentiam ordinariam, est maxima perfectio, & valdè consentanea appetitui naturali, quem omnes habemus, suppositâ fide; ergo &c.

100. Quæres 3. Utrùm sit etiam intelligenda de individuis? Affirmativè. Ita *P. Soar. cit. n.* 13. Probatur, quia horum cognitio est maxima perfectio intellectûs appetentis illa scire, & cognoscere; ergo &c. Advertes tamen primò, non oportere, ut Beati videant omnia individua corruptibilia, præsertim multa, quæ ad eorum statum sunt impertinentia. Secundò, omnes videre in singulis speciebus individua illa, quæ sufficiunt ad cognoscendam distinctè naturam specificam, & aliquam proprietatum illius varietatem. Similiter ea, quæ ad prudentiam, & providentiam statui uniuscujusque convenientem, necessaria, & opportuna sunt.

101. Terriò, rationem cur in perfectionibus divinis à Beato cognitis hæc potius, quàm illa individua cognoscantur: aut plura potius, quàm pauciora, cùm tamen omnia ex æquo repræsententur, & contineantur in Deo, petendam esse causaliter quidem ab ipso Deo, ut à causa universali determinante intellectum, & lumen gloriæ peculiari concursu: formaliter verò ab ipsa visione secundùm suam rationem individualem intrinsecam, aut secundùm extensionem entitativam, prout infrà latiùs explicabimus.

Dico 3. Omnis Beatus videt in Deo, & se ipsum, & alios Beatos. 102. Est communis Theologorum cum D. Thom. cit. Probatur primò authoritate D. Aug. *lib. de tripl. habitaculo cap. ult.* ibi: *Sicut*, inquit, *per speculum trina nobis visio administratur, quia & nos ipsos, & speculum, & quidquid præsens adest videmus: Sic per speculum divinæ claritatis, & ipsum Deum, ut est, videbimus, & nos ipsos, & creaturas verâ, & certâ scientiâ cognoscemus.* Secundò ratione jam assignata, quia uniuscujusque individui intellectualis naturale, & rationabile desiderium est, & se ipsum, & omnes, quibuscum societatem, & amicitiam init, probè cognoscere; ergo &c.

Dices: Sequitur ex hoc, quemlibet Beatum ab initio suæ Beatitudinis cognoscere omnes Beatos futuros; sed hoc non est dicendum; alioqui sequeretur etiam videre omnia decreta libera divinæ prædestinationis, quod non admittitur; ergo &c. 103. Respondeo negando minorem, & illius probationem: quilibet enim Beatus videret aliorum prædestinationes, si prædestinatio accipiatur pro sola electione ad gloriam; non ita verò, si sumatur, prout includit seriem omnium mediorum ad gloriam; sic enim solùm patebit illis Beatis, ad quos specialiter spectat, v. g. patronis.

Dico 4. Beatus non videt in Verbo neque cogitationes cordis aliorum Beatorum, neque eorum Visiones beatas. 104. Ita *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 28. n. 16. P. Recupit. lib. 6. q. 39. n. 9. & 10.* & alii. Probatur prima pars primò, quia hoc neque est necessarium, neque verisimile. Secundò, quia non est consentaneum creaturis intellectualibus, & liberis. Tertiò, quia sequeretur, quod Beati inferiores viderent omnia cogitata superiorum: imò quod omnes viderent quidquid Anima Christi agere disponit per voluntatem creatam, quæ non sunt dicenda; ergo &c.

Probatur secunda pars, quia si quilibet Beatus videret in Verbo singulas singulorum Beatorum visiones, sequeretur videre etiam omnia omninò futura; siquidem cùm omnia futura saltem divisim repræsententur in omnibus visionibus secundariò, & omnia simul in una Visione Christi Domini, & in hac sola, & in illis omnibus videret omnia omninò futura; sed hoc est contra communem Theologorum sensum, qui id specialiter concedunt Christo Domino; ergo &c. 105.

Dices: Eodem modo se habet Visio Increata Dei respectu Beatorum cognoscentium, quo se habet Visio creata Christi Domini; sed quilibet Beatus videt Visionem Dei Increatam, quæ est expressio omnium possibilium, & futurorum, quin in ea videat abstractivè omnia possibilia, aut futura; ergo sic poterit videre Visionem creatam Christi Domini, & alias aliorum Beatorum, quin videat in eis omnia futura repræsentata. Respondeo negando majorem; disparitas est, quia Visio Dei Increata est magis absoluta, & independens à suo objecto, à quo neque speciem, neque individuationem accepit, sicq; non ita est cum illo connexa, ut semel cognita, ex illa cognoscantur omnia, quæ ipsa attingit: quod aliter est in visione creatâ Christi Domini, & aliorum Beatorum, ut patet. 106.

Dico 5. Beati vident in Verbo omnia illa, quæ spectant ad illorũ statum, dignitatem, aut officium. 107.

Ita

Ita *D. Thom. 3. p. q. 10. art. 2.* & alibi sæpè. *Ferrar. lib. 3. contr. gent. cap. 59. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 8. d. 5. memb. 3. P. Valent. ibid. punct. 6. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 28. num. 15. & 16. P. Granad. 1. p. tract. 6. d. 1. sect. 9. n. 59. P. Tanner. 1. p. d. 2. q. 6. dub. 10. n. 7. P. Fasol. 1. p. q. 12. art. 8. dub. 23. n. 130. P. Compton. tom. 1. d. 18. sect. 7. n. 1. P. Herice tract. 4. d. 52. cap. 3. n. 37. P. Arriaga 1. p. d. 11. sect. 6. n 39.* & alii. Probatur primò authoritate Concil. Senon. cit. quod id significavit verbo illo : *Quod eorum interfit.* Et D. Greg. *lib. 2. Mor. cap. 2. Quid non vident, &c.* quod scilicet ad eos pertineat. Secundò ratione, quâ supra, quia Beati appetitu valdè consentaneo, & rationabili cupiunt hæc cognoscere, & potest per visionem eorum in Verbo perfectiùs hujusmodi appetitus satiari ; ergo &c.

108. Objicies 1. Hebræi valdè pertinent ad Abraham omnium parentem ; & tamen Abraham eos ignorabat juxta illud Isai. 63. *Abraham nescivit nos.* Deindè 4. Reg. 22. 20. dixit Deus Josiæ Regi : *Colligeris ad sepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum* ; & tamen ad illum ut Regem spectabat populus, cui erant mala inducenda ; ergo Sancti non vident in Deo omnes eventus ad se spectantes. Respondeo primò, neque Abraham, neque Josiam tum temporis esse Beatos, de quibus procedit conclusio. Respondeo secundò, primum locum intelligendum esse de scientia approbationis, quasi Abraham nesciret, ideſt, non approbaret Hebræos prævaricantes, sicut dixit Christus Matt. 25. *Nescio vos* : Secundum autem intelligendum de notitia afferente molestiam, & dolorem, qualis solùm datur in hac vita.

109. Objicies 2. D. August. *lib. de cura pro mortuis habenda*, ibi : *Nesciunt*, inquit, *mortui, etiam Sancti, quid agant vivi, etiam eorum Filii* ; ergo &c. Respondeo cum *D. Thom. 2. 2. q. 82. art. 4. ad 2.* D. August. locutum de mortuis cognoscentibus solùm naturaliter, de qua cognitione non loquimur.

110. Hinc colliges Religionum Fundatores videre suorum Ordinum progressum : Sanctos Reges regionum, quas administrarunt, varietatem : Summos Pontifices totius Ecclesiæ successum : & Animam Christi Domini omnia omninò in quacumque differentiâ temporis existentia, utpotè quod omnia ad eorum status spectant. Utrùm autem ex his pertineant ad statum Beati solùm ea, quæ hîc reliquit in instanti mortis suæ : an etiam, quæ postea fiunt ? Primum tenet *Caiet. 3. p. q. 10. art. 2.* Secundum tamen, & melius affirmat *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 28. num. 17.* siquidem ratio supra facta æquè procedit de omnibus.

111. Dico 6. Omnes Beati vident in Verbo aliquos generales eventus Ecclesiæ, qui ad statum ipsius Ecclesiæ spectant. Ita *P. Recupit. lib. 6. q. 39. n. 15.* & alii. Probatur, quia ad statum Beatorum spectat intercedere pro statu Ecclesiæ, ut rectè docet D. Laurent. Justin. *serm. de solemnit. Sanctor.* sed ad hujusmodi intercessionem requiritur cognitio eventuum, saltem generalium totius Ecclesiæ ; ergo &c. Confirmatur, quia rationabile est desiderium, quod Beati habent cognoscendi hujusmodi eventus ; ergo &c.

112. Dico 7. Quilibet Beatus videt in Verbo quidquid spectat ad ordinem, & seriem suæ prædestinationis. Ita *P. Amicus tom. 1. d. 9. sect. 23. num. 446.* Probatur, quia totus hic ordo exigitur à pio, & rationabili desiderio Sanctorum, quatenùs prout sic perfectiùs cognoscent Increatam illam Bonitatem, quam tam magnificè Deus erga illos ostendit ; ergo ut hoc eorum desiderium perfectiùs satietur, per Visionem beatam, ut fieri non repugnat, totum hunc suæ prædestinationis ordinem vident in Verbo.

Dico 8. Beati vident in Verbo preces, & orationes quæ in Ecclesia ad ipsos funduntur à viatoribus, & eorum cogitationes cordium spectantes ad proprium statum. 113. Ita *D. Thom. 3. p. q. 10. art. 2. & in 4. dist. 45. q. 3. a. 5. & 2. 2. q. 83. art. 4. & Caiet. ibid. ad 2. Magist. in 4. q. 3. dist. 45. cap. penult. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 60. Sot. in 4. dist. 49. q. 3. art. 3. Gabr. lect. 31. in Cano. litt. E. P. Molin. 1. p. q. 12. a. 8. d. 5. P. Valent. ibid. punct. 6. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 28. n. 18. P. Herice tract. 4. d. 52. cap. 3. num. 38. P. Bellarm. tom. 1. lib. 1. de Beatit. Sanctor. cap. 20. P. Arriaga tom. 1. in 1. p. d. 11. sect. 6. n. 39. P. Compton. tom. 1. d. 18. sect. 7. n. 11.* & alii. Probatur primò authoritate Concil. Senon. cit. in *Decret. Fidei cap. 13.* ubi maximè favet huic resolutioni. Et D. Greg. *lib. 2. Mor. cap. 13.* ibi : *Animæ*, inquit, *quæ intùs Omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quod sit foris aliquid, quod ignorent* : de iis intellige, quæ ad proprium statum spectant ; maximè autem spectat orationes ad illas fusas scire ; ergo &c.

Probatur secundò rationibus : Prima, quia hoc 114. est valdè consentaneum consuetudini Ecclesiæ, & modo ab illa præscripto, quo ad Sanctos preces fundimus ; supponit enim, eos actu videre has nostras actiones ex vi suæ Visionis Beatæ. Secunda, quia ideò fortasse potius nûc, quàm in veteri Testamento oramus ad Sanctos Beatos, quatenùs nunc, non autem tunc mortui Deum videbant. Tertia, quia Beati rationabili desiderio cupient cognoscere eos, qui in hac vita ipsos speciali amore prosequuntur, honorant, & cum eis loquuntur ; hic autem appetitus altiori modo satiabitur, & satiari potest per visionem in Verbo ; ergo &c.

Objicies 1. Beatus in Verbo habet simul omnem 115. cognitionẽ creaturarum, nè accessu novę cognitionis, sive objecti de novo cogniti ipsa visio mutetur ; sed preces, & cordium cogitationes in viatoribus existunt successivè ; ergo illas non cognoscit Beatus in Verbo per visionem. Respondeo negando consequentiam : Beatus enim simul videt in verbo res futuras, existentes, & præteritas pro illa differentia temporis, in quo sunt futuræ præsentes, & præteritæ, prout supra diximus *n. 75.*

Inferes : Ergo vident ab initio suæ Beatitudinis preces omnes ad illos fundendas usque ad 116. tempus Antichristi, & diem Judicii ; consequenterque scient, quando futurus sit talis dies ; contra illud Christi Domini Marc. 13. 32. *De die autem illo, vel horâ nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Variè varii huic illationi respondent, de qua jam supra *n. 83.* Respondent primò cum *Ferrar. 3. contr. gent. cap. 59.* hujusmodi preces non videri simul ab initio beatitudinis, sed successivè, prout suo tempore fiunt. Non placent, quia Visio beata, prout supra diximus, est immutabilis ; talis autem successio non fieret absque mutatione in ipsa visione, ut etiam diximus.

Respondent secundò cum aliis apud *P. Arriag. cit. num. 40.* Beatos omnia hæc simul vi- 117. dere, & scire, sicut & ipsum diem Judicii, licet non possint eum aliis revelare : quo sensu de se ipso dixit Christus Dominus : *Neque Filius* : non quia etiam ut homo illum nesciret, sed quia eum aliis noluerit revelare. Et hanc responsionem dicit

probabilem ipse P. Arriaga; de qua tamen jam supra *num. 83.*

118. Respondeo tertiò negando illationem quoad ultimam partem: nam benè poterunt scire preces & orationes etiam usque ad diem judicii, quin sciant, quando ne ille futurus sit: Primò, quia Beati omnia quæ ad ipsorum statum spectant, vident, sed juxta dispositionem voluntatis Dei volentis sic eis manifestare preces illas, sibi tamen reservare diem judicii. Secundò, quia multi dicunt, Beatos per visionem suam videre ipsam met Visionem Beatam, & non ipsius durationem; ergo sic poterunt videre hujusmodi preces, & non earum durationem, sivè diem judicii. Tertiò, quia hujusmodi preces, juxta communem Theologorum sententiam, videntur à Beatis per peculiares revelationes extra Deum, quin extra Deum agnoscant tempus judicii futuri; ergo sic poterunt illas cognoscere in Deo per Visionem Beatam.

119. Respondeo quartò cum eodem *P. Arriaga cit. num. 41. & P. Compton. cit. num. 8.* negando eandem illationem quoad ultimam etiam partem: possunt enim Beati scirè preces ad se fundendas etiam tempore, sive die judicii, quin tamen inde sequatur, eos scire ipsum diem judicii; siquidem sciunt, Petrum, v.g. eos orare, ut liberetur ab Antichristi violentia, quo autem anno, aut die id fiat, nesciunt: tum quia hoc non pertinet ad præmonendos eos, ut orent pro Petro: tum quia cùm hæc veritas objectiva: *Petrus opem à me exposcet tempore Antichristi*: sit diversa ab hac veritate objectiva: *Petrus opem à me exposcet tempore Antichristi, qui venturus est post centum annos*: possunt Beati, sicut per revelationem extra Deum, ita per Visionem in Deo, primam, non autem secundam veritatem agnoscere.

120. Objicies 2. Ex his sequitur, ut aliquando inferior Beatus plura videat in Verbo, quàm alius beatior; siquidem possunt plura pertinere ad illius statum, aut plures orationes ad illum fundi; hoc autem videtur absurdum; ergo &c. Respondeo concedendo sequelam; neque enim in hoc datur aliquod inconveniens, prout supra diximus *n. 82.* siquidem adhuc ille, qui plures res creatas videret, non ideò foret beatior: tum quia excessus beatitudinis non provenit solùm ex visione plurium creaturarum, sed ex majori intensione visionis, quam alter potuisset habere: tum etiam quia provenit ex majore claritate, quæ stare poterit cum eo, quod pauciores creaturas videat.

SECTIO VII.

Quanam perfectiones Essentiæ Divinæ moveant ad cognoscendas creaturas in Verbo?

121.  Quamvis ex hactenùs dictis constet, creaturas aliquas, tum possibiles, tum futuras, tum existentes cognosci in Essentia divina, tanquam in causâ, sive ratione cognoscendi, adhuc tamen incertum est: Utrùm Essentia divina hujusmodi causalitatem exerceat secundùm se totam: an secundùm aliquas ejus peculiares perfectiones? Cùm igitur Essentia divina creaturas non contineat, nisi secundùm quod circa illas aliquem effectum exercet, aut exercere potest, tota difficultas reducitur ad illius perfectiones peculiares, secundùm quas aliquem exercet effectum circa creaturas: Hujusmodi autem perfectiones sunt Omnipotentia, Ideæ, Scientia, & decreta Dei libera, eæque non solùm respectu creaturarum possibilium, sed etiam existentium. Pro quibus:

122. Conclusio 1. sit: Omnipotentia divina cognita in Essentia est ratio cognoscendi creaturas sub esse possibili. Ita *P. Mol. 1. part. quæst. 12. art. 8. d. 5. memb. 1. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 25. num. 20. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 4. num. 61.* P. *Gil. tomo 2. tract. 7. cap. 17. à num. 3. P. Fasol. 1. part. quæst. 12. art. 7. dub. 8. num. 53. Ægid. Lusit. tomo 1. lib. 5. quæst. 18. art. 5. §. 7.* & alii. Probatur primò authoritate D. Dionys. *de Divin. Nominib. cap. 7.* docentis, Mentem divinam, ut omnium causam, in se ipsa habere omnium scientiam anticipatam; ergo &c.

123. Probatur secundò ratione, quia in causis creatis, ut experientia testatur, benè cognoscimus earum effectus ob solam continentiam, quam in illis habent secundùm potentiam, & virtutem productivam; sed Essentia divina secundùm rationem Omnipotentiæ continet creaturas eminenter modo perfectissimo, influendo scilicet in illas per influxum effectivum, ita ut omne possibile essentialiter pendeat ab illa, & cum illa necessariam habeat connexionem; ergo visâ Omnipotentiâ à Beatis, eos ducet in cognitionem creaturarum possibilium.

124. Oppositum tenent *Bannez 1. part. quæst. 12. art. 8. dub. unico ad 2. Zumel. ibid. q. unicâ ad 3. P. Recupit. quæst. 36. cap. 2. num. 5.* Pro quibus: Argues 1. Omnipotentia divina, cùm sit simplicissima, omnes effectus, & creaturas continet indistinctè, & confusè; ergo non potest esse ratio cognoscendi illas clarè, & distinctè, ut illas cognoscunt Beati per Visionem Beatam; siquidem causa eo modo ducit in cognitionem effectuum, quo illos continet. Respondeo negando consequentiam: satis enim est, quod Omnipotentia eminenter contineat creaturas cum sui distinctione solùm virtuali secundùm diversas creaturarum eminentias, ut secundùm has diversas virtualitates cognita, possit ducere in cognitionem evidentem diversorum effectuum, seu creaturarum. Patet in causis creatis, in quibus satis est similis distinctio, ut ducant in cognitionem claram diversorum effectum: quod autem Omnipotentia prout eminenter continet hominem distinguatur à se prout eminenter continet Angelum, sicque de aliis, distinctione virtuali, & quoad nos, est satis clarum.

125. Argues 2. Omnipotentia divina ita est absoluta, ut nullum omninò respectum dicat ad creaturas; sic enim se habet ad illas, sicut perfectivum ad perfectibilia; & aliundè haberet imperfectionem, si ad illas ordinaretur; ergo cognita nequit ducere in cognitionem illarum. Respondeo dato antecedente, (quod alibi negavimus in Physica, ubi diximus, Omnipotentiam esse relatum transcendens ad possibilia,) negando consequentiam; licet enim nullum dicat ordinem ad possibilia, satis est, quod cum illis habeat, ut habet, proportionem, & connexionem, ut sit ratio cognoscendi, prout diximus in Log. *tract. 3. d. 3. à num. 362.* Vide ibi dicta.

126. Instabis: Si Omnipotentia, ut supponit argumentum, nullo modo ordinatur ad creaturas, ut potè quæ ab illis non dependet, sed solæ creaturæ ad Omnipotentiam, à quâ dependent, sequitur quod Omnipotentia solùm sit earum purus terminus,

terminus, sicut talis est paries respectu visionis, quam terminat; atqui paries cognitus non ducit in cognitionem visionis, quam terminat, & terminare potest; ergo neque sic ducet Omnipotentia in cognitionem creaturarum, quas potest producere. Respondeo primò negando sequelam: Omnipotentia enim habet, quod sit realis, & vera causa creaturarum, quas cùm eminenter contineat, potest producere, sicque significare, quod non habet paries respectu visionis. Respondeo secundò, data majori, negando minorem: paries enim, prout sic potest ducere in cognitionem visionis, ut patet ex alibi dictis in Logica; sicque eodem modo posset Omnipotentia ducere in cognitionem creaturarum, licet solùm esset earum purus terminus.

117. Argues 3. Si quilibet Beatus videret creaturas possibiles in Omnipotentia divina, ut in causa, sequeretur quemlibet videre distinctè omnia possibilia; siquidem cùm quilidet videat clarè & distinctè quidquid est formaliter in Deo, & omnes gradus Omnipotentiæ ita sint in Deo formaliter; & deindè quilibet gradus sit virtute distinctus, & determinatus ad certam creaturam possibilem, omnes illos videbit, cùm non detur major ratio de uno, atque de aliis; consequenterque videbit omnia possibilia; sequela autem non est admittenda; ergo &c. Respondeo negando sequelam; ut patet ex supra jam sæpè dictis, & patebit ex infra dicendis: Beatus enim non penetrat omnimoda claritate omnes partes alicujus Attributi; alioqui illud, imò & ipsum Deum comprehenderet, quod infra negabimus. Cur autem alias distinctè, alias verò solùm confusè videat? tribuendum est Voluntati Divinæ, & modo se manifestandi, prout infra explicabimus.

118. Conclusio 2. sit: Idea, seu Exemplar divinum à Beatis clarè visum, est ratio cognoscendi creaturas possibiles. Ita *D. Thom. 1. part. quæst. 15. art. 3. & quæst. 20. de Verit. art. 4. ad 7. Albert. in 1. dist. 9. art. 13. ad 5. Bannez, 1. part. quæst. 12. art. 8. dub. unico, ad 2. Zumel. ibid. quæst. unica, ad 3. P. Gil. tomo 2. tract. 7. cap. 17. à num. 7. P. Soar. lib. 2. de Attribut. cap. 25. num. 29. P. Albertin. tomo 1. princip. 1. corol. 4. punct. 4. P. Tanner. 1. part. d. 2. quæst. 6. dub. 9. num. 4. & P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. num. 61. P. Ribas tract. 3. d. 8. cap. 5. num. 34. Henric. quodlib. 7. quæst. 4. & 5.* & alii. Probatur primò authoritate D. Aug. lib. 11. de Civit. cap. 7. & 29. ibi: *Ipsam quoque creaturam meliùs ibi (hoc est in Sapientia Dei) tanquam in arte, qua facta est, quàm in eâ ipsâ sciunt.* Et lib. 4. de gen. ad litter. cap. 24. *Procul dubio,* inquit de Angelis, *universam creaturam, in quâ ipsi sunt principaliter conditi in ipso Verbo Dei priùs noverunt, in quo sunt omnium, etiam quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes*: idest Ideæ; ergo &c.

119. Probatur secundò ratione, quia Idea, sive Exemplar Divinum ita continet creaturas possibiles, ut cum illis majorem habeat similitudinem, quàm habet Omnipotentia; sed hæc propter illarum continentiam in illarum cognitionem ducit; ergo à fortiori sic ducet Idea, sive Exemplar divinum. Confirmatur, quia eodem modo se habet Idea ad ideatum, quo imago ad imaginatum; siquidem Idea est vitalis, & perfectissima imago rei ideatæ; sed imago cognita ducit in cognitionem imaginati: ergo & Idea in cognitionem ideati.

120. Oppositum tenent *Durand. in 4. dist. 49. q. 3. num. 8. Palat. d. 2. P. Vasq. 1. p. d. 50. cap. 2. n. 9. P. Recupit. lib. 9. q. 36. cap. 1. num. 2.* pro quibus: Objicies 1. Ratio Ideæ, seu Exemplaris divini constituitur in conceptu formali divino, ut latè probat *P. Soar. in Met. d. 25. sect. 1.* sed hujusmodi conceptus solùm est ratio constituens Intellectum divinum formaliter cognoscentem, utpotè qui in solo Intellectu divino per identitatem recipitur; ergo non est ratio, quæ cognita ducat in cognitionem intellectum Beati. Respondeo data, & non concessa majori, (contrarium enim diximus in *Phys. tract. 2. d. 7. à num. 244.* negando minorem; licet enim cognitio divina sit ratio formalis, ut Intellectus divinus formaliter tendat in cognitionem creaturarum, hoc non tollit, quominùs objectivè cognita ducat intellectum alienum Beati in cognitionem earumdem creaturarum, cùm sit formalis repræsentatio earum.

Objicies 2. Idea, seu causa exemplaris, non potest esse ratio cognoscendi creaturas, nisi cognitione abstractivâ, & ad instar alterius, non autem intuitivâ, qualis est Visio Beata; ergo &c. Respondeo primò Visionem beatam, licet sit cognitio intuitiva Dei, posse esse abstractivam creaturarum, quod sufficit, ut dicamus, eas cognoscere ex Ideis. Respondeo secundò, antecedens esse verum de idea creata, non autem de Increata, quæ simul eminentissimè continet omnem perfectionem creaturarum, prout supra diximus. 131.

Objicies 3. Idea, sive Exemplar divinum, sive sit ipsa cognitio formalis Dei, sive illius Essentia, prout est imitabilis, sive sit utraque simul, est in Deo ratio absoluta, & omninò independens, sicque non ordinatur ad creaturas possibiles; ergo non potest ducere in illarum cognitionem. Respondeo dato antecedente, de quo jam supra, & alibi diximus, negando consequentiam: nam ut sæpè diximus, non exigitur aliquis respectus realis, & transcendentalis, ut aliquid ducat in cognitionem alterius, sed satis est habitudo, proportio, & illius repræsentatio, qualis cernitur in Idea, sive Exemplari divino respectu creaturarum possibilium. 132.

Objicies 4. Idea juxta probabilem sententiam, de quâ jam in Physica loco proximè citato, est in Deo ipsius Essentia, prout est imitabilis à creaturis; ergo hæ priùs cognoscuntur ab intellectu ut imitantes, quàm Ideæ ut imitatæ; consequenterque hæ priùs cognitæ non ducunt in cognitionem creaturarum. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam: nam si Idea accipiatur sub ratione formali quasi in actu exercito exemplarizantis, priùs cognosci debent creaturæ, quàm Ideæ; hæc tamen cognitio non est cognitio in Deo, de qua loquimur: si verò accipiatur fundamentaliter, quod sufficit ad hoc, ut in illa videantur creaturæ, tunc negandum est priùs debere cognosci ipsas creaturas, ut patet. 133.

Conclusio 3. sit: Scientia simplicis Intelligentiæ in Deo à Beatis cognita est ratio cognoscendi creaturas possibiles. Ita *D. Thom. 1. p. q. 57. art. 5. P. Soar. cit. P. Molin. cit. P. Valent. 1. p. q. 12. pun. 6. P. Tanner. cit. n. 5. P. Gil. cit. cap. 18. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 4. n. 61. P. Albertin. cit. P. Ribas, tract. 3. d. 8. dub. 5. & alii.* Probatur primò authoritate Sanctorum Patrum, sæpiùs asserentium, beatos videre creaturas in Immutabili Dei veritate, idest in Scientiâ Dei, quod de Beatis Angelis in speciali affirmat *D. Aug. de tripl. habitacul. cap 4. & lib. 4. de genes. ad litt. cap. 26. cit. & lib. 11. de Civit. cap. 7. & 29. cit.* & dicentium, omnia videre in Sapientiâ divinâ, ut expressit *D. Petr. Damian. de Instit. Monial. cap. 15.* quod similibus aliis formis 134.

Sancti alii significant; ergo &c.

135. Probatur secundò rationibus: Prima, quia Scientia simplicis Intelligentiæ in Deo verè, & propriè repræsentat creaturas sub esse possibili singulas secundùm singulas earum rationes formales, quas ipsa in se includit virtualiter distinctas, prout supra diximus de Omnipotentia divina in ordine ad easdem creaturas possibiles; ergo secundùm hujusmodi virtualitates cognita potest esse ratio cognoscendi illas distinctè, & secundùm suas peculiares rationes.

136. Secunda, quia Beati cognoscunt hujusmodi creaturas in Idea divina; ergo etiam in Scientia divina Simplicis Intelligentiæ; cùm Idea, sive adæquatè, sive inadæquatè, nihil aliud sit, quàm conceptus, cognitio, sive Scientia Dei. Tertia, quia verbum, conceptus, sive scientia creata, est expressa, & actualis similitudo objecti, & ex se apta ducere in illius cognitionem, si cognoscatur; ergo multò magis id habebit verbum, conceptus, sive Scientia divina; sed Beati hanc clarè, & distinctè cognoscunt, & vident; ergo sic etiam poterunt, imò re ipsa cognoscent ejus objectum, nempè creaturas possibiles. Confirmatur, quia impossibile est videre aliquem conceptum, sive scientiam clarè, & distinctè, non viso simul illius objecto; ergo etiam impossibile erit videre sic clarè, & distinctè Conceptum, sive Scientiam divinam, non viso simul objecto, nempè possibilibus.

137. Oppositum defendunt *Ocham. quodlib. 4. q. 3. Major. in 3. dist. 14 q. 3. ad 3. P. Becan. 1. p. tract. 1. cap. 9. q. 3. n. 7. fine*: pro quibus: Argues 1. Formalis ratio cognoscendi, qualis est Scientia, sive divina, sive creata, non potest ducere potentiam in cognitionem objecti, quin illam informet; siquidem cùm effectus formalis non distinguatur ab ipsa causa formali applicata subjecto, debet hæc subjecto applicari, ut illum præstet; atqui Scientia divina nequit informare intellectum creatum, ut patet; ergo neque esse illius ratio cognoscendi. Respondeo majorem esse veram de ratione cognoscendi formali; non autem objectiva. Undè licet omnis scientia, sive creata, sive increata necessariò debeat informare potentiam, ut sit illi ratio formalis cognoscendi, utpotè cujus vita, & operatio est; sumpta tamen prout est objectum terminans alienam cognitionem, potest esse ratio cognoscendi, quin potentiam informet.

138. Argues 2. Si Scientia divina simplicis intelligentiæ esset ratio Beatis cognoscendi creaturas possibiles, sequeretur Beatum per ipsammet scientiam cognoscere omnes perfectiones Dei intrinsecas, quarum illa est formalis reptæsentatio: imò cùm Deus se ipsum per illam scientiam comprehendat; & non sit major ratio, cur intellectus creatus ex illa potiùs hæc, quàm alia objecta cognoscat, omnia simul cognoscet; consequenter Deum comprehensivè, quæ omnia videntur absurda; ergo &c. Respondeo nullum esse absurdum, quod Beatus, visâ Scientiâ divinâ, in eâ cognoscat omnia possibilia partim distinctè, & partim confusè, imò & omnes Dei perfectiones abstractivè tamen; neque enim ex hoc sequitur ipsam Scientiam, aut Deum comprehendere: siquidem ad hoc necessaria erat eorum omnium cognitio intuitiva, & maxima penetratio, lumenque infinitum, quæ omnia sunt impossibilia respectu alicujus intellectûs creati, imò & creabilis, ut ex infra dicendis constabit.

139. Conclusio 4. sit: Nulla perfectio Dei necessaria, prout sic, sive sit essentialis, sivè attributalis, potest esse ratio cognoscendi creaturas existentes, sive sub esse existentiæ. Ita *D. Thom. 3. cont. gent. cap. 56. in 4. ration. Ferrar. ibid. Bassol. in 3. dist. 14. q 2. art. 2. P. Mol. 1. part. quæst. 12. art. 8. d. 2. §. Pro solutione, & d. 5. memb. 2. §. ultim. Ægid. lib. 5. de Beatitud. quæst. 19. art. 5. P. Gil. cit. cap. ult.* & alii. Probatur primò, quia creaturæ secundùm suum esse existens sunt quid merè contingens, ut patet; ergo nequeunt repræsentari, aut contineri prout sic in aliqua perfectione Dei necessaria; ergo neque ex illa prout sic cognosci. Secundò, quia creaturæ, neque habent, neque habere possunt existentiam actualem, nisi post liberum Dei decretum de illis producendis; ergo cognosci nequeunt in perfectionibus Dei necessariis, quæ antecedunt decreta libera; necessaria enim in Deo sunt priora liberis.

140. Conclusio 5. sit: Actus, sive decreta libera absoluta Voluntatis divinæ ut talia à Beatis cognita sunt eisdem ratio cognoscendi creaturas sub esse futuritionis, & existentiæ. Idem dicendum est de Scientiâ Visionis. Ita *Sot. in 4. dist. 49. quæst. 3. a. 3. conclus. 7. Bassol. quæst. 3. prolog. art. 2. § Contra illud. P. Gil. tom. 2. tract. 7. cap. ultim. num. 4. & 5. P. Mol. 1. part. quæst. 12. art. 8. d. 5. membr. 5. §. ad 1. & memb. 6. §. Dicendum est, & memb. 7. §. Anima ergo*, & alii. Probatur prima pars, quia hujusmodi actus, sive decreta Dei libera continent creaturas determinatè, ideſt secundùm suum esse futurum, & existentiæ peculiare, quod habituræ sunt sub talibus circumstantiis temporis, durationis &c. in particulari; ergo nihil obstabit, quominùs prout sic cognita Beatum ducant in earum cognitionem. Confirmatur, quia esse futurum, & contingès creaturarum dari non potest, nisi mediante decreto libero Voluntatis divinæ, quo tamen posito, suo tempore dabitur, & quo sublato, tolletur; ergo hoc poterit esse ratio cognoscendi illud, utpotè cum quo est prout sic connexum.

141. Probatur secunda pars, quia Scientia visionis in Deo repræsentat creaturas secundùm suum esse futurum, & existentiæ determinatum, quod habituræ sunt ex vi decreti liberi Voluntatis divinæ, quod semper supponit; ergo prout sic à Beatis cognita, eisdem erit ratio cognoscendi creaturas sub suo esse futuro, & existentiæ. Confirmatur authoritate Sanctorum Patrum supra cit *n. 128. & 134.* qui clariùs videntur loqui de creaturis secundùm suum esse futurum, & existentiæ; ergo &c.

142. Oppositum tenent *Capreol. in 4. dist. 49. q. 6. a. 3. ad Argum. Durandi. P. Sal. 1. 2 tract. 2. d. 4. sect. 10. n. 154. P. Recupit. lib. 4. q. 36. cap. 2. num. 16.* & videtur sentire *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 27. à num. 7.* tùm ob rationes infra adducendas; tùm præsertim, quia ad cognitionem creaturarum sub esse existentiæ satis esse credunt, quod Beatorum visio ad illas terminetur in se ipsis, quin opus sit, quod ab aliqua perfectione divina ad eorum cognitionem ducatur: Sicut Cognitio divina illas cognoscit in se ipsis, eo ipso, quod futuræ sunt ex vi decreti, quin ab alia sui ipsius perfectione ad id moveatur.

143. Sed contra, quia licet talis modus cognoscendi creaturas existentes in se ipsis possibilis sit, ex illo tamen sequitur: Primò, creaturas à Beatis cognitas sub esse existentiæ non pertinere ad objectum Visionis beatæ secundarium. Secundò nullo modo beatificare intellectum Beati; siquidem non sunt aliquid in Deo cognitum, sed in se ipsis, quod longè abest à cognitione in Deo. Adhuc tamen.

Objicies

144. Objicies 1. Actus, sive decreta Dei libera in tantùm ducerent Beatos in cognitionem creaturarum futurarum, & existentium, in quantùm sunt illarum causæ; sed prout sic ducere nequeunt; siquidem decreta libera solùm sunt causæ secundùm id, quod addunt supra actus necessarios; solùm autem addunt respectus quosdam rationis, qui à Beato cognosci nequeunt per Visionem Beatam; ergo &c. Respondeo decreta Dei libera esse causas creaturarum prout distinguuntur à necessariis fundamentaliter, non autem formaliter, sive prout stant sub illis respectibus rationis, & ut sic possunt cognosci, & ducere Beatos in cognitionem creaturarum. Si verò addant supra actus necessarios solam terminationem ad creaturas, prout alibi diximus, secundùm illam à Beatis cognita, illos ducunt in cognitionem creaturarum.

145. Objicies 2. Multa sunt futura, circa quæ Deus non habet decreta; siquidem Deus non decernit, neque decernere potest actus peccaminosos futuros, quorum tota determinatio est à voluntate creata; ergo non omnia futura, aut existentia possunt à Beatis cognosci in decretis Dei liberis. Respondeo nos non dixisse, omnia futura cognosci à Beatis in decretis cognitis, sed solùm decreta cognita esse rationem cognoscendi futura, ad quæ tendunt. Accedit, quod in Deo sunt decreta circa entitatem positivam, & materialem actûs peccaminosi, licet non circa formale peccati; & deindè decreta permissiva ipsius peccati, undè in illis positiva entitas istorum actuum, in his verò peccata ipsa formalia cognoscuntur.

146. Objicies 3. Si creaturæ futuræ, aut existentes cognoscerentur in aliqua perfectione divina cognitâ, hujusmodi cognitio esset abstractiva; siquidem quidquid cognoscitur ex vi alterius cogniti, cognoscitur abstractivè, cùm in alio, & non in se ipso cognoscatur; sed hoc dici nequit; nam si cognitio creaturarum in Deo foret abstractiva, non esset clarior, quàm cognitio creaturarum in se ipsis; siquidem quodlibet objectum clariùs in se ipso, quàm in alio cognoscitur; hoc autem est contra D. August *lib. 11. de Civit. cap. 7.* asserentem, cognitionem creaturæ in se ipsa decoloratiorem esse, quàm quando in Sapientia Dei cognoscitur. Et *cap. 29.* meliùs in Sapientia cognosci, quàm in se ipsa; ergo talis cognitio nequit esse abstractiva; consequenterque creaturæ futuræ, aut existentes non cognoscuntur à Beatis in aliquâ perfectione divinâ cognitâ.

147. Respondeo negando minorem, & ejus probationem; licet enim cognitio illa sit abstractiva, utpotè in alio, adhuc clarior, & perfectior est, quàm earum cognitio intuitiva in proprio genere; siquidem est supernaturalis, sicque longè celsior, & nobilior; & deindè est in aliquo perfectissimè cognito, quod clarissimè, & perfectissimè continet, & repræsentat ipsas creaturas: quando autem dicitur, cognitionem intuitivam esse clariorem abstractivâ, id procedit cœteris paribus. Ex dictis.

148. Colliges primò, modum cognoscendi creaturas in Deo, ut in causâ, Idea, Verbo, sive Scientiâ, & decretis liberis, necessariò esse per medium cognitum. Ita *D. Thom. quæst. 8. de Verit. art. 4. & 5. & q. 10. art. 4. & 1. p. q. 12. art. 8. & q. 14 art. 5. Cajetan. ibid. Durand. in 4. dist. 49. quæst. 2. Ferrar. 1. contr. gent. cap. 49. P. Valent. cit. punct. 6. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 8. d. 2. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 25. num. 20. P. Tanner, d. 2. quæst. 6. dub. 9. num. 9.* & alii. Patet, quia neque effectus in causa, neque imago in Idea, neque objectum in Verbo, sive Scientiâ, neque futurum in decreto possunt propriè cognosci, nisi priùs ratione cognoscatur causa, Idea, Verbum, seu Scientia, & decretum; ergo quoties effectus videtur in causa (sicque de aliis) semper videtur in illa ut in medio priùs cognito.

Colliges secundò, rectè etiam dici creaturas à 149. Beatis cognosci in Deo, seu in Verbo tanquam in *speculo voluntario*, licet hic modus cognoscendi non sit à superioribus distinctus, sed sub singulis comprehendatur, ut tenent *P. Valent. cit. P. Soar. cit. n. 44. ex D. Amb. lib. 2. in Lucam. D. Aug. epist. 112. D. Thom. 1. p. q. 12. art. 8. ad 2. & q. 14. art. 5. & in 3. dist. 14. q. 1 art. 1.* siquidem modus iste loquendi, nempè videri creaturas in Deo, ut in *speculo*, metaphoricus est, sicque metaphoricè solùm significat, & confusè, quod aliis modis assignatis propriè, & distinctè explicatur.

Colliges tertiò, creaturas posse etiam cognosci à Beatis in Voluntate divina per modum simplicis complacentiæ illas approbante, si sumantur secundùm suum esse possibile: si autem quoad existentiam, in ipsa voluntate per liberum decretum applicatâ, & determinatâ ad illas producendas. Ita *P. Molin. 1. part. quæst. 12. art. 8. d. 2. P. Tanner. d. 2. q. 6. dub. 9. n. 7.* & alii. Patet ex supra dictis, & quæ hactenus diximus ex iis, quæ jam alibi à nobis dicta sunt in *Log. tr. 3. d. 3. à n. 362.* 150.

DISPUTATIO VI.

De Æqualitate, & Inæqualitate inter Visiones Beatorum.

SECTIO I.

Virùm videri possit Deus, non visis illius perfectionibus secundariis?

IN præsenti Disputatione agendum nobis est de æqualitate, & inæqualitate terminativa Visionis Beatæ; siquidem hac, & illius causis explicatis, faciliùs explicabimus difficultates circa ejus æqualitatem, & inæqualitatem formalem, quæ minùs principaliter expedienda erit. Primò igitur inquirendum erit: Utrùm hujusmodi inæqualitas terminativa de facto detur, aut dari possit inter Visiones Beatas, tam in ordine ad objectum primarium, quàm secundarium. Secundò, quænam sint causæ effectivæ hujusmodi inæqualitatis. Tertiò, quasnam habeat causas formales. Hoc posito. 1.

Difficultas modò est: Utrùm Deus videri possit, non visis illius perfectionibus secundariis? Advertendum est primò cum *P. Gil. tom. 2. tract. 9. cap. 5. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 2. n. 10. Ægid. Lusit. lib. 12. de Beatitud. quæst. 10. art. 1. §. 3. à numer. 21.* duo perfectionum genera posse in Deo consside- 2.

considerari: Quædam dici solent perfectiones primariæ, & formales; & aliæ secundariæ, & virtuales. Primariæ sunt illæ, quæ continent formaliter omnem perfectionem possibilem sub suo genere, ut continet Sapientia in genere sapientiæ, Potentia in genere potentiæ, sicque de aliis; & hæc dici, & vocari solent Attributa Dei.

3. Secundariæ, & virtuales perfectiones sunt illæ, quæ non ita continent omnem perfectionem possibilem sub suo genere, seu ratione, sed solùm determinatam, & limitatam, concipiunturque à nobis veluti partes integrantes perfectiones primarias, qualis est Scientia divina, prout est scientia de Angelis, de homine, de elementis, &c. quæ continentur sub ratione Scientiæ, & Sapientiæ Dei, & concipiuntur ut illius partes: idemque cum proportione dicendum de potentia creativa Angeli, hominis, &c. sub Potentia divina; quæ non continent omnem perfectionem, quæ est in perfectionibus primariis, comprehenduntur tamen sub illarum rationibus formalibus, suntque perfectiones simpliciter, quia in Deo formaliter existunt, licet ab eo solùm virtualiter differant, & si ab eo abessent, non esset Deus summè Sapiens, Potens, &c. quod enim de Sapientiâ, & Potentiâ dictum est, aliis Attributis divinis cum proportione applicandum est.

4. Advertendum secundò cum eisdem Doctoribus, duobus modis posse perfectiones in aliquo objecto formaliter inclusas à nobis cognosci: Primò confusè, & per modum unius cum objecto, si videlicet cognitio per se primò, & formaliter tendat in totum non attingendo, aut distinguendo ejus partes in particulari, ut si quis cognoscat hominem non distinguendo ejus partes, sive gradus metaphysicos, quibus constituitur; tunc enim cognitio clarè terminatur ad totum, confusè autem, & per modũ unius ad partes, seu perfectiones in toto. Secundò clarè, & per modum plurium, si cognitio scilicet ita totum objectum percipiat, ut simul etiam illius partes clarè, & distinctè attingat, ut si quis hominem cognoscat discernendo in illo illius partes, sive gradus, quibus constituitur. Idem cernitur in visione corporea, de facto enim cognoscimus objectum lucidum, & coloratum clarè, & distinctè, quin tamen discernamus singulas partes lucis, aut coloris, quas si ita attingeremus, ut illas possemus discernere, tunc cognitio esset distincta totius simul, & partium. His prænotatis.

5. Dico 1. Impossibile est, videri Deum intuitivè à Beatis, quin etiam videantur, saltem confusè, & per modum unius omnes ejus perfectiones secundariæ. Ita tenentur dicere, qui absolutè asserunt per Visionem Beatam videri à Beatis omnia, quæ sunt formaliter in Deo: & qui putant à Visione Beata excludendam esse omnem inæqualitatem in ordine ad Essentiam divinam, & sic tenent *P. Valent. 1. part. quæst. 12. punct. 1. & 4. §. Sed tamen, Cabrer. 3. part. quæst. 10. art. 2. d. 6. Zumel. art. 6. hic quæst. ult. propos. 4. P. Vasq. 1. part. d. 47. cap. 6. fine. & d. 50. cap. 5.* & expresè *P. Gil. tom. 2. tract. 9. cap. 5. num. 6. & cap. 6. num. 7. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 22. num. 10.*

6. Probatur, quia omnes Perfectiones divinæ, tam primariæ, quàm secundariæ sunt una, & eadem entitas simplicissima cum Essentia divina; ergo impossibile est, quod hæc clarè, & intuitivè videatur, quin etiam intuitivè videantur illæ, saltem confusè, & per modum unius cum ipsa Essentia. Confirmatur primò, quia magis idem sunt Perfectiones divinæ secundariæ cum Essentia divina, quàm sunt in objecto corporeo, nempè in colorato illius partes cum toto; sed non possumus videre totum objectum corporeum, quando oculo objicitur, quin saltem confusè cum ipso toto videamus ejus partes; ergo à fortiori neque videre Essentiam, quin cum illa saltem confusè videamus omnes ejus perfectiones secundarias, ex quibus quasi partibus integratur. Secundò, quia omnia, quæ sunt in Deo formaliter, sufficienter sunt præsentia, & æqualiter visibilia per potentiam creatam intellectivam beatifico lumine perfusam; ergo impossibile est videri Essentiam, quin videantur omnia saltem per modum unius.

Dico 2. Non implicat videri Essentiam divinam intuitivè, quin distinguantur, sive discernantur 7. omnes ejus perfectiones secundariæ in particulari. Est communis eorum, qui docent, Deum totum, sed non totaliter videri à Beatis, ideoque ab intellectu creato non posse comprehendi, quia semper ejus aliquid latet videntem. Tenent illam expresè *D. Bonavent. in 3. dist. 14. art. 1. quæst. 3. ad 1. Paludan. in 4. dist. 49. quæst. 5. art. 3. conclus. 1. P. Sal. t. 2. tr. 2. d. 4. sect. 2. P. Gil. tom. 2. tract. 9. cap. 6. à n. 8. eÆgid lib. 12. de Beatitud. q. 10. art. 1. §. 2. n. 17. & §. 3. num. 23.* & alii. Probatur primò authoritate Sanctor. Patr. Basil. *lib. 5. contr. Eunom. ad medium. & serm. de Annunciat.* D. Nyssen. *lib. de Beatitud.* ad illud *Beati mundo corde, &c.* D. Chrysost. *hom. 14. in Ioan.* D. Cyrill. Alexand. *lib. 4. de Trinit. ad initium*, & aliorum apud *P. Gil. cit. tract. 8. cap. 4. num. 5.* asserentium à Beatis in patria non videri quid sit Deus; ergo si Dei quidditatem plenè non vident, in quo sensu debent hujusmodi Patres intelligi, signum est ad aliquas illius perfectiones non pertingere, quod verificari debet saltem de secundariis.

Probatur secundò rationibus: Prima, quia sub 8. Omnipotentiâ, Scientiâ, & cæteris Attributis, perfectiones secundariæ sunt numero infinitæ; sunt enim tot, quot sunt creaturæ possibiles; hæ autem sunt infinitæ; sed ad discernendum, seu cognoscendum distinctè infinitas entitates, etiam virtualiter distinctas, infinita virtus necessaria est; siquidem cuilibet entitati sua luminis certa portio correspondet, ex quibus coalescit hęc infinitas impossibilis, ut nunc suppono; ergo &c. Confirmatur, quia experientiâ constat ad perfectionem magis distinctam partium objecti colorati majorem requiri virtutem ex parte potentiæ cognoscentis; ergo ad perceptionem infinitè distinctam requiretur intensio luminis infinita; hæc autem est impossibilis; ergo etiam attingere in Deo omnes illius perfectiones secundarias distinctè.

Secunda, quia si per Visionem Beatam necessa- 9. riò attingerentur omnes perfectiones divinę, etiam secundariæ in particulari, cognosceretur Deus quantum ex se cognoscibilis est secundùm omnem sui infinitatem tam intensivam, quàm extensivam, dareturque cognitio Dei creata, quæ esset illius comprehensiva; sed hæc est impossibilis, ut ex infra dicendis constabit; ergo &c.

Tertia, quia de facto à Beatis non cognoscun- 10. tur omnes actus Dei liberi; alioqui omnes rationes Providentiæ divinæ, & omnia Dei secreta paterent Beatis, quod est impossibile; sed hujusmodi actus sunt veluti partes virtuales Intellectûs & Voluntatis divinæ, ergo &c. Quarta, quia in receptissima Theologorum sententia Beati non cognoscunt in Deo omnes creaturas possibiles, futuras, & existentes; sed id non aliundè provenit, nisi

quia

quia distinctè non penetrant Essentiam Divinam secundùm omnes rationes formales peculiares, in quibus creaturæ ipsæ continentur; ergo &c.

11. Oppones 1. Quando objectum visibile est sufficienter præsens potentiæ non impeditæ, non potest non ab eadem attingi; sed objectum beatificum est sufficienter præsens intellectui Beatorum, non solùm secundùm perfectiones primarias, sive Attributa, sed etiam secundùm virtuales, & secundarias, ergo secundùm omnes æqualiter à Beatis cognoscitur. Respondeo primò distinguendo consequens: secundùm omnes cognoscitur, aut distinctè, aut confusè; concedo consequentiam: secundùm omnes distinctè; nego consequentiam: potest enim secundùm aliquas distinctè, & secundùm reliquas confusè cognosci.

12. Patet in visione parietis albi; licet enim omnes illius partes, etiam minimæ sint in prospectu, non ideò omnes videntur distinctè ab oculo corporeo; ergo similiter licet omnes Perfectiones divinæ, etiam secundariæ, sint sufficienter præsentes potentiæ intellectivæ Beatorum, non ideo omnes distinctè discernentur. Accedit, quia sicut partes albedinis, quò minores sunt, eò sunt minùs visibiles; ita in singulis Attributis eorum partes virtuales, quia minutiores (ut sic loquamur,) eò minùs intelligibiles sunt, ideòque minùs distinctè cognoscibiles à potentia creata.

13. Respondeo secundò, & fortasse meliùs, tunc partes sufficienter præsentes potentiæ æqualiter ab illa percipi, quando in ea datur lumen sufficiens ad omnes æqualiter penetrandas, quale tamen non datur in intellectu Beati ad penetrandas omnes Dei perfectiones, etiam secundarias; siquidem ad hoc necessarium erat lumen infinitum, ut infra dicemus, cujus ille est incapax. Patet etiam in visione corporea; ideò enim in pariete non discernuntur æqualiter omnes ejus partes, etiã minimæ, quia deficit lumen in oculo discernente; unde est, quod quò magis ad parietem accedimus, eò minores partes, & quas ex longiori non distinguebamus spatio, discernimus.

14. Oppones 2. Cognitio intuitiva clara, & distincta cujuscumque objecti opponitur illius cognitioni confusæ, & indistinctæ; sed Visio Beata est cognitio intuitiva clara, & distincta Divinitatis, & oppositi illi, quæ fit per speculum in ænigmate, ut loquitur D. Paulus 1. Cor. 13. ergo impossibile est, quod sit confusa, & indistincta respectu illius. Respondeo cognitionem intuitivam, & claram opponi quidem confusæ, & obscuræ, idest, inevidenti, de quâ locutus est Apostolus; non autè confusæ & obscuræ, idest non discernenti, neq; distinguenti: sicut enim potest dari cognitio naturalis clara, & intuitiva totius, quæ tamen sit obscura, & confusa circa illius partes, ut patet ex dictis, ita datur cognitio supernaturalis, qualis est Visio Beata, quæ est intuitiva, & clara circa Deum quà totum objectum beatificum est, & obscura, seu confusa circa illius partes, sive perfectiones secundarias.

SECTIO II.

Utrùm videri possit Essentia Divina, non visis Attributis?

15. ADVERTES primò, quæstionem non procedere de Visione Attributorum confusâ, & per modum unius cum Essentia; siquidem clarum existimo, neque de potentia Dei absoluta videri posse Essentiam, quin videantur Attributa, quatenùs cum illa identificantur; sicut proximè diximus de perfectionibus secundariis: Undè solùm procedit difficultas de Visione Essentiæ, qua etiam distinguantur, seu discernantur singula Attributa divina.

16. Advertes secundò ex *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 22. à num. 10.* Attributa videri distinctè posse tripliciter intelligi: Primò prout distinctio opponitur unitati conceptûs, sivè cognitionis, ita ut Attributa videantur distinctis actibus, sive cognitionibus: Secundo, prout opponitur unitati objecti, ita ut Attributa cognoscantur ut objecta distincta, sive saltem ut distinguibilia inter se: Tertiò non prout opponitur unitati actûs, sive objecti, sed solùm prout opponitur cognitioni impropriæ, & confusæ, ita ut illud dicatur distinctè cognosci, quod proprio conceptu, & non communi tantùm cognoscitur, in quo ultimo sensu procedit quæstio, quæ excitari potest de Essentia Divina comparata cum Attributis: aut de ipsis Attributis comparatis inter se. Sit igitur:

17. Difficultas 1. Utrùm de potentia absoluta videri possit clarè Essentia Divina, non visis distinctè omnibus Attributis, seu perfectionibus primariis? Affirmativè. Ita *D. Antonin. 3. part. tit. 30. cap. 4. §. 2. Albert. 1. p. sum. tr. 3. q. 13. num. 1. ad 6. Paludan. in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. num. 19. Scot. in 1. dist. 1. quæst. 2. & cum eo Scotistæ Ovand. in 4. dist. 49. propos. 19. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 4. sect. 2. P. Gil. tomo 2. tr. 9. cap. 6. P. Granad. 1. p. tr. 5. d. 5. 6. & 7. P. Ribas 1. p. tr. 3. d. 7. cap. 3. n. 23. P. Alarcon. de Visione d. 4. cap. 2. n. 5. P. Hurt. in Met. d. 6. sect. 6. P. Compton. tom. 1. d. 19. sect. 3. n. 7. P. Arriaga in Log. d. 5. sect. 4. subsect. 3. & 1. part. d. 9. sect. 6. n. 40. Ægid. lib. 5. de Beatit. q. 11. a. 4. P. Rhodez, tomo 1. d. 2. q. 3. sect. 1. §. 2.* & alii.

18. Probatur primò, quia si hujusmodi visio repugnaret, aut esset ex simplicitate objecti; aut ex natura ipsius visionis: Non primum; siquidem cùm inter Essentiam, & Attributa detur distinctio virtualis, prout alibi diximus in Metaphysica; sufficit talis distinctio, ut possit videri unum sine alio: Non secundum; siquidem Visio Beata ex se solùm postulat attingere Deum sicuti est, & non quantùm ex se cognoscibilis est secundùm omnes perfectiones distinctè cognitas; alioqui nulla daretur visio Dei, quæ non esset illius comprehensiva; ergo &c.

19. Probatur secundò, quia, proportione servatâ, eodem modo se habent Attributa secundaria ad Attributa primaria, quo se habent primaria ad Essentiam; siquidem eandem identitatem, quam habent primaria cum Essentia, habent secundaria cum primariis; sed de facto per Visionem Beatam attinguuntur distinctè omnia Attributa primaria, non cognitis distinctè secundariis, ut diximus; ergo de possibili attingi poterit Essentia Divina, non cognitis distinctè omnibus Attributis primariis.

20. Probatur tertiò, quia licet de ratione notitiæ comprehensivæ Dei sit, ita Deum intuitivè attingere, ut omnis illius perfectio distinctè attingatur; alioqui non attingeret Deum, quantùm ex se cognoscibilis est, non ita de ratione notitiæ claræ & intuitivæ Dei absolutè est, illum prout sic attingere; alioqui omnis notitia Dei intuitiva esset illius comprehensiva, & hæc ab intuitiva non distingueretur; sed Visio beata, licet sit intuitiva, comprehensiva non est; ergo sicut non postulat attingere distinctè omnes perfectiones, ita poterit

has, & non illas distinctè attingere. Confirmatur, quia per visionem intuitivam corpoream objecti colorati v. g. non distinguimus omnes illius partes etiam minimas; licet hæ, utpotè realiter distinctæ, non ita sint occultæ potentiæ corporeæ; ergo etiam per visionem intellectualem intuitivam Dei non distinguemus omnes necessariò partes virtuales ipsius Dei, cùm sint magis reconditæ potentiæ intellectuali.

21. Oppositum tenent *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 7. ad 2. & 3. & 2. 2. q. 2. a. 8 ad 3. Henricus quodlib. 3. q. 1. Capreol. in 4. dist. 49. q. 6. art. 3. Hervæus, tract. de Verbo. Cajet. 2. 2. q. 2. art. 8. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 8. d. 4. P. Valent. ibid. punct. 6. q. 2. ad 1. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 22. & 26. P. Vasq. 1. p. d. 48. cap. 2. P. Albertin. tom. 1. princip. 1. corol. 4. pun. 8. n. 24. P. Tanner. d. 2. q. 4. dub. 3. num. 4. P. Amicus tom. 1. d. 9. n. 322. P. Fasol. 1. p. q. 12. art. 8. dub. 2. n. 3. P. Becan 1. p. cap. 9. q. 12. P. Arrub. d. 24 cap. 4. P. Herice, tract. 4. d. 50. cap. 1. P. Recupit. lib. 3. q. 32. cap. 1. P. Præposit. 1. p. q. 12. art. 8. dub. 2. Sot. in 4. dist. 49. q. 3. art 3. Zumel. 1. p. q. 12. art. 7. d. 1.* & alii.

22. Fundantur 1. Impossibilis est Visio beata non attingens Deum sicuti est in se; siquidem talis visio semper debet esse intuitiva, & quidditativa Dei; sed Deus ut est in se continet Attributa formaliter; ergo non potest attingi per Visionem beatam, non visis distinctè Attributis. Respondeo negando consequentiam: nam si argumentum valeret, etiam probaret de Attributis secundariis, quod supra negavimus. Undè sicut de facto videtur Deus, licet non ita distinctè videantur ejus Attributa secundaria, quæ tamen formaliter sunt idem cum Essentia: ita de possibili poterit attingi Essentia, licet non sic distinctè attingantur ejus Attributa primaria, quæ cum illa sunt idem formaliter. Patet in visione parietis albi, de qua supra.

23. Fundantur 2. Si foret possibilis visio attingens distinctè Essentiam, & non Attributa primaria, deberet dari aliqua causa, quæ potentiam ad hujusmodi Visionem determinaret; sed nulla datur; siquidem causæ visionis sunt ipsa potentia, lumen gloriæ, & Essentia divina; potentia autem, & lumen non ita determinant, cùm sint causæ indifferentes ad visiones inæquales: neque etiam sic determinat Essentia Divina, cùm exhibeat concursum per modum naturæ, & non voluntatis, prout supra diximus; non apparet aliud, à quo determinetur; ergo &c.

24. Respondeo negando minorem: potentia enim potest determinari ad producendam hujusmodi visionem ita limitatam, & determinatam ad percipiendam clarè Essentiam, & non ita clarè, sed confusè ejus Attributa primaria: Primò ab ipso lumine valdè remisso; potest enim esse ita remissum, ut sufficiat ad Essentiam clarè attingendam, & non ita singula Attributa. Patet in lumine corporeo potentiæ visivæ, quod aliquando ita debile est, ut sufficiat ad attingendum objectum lucidum, & coloratum, & non ad percipiendas omnes ejus partes minores. Secundò ab ipso Deo liberè concurrente, ut potest, cum ipso lumine, & intellectu; potest enim Deus ita modificare suum concursum universalem, ut sufficiat ad producendam visionem attingentem clarè, & distinctè Essentiam, non ita visis ejus Attributis primariis.

25. Fundantur 3. Impossibile est communicari divinitatem hypostaticè, quin simul communicentur omnes ejus perfectiones essentiales; ergo etiam communicari Essentiam divinam objectivè per visionem claram, quin etiam simul clarè videantur omnes ejus perfectiones essentiales, qualia sunt Attributa. Resp. dato antecedente, & illius consequentia, si sermo sit de Visione Attributorum confusa, & per modum unius, in quo cernitur proportio communicationis hypostaticæ, & visionis objectivæ: sicut enim communicatâ Naturâ omnes ejus perfectiones necessariò cõmunicantur, ita visâ eâdem Naturâ, etiam necessarium est omnes ejus perfectiones videri, saltem confusè. Neganda tamen est consequentia, si sermo sit de Visione, quâ omnes perfectiones primariæ distinctè attingantur; diversa ratio est, nam cognitio magis, aut minùs distincta, cùm dependeat à lumine gloriæ, & aliis causis, ut supra, & infra explicabimus, magis, aut minùs communicari poterit, secundùm quod hujusmodi causæ se habuerint: at verò communicatio realis, qualis est hypostatica, ut sit major aut minor, à nulla causa dependet, ideoque neque potest aliquo modo impediri.

Fundantur 4. Omnia Attributa sunt æquè præsentia, & æquè visibilia respectu intellectûs Beati, atque est ipsa Essentia divina, cum qua sunt idem; ergo impossibile est, hanc clarè, & distinctè videri, quin etiam Attributa distinctè videantur. Respondeo negando consequentiam; siquidem ad cognitionem distinctam Attributorum potest dari impedimentum, sive ex parte luminis gloriæ, sive ex parte Dei concurrentis, ut diximus, & sicut de facto datur ad cognoscenda distinctè omnia Attributa secundaria, licet sint æquè præsentia, & visibilia, atque primaria. 26.

Difficultas 2. Utrùm unum Attributum possit distinctè videri, non visis distinctè aliis? Affirmativè. Ita ferè omnes Doctores supra cit. *num.* 17. Probatur primò, quia non majorem identitatem habent Attributa divina inter se, quàm habent cum Essentia; sed licet sint idem cum Essentia, hæc potest distinctè videri, illis distinctè non visis, ut diximus; ergo etiam sic poterit unum Attributum videri distinctè, non visis distinctè aliis. 27.

Probatur secundò, quia non minorem, imò majorem identitatem, & inclusionem videntur habere Attributa secundaria unius primarii, nempè eminentiæ Omnipotentiæ cum ipsâ Omnipotentiâ, quàm habent ipsa primaria inter se; siquidem secundaria integrant primaria, primaria verò non se invicem, sed unam Essentiam integrant; atqui Beatus de facto cognoscit formaliter, & distinctè Attributa primaria, & aliquas eorum eminentias, non cognitis formaliter, & distinctè aliis; siquidem de facto videns Deum, non videt in Deo omnes creaturas, sed aliquas, idque ex eo, quod aliquas, & non omnes eminentias videat; ergo de possibili poterit distinctè unum Attributum cognoscere, non cognitis distinctè aliis. 28.

Dicent cum *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. num.* 11. ad hoc, ut in Deo videantur plures creaturæ per unam, quàm per aliam visionem, opus nõ esse, ut in Deo videantur novę aliquę perfectiones formales virtute distinctę, quæ nõ videntur per aliam visionem, sed satis esse, quod eadem perfectio divina, quæ minùs per unam, meliùs per aliam videatur. Sed contra, quia illud *meliùs*, aut potest accipi, ita ut perfectio illa divina videatur per visionem magis intensam ex parte actûs; aut per magis extensam ex parte objecti: Non primum, quia major intensio visionis præcisè sumpta non sufficit ad plures creaturas in Deo videndas, sed solùm inservit ad idem objectum majori conatu, 29.

&

& attentione conspiciendum: Si secundum, implicat extendi visionem ad plures creaturas videndas in Deo, & non extendi ad percipiendum aliquid amplius de perfectione divina; siquidem nova illa creatura, ad quam extenditur, non percipitur in se, sed in causa, sive ex causa, quæ est ipsa perfectio divina cognita; ergo si de novo nova aliqua creatura cognoscitur, etiam de novo debet aliqua nova causa, sive perfectio cognosci.

SECTIO III.

Virùm videri possit Essentia Divina sine Relationibus: & è contra: aut una Relatio, seu Persona sine alia sibi opposita, vel disparata?

30. DIFFICULTAS 1. Utrùm de potentia Dei absoluta videri possit clarè & distinctè Essentia divina, non ita distinctè cognitis Relationibus, seu Personis divinis? Affirmativè. Ita *D. Antonin. 3. p. tit. 30. cap. 4. §. 2. Scot. in 1. dist. 1 q. 2. Paludan. in 4 dist. 49. q. 5. art. 3. num. 19. & 20. Bassol. in 1. dist. 1. §. Sed non video. Ovand. in 4. dist. 49. propos. 20. Rubion. in 1. dist. 1. q. 6. art. 1. conclus. 3. & 4. Mayron. in 1. dist. 4. q. 4. art. 2. Ægid. Lusit. lib. 5. de Beatit. q. 14. art. 3. §. 3. Palat. in 1. dist. 1. d. 3. P. Sal 1. 2. tr. 2. d. 4. sect. 3. à num. 26. P. Granad. in 1. p. tract. 5. d. 7. sect. 1. n. 2. P. Compton. tom. 1. d. 19. sect. 3. n. 7. P. Alarcon. tract. 1. d. 4. cap. 2. n. 5. P. Soar. Lusit. tr. 4. de Anim. d. 4. num. 211. P. Rhodez, tom. 1. d. 2. q. 3. sect. 1. §. 2. & alii.*

31. Probatur primò, quia in hoc nulla appâret repugnantia; ergo &c. Secundò, quia majorem identitatem habet Essentia cum Attributis, & Attributa cum suis perfectionibus secundariis, quàm ipsa Essentia habet cum Relationibus, sive Personis; siquidem cum illis identificatur adæquatè, non verò cum Relationibus; sed Essentia potest clarè, & distinctè cognosci, non ita cognitis Attributis primariis; & hæc, non cognitis secundariis, ut supra diximus; ergo à fortiori sic poterit cognosci Essentia, non cognitis Relationibus, seu Personis.

32. Probatur tertiò, quia si aliquid obstaret, esset identitas, quæ datur inter Essentiam, & Relationes; sed hæc non obstat; siquidem non obstante hujusmodi identitate, Essentia communicatur, non communicatis Relationibus; neque enim Filio cum Essentia communicatur Paternitas; ergo à fortiori poterit ipsa Essentia distinctè videri, non ita visis Relationibus, cùm visio non sit realis productio, neque communicatio, per quam Essentia communicatur Personis productis, sed solùm se habeat extrinsecè ad illas. Confirmatur, quia oculus potest videre colorem, non visis respectibus ad Deum, ut creatura, & ad subjectum, ut accidens; ergo etiam Beatus poterit distinctè Essentiam videre, non ita visis Relationibus.

33. Oppositum tenent *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 7. ad 2. & 3. & 2. 2. q. 2. art. 8. ad 3. Cabrer. 3 p. q. 10. art. 2. d. 5. Zumel. q. 2. conclus. 1. Pesant. art. 10. d. 5. Henric. quodlib. 2. q. 7. & quodlib. 3. q. 1. Gabr. in 1. dist. 1. q. 5. Caiet. 2 2. q. 2. art. 8. Aureol. in 1. dist. 1. art. 2. Baccon. q. 2. art. 1. Durand. in 4. dist. 49. q. 3. num. 5. Sot. q. 3. art. 3. conclus. 2. Ocham. in 1. dist. 1. q. 5. P. Valent. 1. p. q. 12. punct. 6. P. Mol. 1. p. q 12. art. 8. d. 4. P. Vasq. 1. p. d. 48. cap. 2. P. Amicus tom. 1. d. 9. n. 322. P. Tanner. 1. p. d. 2. q. 4. dub. 7. n. 4. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 23. P. Herice tract. 4. d. 50. cap. 1. & 2. P. Præpos. 1. p. q. 12. art. 8 dub. 2. P. Fasol. 1. p. q. 12. art. 8. dub. 2. n. 3. P. Arrub. 1. p. d. 24. cap 4. P. Tellez d. 4. sect. 4. num. 12. & 17. & alii: pro quibus:*

34. Argues 1. Essentia divina, cùm sit essentialiter existens, non potest intuitivè videri, nisi ut existens; alioquì sine illo, quod est sibi essentiale, videretur; sed Relationes sunt ei ratio existendi; ergo sine illis, seu Personis videri nequit. Respondeo negando minorem: Relationes enim Personales non sunt Essentiæ ratio existendi, cùm ipsa existat per suam existentiam absolutam, cujus ipsæ Relationes sunt veluti modi, & complementa, sicque solùm ei sunt ratio subsistendi; ac proindè potest sine illis videri; sicut de facto videtur sine Attributis secundariis; & de possibili videri potest sine primariis, prout diximus.

35. Argues 2. Si Deitas, sive Essenta divina in unico tantùm supposito existeret, non posset sine illo videri; sed pluralitas Relationum identitatem non minuit; ergo etiam sine illis videri poterit. Respondeo negando majorem: sive enim Essentia per impossibile in uno tantùm supposito existeret; sive in pluribus, ut de facto existit, potest sine illis videri ob paritatem rationis.

36. Argues 3. Hæc visio, quæ terminaretur ad Essentiam, & non ad Relationes, aut esset specie, aut numero diversa ab illa, quæ ad utrasque distinctè terminatur: Non primum; jam enim supra diximus, impossibilem esse distinctionem specificam, & essentialem inter visiones magis, & minùs distinctè attingentes idem objectum: Non secundum; siquidem diversus ille modus terminandi majorem requirit distinctionem; ergo impossibilis est talis visio. Respondeo negando minorem quoad secundam partem; visio enim, quæ terminaretur ad Essentiam, & non ad Relationes distinctè, esset ejusdem speciei cum illa, quæ ad utrasque distinctè terminaretur; neque enim attingere objectum magis, aut minùs distinctè arguit discrimen specificum in cognitionibns, ut patet ex supra dictis, & ex illis, quæ alibi diximus in Logica *tr. 6. d. 2. sect. 3.*

37. Argues 4. Deitas, sive Essentia non minùs habet, quod sit Una, quàm quod sit Trina; sed non potest videri, nisi ut Una; ergo neque aliter, quàm ut Trina; consequenterque non potest videri sine Relationibus, seu Personis. Respondeo negando majorem: nam Essentia habet à se ipsa, quod sit Una, cùm sit perfectio absoluta; à Relationibus verò Personalibus, quod sit Trina, quæ sunt perfectiones relativæ; undè licet videri nequeat sine unitate, quam formaliter includit; potest tamen distinctè videri sine Relationibus distinctè visis, utpotè quas essentialiter non includit.

38. Argues 5. Essentia videtur intuitivè, sicque prout in se est; sed in se est fœcunda; ergo semper videtur, ut fœcunda; sed videri non potest ut fœcunda nisi videantur Personæ producentes, & productæ; ergo &c. Respondeo fœcunditatem ut sic intuitivè cognitam solùm postulare cognitionem Personarum, quæcunque illa sit, sive intuitiva, sive abstractiva, sive distincta, sive confusa. Undè non repugnat, quod cum cognitione intuitivâ, & distinctâ Essentiæ fœcundæ detur cognitio Personarum, nec intuitiva, nec distincta, sed confusa, quam non negamus.

39 Difficultas 2. Utrùm possint intuitivè videri Relationes divinæ, non visâ distinctè Essentiâ? Affirmativè. Ita *Ægid. Lusit. quæst. 14. cit. a. 6. n. 4.* & alii supra cit. *num. 30.* Probatur, quia non minùs distinguuntur Relationes ab Essentiâ, quàm hæc à Relationibus; sed Essentia potest intuitivè, & distinctè videri, non ita distinctè visis Relationibus; ergo etiam sic poterunt distinctè videri Relationes, non visâ distinctè ipsâ Essentiâ. Confirmatur, nam ideò dici solet, modos non posse distinctè videri, non visis rebus, quarum sunt modi, quia ita minimam habent entitatem, ut sine ipsis rebus nullatenùs subsistant; sed Relationes divinæ licet sint veluti modi Essentiæ Divinæ, suum proprium esse substantiale relativum sibi vendicant, ut est certissimum; ergo &c.

40. Oppositum valdè probabile tenent *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 23. P. Gil. P. Amicus, P. Tanner. P. Arrub. & alii cit. num. 33.* Fundantur, & arguunt à simili: Primò, Relationes in creatis nequeunt distinctè videri, non viso distinctè fundamento, cui innituntur; ergo neque Relationes divinæ, non visâ distinctè Essentiâ, cum qua majorem habent identitatem, quàm in creatis habent relationes cum suis fundamentis. Respondeo negando antecedens; nihil enim obstat, quominùs distinctè cognosci possit relatio, quin in ea cognitione distinguatur ejus fundamentum, licet semper cum illa intuitivè videatur, ex quo magis confirmatur nostra doctrina.

41. Fundantur secundò: Modus alicujus rei nequit intuitivè videri, non visâ entitate, cujus est modus; nam si videtur ut modus, ut alicujus entitatis modus videri debet, ut patet in Situ, Figura, Ubi, & similibus; sed Relationes divinæ habent se veluti modi Essentiæ divinæ; ergo &c. Respondeo primò negando majorem; licet enim de facto non cognoscantur modi, non cognitis eorum realitatibus; nulla tamen de possibili in eo cernitur repugnantia, ut diximus de relationibus, non cognitis earum fundamentis. Respondeo secundò, data majori, & minori, negando consequentiam; diversa ratio patet ex dictis in confirmatione pro nostra sententia.

42. Difficultas 3. Utrùm possit clarè & distinctè videri Persona ut sic, non visâ distinctè Essentiâ? Negativè. Ita *Aureol. in 1. dist. 1. q. 1. art. 2. fine, Argentin. ibid. q. 3. a. 3. Bassol. q. 1. a. 3. §. Sed non video, Palud. in 4. dist. 49. q. 5. a. 3. concl. 3. Sot. q. 3. a. 3. concl. 2. P. Mol. 1. p. q. 12. a. 8. d 4. P Gil. tr. 9. cit. cap. 9. n. 3.* & plures alii ex supra cit. Probatur primò, quia Persona, ut persona est, definitur à Philosophis cum Boëtio *Rationalis naturæ individua substantia*; sicque in sua constitutione non involvit solam subsistentiam, prout a natura sejungitur, sed subsistentiam in natura, sive naturam subsistentem; atqui non potest distinctè videri subsistentia in natura, sive natura ut subsistens, quin distinctè percipiatur, & subsistentia, & natura, ut patet; ergo &c.

43. Probatur secundò, quia ut diximus *num. 40.* probabile est, non posse distinctè videri subsistentiam, sive Relationem personalem, quin distinctè videatur Natura, sive Essentia; sed in cognitione Personæ, ut Persona est, necessariò involvitur cognitio distincta Personalitatis ut sic; ergo & Essentiæ.

44. Dices: Persona ut sic videtur principaliùs constitui per subsistentiam, quæ ideò dicitur Personalitas, quàm per Essentiam; ergo ut cognoscatur Persona ut sic, satis erit cognitio illius distincta, Essentiæ verò confusa. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam; nam subsistentia Personam non facit, nisi in natura individua; sicque ut Persona adæquatè videatur quâ talis, necessariò distingui debet, & subsistentia, & Essentia ut Essentia, seu natura.

Difficultas 4. Utrùm clarè, & distinctè videri possit una Persona, quin ita distinctè videatur alia, 45. sive opposita, sive disparata? Affirmativè. Ita *Scot. in 1. dist. 1. q. 2. a. 2. §. Quantùm ad istum, Mayron. ibid. q. 4. a. 2. Palat. d. 3. Ægid. Lusit. q. 14. cit. a. 4. D. Antonin. cit. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 4. sect. 3. à num. 26. P. Granad. tr. 5. d. 7. sect. 1. n. 2. P. Alarcon. tr. 1. d. 4. cap. 2. P. Arriaga in Log. d. 5. sect. 4. subsect. 3. & 1. p. d. 9. n. 40. P. Hurt. in Met. d. 6. sect. 6. P. Compton. tomo 1. d. 19. sect. 1. num. 5. P. Rhodez tomo 1. d. 2. q. 3. §. 2. P. Soar. Lusit. tr. 4. de Anima, d. 4. n. 211.* & alii supra cit. Probatur primò, quia major datur distinctio inter Relationes Divinas, saltem oppositas, quàm inter Essentiam, & ipsas Relationes, aut è contra; & inter Attributa, ac Perfectiones secundarias; sed potest distinctè videri Essentia, non ita visis Relationibus, & è contra; & videri distinctè Attributa, non ita visis eorum perfectionibus secundariis, ut supra diximus; ergo sic poterit distinctè videri una Persona, non visis distinctè aliis.

Probatur secundò, quia una Persona potest, 46. imò de facto potuit terminare dependentiam naturæ creatæ, & sibi unire hypostaticè Humanitatem Christi Domini, quin eandem terminarent, & sibi unirent aliæ, ut definitum est in quinta Synodo, & in Concil. Toletan. 11. ergo à fortiori poterit terminare cognitionem sui claram, & distinctam, ac uniri intentionaliter prout sic intellectui Beati, quin ita illam terminent, & uniantur aliæ; siquidem multò faciliùs est intentionaliter uniri per cognitionem, quàm physicè, & realiter per Unionem Hypostaticam.

Confirmatur primò, quia inter Personas Divinas datur sufficiens distinctio, ut Pater generet, & 47. non ita Filius, ut Filius generetur, & non ita Pater; ergo à fortiori poterit una Persona distinctè videri, aliâ distinctè non visâ, cùm produci, & non produci sit realiter, & à parte rei; cognosci autem, & non cognosci distinctè solùm sit intentionaliter, & per intellectum. Secundò, quia in sententiâ cõmuni admittente Subsistentiam Divinam absolutam, de qua jam in Metaphysica, & infra dicemus *tract. 3.* Humanitas Christi Domini terminata est ad Subsistentiam Verbi Divini, & non ad subsistentiam absolutam, cum qua illa est idem; ergo sic poterit una Persona terminare cognitionem sui distinctam, aliâ non terminante, sive sit opposita, sive disparata.

Probatur tertiò, nam ideò una Persona oppo- 48. sita videri distinctè non posset, quin alia ex oppositis ita videretur, quia relativorum proprium est esse simul cognitione, ita ut si unum videtur, videatur & aliud; sed hæc ratio non obstat; siquidem procedit de cognitione alterius solùm in obliquo, & abstractivâ, quam non negamus; alioqui qui intuitivè cognosceret filium, deberet etiam intuitivè, & distinctè patrem cognoscere, quod est falsum; aliquando enim pater longissimè abest; ergo &c.

Oppositum tenent *D. Thom. 1. p. q. 12. a. 7. ad* 49. *2. & 3, & 2, 2. q. 2 a. 8. ad 3. & 3. p. q. 3. a. 3. Cajet. 2. 2, q. 2. a. 8. Henricus quodlib. 2. q. 7. & quodlib. 3. q. 1. Banneζ, Medin. 1. 2. q. 11. a. 4. Sot. in 4. dist. 49. q. 3. a. 3. Ocham. in 1. dist. 1. q. 5. Pezant. 1. p. q. 12. a. 10 Zumel. q. 2. conclus. 2. Cabrer. d. 5. cit.*

cit. Gabr. in 1. *dist.* 1. *a.* 2. *q.* 5. *P. Vasq.* 1 *p. d.* 48. *cap.* 2. *P. Mol.* 1 *p. q* 12. *a.* 8. *d.* 4. *P. Soar. lib.* 2. *de Attrib. cap.* 23. *P. Valent.* 1. *p. q.* 12. *pun.* 6. *P. Tanner. d.* 2 *q.* 4. *dub.* 3. *n.* 4. *P. Mærat. tr. de Deo, d.* 17. *sect.* 1. *P. Herice. tr.* 4. *d.* 50. *cap.* 2. *P. Fasol.* 1. *p. q.* 12 *a.* 8. *dub.* 2. *P. Arrub. d.* 24 *cap.* 4. *P. Præposit.* 1. *part. quæst.* 12 *art.* 8. *dub.* 3 & quoad primam partem *Bassol. in* 1. *dist.* 1. *q.* 1. *a* 3. §. *Dico igitur.* & §. *Ad primum. Rada. controv.* 6. *ad* 5. & alii: Pro quibus:

50. Objicies 1. Ex Philosopho *cap. de Relation.* Relata sunt simul cognitione; sed Personæ Divinæ sunt ad invicem relata; ergo si una clarè & distinctè cognoscitur, simul cognosci, & videri debet & alia. Respondeo correlativa non esse necessariò simul cognitione intuitivâ cum suis relatis, sed abstractivâ, & in obliquo, ut proximè diximus, in quo sensu intelligendus est Philosophus.

51. Objicies 2. Ex illo Joan. 14. ibi: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*: quæ verba videntur intelligenda de Visione clarâ Personarum propter identitatem Naturæ, ut colligitur ex adjunctis: *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Et ita videntur intelligi à Sanctis Patribus, *Chrysost. Cyril. Hilar. Aug.* & aliis apud *P. Soar. cit. à num* 11. *P. Vasq. cit.* ergo impossibile est, cognosci unam Personam distinctè, aliâ distinctè non cognita. Respondeo primò, hoc dictum Christi Domini, & Sanctorum Patrum expositionem ad summum probare de facto; non autem de possibili, in quo sensu procedit quæstio: Patres enim rarissimè, ut notant Theologi, loquuntur de potentiâ absolutâ.

52. Respondeo secundò, verba illa Christi Domini non esse intelligenda de cognitione clarâ, & intuitivâ Personarum, sed de obscurâ per fidem, quam expositionem probabilem credit *P. Soar cit. num.* 12. *ex Tertul. lib. contr. Praxeam cap.* 13. *D. Cyrill. lib.* 9. *in Ioan. cap.* 37. 38. *&* 39. *D. Chrysost. hom.* 73. *in Ioan.* Et confirmat *P. Vasq. cit. cap.* 3. *P. Gil. cit. cap.* 8. & alii: ex cognitione autem per fidem, cognitâ unâ Personâ, non necessariò cognoscuntur omnes aliæ, sed solùm relativè oppositæ, in quo nihil contra nos, qui loquimur de cognitione clarâ, & distinctâ.

53. Objicies 3. Nulla Persona Divina ut sic potest intuitivè videri, quin etiam distinctè videatur Essentia, ut diximus; ergo neque quin distinctè videantur cæteræ Personæ, aut Relationes identificatæ cum Essentia. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio patet ex dictis, quia Persona ut sic constituitur per Essentiam, sicque quando distinctè cognoscitur in suâ ratione, debet etiam sic cognosci illud, quo constituitur: at verò una Persona non constituit aliam, sicque potest distinctè cognosci, quin alia distinctè cognoscatur. Accedit, argumentum solùm probare ex eo, quod intuitivè, aut distinctè videatur Essentia, videri in ea necessariò Relationes per modum unius, & confusè; non autem distinctè, de quo est sermo.

54. Objicies 4. Si una Persona posset sine aliis videri, etiam sine aliis ad sui visionem concurreret effectivè; sed hoc non est admittendum; siquidem est contra axioma illud communissimum Theologorum asserentium, *opera Trinitatis ad extra esse indivisa*; ergo &c. Respondeo primò negando majorem; semper enim aliæ Personæ concurrerent, quia etiam simul viderentur, saltem per modum unius, ut supponimus. Respondeo secundò, datâ majori, negando minorem; ad cujus probationem dicimus, axioma illud intelligendum esse de concursu effectivo reali; non autem de merè intentionali, qualis foret ille, prout alibi explicavimus.

55. Objicies 5. Personæ Divinæ oppositæ se mutuò respiciunt essentialiter; ergo non potest una intuitivè, & distinctè videri, aliâ distinctè non visâ. Respondeo negando consequentiam; argumentum enim solùm probat, non posse unam videri, quin alia videatur, saltem confusè; non verò distinctè, ut patet ex dictis.

56. Duo hìc veniebant inquirenda: Primum: Utrùm visio attingens Essentiam Divinam sine Personis, seu Relationibus esset Beatifica? Secundum: Utrùm visio attingens Essentiam Divinam sine Attributis, seu Perfectionibus primariis esset Visio Beata? Sed quia primum resolvimus affirmativè in *Logica tract.* 6. *d.* 3. *à num.* 181. *cum P. Soar. de Beatit. d.* 5. *sect.* 3. *num.* 12. *& P. Amico tomo* 3. *d.* 2. *num.* 202. Et secundum resolvimus negativè *loco cit. num.* 189. cum eodem *P. Soar. d.* 5. *cit. sect.* 3. *num.* 3. *& P. Vasq.* 1. 2. *d.* 13. *cap.* 2. idcò de illis nihil in præsenti agimus, & quia fortasse alibi iterùm de illis erit sermo.

SECTIO IV.

Vtrùm videri possit Essentia Divina, quin in ea videantur omnes creaturæ: aut quin in illa ullæ videantur?

57. ACTENÙS egimus de æqualitate, & inæqualitate Visionis Beatæ, quæ provenire poterant ex terminatione ad objectum primarium, nempè ad Deum secundùm omnes suas perfectiones, tam absolutas, quàm relativas; nunc supereſt agendum de illius inæqualitate, quæ provenire poterit ex terminatione ad objectum secundarium, nempè ad creaturas, quæ per sequentes difficultates expedienda erit: Sit igitur:

58. Difficultas 1. Utrùm ex Visione clara, & intuitiva Essentiæ Divinæ sequatur necessariò visio, sive cognitio omnium creaturarum, tam possibilium, quàm futurarum, & existentium in qualibet temporis differentia? Negativè. Ita *D. Thom.* 1. *p. q.* 12. *art.* 7. *&* 8. *&* 3. *q.* 10. *a.* 3. *& lib.* 3. *contr. gent. cap.* 55. *&* 56. *& de Verit. q.* 8. *art.* 4. *&* 5. *& in* 3. *dist.* 14. *q.* 2. *& in* 4. *dist.* 46. *q.* 2. in quibus locis *Palud. Capreol. Caiet. Ferrar. & Sot. Henric. quodlibet.* 7. *q.* 4. *&* 5. *Scot. in* 3. *dist.* 14. *q.* 2. *Zumel.* 1. *p. q.* 12. *art.* 8. *q unica, Bannez. ibid. dub. unico. P. Soar. lib.* 2. *de Attrib. cap.* 26. *n.* 10. *& cap.* 27. *num.* 5. *P. Sal.* 1. 2. *tr.* 2. *d.* 4. *sect.* 4. *P. Mol.* 1. *part. q.* 12. *a.* 8. *d.* 5. *membr.* 2. *P. Gil tom.* 2. *tr* 10. *cap.* 1. *à n.* 5. & alii.

59. Probatur primò, quia creaturæ cognoscuntur in Essentia Divina tanquam effectus in sua propria causa contenti; sed omnes effectus, tam possibiles, quàm futuri, & existentes nunquam possunt videri simul in causa cognita, nisi quando hæc cognitione adæquatâ suæ intelligibilitati, sicque illius comprehensivâ penetratur; hujusmodi autem cognitio creata respectu Essentiæ Divinæ est impossibilis; ergo impossibile est, quod ex visione clara, & intuitiva Essentiæ Divinæ sequatur necessariò visio, seu cognitio omnium creaturarum possibilium, & existentium.

60. Probatur secundò, quia creaturæ, tam possibiles, quàm futuræ, & existentes in omni temporis differentia sunt infinitæ; sed ad infinitas entitates distinctè penetrandas infinita virtus, seu lumen requiritur; hoc autem non reperitur in videntibus Deum; ergo &c. Confirmatur in speciali quoad res existentes, quia hujusmodi entitates solùm possunt cognosci in decretis Dei liberis, prout supra diximus; sed hæc non videntur necessariò quoad omnia, quæ continent, sed juxta manifestationem Dei liberam, ut jam supra probavimus, & latius probat *P. Soar. cap. 27. cit.* ergo &c.

61. Oppositum tenent aliqui, quos tacitis nominibus referunt *D. Thom. q. 8. de Verit. art. 4. Durand. in 4. dist. 49. q. 3. n. 10. Mayron. in 1. dist. 1. q. 4. art. 1.* pro quibus asserentibus per Visionem beatam omnes omninò creaturas videri, ficque quoad hoc omnes visiones Beatas esse æquales: Argues 1. Authoritate Sanctor. Patr. *Greg. lib. 4. Dialog. cap. 33. & Isidor. lib. 1. de sum. Bono. cap. 13.* ubi affirmant, Beatos nihil ignorare in Deo, ubi scientem omnia sciunt, & his similia, de quibus supra; ergo &c. Respondeo hæc, & similia testimonia intelligenda esse de cognitione creaturarum, quæ pertinent ad statum cujuslibet Beati, ut supra diximus, & dicunt *D. Thom. proximè ad 1. Abul in Matth. 5. P. Molin. cit. Pesant. art. 10. ad 1.* & alii.

62. Argues 2. Essentia divina dici solet à Theologis, & Sanctis Patribus *speculum* creaturarum; sed in speculo omnia absque exceptione repræsentantur; ergo &c. Respondeo licet speculum ex se mittat species ab objectis receptas in oculum, hunc tamen nec omnia simul, nec distinctè semper videre, sed secundùm suam capacitatem, ac dispositionem. Undè proportione servatâ, eodem modo se res habet in Essentia, quæ licet ex se omnia offerat intellectui videnda, hic tamen ea solùm percipit, ad quæ simul cognoscenda capacitatem habet juxta majorem, aut minorem intensionem luminis, & concursum Essentiæ in ratione causæ universalis.

63. Argues 3. Hæc inæqualitas in videndis pluribus, aut paucioribus creaturis, aut proveniret ex defectu luminis non valentis in qualibet intensione concurrere ad videndas omnes creaturas simul: aut ex defectu potentiæ intellectivæ non habentis vires ad tot simul objecta percipienda: aut ex defectu Essentiæ non concurrentis ad tot simul objecta repræsentanda: Non primum, neque secundum: Primò, quia quodlibet lumen gloriæ, etiam in parva intensione cum qualibet potentia intellectiva sufficiens est ad videndum Deum, qui est objectum infinito excessu superans intelligibilitatem omnium creaturarum, quæ tantò deterioris sunt intelligibilitatis. Secundò, quia lumen gloriæ in qualibet intensione est ejusdem speciei, ficque semper juvabit potentiam ad cognoscenda eadem objecta, cujus intensio solùm confert ad illa videnda magis distinctè: Non tertium; siquidem in Essentia divina omnia æqualiter repræsentantur, neque datur ex parte illius ratio determinans ad cognoscenda hæc potius, quàm illa objecta; ergo &c.

64. Respondeo negando minorem quoad duas primas partes; hæc enim inæqualitas provenit principaliter ex parte potentiæ lumine illustratæ non valentis prout sic penetrare Essentiam secundùm omnes suas rationes virtuales sic distinctè cognitas, ut in eisdem videat omnes creaturas. Undè ad ejus probationes dicimus, lumen gloriæ in quacunque intensione sufficere quidem ad videndum Deum quocumque modo; negamus tamen prout sic sufficere ad illum videndum secundùm omnes ejus rationes virtuales distinctè cognitas, sine quibus cognosci nequeunt in Deo omnes creaturæ, sed ad id necessariam esse majorem, imò infinitam intensionem illius, ut diximus, quæ non solùm inserviret ad videnda objecta magis distinctè, sed etiam ad videndas in Deo plures, imò omnes ejus rationes virtuales; consequenterque omnes creaturas, ut infra explicabimus. Neque satis est, quod Essentia divina ex se æqualiter omnia repræsentet; siquidem hujusmodi repræsentatio per se nihil facit, nisi conjuncta cum capacitate potentiæ, quæ major, aut minor est secundùm quod habet luminis.

65. Difficultas 2. Utrùm visâ Essentiâ divinâ per visionem ipsius intuitivam possint in illa omnes creaturæ saltem possibiles videri? Negativè. Ita *D. Thom.* locis proximè cit. & communiter Thomistæ. *D. Bonavent. Scot. & Richard. in 3. dist. 14. & in 4. dist. 49. Henric. quodlib. 7. q. 4. & 5. P. Valent. 1. p. q. 12. d. 1. punct. 6. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 8. d. 5. n. 7. & 8 P. Albertin. q. 6. Theolog. in 1. princip. P. Sal, 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 7. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. n. 12. & tom. 1. in 3. part. d. 26. cap. 2. P. Gil. tom. 2. tract. 10. cap. 12. & 13. P. Arrub. 1. p. q. 12. art. 8. d. 27. cap. 2.* & alii.

66. Probatur primò, quia ad cognoscendas omnes creaturas possibiles, cùm sint infinitæ, requiritur lumen infinitum; hoc autem respectu cujuslibet intellectûs creati est impossibile; ergo etiam impossibilis est visio attingens omnia possibilia. Secundò, quia cognitis in Verbo omnibus possibilibus, valdè probabile est comprehendi Omnipotentiam, & Essentiam divinam, ut ex infrà dicendis constabit; hoc autem est impossibile; ergo &c. Cõfirmatur, quia quo plures creaturæ cognoscuntur in Verbo, eò magis penetratur Essentia divina, in qua secundum diversas rationes virtuales continentur ipsæ creaturæ, ut patet; sed creaturæ possibiles sunt infinitæ; ergo ut cognoscantur, debet ipsa Essentia infinitè penetrari; hoc autem est impossibile; alioqui possibilis esset ejus comprehensio; ergo &c.

67. Oppositum sustinent *Magist. in 3. dist. 14. Altisiod. lib. 3. sum. tr. 1. cap. 5. Durand. in 4. dist. 49. q. 3. & 6. n. 8. & in 3. dist. 14. q. 2. Bassol. ibid. q. 2. art. 2.* & alii apud *P. Gil. cit. cap. 12. à num. 2.* Fundamenta pro hac sententia sunt eadem, quæ proximè adduximus, & dissolvimus contra præcedentem difficultatem, & eodem modo adduci poterant contra hanc præsentem, sed cum proportione eodem etiam modo dissolvi possunt. Adhuc tamen:

68. Oppones: Ideò quò plures creaturæ cognoscuntur in proprio genere, eò plus virtutis, & luminis requiritur in potentia cognoscente, quia cùm non uniantur in ratione aliqua omninò una, potentiam ad se terminatam non possunt non distrahere: sed creaturæ possibiles, licet sint infinitæ, cognoscuntur in Deo, tanquam in ratione cognoscendi omninò una, & simplicissima; ergo non distrahunt potentiam, ita ut necessarium sit infinitum lumen ad omnes illas cognoscendas, sed satis erit finitum. Respondeo negando minorem: licet enim creaturæ cognoscantur in Essentiâ, seu Potentiâ divinâ, quæ à parte rei est omninò una; hæc tamen est ratio illas cognoscendi secundùm quod magis, aut minùs cognoscitur secundùm suas perfectiones virtuales; ac proindè secundùm diversas

diversas omninò rationes, saltem virtuales debet penetrari, ad quam penetrationem in ordine ad creaturas possibiles, cùm sint infinitæ, necessarium erit lumen infinitum, ut diximus, quod est impossibile.

69. Difficultas 3. Utrùm possibilis sit Visio beata, per quam nullæ omninò creaturæ attingantur? Dico 1. Non potest Essentia Divina connaturaliter videri, quin in ea videatur aliqua creatura possibilis. Ita *P. Recupit. lib. 6. q. 33. cap. 4.* Probatur, quia intra ordinem rerum supernaturalium, connaturale est Essentiæ Divinæ concurrenti cum intellectu creato illustrato lumine gloriæ per modum speciei, repræsentare se, & possibilia; & cõnaturale etiam est lumini gloriæ elevare ipsum intellectum ad cognoscendam Essentiam, tam sui, quàm possibilium repræsentativam; ergo hæc videri nequit connaturaliter, & de potentia ordinaria, quin in ea videatur aliquod possibile.

70. Dico 2. De potentia Dei absoluta non repugnat, quod videatur Essentia Divina, nullâ creaturâ cognitâ in particulari. Ita *D. Thom. 1. p. q. 12. a. 8. ad 4. & in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 5. ad 5. Henric. quodlib. 7. q. 4. & quodlib. 13. quæst. 1. ad 2. Scot. in 1. dist. 1. q. 2. §. Actus enim. Richard. in 3. dist. 14. art. 2. q. 2. ad 4. Palud. in 4. dist. 49. q. 2. art. 2. Ocham. Argent. Capreol. Soncin. Major. Palat. Gabr. D. Antonin. Marsil. Sot. Bannez. P. Valent. 1. p q. 12. punct. 6. q. 2. & 3. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 8. d. 3. ad 1. 2. & 5. memb. 1. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. n. 13. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 4. num. 72. P. Arrub. 1. p. d. 26 cap. 6.* & alii, quos citat, & sequitur *P. Fasol. 1. p. q. 12. art. 8. dub. 19. n. 101.*

71. Probatur facilè, quia creaturæ in particulari videntur à Beatis in perfectionibus secundariis; nempè Angelus in potentiâ creativâ Angeli, homo in potentiâ creativâ hominis, sicque de aliis; sed Essentia Divina videri potest, imò de facto videtur intuitivè, non visis omnibus ejus perfectionibus secundariis distinctè; ergo de potentia Dei absoluta poterit ita intuitivè videri, ut nulla ejus perfectio secundaria videatur; consequenterque quin ulla videatur creatura in particulari. Confirmatur, quia videri in Verbo plures, aut pauciores creaturas, provenit ex majori, aut minori intensione luminis gloriæ; sed nulla datur repugnantia in eo, quod in aliquo Beato sit aliquod lumen ita remissum, ut naturaliter solùm distinctè, & in particulari ostendat Essentiam Divinam, nullâ ostensâ creaturâ; ergo &c.

72. Dico 3. De potentia Dei absoluta videri potest Essentia Divina, non visis in ea creaturis, etiam in communi. Ita *P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 4. num. 62. P. Recupit. lib. 6. q. 33. cap. 4.* Probatur etiam facilè, quia creaturæ, etiam in communi videri nequeunt, nisi distinctè visis in Deo Attributis, in quibus ipsæ continentur, qualia sunt Omnipotentia, Scientia, Idea, & Decreta libera; sed Essentia Divina potest à Beato videri, non visis distinctè hujusmodi Attributis, ut supra diximus; ergo & non visis creaturis, etiam in communi.

73. Oppositum defendunt *Cabrer. 3. p. q. 10. art. 2. d. 6. concl. 2. P. Mol. 1. p. q. 12. a. 8. d. 3. fine & d. 5. memb. 1. §. Dubium est. Zumel. art. 7. q. 1. ad 3. Pesant. art.* 10. *d. 6. Bannez art. 7. dub. 1. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. num. 14.* & alii: pro quibus: Oppones: Impossibile est, videri Essentiam Divinam intuitivè, non visis ejus Attributis primariis, nempè Omnipotentiâ, Scientiâ, Ideâ, & similibus; siquidem Essentia ex illis constat; sed neque Omnipotentia, neque Scientia, neque Idea cognosci possunt, nisi cognoscantur creaturæ, saltem in communi, ad quas hujusmodi Attributa dicunt ordinem; ergo &c. Respondeo licet videri nequeat Essentia sine hujusmodi Attributis, saltem confusè, & per modum unius cognitis, posse tamen videri sine illis distinctè visis, sicque absque ulla eorum expressione, prout supra diximus, quod satis est, ut qui prout sic videret Deum, nullam cognosceret creaturam, etiam in communi.

SECTIO V.

Vtrùm Visio Beata sit æqualis: an inæqualis in omnibus Beatis?

NOn procedit quæstio de æqualitate, & 74.
inæqualitete essentiali, sive specifica, de qua jam supra diximus, sed de graduali, & intensivâ, de qua non est ferè, nisi cum hæreticis controversia quoad *An est?* licet de modo, & ratione, seu causâ hujus diversitatis Scholastici etiam inter se disceptent, prout infrà videbimus. Et procedit difficultas non solùm de animabus, seu hominibus Beatis, sed etiam de Angelis, sive inter se, sive cum hominibus conferantur.

Triplex est in hac re sententia: Prima affirmat 75.
omnes Beatos æqualiter Deum visuros. Hic fuit error Joviniani adversus quem fusissimè, & doctissimè D. Hieronymus lib. 2. *Adversus Jovinianum ad medium in 4. propositione.* Idem error ex erroribus Lutheri, & Calvini *lib. 3. Instit. cap.* 15. necessariò deducitur, ut notavit *Sot. in 4. dist.* 49. *q. 3. art. 2. & Vega lib.* 10. *in Trident. cap. 3.* dicebant enim, nullum in nobis esse meritum, nullam justitiam, sed solùm esse justos extrinsecâ justitiâ Christi, qui æqualiter pro omnibus mortuus est, sicque ejus justitiam, & merita ex æquo omnibus, qui fidem habent applicari; ac proindè omnes fideles esse æqualiter Sanctos, ita ut impudentissimè auderet impudentissimus Lutherus affirmare, nè Beatissimam quidem Virginem esse ullo sanctiorem, ut in quodam *serm. de Nativit. Beatæ Virginis*, dixisse refert *Sot. lib. 2. de Natur. & Grat. cap.* 20. Et quod mirum est, ut ait *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 20. n. 1.* hanc sententiam de æqualitate Visionis Beatæ dicit probabilem *Durand. in 4. dist. 49. q. 2. n. 27.* aliam verò huic oppositam securiorem.

Secunda sententia asserit, omnes Beatos esse 76.
inæquales in Beatitudine. Ita *Paludan. in 4. dist. 4. quæst. 1.* cujus fundamenta infra proponemus, & dissolvemus. Tertia vera, & communis Theologorum sententia tenet, neque omnes Beatos esse æquales, neque in gloria inæquales: Igitur:

Dico 1. Non omnes Beati futuri sunt æquales 77.
in perfectione visionis, seu Beatitudinis essentialis. Est de fide. Ita *D. Thom. 1. p. q. 12. a. 6. & in 4. dist. 49. q. 2. a. 4. & in 3. contr. gent. cap. 56. & ibid. Scholastici. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 20. n. 3. P. Tanner. 1. p. d. 2. q. 6. dub. 5. n. 1. P. Vasq. 1. p. d. 47. cap. 1. P. Arrub. 1. p. q. 12. art. 6. P. Recupit. lib. 6. q. 34. cap. 1. P. Ribas. tract. 3. d. 17. cap. 1. P. Amicus tom. 1. d. 9. n. 275. P. Fasol. 1. p. q 12. art. 6.* & alii. Probatur primò authoritate Sacræ Paginæ Joan. 14. 2. ibi: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*; dicuntur autem multæ, non propter multitudinem præcisè, sed propter inæqualitatem, ut exponunt Tertul. *adversus Gnosticos cap. 6. Quomodò*, ait, *multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum?*

Et

Et D. Cyprian. *tract. 2. de Habit. Virgin. ad finem: Cùm habitationes*, inquit, *multas apud Patrem suum esse dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat.* Et D. Aug. *tr. 67. in Ioan. ad medium: Multæ mansiones*, ait, *diversas meritorum in una vita æterna significant dignitates.* Et D. Cyril. *lib. 9. in Ioan. cap. 31. Hæc multitudo mansionum differentiam gloriæ significat.* Et D. Hilar. *in psalm. 64. Plures mansiones diversæ dignitati habitantium præparantur*; ergo &c.

78. Probatur secundò ex eadem Scriptura 1. Cor. 3. ibi: *Unusquisq; propriam mercedem accipiet secundùm proprium laborem.* Et 2 Cor. 9. 6. *Qui parcè seminat, parcè & metet, &c.* Et 1. Cor. 15. 41. *Alia est claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate*: qui locus licet de diversitate gloriæ corporum Beatorum intelligatur, ex illo manifestè colligitur diversitas gloriæ animarum, ex qua illa nascitur, & de inæqualitate beatitudinis simpliciter exponunt verba illa *D. Amb. D. Chrysost. D. Aug. D. Ansel. D. Hieron. D. Hilar.* & alii.

79. Probatur tertiò authoritate Concil. Florent. *sess. ult. in litt. Unio.* ibi *Beati*, inquit, *intuentur clarè ipsum Deum, Trinum, & Unum sicuti est; pro meritorum tamen diversitate alius alio perfectiùs.* Et significatur à Concil Trid. *sess. 6. can. 32.* ubi definit *Iustificatos bonis operibus verè mereri gloriæ augmentum*; hoc autem in augmento Visionis Dei positum est; ergo &c.

80. Probatur quartò rationibus: Prima ex D. Greg. lib. 4. Moral. cap. 31. ibi *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, ut quò hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat.* Secunda ex principiis fidei, quia ex fide constat, vitam æternam, sive Beatitudinem formalem dari electis ut præmium, mercedem, & coronam justitiæ; sed præmium, merces, & corona conferri solet juxta meritorum, & laborum diversitatem, ut patet ex illo 1. Cor. 3. *Unusquisq; suam mercedem accipiet secundùm suum laborem*; & Justorum merita inæqualia sunt; ergo inæqualis erit eorum visio, sive Beatitudo, ut in ea conferenda servetur ratio Justitiæ.

81. Tertia, quia Deus non est minùs, imò magis pronus ad præmiandum, quàm ad puniendum; sed in infligendis pœnis servat suam Justitiam punitivam pro diversitate delictorum, ut patet ex illo Apoc. 18. *Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*; ergo in dandis præmiis servabit suam Justitiam distributivam pro diversitate meritorum.

82. Quarta ex D. Thom. Quia ubi principium videndi est perfectius, etiam perfectior est ipsa visio; siquidem perfectio effectûs debet perfectioni suæ causæ respondere; sed lumen gloriæ, quod est immediatum principium visionis, à quo ipsa suam æqualem, aut inæqualem sumit perfectionem, prout infra dicemus, est perfectius in uno, quàm in alio pro diversitate charitatis, & meritorum; ergo & ipsa visio perfectior erit in aliquibus, quàm in aliis Beatis.

83. Arguunt 1. ex Matt. 20. ubi omnibus laborantibus in vinea æqualis merces confertur, nempè *denarius* diurnus, cùm tamen labor fuerit inæqualis; siquidem novissimi unâ horâ, primi verò pondus dici, & æstûs portarunt; hujusmodi autem æqualitas tota refunditur in Voluntatem Dei præmiantis juxta illud: *Amice non facio tibi injuriam: An non licet mihi, quod volo facere?* ergo in patria non habetur ratio meritorum, sed solius Dei volentis omnes æquare in gloria

Respondeo primò cum *P. Vasq. 1. p. d. 47. cap. 4.* 84. ibi per *denarium* non significari gloriam, sed cationem ad gratiam. Non placet primò, quia est contra communem sensum Interpretum, imò & Scholasticorum *in 4 dist. 49.* Secundò, quia *denarius* ibi confertur ut merces, cujus rationem habet gloria, seu Visio Beata; vocatio autem ad gratiam, merces esse nequit, utpotè quæ antecedit omne meritum.

Respondeo secundò, & meliùs cum *P. Soar.* 85. *cit. num. 18. & P. Recupit. cit. cap. 2.* scopum illius parabolæ colligendum esse ex illis verbis Domini Matt. 19 *Erunt primi novissimi, & novissimi primi.* Et ex illis, quæ dixit Procuratori: *Redde illis mercedem incipiens à novissimis usque ad primos*: intendebat enim significare gentes novissimè vocatas ad fidem præferendas esse Judæis multò antea vocatis, nec habendam esse rationem antiquitatis, nec diuturnitatis temporis, sed meriti, & laboris, cùm multi tempore inæquali æqualiter laborare, & mereri possint.

Addit P. Recupit. cit. per *denariũ* omnibus æqua- 86. liter datum significari Visionem Dei æqualem in omnibus: tum quoad durationem à parte post: tum quoad objectum Increatum; siquidem omnes Beati vident omnia, quæ sunt formaliter in Deo. Quod optimè declaratur per denarium, in quo erat imago Regis, ut notavit D. Iren. lib. 4. contr. hæres. cap. 70. ibi: *Merces una*, ait, *omnes tamen acceperunt singulos denarios, imaginem, & descriptionem Regis*: sicut igitur imago ejusdem objecti potest esse magis, & minùs expressa, magis & minùs clara; ita etiam Visiones beatæ repræsentantes idem objectum possunt esse inæquales.

Respondeo tertiò cum *P. Amico cit. num. 277.* 87. in parabola illa solvi præmium, inæquale quidem laboribus, æquale tamen meritis; siquidem qui unâ horâ fecerunt, uberiore gratiâ, & auxilio efficaciore potuerunt compensare diuturnos labores eorum, qui portarunt pondus dici, & æstûs. Et cùm hoc totũ fundetur in gratia, & liberalitate Dei, uberiora auxilia conferentis novissimis, quàm primis, ideò noluit obmurmurantibus pro ratione afferre æqualitatem meritorum, sed beneplacitum suæ Voluntatis, à qua originaliter pendet, ut novissimâ horâ vocati imparibus laboribus, paribus tamen meritis, ad æqualem gloriam perveniant.

Arguunt 2. Omnes damnati sunt æquales in 88. pœna; siquidem cùm omnia delicta sint æqualia in ordine ad amissionem gloriæ, essentialis pœna damni in omnibus est æqualis; ergo etiam æqualis erit gloria in omnibus electis. Respondeo primò cum *Ægid. Lusit. tomo 2. lib. 12. de Beatitud. q. 9. §. 6.* negando antecedens: nam pœna damni est inæqualis propter tristitiam, quæ major, aut minor est ex remorsu majorum, aut minorum culparum, à quibus causatur. Non placet, quia etiam gloria, sive Visio beata erit in omnibus æqualis, & solùm inæqualis propter majus, aut minus gaudium causatum ex majoribus, aut minoribus meritis.

Respondeo secundò cum eodem negando 89. idem antecedens; est enim pœna damni, seu carentia Visionis Dei inæqualis ex parte causæ, nempè peccatorum, ita ut causata à peccatis gravioribus sit major, & causata à minoribus sit minor. Non placet, quia causa illa est positiva, & extrinseca; effectus autem negativus, nempè carentia visionis: Unde licet causa suscipiat magis, & minùs,

non

non ita tamen effectus ; siquidem , cùm sit in se carentia indivisibilis, incapax est talis susceptionis.

90. Respondeo igitur tertiò, dato antecedente, negando consequentiam;nam etiâ si carentia visionis sit omninò æqualis in omnibus damnatis,non indè sequitur ipsam visionem esse æqualem in omnibus electis ; siquidem comparatio non rectè procedit; ad hoc enim , ut rectè procederet, debebat fieri , aut inter positivum, & positivum ; aut inter negativum, & negativum; tunc autem, sicut positivum in pœna sensûs damnatorum susçipit magis, & minùs, estque inæquale , prout supra diximus ; ita & positivum in gloria , sive visione electorum: & sicut carentia præmii in damnatis , utpotè indivisibilis , non susçipit magis, & minùs; ita etiam non susçipit indivisibilis carentia pœnæ. Undè non rectè in argumento sit comparatio inter negativum pœnæ, & positivum gloriæ.

91. Dico 2. Non omnes Beati futuri sunt inæquales in Beatitudine, sive Visione Beatâ. Ita cum communi, & simpliciter verâ sententiâ tenent *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 20. num. 7. & 3. part. q. 63. a. 4. d. 7. sect. 5. P. Sal. 1. 2. quæst. 5. a. 1. & 2. tract. 2. d. 9. sect. 1. num. 4. P. Ribas tr. 3. d. 12. cap. 1. P. Tanner. 1. part. d. 2. quæst. 6. dub. 5. num. 2. P. Fasol. 1. p. q. 12. a. 2. num. 5. P. Amicus tom. 1. d. 9. n. 273.* & alii. Probatio hujus conclusionis ex sequentibus patebit, pro quibus advertendum est, difficultatem posse excitari de electis , aut infantibus , aut adultis : de facto , aut de possibili : de gloria essentiali, aut de aliquibus, quæ solùm se habent accidentaliter ad Beatitudinem : Unde :

92. Dico 3. Omnibus infantibus decedentibus post Baptismum æqualis confertur Visio beata. Probatur, quia visio, cùm sit præmium, merces, & corona, datur propter merita ; sed Infantes decedentes post baptismum non sunt capaces meriti, neque gratiæ ex opere operantis, quam solùm recipiunt ex opere operato , & pro ut sic est in omnibus æqualis ; ergo æqualis gloria ei correspondet ; consequenterque omnes sunt in gloria, sive in Visione beata æquales.

93. Advertendum tamen est primò cum *P. Soar. cit.* quod diximus de pueris , & infantibus decedentibus post baptismum , dicendum esse de infantibus decedentibus post circumcisionem comparatis inter se ; & de baptizatis baptismo sanguinis etiam comparatis inter se. Secundò, si comparatio fiat inter omnes omninò infantes legis gratiæ, scriptæ, & naturæ, fuisse inæquales in gloriâ , seu Visione Beata ; siquidem in illis fuit inæqualis gratia ; nam major gratia confertur per baptismum, quàm conferebatur per circumcisionem ; & major per hanc, quàm per Sacramentum legis naturæ ; ergo inæqualis fuit etiam eorum gloria, seu Visio Beata eorum inæquali gratiæ correspondens.

94 Dico 4. Non repugnat inter adultos esse multos æquales in gloria, seu Visione Beata Probatur, quia nulla datur repugnantia in eo , quod multi electi æquales sint in merito ; unde D. Aug. lib. 2. cont. Adversar. cap. 15. *Potuerunt*, inquit , *aliqui esse Joanni æquales* ; ergo etiam non repugnat , quod sint æquales in gloria, seu visione correspondente tali merito.

95. Dico 5. Probabile est inter adultos esse aliquos de facto æquales in gloria, seu Visione Beata. Ita *P. Soar. cit. num. 7.* Probatur, quia verisimile est in tanto numero electorum reperiri aliquos æquales in merito , quod D. Leo affirmat de SS. Apostolis Petro, & Paulo serm. 1. in eorum natalitio: *Nihil diversum*, inquit, *nihil debemus sentire discretum, quia illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales* ; ergo etiam erunt aliqui æquales in gloria.

Dico 6. Probabile est, omnes Beatos esse inæquales in gloria, seu visione accidentali, quæ se habet per accidens, seu concomitanter ad gloriam, seu visionem essentialem : pro quo : Advertendum est primò, hujusmodi gloriam accidentalem esse in duplici differentiâ: alteram , quæ est proprietas gloriæ essentialis terminatæ ad ipsum Deum, qualis est v. g. visio aliquorum possibilium ; & quales sunt dotes corporis glorioſi: alteram, quæ solùm spectat ad statum individualem Beati , quales sunt laureolæ , visio aliquorum futurorum , & gaudia spectantia ad statum uniuscujusque, nempè de consanguineis, de amicis, de subditis, &c. Secundò, gloriam accidentalem prioris generis esse æqualem in omnibus habentibus æqualem gloriam essentialem ; inæqualem verò in illis, qui inæqualem essentialem habent ; siquidem cùm sit illius proprietas, debet suo principio , sive naturæ commensurari : gloriam autem accidentalem secundi generis, cùm non sit proprietas gloriæ essentialis , aliter se habere, sicque de illa procedere resolutionem, quæ prout sic:

96.

97. Probatur, quia hujusmodi gloria , cùm dependeat à tot, & tam variis circumstantiis , verisimile est , nunquam omnes omninò æqualiter reperiri in duobus Beatis : tum quia spectant ad consanguineos, ad affines , ad amicos, ad subditos , ad conversos ad fidem ope Concionatoris Beati , &c. tùm etiam quia sumitur à laureolis valdè diversis ; ergo &c. Confirmatur , quia licet D. Petrus , & D. Paulus, ut diximus , fuerint æquales in gloria essentiali, & ejus proprietatibus,tamen in hac gloria accidentali, de qua loquimur, fuere dissimiles ; siquidem Petrus, quia Caput Ecclesiæ videt plura futura ad illam spectantia , quæ non videt Paulus; & Paulo,quia Virgo,concessa est laureola virginitatis, & non ita Petro ; ergo &c.

98. Argues 1. pro *Paludan. in 4. dist. 4. q. 1. num. 9.* asserente absolutè, omnes Beatos esse inæquales in Visione, seu gloria essentiali, prout diximus supra in secunda sententia *num. 76.* D. Paul. 1. Cor. 15. *Alia est*, inquit , *claritas Solis , alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum: Stella enim à stella differt in claritate , sic & resurrectio mortuorum* ; atqui Sol , Luna , & Stellæ inter se sunt dispares in claritate ; ergo & omnes Beati in Visione. Respondeo primò ex hoc loco solùm colligi , Beatos omnes futuros inæquales in gloria accidentali , quæ se habet concomitanter ad visionem, qualis erit claritas corporum , ut proximè diximus , & colligitur ex illis verbis : *Sic & resurrectio mortuorum.* Respondeo secundò cum *P. Soar. cit. num. 7.* D. Paulum non dixisse , omnes stellas esse inæquales in claritate ; cùm igitur probabile sit , multas esse æquales , etiam si dixerit aliquos Beatos esse inæquales in gloria , non negavit aliquos futuros æquales.

99. Argues 2. Ex Orig. in Matth. 18. *tract. 5.* D. Chrysost. *hom. 31.* ad Rom. & aliis indefinitè docentibus, Beatos esse inæquales in gloria ; sed indefinita æquipollet universali ; ergo absolutè sentiunt , omnes Beatos esse inæquales in gloria. Respondeo etiam D. Gregor. Nazianz. *orat. 4. in Baptismo* , & Nicetam ibid. simpliciter admittere æqualitatem in gloria. Undè utrique rectè possunt conciliari, si illi loquantur de gloria accidentali , quæ non sit proprietas gloriæ essentialis , prout diximus : hi autem loquantur de essentiali , aut accidentali, quæ sit proprietas.

100. Argues 3. Homines Beati subrogantur loco Angelorum, qui defecerunt; sicque in eadem portione gratiæ, & gloriæ, quam perdiderunt, sed omnes Angeli, sicut sunt inæquales in gratia sanctificante, utpotè correspondente eorum naturis inæqualibus, & diversæ speciei, ita debent esse inæquales in gloria; ergo omnes Beati simpliciter erunt inæquales in gloria. Respondeo primò, quamvis homines Beati subrogentur loco Angelorum malorum, de quo alibi, ex hoc non sequi homines successuros in eadem portione gratiæ, & gloriæ; siquidem hæc correspondet gratiæ collatæ, aut per sacramenta, aut per merita, quæ proindè longè aliter se habet in hominibus, atque se habuit, aut haberet in illis Angelis.

101. Respondeo secundò, data majori, negando minorem, seu potius quæ falsò in ea supponuntur; neque enim certum est, omnes Angelos esse diversæ naturæ, & speciei, prout alibi diximus in Metaphysica *tract. 2. d. 2. sect. 3.* neque si certum foret, ex hoc sequeretur, inæqualem gloriam inæqualibus naturis correspondsuram; siquidem gratia, non solùm fuit illis primò infusa, sed etiam in statu viæ per diversos actus, & diversa merita de novo acquisita; sicque cum diversitate, & inæqualitate in naturis poterant stare æqualia merita, & cum æqualibus meritis æqualis gratia, & gloria.

SECTIO VI.

A quonam principio effectivè proveniat inæqualitas objectiva Visionis Beatæ?

102. DIximus hactenùs de inæqualitate Visionis Beatæ, & de illa tam circa objectum primarium, quàm secundarium: Inquirendum nunc est, à quonam effectivè proveniat hujusmodi inæqualitas, quam dari jam probavimus? Cùm igitur tria sint principia effectiva Visionis beatæ, ut ex supra dictis constat, nempè intellectus creatus, lumen gloriæ, & Essentia Divina concurrens loco speciei impressæ, de singulis agendum hîc est: Attamen:

103. Advertendum est primò, hujusmodi inæqualitatem Visionis Beatæ attingêdi scilicet in Deo plures, aut pauciores creaturas, non dari formaliter in ipsa visione ratione alicujus differentiæ specificæ; cùm omnes sint ejusdem speciei, prout supra diximus, sed ex individuali perfectione hujus visionis, quæ sit formalis repræsentatio harum, & non plurium creaturarum. Secundò, hanc inæqualitatem objectivam provenire ab Essentiâ Divinâ, saltem concomitanter; siquidem intellectus perfusus lumine gloriæ nequit elicere visionem, nisi concurrente ipsâ divinâ Essentiâ, exhibenteq; concursû accommodatum visioni producendæ secundùm has, aut illas perfectiones magis, aut minùs expresè applicatas. Tota igitur difficultas est: Utrùm inæqualitas visionis objectiva proveniat formaliter ab ipsâ Essentia Divinâ concurrente effectivè in ratione formæ intelligibilis? An ab intellectu? An potiùs à lumine gloriæ? Sit igitur:

104. Difficultas 1. Utrùm inæqualitas objectiva Visionis Beatæ proveniat effectivè ab Essentia Divina concurrente in ratione formæ intelligibilis? Negativè. Ita *Alensis. 1. p. q. 7. n. 2. D Thom. in 4. dist. 49. q. 2. art. 4. ad 2. D. Bonav. lib. 7. Compend. Theolog. cap. 26. Sylvest. in constat. quæst. 12. art. 6. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 5. sect. 7. P. Gil. tom. 2. tract. 9. cap. 12. n. 4.* & alii. Probatur primò, quia Essentia Divina, ut supra diximus, in ratione formæ intelligibilis exhibet suum concursum, ut natura est; ergo æqualem; consequenterque infinitum; ergo hujusmodi inæqualitas ab illa non desumitur. Confirmatur, quia ab illo principio desumitur inæqualitas visionis, à quo determinatur concursus Essentiæ; sed hic non ab Essentia, sed ab intellectu, & lumine determinatur, ut supra diximus; ergo ab his potius, quàm ab Essentia desumitur inæqualitas visionis.

105. Probatur secundò, quia quando ad unum, aut plures effectus concurrunt simul plures concausæ, quarum aliqua ex se universalis est, & indeterminata, semper determinatio effectus desumitur ex illa, quæ limitatior est, ut videre est in potentia visiva concurrente cum specie visiva; & in potentiâ intellectivâ concurrente cum specie intelligibili; ab speciebus enim, quæ sunt causæ limitatiores, & non à potentiis, quæ sunt causæ universales, desumitur determinatio effectus; sed Essentia Divina ex se est indeterminata ad producendas visiones hujus, aut illius extensionis, seu terminationis objectivæ, nec determinatur à sua voluntate libera, ut supra diximus; ergo determinatio visionis, non ab illa, sed aut ab intellectu, aut à lumine gloriæ simul concurrentibus provenit.

106. Oppositum tenent *Adam in 1. dist. 1. q. 10. ad 5. Holcot. in 4 q. 8. ad 5.* & tribui potest Authoribus, qui asserunt, Essentiam Divinam in ratione formæ intelligibilis concurrere, ut voluntas est, aut saltem ut applicatam à Voluntate divina, quos supra retulimus: pro quibus: Objicies 1. Essentia Divina in ratione formæ intelligibilis impendit concursum ad visionem, ut liberè applicata à Voluntate divina; ergo prout sic poterit concurrere majori, aut minori conatu, aut secundùm plures, vel pauciores perfectiones, ex quibus in visionem refundatur inæqualitas. Respondeo negando antecedens; jam enim supra diximus, Essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis, non concurrere ut applicatam liberè à Voluntate divinâ, sed necessariò, & per modum naturæ.

107. Objicies 2. Quando species objecti est inæqualis in intensione, aut repræsentatione respectu oculi (idem est de phantasmate, & specie intelligibili respectu intellectûs,) visio semper est inæqualis, ut patet experientiâ in iis, qui vident objecta per species emissas ab objecto distanti, & propinquo, sicque per remissas, aut intensas in repræsentando, à quibus oculus determinatur ad visiones inæquales producendas; sed Essentia Divina in ratione formæ intelligibilis, supplet vices speciei intelligibilis respectu intellectus Beati, ut supra diximus; ergo illû determinat ad Visiones Beatas inæquales.

108. Respondeo data majori, & minori, negando consequentiam; disparitas est, quia in exemplis adductis, & similibus, datur inæqualitas ex parte speciei, aut phantasmatis, & sunt principia determinata, quæ possunt determinare potentias, quæ sunt causæ universales, & quarum sunt principia: at verò Essentia divina è contra, ex se est indifferens, & æqualiter proposita ad æquales, aut inæquales visiones producendas; intellectus verò, & lumen habent se ut causæ particulares; sicque ex illis potiùs, quàm ex Essentiâ desumenda est inæqualitas visionum: Undè sit:

109. Difficultas 2. Utrùm inæqualitas Visionis Beatæ reducenda sit in lumen gloriæ, aut auxiliû; non autem in intellectum? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 12.*

q. 12. art. 6. & in 4. dist. 49. q. 2. a. 4. Sot. ibid. q. 3. a. 2. Palat. d. 1. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 58. §. *Sed circa. Medin. q. 3. a. 2. ad 5. Bannez 1. p. q. 12. a. 6. Zumel. d. 1. Gonzal. d. 29. sect. 2. Cabrer. 3. p. q. 10. art. P. Valent. 1. p. q. 12. punct. 4. P. Vasq. 1. p. d. 47. cap. 6. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 21. à n. 4. P. Gil. tom. 2. tr. 9. cap. 12. P. Arrub. 1. p. d. 22. cap. 2. P. Tanner. 1. p. d. 2. q. 6. dub. 5. num. 11. P. Amicus tom. 1. d. 9. n. 286. P. Arriaga tom. 1. d. 12. sect. 4. n. 19. P. Præposit. 1. part. quæst. 12 art. 6. dub. 1. n. 44. P. Granad. 1. p. tr. 5. d. 11. sect. 2. P. Compton. tom. 1. d. 16. sect. 2. num. 1. P. Fasol. 1. p. q. 12. art. 6. dub. 3. P. Ribas tract. 3. d. 12. cap. 2.* & alii. Undè si duo intellectus inæquales in perfectione essentiali ob æqualia omninò merita æquali lumine gloriæ perfundantur, æqualem per omnia visionem elicient.

110. Probatur primò ex absurdo, quia ex Sacra Pagina, Conciliis, & Sanctis Patribus constat in præmio beatifico conferendo non esse habendum respectum personarum, sed meritorum; siquidem Deus *reddet unicuique secundùm opera sua*; atqui si inæqualitas visionis tribueretur intellectibus essentialiter inæqualibus, jam non haberetur ratio meritorum, sed personarum secundùm naturalem potentiam magis, aut minùs perfectam; sequeretur enim si duo intellectus essentialiter inæquales ob æqualia merita æquali lumine perfunderentur, debere elicere inæquales visiones; consequenterque cum æqualibus meritis habere inæqualem Beatitudinem, mercedem, & præmium, quod in ipsa visione, saltem inadæquatè consistit; ergo nè id sequatur, non intellectui, sed lumini adscribenda est inæqualitas Visionis Beatæ.

111. Probatur secundò ratione, quia Visio Beata non censetur perfectior, aut imperfectior ex parte potentiæ producentis illam, nisi quatenùs hæc constituitur in ratione potentiæ Visivæ Dei; sed intellectus creatus non est potentia Visiva Dei, nisi quatenùs perfunditur lumine gloriæ, aut juvatur auxilio Dei supernaturali; siquidem intellectus ad videndum Deum, aut nullam habet virtutem, aut solùm habet incompletam, prout supra diximus; ergo solùm eliciet visionem magis, aut minùs perfectam pro ratione luminis, vel auxilii, non autem secundùm majorem, aut minorem perfectionem naturalem, & sibi essentialem.

112. Advertes tamen, quia major visionis perfectio dari nequit, quin simul cum lumine gloriæ, sive auxilio Dei extrinseco concurrat ipsa potentia, ut illius instrumentum, dici posse inæqualitatem ipsius visionis provenire etiam concomitanter ab ipsa potentia; sicut supra diximus de Essentia in ratione formę intelligibilis.

113. Oppositum tenent *Alens. 1. p. q. 7. memb. 2. Scot. in 3. dist. 13. q. 3. & 4. ad 3. q. & in 4. dist. 50. q. 6.* §. *Respondeo. Richard. in 4. dist. 49. art. 2. q. 8. & art. 3. q. 2. Durand. in 3. dist. 14 q. 1. n. 12. Caiet. 3. p. q. 10. art. 4. Major. in 4. dist. 49. q. 10. ad 7. Olchot. in 4. q. 1. art. 3. dub. 2. P. Molin. 1. p. q. 12. a. 6. d. 2. P. Herice. tr. 4. d. 49. cap. 4. n. 60. P. Less. de sum. bono. lib. 2. cap. 9.* & alii, quatenùs asserunt, si duo intellectus in perfectione essentiali inæquales æquali lumine gloriæ, vel auxilio Dei extrinseco juventur, futurum ut eliciant Visiones Dei inæquales quoad intensionem, consequenterque quoad terminationem objectivam, quod etiam probabile judicat *P. Becan. tract. 1. cap. 9. quæst. 10.* secundùm principia Philosophiæ, licet non secundùm principia Theologiæ: pro quibus:

114. Argues 1. Intellectus creatus concurrit ad Visionę Beatam per virtutem sibi intrinsecam & naturalem, prout supra diximus; sed hęc virtus intellectibus diversæ speciei est inæqualis; ergo hujusmodi inæqualitati tribui potest inæqualitas visionis. Respondeo data majori, & minori, negando consequentiam; nam perfectior visio respondet perfectiori potentiæ, non nudè sumptæ, sed ut potentiæ visivæ Dei; intellectus autem nudè sumptus non est potentia simpliciter visiva Dei; siquidem in ea ratione ultimò constituitur per lumen, vel auxilium Dei extrinsecum: Undè licet per vim sibi naturalem concurrat ad Visionem Beatam, sitque in sua essentia unus perfectior alio, eidem seorsim sumpto non respondebit perfectior visio; maximè autem si accipiatur secundùm quod perfectiori lumine, vel auxilio de facto juvatur, sed tunc temporis solùm perfectiori lumini, vel auxilio adscribetur perfectior Visio Beata ab eo producta.

115. Argues 2. Duo intellectus, aut voluntates inæquales in perfectione accidentali, vel etiam essentiali, possunt in via cum eodem habitu, vel auxilio supernaturali elicere actus supernaturales inæquales in intensione, vel extensione, si videlicet una potentia majorem conatum adhibeat, & plus efficaciæ in actum conferat, quàm alia; nam sicut in manu voluntatis est uti auxilio gratiæ ad actus liberè elicitos, sive à se, sive ab intellectu, ita ei liberum est eidem auxilio cooperari efficaciùs, aut remissiùs, & finere intellectum prout sic elicere suos actus; ergo etiam in patria cum eodem lumine gloriæ poterunt duo intellectus inæquales in perfectione essentiali elicere inæqualem visionem.

116. Respondeo dato antecedente, & ejus probatione, negando consequentiam; diversa ratio est, quia potentia habitu æquali perfusa in via, aut operatur liberè, ut voluntas operatur, aut saltem ut applicata à voluntate libera, ut operatur intellectus; potestque juxta rerum humanarum vices, plures, aut pauciores pati difficultates, vel habere impedimenta vincenda, quibus positis, necessarium est variare perfectionem actuum; siquidem non semper operatur juxta mensuram habitûs, dummodò tamen talis varietas sit semper intra latitudinem activitatis ipsius habitûs supernaturalis, quam non potest excedere: at verò in patria, cùm nec liberè operetur, nec dentur ulla impedimenta, aut difficultates vincendæ, semper operatur juxta mensuram activitatis habitûs, vel auxilii, ideoque actus semper sunt æquales, si æquales sunt ipsi habitus.

117. Argues 3. Licet instrumentum artis ex se non habeat principalem virtutem respectu effectûs artificiosi, potest nihilominùs artifex cum magis habili instrumento perfectiorem effectum edere, ut experientiâ manifestum est; ergo licet intellectus creatus sit instrumentum Visionis Beatæ, poterit perfectior intellectus perfectiorem elicere visionem aut intensivè, aut extensivè quoad terminum. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in effectu artificioso datur aliquando peculiaris aliqua difficultas respondens instrumento, & non agenti principali, qualis est durities, aut alia similis in ligno scindendo, aut lapide exarando: at verò in objecto Beatifico nulla datur hujusmodi difficultas; tota enim, quæ datur, est, quatenùs est objectum supernaturale; hæc autem lumini, vel auxilio, & non intellectui respondet.

118. Instabis: Etiam in Visione beata datur aliquid respon-

respondens potentiæ, & non lumini, nempè vitalitas ipsius Visionis; ergo &c. Respondeo negando antecedens: talis enim vitalitas non distinguitur ab ipsâ visione supernaturaliter producta, sicq; est etiam supernaturalis, sicut est ipsa visio; sicque non continetur in virtute naturali potentiæ nudè sumptæ; intellectus enim non producit vitalitatem in communi, sed singularem, & jam contractam ad talem actum, nempè visionem supernaturalem.

119. Argues 4. Causa perfectior perfectiorem producit effectum; sed nobilior intellectus cum æquali lumine est perfectior causa; siquidem perfectior causa consurgit ex perfectiore concausa; sic enim ex perfectiore concausa in lumine consurgit perfectior causa; intellectus autem in facta suppositione est perfectior concausa; ergo perfectiorem eliciet visionem. Respondeo primò negando majorem, quæ universaliter non est vera: aut enim procedit de perfectione effectûs intensivâ, aut specificâ: Si primum, ignis est perfectior causa, quàm terra; & tamen hæc producit intensiorem siccitatem: Si secundum, Sol est perfectior causa, quàm ignis; & tamen non producit perfectiorem calorem, quàm ignis, aut calor; ergo &c.

120. Respondeo secundò quidquid sit de majori in aliis causis, & negando illam in proposito eventu; hîc enim intellectus, ut diximus, extrahitur à suo naturali modo operandi, neque operatur ut intellectus humanus & Angelicus, sed ut potentia intellectiva elevata ad videndum Deum, & prout sic, si habeant æquale lumen elevans, æqualem visionem in perfectione elicient. Patet in aqua baptismali, & oleo, quando elevantur ad producendam gratiam in sententia asserente, Sacramenta producere gratiam physicè; licet enim sint entitativè inæqualia, prout tamen substant elevationi, sunt æqualia in ordine ad producendam gratiam.

SECTIO VII.

Qualiter inæqualitas Visionis Beata respondeat Lumini?

121. DIFFICULTAS 1. Utrùm sufficiat quodlibet lumen in individuo, & in qualibet intensione ad manifestandas simul non tot quin plures perfectiones, aut creaturas in Deo? Negativè. Ita *Cabrer. 3. p. q. 10. a. 1. d. 3. concl. 2. Bannez. 1. p. q. 12. a. 8. dub. unico. ad 1. & 2. P. Gil. tomo 2. tract. 10. cap. 8. à num. 4.* Probatur primò, quia ad videndum in Deo non tot quin plures creaturas, requiritur penetratio Essentiæ secundùm non tot quin plures perfectiones, saltem secundarias; sed ad hanc non sufficit lumen in qualibet intensione: Primò, quia alioqui sufficeret quodlibet lumen in qualibet intensione ad comprehendendum Deum, quod infra negabimus: Secundò, quia jam omnes Visiones Beatæ quantum est ex parte luminis, essent æquales, quod dici nequit, cùm merita Beatorum non sint æqualia; alioqui inæqualibus meritis tribueretur æquale præmium, quod supra negavimus; ergo &c.

122. Probatur secundò à simili, quia eodem modo se habet lumen gloriæ in manifestatione objecti beatifici, quo se habet lumen corporeum in manifestatione objecti colorati; sed non sufficit lumen corporeum in quacumque intensione ad manifestandos non tot quin plures gradus objecti colorati; ergo neque sufficiet quodlibet lumen gloriæ in quâcumque intensione ad manifestandas in Deo non tot quin plures perfectiones, aut creaturas.

123. Oppositum tribui potest omnibus illis, qui asserunt, quamlibet Visionem Beatam in qualibet intensione sufficere ad repræsentandas simul non tot, quin plures creaturas in Deo, quos infra referemus, idem enim à fortiori supponunt de lumine: pro quibus: Oppones: quæ sunt formaliter in actu cognitionis, priùs continentur potentialiter, & effectivè in sua potentia; imò & multò plura simul, ut patet in actibus, & potentiis circa objecta naturalia; siquidem plura semper servantur intra virtutem causæ, quàm cognoscantur simul à potentia; sed visio, quæ habet rationem actûs, non tot, quin plura attingit in Deo; ergo eadem manifestabit lumen, quod habet rationem potentiæ. Respondeo negando minorem, ut patet ex supra dictis, & patebit ex infra dicendis.

124. Difficultas 2. Utrùm sufficiat quodlibet lumen ad manifestandas in Deo quaslibet creaturas seorsim acceptas? Negativè. Probatur primò, potest enim dari lumen adeò remissum, ut nullas in Deo ostendat creaturas, prout supra diximus; ergo dari poterit aliud ita ostendens has creaturas, ut alias perfectiores, & in quibus sit plus intelligibilitatis, non manifestet.

125. Probatur secundò, quia non quodlibet lumen ostendit quaslibet perfectiones primarias, aut secundarias Essentiæ Divinæ; siquidem quædam sunt magis intelligibiles, quàm aliæ; ergo neque quaslibet creaturas in Deo cognitas. Confirmatur, quia lux corporalis, aut visio ejus intensionis, quæ sufficit ad videndum distinctè unum aliquod objectum, non est satis ad videndum quodlibet aliud seorsim; siquidem poterit offerri aliud, in quo contineantur cognoscibilia, quæ virtutem lucis, aut potentiæ superent; ergo similiter.

126. Advertes tamen, resolutionem procedere de creaturis absolutè, & simpliciter; nam si sermo sit de iis, quæ continentur intra sphæram activitatis ipsius luminis, verissimum est, posse quodlibet lumen quaslibet seorsim sumptas ex illo numero suæ activitatis manifestare.

127. Difficultas 3. Utrùm sufficiat quodlibet lumen ad manifestandas non tot, quin plures creaturas, aut perfectiones in Deo, saltem successivè? Respondeo cum distinctione: si procedat de facto, lumen gloriæ nullum omninò objectum manifestare potest successivè: Si autem de potentia absoluta, non implicat lumen gloriæ, quod successivè ostendat non tot, quin plures creaturas, aut perfectiones divinas ex iis, quæ continentur extra suam sphæram.

128. Probatur prima pars, quia lumen gloriæ de facto non potest ostendere objectum aliter, quàm per visionem attingi potest, cùm totam vim habeat in ordine ad visionem; sed Visio Beata de facto ad nullum objectum de novo terminari potest; alioqui posset realiter mutari contra id, quod supra diximus; ergo neque sic poterit de facto lumen gloriæ de novo, sive successivè objecta aliqua manifestare.

129. Probatur secunda pars, quia lumen gloriæ in ratione potentiæ supernaturalis visivæ Dei non est deterioris conditionis, quàm sunt naturales potentiæ in ordine ad sua objecta naturalia; sed quælibet potentia naturalis, sive intellectiva, sive volitiva potest de facto tendere in non tot, quin plura objecta naturalia, saltem successivè, ex iis, quæ continentur intra sphæram sui objecti formalis;

ergo

ergo saltem de possibili id poterit lumen gloriæ.

Affirmativam sententiam absolutè, & sine ullâ distinctione tuentur *D. Bonavent. in 3. dist. 14. art. 2. q. 3. Paludan. ibid. quæst. 1. a. 3. Marsil. q. 10.* & probabiliter *Richard. quæst. 2. art. 2.* & pro eadem sententia citari possunt Doctores, qui tenent, Visionem Beatam repræsentare posse, imò de facto repræsentare plures creaturas de novo cognitas in Verbo absque ullâ sui mutatione, quos supra retulimus; siquidem idem à fortiori tenentur dicere de lumine gloriæ: Pro quibus:

130.

Oppones: Lumen gloriæ habet se ad Visionem, sicut potentia naturalis ad suos actus naturales; siquidem habitus supernaturales, inter quos est lumen gloriæ, potentiæ vocantur; sed omnis potentia naturalis potest successivè non tot, quin plures actus elicere intra sphæram suæ activitatis; ergo etiam lumen poterit successivè ostendere non tot, quin plures perfectiones, aut creaturas in Deo. Respondeo id quidem posse de possibili, non autem de facto, prout proximè diximus.

131.

Difficultas 4. Utrùm determinatio luminis ad manifestandum certum numerum perfectionum divinarum, & creaturarum in Deo proveniat ex certa, & determinata illius intensione; non autem ex peculiari differentiâ individuâ? Affirmativè. Ita expresè *P. Gil. tr. 10. cap. 9.* deduciturque ex *Altisiodor. lib. 2. sum. tr. 5. quæst. 3. ad 5. Richard in 3. dist. 14. art. 2. q. 3. & 4. Carthus. in 4. dist. 49. quæst. 4. quæsit. 3. Ægid. quodlibet. 3. quæst. 2. §. ult. Palat. quæst. 2 fine.* & aliis, quatenùs quidam eorum asserunt, Beatos quosdam videre plura in Deo ex eo, quod habeant majorem virtutem, & melius lumen: alii verò id ex eo provenire dicunt, quod quidam Beati Essentiam habeant sibi magis unitam ratione majoris luminis, quàm alii.

132.

Probatur primò à simili, quia ex majore intensione speciei visibilis provenit, quod in objecto distinguamus plures partes; siquidem quantò quis magis accedit ad objectum, ubi species magis intensa est, tantò meliùs illud videt, pluresque in eo partes distinguit, quas tamen ex longiori spatio non distinguebat, ut experientiâ satis constat; ergo pari modo ex majori intensione luminis plures perfectiones, & creaturas in Deo attingemus. Secundò etiam à simili de luce corporea, quia experientiâ ipsâ constat, quo objectum, oculus, & medium clariori, sicque intensiori luce perfunduntur, eò plures partes objecti distingui, easdemque clariùs, idest, secundùm plures sui gradus, & partes discerni, quàm antea; ergo pari modo, quò lumen gloriæ fuerit intensius, eò plures Dei Perfectiones, & plures in eo creaturæ videbuntur.

133.

Contrarium opinantur *Cabrer. 3. part. quæst. 10. art. 2. d. 2. num. 23. & d. 4. à num. 57. Navarret. controv. 44. §. Sequitur. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. num. 21.* quatenùs docent determinationem luminis ad videndum certum numerum creaturarum in Deo provenire ex modo individuali, sive differentiâ individuâ ipsius luminis peculiari: pro quibus: Objicies 1. Major, aut minor intensio luminis est tantummodò variatio ejusdem formæ secundùm magis, & minùs; sed hæc solùm poterit conducere ad videndum intensiùs, seu meliùs idem objectum, quàm antea videbatur, non verò ad videnda plura, aut plures rationes de novo; siquidem ea sola variatio reperitur in effectu, quæ datur in forma eundem causante; forma autem, sive lumen solùm variatur secundùm magis, & minùs; ergo solùm secundùm magis, & minùs variabitur effectus, sive objectum: consequenterque major intensio luminis non efficit, quod plures perfectiones, aut creaturæ videantur in Deo.

134.

Respondeo negando minorem; licet enim major intensio luminis non variet objectum simpliciter; illud tamen variat secundùm quid, nempe faciendo, quod idem objectum percipiatur secundùm plures partes distinctiùs, quod sufficit. Patet, quia variatio intensiva secundùm magis, & minùs in lumine corporali conducit, & sufficit ad videndum plures partes, quæ antea non videbantur in objecto colorato; ergo etiam eadem conducet, & sufficiet in lumine gloriæ ad videndas distinctè plures partes, consequenterque plures creaturas in objecto beatifico, quæ antea non ita videbantur.

135.

Objicies 2. Lumen gloriæ, utpotè habitus supernaturalis, qui vicem potentiæ habet, habet se ad suum objectum, sicut se habent potentiæ naturales ad sua; sed quod una potentia naturalis plura objecta percipiat, quàm alia, provenit ex sua peculiari differentia, & non ex majori intensione; potentiæ enim sunt intensionis incapaces; ergo idem dicendum de lumine gloriæ. Respondeo negando majorem; disparitas est, quia potentiæ naturales, cùm resultent ab anima secundùm ipsius vires naturales, & commensurentur objectis juxta virtutem animæ, quæ ex se est determinata, quin unquam varietur naturaliter, inde est, quod ex se, & ex sua peculiari differentia sint determinatæ ad talia objecta, absque ullo augmento intensivo: at verò lumen gloriæ, cùm sit potentia supernaturalis data à Deo, non secundùm mensuram animæ, sed juxta Dei beneplacitum, & merita cujusque, habeatque se per modum habitûs, augeri potest à Deo vel minui secundùm intensionem pro merito cujusque, ex qua habebit, quod plura, aut pauciora objecta in Deo manifestet.

136.

Objicies 3. & efficacius: Minùs Beatus, consequenterque remissiori lumine perfusus, potest videre in Verbo plura, quàm videat magis Beatus intensiori lumine donatus, si v. g. ad statum minùs Beati, aut quia alicujus Religionis Fundator, aut ex alio capite, pertineat plura videre, quàm ad statum magis Beati; ergo jam determinatio visionis ad plura, vel pauciora objecta simul attingenda reduci nequit ad intensionem, aut remissionem luminis, sed ad solam illius differentiam peculiarem.

137.

Respondeo cum *P. Mol. 1. part. quæst. 12. art. 8. d. 5. memb. 6. §. Dicendum. P. Gil. cit. n. 10. Banez art. 10. hic dub. unico. ad 4. Zumel. art. 8. quæst. unica*, & aliis negando absolutè antecedens, quod simpliciter est falsum, quatenùs Theologi communiter docent, quò majorem quis habet Beatitudinem, eò plura videre in Deo. Undè quando ab eisdem dici solet, contingere posse, quod minùs Beatus ratione sui statûs plura videat in Deo, quatenùs scilicet alicujus Religionis Fundator, aut quid simile, sermo est de pluribus individuis existentibus in aliqua differentia temporis, quæ ratione proprii statûs ad statum unius Beati spectare possunt, & non alterius magis Beati; hoc tamen non tollit quominùs magis Beatus in Deo videat absolutè plures species, aut plura individua ex possibilibus, ut proximè citati Doctores dicunt; sicque absolutè verum est, quod in resolutione defendimus.

138.

SECTIO VIII.

Ex quonam principio effectivè causetur determinatio Visionis Beatæ ad has potiùs, quàm illas perfectiones, & creaturas in eisdem repræsentandas?

139. DIximus quâ ratione inæqualitas Visionis Beatæ respondeat lumini gloriæ; nunc sequitur explicandum, à quonam principio effectivè proveniat, ut visio ipsa, quæ est vitalis operatio ab intellectu, & lumine producta, has potius perfectiones divinas, & creaturas, quàm illas in individuo attingat? Multiplex est in hac re sententia. Prima sententia asserit, determinationem Visionis Beatæ ad repræsentandas has potius perfectiones Dei, & creaturas in illis contentas, quàm alias, prodire effectivè ab Essentia Divina concurrente in ratione formæ intelligibilis, quæ determinatio duobus modis à suis Authoribus explicatur.

140. Primo modo, dicunt, eam determinationem causari, quatenùs in Essentiâ Divinâ magis, seu clariùs relucent quædam perfectiones, & creaturæ, quàm aliæ. Ita videntur sequi *Altisiodor. tr. 5. q. 3. ad 4. D. Thom. q. 8. de Verit. art. 4. ad 12. P. Sal. 1. 2. d. 4. sect. 5. num. 73.* & alii. Secundo modo, prædictam determinationem fieri ex eo, quod Essentia Divina sit speculum voluntarium Beati, undè pro sua libertate illi potest has, aut illas perfectiones, & creaturas in illis repræsentare. Ita *Scot. in 3. dist. 14. q. 2. §. Sed si ista*, cum Scotistis: & videntur tenere, qui defendunt, Essentiam Divinam concurrere ad Visionem Beatam, ut applicatam directè à Voluntate divina. Exprimitur etiam à *P. Valent. 1. p. q. 12. punct. 6. ad 2. & 3. P. Sal. cit. sect. 4. n. 54. Bannez 1. p. q. 12. art. 8. dub. unico ad 2. Zumel. q. unica ad 3.*

141. Secunda sententia tenet, prædictam determinationem effectivè causari à lumine gloriæ, idque aut ratione suæ naturæ individualis, ut opinantur aliqui Recentiores infrà citandi; aut ratione extensionis modalis, ut sequitur *P. Sal. cit. sect. 4. n. 54. & sect. 5. n. 73.* Tertia sententia affirmat, hanc determinationem reduci posse in voluntatem ipsius Beati, ut in causam remotam, moralem tamen. Ita *P. Gil. tom. 2. tr. 10. cap. 10. n. 3.* Quarta sententia defendit, hujusmodi determinationem fieri à solo Deo concurrente ex parte potentiæ cum intellectu, & lumine gloriæ, cujus Authores infrà citabimus. Quid tamen in hac sententiarum varietate dicendum sit, per sequentes conclusiones explicabimus: Sit igitur:

142. Conclusio 1. Determinatio Visionis Beatæ ad has potius perfectiones Dei, & creaturas in eisdem contentas repræsentandas, non provenit effectivè ab Essentia Divina, quatenùs in ea magis relucent quædam perfectiones, & creaturæ, quàm aliæ. Hæc est contra primam sententiam primo illo modo explicatam. Probatur primò, quia omnes creaturæ æqualiter relucent in Deo, & à fortiori sic æqualiter relucent omnes perfectiones divinæ, in quibus illæ continentur; siquidem omnes perfectiones in Deo sunt secundùm se æquales; neque enim major nobilitas creaturæ est in causa, cur melior repræsentetur; ergo prædicta determinatio à majori, aut minori relucentia causari nequit.

143. Probatur secundò, quia præfata refulgentia, si admittatur, solùm est ratione nobilioris entitatis; sed hæc non potest esse causa effectiva hujus determinationis; ergo &c. Probatur minor: Primò, quia omnes perfectiones divinæ, & omnia saltem individua cujuslibet speciei sunt æqualia in nobilitate; ergo nulla dabitur causa, cur hæc potius, quàm illa per visionem attingantur. Secundò, quia creaturæ, saltem possibiles sine termino perfectiores, & perfectiores relucent in Essentia Divina; ergo ratione relucentiæ non dabitur determinatio ad has potiùs, quàm illas cognoscendas. Tertiò, quia per Visionem Beatam cognoscuntur creaturæ, quæ magis spectant ad statum cujuslibet Beati, & expletionem appetitûs rationabilis illius; sed hujusmodi creaturæ non sunt, quæ necessariò in Deo magis relucent, aliquando enim minùs relucent, & minùs perfectionis continent; ut patet; ergo &c.

144. Conclusio 2. In sententia asserente Essentiam Divinam concurrere ad Visionem Beatam ex parte objecti ut applicatam directè à Voluntate divina, probabilius est, causam effectivam prædictæ determinationis esse ipsam Essentiam, prout est speculum voluntarium. Ita expresè Doctores citati pro secunda parte primæ sententiæ. In sententia verò opposita, quæ tenet, Essentiam Divinam concurrere, ut quædam natura est, oppositum est simpliciter verius. Ita *P. Gil. cit. cap. 5. à num. 5.* & est de mente eorum, qui tenent, Essentiam Divinam ad sui Visionem concurrere ut natura quædam est, quos supra retulimus *d. 2.*

145. Probatur prima pars, quia in illa sententia Essentia divina applicatur à Voluntate divina libera; ergo applicari potest secundùm has potius, quàm illas perfectiones; aut secundùm quod has potius, quàm illas creaturas continet; siquidem non appareret ratio, cur ipsa Essentia veluti subordinetur voluntati quoad concursum cum intellectu creato, & non ita veluti subordinetur quoad speciem, & modum illius.

146. Probatur secunda pars, quia Essentia Divina in hac sententia, quam loco proximè citato probavimus, & approbavimus, concurrit ex parte objecti, ut quædam natura est, sicq; independenter ab applicatione Voluntatis divinæ; ergo quantùm est ex se indiscriminatim offert intellectui omnes suas perfectiones, & creaturas, quæ in illis continentur, cognoscendas; consequenterq; illum non determinat ad has potius, quàm illas cognoscendas, ad omnes simul, quàm aliquas, quamdiu concursus illius aliquo modo non limitetur, ac determinetur.

147. Advertes tamen, certum esse de potentia absoluta posse prædictam determinationem causari ab Essentia concurrente ex parte objecti; siquidem ut jam sæpius diximus, de potestate absoluta benè potest concursus Essentiæ ex parte objecti liberè impendi, in quo sensu res non est adeò difficilis; nostra tamen quæstio in præsenti solùm procedit de potentia ordinaria.

148. Conclusio 3. Determinatio visionis ad cognoscendas has potius, quàm illas perfectiones divinas, aut creaturas in eis contentas, non provenit effectivè à lumine gloriæ, quocumque modo accipiatur, sive quoad intensionem, sive quoad extensionem, sive quoad naturam propriam, & differentiam individualem. Est contra secundam sententiam. Probatur primò, quia lumen gloriæ, cùm se habeat ex parte potentiæ, semper

est

est ejusdem rationis, atque adeò intra totam suam sphæram, sive intensionis, sive extensionis, habet se indifferenter ad has, vel illas rationes objectivas intellectui æqualiter propositas; sicut se habent potentiæ naturales circa hæc, aut illa sua objecta materialia proposita, & cognoscenda; ergo determinatio visionis ab illo nequit effectivè provenire.

149. Probatur secundò, quia lumen gloriæ, cùm sit habitus supernaturalis, habet se ad instar habitus fidei, alterius vè habitus supernaturalis; sed habitus fidei de se non magis determinat ad hæc objecta revelata, quàm ad alia credenda; ergo etiam lumen gloriæ intra suam sphæram non magis determinabit ad hæc, quàm illa obiecta videnda. Confirmatur, quia lux corporalis de se indifferens est ad hæc, aut illa objecta præsentia manifestanda oculo; ergo sic erit lumen gloriæ; consequenterque ab illo non provenit effectivè hujusmodi determinatio. Ita *P. Gil. cit. tract. 10. cap. 8. num. 9. P. Albertin. quæst. 5. Theolog. ex 1. princip. Philos. num. 7.*

150. Conclusio 4. Hujusmodi determinatio visionis non provenit à voluntate Beati nec physicè, nec moraliter. Est contra tertiam sententiam. Probatur prima pars quoad concursum physicum, quia hunc maximè præstaret voluntas applicando intellectum lumine illustratum ad cognitionem harum potius, quàm illarum perfectionum Dei, & creaturarum; sed non potest hanc applicationem efficere; siquidem intellectus prout sic illustratus necessariò movetur ab Essentia divina, & prævenit omnem liberum actum voluntatis; ergo &c.

151. Probatur secunda pars quoad concursum moralem, quia ideò hujusmodi concursus moralis censeretur à voluntate Beati impendi, quatenùs Deus conferre solet visionem sui, & creaturarum juxta appetitum rationabilem ipsius Beati; sed hęc ratio, licet sit vera quoad visionem creaturarum, quæ spectant ad statum Beati, absolutè tamen universalis non est; siquidem plura manifestantur Beatis extra, vel supra eorum appetitum rationabilem, quæ proindè determinari nequeunt ab eo appetitu, seu voluntate etiam moraliter concurrente, ut patet; ergo &c.

152. Conclusio 5. Determinatio Visionis Beatæ ad cognoscendas has potius, quàm illas perfectiones divinas, & creaturas in eis contentas intra certum numerum, quem intellectus ratione luminis gloriæ videre potest, provenit effectivè ab ipso Deo concurrente ex parte potentiæ cum intellectu Beati, & lumine gloriæ. Ita tenent cum quarta sententia *Argentin. in 4. dist. 49. q. 2. art. 4. §. Et ex hoc. Pesant. 1. p. q. 12. art. 10. d. 2. §. Dices. P. Gil. tom. 2. tr. 10. cap. 10. à n. 4.* & alii.

153. Probatur, quia quoties in causa secunda dantur omnia requisita in actu primo, ut exeat in actum secundum, & aliquam operationem eliciat, & ipsa nihilominùs ita est indifferens, ut neque ex se ipsa, neque ex alia causa secunda simul concurrente, ad hunc potius effectum, quàm ad alium determinari possit, ad Causam Primam universalem spectat illam determinare, ut pluribus exemplis in Philosophia probari solet, & nos jam suo loco probavimus, cùm de determinatione causarum secundarum quoad individuum egimus in Physica; sed in Visione Beata, sive intellectu Beati dantur omnia requisita, ut exeat in actum secundum, neque assignatur causa aliqua secunda, quæ ipsam potentiam determinet ad eliciendam visionem hujus potius perfectionis, & creaturæ in ea relucentis, quàm alterius, ut patet ex dictis; ergo ad Primam Causam universalem ex parte potentiæ concurrentem spectat, quæ libera est, hujusmodi causas prædicto modo suspensas determinare.

Neque obstat, quod per quamlibet Visionem Beatam videantur omnia, quæ sunt in Deo, saltem confusè; siquidem quæstio procedit de visione perfectionum distinctâ, quâ certum est non videri omnes Dei perfectiones, saltem secundarias; alioqui viderentur omnes actus Dei liberi, & omnes creaturæ etiam possibiles, sequereturque, quamlibet Visionem esse Dei comprehensivam, ut ex supra dictis liquet. Explicatâ jam inæqualitate inter Visiones Beatas ex parte causæ effectivæ, & ipsarum causâ effectivâ: Pro coronide: 154.

Quæres hic: Undenam proveniat prædicta inæqualitas formaliter: & quenâ sit causa formalis, cur Visio beata has potius Dei perfectiones, aut creaturas in eis contentas, quàm alias Beato manifestet? Respondeo breviter, inæqualitatem Visionis Beatæ formaliter provenire ab inæquali intensione, & extensione, aut ex diversa entitate individuali divisibili, aut indivisibili ipsius Visionis juxta diversas Theologorum sententias infrà sequenti disputatione explicandas: Determinationem autem formalem ad has potius creaturas, quàm illas repræsentandas semper provenire ab entitate, seu modo individuali ipsius visionis, qui de lege saltem ordinaria variatur pro diversitate intensionis in visione ipsa. Hæc resolutio vera est, cujus probatio facilè desumitur ex iis, quæ accidunt in cognitionibus naturalibus circa sua objecta in rebus creatis. 155.

DISPUTATIO VII.

De Incomprehensibilitate Dei.

SECTIO I.

Utrùm Deus comprehendi possit ab intellectu creato, saltem de potentia Dei absoluta?

PRIMâ disputatione hujus Tractatûs satis ostendimus, Deum de potentia etiam absoluta, invisibilem esse intellectui creato secundùm vires naturales spectato, licet ab eodem ut supernaturali lumine, vel auxilio elevato possit intuitivè videri. In præsenti investigandum nobis est, utrùm ab aliquo intellectu creato, aut creabili ita videri possit, ut omninò comprehendatur; quod plures continet, easque gravissimas difficultates, quarum aliquas jam exposuimus in Logica *tract. 6. d. 4. sect. 3. per totam*, quas etiam hìc, quia in hac Materia sunt præcipuæ, licet breviter repetemus. Primò igitur statuenda est Divinæ Incomprehensibilitatis certitudo. Secundò explicanda est ejusdem fundamentalis ratio. Tertiò examinandæ sunt conditiones cognitionis comprehensivæ Dei. Ultimò inqui- 1.

inquirendum est: Utrùm aliqua intellectûs cognitio, saltem à Deo condi possit, quæ annexam habeat Dei comprehensionem?

2. Advertes primò, *Comprehensionem* ex prima nominis impositione significare apprehensionem, sive tentionem corporis alieni, ut constat ex communi usu verborum apud omnes Authores, cernitúrque in Scriptura Psalm. 9. ibi: *Comprehensus est pes eorum.* Et Eccles. 9. *Aves laqueis comprehenduntur.* Et sæpè alibi.

3. Advertes secundò ex hac significatione ductam fuisse metaphoram ad significandos actus animi, quibus res veluti apprehendimus, & ad nos trahimus, & tenemus, quales sunt actus præsertim intellectûs, licet etiam aliquando accommodari soleat actibus voluntatis.

4. Advertes tertiò, comprehensionem illam corporalem duobus præsertim modis accipi: Primò, prout opponitur insecutioni, & est assecutio, ac comprehensio rei quasi fugientis, & quam antea insequebamur juxta illud Psalm. 70. *Persequimini, & comprehendite eum*: cujus acceptionis meminit D. Thom. *1. part. quæst. 12. art. 7. ad 1.* Secundò, prout idem est, atque totum aliquod ita continere, seu in se concludere, ut nihil illius maneat extra, qua ratione *locus* continet rem locatam, & Cœlum superius comprehendit in se sibi subjectum.

5. Advertes quartò, ex duplici hac acceptione comprehensionis corporalis per translationem duplicem fuisse deductam acceptionem præcipuam comprehensionis spiritualis, seu per intellectum: Prima est, quâ comprehensio opponitur insecutioni spirituali, qua viatores in Deum tendunt per intellectum, & voluntatem, estque Beatitudo nostra supernaturalis, seu Visio, & Amor Dei, prout est terminus viæ; siquidem per hujusmodi actus terminatur in patriâ desiderium nostrum, & insecutio viæ, & Deus ipse comprehenditur, licet non omninò perfectè: & in hoc sensu Visio Beata dicitur à D. Paulo comprehensio, ut constat ex testimoniis infra citandis; Beatiq; omnes dici solêt comprehensores apud Theologos, & Sanctos Patres, ut infra videbimus.

6. Secunda acceptio strictior, & magis propria est, quâ comprehensio accipitur pro exactâ, & adæquatâ rei cognitione, qua scilicet res cognoscitur quantùm ex se cognoscibilis est, prout alibi diximus in Logica loco proximè cit. & explicat D. August. pluribus in locis, præsertim epist. 112. cap. 8. ibi: *Totum autem comprehenditur, videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt.* Et juxta hanc acceptionem, addita explicatione, sive conditionibus, de quibus jam in Logica loco cit. excitanda, seu intelligenda est quæstio statim apponenda. Plures alias Comprehensionis acceptiones afferunt *Ocham. in 4. dist. 49. quæst. 13. art. 1. Gabr. dist. 3. quæst. 7. art. 1* quas referunt, & impugnant Doctores citandi. Sit igitur.

7. Difficultas 1. Utrùm Deus, saltem de potentia absoluta possit à Beatis comprehendi comprehensione propriè dictâ? Negativè. Quoad rei veritatem ab omnibus Theologis recipitur, celebraturque à Sanctis Patribus communi consensu ad plura loca Sacræ Scripturæ: quoad certitudinem Fidei, & si repugnent *P. Vasq. 1. part. d. 52. cap. 2. P. Mærat. d. 20. sect. 2. P. Alarcon. tract. 1. d. 4. cap. 6. num. 25. & P. Arriaga tom. 1. in 1. part. d. 13. sect. 3. num. 14.* exprimitur tamen à *P. Valent. 1. p. quæst. 12. punct. 5. §. Sed assertio. Bannez art. 8. hic Zumel. ibid. quæst. unica. Pesant. d. unica. Medin. 3. part. q. 3. a. 1. Cabrer. ibid. & d. 2. Ledesm. de divin. perfect. quæst. 8. art. 9. Sot, in 4. dist. 49. q. 3. art. 1. P. Molin. 1. p. q. 12. a. 7. §. In hac ergo. & a. 8. d. 5. memb. 2. §. Hæc tamen. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 5. à n. 2. & tomo 1. in 3. p. d. 26. sect. 2. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. à n. 31. P. Albertin. quæst. 4. Theolog. ex 1. princip. num. 2. P. Arrub. 1. p. d. 23. P. Præposit. 1. p. q. 12. a. 7. n. 52. P. Tanner. 1. p. d. 2. q. 6. d. 6. n. 6. P. Amicus tom. 1. d. 10. n. 31.* & alii.

Probatur primò authoritate Sacræ Paginæ. Jerem. 32. ibi: *Magnus consilio & incomprehensibilis cogitatu.* Et Job. 11. *Forsitan*, ait, *vestigia ejus comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies?* Et ad Rom. 11. *Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Et infra. *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* ergo si Deus in consiliis, & judiciis suis incomprehensibilis est, multò magis erit in sua substantia. 8.

Dicent cum *P. Vasq. cit. cap. 2. à n. 4. & P. Gil. tom. 2. tr. 12. cap. 4. n. 2.* primum locum Jeremiæ (idemq; de aliis) intelligendum esse de incomprehensibilitate respectu facultatis naturalis intellectûs creati, sive secundùm ejus vires naturales spectati. Non placent primò, quia incomprehensibilitas ibi dicitur de Deo tanquam aliquid Dei proprium, ut ibidem exponunt Patres; sed non ita erit proprium Dei, si prædicto modo intelligatur; siquidem Angelus, gratia Dei in anima, & cogitationes cordis hominum, & Angelorum etiam per facultatem naturalem nostri intellectûs non comprehenduntur; ergo &c. Secundò, quia ut rectè notat *P. Soar. tomo 1. in 3. p. d. 26. sect. 2. §. Nihilominus.* Scriptura ibi loquitur eodem modo de incomprehensibilitate, quo de Immensitate Dei; sed de hac intelligitur secundùm omnem virtutem intellectûs creati, ut omnes fatentur; ergo sic intelligenda est de illa. 9.

Probatur secundò ex Isai. 53. ibi: *Generationem ejus quis enarrabit?* qui locus ex communi Patrum interpretatione, quos refert *P. Vasq. cit. d. 18. cap. 6. & P. Gil. cit. cap. 4. n. 6.* intelligitur de Æterna Verbi Generatione, ita ut velit ibi significare, illam à nulla creatura posse adæquatè cognosci, sicque neque comprehendi, cùm illa cognitio sit propria solius Dei, ut ipsi Patres attestantur; ergo multò minùs sic poterit cognosci, & comprehendi Essentia secundùm omnia, quæ includit. 10.

Probatur tertiò, quia Sancti Patres solent ostendere Divinitatê Spiritûs Sancti ex eo, quod Naturam divinam cõprehendat, quo argumento usus est D. Athan. *in Concil. Nicen. fine, contra Arium*: idemque colligunt alii Patres ex illo 1. Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*: Et ex illo: *Quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei, qui in ipso est*: in quibus locis idem valet *scrutari*, atque noscere, & comprehendere, ut ait D. Basil. *lib. 5. contr. Eunom.* & D. Thom. ad cit. loca cum aliis; sed non esset efficax argumentum divinitatis tertiæ Personæ, si comprehensio Dei posset alicui creaturæ communicari; jam enim non esset proprium solius Dei quâ talis se ipsum comprehendere; ergo &c. 11.

Probatur quartò ex definitione Ecclesiæ in Concil. Lateran. cap. *Firmiter, de Sum. Trinit.* ibi *Credimus, & simpliciter confitemur Unum esse Deum, Infinitum, Immensum, Incommutabilem, Incomprehensibilem*, &c. ubi tam absolutè definitur Deus Incomprehensibilis, atque Infinitus, Immensus, & Incommutabilis; sed ita est infinitus, immensus, & incommutabilis, ut aliter fieri nequeat, neque 12.

de

de potentiâ absolutâ; ergo ita dicendus est incomprehensibilis, ut neque de potentiâ absolutâ comprehendi possit.

13. Dicent cum *P. Vasq. cit. cap. 3. §. Atque inprimis*, ex prædicta definitione nihil colligi pro præsenti difficultate; siquidem etiam ibi dicitur Deus *Ineffabilis*; & tamen indè non rectè colligitur, esse Beatis Ineffabilem etiam de potentia absoluta; alioqui non possent, ut possunt, de Deo mentis linguâ effari omnia, quæ vident; ergo licet ibidem appelletur *Incomprehensibilis*, id non erit intelligendum de potentia absoluta.

14. Non placent primò, quia à Concil. cit. apponitur primò *Immensitas*, deindè *Immutabilitas*, & *Incomprehensibilitas*, quasi oriantur ex Immensitate tanquam ex radice; sed ex Immensitate necessariò sequitur Incomprehensibilitas adæquata, & in ordine ad omnem potentiam, etiam absolutam, sicut & Immutabilitas; alioqui Deus de potentia absoluta posset mutari, quod non dicent; ergo &c. Secundò, quia ut rectè notant P. Sal. & P. Albertin cit. Deus adæquatè, & secundùm omnem suam perfectionem est à Beatis ineffabilis, etiam de potentia absoluta; ergo ratio P. Vasq. contra ipsum facit.

15. Tertiò, quia definitiones Ecclesiæ sunt interpretandæ juxta significationem verborum magis propriam, & usurpatam ab Scripturis, & Sanctis Patribus, nisi aliquid obstet; sed Incomprehensibilitas de Deo dicta magis propriè usurpatur ab Scripturis, & Sanctis Patribus pro negatione potentiæ ad cognitionem adæquatam divinitatis, quæ neque de potentia absoluta tolli potest, ut infrà probabimus; neque ex eo, quod ita illam interpretemur sequitur aliquod incommodum; ergo &c.

16. Probatur quintò authoritate Sanctor. Patr. D. Aug. *lib. Meditat. cap. 29.* ibi: *Sed nec ipsi, nempè Angeli, profectò te videre possunt, sicuti es; nulli denique alii tota, nisi tibi Soli, nota es omnipotens Trinitas.* Et *lib. Soliloq. cap. 31. Soli quidem tu tibi Trinitas integrè nota es.* Et infrà. *Quem neque Cherubim perfectè cognoscunt.* Et D. Greg. *lib. 9. Mor. cap. 10.* ad illud: Job. *Sub quo curvantur, qui portant orbem: Certè*, ait, *quoniam cùm curvamur, superiora cernimus, erecti essent illi sublimissimi Spiritus, si plenè potentiam Majestatis ejus attingerent, sed qui orbem portant sub Deo curvi sunt, quia divinitatis ejus celsitudinem, quamvis sublevati videant, nec Virtutes tamen Angelicæ comprehendunt.* Idem habet *lib. 10. cap. 7. & lib. 17. cap. 15.* Idem habet D. Bernard. *de Passion. Domin. cap. 17.* & plures alii Sancti Patres tùm Græci, tùm Latini apud Doctores cit.

17. Probatur sextò ratione, quia Deus est Infinitus, & Immensus in entitate, & perfectione, ut etiam lumine naturali demonstravimus in Metaphysica; ergo comprehendi nequit à creatura finitæ entitatis, & perfectionis. Probatur consequentia, quia modus cognoscendi sequitur modum essendi subjecti, postulatque adæquationem, saltem in ratione cognoscibilitatis cum objecto, ut omnes fatentur; sed impossibilis est ex parte potentiæ creatæ cognoscentis adæquatio cum cognoscibilitate divina; ergo impossibilis est cognitio comprehensiva Essentiæ Divinæ, sive Dei. Undè tamen proveniat specialiùs, quod cognitio creata, licet in perfectione augeatur, ad comprehensionem divinitatis pervenire non possit? Explicatu difficillimum est, in sequentibus tamen commodiùs explicabitur. Aliæ rationes hîc adduci poterant ad probandam præsentem difficultatem, quibus illam jam alibi probavimus, illas tamen non adducimus, quia ibi videri possunt in Logica *tr. 6. d. 4. à n. 54. & 67.*

18. Argues 1. Ex Scriptura ad Philip. 3. ibi: *Sequor si quo modo comprehendam.* Et 1 Cor. 9. *Sic currite, ut comprehendatis.* Et ad Ephes. 3. *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis*; sed hujusmodi loca, & similia intelligunt Sancti Patres de comprehensione Dei per intellectum, sicque communi Theologorum consensu Beati dici solent comprehensores, quatenùs scilicet visione intuitivâ Deum cõprehendunt in patria, quem in via non poterant; ergo saltem de potentia absoluta potest Essentia Divina comprehendi. Respondeo hujusmodi loca intelligenda esse de comprehensione non exactissimâ, & propriissimâ, quæ omninò adæquetur cognoscibilitati objecti, sed de comprehensione minùs perfectâ, quæ in tantùm dicitur comprehensio, in quantùm est assecutio objecti, & possessio Dei, prout supra diximus, in quo sensu loquuntur Sancti Patres, & Beatos appellant comprehensores.

19. Argues 2. Ideò Deus esset absolutè incomprehensibilis, quia sæpè talis dicitur in Scriptura; sed hæc ratio non est efficax; siquidem sæpius in Scriptura Deus dicitur Invisibilis, ut in 1. ad Tim. 1. *Regi sæculorum Immortali, & Invisibili.* Et ad Colossens. 1. *Qui est imago Dei Invisibilis.* Et 1. Tim. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest:* Quæ tamen loca, sicut & similia intelligenda sunt, aut de invisibilitate in hac vita mortali; aut per oculos corporeos; aut per intellectum secundùm vires naturales spectatum; ergo licet sæpius dicatur Incomprehensibilis, id accipiendum erit aliquo ex prædictis modis.

20. Respondeo primò negando majorem; neque enim ideò dicimus, Deum comprehendi non posse, etiam de potentiâ absolutâ, quia in Scriptura dicitur absolutè Incomprehensibilis; hoc enim rectè impugnat probatio Minoris, sed quia ita dicitur Incomprehensibilis, ut talis dicatur adæquatè, sicut ex eadem Scriptura, & definitione Ecclesiæ probavimus; hujusmodi autem Incomprehensibilitas excludit comprehensionem oppositam, nempè adæquatam, etiam de potentia absoluta. Respondeo secundò, data majori, negando minorem; sicut enim ex Scriptura diximus possibilem esse comprehensionem Dei minùs perfectam, & veluti inadæquatam, impossibilem verò perfectissimam, & adæquatam; ita eodem modo dicimus possibilem Visionem Dei minùs perfectam, idest, non adæquatam, impossibilem verò perfectissimam, idest, adæquatam; siquidem nihil aliud est comprehensio Dei adæquata, quàm Visio Dei adæquata: Undè sicut Deus est adæquatè Incomprehensibilis, etiam de potentia absoluta, ita etiam est adæquatè Invisibilis, etiam de potentia absoluta, prout supra diximus de illius Ineffabilitate.

21. Argues 3. Effectus Dei *ad extra* sæpè in Sacra Pagina dicuntur incomprehensibiles, ut Job. 9. cit. *Qui facit magna, & mirabilia, & incomprehensibilia.* Et cap. 11. cit. *Forsitan vestigia*, idest opera ejus, *comprehendes?* & sæpè alibi; & tamen omnes ab homine, vel ab Angelo comprehendi possunt; ergo &c. Respondeo data majori, saltem de effectibus supernaturalibus, & concessa minori, negando consequentiam; diversa ratio est, quia effectus supernaturales, de quibus hîc est sermo, sunt quidem incomprehensibiles, sed inadæquatè, nempè respectu intellectûs naturaliter spectati; non autem

autem adequatè, qualiter est Deus, de quo ita intelligenda est Sacra Pagina, ut ex eadem, & Ecclesiæ definitione probatum est.

22. Argues 4. D. Iren *lib. 4. contr. hæres. cap. 39.* D. Cyprian. *in Opuscul. de Cardinal. Christ. oper.* D. Nazian. *Orat. 25. 27. & 42.* Origen. 1. *Periarchon. cap.* 1. & alii Sancti Patres asserunt, non posse nos Deum comprehendere, donec ad patriam perveniamus; ergo innuunt nos posse eum in patriâ comprehendere. Respondeo concedendo consequentiam, si loquamur de comprehensione minùs perfectâ per quamcunque Visionem Dei intuitivam; non autem de comprehensione exactissimâ, & adæquatâ, de qua hîc est sermo, & non sunt locuti Sancti Patres.

23. Argues 5. Quando Sancti Patres Deum appellant Incomprehensibilem, id faciunt disputando contra Anomæos, qui in vulgus pronuntiabant, se videre posse Deum in hac vita: imò ita eum de facto cognoscere, ut nihil de ipso ignorarent, sed tam perfectè attingerent, quàm Deus se ipsum cognoscit, qui tamen se ipsum attingit comprehensivè; ita videre est in D. Basil. *lib. 1. contr. Eunom. et ep. 168.* Theodoret. *lib. 4. hæret. fabular. in Eunom.* D. Chrysost. *hom. de Incomprehensib. Dei Natur.* & aliis; ergo semper intelligendi sunt de Incomprehensibilitate repugnante comprehensioni Anomæorum, idest, in hac vita mortali. Respondeo licet plerique ex Sanctis Patribus sæpè dicant Deum Incomprehensibilem in sensu oppositò Anomæorum errori, qui verissimus est; id tamen non obstare, quominùs de fide sit, magis propriè Incomprehensibilem dici in sensu, quem intendimus, ut iidem Patres, & plures alii luculenter probant, & nos supra probavimus.

24. Argues 6. Christus Dominus de facto, quatenùs homo cognoscit Trinitatem comprehensivè; siquidem ex D. Isidor. *lib. 3. de sum. bono cap. 3.* habetur, Trinitatem sibi soli notam esse, & homini assumpto; sed sibi est nota comprehensivè; ergo & homini assumpto; consequenterque Deus non est absolutè Incomprehensibilis ab intellectu creato Resp. negando majorē, & ad locum D. Isidor. cit. dicimus cum *P. Recupit lib 6. q. 4. n.* 15. perperam citari, cùm legi debeat: *Trinitas sibi sola est nota, & Humanitas Christi*: quasi dicat, solùm Deum comprehendere Trinitatem, & Christi Humanitatem; siquidem hæc quoad dignitatem unionis, quæ ab infinito termino mensuratur soli Deò cōprehensibilis est; sicut & Maternitas Virginis Sanctissimæ: sicut enim Beati non plenè cognoscentes dignitatem Christi Domini præ admiratione dicebant: Psalm. 8. *Quis est iste Rex gloriæ*: ita de Virgine Sanctissima dicebant: Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit.*

25. Argues 7. Si daretur lumen gloriæ infinitum in entitate, aut in intensione, intellectus creatus posset ratione illius Deum comprehendere, ut deducitur ex D. Thom. *1. p. q. 12. a. 7. & 8. & 3. p. q. 10. a. 2.* asserente, ideo intellectum creatum Deum non comprehendere, quia nec habet, nec habere potest hujusmodi lumen infinitum, cujus sententia, saltem ut probabilis admitti debet; sed neque ex fide, neque ex ratione colligitur, impossibile esse hujusmodi lumen, imo contrarium est probabile, cùm probabile sit Deum posse infinitum actu producere, ut patet ex alibi dictis in Physica; ergo saltè probabile est, Deū posse ab intellectu creato comprehendi. Resp. permissâ majori cum D. Thom de qua infra, negando minorem: neque enim solùm rationi naturali repugnat hujusmodi luminis infinitas, sed etiam fidei, si non immediatè, & per se primò, saltem mediatè, & consecutivè, quatenùs ex illa infertur divinitatis comprehensio, quod inferiùs magis explicabitur.

Instabis: Nemo potest negare præmissas illas, 26.
nempè majorem & minorem, esse probabiles, & collocatas in bona forma; sed ex duabus probabilibus in bona forma collocatis sequitur conclusio probabilis; ergo probabiliter infertur Dei comprehensio. Respondeo præmissas illas esse probabiles, si sumantur divisim, & sigillatim; non ita verò conjunctim, & collectim; nam si sequatur posse probabiliter produci lumen gloriæ infinitum, debeo dicere, non posse Deum per illud comprehendi: & è contra, si hoc sequatur, debeo illud omninò negare.

Argues 8. Ex D. Aug. *epist. 112. cap. 8.* illud 27.
dicitur cōprehendi, quod ita videtur, ut nihil illius lateat videntem; sed nihil Dei Beato latet, aut latere potest; siquidem cùm Deus sit summè Unus, summè simplex, & indivisibilis, non potest cognosci secundùm unam perfectionem, & non secundùm alias omnes; quod enim est summè simplex, aut totum cognoscitur, aut totum ignoratur; alioqui si partialiter, jam partes haberet, & à summa simplicitate deficeret; ergo Deus à quolibet Beato comprehenditur perfectè, utpotè qui ab illo cognoscitur, quantùm in se cognoscibilis est.

Respondeo primò, argumentum, si aliquid ur- 28.
geret, probare, dari comprehensionem perfectam Dei, non solùm de potentiâ absolutâ, sed etiam de facto, ut consideranti patebit, quod Adversarii non concedent; si ergo illam de facto non probat, neque sic probat de possibili. Respondeo secundò negando minorem; nam ex summa Dei Unitate, & Simplicitate solùm colligitur, visâ clarè, & intuitivè Essentiâ, videri etiam clarè, & intuitivè omnia, quæ in câdem continentur; non tamen sequitur, videri omnia distinctè, seu ita ut secundùm omnes suas peculiares rationes expressè cognoscantur, ex quâ solùm cognitione sequitur, Deum cognosci quantùm ex se cognoscibilis est, sicque comprehensivè, ut infra magis explicabitur. Neque obstat summa illa Simplicitas, & Unitas Dei, cum qua stare possunt partes virtuales, & quoad nos.

Argues 9. Non magis repugnat, Deum uniri 29.
creaturæ comprehensibiliter, quàm personaliter; siquidem hoc fit per unionem realem, illud verò per unionem intentionalem; Deus autem per hanc minùs connectitur cum creatura, quàm per illam; sed potest, imò de facto est Deus hypostaticè, sive unione personali Humanitati Christi Domini unitus, ut est de fide; ergo saltem de possibili poterit comprehensibiliter uniri alicui intellectui creato unione intentionali. Respondeo negando majorem: licet enim absolutè loquendo, major sit Unio realis, seu physica, quàm intentionalis; & sola realis personalis dari possit in Deo: siquidem omnis alia realis, exceptâ personali, esset ad compositionem per accidens, quod in Deo implicat, ut jam alibi diximus: & absolutè non repugnet hujusmodi Unio intentionalis; siquidem hæc solùm ad intellectionem, & non ad compositionem ordinatur, ut patet in Visione Beata; talis tamen Unio intentionalis, quæ sit ad Deum comprehensibiliter, maximè repugnat, ut ex supra appositis fundamentis satis constat.

Argues 10. Ex P. Valent. cit. *punct. 6. §. quoad se-* 30.
cundam, licet ex Scriptura constet, nullam dari de

de facto creaturam, quæ Deum comprehendat, nullum tamen est testimonium, ex quo colligatur, non esse possibilem aliquam, cui competat hujusmodi comprehensio; ergo saltem de potentia Dei absoluta erit possibilis. Respondeo negando antecedens, ut ex statim dicendis constabit. Sit igitur.

31. Difficultas 2. Utrùm Deus dicatur Incomprehensibilis de potentia absoluta, non solùm respectu creaturæ de facto à Deo conditæ, sed etiam cujuscunque creabilis, & possibilis? Affirmativè. Ita expresè *Cabrer. Ledesma, P. Mol. P. Soar.* & alii supra cit. Probatur primò, quia comprehensio Dei denegatur omnibus Beatis; imò & Animæ Christi Domini, deducendo ad impossibile rationes oppositas; ergo signum est, eandem negari cuilibet creaturæ etiam factibili; quod enim est impossibile nulli conceditur. Secundò, quia quidam ex Sanctis Patribus Dei comprehensionem creaturæ denegant, quia creatura est: alii, quia finita: alii, quia est propria solius Dei; sed hæc omnia militant contra creaturam etiam possibilem; ergo &c. Tertiò, quia testimonia Scripturæ, definitio Concil. Lateran. imò & ratio breviter apposita idem non obscurè significant, ergo &c.

32. Oppositum videtur sentire solus P. Valent. loco proximè cit. ex illius adducta ratione, quæ potest à simili confirmari sic: Ex testimoniis Sacræ Paginæ, & Sanctor. Patr. quibus probatur, Deum esse creatæ menti Invisibilem, solùm colligitur de fide, talem esse respectu intellectus creati, non tamen creabilis; ergo similiter dicendum de illius Incomprehensibilitate. Ad insinuatam rationem P. Valent. patet jam solutio ex supra dictis; ad illius tamen confirmationem. Respondeo primò negando antecedens; probabilius enim existimo de fide esse, Deum videri non posse facultate naturali alicujus intellectûs etiam creabilis, ut patet ex supra, & alibi jam dictis. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam: nam testimonia, & definitio Ecclesiæ pro divina Incomprehensibilitate sunt adeò manifesta, ut nullam in oppositum patiantur explicationem Theologo dignam.

33. Difficultas 3. Utrùm possibilis sit species impressa comprehensiva Dei? Negativè. Probatur, quia species impressa tota, & totaliter ordinatur essentialiter ad speciem expressam, tamquam actus primus ad actum secundum; sed impossibilis est species expressa adæquata intelligibilitati divinæ, ejusque comprehensiva, ut hactenùs diximus; ergo etiam impossibilis erit species impressa sic ei adæquata, & comprehensiva; ex impossibilitate enim actûs secundi benè arguitur impossibilitas actûs primi. Ita debent tenere Doctores omnes supra citati *num. 7.* qui id defendunt de specie expressa, sive cognitione comprehensiva Dei. Hæc præsens difficultas longiorem exigebat tractationem, quia tamen de illa satis egimus in Logica *tract. 6. d. 4. à num. 99.* quæ hic transcribenda erant, ibi videnda habes, & legenda.

SECTIO II.

Cur cognitio creata intuitiva Dei non sit ejusdem comprehensio?

DUBITANDI ratio pro præsenti quæstione desumitur ex eo, quia cognitio creata intuitiva Dei necessariò attingit omnia, quæ sunt formaliter in Deo; sed hoc stare posse absque comprehensione totius divinitatis videtur creditu difficillimum, ut constat; ergo &c. Igitur: 34.

Prima de hac re sententia statuit, ideò cognitionem creatâ intuitivam Dei non posse eum comprehendere, quia non est ens à se, & infinita in omni genere; consequenterque adæquata in entitate ipsi Deo. Ita *Rubion q. 1. Prolog. art. 2. conclus. 1 Greg. in 1. dist. 44. q. 4. art. 2. ad 9. Major. in 3. dist. 14. q. 4. ad 1. & in 4. dist. 49. q. 15.* Et in hunc sensum explicat *P. Vasq. 1. p. d. 49. cap. 2. & d. 53. cap. 2.* communem sententiam de Incomprehensibilitate Dei, asserens prout sic explicatam esse de fide. 35.

Probant hanc suam sententiam, quia ad comprehensionem perfectam requiritur adæquatio inter potentiam, & objectum; hæc autem solùm dari potest inter Cognitionem Increatam, & Deum clarè visum; siquidem tam ille, quàm illa sunt entia à se, & infinita; ergo &c. Confirmatur, quia lumen gloriæ, aut elevatio nostri intellectûs infinita non est impossibilis; ergo ratione illius attingi potest Deus quantùm est cognoscibilis; sed posita hac cognitione, adhuc divinitas non comprehenderetur, quia prædicta adæquatio non daretur; ergo necessariò recurrendum est ad cognitionem à se infinitam in omni genere. 36.

Rejicitur primò, quia comprehensio in corporalibus à qua desumpta est Metaphora ad intellectionem, non requirit hanc adæquationem entitativam inter comprehendens, & comprehensum; siquidem sæpè ea, quæ deteriora sunt in entitate, comprehensivè continent nobiliora, ut mille exemplis patet; ergo neque in spiritualibus. 37.

Secundò, quia hęc adæquatio, aut esset necessaria, quatenùs ad comprehensionem requiritur cognitio perfectissima, quæ haberi potest de tali re: aut quatenùs alia cognitio non sufficit præter illam, quæ objecto adæquatur in perfectione entitativa? Non primùm; alioquì solus Deus objecta creata comprehenderet, utpotè qui solus habet cognitionem omnium perfectissimam: Non secundum, alioquì intellectus creatus nullam substantiam posset comprehendere; siquidem cùm sit in entitate accidens, non potest sic substantiæ adæquari; ergo &c. Undè patet solutio ad probationem, & negatur antecedens confirmationis, quod infra explicabitur. 38.

Secunda sententia sustinet, ideò Visionem Beatam non esse Dei comprehensivam, quia solùm attingit Essentiam divinam quoad prædicata essentialia, non autem quoad omnia illa, quæ ad ejus intelligibilitatem spectant aliquo modo, quales sunt creaturæ; siquidem cùm sint infinitæ, non possunt distinctè percipi visione creata, aut creabili. Ita *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. num. 13. & 14.* quem sequuntur aliqui Recentiores. Probatur, quia cognitio comprehensiva necessariò debet attingere objectum quâtùm ex se cognoscibile est, 39.

ut supra diximus ex D. Aug. sed Essentia Divina peculiarem cognoscibilitatem sibi vendicat ex creaturis, ut ex effectibus, quæ tamen non possunt distinctè cognosci, cùm sint infinitæ, imò infinities infinitæ, ut dici solet; ergo &c.

40. Rejicitur tamen à *P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. num. 49. & à P. Gil. tomo 2. tract. 12. cap. 7. num. 7.* quia creaturæ solùm pertinent ad cognoscibilitatem Essentiæ divinæ in obliquo, quatenùs Essentia necessariam cum illis habet connexionem, & sine illis, tanquam terminis essentialibus, penetrari non potest; ergo in tantùm creaturæ nequeunt cognosci in Essentiâ clarè visâ, in quantum ex parte Essentiæ latet connexio aliqua essentialis cum ipsis, tanquam cum effectibus; ergo potiùs creaturæ ipsæ non cognoscuntur distinctè, quia non comprehenditur Essentia, quàm è contra, non comprehenditur Essentia, quia non cognoscuntur creaturæ, ut ait P. Soar.

41. Tertia sententia asserit, ideò Essentiam divinam non comprehendi à Beatis per Visionem Beatam, & intuitivam Dei, quia licet videant distinctè omnia, quæ sunt in Deo formaliter, non tamen distinguunt illa, quæ in eo continentur eminenter, seu quia non penetrant esse eminentiale Dei. Ita *Cabrer. 3. p. q. 10. a. 1. d. 1. ad 2. & 3. & d. 3 ad 1. & a. 2. d. 6. Ledesma de divin. perfect. q. 8. a. 9. conclus. 2.* quam videtur approbasse *P. Soar. tomo 1. in 3. p. d. 26 sect. 1. in 2. & 3. dicto. & Ægid. tomo 3. de Beatitud. q. in Appendice a. 1. §. 5. num. 19.* quatenùs dicunt illud ipsum requiri ad comprehensionem adæquatam. Est satis communis.

42. Probatur, quia ad comprehensionem perfectam, & adæquatam objecti requiritur penetratio distincta totius esse, non solùm formalis, sed etiam eminentialis ipsius objecti; alioqui hoc non cognosceretur quantùm ex se cognoscibile est, quod ad cognitionem perfectè comprehensivam requiritur; sed impossibile est distinctè percipi omne esse divinum eminentiale; siquidem necessarium esset, distinctè penetrari omnes connexiones, & habitudines, quas Deus habet cum infinitis creaturis, quod cum limitatione intellectûs creati stare nequit; ergo licet Beati intuitivè videant quæcumque formaliter sunt in Deo, non ideò illum comprehendunt comprehensione perfecta, quia adhuc quæ in eo sunt eminenter, non attingunt distinctè.

43. Rejicitur tamen à *P. Gil. tom. 2. tr. 12. cap. 7. num. 6.* & aliis Recentioribus, quia per illud esse eminentiale divinum, aut intelliguntur creaturæ, quatenùs sunt quædam participationes Dei in eo virtualiter contentæ, seu eminenter: aut intelligitur aliquid divinum re ipsa in Deo existens: Si primum, coincidit hæc cum sententia, quam proximè impugnavimus: Si secundum; ergo nihil aliud est ipsum esse eminentiale, quàm infinita Dei Potentia, cæteréque perfectiones, in quibus ipsæ creaturæ continentur eminenter; sed hæ rationes sunt in Deo formaliter, videnturque à Beatis intuitivè, sicut videtur Essentia, & cætera Attributa; ergo ad explicandam Incomprehensibilitatem Dei, recurrendum non est ad esse eminentiale, tanquam ad aliquid distinctum ab esse formali.

44. Quarta sententia, quàm singulariter tenet *P. Vasq. 1. p. d. 53. cap. 4. §. Arguet deinde* docet, ideò Beatos Deum non comprehendere in patria, quia non vident in Deo omnes creaturas ex vi Essentiæ priùs cognitæ. Fundatur, quia ut aliquod objectum comprehendatur, opus est, quod ex vi cognitionis ejusdem cognoscatur quidquid ab illo pendet; ita ut, si id solùm fiat concomitanter, non sit illius cognitio comprehensiva, sed aliundè juvabitur; sed creaturæ nequeunt cognosci ex vi Essentiæ priùs cognitæ, sed solùm concomitanter, ut ipse *P. Vasq.* latè probaverat *d. 49.* & nos ex eodem supra retulimus; ergo &c.

Rejicitur à *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 29. à num. 9. P. Albertin. quæst. 4. Theolog. ex 1. princip. num. 10.* & aliis: Primò, quia falsum est, creaturas, seu effectus Dei cognosci non posse ex vi Essentiæ priùs cognitæ, ut supra probavimus; ergo &c. Secundò, quia Beati de facto cognoscunt creaturas ex vi Essentiæ priùs cognitæ; siquidem Visio Beata, prout cadit in creaturas objectum secundarium, est discursiva; & tamen Deum non comprehendunt; ergo &c. Tertiò, quia Deus de facto se ipsum perfectissimè comprehendit, quin cognoscat creaturas ex vi Essentiæ priùs cognitæ; ergo ad perfectam cognitionem comprehensivam non requiritur cognosci effectus ex vi suæ causæ priùs cognitæ. 45.

Quinta Sententia affirmat, ideò Beatos in patria de facto Deum non comprehendere, nec posse etiam de potentia absoluta, quia licet ab illis cognoscatur intuitivè, & distinctè quoad perfectiones primarias, aliquæ tamen, imò infinitæ Dei perfectiones virtuales, & secundariæ ipsos Beatos latent quoad cognitionem nimirùm distinctam, & expressam, sive in particulari, quamvis quoad confusam, & per modum unius singuli omnia videant, ut supra diximus. Ita *Albert. 1. part. sum. tr. 3. quæst. 13. memb. 2. ad 4. & in 1. dist. 1. art. 15. ad 3. & ad 4. Alens. 1. p. quæst. 2. memb. 1. art. 2. ad 1. D. Thom. Opuscul. 72. & quæst. 8. de Verit. art. 4. ad 11. & 12. D. Bonavent in 1. dist. 3. 1. part. quæst. 1. ad 2. Durand. in 1. dist. q. 1. n. 10. Paludan. in 4. dist. 49. q. 2. art. 2. num. 14. Argentin. in 3. dist. 14. q. unica, a. 3. ad 3. Palat. in 1. dist. 1 d. 3. P. Gil tom. 2. tr. 12. cap. 8. & 9. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. à n 94. P. Albertin. q. 4. Theolog. ex 1. princip. à n. 6.* & alii. 46.

Probatur primò testimoniis Sacræ Paginæ, & Sanctor. Patr. quibus supra probavimus Deum esse Incomprehensibilem, etiam de potentia absoluta; sed talis dici nequit, quia in eo non cognoscuntur, quæ in ipso sunt cognitione à se, & infinita in omni genere; non quia in eo non cognoscuntur omnes creaturæ; non quia in eo non cognoscitur omne esse eminentiale distinctum à formali; non denique quia in eo non cognoscuntur omnes creaturæ ex vi Essentiæ priùs cognitæ; ergo ex eo, quod aliqua, quæ in eo formaliter continentur, non cognoscuntur, saltem quoad cognitionem distinctam, & in particulari. 47.

Probatur secundò ex variis modis loquendi Sanctor. Patr. & Theologor. Primus quatenùs dicunt, non videri à Beatis quid sit Deus: Secundus, non videri integrè, ex toto, & plenè ad plenum, sic *D. Aug. lib. Soliloq. cap. 31. D. Gregor. lib. 9. Mor. cap. 10. & lib. 10. cap. 10. & D. Isidor. cap. 41 in Exod.* Tertius, Beatos non cognoscere Dei Magnitudinem, Infinitatem, Immensitatem, ita *D. Dionys. cap. 1. de divin. Nominib. Tertul. Apologet. adverss. gent. cap. 17. D. Iren. lib. 4. contr. Hæres. hæres 37. D. Hilar. in psalm. 134.* ad illud *quia ego cognovi, &c.* Quartus, Beatos nescire quantus sit Deus, ut ait *D. Aug. serm. 190. de tempore. D. Laurent. Justin. lib. de Contemp. mundi cap. 12. D. Ambr. lib. 8. disp cõtr. gent.* Quintus Theologor. qui dicunt Deum videri à Beatis totum, sed non totaliter; sed 48.

omnes

omnes hi modi, & plures similes, veritatem habere non possunt, nisi aliqua fateamur, imò plura, & infinita eorum, quæ sunt in Deo formaliter, non penetrari à Beatis, saltem cognitione distincta, & in particulari, prout sæpius explicavimus; ergo &c.

49 Probatur tertiò ratione, quia ad hoc ut Essentia divina dicatur comprehendi, debet cognosci, quantùm ex se cognoscibilis est, attingendo non solùm ejus Attributa, & perfectiones primarias, sed etiam omnem earum intensionem, & extensionem virtualem, penetrando, & distinguendo omnes, & singulas in particulari; siquidem omnes sunt Deo essentiales; alioqui non concipietur Essentia adæquatè, neque quantùm ex se cognoscibilis est, ut patet; sed hujusmodi perfectiones partiales intensionis, & extensionis sunt infinitæ, imò & infinities infinitæ, ut constat; ergo attingi nequeunt per virtutem finitam, qualis est, quæ datur in intellectu creato, aut creabili; consequenterque Incomprehensibilitas Divina consistit in eo, quod plures, imò & infinitæ perfectiones occultentur intellectui creato, aut creabili quoad cognitionem distinctam & in particulari.

50. Confirmatur à simili in creatis, quia qualitas intensa, aut quantitas extensa non dicitur comprehendi, nisi omnes partes intensionis, aut extensionis distinctè penetrentur: neque substantia aliqua metaphysicè spectata dicetur comprehendi, quoad usque intellectus percurrendo omnes illius gradus, perveniat ad illum, quo ultimò constituitur; alioqui cognitio comprehensiva non distingueretur à definitiva, quod dici non potest; ergo similiter, ut Essentia Divina comprehendatur, omnes illius perfectiones metaphysicæ intensivæ, & extensivæ, prout statim explicabimus, penetrandæ sunt quoad omnes earum partes, seu gradus virtuales. Quod ut meliùs intelligas.

51. Advertes primò, perfectiones divinas à nobis concipi ut partes Essentiæ metaphysicas, easque intensivas, & extensivas. Partes metaphysicæ, seu quasi metaphysicæ dicuntur perfectiones illæ, quæ sunt in Deo, seu in eo concipiuntur per modum generis, ut ratio entis, substantiæ, viventis, & similes; & quæ concipiuntur per modum differentiarum, qualia sunt omnia, & singula Attributa.

52. Perfectiones, seu partes intensivæ Essentiæ dicuntur omnes omninò Dei perfectiones, quatenùs earum quælibet secundùm suam rationem formalem, ut verum exemplar, infinitè excedit perfectionem creaturæ exemplarizatæ, etiamsi hæc in sua perfectione augeatur in infinitum; quæ tamen intensio non est formalis per additionem gradûs ad gradum, qualis datur in qualitatibus, sed virtualis, quæ etiam concipi potest in rebus creatis nobilioribus respectu minùs nobilium. Perfectiones, seu partes extensivæ Essentiæ dicuntur illæ tantùm, quæ concipiuntur in ordine ad extrinseca, ut ad objecta; aut quæ dicuntur, seu concipiuntur cum æquipollentia ad illa, quæ extensionem vendicant; & hæc extensio similiter non est formalis, qualis reperitur in Quantitate, sed solùm virtualis, ut constat.

53. Declaratur utriusque generis perfectio exemplo Scientiæ divinæ; hæc enim dicitur pars, seu perfectio intensiva, quatenùs, prout ad singula objecta terminatur, excessum habet infinitum supra claritatem, & perfectionem intensivam omnium cognitionum creatarum, & quot creatas excedit in perfectione, tot dicitur habere gradus intensionis virtualiter distinctos. Deindè eademmet Scientia dicitur perfectio extensiva, quatenùs ad plura, seu infinita objecta terminatur; & in eâdem similiter tot partes extensivæ virtute distinctæ admittuntur, ad quot objecta, & numero, & specie diversa terminatur. Eodem modo dicitur perfectio extensiva Immensitas, Æternitas, & similia Attributa, quia se ipsis æquipollent creaturis extensis majoribus, & majoribus in infinitum.

54. Advertes secundò, partes intensivas, & extensivas perfectionum Dei, prout proximè explicavimus, non esse minùs intrinsecas, & essentiales ipsi Deo, atque sunt partes, sive perfectiones quasi metaphysicæ supra assignatæ. Patet, quia deficiente perfectione partiali intensivâ, aut extensivâ, etiam minimâ, jam non esset Deus pelagus, & cumulus totius perfectionis, atque adeò Ens per essentiam, in quo ratio, & essentia ipsius Dei à Theologis constituitur. At verò in creatis partes intensionis, & extensionis, saltem actuales, rebus quæ intenduntur, & extenduntur, non sunt essentiales, ob rationes oppositas; secùs tamen dicendum de partibus intensivis, aut extensivis virtualibus, ut de se constat. Contra traditam sententiam:

55. Oppones efficaciter: Dari, aut non dari infinitum actu, saltem de potentiâ Dei absolutâ, versatur in opinione Philosophorum, & Theologorum, ut vidimus in Physica *tract. 3. d. 2. à num. 43.* & partem affirmativam defendunt *P. Fasol. P. Hurt. P. Arriag. ibid. cit.* & alii plures Recentiores; ergo non rectè defenditur, neque probatur Incomprehensibilitas Dei ex eo, quod repugnet infinitas ex parte intellectûs creati, aut saltem creabilis; siquidem cùm Incomprehensibilitas Dei à pluribus recipiatur ut dogma fidei, non debet niti fundamento adeò incerto, & quod sit in opinione.

56. Resp. dato antecedente, negando consequentiam, ad cujus probationem dicimus, licet quæstio illa de infinito actu, & categorematico versetur in opinione, satis tamen esse, quod pars negativa sit probabilis, imò probabilior, ut patet ex dictis loco proximè citato, ut rectè defendi possit dogma illud fidei, quod novum videri non debet; siquidem plura alia Mysteria fidei aliter non defenduntur, quàm per rationes probabiles, cùm eorum evidentiam in hac vita non habeamus: Ita se res habet in Mysterio, quo credimus Verbum Divinum procedere per generationem, & non ita Spiritum Sanctum, quod Mysterium, ut explicent Doctores, in varias sententias probabiles dividuntur, ut alibi videbimus; sicque de aliis.

57. Inferes: Ergo saltem ille, qui probabiliorem dixerit sententiam affirmantem, dari posse infinitum actu, nullam poterit rationem reddere, nullumque fundamentum habebit ad tuendam Incomprehensibilitatem Dei; hoc autem est contra sensum communissimum Theologorum; videturque repugnare Sacræ Paginæ in 1. Petr. cap. 3. ibi *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe*; ergo &c. Respondeo negando illationem; nam qui probabiliorem, existimaverit sententiam illam de infinito actu, & categorematico, ad minimum non potest negare, oppositam esse satis probabilem, quod satis erit ad fidei Mysterium ratione tuendum, ut diximus. Quod si adeò cæcutiat in meridie, ut illam improbabilem credat, novam excogitet rationem, qua prædictum Mysterium tueatur.

58. Urgebis: In opinione admittente infinitum actu non poterit fidelis solvere argumenta contra

hoc dogma fidei ab Hæretico, aut Ethnico proposita; hoc autem est contra Theologos in materia de fide; ergo &c. Respondeo negando majorem: satis enim est, opinionem, quæ negat infinitum actu, probabilem judicare, ut secundùm illam quælibet argumenta dissolvat. Hæc sententia, ut ex hactenùs dictis liquet, est valde probabilis, & sustineri potest.

59. Nihilominùs adhuc rejici potest: Primò, quia licet Beati de facto Deum non comprehendant ex eo, quod non cognoscãt distinctè quidquid est in Deo, ex infinito tamen numero divinarum perfectionum non rectè probatur Dei Incomprehensibilitas respectu intellectûs creati, aut saltem creabilis, qui possit hujusmodi infinitatem attingere; siquidem ad id nulla adducitur manifesta implicantia; ergo &c.

60. Secundò, quia tam infinitus est numerus perfectionum divinarum, quàm infinitus est numerus possibilium creaturarum, aut partium incertarum, seu potentialium alicujus quantitatis; siquidem uterque numerus est infinitus; unum autem infinitum non excedit aliud, saltem intensivè; sed nulla apparet repugnantia in eo, quod Deus elevet intellectum creatũ ad cognoscendum infinita possibilia, aut infinitas partes quantitatis distinctè, & in particulari; ergo neque in eo, quod elevari possit ad videndum in ipso Deo distinctè infinitas ejus perfectiones.

61. Tertiò, quia non magis videtur repugnare, objectum infinitum cognosci, idque quoad infinita, quæ habet, distinctè, & in particulari, quàm dari cognitionem creatam in entitate infinitam, aut lumen infinitè intensum; sed qui adstruunt infinitum actu, saldem de potentia absoluta (quæ opinio est probabilis, ut diximus) tenentur admittere infinitam cognitionem, & infinitum lumen de possibili; hoc autem, & illa possent attingere infinitum objectum; consequenterq; infinitas Dei perfectiones; ergo non rectè collocatur repugnantia comprehensionis Dei in eo, quod infinitæ Dei perfectiones non possint distinctè cognosci.

SECTIO III.

Proponitur, & stabilitur sexta sententia non minùs probabilis.

62. SExta Sententia non minùs probabilis quàm præcedens, (& si apud aliquos Recẽtiores probabilior,) asserit, Deum esse Incomprehensibilem ab ullo intellectu creato, aut creabili, quia hic Deũ non videt, neque videre potest ita perfectè, sicut Deus perfectè visibilis est. Ita prout statim explicabimus, tenent *D. Thom. 1. p. q. 12. a. 7. ad 3. & 3. p. q. 10. a. 2. ad 3. & q. 8. de Verit. a. 2. ad 2. & ad ult. & 3. contr. gent. cap. 53. Richard. in 3. dist. 14. art. 1. quæst. 4. Scot. ibid. quæst. 2. §. in prima quæst. Durand. q. 1. n. 10. Bassol. q. 2. fine. Aureol. quodlib. 10. a. 1. Sot in 4. dist. 49. q. 3. a. 1. ad 2. Capreol q. 6. a. 3. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 55. §. ult. P. Mol. 1. part. q. 12. art. 7. & 8. d. 2. ad 1. P. Arrub. 1. p. d. 23. cap. 4.* quos citat & sequitur *P. Amicus tomo 1. d. 10. n. 5. P. Præposit. 1. p. q. 12. art. 7. à n. 52. P. Compton. d. 20. sect. 3. à num. 6. de Anim. P. Rhodeꝛ tomo 1. d. 2. quæst. 4. §. 1. sect. 3.* & alii: ad cujus probationem.

63. Supponendum est primò, cognitionem comprehensivam alicujus objecti, ut talis sit, debere ipsi objecto dupliciter adæquari, prout alibi diximus in Logica *tract. 6. d. 4. à num. 52.* nempè *extensivè*, & *intensivè*: Tunc adæquatur *extensivè*, quando videntur omnia, quæ sunt in objecto, hoc tamen non sufficit ad rigorosam comprehensionem: tunc autem adæquatur *intensivè*, quando ita videntur omnia, quæ sunt in objecto, ut videantur cum omni perfectione possibili in modo cognoscendi, quæ exigitur ex parte objecti cognoscibilis, & tunc datur perfecta, & rigorosa comprehensio.

Supponendum secundò, hujusmodi perfectionem, quæ exigitur in modo cognoscendi, triplici- 64.
ter comparari ad objectum cognoscibile: primò, quando excedit exigentiam objecti cognoscibilis, ut patet in cognitione divina circa res creatas: Secundò, quando exceditur ab exigentia objecti cognoscibilis: Tertiò, quando cum objecto cognoscibili commensuratur: Primum non requiritur ad comprehensionem: secundum non sufficit: tertium sufficit & requiritur.

Supponendum tertiò, non omnem perfectio- 65.
nem entitativam, quam habet objectum cognoscibile, requiri ab eodem, prout stat sub ratione cognoscibilis; siquidem substantia creata potest comprehendi à cognitione creatâ, cùm tamen hæc sit accidens. Undè sicut perfectio cognitionis excedens objectum cognoscibile, habet se materialiter, & per accidens ad comprehensionem, ita etiam aliquando per accidens, & materialiter se habet perfectio entitativa objecti excedens cognitionem.

Supponendum quartò, ea postulari ab objec- 66.
to formaliter in ratione intelligibilis, quæ formaliter competunt intellectivo in ratione intellectivi; siquidem hæc duo sunt correlativa; sed intellectivum formaliter sequitur ad abstractionem à materia; ergo ea perfectio, quæ spectat formaliter ad abstractionem à materia, spectat etiam formaliter ad rationem intellectivi, & intelligibilis; ergo cùm triplex sit modus immersionis in materia, triplex numerari potest abstractio ab illa in potentia cognoscitiva in ordine ad cognoscibile. Unde aliquando vis cognoscitiva est totaliter immersa in materia cum affectione ad organum sensibile, ut sit in potentia visiva, & ab hac immersione abstrahit intellectus humanus: aliquando est immersa in materia physica per unionem sine affectione ad organum, ut sit in intellectu humano pro hac vita, & ab hac immersione abstrahit intellectus Angelicus: aliquando tandem est immersa in materia metaphysica, qualis est possibilitas ad essendum, & ab hac immersione nullus intellectus abstrahit, nisi solus divinus, qui solus est actus purissimus, absque ulla potentialitate. His suppositis.

Probatur impossibilitas comprehensionis Dei 67.
per intellectum creatum, aut creabilem in hunc modum: quia ut daretur hujusmodi comprehensio, debebat modus cognoscendi creatus adæquari, non solùm *extensivè*, sed etiam *intensivè* cognoscibilitati objecti cognoscibilis, nempè Dei, ita ut tantùm Deus cognosceretur, quantùm postulat cognosci; sed hujusmodi adæquatio intensiva est impossibilis; ergo &c. Probatur minor, quia ut cognoscitivum adæquetur intensivè cognoscibili, nempè secundùm illius exigentiam, debet utrumque esse in eodem ordine abstractionis à materia, prout proximè diximus; sed impossibilis est creatura, licet perfectissima, quæ sit in eodem ordine abstractionis à materia cum Deo; siquidem Deus, cùm sit actus purissimus, abstrahit

possibi-

ab omni materia etiam metaphysica, nempè à possibilitate ad essendum; creatura autem, cùm sit essentialiter ens ab alio, abstrahere nequit à possibilitate ad essendum; ergo impossibilis est adæquatio intensiva inter intellectivum creatum, & intelligibile Increatum; consequenterque cognitio creata, quæ sit comprehensiva Dei.

68. Objicies 1. Hæc sententia, prout sic explicata, videtur coincidere cum primâ, & quintâ sententia; siquidem prima ad comprehensionem Dei requirit cognitionem, quæ sit ens à se, consequenterque Increata; quinta autem cognitionem in entitate, & modo cognoscendi infinitam, quæ proindè possit infinitas Dei perfectiones distinctè attingere; atqui præsens sententia requirit cognitionem, quæ sit actus purissimus, quale est objectum, nempè Deus; si autem talis sit, erit procul dubio Increata, & in entitate infinita; ergo coincidit cum prædictis sententiis; consequenter per eam non benè aliæ rejiciuntur.

69. Respondeo negando majorem; quinta enim sententia ideò non placuit, quia supponebat, sufficere ad comprehensionem Dei cognosci distinctè omnia, quæ sunt in Deo, quod negamus: prima verò, quia ad id postulabat adæquationem entitativam, cujus oppositum ostendimus: hæc autem magis placet, quia ad comprehensionem Dei exigit intensivam adæquationem cognoscitivi cum cognoscibili; consequenterque quod utrumque sit in eodem ordine abstractionis à materia, quod est impossibile. Undè si aliqua cognitio attingens Deum esset per impossibile actus purus, & neq; Increata, neque infinita esset, adhuc Deum comprehenderet: similiter è contra, si Deus esset actus purus, & per impossibile non esset Increatus, neque Infinitus, adhuc implicaret comprehendi à creatura.

70. Objicies 2. Tota ratio comprehensionis in eo est, quod per cognitionem attingatur quidquid est in objecto; defectus verò adæquationis inter cognitionem creatam, & objectum Increatum, est quid materiale, & per accidens; sicut tale est inter substantiam, & cognitionem accidentalem illius comprehensivam; ergo frustra exigitur, quod cognitio comprehensiva sit in eodem ordine abstractionis cum objecto cognoscibili.

71. Respondeo negando antecedens; non enim sufficit ad comprehensionem attingere quidquid est in objecto, sed requiritur modus attingendi ita proportionatus, ut omninò commensuretur exigentiæ objecti: quod verò objectum sit substantia, & cognitio sit accidens, hoc est valdè materiale per ordinem ad abstractionem à materia, & habet se per accidens in ratione cognoscibilis, & cognoscitivi, & est speciale in creatis, quod cognitio sit accidens, utpotè actus vitalis potentiæ advenies: secùs autem se res habet in ratione creati, & Increati; siquidem nunquam possunt sibi perfectissimè correspondere, & adæquari ex eo, quod nequeant esse in eodè ordine abstractionis à materia.

72. Objicies 3. Angelus inferior potest superiorem comprehendere; & tamen ejus cognitio non pertingit ad perfectionem cognitionis, qua Angelus superior se adæquat; ergo etiam creatura poterit Deum comprehendere, licet ejus cognitio non pertingat ad perfectionem cognitionis, qua Deus se ipsum intelligit. Respondeo primò cum multis negando majorem ob rationem insinuatam. Respondeo secundò, data majori, & minori, sive comprehensio habeatur naturaliter, sive divinitùs per elevationem potentiæ; negando consequentiam: disparitas est manifesta ex dictis, quia uterque Angelus est in eodem ordine abstractionis à materia physica, sicque excessus solùm est entitativus, qui materialiter, & per accidens se habet ad comprehensionem, ut diximus: at verò Deus, & cognitio creata numquam possunt esse in eodem ordine abstractionis à materia, ac proindè excessus est formalis in ratione cognoscibilis ad cognoscitivum, ideoque non potest unquam à creatuta aliqua comprehendi. Ex hactenùs dictis.

Colliges primò, radicem, & fundamentum Incomprehensibilitatis divinæ esse infinitudinem entitatis, & intelligibilitatis divinæ, aut quatenùs aliquæ, seu infinitæ Dei perfectiones, saltem virtuales, & secundariæ non attinguntur, neque etiam de possibili attingi possunt à cognitione aliquâ creatâ intuitivâ expressâ, & in particulari, ut tenet quinta Sententia, & Doctores ibi citati: aut quatenùs hæc infinitudo, seu intelligibilitas divina non potest ita perfectè attingi à cognitione aliqua creata, ut per illam possit adæquari non solùm extensivè, sed etiam intensivè, ideò attingendo omnia quæ sunt in objecto cum omni perfectione possibili in modo cognoscendi, quo postulat cognosci objectum cognoscibile, ut diximus in hac sexta Sententia. 73.

Colliges secundò, non solùm ipsum Deum in se esse Incomprehensibilem ab intellectu creato, aut creabili, sed etiam omnia, & singula ejus Attributa; siquidem eædem pro illis militant rationes, quæ pro Incomprehensibilitate Essentiæ divinæ sunt assignatæ, si cum proportione applicentur. Ita expressè *Albert. in 1. dist. 1. art. 5. & dist. 2. art. 13. D. Bonav. in 3. dist. 14. art. 1. q. 2. ad. 4. P. Gil. tom. 2. tract. 12. cap. ult. n. 2. Cabrer. 3. q. q. 10. art. 1. d. 2. ad 6.* Probatur ex Sacra Pagina de *Omnipotentia* Job. 11. *Forsitan*, ait, *vestigia ejus comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies.* De *Sapientia* Job. 28. ibi: *Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque Cœli latet, Deus intelligit viam ejus, ipse novit locum illius.* De Divina *Pace* ad Phil. 4. ibi: *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum.* De Æterna *Generatione* Isai 53. *Generationem ejus quis enarrabit:* sicque de aliis, quæ loca in hunc sensum à Sanctis Patribus, & Theologis explicari solent; ergo &c. 74.

SECTIO IV.

Quid sit objectum cognosci quantùm ex se cognoscibile est?



Uoniam ex hactenùs dictis constat, ad veram comprehensionem exigi, quod objectum cognoscibile cognoscatur quantùm ex se cognoscibile est, & Deum non posse sic cognosci; consequenterque neque comprehendi, pro majori tamen utriusque explicatione nonnullæ sunt difficultates à nobis expediendæ. Sit igitur: 75.

Difficultas 1. Utrùm si objectum attingatur secundùm omnes suas rationes, habitudines & connexiones, cognitione quidem certâ, sed inevidenti, sufficiat ad ejus cognitionem comprehensivam? Negativè. Probatur, quia objectum, ut dicatur comprehendi, debet cognosci, quantùm ex se cognoscibile est; sed non ita cognoscitur per cognitionem certam, sed inevidentem; siquidem quodlibet objectum est cognoscibile per aliquam potentiam cognitione evidenti, sive ex terminis, sive 76.

sive per medium à priori, vel à posteriori, quæ est major, & perfectior cognoscibilitas; ergo objectum cognitum cognitione certâ inevidenti non cognoscitur, quantùm ex se cognoscibile est; consequenterque neque comprehensivè.

77. Confirmatur primò, quia evidens cognoscibilitas radicalis cujusque objecti est quædam habitudo illi intrinseca in ordine ad sui cognitionem; sed quamdiu cognitio est inevidens, non attingitur in objecto talis habitudo; ergo non attingitur objectum quantùm ex se cognoscibile est; ac proindè neque comprehensivè. Secundò ab exemplo, quia Sol quamdiu è longinquo videtur, ab oculo non comprehenditur; siquidem cùm sit magis visibilis, quatenùs è loco propinquiori clariùs videri potest, quandiu è longinquo videtur, non videtur quantum visibilis est; ergo etiam objectum cognitum quoad omnia obscurè, & inevidenter non comprehenditur, quia adhuc potest clariùs & evidentiùs cognosci.

78. Difficultas 2. Utrùm objectum, ut censeatur cognosci quantùm cognoscibile est, debeat cognosci summa claritate, & intensione cognitionis possibili? Negativè Ita *P. Soar. tomo 1. in 3. p. d. 26. sect. 1.* & communiter Theologi. Probatur, quia objectum tunc censetur cognosci quantùm ex se cognoscibile est, quando adæquatè, & secundùm exigentiam suæ propriæ naturæ cognoscitur, prout supra diximus; quidquid enim excedit hujusmodi exigentiam per accidens se habet, & materialiter, ut etiam diximus; sed nulla res creata, utpotè finitæ, & limitatæ perfectionis, habet exigentiam, ut cognoscatur summa claritate, & intensione cognitionis; ergo sine hac claritate, & intensione potest cognosci, quantùm ex se cognoscibilis est; consequenterque comprehensivè. Confirmatur, quia alioqui solus Deus posset comprehendere res creatas, utpotè qui solus eadem summa claritate, & intensione cognitionis percipit; hoc autem dici nequit; ergo &c.

79. Dices: Quamdiu objectum summa claritate, & intensione cognitionis non attingitur, adhuc est ulterius cognoscibile; siquidem adhuc à creatura perfectiori, ac perfectiori in infinitum ab ipso Deo, cognosci potest claritate & intensione majori, ac majori; ergo quamdiu summa claritate, & intensione non cognoscitur, non attingitur quantùm cognoscibile est; consequenterque non comprehenditur. Respondeo distinguendo antecedens: adhuc est ulterius cognoscibile ab extrinseco, nempè ex parte potentiæ cognoscitivæ perfectioris; concedo antecedens: ab intrinseco, nempè secundùm propriam exigentiam; nego antecedens: hoc autem sufficit, ut dicatur cognosci quantùm cognoscibile est; ac proindè comprehendi, ut diximus.

80. Difficultas 3. Utrùm objectum, ut comprehensivè cognoscatur, necessarium sit ipsum penetrare claritate, & intensione visionis eidem commensuratâ, ideſt, certâ, & determinatâ, & postulatâ à natura ipsius objecti, quod comprehenditur juxta mẽsuram entitatis, & intelligibilitatis propriæ? Affirmativè. Ita *P. Albertin. q. 4. Theolog. ex 1. princip. n. 5. P. Arrub. 1. p. d. 23. cap. 4. P. Recupit. lib. 6. q. 40. à n. 10.* & alii supra cit. Probatur primò, quia ad rigorosam cognitionem comprehensivam omninò requiritur, objectum cognosci quantùm cognoscibile est, ut patet tum ex dictis, tum ex definitione comprehensionis; sed quamdiu non datur claritas, & intensio cognitionis commensurata objecto cognoscibili secundùm ipsius postulantiam, ipsum manet magis cognoscibile ab intrinseco; ergo non cognoscitur quantùm cognoscibile est; consequenterque non comprehenditur; ergo ad sui comprehensionem necessariò requirit prædictam claritatem, & intensionem.

Probatur minor, quæ sola indiget probatione: 81.
primò authoritate *D. Thom. 3. q. 10. a. 2. ad 3.* ubi concedit, & si Anima Christi Domini cognoscat omnia quæ Deus videt, adhuc illius visionem futuram inæqualem Visioni Divinæ ratione claritatis. Idem docet *q. 20. de Verit. a. 4. ad 9. & in 3. dist. 27.* ubi priùs docuerat, ideò Deum totaliter non videri, quia non videtur ita clarè, ut est visibilis; ergo &c. Secundò ratione, quia qui assentitur propositioni demonstrabili à priori per solum medium à posteriori, aut opinativum, illam non dicitur comprehendere; siquidem illam non attingit intensione, & claritate eidem propriâ, & adæquatâ, qualis est sola, quæ habetur per medium à priori, in ordine ad quod manet adhuc cognoscibilis; ergo quamdiu objectum non cognoscitur claritate, & intensione sibi propriâ, & à se postulatâ, semper manet magis cognoscibile; ac proinde non cognoscitur quantùm ex se cognoscibile est, neque dicitur comprehendi.

Probatur secundò, quia de ratione objecti est 82.
non solùm cognitionem terminare, sed etiam illam effectivè producere, sive per se immediatè, si sit sufficienter intelligibile in actu, sive per species à se, vel à solo Deo productas, sive denique per entitatem alienam, quando ipsum ex vi suæ entitatis non potest habere rationem principii effectivi, quod ex Philosophia suppono probatum; sed non potest illam producere, quantùm est ex se, nisi commensuratam suæ propriæ intelligibilitati, saltem seclusis impedimentis, ut patet in productione specierum sensibilium à suis objectis, quæ semper in distantiâ proportionatâ, illis adæquantur in claritate, & intensione certâ, eisdemque commensuratâ; ergo pari modo se res habebit in productione cognitionum; ergo ut objectum cognoscatur quantùm cognoscibile est, consequenterque comprehendatur, necessariò requirit cognitionem in claritate, & intensione sibi commensuratam, & postulatam juxta mensuram suæ propriæ intelligibilitatis.

Oppositum tenent *Ledesma de divin. perfect. q. 8.* 83.
art. 9. Cabrer. 3. part. quæst. 10. art. 1. d. 1. P. Gil. tom. 2. tract. 12. cap. 11. à num. 5. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. num. 49. & alii asserentes, satis esse ad veram comprehensionem, cognosci objectum quoad omnes suas rationes formales, & habitudines necessarias claritate, & intensione sufficienti ad illas distinctè penetrandas, licet hujusmodi claritas, & intensio non commensuretur objecto, illiusque propriæ intelligibilitati: Pro quibus:

Objicies: Ad rationem comprehensionis suffi- 84.
cit, quod objectum cognoscatur, quantùm ex se cognoscibile est, ut ex definitione comprehensionis patet; sed hoc modo cognoscetur, si secundùm omnes suas rationes formales, & habitudines cognoscatur distinctè; cognosci enim majori, aut minori claritate, & intensione est quid per accidens, & materiale, ut supra diximus; ergo ad perfectam comprehensionem sufficit hujusmodi cognitio distincta absque illa claritate, & intensione postulatâ. Respondeo negando minorem: objectum enim, ut comprehensivè cognoscatur, postulat ab intrinseco, non solùm cognosci distinctè quoad omnes suas rationes formales, & habitudines, ut infrà dicemus, sed etiam tali claritate, & intensione, quæ adæquet ipsius intelligibilitatem, ut

supra

supra diximus. Undè licet quæcunque major claritas, & intensio sit per accidens ad comprehensionem objecti, utpotè quæ per accidens est ad omnimodam illius cognoscibilitatem, ut diximus; illa tamen claritas, & intensio quæ commensurari debeat exigentiæ objecti, non per accidens, sed per se requiritur.

85. Difficultas 4. Utrùm ad cognitionem comprehensivam objecti necessarium sit attingere connexiones illas, quas habet cum actibus liberis, aut effectibus aliis merè contingentibus? Negativè. Ita *D. Thom. 3. contr. gent. cap. 56. Ferrar. ibid. §. Pro solutione*, & alii, quatenùs docent ad comprehensionem sufficere, quod objectum attingatur secundùm omnes suas rationes formales, & habitudines, quas vendicat suâptè naturâ, quales non sunt connexiones cum actibus liberis, & effectibus contingentibus.

86. Probatur primò à priori, quia comprehensio est cognitio adæquata cognoscibilitati, quam res habet ab intrinseco, & sibi vendicat ex sua entitate, & perfectione connaturali; alioqui ad comprehensionem cujuslibet objecti necessaria esset cognitio eorum, quæ ad illam non pertinent, quæ infinita sunt, & omninò incerta; sed actus liberi, & effectus merè contingentes, saltem determinatè accepti, ad entitatem, & perfectionem connaturalem suæ causæ non pertinent; ergo cognitio talis connexionis, utpotè contingentis, impertinens est ad comprehensionem causæ.

87. Probatur secundò à posteriori, quia Angeli superiores comprehensivè cognoscunt inferiores, ut est communissima Theologorum sententia; & tamen illorum actus liberos intellectûs, & voluntatis non attingunt, ut est certissimum; ergo ad comprehensionem non requiritur istorum actuum cognitio.

88. Dices: Ad comprehensionem requiritur cognitio omnis cõnexionis necessariæ, ut diximus; sed omnis causa libera, nempè voluntas, habet necessariam cõnexionem cum effectibus liberis; siquidem cùm sit essentialiter libera, nequit intelligi, sicque neque cognosci sine ordine, seu habitudine ad effectus liberos; ergo ad sui comprehensionem requiritur cognitio prædictæ connexionis. Respondeo distinguendo minorem: habet necessariam connexionem cum effectibus liberis in communi, & indeterminatè acceptis; concedo minorem: in individuo, & determinatè sumptis; nego minorem: Undè licet connexio priori modo accepta spectet ad essentiam causæ liberæ, & ut sic illius cognitio necessaria sit ad comprehensionem causæ: posteriori tamen modo accepta, in quo sensu loquimur, est contingens, & habet se merè per accidens ad cognitionem comprehensivam causæ.

SECTIO V.

Utrùm cognitio distincta omnium creaturarum in Verbo sit necessariò conjuncta cum comprehensione Dei?

89. SUPPONO cum communissima Theologorum sententia, nec dari, nec intelligi posse comprehensionem Dei absque cognitione distinctâ omnium creaturarum in Verbo. Patet, quia cognitio Dei comprehensiva debet necessariò distinctè attingere omnes ejus perfectiones, tam primarias, quàm secundarias, quæ necessariam habent connexionem cum creaturis, consequenterque ipsas connexiones, & habitudines, quas habent ad creaturas; ergo ut Deus distinctè, & comprehensivè cognoscatur, necessaria est cognitio distincta creaturarum.

90. Difficultas solùm hîc est: Utrùm distincta cognitio creaturarum sit necessariò conjuncta cum comprehensione Dei? An (quod idem est) ex distincta cognitione omnium creaturarum necessariò sequatur Dei comprehensio? Advertes primò, cognitionem distinctam creaturarum haberi posse, aut in Verbo, quando scilicet ex visionis Verbi continentis, & repræsentantis creaturas, ipsæ attingantur: aut in proprio genere, quando scilicet aliundè, sive per revelationem, sive per proprias species acquisitas, vel infusas cognoscantur. Secundò, cognitionem etiam creaturarum in Verbo posse esse definitivam tantùm, nempè si attingantur secundùm prædicata essentialia: aut comprehensivam, nempè si attingantur quantùm ex se cognoscibiles sunt usque ad ultimam differentiam, & secundùm omnes suas formalitates, & habitudines. His positis.

91. Variæ sunt Authorum sententiæ: Prima absolutè negat ex distinctâ cognitione omnium creaturarum in Verbo sequi comprehensionem ipsius Verbi, sive Dei. Ita *Durand. in 3. dist. 14. q. 2. n. 6. Scot. ibid. q. 2. §. Contra rationem, & §. Potest dici. Gabr. q. unica. art. 1. Notab. 2. Mayron. dist. 2. q. 3. P. Vasq. 1. p. d. 49. cap. 2. P. Albertin. q. 4. Theolog. ex 1. princip. n. 29.* & alii.

92. Secunda sentẽtia absolutè affirmat ex cognitione distinctâ omniũ creaturarum in Verbo sequi comprehensionem Dei. Ita *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 8. & 3. p. q. 10. art. 2. & lib. 3. contr gent. cap. 56. Argentin. in 3. dist. 14. q. unica art. 3. conclus. 1. Paludan. q. 1. art. 3. Marsil. q. 10. art. 2. 3. p. conclus. 1. Carthus. in 4. dist. 49. q. 4. quæst. 3. Bannez 1. p. q. 12. art. 8. dub. unico. Zumel. q. unica. Cabrer. 3. p. q. 10. a. 1. d. 3. concl. 1. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 8. d. 1. conclus. 1. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. & 3. p. tom. 1. d. 26. sect. 3.* & plures alii.

93. Tertia sententia loquitur cum distinctione proximè assignatâ, asseritque, cognitionem creaturarum in Verbo, si sit earum comprehensiva, habere annexam comprehensionem Dei; non ita verò, si solùm sit earum definitiva. Ita quoad primam partem *Antonius Andr. in 3. dist. 14. P. Gil. tom. 2. tract. 12. cap. 15. à n. 10. P. Sal. 1. 2. d. 4. sect. 6. n. 99. &* 104. Quoad secundam partem exprimitur ab eisdem Doctoribus, & ab *Scot. in 3. dist. 14. q. 2. § Potest dici*: & aliis ex Recentioribus, Quid nobis tenendum sit? Jam dicimus: Sit igitur:

94. Conclusio 1. Ex cognitione distinctâ, & solùm definitivâ creaturarum in Verbo non infertur comprehensio Dei. Ita Doctores supra citati pro prima sententia, & pro tertia quoad secundam partem. Probatur, quia ut detur comprehensio Dei, etiam in ratione causæ creaturarum, debet cognosci in ea ratione, quantùm cognoscibilis est, sicque secundùm omnes habitudines & connexiones, quas habet cum ipsis creaturis ut effectibus; sed licet omnes creaturæ distinctè, & definitivè cognoscantur in Verbo, adhuc Deus non cognoscitur quantùm cognoscibilis est in ratione causæ; siquidem adhuc non cognoscitur secundùm omnes habitudines, quas habet, & habere potest cum creaturis; ergo adhuc posità tali cog-

cognitione, non rectè infertur ejus comprehensio. Confirmatur, quia posita tali cognitione, non est verum dicere, cognosci omne ens creatum, & creabile, quantùm cognoscibile est; siquidem, ut supponimus, non cognosceretur comprehensivè; ergo neque verum erit dicere, cognosci Creatorem, quantùm cognoscibilis est in ordine ad creaturas; consequenterque neque comprehendi,

95. Dices: Cognitâ comprehensivè virtute causæ, necessariò comprehenditur ipsa causa; sed si ex vi cognitionis Verbi cognoscantur distinctè omnes creaturæ, comprehendetur virtus ipsius Causæ Increatæ; siquidem tunc cognoscitur comprehensivè virtus causæ, quando cognoscitur omnis habitudo, & connexio, quam habet cum omni effectu; omnes autem creaturæ non possent cognosci distinctè in Verbo, nisi cognoscerentur omnes habitudines, & connexiones, quas habet cum omni creatura possibili, quatenùs illius causa efficiens, & exemplaris; ergo ex cognitione distinctâ in Verbo sequitur, Deum comprehendi. Respondeo negando minorem, & illius probationem quoad secundam partem; licet enim omnes creaturæ distinctè cognoscantur in Verbo, adhuc non attinguntur secundùm omnes omninò differentias, rationes producibiles, & modos producendi; alioqui comprehensivè, & non solùm definitivè attingerentur, ut supponimus; sicque non cognoscitur adæquatè virtus causæ secundùm omnes habitudines, & connexiones, ac proindè neque comprehensivè.

96. Conclusio 2. Ex cognitione distinctâ, etiam comprehensivâ omnium creaturarum in Verbo, non infertur præcisè comprehensio Dei. Ita videntur sentire Doctores citati pro prima sententia, quatenùs absolutè negant ex cognitione distincta omnium creaturarum in Verbo sequi comprehensionem Dei: tenent etiam expresè aliqui Recentiores.

97. Probatur, quia ut aliquod objectum comprehensivè cognoscatur, non sufficit cognosci distinctè quoad omnia, quæ continet formaliter, & eminenter, sed ulterius requiritur cognosci tanta claritate, & intensione cognitionis, quantâ adæquetur exigentiæ intelligibilitatis ipsius objecti, ut supra diximus; sed licet quis in Verbo cognoscat omnes creaturas possibiles, futuras, & existentes comprehensivè, ex hoc præcisè non infertur, cognoscere Deum tanta claritate, & intensione cognitionis, quantâ Deus postulat cognosci; ergo ex tali cognitione non sequitur præcisè ejus comprehensio.

98. Probatur minor, quæ sola indiget probatione, quia solùm potest dari comprehensio, ut supra diximus, quando cognoscitivum, & cognoscibile ita adæquantur, ut sint in eodem ordine abstractionis à materia; siquidem solùm tunc cognoscibile potest percipi à cognoscitivo secundùm omnem exigentiam suæ intelligibilitatis; sed licet intellectus creatus cognoscat in Verbo omnes creaturas distinctè & comprehensivè, adhuc ex hoc præcisè non sequitur manere in eodem ordine abstractionis à materia cum Deo; siquidem adhuc maneret creatura, sicque nequaquam expers potentialitatis, & materiæ, saltem metaphysicæ, Deus autem est actus purissimus; ergo &c.

99. Advertes, me dixisse in conclusione *non infertur præcisè comprehensio Dei*, quia ex facta suppositione infertur ad summum, cognitionem illam creatam sic attingentem omnes creaturas fore infinitam in intensione; siquidem quò cognitio plura attingit, eò intensior est; sed attingeret infinita distinctè; ergo infinita esset in intensione. Inferes: Ergo esset comprehensiva Dei. Respondeo negando illationem, nam plures admittunt in Deo potentiam ad producendum infinitum actu; & tamen adhuc negant, posse Deum comprehendi, & quidem meritò; siquidem adhuc ulterius requiritur, quod potentia comprehendens sit actus purus, ut possit esse in eodem ordine abstractionis à materia cum objecto comprehendendo.

Urgebis: Ex communi sententia impossibilis est 100.
cognitio creata infinita; siquidem hoc solùm est proprium cognitionis Increatæ; sed cognitio illa attingens omnes creaturas distinctè esset infinita; ergo esset Increata, & actus purus, consequenterque comprehensiva Dei. Respondeo hoc admisso, sequi quidem comprehensionem Dei, sed remotè, non immediatè, & præcisè ex cognitione illâ distinctâ omnium creaturarum, ut dicimus. Patet, quia ex cognitione distincta unius perfectionis divinæ, aut creaturæ in Verbo, non sequitur illas cognosci tantâ claritate & intensione, quantâ postulant cognosci; ergo ex cognitione distincta omnium creaturarum non sequitur præcisè omnes perfectiones divinas, & creaturas cognosci tanta claritate, & intensione, quantâ postulant cognosci; ergo neque cognosci comprehensivè.

Dices: Cognitio illa effectuum argueret cog- 101.
nitionem comprehensivam causæ, qua ipsa causa cognosceretur, quantùm cognoscibilis est; sed ex cognitione omnium creaturarum, sive effectuum Dei, quales sunt ipsæ creaturæ in Verbo, arguitur cognosci Deum quà causam, quantùm cognoscibilis est; siquidem cùm cognitio illa effectuum, sive creaturarum, sit earum comprehensiva, nulla habitudo, & connexio Dei causantis lateret cognoscentem; ergo ex tali cognitione infertur Dei comprehensio. Respondeo negando minorem; licet enim, facta illa suppositione, cognoscerentur omnes habitudines, & connexiones Dei cum creaturis, & effectibus, adhuc ex eâ præcisè ratione non cognosceretur Deus comprehensivè, neque quantum cognoscibilis est; siquidem adhuc non cognosceretur tanta claritate, & intensione, quanta postulat cognosci, quod satis est, nè dicatur comprehendi. Additur, licet tunc nihil lateret cognoscentem ex parte Dei ut causantis, adhuc posse latere alias Dei perfectiones, quas ipse habet sine ulla habitudine ad creaturas, seu effectus causandos, secundùm quas potest magis, & magis clarè cognosci.

Conclusio 3. Ex cognitione comprehensiva 102.
omnium creaturarum in proprio genere non infertur comprehensio Dei. Ita *Capreol. in 4. dist. 49. q. ult. art. 3. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 56. §. Pro solutione. Caiet. 3. p. q. 10. §. Ubi nota. Cabrer. ibid. art. 1. d. 4. conclus. 2. Bannez 1. p. q. 12. art. 8. dub. unico ad 2. Zumel. ibid. art. 7. Notabil. 1. P. e Mol. 1. p. q. 12. art. 8. d. 2. §. Quartum est, & ad 2. P. Vasq. 1. p. d. 49. cap. 2. §. 1. fine. P. Soar. 3. p. tom. 1. d. 27. sect. 4. §. Contraria sententia. P. Gil. tom. 2. tract. 12. cap. 16. à num. 8.* & alii.

Probatur primò, quia illa sola cognitio habet 103.
annexam comprehensionem Dei, ex quâ infertur, Deum cognosci, quantùm ex se cognoscibilis est; sed non ita infertur ex cognitione comprehensiva omnium creaturarum in proprio genere; siquidem ex hac solùm sequitur, cognosci Deum, quantum est cognoscibilis, abstractivè, & à posteriori, nempè

nempè per suos effectus, seu creaturas; præter hanc autem cognoscibilitatem Deus est ulterius cognoscibilis intuitivè, in se ipso, seu ex propriis terminis, quæ tamen cognoscibilitas non attingitur per eam cognitionem abstractivam creaturarum; ergo ex ea non sequitur, cognosci Deum, quantùm ex se cognoscibilis est; consequenterque neque comprehendi.

104. Probatur secundò, quia nulla propositio, quæ habet medium à priori, aut est cognoscibilis ex suis terminis, dicitur comprehendi, quamdiu solùm cognoscitur per fidem humanam, opinionem, aut medium solùm à posteriori; siquidem prout sic cognoscibilitate sibi propriâ, & adæquatâ non cognoscitur; sed Essentia divina, sive Deus, quamdiu in se ipso non cognoscitur cognoscibilitate sibi propria, & adæquata, non cognoscitur, quantùm cognoscibilis est, neque comprehenditur; quando autem cognoscitur ex cognitione illâ creaturarum in proprio genere non cognoscitur cognoscibilitate sibi propriâ, & adæquatâ, ut diximus; ergo &c.

105. Probatur tertiò, quia cognitio comprehensiva creaturarum in Verbo habet annexam perfectiorem cognitionem Dei, quàm habet earum cognitio comprehensiva in proprio genere; siquidem illa est conjuncta cum cognitione intuitiva Dei, hæc autem cum abstractiva; sed ex illâ comprehensivâ creaturarum in Verbo non infertur comprehensio Dei, ut supra diximus; ergo neque ex hac in proprio genere.

106. Oppositum tenet *P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. num. 104.* & aliqui Recentiores: Pro quibus: Argues 1. Ex cognitione comprehensiva omnium creaturarum in Verbo sequitur comprehensio Dei; ergo etiam ex earum cognitione comprehensiva in proprio genere. Respondeo primò negando antecedens, ut patet ex supra & proximè dictis, ex quo potiùs confirmatur, quàm infirmatur nostra doctrina. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia cognitis comprehensivè omnibus creaturis in Verbo, cognoscitur Deus intuitivè, & in se, sicque quantùm cognoscibilis est, ideòque comprehensivè: at verò cognitis in proprio genere, solùm cognoscitur Deus abstractivè, & à posteriori; cognitio autem à posteriori & mediata, cùm non sit cognitio rei, quantùm cognoscibilis est, comprehensiva esse nequit.

107. Argues 2. Cognitis comprehensivè omnibus creaturis in proprio genere, necessariò debent etiam distinctè cognosci omnes partes virtuales, habitudines, & connexiones Potentiæ, Scientiæ, & exemplaris Divini, tam intensivæ, quàm extensivæ; siquidem creaturæ ad omnes dictas perfectiones habent distinctos respectus; sed cognitis distinctè omnibus partibus virtualibus, habitudinibus, & connexionibus, tam intensivis, quàm extensivis istarum perfectionum, ipsæ perfectiones comprehensivè cognoscuntur; ergo &c. Respondeo negando minorem: nam ad comprehensionem alicujus perfectionis Divinæ, v. g. Omnipotentiæ, satis non est, quod omnes ejus partes intensivæ, & extensivæ cognoscantur, nisi etiam cognoscantur cognoscibilitate sibi propriâ, connaturali, & adæquatâ, qualiter non perciperetur ex cognitione illa comprehensiva creaturarum in proprio genere, ut patet ex dictis.

108. Argues 3. Cognitio comprehensiva omnium creaturarum in proprio genere haberet claritatem & intensionem infinitam; siquidem cùm percipiat objecta infinita clarè & distinctè, necessariò habebit claritatem, & intensionem infinitam; nam cùm singulæ perfectiones, quas attingit, suas habeant difficultates à potentia superandas, & prædictæ perfectiones, & illarum partes sint infinitæ, infinitâ egebunt claritate, & intensione cognitionis, ut attingantur; sed cum infinita claritate, & intensione cognitionis annexa est divina comprehensio, ut infra dicemus; ergo &c.

Respondeo data majori, negando minorem; 109.
neque enim quælibet infinita claritas, & intensio cognitionis est comprehensiva objecti, quod attingit, sed illa tantùm, quæ illud attingit adæquatè, & quantùm ex se cognoscibile est. Patet, quia licet cognitio per medium opinativum, aut à posteriori in infinitum crescat in claritate, & intensione, nunquam comprehensivè attinget objectum, quod est cognoscibile ex suis terminis, aut per medium à priori, quia ipsum non penetrabit, quantùm ex se cognoscibile est, & cognoscibilitate sibi propriâ; ergo etiam licet cognitio creaturarum in proprio genere foret infinita in claritate, & intensione, nunquam foret comprehensiva Dei, quia semper respectu illius foret cognitio à posteriori, & non juxta cognoscibilitatem propriam ipsius Dei.

SECTIO VI.

An, & qualis infinitas Visionis necessaria esset, & sufficeret ad comprehensionem Dei?

DIFFICULTAS 1. Utrùm Visio comprehensiva Dei, si daretur, necessariò foret in se infinita? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. part q. 12. art. 7. P. Soar. in Met. d. 30. sect. 12. P. Vasq. 3. part. tomo 1. d. 46. P. Arrub. 1. part. d. 23. cap. 4. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. P. Mol. P. Valent.* & alii. Est communissima Sanctor. Patr. & Theologor. sententia. Probatur primò, quia tum Patres, tum Scholastici ex Infinitate Dei, & finitate creaturæ probant Incomprehensibilitatem divinam; ergo ad comprehensionem entis infiniti, qualis est Deus, videntur exigere cognitionem infinitam. 110.

Probatur secundò, quia comprehensio in esse cognito habet adæquationem cum objecto in esse cognoscibili; sed hujusmodi adæquatio dari nequit inter cognitionem finitam, & objectum infinitum, ut tale cognitum; ergo &c. Probatur tertiò, quia quò plures perfectiones expressè, & distinctè penetrantur, eò visio est perfectior; siquidem in illis penetrandis plures superat difficultates, quarum quælibet in ipsâ cognitione novam arguit perfectionem; ergo si in objecto perfectiones distinctè, seu discretè cognitæ fuerint infinitæ, imò infinities infinitæ, infinita necessariò erit earum cognitio comprehensiva. 111.

Difficultas 2. Utrùm hæc visionis infinitas entitativa foret, & non solùm objectiva? Affirmativè. Probatur primò, quia cognitio, quæ Deum attingeret comprehensivè, foret simpliciter infinita, ut patet ex proximè dictis; sed infinitas objectiva solùm est infinitas secundùm quid; reperitur enim in qualibet cognitione finitâ ad Deum terminatâ, quatenùs respicit objectum infinitum; ergo &c. 112.

Probatur secundò, quia cognitio, quæ accrescit ex eo, quod plura objecta, seu plures partes 113.

distinguit in objecto; non augetur solùm geometricè, sive secundùm partes incertas, sed arithmeticè, & secundùm partes certas, ut ex probabiliori sententia suppono; ergo illa, quæ infinitas partes distinctè, & per modum plurium attingit, qualis esset illa, quæ Deum comprehenderet, infinita esset, non secundùm quid, & objectivè, sed simpliciter, & entitativè.

114. Difficultas 3. Qualisnam foret hujusmodi infinitas entitativa visionis, quæ Deum comprehensivè attingeret? Advertes triplicem considerari posse infinitatem entitativam, quarum quælibet potest in quæstionem venire. Prima est infinitas extensiva, consistitque in eo, quod cognitio extendatur ad plures, & plures partes, sicque infinitas in objecto attingendas. Secunda est infinitas intensiva, consistitque in eo, quod cognitio habeat infinitos gradus certos, & determinatos intensionis. Utraque hæc infinitas est accidentalis; siquidem cognitioni est per accidens, & accidentale attingere plures, aut pauciores partes: habere plures, aut pauciores gradus intensionis. Tertia est essentialis, sive in essentia ipsius visionis, quam variat, ita ut si poneretur in Visione Beata, eam faceret specie diversam ab aliis visionibus, quæ de facto dantur. Difficultas igitur est, quænam ex his infinitatibus necessaria sit, & sufficiat ad comprehesionem Dei, si hæc admittatur? Sit ergo:

115. Dubium 1. Utrùm ad comprehensionem Dei sufficeret infinitas extensiva? Negativè. Ita *P. Soar. tomo 1. in 3. p. d. 26. sect. 3.* quatenùs hujusmodi infinitatem extensivam Visionis Beatæ impossibilem credit. Probatur primò cum aliquibus Recentioribus: quia in Visione Dei nulla potest dari extensio entitativa; ergo à fortiori neque entitativa infinitè extensa; ergo cùm hæc sit impossibilis, neque requiritur, neque sufficit ad comprehensionem Dei.

116. Probatur antecedens, quod solùm eget probatione, quia nullũ datur principium, à quo desumi possit prædicta extensio visionis; neque enim potest desumi à subjecto, ut patet; neque ab objecto primario, quod indivisibile est; neque à secundario; siquidem hoc sub eadem ratione indivisibili attingitur, quæ est Essentia; neque ab ipsâ Visione; siquidem illius partes neque indivisibiles, neque divisibiles esse possunt; non apparet à quo, vel quo principio inter se uniantur ad unam aliquam entitatem integrandam; ergo &c. Hæc tamen probatio, cùm solùm probet, si probat, impossibilem esse extensionẽ aliquam in visione, parum videtur probare conclusionem, in qua supposita possibilitate Visionis infinitæ in extensione, quæritur: an hæc sufficeret ad comprehensionem Dei? Undè meliùs:

117. Probatur secundò, quia cognitio infinitè extensiva solùm inserviret ad attingendas omnes partes virtuales divinorum Attributorum; consequenterque quidquid est in Deo formaliter & eminenter; sed hoc non sufficit ad comprehensionem Dei; siquidem, ut supra diximus, Beatus attingens in Verbo omnes creaturas possibiles haberet visionem infinitè extensivam, utpotè attingens infinita possibilia, & infinitas perfectiones Dei habentes connexionem cum infinitis possibilibus, & tamen Deum non comprehenderet, utpotè quem adhuc non cognosceret, quantùm ex se cognoscibilis est; ergo &c.

118. Oppositum tenent *P. Gil. tomo 2. tract. 9. cap. 2. & tract. 10. cap. 4. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 4. sect. 3. n. 29. & sect. 4. 5. & 6. P. Albertin. q. 4. Theolog. ex 1. princip. num. 20.* quatenùs de facto in Visionibus Beatorum admittunt majorem aut minorem extensionem, quam si crederent infinitam, cùm alioqui ponant comprehensionem objecti in cognitione attingente distinctè omnia quæ sunt in objecto, procul dubio illam judicarent sufficientem ad comprehensionem Dei: pro quibus:

Oppones: Major extensio visionis sufficit, ut in Deo distinctè videantur plures illius perfectiones, tam primariæ, quàm secundariæ; consequenterque plures creaturæ in eis contentæ; ergo infinita visionis extensio sufficiet ad omnia, quæ sunt in Deo, distinctè percipienda; sed cognitis distinctè omnibus quæ sunt in Deo, manifestè sequitur ejus comprehensio; ergo ad comprehensionem Dei sufficit infinitas extensiva visionis. 119.

Respondeo negando minorem, ut enim detur comprehensio objecti, debet hoc cognosci, quantùm ex se cognoscibile est, sicque juxta exigentiam suæ propriæ cognoscibilitatis; licet igitur per visionem extensivè infinitam attingeretur distinctè quidquid est in Deo, cùm adhuc non attingeretur tanta expressione, & claritate, quantâ postulat cognosci, adhuc non comprehenderetur. 120.

Dubium 2. Utrùm ad comprehensionem Dei sufficeret infinitas Visionis intensiva, qualis haberetur per infinitos gradus certos & determinatos visionis intensivæ? Negativè. Ita *Durand. in 4. dist. 49. quæst. 4. num. 8. Mayron. in 1. dist. 2. q. 4. art. 1. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. num. 20. & tom. 1. in 3. part. d. 26. sect. 3. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 5. num. 74. P. Albertin. q. 5. & 6. Theolog. ex 1. princip.* & alii Recentiores, quatenùs absolutè docent, majorem intensionem visionis nihil conducere ad plura videnda in objecto, sed ad eadem videnda, licet intensiori claritate; ergo si major intensio non sufficit ad videnda in Deo plura; neque infinita sufficiet ad illius comprehensionem. Adhuc tamen ex illis. 121.

Probatur primò, quia intensio de se solùm dicit majorem perfectionem formæ in subjecto, servatâ eâdem perfectione individuali, & habitudine ad objectum; ergo licet in infinitum augeatur, nunquam visionem augebit quoad repræsentationem plurium ex parte objecti; consequenterque ad illius comprehensionem non sufficiet. 122.

Probatur secundò, quia Deus cognoscit plures, imò infinitos gradus intensionis visionis, qui efficiendo diversas tantùm numero visiones, terminari possent ad idem numero objectum, eosdemque potest unire in unam, eandemque visionem ejusdem objecti secundùm easdem illius omninò rationes cognitas; sed hoc posito, objectum eodem modo, & secundùm easdem perfectiones penetrabitur, secundùm quas antea cognoscebatur, licet intensiori visione, & non secundùm plures; ergo licet Visio Dei in infinitum augeatur, non ideò videbit in Deo plura; consequenterque ad illius comprehensionem non sufficiet. 123.

Probatur tertiò, quia voluntas potest intellectum applicare, & aliquando de facto applicat ad apprehendendum idem objectum intensiùs, quin rationes aliquas de novo apprehendat: Similiter idem objectum visibile priùs distinctè cognitum, accedente novo, & intensiori lumine, intensiùs, & clariùs videtur, quin in eodem novitùs plures partes appareant; ergo sola intensio visionis, etsi infinita non conducit ad plures perfec- 124.

ctiones videndas in objecto; consequenterque neque ad comprehensionem Dei.

125. Probatur quartò, & efficaciùs ex nostris principiis, quia ad comprehensionem Dei requiritur cognitio, quæ adæquetur exigentiæ cognoscibilitatis illius, ut ex definitione cõprehensionis, & ex supra dictis constat; sed visio, licet infinitè intensa, non adæquaretur cognoscibilitati divinæ; siquidem hæc, sicut est objecti, quod est in se actus purissimus, ita postulat cognitionem, quæ talis sit, ac proindè diversæ speciei ab ea, quæ de facto datur; infinitas autem intensiva visionis, cùm sit ei accidentalis, non variat ejus speciem; ergo hæc non adæquaretur divinæ cognoscibilitati; consequenterque non sufficeret ad comprehensionem Dei.

126. Oppositum tenent *Richard. in 3. dist. 14. art. 1. q. 4. Lychet. ibid. q. 1. ad finem. supplem. Gabr. in 4. dist. 49. q. 3. art. 2. conclus. 4. Palat. conclus. 2. Sot. quæst. 3. art. 1. conclus. 1. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 56. §. Pro solution. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 8. d. 2. ad 1. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. n. 99. & 100. P. Gil. tom. 2. tract. 9. cap. 13.* & alii: pro quibus:

127. Objicies 1. Non magis requiritur ad comprehensionem Dei ex parte luminis concurrentis ad visionem comprehensivam, quàm ex parte ipsius visionis comprehendentis; sed lumen gloriæ infinitè intensum, si daretur sufficeret ad producendam visionem comprehensivam Dei, ut docent communiter Theologi; ergo etiam sic sufficiet infinitas intensiva visionis. Respondeo data majori, & minori, negando consequentiam; diversa ratio est, quia lumen sufficiens ad comprehendendum Deum deberet esse proportionatum visioni illius comprehensivæ: Undè sicut hæc, si foret comprehensiva, mutaret speciem, ita etiam illam mutaret lumen, quod tali comprehensioni inserviret: at verò intensio, cùm major, aut minor sit accidentalis, etiam si sit infinita, non faciet neque visionem, neque lumen diversæ speciei, ut diximus; sicque non sufficiet ad comprehensionem Dei.

128. Objicies 2. Quò magis intenditur visio objecti corporalis, in quo sunt partes de novo distinguibiles, eò plures partes de novo internoscuntur, ut experientiâ constat, & docet *P. Vasq. 1. p. d. 47. cap. 6. fine*; ergo etiam quò magis intensa fuerit Visio Beata, eò plures perfectiones in Deo attinget; sed hæ sunt in infinitum distinguibiles; ergo si visio in intensione infinitè accrescat, omnia quæ sunt in Deo distinctè cognoscet; consequenterque dabitur perfecta, & absoluta comprehensio Dei. Respondeo dato in totum argumento, negando consequentiam quoad ultimam partem, nam, ut sæpè diximus, ad hoc ut Deus totus, & totaliter cognoscatur, sicque comprehensivè, debet juxta exigentiam suæ propriæ cognoscibilitatis cognosci, ut autem prout sic cognoscatur, non satis est, cognosci secundùm omnes perfectiones quas continet, sed ulterius requiritur, quod cognoscatur tantâ distinctione, & claritate, quantâ postulat cognosci; hæc autem dari nequit in visione solius infinitatis intensivæ, ut patet ex dictis.

129. Instabis: Pro ratione majoris intensionis speciei visibilis, aut lucis corporalis, cognoscuntur plures partes in objecto visibili; constat enim, quò magis ad objectum visibile accedimus, eò nos plures in eodem partes distinguere, quas tamen ex majori distantiâ solùm confusè, & per modum unius attingebamus; ergo pro ratione majoris intensionis augeri poterit cognitio beatifica quoad rationes objecti cogniti in infinitum, ita ut evadere possit comprehensiva Dei. Respondeo negando consequentiam quoad ultimam partem, ut patet ex proximè dictis.

130. Dubium 3. Utrùm datâ infinitate intensivâ Visionis Beatæ, & quod hæc sufficeret ad comprehensionem Dei, necessariò hæc sequatur ad illius positionem? Dico 1. In facta suppositione de lege ordinaria semper cum infinitate intensivâ Visionis Beatæ conjuncta esset Dei comprehensio. Ita videntur sentire Doctores proximè citati *n. 126.* Probatur primò eisdem rationibus, quibus ipsi probare intendebant suam sententiam.

131. Probatur secundò, quia Visio Increata quoad perfectionem objectivam correspondet propriæ perfectioni intensivæ, seu veluti intensivæ virtuali; utraque enim est infinita, sicque comprehensiva; ergo etiam nostra creata, si sit infinitè intensa, quoad rationes in objecto cognitas propriæ intensioni correspondebit, saltem de potentia ordinaria, sicque utraque erit infinita, & comprehensiva.

132. Probatur tertiò, quia magis Beatis infunditur à Deo de lege ordinaria majus, seu intensius lumen proportionatum majori gratiæ, in qua decedunt; sed magis Beati plures vident creaturas in Deo, ut omnes fatentur; ergo cùm intensius lumen intensiorem visionem producat, cum intensiori visione de lege ordinaria stat plurium Visio in Deo; ergo cum visione infinitè intensa stabit necessariò de lege ordinaria infinitorum visio, sicque comprehensiva ipsius Dei.

133. Dico 2. In facta suppositione de potentia absoluta stare posset Visio Dei infinitè intensa, quin esset illius comprehensiva. Videtur de mente Doctorum, quos supra citavimus *num. 121.* & specialiter indicatur à *P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. num. 99.* quatenùs asserit ad comprehensionem Dei non satis esse claritatem visionis infinitam, nisi sit summa, & omnibus modis infinita. Probatur primò eisdem rationibus, quibus supra citato loco nostram probavimus sententiam.

134. Probatur secundò, quia cognitio, nulla facta mutatione in terminatione ad objectum, potest de potentia Dei absoluta in infinitum intendi; siquidem eadem conclusio demonstrabilis; idem principium notum ex terminis; & eadem cognitio definitiva alicujus objecti, potest à Deo intendi in infinitum, quin ratione talis intensionis nova ratio menti appareat; ergo de potentia Dei absoluta potest Visio Beata habere infinitatem intensivam, quin plura in Deo attingat, sitque illius comprehensiva.

135. Probatur tertiò, quia ex comprehensione solius Omnipotentiæ divinæ, vel cujuslibet alterius Attributi, potest Visio Beata infinitam habere intensionem; siquidem cùm quodlibet Attributum sit omnibus modis infinitum, infinita eget intensione, & claritate, ut comprehendatur; sed cognitio, etiam comprehensiva unius Attributi, saltem de potentia absoluta, stare potest sine comprehensione totius divinitatis; sicut in creatis stare potest comprehensio unius proprietatis sine comprehensione totius naturæ creatæ; ergo &c.

136. Probatur quartò, quia ad cognoscendam quamlibet infinitatem determinatam creaturarum, nempè Angelorum in Verbo, requiritur infinita intensio, & claritas visionis, ut patet ex dictis; sed cognitâ unâ aliquâ infinitate in aliquo certo genere, non statim videntur omnes aliæ infinitates, seu creaturæ in aliis generibus; ergo datâ infinitate intensivâ visionis absolutâ Dei, non statim necessariò

sariò sequitur illius comprehensio.

137. Dubium 4. Utrùm ad comprehensionem Dei, si daretur, necessaria foret infinitas essentialis in visione, ita ut hæc necessariò foret alterius speciei ab illis, quæ de facto dantur? Sententiam affirmativam sequuntur *Ledesm. de Divin. perfect. quæst. 2. art. 8. ad 7. Cabrer. 3. p. q. 10. art. 1. d. 1. conclus. 4. & ad 5. & d. 2. ad 3. P. Albertin. q. 4. Theolog. ex 1. princip. à n. 14.* colligiturq; ex *P. Soar. tom. 1. in 3. part. d. 26. sect. 3. §. Sed nihilominùs, & §. Ex his ergo.*

138. Probatur primò, quia ad comprehensionem Dei, si daretur, non sufficeret infinitas visionis intensiva, neque extensiva, ut patet ex supra dictis; sed alia non supereſt præter essentialem, ut constat; ergo hæc necessaria foret. Secundò, quia visio illa suâptè naturâ attingeret Deum, quantùm ex se cognoscibilis est; atqui, non ratione intensionis, aut extensionis, sed solius suæ entitatis in ordine ad proprium objectum, quod nulli alteri cognitioni creatæ, aut creabili competeret; ergo necessariò foret infinita quoad essentiam, & ab aliis diversa in specie; consequenterque hæc necessaria foret, & sufficeret ad comprehensionem Dei.

139. Negativam sententiam defendunt *D. Thom. 3. 3. contr. gent. cap. 55. & 1. p. q. 12. art. 7. Caiet. ibid. Carthusian. in 4. dist. 49. q. 4. quæst. 2. Abul. in cap. 5. Matt. q. 42. Zumel. 1. p. q. 12. art. 7. Pesant. ibid. P. Mol. ibid. art. 7. §. In hac ergo,* & alii. Probatur primò, quia ad Visionem Dei comprehensivam satis est visio accidentaliter infinita, nempè quoad infinitatem intensivam; ergo necessaria non esset infinitas essentialis.

140. Probatur secundò, quia si daretur lumen infinitè intensum, id satis foret ad producendam effectivè Visionem Dei comprehensivam, ut docent Authores cit. sed lumen infinitè intensum solùm ad summum produceret visionem in intensione, non verò in essentia infinitam; ergo hæc necessaria non foret, sed illa sufficeret ad comprehensionem Dei; consequenterque non esset alterius speciei ab aliis visionibus, quæ de facto dantur: quod adhuc ulterius:

Probatur tertiò, quia major, vel minor intensio, aut extensio in quantitatibus, vel qualitatibus naturalibus, etiamsi in infinitum augeatur, non causat distinctionem specificam, ut ex Philosophia suppono; ergo neque illam causabit intensio illa infinita, quæ dabitur in visione comprehensiva Dei. 141.

Probatur quartò, quia hujusmodi Visio in eo distingueretur ab aliis, quæ de facto dantur, quod per illam attingerentur per modum plurium & distinctè omnes omninò perfectiones, & habitudines divinæ, quæ tamen per visiones de facto solùm attinguntur confusè, & per modum unius, ut patet ex supra dictis; sed quod per unam visionem plures perfectiones Dei, vel creaturæ distinguantur, quàm per aliam, dummodò omnes simul, & per modum unius cognitionem terminent, non sufficit ad distinguendas visiones in specie, ut patet ex supra dictis, cùm de distinctione specifica visionum egerimus; ergo &c. 142.

Utraque sententia est probabilis, neutra tamen, ut proponitur mihi placet: Prima, ut probabilior, cum addito tenenda, nempè, infinitatem essentialem visionis requiri quidem ad comprehensionem Dei; & sufficere, si supponamus per eam constitui visionem ipsam in eodem genere abstractionis à materia cum objecto cognoscibili, nempè cum Deo, ita ut maneat actus purissimus in ratione cognoscitivæ, sicut talis est Deus in ratione cogniti. 143.

Prima pars patet ex dictis, & fundamentis adductis pro prima sententia affirmativa: Secunda pars, quod solùm sufficiat in facta suppositione, manifesta est ex iis, quæ supra diximus, quando de ratione fundamentali, & radice Divinæ Incomprehensibilitatis latè egimus: Et hæc de Divina Incomprehensibilitate, totaque Materia Visionis Beatificæ in majorem Dei gloriam, & Beatissimæ Virginis Mariæ laudem dicta sufficiant, faciat ille, & postulet hæc, ut in hoc sæculo, in quo per speculum, & in ænigmate ipsum videmus, ita curramus, ut in altero facie ad faciem cum Angelis comprehendamus. 144.



TRAC-

TRACTATUS II.
DE
PROVIDENTIA, PRÆDESTINATIONE, ET REPROBATIONE DIVINA.

PROOEMIUM.

QUIA jam primùm de Visione Dei Tractatum absolvimus, nunc de Divinâ Prædestinatione, quæ ad ipsum Deum videndum à Deo ipso facta est, agendum nobis visum est. Magnum, profundumque Divinorum Judiciorum judicium ingredimur, ut loquitur D. Augusst. *Epist.* 105. quod scrutetur, qui potest, sic tamen ut præcipitium caveat, neque enim ista dicenda sunt injusta, quia occulta, humano ingenio inscrutabilia, Beatis Mentibus veneranda, & soli Deo nota. Cùm tamen nulla, aut ferè nulla sit Theologiæ materia, quæ ad meliorem methodum, & clariorem rerum intelligentiam, disputationem aliquam præviam non supponat, præsertim quando id tractandarum rerum necessitas exigit, ideo antequam de Prædestinatione tractaremus, quæ Divinæ Providentiæ pars est, ut ex dicendis infra constabit, de ipsâ Divinâ Providentiâ specialem disputationem priùs instituendam censuimus. Igitur:

De hac Materia disputant ex veteribus Patribus, D. Aug. *lib. de Prædestin. Sanctor. & de bono perseverantiæ; & de corrept. & grat.* D. Prosper. *libris duobus de Vocat. gentium, & lib. Respons. ad object. Gallor. & lib. ad capit. objection. Vincentiar. & lib. contr. Collatorem.* D. Fulgent. *lib. 1. ad Monimum.* D. Anselm. *lib. de Concord. Prædest. & grat.* & alii, qui de Prædestinatione quædam attigerunt *ad cap.* 8. & 9. epist. ad Rom. & ad Ephes. 1.

De hoc etiam argumento disputant Theologi Scholastici *in* 1. *dist.* 40. & 41. & 1. *p. D. Thom. quæst* 22. & 23. ubi ex Recentioribus *Ioan. Eckius, Ioan. Driedo lib. de Concord. Prædest. & liber. arbitr. Richar. Taper. in art. Lovan.* a. 7. *Castro sum. de hæres. lib.* 12. *Catharin. tribus lib. de Prædest. Vega cap.* 12.

&

& 13. & seſſ. 6. Trident. & alii. Ex noſtris *P. Turrian. lib. de divin. election. P. Valent. tom. 1. quæſt. 23. punct. 1. & ſeqq. P. Soar. 1. part. tomo 1. de Deo, libris ſex. P. Vaſq. 1. part. à diſp. 87. P. Molin. 1. p. quæſt 22. & 23. P. Præpoſit. 1. part. q. 22. & 23. P. Herice 1. p. tract. 3. per totum. P. Tanner. tomo 1. d. 3 per totam P. Ruiz. Tom. duobus, P. Arrub tomo 1. à diſp. 63. P. Granad. 1. p. q. 22. & 23. P. Amicus tomo 1. d. 15. & ſequent. P. Alarcon 1. p. tr. 4. per totum. P. Arriaga. tom. 1. in 1. p. à diſp. 32. P. Compton. tomo 1. à diſp. 37. P. Rhodez tomo 1. d. 5. à quæſt. 2.* & alii.

Totum hunc Tractatum ſex Diſputationibus abſolvemus: *Prima* erit de Providentiâ: *Secunda* de Prædeſtinatione ſecundùm ſe: *Tertia* de cauſis Prædeſtinationis: *Quarta* de illius effectibus: *Quinta* de Reprobatione, ejuſque cauſis & effectibus: *Sexta* de comparatione Prædeſtinationis, & Reprobationis inter ſe, quibus finitis, totam Prædeſtinationis Materiam abſolvemus. Igitur ſit.

DISPUTATIO I.
De Providentiâ Divinâ.

SECTIO I.
An detur: & quid ſit in Deo Providentia?

1. DIFFICULTAS 1. An in Deo detur Providentia? Philoſophorum antiquiores Fide divinâ minimè illuminati variè errarunt circa divinam Providentiam. Primus eorum error fuit, nullam omninò eſſe Providentiam, ſed omnia caſu fieri & regi; hunc errorem tenuerunt Democritus, Epicurus, Protagoras, & alii, ut ſcribit Lactant. *lib. 1. divin. inſtit. cap. 2. & lib. 7. de Ira Dei.* D. Athan. *lib. de Incarn.* D. Nyſſen. *lib. 8. Philoſoph cap. 3.* Nemeſius *de Facul. Anim. cap. 44.* Salvian. *lib. de Providen.*

2. Secundus error fuit Empedoclis, aliorumque apud Ariſt. *lib. 2. Phyſ. text. 43. 44. & 76.* dicentium, multa in Univerſo fuiſſe caſu facta, ut locum aëris, & plurimas animalium partes: imò (quod eſt abſurdius) caſum eſſe ipſam Cæli, & ſtellarũ Cauſam, ſicut & Cauſam cõverſionis, motûs, & ordinis Univerſi. Tertius error præcedẽti ſimilis fuit Euripidis, & Menandri apud Nemeſium cit. qui mentem, quæ in unoquoque ſit, cuiq; aſſerunt providere, Deum verò nemini. Quartus fuit Stoicorum, qui nullum locum Providentiæ relinquebant, ut ait Nemeſius cit.

3. Quintus fuit Platonis error, qui licet rerum omnium Providentiam ad Deum principem referat, nihilominùs ait, Deum principem primariò Ideis, deindè universè toti Orbi conſulere, nempè Cœlo, Syderibus, & generibus prædicamentorum, ut ſubſtantiæ, quantitati, qualitati, earumque ſpeciebus; non tamen animalibus, cæterarumque rerum corruptibilium individuis, ne incorruptibilia prodirent, Diisque adæquarentur, ſi ab ipſis producerentur; ſicque totum hoc negotium ſecundis Diis, nempè Angelis demandavit: ſicut quibuſdam dæmonibus dixit, demandari cuſtodiã humanarum actionum, penes quos eſt adminiſtratio rerum agendarum, earumque exitus, & adeptio bonorum fortunæ. Ita ſcribunt *D. Aug. lib. 9. de Civit. cap. 1. D. Nyſſen. lib. 8. cit. cap. 3. & 4. Nemeſius cit. cap. 44. D. Cyrill. Alex. lib. 2. contr. Julian. Procluſ. Plutarch. lib. de Fato. & D. Thom. hic q. 22. art. 3.*

Sextus error fuit Ariſtotel. quatenùs dixit, Providentiam Dei uſque ad Lunam tantùm deſcendere, ut refert Clem. Alexan. *lib. 5. Stromat.* ad medium ibi: *Ariſtoteli venit in mentem uſque ad Lunam deſcendere Providentiam.* Et D. Amb. *lib. 1. Officior. cap. 13.* ad medium: ibi: *Ariſtoteles aſſerit uſque ad Lunam ejus deſcendere Providentiam.* Eundem errorem ei adſcribunt *D. Nazianz. orat. 1. de Theolog. q. 33. n. 34. D. Epiphan. lib. contr. hæreſ. hæreſ. ult. Theodoret. lib. 6. Græcan. affection. Euſeb. Cæſar. de præparat. Evang. lib. 15. cap. 4.* 4.

Hinc immeritò aliqui Recentiores conantur Ariſtotelem vindicare ab hoc errore contra mentem Sanctorum Patrum locis proximè citatis præſertim cùm *lib. 2. Magnor. Moral. cap. 8.* doceat, effectus fortuitos non eſſe Deo tribuendos, nè Deus injuſtus ſit, cùm flagitioſi frequenter ſint fortunati magis, quàm boni, & timorati: ibi: *At fortuna, & quæ à fortuna, tam verè, quàm ut fors tulerit, fiunt. Quod ſi hujuſmodi diſtributori Deo adſcripſerimus, malum ipſum judicem faciemus, neque juſtum; id nefas Deo deputare.* Et infrà: *Atque Deum malorum curam habere fas non eſt.* Et *lib. 12. Met. cap. 2. text. 37.* ibi: *Deum*, ait, *movere primum corpus, cætera autem ab alio moveri.* Et cap 9. *Abſurdum eſſe*, ait, *primam mentem* (nempè Deum) *de quibuſdam cogitare & melius eſſe quædam non videre, quàm videre.* Et *lib. de Mundo ad Alexand.* ibi: *Sicut non decet Imperatorem Perſarum ſingula ſui imperii per ſe ipſum gubernare, ita nec Deum*: & ſic alibi, ex quibus ſatis patet, Ariſtotelem in hoc fuiſſe errore. Vide plura apud *P. Vaſq. 1. p. d. 87. cap. 1.* 5.

Septimus error fuit Ciceronis, quatenùs futurorum præſcientiam, & Providentiam Deo negavit, de quo D. Aug. *lib. 5. de Civit. cap. 9.* ad medium: ibi: *Dum homines vult facere liberos, facit ſacrilegos.* Octavus eſt Averroez, Avicenæ, & Algazelis, qui Providentiæ radicem convellebant, negantes diſtinctam, & peculiarem cognitionem creaturarum in ſingulari. Nonus fuit Rabi Moyſis, qui individua quælibet corruptibilia Divinæ Providentiæ ſubduxit, ſolosque homines excepit, quos ob intellectûs ſplendorem dignos putavit Providentiâ Dei, ut refert D. Thom. hic *q. 22. a. 2.* 6.

in

in corpore. Contra hos tamen errores:

7. Conclusio sit: Datur in Deo Providentia. Est de fide. Ita *D. Thom. 1. p. q. 22. a. 1. P. Soar. 1. p. lib. 3. cap. 10. R. Tanner. 1. p. d. 3. q. 1. dub. 2. P. Ruiz 1. p. d. 1. sect. 3. n. 1. P. Herice tr. 3. d. 21. cap. 2. P. Arriaga 1. p. d. 32. sect. 1. n. 2.* & alii. Probatur primò ex Sacris litteris Sapient. 6 *Æqualiter est illi cura de omnibus.* Et infrà: *In omni Providentia occurrit illis.* Et cap. 12. *Non est alius Deus, quàm tu, cui est cura de omnibus.* Et cap. 14. *Tu autem Pater, Providentiâ ab initio cuncta gubernas.* Et cap. 17. de Ægyptiis: *Fugitivi, ait, perpetuæ Providentiæ jacuerunt.* Et Prov. 18. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Et Ecclesiast. 1. & 5. Et Matth. 6. & 10. & Luc. 12. & sæpè alibi.

8. Probatur secundò ex Sanctis Patribus D. Clement. *lib. 8. Recognit. pag. 4.* ibi: *Generalis autem, & specialis partium simul, hoc modo est, quasi ab initio omnia fecerit Deus, & usque ad finem per singulos quosque Providentiam gerat, & unicuique reddat pro actibus suis.* Et D. Dionys. *de Cœlest. Hierarch. cap. 8. & 9. Unum est omnium principium, una Providentia.* Et infrà: *Una quidem de omnibus Altissimi Providentia.* Idem constanter docuerunt cæteri Patres, tùm Græci, tùm Latini, quos citat P. Ruiz supra *à n. 10.*

9. Probatur tertiò ratione, quia omne bonum, quod cernitur in rebus creatis, est à Deo effectore; sed ordo rerum creatarum ad finem, præsertim ultimum, qualis est bonitas, & gloria divina, est bonum aliquod existens in rebus creatis; ergo est à Deo effectore; consequenterque in Deo datur Providentia, cùm hæc sit ratio mediorum ad finem, & voluntas præparandi illa.

10. Probatur quartò, quia Providentia est cognitio attingens proportionem mediorum ad finem, & voluntas ea præparans, & exequens; sed in Deo datur hujusmodi cognitio, & voluntas; ergo &c. Confirmatur primò, quia si Deus non prævideret utilitatem mediorum ad finem, & ea antea ad finem non disponeret, sequeretur postea aliquid de novo cognoscere, & velle; sed hoc non est dicendum; aliter cùm Cognitio, & Volitio divina sint ipse Deus, illis mutatis, etiam mutaretur ipse Deus, illiusque Cognitio non esset comprehensiva, cùm aliquid daretur cognoscibile, quod ab illa non cognosceretur; ergo &c.

11. Confirmatur secundò, quia ideò Deus nõ haberet Providentiam rerum creatarum, aut quia eas sigillatim non cognoscit: aut quia eis providere non potest: aut quia, si potest, non vult. Non primum, aliter Cognitio Divina non esset comprehensiva: Non secundum, aliter Potentia Divina non esset infinita: Non tertium, aliter esset contra ejus infinitam Bonitatem, ut patet ex *D. Ambr. lib. 1. de Offic. cap. 13.* ibi: *Quis operator negligat operis sui curam? Si injuria est regere, nonne est major injuria feciſſe? Cùm aliquid non feciſſe, nulla injuria sit; non curare autem, quod feceris, summa inclementia.* Et *D. Damascen. lib. 2. Fidei cap. 29.* ibi: *Solus Deus est naturâ bonus. Ut igitur bonus providet: non providens enim, non bonus*; ergo &c.

12. Dices 1. Deus non habet Providentiam de animalibus, ut patet ex illo 1. Cor. 9. *Nunquid Deo cura est de bobus?* Et ex illo D. Hieron. in 1 Abacuc. ad illa verba: *Mundi sunt oculi tui*: ibi: *Absurdum est ad hoc deducere Dei Majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur: quæ cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo: quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum præda cedere debeant*, ergo &c. Respondeo negando antecedens, & ad verba Apostoli dicendum, Deum non habere curam de bobus in ordine ad finem supernaturalem, sicut habet de rationalibus; maximè autem in ordine ad finem aliquem naturalem. Idem dicendum ad verba D. Hieron. cum *P. Herice tract. 1. de Scientia Dei d. 5. cap. 1. num. 5. & tract. 3. de Provident. cap. 2. n. 13.* voluit enim significare D. Hieronymus non esse in Deo eam Providentiam de animali bruto, quæ in illo est de homine, nam esse in Deo Providentiam simpliciter de bove, aliisque brutis de fide est, quam etiam non videtur negare D. Hieron. quidquid dicat *P. Vasq. 1. p. q. 14. art. 6. in comment.* ut patet ex verbis sequentibus ejusdem Doctoris Maximi: ibi: *Non simus, ait, tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nosmet ipsos injurioſi simus, eandem rationabilium, quàm irrationabilium Providentiam dicentes.*

13. Dices 2. Si omnia Dei Providentiâ regerentur, non sic invaleſceret improbitas contra probitatem, ut improbi essent probis feliciores, ut sæpè videmus; siquidem ad Providentiam gubernantis pertinet iniquos punire, & bonos præmiare; ergo &c. Respondeo non esse contra Providentiam Dei, quod injusti sint justis feliciores; hoc enim efficit Deus, aut ut mali sic meliùs ad pœnitentiam moveantur: aut in præmium temporale aliquorum operum, quæ ipsi bona fecerunt: aut ut postea graviùs puniantur, justi autem cumulatiùs præmientur. Vide *P. Less. in Opusc. lib. 1. de Provid. cap. 3.* ubi latè, & eruditè ad hoc argumentum.

14. Dices 3. Quæ naturâ constant, semper eodem modo procedunt, eundemque ordinem servant; sic enim Sol oritur, & occidit, suoque accessu, & recessu solitas anni tempestates efficit; & sublunaria oriuntur, & occidunt, aliaque ex aliis generantur ad speciei perpetuitatem; sed hæc omnia vi naturæ procedunt, quæ tam rectum tenet ordinem; ergo præter naturam nulla alia datur Providentia, à qua ita procedant. Respondeo negando minorem; nam omnia illa, quæ naturæ vi effici videntur, sunt opera Providentiæ, quam non excludit eorum constantia, utpotè quam ab ipsâ Dei Providentiâ accipiunt, ut serviant humano generi.

15. Dices 4. Indignum videtur Majestate Dei ad tam vilia, & minuta descendere, eisque providere, & eorum curam gerere; ergo &c. Respondeo negando antecedens, imò est Deo maximè digna, & necessaria hæc minimorum cura, & consideratio; alioqui in Deo esset infinitarum rerum ignorantia, ejusque cognitio comprehensiva non esset.

16. Dices 5. Deus est se ipso summè beatus; ergo non est cur aliquid extra se quærat, & curet. Respondeo antecedens solùm probare, Deum extra se nihil agere, aut curare, ut indè beatior fiat; non autem nihil extra se moliri, cùm enim sit summum bonum, & hoc sit diffusivum sui, conveniens erat, ut suam bonitatem apud se conclusam non retineret, sed illam sineret emanare in creaturas secundùm varios earum gradus, & species, singula in suo ordine creando, conservando, & in suum finem dirigendo.

17. Dices 6 Licet Deus sciat quid homines agant, dicant, & cogitent, nihil tamen de eo curat; sic enim magni Principes, qualis est Deus, parum curant, quid plebs de illis dicat; ergo &c. Resp. negando antecedens; cùm enim homo sit opus Dei, cujus menti ipse leges justitiæ, & virtutis impressit;

ad illum maximè pertinet illius curam gerere, ut secundùm illas leges vivat; siquidem ad opificem pertinet curare suum opus, ut perfectum evadat; & ad legislatorem, ut leges, quas suis subditis imposuit, serventur; parentisque interest quomodò se gerant filii; Deus autem omnium est parens.

18. Difficultas 2. Utrùm Providentia actualis sit in Deo necessariò? Dico 1 Providentia actualis non est necessaria in Deo simpliciter, & absolutè. Probatur, quia hujusmodi Providentia actualis non est in Deo, nisi in ordine ad creaturas actualiter existentes; sed nulla creaturarum necessariò existit; ergo earum Providentia actualis in Deo non est necessaria simpliciter, & absolutè.

19. Dico 2. Supposita rerum creatione necessariò datur in Deo earum actualis Providentia, tam quoad cognitionem, quàm quoad volitionem. Probatur prima pars, quia suppositâ rerum creatione, & existentiâ, tales res sunt scibiles à Deo; ergo Deus non potest non habere earum cognitionem; aliter Cognitio Divina non esset comprehensiva. Probatur secunda pars, quia supposito, quod Deus voluerit eas esse in rerum natura, non potest non velle illis media præparare, & exequi ad finem consequendum, ad quem eas produxit, & suo influxu conservare, cum illisque ad operationes concurrere; ergo &c.

20. Difficultas 3. Quid sit Providentia? Dico 1. Providentia ex vi nominis duplicem habet significationem; aliquando enim idem valet, atque aliquid futurum, antequam fiat, prævidere, & prout sic idem est *Providentia*, atque *Prævidentia*, seu Præscientia, & propriè futurorum eventuum cognitionem significat: aliquando autem *Providere* idem significat, quod alicui prospicere, curam alicujus habere, sive *pro aliquo*, seu *in favorem alicujus videre*, qua ratione Cicer. dixit: *Providere omnibus quæ necessaria videbantur.*

21. Dico 2. Providentia in præsenti accipitur pro singulari mentis curâ, quam Deus mediante Intellectu, & Voluntate sua, de rebus creatis ad suum finem dirigendis habet, & prout sic definitur à D. Thom. hic *art. 1. & 2. Ratio ordinis rerum in finem in Deo existens.* Cùm autem Providentia prout sic actum intellectûs simul & voluntatis involvat, aut connotet, quatenùs necesse est, ut ratio ordinis rerum in finem ab intellectu concipiatur, & à voluntate approbetur, controversum est, an Providentia formaliter, & directè sit actus Intellectûs, an verò Voluntatis Divinæ, an uterque simul? pro quo sit:

SECTIO II.

In quonam formaliter consistat Providentia Divina?

22. DIFFICULTAS 1. Qualisnam sit ratio formaliter constituens Providentiam divinam? Variæ sunt Doctorum Sententiæ: Prima asserit, Providentiam divinam formaliter consistere in actu Intellectus, quem dicit in recto, & solùm in obliquo, & extrinsecè connotare actum voluntatis. Ita *D. Thom. q. 22. art. 1. Caiet. & Bannez hic. Durand. in 1. dist. 41. q. 1. n. 9. Capreol. dist. 40. q. 1. art. 1. & 2. Richard. in 1. dist. 39. q. 1. art. 2. Aureol. in 1. dist. 40. q. unic. a. 2. & dist. 41. q. 1. art. 3. Marsil. in 1. q. 41. art. 1. P. Mol. 1. p. d. 1. q. 22. art. 1. d. 1. P. Valent. ibid. punct 1. Bellarm. lib. 2. de grat. & liber. arbit. cap. 9. P. Fons. 3. Met. lib. 6. cap. 2. quæst. 5.* quos citat, & sequitur *P. Tanner. 1. p. d. 3. q. 1. dub. 1. num. 8.* quorum fundamenta infra ponemus, & dissolvemus.

23. Secunda sententia affirmat, Providentiam divinam formaliter consistere in actu voluntatis. Ita *D. Bonav. in 1. dist. 40. art. 1. q. 2. Scot. q. 1. in princip. Arimin. in 1. dist. 40. D. Damascen. lib. 2. de Fide cap. 29. P. Less. de Prædestin. sect. 1. P. Vasq. 1. p. d. 87. cap. 3. n. 11.* & ut probabile tenet *P. Arriaga 1. p. d. 32. sect. 1. subsect. 2. num. 17.* & alii apud citatos, quorum fundamenta infra dissolvemus.

24. Tertia sententia, quam sequitur tenet Providentiam divinam formaliter consistere in utroque actu, tam Intellectûs, quàm Voluntatis divinæ. Ita *P. Soar. 1. p. lib. 1. de Prædestin. cap. 17. num. 12. P. Molin. q. 22. art. 1. d. 1 §. Quod si petas, & q. 23. d. 2. §. Statuenda est. P. Becan. tom. 1. Sum. cap. 14. q. 2. Alens. 1. p. q. 26. Tarantasia, & Aquila*, quos citat, & sequitur *P. Herice 1. p. tract. 3. d. 22. cap. 6. n. 50. P. Arrub. 1. p. q. 22. art. 1. d. 63. cap. 3. P. Arriaga 1. part. d. 32. sect. 1. subsect. 2. num.* 18. & ex Recentioribus plures. Probatur primò, quia cùm Providentia in Deo detur, ut diximus, debet in aliquo formaliter consistere, per quod formaliter constituatur; sed non ita consistit in sola Cognitione divina; non in cognitione connotante actum voluntatis; non in solo actu voluntatis; non in ipso actu voluntatis præsupponendo actum Intellectus, aut illum connotante; ergo in utroque simul formaliter consistit, cùm aliud non appareat, in quo ita consistat.

25. Probatur secundò, quia illud formaliter aliquid constituit, sine quo ipsum constitutum primariò, & formaliter non intelligitur, ut patet in animali, & rationali respectu hominis; sed Providentia divina non ita intelligitur, nisi posito utroque actu; siquidem cùm sit divina, ideoque perfectissima, debet habere certitudinem, & cognoscere proportionem mediorum cum fine, aliter non benè disponeret media ad finem; hoc autem fit per actum intellectûs: & si Deus id haberet, & media non disponeret, & applicaret ad finem assequendum, non haberet Providentiam; applicat autem per actum voluntatis; ergo in utroque actu simul cõsistit formaliter ejus Providentia.

26. Argues 1. pro prima sententia D. Dionys. *de Divin. nomin. cap. 12. Veritas*, ait, *prospicit cuncta providentia mirabili*: prospicere autem est actus Intellectûs. Deindè Boëtius *lib. 4. de Consol. prosa 6. Modus rerum*, inquit, *cùm in ipsa divinæ Intelligentiæ conspicitur, Providentia nominatur.* Item D. Aug. *lib. 83. quæst. quæst.* 31. explicans partes prudentiæ, inter illas apponit Providentiam: *Providentia est*, inquit, *quâ aliquid videtur futurum, antequam factum sit.* Similiter *D. Thom. quæst. 22. art. 1.* Providentiam explicat per actum mentis; ergo in solo actu Intellectus formaliter consistit. Respondeo ita consistere si sermo sit de Providentia inadæquatè sumptâ, in quo sensu intelligendi sunt citati Patres; non autem de Providentia sumpta adæquatè, sic enim in utroque actu simul formaliter consistit, ut diximus.

27. Argues 2. Providere, ut diximus, idem est atque *ante videre*, seu prævidere, & ordinare aliquem in finem; sed hæc ad Intellectum spectant, cujus est prævidere, & ordinare; ergo Providentia consistit formaliter in actu Intellectûs. Respondeo data majori, & minori, negando consequentiam, si sermo sit de Providentia sumpta adæquatè.

Argues

28. Argues 3. Essentiâ relationis tota salvatur in fundamento, licet etiam connotet terminum; ergo etiam tota essentia, sive ratio formalis adæquata Providentiæ salvabitur in solo actu Intellectûs, licet connotet actum voluntatis. Resp. negando consequentiam; diversa ratio est, quia cùm relationis effectus sit referre, & id solùm in fundamento præstet, & non in termino, ideò in solo fundamento salvatur tota ejus ratio formalis, ut patet in Paternitate divina, quæ tota est in Patre: at verò Providentia divina habet pro effectu & proportionem mediorum cum fine attingere, quod ad Intellectum spectat, & illa exequi; & applicare ad ipsum finem assequendum, quod est proprium voluntatis, ideoque in utroque eorum actu formaliter consistit, & non in solo actu Intellectûs.

29. Argues 4. Si Deus nihil creasset, adhuc haberet Attributum Providentiæ; siquidem omnia Attributa sunt Deo essentialia, & independentia ab existentia actuali creaturarum; sed tunc solùm habet actum Intellectûs; ergo in illo tantùm consistit Providentia. Ante solutionem advertes, duplicem in Deo esse Providentiam, sive dupliciter considerari: Una est in actu primo, & quasi remota, quæ consistit in scientia perfecta mediorum, & eorum congruentia cum fine, simul & in potentia exequendi omnia: alia est Providentia actualis, & propria, quæ consistit, aut in actuali productione mediorum, dispositione, &c. aut saltem hæc requirit, quæ prout sic non est independens à creaturarum existentia: Hoc posito.

30. Respondeo in facta suppositione, adhuc Deum habiturum Providentiam absolutam, remotam, sive in actu primo, licet non haberet proximam, & actualem, defectu creaturarum, quas requirit, ut objectum secundarium suorum actuum internorum. Patet ab exemplis in suo actu libero; & in Omnipotentia respectu possibilium.

31. Argues 5. In sacris litteris multoties promittitur, petitur, aut narratur Dei Providentia nominibus significantibus cognitionem, quale est: Primò verbum *videndi* ut patet ex illo Gen. 22. *In monte Dominus videbit.* Et Gen. 16. *Tu Deus, qui vidisti me.* Et Exod. 3. *Vidi afflictionem populi mei.* Et Threnor 1. *Vide Domine afflictionem.* Secundò verbum *oculorum*, ut patet ex illo Prov. 22. *Oculi Domini custodiunt Scientiam.* Et psal. 10. *Oculi ejus in pauperem respiciunt.* Et Job. 34. *Oculi ejus super vias hominum.* Tertiò verbum *respiciendi*, ut patet ex illo Exod 2. *Respexit Dominus filios Israël.* Et cap. 4. *Quod respexisset afflictionem.* Et cap. 14. *Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum.* Et psal. 21. *Deus Deus meus respice in me.* Et psal. 79. *Respice de Cœlo, & vide.* Quartò verbum *judiciorum*, ut patet ex illo Rom. 11. *Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus.* Et Prov. 16. *Pondus, & statera judicia Domini.* Et cap. 29. *Judicium à Domino egreditur singulorum.* Et Sap. 17. *Magna sunt judicia tua Domine.* Et Apoc. 15. *Judicia tua manifesta sunt.* Et cap. 16. *Vera, & justa judicia tua.* Et psal. 7. *Dominus judicat populos.* Quintò verbum *recordationis*, ut patet ex illo Gen. 8. *Recordatus Dominus Noæ.* Et cap. 9. *Recordabor fœderis mei.* Et Threnor. 5. *Recordare Domine, quid acciderit nobis*; sed verba hujusmodi ad actus Intellectûs spectant; ergo Providentia in solo actu Intellectûs formaliter consistit. Respondeo dato quod locis citatis loquatur Sacra Pagina de Providentia Dei, & quod per illa verba soli actus Intellectûs significentur, solùm ibi loqui de Providentiâ Dei inadæquatâ, prout supra diximus, non autem adæquatâ, sic enim utrumque actum & Intellectus, & Voluntatis formaliter includit.

32. Argues 6. Cujus negatio est ignorantia, positiva forma est scientia, sive Intellectio; sed Providentiæ privatio est ignorantia, ut patet ex illo Ecclesiast. cap. 5 *Neque dicas coram Angelo, non est Providentia.* Ubi Septuag. *Ne dicas, quia est ignorantia.* Et ex illo psal. 93. *Dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*; ergo ipsa Providentia est scientia, sive Intellectio; consequenterque in illa formaliter consistit. Respondeo ex hoc ad plurimum solùm probari, Providentiam inadæquatè consistere in actu Intellectûs, quod non negamus, sed addimus etiam sic consistere formaliter in actu voluntatis.

33. Objicies 1. pro secunda sententia supra *num. 23.* Ex D. Damasc. *lib. 2. Fidei cap. 29. Providentia*, ait, *est voluntas Dei, per quam omnia, quæ sunt, convenientem gubernationem suscipiunt.* Et infrà: *Factiva ejus virtus, & contentiva, & provisiva, bona ipsius voluntas est.* Et post pauca: *Ut igitur bonus providet*: bonitas autem ad voluntatem spectat. Et Nemesius sic definit Providentiam: *Providentia*, inquit, *est Dei voluntas, per quam omnia, quæ sunt, aptè gubernantur, lib. de Facult. anim. cap. 43.* ergo &c. Respondeo D. Damascen. & Nemesium solùm attendere ad illud, quod movet, ac determinat indifferentiam Libertatis divinæ, ut provideat, non autem intendere assignare completam, & adæquatam rationem providentiæ, sed ad plurimum inadæquatam.

34. Objicies 2. Providentia est cura de omnibus, ut patet ex illo Sap. 6. *Æqualiter est illi cura de omnibus.* Et 1. Petr. 5. *Quoniam ipsi est cura de vobis*; Sed cura potissimum est actus voluntatis, ut ait D. Damascen. ubi supra: *Providentia*, inquit, *est in ea, quæ sunt cura*: Et rursùs: *Providentia est voluntas*; ergo &c. Respondeo providentiam vocari nomine curæ, quia Deus nihil omittit ad Universi perfectionem pertinens, quod ex citatis locis tantùm colligitur; non autem ostenditur in hac Universi cura, prout spectat ad actum voluntatis, consistere adæquatam, sed ad plurimum inadæquatam rationem providentiæ.

35. Objicies 3. Providentia est causa efficax sui effectûs; ergo debet consistere in illo actu, qui confert efficaciam, & causalitatem; sed hanc confert potissimùm actus, sive decretum voluntatis; ergo &c. Respondeo argumentû ad plurimum solùm probare, Providentiam consistere etiam, non autem tantùm in actu voluntatis.

36. Objicies 4. Providentia non est naturalis, & necessaria, sed simpliciter libera; atqui Scientia mediorum, & finis non est libera, sed simpliciter necessaria, & naturalis; decretum autem voluntatis est simpliciter liberum; ergo in illo consistit formaliter providentia. Respondeo scientiam mediorum, & finis, ut possibilium, non esse liberam, sed simpliciter necessariam: at verò Scientiam mediorum, & finis, quæ dictat operi mandanda fore de facto, esse liberam propter libertatem, sive contingentiam objecti, quod voluntas liberè elegit, sicque adhuc providentia, prout includit actum Intellectûs, est simpliciter libera.

37. Objicies 5. Ad explicandas plures difficultates providentiæ semper agitur de actibus voluntatis potiùs, quàm Intellectûs; ergo verisimilius est, Doctores de providentia disputantes, ejus nomine potiùs actum voluntatis, quàm Intellectûs significare. Respondeo dato, quod ad aliquas difficultates providentiæ expli-

explicandas Doctores recurrant potiùs ad actus voluntatis, quàm Intellectûs; multas etiam esse, ad quas explicandas potiùs ad actus Intellectûs, quàm voluntatis recurrunt, sicque tam in his, quàm in illis consistit formaliter providentia.

38. Difficultas 2. Qualisnam sit actus ille Intellectûs, in quo formaliter inadæquatè consistit providentia? Ante resolutionem advertes primò, quosdam, ut persuadeant, providentiam in solo actu Intellectûs consistere, recurrere ad quoddam imperium dicens *Fac hoc*, & ad Intellectum spectans, quod dicant dari in omni agente per intellectum, ad productionem omnium rerum, quas vult, & in eo consistere totam providentiæ essentiam. Non placent primò, quia tale Imperium non est necessarium, nam si ponatur, debet esse post determinationem efficacem voluntatis, nè tollatur libertas, ut statim dicemus; tunc autem superfluum est; siquidem ea volitio efficax præsuppositа omninò sufficit, ut potentia executiva determinetur. Secundò, quia tale Imperium, si esset ante voluntatem liberam, tolleret omninò libertatem; siquidem illud non esset formaliter liberum, & illo posito, non potest non esse effectus, quod est tollere libertatem; hoc autem est impossibile.

39. Advertes 2. P. Herice *d. 22. cap. 4.* admittere in creatis post primâ volitionem liberam aliquos actus judicii, quos vocat imperium, quibus intellectus quasi animat, & hortatur voluntatem, ut maneat constans in suo proposito, & exequatur objectum volitum & similes dicit dari in Deo, demptis tamen imperfectionibus suasionis, & hortationis, quibus Deus non indiget, & hos actus dicit etiam in Deo esse imperium.

40. Non placet primò, quia dato quod in creatis dentur tales actus, quatenùs voluntas aliquando, quasi territa difficultatibus, cessaret à volitione, si intellectus ei non proponeret rationes aliquas novas, quibus illam hortaretur, eique suaderet, falsò supponit tales actus dicendos esse imperium; aliud enim dicimus consulere, & animare, & aliud imperare. Secundò, quia nullo modo tales actus possunt in Deo poni; siquidem post Scientiam Simplicis Intelligentiæ, quâ novit honestum esse hominem v. g. creare, & id decrevit efficere, non apparet qui actus judicii sequatur, quidve ille Deo diceret, cùm enim Volitio Dei semel habita non possit retractari, nihil debet admitti, non solùm quod sit suasio, sed neque per modum suasionis. Hoc posito.

41. Conclusio sit: Actus Intellectûs inadæquatè constituens providentiam Divinam, non est imperium aliquod, sed judicium, sive cognitio de proportione mediorum ad finem. Ita *P. Mol. 1. p. q. 23. art. 1. d. 2. P. Soar. in Met. d. 19. sect. 6. & 7. & 1. p. lib. 1. de Prædest. cap. 16. à n. 4. P. Vasq. 1. p. d. 87. cap. 3. & d. 81. cap. 2. & 1. 2. d. 49. cap. 4. P. Tanner. hîc d. 3. q. 1. dub. 1. n. 9. P. Arrub. hîc d. 63. cap. 3. num. 12. P. Præpos. q. 22. art. 1. num. 6. P. Hurt. de Anim d. 14. sect. 8. P. Coninck de Actib. d. 12. dub. 5. P. Arriaga hîc d. 32. sect. 1. subsect. 1. P. Compton. tom. 1. d. 37. sect. 1. num. 5.* & alii. Probatur primò, quia posito tantùm hoc Judicio, sive cognitione de proportione mediorum ad finem, & quocumque alio sublato, intelligitur providentia divina quoad illam partem, secundùm quam constituitur formaliter per actum Intellectûs; ergo &c.

42. Probatur secundò, quia talis actus in Deo est superfluus; ergo non est in Deo admittendus. Probatur antecedens: Primò, quia non requiritur, ut voluntas Divina determinetur ad volendum, quia potius imperium supponit liberam determinationem voluntatis, quàm è contra. Secundò, quia tale imperium aut prærequiritur ad omnem determinationem voluntatis; aut ad aliquas. Non primum, aliter cùm ad omne imperium prærequiratur determinatio voluntatis, dabitur processus infinitus, aut necessariò admittenda est volitio efficax, quam non præcesserit imperium, quæ si illo non indiget, non illo etiam aliæ indigebunt. Non secundum, quia si aliquæ non indigent tali imperio, neque sic indigebunt omnes, cùm de omnibus eadem sit ratio.

43. Tertiò, quia tale imperium aut requiritur ad actionem immanentem voluntatis; aut ad transeuntem, & ut Deus exequatur operationem suam ad extra: Non primum, ut patet ex dictis: Non secundum; tùm quia operatio Dei transiens necessariò resultat ex illius voluntate efficaci; tùm etiam non minùs requiritur directio rationis ad actionem immanentem voluntatis, quàm ad transeuntem; ad illam autem non requiritur imperium rationis; ergo neque ad istam.

44. Quartò, quia imperium est locutio; sed hæc non potest dirigi ad res non existentes; neque enim Deus propriè loquendo alloquitur res nondum existentes, illis imperando, ut in lucem prodeant; ergo &c. Confirmatur, quia adhuc res insensibiles, & irrationales existentes sunt incapaces audiendi locutionem divinam; ergo imperium gubernans non poterit illas alloqui.

45. Quintò, quia nos experimur nullo imperio indigere ad nostras operationes transeuntes; ergo multò minùs illo indigebit Deus. Confirmatur primò, quia bruta per appetitum sensitivum se movent absque ullo alio imperio, & suas operationes exequuntur; ergo à fortiori id habebunt rationabilia. Secundò, quia admisso tali imperio in Angelis, & hominibus, adhuc illo Deus non indigeret; siquidem ideò in illis admitteretur, ut impetum eorum voluntatum intimatione quadam deferret facultatibus exequentibus; sed id non daretur in Deo, utpotè in quo nulla datur facultas distincta à voluntate; ergo &c.

46. Sextò, quia Deus non imperat sibi, ac suæ potentiæ operativæ, quia talis potentia non est inferior, neque subjecta: neque imperat creaturis; siquidem prout sic non sunt capaces imperii propriè, sed tantùm metaphoricè; ergo tale imperium ut superfluum non est in Deo admittendum.

SECTIO III.

Rejicitur hujusmodi imperium ex eo, quod sit impossibile in Deo.

47. PRIMÒ, quia impossibilis est actus potentiæ intellectivæ qui non sit intellectio; sicut impossibilis est actus potentiæ volitivæ, aut visivæ, qui non sit volitio, aut visio; sed omnis intellectio, sive cognitio, aut est pura apprehensio, quæ non datur in Deo, ut diximus in philosophiâ *tom. 1. tr. 5. d. 2. num. 62.* aut est judicium; ergo impossibilis est actus in intellectu divino, quod non sit judicium, sed per modum imperii.

48. Dicent talem actum imperii fore puram apprehensionem. Sed contra primò, quia pura apprehensio

henſio repugnat Deo, ut diximus loco proximè citato. Secundò, quia illâ admiſsâ, non poſſet eſſe imperium; ſiquidem ex natura rei foret prior, quàm judicium Scientiæ Divinæ dictans poſſibilitatem rerum, & omnem illarum ordinationem poſſibilem; ſed hæc ſcientia eſt prior imperio; ergo à fortiori prior eſſet imperio ipſa ſimplex apprehenſio; conſequenterque non foret ipſum imperium.

49 Secundò, quia cùm intellectus eſſentialiter reſpiciat *verum* ut verum, non poteſt habere actum circa aliquod objectum, niſi ſub ratione *veri*; ſed nullus actus verſatur circa verum ſub ratione veri, niſi judicando, aut ſaltem apprehendendo; ergo cùm in Deo repugnet pura apprehenſio, omnis actus intellectus divini debet eſſe judicium, & non imperium.

50. Tertiò, quia Providentia determinat ordinationem rerum ad ſuos fines; ſed intellectus non poteſt elicere actum determinatum circa ſua objecta, niſi ſolum judicium; ergo actus intellectûs Providentiam conſtituens debet eſſe judicium, & non imperium. Confirmatur, quia actus Intellectûs non poteſt eſſe determinatus circa ſua objecta, niſi per modum intellectionis; ſed hæc non determinatur circa ſuum objectum, niſi adhærendo *vero* ut vero; hoc autem eſt ipſum judicare; ergo &c.

51. Quartò, quia tale imperium aut daretur ante, aut poſt voluntatem divinam efficacem, ejuſque determinationem. Non primum, aliter tolleretur libertas in Deo, ſiquidem poſito tali imperio non poſſet Deus non operari, & illo ſublato, operari non poſſet, ut Contrarii fatentur; hoc autem eſt tollere libertatem: Non ſecundum, tunc enim ſuperfluum eſt, nam ſi Voluntas Divina efficax poteſt tunc determinare intellectum ad hunc actum, cur non poterit ſine illo determinare potentiam executivam? ergo &c.

52. Oppoſitum tribuitur *D. Thom. 1. 2. q. 17. a. 1. & 2. 2. q. 47. a. 8. & hîc 1. part. q. 22. a. 1. ad 1. & q. 23. a. 4.* quem communiter ſequuntur Thomiſtæ. *D. Antonin. 1. p. tit. 4. cap. 10. Richard. in 3. diſt. 33. q. 6. a. 2. ad 3. Caiet. 1. 2. q. 17. a. 1. Capreol. in 1. diſt. 1. q. 2. art. 1. Navarret. tom. 2. controv. 10.* & ex noſtris *P. Valent. 1. 2. quæſt. 17. d. 2. q. 12. punct. 1. P. Granad. hîc tract. 5. d. 3. ſect. 1. num. 3.* Pro quibus: Argues 1. Gen. 1. ubi Sacra Pagina ait: *Fiat lux, & facta eſt lux:* & eodem modo loquitur in aliarum rerum creatione, ubi D. Athan. orat. contrà Idola prope finem: *Si rebus creandis*, ait, *hoc imperium dictabat Deus, ſupervacanea erat iſtiusmodi fermocinatio; ex quibus apparet, Deum cum aliquo ſibi proximo ſermones his de rebus conferere: at quis ille fuerit, niſi ipſius Verbum?* Et D. Ambr. lib. 2. Exameron. cap. 2. *Audi*, inquit, *verba Dei, fiat, dicit, jubentis eſt, non æſtimantis*; ſed verba Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum expoſitiones ſignificant Imperium divinum, non creaturis intimatum, cùm adhuc non eſſent imperii capaces, utpotè nondum exiſtentes; ergo imperium, quo Deus ſuo cum Verbo, conſequenterque ſibi ipſi loquebatur, quod eſt imperium Monaſticum.

53. Reſpondeo negando minorem; neque enim ex citatis verbis, & eorum expoſitionibus colligitur dari in Deo imperium aliquod per modum actûs diſtinctum ab ejus voluntate efficaci, ſed hæc tantùm, qua poſita, ſtatim creaturæ Deo obediunt veluti impropriè & negativè, quatenùs ſcilicet ejus voluntati imperanti non reſiſtunt. Hoc idem dicendum ad illud Pſal. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.* Ubi D. Aug. dicit. inde colligi per verbum Dei facta eſſe omnia: *quia* inquit, *nemo dicit, nemo mandat, niſi verbo:* hæc enim, & quæ ſimilia fuerint verba, non de imperio proprio, ſed metaphorico ſunt intelligenda. Patet, quia aut Deus ibi imperaret ſibi ipſi, aut creaturis: Non primum; ſiquidem imperium, ſicut & oratio denotant perſonam diſtinctam, ad quam dirigantur, hæc autem non datur in Deo ſibi imperante: Non ſecundum; ſiquidem creaturæ adhuc non exiſtunt, quod autem non exiſtit non eſt capax imperii, neque obedientiæ.

Inſtabis: Deus poterit imperare potentiæ executivæ ut diſtinctæ ſaltem virtualiter ab intellectu, & ejus voluntate; ergo &c. 54. Reſpondeo negando antecedens, data enim tali diſtinctione, non poteſt Deus ſic imperare tali potentiæ, nam cùm hæc ſit veluti cœca, & ſurda, non poteſt de illius imperio certificari, neque hoc ei intimari, ut obediat.

Argues 2. Potentiæ ſubordinatæ ejuſdem ſuppoſiti dicuntur ſuperiores imperare inferioribus; ergo cùm intellectus in Deo ſit potentia ſuperior, aliis dicetur inferioribus imperare. Reſpondeo antecedens eſſe verum de imperio monarchico, ſeu potiùs per ſympathiam; non autem de imperio œconomico; hoc enim debet dari inter perſonam ſuperiorem, & ei ſubditam, quod in Deo admitti non poteſt reſpectu ſui ipſius. 55.

Argues 3. Perfectior modus operandi, ſicut & eſſendi, concedendus eſt Deo; ſed modus operandi per imperium eſt perfectior; ergo Deo concedendus eſt. Reſpondeo negando minorem, ſi ſermo ſit de proprio imperio Dei reſpectu ſui ipſius, & prout ab ejus voluntate efficaci diſtinguitur, ut patet ex ſupra dictis. 56.

Argues 4. David invitat, & veluti imperat ſe ipſum, ut Deum laudet & ad Deum convertatur, ut patet ex Pſalm. 102. *Benedic anima mea Dominum.* Et Pſalm. 145. *Lauda anima mea Dominum.* Ubi D. Aug. *Quis eſt*, ait, *qui dicit, lauda anima Dominum? An fortè ipſa anima ſibi dicit, & ſibi quodammodo imperat, & ſe exhortatur, atque excitat?* ergo ejuſdem ad ſe ipſum dari poteſt imperium. Reſpondeo Davidem locis citatis loqui de deſiderio & voluntate efficaci, quâ ſe ad Deum laudandum determinabat: aut ſumere ſe ipſum ſimul cum anima ut diſtinctum à ſola anima; alioqui diceret: *Benedic ego: Lauda ego:* quod non eſt dicendum; nullum enim, ut diximus, datur imperium inter idem, & ſe ipſum, ut etiam probant Grammatici, quatenùs primam perſonam in imperativo modo negant. Et eodem modo intelligendus eſt D. Aug. cit. 57.

Argues 5. Executio Voluntatis divinæ efficacis, quæ datur in providentia præſupponit eſſentialiter imperium, à quo oriatur; ergo hoc datur in Deo. Reſpondeo negando antecedens; falsò enim ſupponitur dari, imò & poſſe dari in Deo tale imperium reſpectu ſui ipſius, ut patet ex dictis; nam quin detur tale imperium, datur executio, poſitâ tantùm intentione finis, & electione voluntatis efficacis. 58.

Inſtabis: Tunc datur ſaltem judicium aliquod practicum antecedens ipſam intentionem finis, & electionem mediorum; ergo hoc habebit rationem imperii Reſpondeo tale judicium non poſſe dici imperium propriè, ſed tantùm impropriè, cùm non habeat vim obligandi, nec ſit liberum per ſe, quod neceſſarium erat, licet id habeat per accidens, ratione ſcilicet voluntatis efficacis, adhuc 59.

tamen dicetur imperium impropriè, non autem propriè, cùm non sit ad personam distinctam.

60. Argues 6. Providentia Dei perfectissima consistit in eo, quod dictet *Hoc debet fieri*; sed hujusmodi ratio dictiva habet se per modum imperii; ergo &c. Respondeo negando majorem; Providentia enim Dei perfectissima solùm consistit in scientia perfectissima mediorum, & in voluntate efficaci exequendi illa. Dato tamen quod consisteret in ratione illa dictiva, falsò supponitur, rationem illam dicendam fore imperium propriè ob rationes proximè, & supra factas.

61. Argues 7. Modus operandi, ut supremus dominus imperans, est perfectissimus respectu Dei; ergo est ei concedendus. Respondeo talem modum operandi esse perfectissimum respectu Dei in ordine ad creaturas, quarum est supremus Dominus; non autem in ordine ad se ipsum; non enim dicitur dominari, sicut neque imperare sibi ipsi; siquidem dominium, sicut & imperium est ad personam distinctam.

62. Argues 8. In intellectu humano datur hujusmodi imperium in ordine ad actus voluntatis; ergo etiam dabitur in intellectu divino. Respondeo primo dato antecedente, negando consequentiam; neque enim ab humanis ad divina benè fit argumentatio; alioqui sicut intellectus humanus cognoscit per discursum, & per puras apprehensiones, ita etiam cognosceret divinus, quod alibi negavimus. Et ratio adhuc diversitatis est, quia cùm voluntas humana ob suam imperfectionem, & aliquas difficultates, retardetur, & sit morosa, necessarium erat aliquid per modum imperii, quod illam obligaret ad executionem finis intenti: at verò hæc, cùm imperfectionem dicant, non dantur in voluntate divina, sicque non indiget tali imperio obligante.

63. Respondeo secundò negando antecedens, falsò enim supponitur dari in nobis hujusmodi imperium, ut supra diximus. Et ratio est, quia in brutis sufficit propositio objecti ab imagine, & affectus appetitûs, ut potentia motiva localis absque alio imperio moveatur; ergo à fortiori sufficiet in homine propositio objecti ab intellectu facta, & actus efficax voluntatis, ut potentia exequens operetur: ex quo potiùs confirmatur, quàm infirmatur nostra doctrina. Undè si aliquando necessarium est aliquid per modum imperii, hoc est tantùm per accidens ob assignatas rationes, quæ in Deo non dantur, imò neque admitti debent.

64. Argues 9. In Deo præter primam intentionem finis elicitam à voluntate, datur judicium, quod suadet, & hortatur voluntatem, nè à proposito desistat, ut sæpè in nobis fit; sed id est imperium exercere; ergo &c. Respondeo primò data majori, negando minorem: neque enim tale judicium esset imperium: tum ob rationes supra factas: tum quia solùm esset suasio, consilium, animatio, & hortatio, quod est quid diversum à ratione imperii, ut patet. Respondeo secundò negando majorem: licet enim tale judicium in nobis reperiatur ob difficultates vincendas, quæ multotics voluntati offeruntur, ut diximus; non ita reperitur in Deo, cùm enim Voluntas divina efficax, positâ intentione finis, & scientiâde illius honestate, atque decreto efficaci voluntatis, statim curet de fine assequendo absque ulla difficultate, & morositate, ideò in Deo non admittuntur similes actus: tum quia superflui: tum etiam quia imperfectionem arguunt.

65. Argues 10. In Deo post finem assecutum datur judicium approbativum rei factæ, quo dicit: *Benè fecisti volens hoc*; ergo etiam dabitur judicium per modum imperii. Respondeo primò dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia illud judicium non haberet rationem imperii, nisi ad plurimum impropriè; sicut etiam haberet cognitio reflexa de existentia volitionis divinæ, quod stare potest sine distinctione personæ: at verò ratio imperii propriè, ut diximus, requirit distinctam personam Respondeo secundò negando antecedens, tale enim judicium approbativum, utpotè superfluum, non datur in Deo; siquidem cùm Deus jam antea cognoverit suam volitionem esse honestissimam, dato quod ad illam determinetur, ad quid ponendum est tale judicium approbativum?

Quæres hîc: Utrùm si in Deo daretur hujusmodi imperium pertineret ad Intellectum? Affirmativè. Probatur primò, quia hujusmodi imperium esset interna locutio mentis, quâ Deus seipsum alloqueretur; sicut quis externo sermone solet subditos alloqui; sed interna locutio est actus Intellectûs; consistit enim in conceptibus; ergo &c. Secundò, quia imperare est proprium supremæ facultatis; sed hæc est Intellectus; ergo &c. 66.

SECTIO IV.

Qualiter Providentia Divina cum prædestinatione conferatur?

DICO 1. Providentia Divina est quasi totum potentiale, & genus respectu prædestinationis. Ita *D. Thom. q. 6. de Verit. art. 1. & in 1. dist. 40. q. 1. art. 2. Durand. quæst. 1. n. 6. Capreol. q. unica art. 1. conclus. 2. Marsil. in 1. q. 41. art. 1. P. Arriaga hîc d. 32. sect. 2. n. 19. P. Soar. lib. 1. de Prædest. cap. 18. num. 2.* Probatur primò, quia illud est totum, & quasi genus respectu alterius, quod concipitur ut ei, & aliis commune, ut patet in Ente respectu substantiæ, & accidentis; sed ita concipitur providentia absolutè sumpta respectu prædestinationis; siquidem dividitur ut quid commune in naturalem, & supernaturalem; hæc autem in efficacem, qualis est prædestinatio, & inefficacem, omnesque includunt, & participant rationem absolutam providentiæ, quatenùs est gubernatio rerum in ordine ad suos fines consequendos, quam rationem omnes includunt; ergo &c. 67.

Probatur secundò, quia ratio Idææ in Deo est quid commune, & quasi genus ad Idæam hominis, & leonis; ergo etiam sic erit providentia ad naturalem, & supernaturalem. Confirmatur primò, quia si Deus non elevet hominem ad finem supernaturalem, adhuc de illo habet providentiam naturalem; sed hoc est signum communitatis in providentia, utpotè quæ est indifferens ad naturalem, & supernaturalem; ergo &c. Secundò, quia providentia est quid commune ad providentiam hominis, & Angeli; ergo etiam ad providentiam hominis in ordine ad finem naturalem, & supernaturalem. 68.

Objicies 1. cum *Cajet. & P. Vasq. 1. p. d. 87. cap. 5.* In Deo datur idem modus cognoscendi; ergo etiam providendi; consequenterque Providentia in Deo non est quid commune. Respondeo primò negando antecedēs: sicut enim scientia & cognitio divina 69.

divina est quid commune ad cognitionem hominis, & leonis, licet Deus illos eodem modo veluti genericè cognoscat; ita talis est providentia ad providentiam hominis, & leonis, ex quo potiùs confirmatur nostra doctrina. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia Deus semper eodem modo attingit creaturas, aut in se ipso, aut in ipsismet creaturis: at verò non semper eodem modo illas ordinat ad fines; siquidem diversum quid est ordinare res inanimatas ad fines naturales; & rationales ad actus bonos naturaliter debitos; atque ad fines supernaturales, & indebitos.

70. Objicies 2. In Deo una tantùm dicitur dari Ars, licet plura dentur objecta, quibus plures Idææ correspondeant; ergo idem dicendum de providentia. Respondeo antecedens esse verum, si Idææ illæ sumantur simul, & per modum unius, ut sumuntur plures aquæ respectu maris; & plura animalia hoc nomine *animal* significata: non ita verò si sumantur divisim; tunc enim ab illis potest abstrahi una ratio communis, ut diximus de Cognitione, & providentia Divina.

71. Objicies 3. Prædestinatio nullam aliam speciem connotat; sed ut esset pars subjectiva providentiæ, deberet aliquam speciem connotare; ergo illi non subjicitur tanquam generi. Respondeo primò data majori, negando minorem: homo enim subjicitur animali tanquam generi; & tamen nullam aliam speciem connotat, cùm sit species infima. Respondeo secundò negando majorem; connotat enim prædestinationem naturalem ad creaturas rationales, & irrationales; & supernaturalem ad efficacem, & sufficientem, quæ etiam sunt communes, & species.

72. Objicies 4. Si providentia esset quid commune, & quasi genus respectu Prædestinationis, & Reprobationis, hæ deberent inter se essentialiter, & specie distingui; sed non ita distinguuntur; ergo &c. Respondeo negando minorem: licet enim prædestinatio, & Reprobatio sint eadem auxilia in entitate, sunt tamen specie, & essentialiter diversa, si logicè, & quà tales sumantur: sic enim distinguuntur negatio, & privatio, in quibus eadem datur ratio.

73. Quæres hîc: Utrùm providentia respectu prædestinationis sit genus univocum, & universale? Negativè. Probatur, quia in prædicatis divinis, ut alibi diximus, cùm sint essentialiter singularia, nulla datur ratio propria universalis, neque enim possunt à singularitate abstrahi; alioqui sine sua essentia conciperentur; aut simul cum negatione, & formâ negatâ, quæ omnia implicant; ergo &c. Undè ratio communis latiùs patet, quàm ratio universalis, licet enim omne universale sit commune, non tamen omne commune est universale, ut patet in *Ente*, de quo alibi.

74. Dico 2. Providentia divina potest dici integraliter cõposita, & ex parte objecti, & ex parte actûs. Probatur prima pars, quia plura dantur objecta particularia, circa quæ versatur providentia Divina; sed ex his omnibus integratur objectum adæquatum providentiæ; ergo &c. Probatur secunda pars, quia licet Omnipotentia, & Scientia Divina sint in se entitates simplicissimæ, possunt tamen quoad nos, & per nostros conceptus concipi ut integraliter compositæ ex eminentiis, & cognitionibus particularibus in ordine ad diversa objecta particularia; ergo idem dicendum de providentia.

75. Dico 3. Providentia Divina, si sumatur ex parte objecti, componitur etiam integraliter ex prædestinatione. Ita *D. Thom. Cajet. & P. Soar. lib. 1. de Prædest. cap. 18. num. 3.* Probatur, quia objectum providentiæ sunt omnia, quæ ordinantur, & sunt ordinabilia ad suos fines; sed objectum prædestinationis est ordinabile ad vitam æternam, ut ad suum finem; ergo prædestinatio habet pro objecto partem aliquam objecti providentiæ; sed illud, quod habet pro objecto partẽ aliquam objecti alterius, est etiam illius objectũ; ergo prædestinatio est pars objecti providẽtię; consequenterq; providentia ex parte objecti componitur integraliter ex illa.

Oppones 1. Quod aliud componit integraliter, debet includi, & exprimi in ejus definitione; siquidem totum debet definiri per suas partes; sic enim homo definitur per *animal rationale*, ex quibus tanquam ex partibus componitur; sed providentia definitur: *Præscientia, & dispositio mediorum ad suos fines*: quin in tali definitione includatur prædestinatio; ergo hæc non componit providentiam integraliter ex parte objecti. Respondeo negando minorem quoad secundam partem: cùm enim ibi non definiatur providentia secundùm omnes partes, quas habet expresè, ideò expresè non exprimitur ibi prædestinatio, sed tantùm confusè, quatenùs etiam prædestinatio est præscientia, & dispositio mediorum ad finem. Accedit, quod ibi definitur providentia cõmunissimè, & latè sumpta, prout etiam comprehendit providentiã naturalem de rebus irrationabilibus, & rationabilibus, & supernaturalem de homine & Angelis, sicq; omnes includuntur confusè in illa definitione. 76.

Oppones 2. Licet Deus non elevasset hominem ad finẽ supernaturalem, adhuc de illo, & de aliis rebus haberet providentiam, ut modò habet; sed non ita haberet, si illa ex prędestinatione componeretur integraliter, tunc enim non daretur prædestinatio; ergo &c. Respondeo ex argumento solùm probari, providentiam tunc non habituram tot partes, quot modò habet: sic enim quantitas habens modò sex partes, si unam amittat, adhuc manebit eadem quantitas, quin exindè sequatur, quod ex parte illa amissa non componeretur integraliter, quamdiu illam non amisit; licet post amissionem non haberet tot partes, quot antea. 77.

Oppones 3. Totum integrale, qualis est providentia, non componitur ex partibus inter se repugnantibus; sed prædestinatio, & reprobatio ita repugnant inter se, ut neque divinitùs possint esse simul respectu ejusdem hominis; ergo providentia non componitur ex illis integraliter. Respondeo negando majorem, si sermo sit de toto, quod componitur per modum aggregati, ut fit in providentia. Patet in Scientia, quæ sic integraliter componitur ex actibus, & habitibus maximè repugnantibus. Accedit, quod nos non intendimus providentiam componi etiam ex reprobatione, sed ex prædestinatione, quod si concedatur, habemus intentum. 78.

Dico 4. Providentia Divina convenit cum prædestinatione in eo, quod utraque sit actus immanens, & æternus in Deo; & in eo quod utraque respiciat media, illaq; ordinet ad finem. Probatur prima pars, quia utraque consistit in actibus Intellectus, & voluntatis divinæ, ut supra diximus de providentia, & infrà dicemus de prædestinatione; sed actus Intellectus, & voluntatis divinæ sunt immanentes; aliter Deus per illos non intelligeret, neque vellet: & sunt æterni; aliter Deus aliquid de novo cognosceret, & vellet, mutaretuŕque; ergo &c. Probatur secunda pars, quia Deus tam per providentiam, quàm per prædestinationem, ut 79.

dixi-

diximus, & infrà dicemus, ordinat aliquid ad suum finem per media assequendum; ergo utraque in eo conveniunt.

80. Dico 5. Providentia, & prædestinatio differunt ratione objecti. Probatur, quia objectum providentiæ latiùs patet, quàm objectum prædestinationis, quatenùs illa versatur circa omnes creaturas per ordinè ad finem tam naturalem, quàm supernaturalem, hæc autem solùm circa rationales, & per ordinem ad finem supernaturalem; ergo cùm objecta sint diversa, etiam ipsæ in ratione objecti diversæ erunt.

81. Oppones: Prædestinatio generaliter sumpta, prout includit etiam prædestinationem Christi Domini, habet etiam pro objecto omnes creaturas; siquidem omnes conducunt ad salutem electorum, & hi ad Christi gloriam, & omnes cum Christo ad Dei gloriam, ut patet ex illo 1. Cor. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus verò Dei*; ergo non distinguitur à Providentia ratione objecti. Respondeo negando consequentiam: licet enim prædestinatio prout sic etiam habeat pro objecto omnes creaturas, est tantùm secundariò, & indirectè, non autem directè, & primariò, ut habet providentia; primariò enim solùm versatur circa creaturas rationales illas ordinando ad vitam æternam: cùm autem actus distinguantur, non per objecta secundaria, sed primaria, & hæc respectu providentiæ, & prædestinationis sint distincta, etiam distinctæ sunt ipsæ providentia, & prædestinatio.

82. Dico 6 Providentia & prędestinatio etiã distinguuntur ratione finis & mediorum. Probatur prima pars, quia finis providentiæ latiùs patet, quàm finis prædestinationis, cùm ille sit multiplex, utpotè quod plura sunt subjecta, circa quæ versatur, quorum quodlibet suum habet finem particularẽ, ad quem ordinatur, & omnia ultimatè ad Deum: hic autem est unus tantùm, nempè vita æterna, ad quam ordinantur solæ creaturæ rationales; ergo &c. Confirmatur, quia providentia, ut infra dicemus, non semper assequitur suum finem; prædestinatio autem maximè; ergo &c. Probatur secunda pars, quia media providentiæ sunt plura, alia efficacia, & alia sufficientia; media autem prædestinationis sunt pauciora, & omnia efficacia; ergo &c.

83. Dico 7. Providentia non differt à prædestinatione in eo quod illa necessariò supponat existentiam rerum, non ita verò hæc, sed illam decernat. Ita *P. Herice 1. part. tract. 3. d. 21. cap. 4. num. 25. P. Arriaga 1. part. d. 32. sect. 5. num. 46.* Probatur primò, quia prædestinatio, ut diximus, est quasi species providentiæ; sed species, licet suo generi aliquid addat, semper tamen debet habere omnia prædicata positiva, quæ includit genus; sic enim homo includit omnia, quæ habet animal; ergo si providentia priùs naturâ exigit suum subjectum, cui providet, etiam illud exiget prędestinatio.

84. Probatur secundò, quia Providentia divina de homine ad finem naturalem, dato quod non esset ordinatus ad gloriam, posset incipere à voluntate illum creandi, sicut nunc incipit, quando illum destinat ad gloriam; non enim datur major ratio, cur ut illum ordinet ad finem naturalem, debeat illum supponere creatum, & non ita supponat, sed illum decernat creare, quando illum ordinat ad finem supernaturalem; ergo tam providentia, quàm prædestinatio non supponunt necessariò rerum existentiam.

85. Probatur tertiò, quia licet Deus semper producat hominem ob aliquem finem, non tamen necessariò ille finis debet esse distinctus ab ipso homine; siquidem potest velle eum producere ob solam honestatem, quæ in ipsâ productione reperitur; sed tunc providentia incipiet à voluntate illum creandi, & continuabitur voluntate illum conservandi, quin ibi sit prior ejus existentia, quàm providentia; ergo &c.

Oppositum tenet *P. Soar. hîc lib. 1. prædestin. cap. 18. à num. 12.* Pro quo: Objicies 1. Licet res, quæ providetur non supponatur futura, semper tamen supponitur futura res, cui providetur; siquidem ei provideri nequit, nisi prævideatur, quod erit; ergo providentia semper supponit rerum existentiam. Respondeo negando antecedens quoad secundam partem, & ejus probationem: sicut enim homini potest Deus providere post ejus existentiam, ita etiam potest ante illam aliquod bonũ ei providere simul cum ejus existentia, ut diximus, & patet in Orbe à Deo ex providentia facto, & non casu, cùm tamen ante ejus creationem, quam ei providit Deus, nulla daretur existentia. 86.

Objicies 2. Omnes res fuerunt creatæ propter hominem, & ex illius providentia; ergo & illæ & homo debebant priùs existere, ut sic ad hominem essent ordinatæ. Respondeo omnes res sic fuisse creatas, ex quadam tamen providentia veluti generali, quod non obstat ad hoc, ut non habeant suam peculiarem providentiam in Deo, ex qua sint creatæ, & ordinatæ ad suum peculiarem finem, ut patet in ipso homine, qui etiam creatus fuit ex providentia divina propter Deum, & ut medium ut Deus per illum gloriam suam consequeretur, & tamen homo suam habet particularem providentiam, per quam ei providetur actualis existentia; sicut particularem habet prædestinationem. 87.

Objicies 3. Eodem modo se habet providentia ad rem futurã in æternitate, atque se habet in tempore gubernatio ad rem existentem; sed hæc semper supponit rem gubernandam existentem; ergo etiam illa semper supponet futuram rem, cui providendũ est. Respondeo negando majorem: gubernatio enim, cùm sit exercitium providentiæ, & hoc non detur, nisi circa rem existentem, ideò semper supponit existentiam rei gubernandæ: at verò providentia absolutè, cùm sit ordinatio, intentio, & applicatio mediorum ad finem, bene potest intendere rem futuram, & ipsam futuram efficere per ipsam intentionem, adhibitisque mediis illam simul ponere extra causas, in quo eventu non illam supponet existentem. 88.

Objicies 4. Prædestinatio Christi Domini fuit totius prædestinationis creatæ exemplar; sed illa non præsuppositi existentiam Christi Domini; ergo etiam nostra non sic præsupponet; ac proindè in hoc distinguitur à providentia. Respondeo primò ex prædestinatione Christi Domini non fieri argumentum ad nostram; alioqui sicut illa efficit Christum Dominum filium naturalem Dei, ita etiam nostra efficeret, quæ si hoc non habet, neque etiam habebit quod non præsupponat existentiam rei, quæ prædestinanda est. 89.

Respondeo secundò, argumentum solùm probare dari prædestinationem, quæ non supponat existentiam, ut factum fuit in Christo Domino: non tamen probare, non posse rem priùs creari, & postea prædestinari, ut diximus. Unde in Christo Domino prędestinatio non suppositi existentiam, quia illa necessariò debebatur Christo Domino, positâ creatione; at verò cùm ita non debeatur cæteris creaturis, ideò possunt creari ob aliquem finem naturalem, & postea prædestinari ad finem supernaturalem, 90.

turalem, in quo eventu præsupponetur existentia rei prædestinatæ.

SECTIO V.

An, & quomodò Providentia distinguatur à creatione, dispositione, fato, scientiâ, & arte?

91. CONCLUSIO 1. Provindentia distinguitur realiter à creatione sumpta pro actione transeunte, sive productione rei ex nihilo. Probatur, quia creatio prout sic est ens temporale, & creatum de prædicamento actionis; sed providentia est quid divinum, & æternum; ergo &c.

92. Conclusio 2. Providentia etiam distinguitur à creatione formaliter, si creatio sumatur pro actione immanente, per quam Deus creat juxta illud psal. 148. *Ipse mandavit, & creata sunt.* Probatur, quia objectum providentiæ latius patet, quàm objectum creationis ex nihilo prout sic; & creatio prout sic non respicit formaliter, & expressè rerum ordinationem ad finem, quam sic respicit providentia, sed solam earum productionem; ergo &c.

93. Conclusio 3. Providentia materialiter sumpta includit creationem. Probatur primò, quia proprium est providentiæ tribuere media proportionata ad fines consequendos; sed horum mediorum unum est creatio; siquidem creaturæ per creationem acceperunt vires, qualitates, locum, ordinationem, figuram, & omnia requisita, prout congruebat statui, functionibus, & finibus unicuique propriis; ergo &c. Secundò, quia prædestinatio, & reprobatio, ut diximus, sunt partes providentiæ; sed harum effectus sunt hominum creationes, quæ præsciuntur fore occasiones, aut opportunitates virtutis, aut vitii; ergo &c.

94. Conclusio 4. Providentia, & dispositio aliquando sumuntur pro eodem: propriè tamen dispositio est ipsa executio, sive actio transiens providentiæ. Ita *D. Thom. 1. p q. 22. art. 1. & ad 2. & in 1. dist. 39. q. 2. art. 1. P. Ruiz 1. p. d. 4. sect. 5. à n. 1.* Probatur prima pars primò ex illo Prov. 24. 6. *Cum dispositione initur bellum, & erit salus, ubi multa consilia:* ubi dispositio complectitur omnem actum interiorem providentiæ; ergo &c. Secundò, quia prædestinatio est perfectissima providentia, ut patet ex dictis; sed prædestinatio dicitur dispositio, ut patet ex illo D. Fulgent. *lib. 1. ad Monim. cap. 7. Prædestinationis*, ait *nomine, non aliqua voluntatis humanæ coactiva necessitas exprimitur; sed misericors, & justa futuri operis divini sempiterna dispositio prædicatur*; ergo &c.

95. Probatur secunda pars, quia Sacræ Litteræ frequenter explicant, & significant exteriorem actum & executionem providentiæ verbo *disponendi*, ut patet ex illo Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Et Sap. 3. *In paucis vexati, in multis benè disponentur.* Et cap. 8. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Et cap. 11. *Omnia in numero, & mensura, & pondere disposuisti.* Et Ecclesiast. 33. *Omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus*; ergo &c.

96. Advertes tamen primò, dispositionem specialiter sumptam non adæquare totam executionem providentiæ; siquidem dispositio specialiter non refertur, nisi ad res habentes partes, quæ ordinentur, & disponantur: Providentia autem, & ejus executio, cùm sit universalior, est ad omnes res, etiam indivisibiles.

97. Advertes secundò, non benè discriminari dispositionem strictè sumptam à providentia in eo, quod illa pertineat ad *fieri*, hæc autem ad *factum esse* rerum, ut dicunt *Alexand. 1. p. q. 26. membr. 2. Albert. 1. p. q. 67.* Neque etiam in eo, quod dispositio sit ratio illa, cujus executio est creatio: Providentia autem sit ratio illa, cujus executio est gubernatio rerum jam creatarum, ut dicunt *Durand. in 1. dist. 39. n. 3.* & alii: utraque enim differentia gratis excogitatur.

98. Conclusio 5. Providentia differt etiam à Fato: (Accipimus autem *Fatum* non sinistro Gentilium, sed catholico Theologorum sensu.) Probatur, quia *Fatum* prout sic est ipse rerum ordo per providentiam causatus, denotatque connexionem causarum secundarum, quam providentia causat in tempore; sed effectus creatus, & temporalis distinguitur à Causa Increata, & Æterna; ergo &c.

99. Conclusio 6. Providentia etiam differt à Scientia, & Arte Divina. Probatur, quia Scientia, & Ars non includunt, neque supponunt decretum voluntatis, quod tamen includit providentia, ut diximus; ergo providentia addit aliquid supra Scientiam, & Artem; consequenterque ab illis distinguitur. Ita *D. Thom. in 1. dist. 39. q. 2. art. 1. & de Verit. q. 5. art. 1. Durand. in 1. dist. 39. q. 6. art. 1. Capreol. in 1. dist. 40. art. 2. Richard. in 1. dist. 39. q. 1. art. 2.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz 1. p. d. 4. sect. 5. n. 11.*

SECTIO VI.

Ad quænam se extendat Providentia Divina?

100. DIFFICULTAS 1. Utrùm providentia Divina ad omnia etiam minima se extendat? Affirmativè. Ita *P. Vasq. cum D. Thom. 1. p. q. 22. art. 2. in comment. P. Tanner. hìc d. 3. q. 1. dub. 2. num. 7. P. Arrub. d. 64. cap. 2. P. Præposit. 1. p. q. 22. art. 2. P. Granad. tract. 2. d. 1. n. 2. P. Ruiz d. 1. sect. 5. à n. 1. P. Herice tr. 3. d. 21. cap. 3. n. 17. P. Valent. 1. p. q. 22. art. 2. punct. 2. P. Compton. tom. 1. d. 37. sect. 3. P. Rhodez tom. 1. d. 5. q. 1. sect. 3.* & alii. Probatur primò ex sacra Pagina Sap. 5. *Æqualiter est illi cura de omnibus.* Et cap. 13. *Pusillum, & magnum ipse fecit, cui est cura de omnibus.* Et cap. 8. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Et psal. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus:* id est exequuntur præceptum, ac ordinationem providentiæ ipsius. Et Matt. 6. *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa.* Et cap. 10. *Nonne duo passeres asse vaneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?* Et sæpè alibi.

101. Probatur secundò ex Sanctis Patribus D. Aug. *lib. 7. de Civit. cap. 29. Illum*, ait, *Deum colimus, qui naturis à se creatis, & subsistendi, & movendi initia, sine sè, constituit, qui rerum causas habet, novit, atque disponit.* Et D. Iræn. *lib. 2. adversus hæres. cap. 45. Nihil omninò horum, quæ facta sunt, & quæ fiunt, & fient, Deum fugit, sed per illius providentiam unumquodque eorum, & habitum, & ordinem, & numerum,*

numerum, & quantitatem accipit propriam. Et Clem. Alexand. *lib. 1. Stromat. Quæ est Christo consentanea doctrina opificem Deum esse asserit & deducit providentiam usque ad singula.* Et D Hieron. ad citata verba Matt. 10. *Si parva animalia, & vilia absque Deo auctore nō decidunt, & in omnibus semper est providentia, & quæ in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt, vos, qui æterni estis, non debetis timere quod absque Dei vivatis providentiâ.* Et D. Dionys cap. 12. *de Divin. nomin. Deitas,* inquit, *prospicit cuncta providentiâ, bonitateq; mirabili.* Similia habent *Origen. Hom. 3. in Gen. D. Athan. lib. de Incarnat. Euseb. lib. 6. cap. 5. & 6. de præparat. Evang. D. Cyril. Hierosol. Catech. 8. D. Cyril. Alexand. lib. 5. contr. Julian. D. Basil. Hom. in psal. 48. D. Chrysost. Hom. 9. & 10. ad popul. Antioch. lib. 1. officior. cap. 13. 14. & 15. D. Greg. lib. 4. Moral. cap. 16. D. Hilar. in psal. 146.* & alii.

102. Probatur tertiò rationibus: Prima, quia providentia, ut diximus, est ratio ordinis mediorum ad finem; sed hujusmodi ratio datur in Deo respectu omnium rerum; siquidem quantùm extenditur causalitas cujuslibet efficientis, tantùm extenditur ordinatio effectus ad finem; causalitas autem Dei efficientis extenditur ad quælibet entia, & ad quaslibet eorum differentias; ergo ad omnia extenditur ordinatio ad finem; consequenterque de omnibus est in Deo providentia. Confirmatur primò, quia efficiens, præsertim perfectissimum, qualis est Deus, quoties causat, ob aliquem finem operatur; alioqui frustra operaretur; ergo quantùm extenditur causalitas Dei efficientis, tantùm extenditur ejus ordinatio rerum in finem. Secundò, quia causalitas efficiens, exemplaris, & finalis in Deo non est minùs universalis in causando, quàm est *Ens* in prædicando; sed ens dicitur quidditativè de quacumque re etiam minima; ergo etiam sic dicetur illa causalitas; consequenterque Deus omnes res etiam minimas ordinat ad se ut ad finem.

103. Secunda, quia quò virtus activa fuerit fortior, eò suas operationes extendet ad objecta remotiora; sed Intellectus, & voluntas divina sunt infinitæ fortitudinis; ergo extendent suas operationes intelligendi, volendi, gubernandi, & ordinandi, non solùm ad objecta propinquiora, quales sunt res nobiliores, sed etiam ad remotiora, quales sunt res vilissimæ; consequenterque de illis etiam habet Deus providentiam.

104. Tertia, quia providentia Divina non vilescit ordinatione vilissimarum rerum, neque ex earum sordibus sordescit, ut patet ex illo Sapient. 7. *Attingit autem ubiq; propter suam munditiam:* id est abstractionem, simplicitatem, & immaterialitatem, neque alias sordes abominatur præter peccata juxta illud Habacuc 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris*; ergo de omnibus rebus etiam vilissimis est in Deo providentia.

105. Quarta, quia quælibet res, etiam minima, & vilissima habet aliquid à Deo participatum, nempè entitatem, existentiam, potentias, operationes, &c. sed non est dicendum, quod Deus dedignetur providere illis, quæ non est dedignatus creare, & conservare; esset enim absurdissima elatio, quam Deo tribueret, qui id de Deo affirmaret, ut patet ex illo D. Cyrill. Alexand. *lib. 5. Thesauri cap. 2. Superbiæ certè Deo injicere conamini, cùm dicatis, non esse decens, ut minimarum rerum creator sit. Ipse autem omnium creator est, etiam minimorum, & omnibus providet, & se propter misericordiam suam participabilem præbet*; ergo &c.

106. Quinta, quia si Deus non provideret minimis; neque provideret etiam summis, imò neque rerum universitati, cujus bonum est optimum, & finis omnium partium, quibus constat; sed Deus his providet; ergo etiam illis. Probatur major quoad ultimas partes, quia Universum sine singulis partibus, etiam minimis non esset integrum, atque perfectum, neque quoad utilitatem, & commoditatem; siquidem plurimæ rerum minimarum dantur aliis perfectioribus in cibum, aliosque usus: neque quoad pulchritudinem; hæc autem insurgit ex varietate rerum ordine convenienti dispositarum, [illegible]anta non esset, si mundo defuissent res vili[illegible], neque dignitas perfectiorum tantopere sp[illegible]ueret, nisi conferretur cum imperfectioribus; ergo si Deus his non provideret; neque illis, neque rerum universitati provideret, quod non est dicendum.

107. Difficultas 2. Utrùm aliquis eventus sit casualis, aut fortuitus respectu Providentiæ divinæ? Negativè. Ita *D. Thom. hic P. Granad. 1. p. tract. 2. d. 1. n. 7. P. Ruiz. 1. p. d. 1. sect. 7. num. 12. P. Compton. tom. 1. d. 37. sect 3. n. 4.* & alii supra citati. Probatur 1. ex Sanctis Patribus D. Augustt. *lib. 83. quæstionum quæst. 24. quidquid casu fit, temerè fit. Quidquid temerè fit, non fit providentiâ. Si ergo casu aliqua sunt in mundo; non providentiâ universus mundus administratur.* Et concludit: *Nihil igitur casu fit in mundo.* Et in psal. 31. ad illud: *Verumtamen in diluvio aquarum, &c. Si casibus reguntur homines, nullâ providentiâ aliquid geritur.* D. Prosper. lib. Sent. ex Aug. Sent. 281. *Nè fortuitis perturbari motibus ea, quorum causas comprehendere non possumus, æstimemus*; ergo &c.

108. Probatur secundò rationibus: Prima, quia effectus in tantùm dicitur casualis, in quantùm effugit ordinem, & intentionem alicujus causæ particularis; siquidem casus dicitur causa per accidens, solùm autem per accidens causatur, quod fit præter intentionem causæ, ut docet Aristot *lib. 2. Phys. cap. 5.* & cum eo omnes Philosophi, ac Theologi; sed nullus effectus potest effugere ordinem, & intentionem Causæ universalissimæ, qualis est Deus; ergo respectu Dei nullus effectus est casualis. Confirmatur, quia nullus effectus subtrahitur ab ordine causæ particularis, nisi per aliam causam particularem impedientem illius actionem; sed impossibilis est causa, quæ Primam impediat, nè operetur, quod intendit; ergo impossibilis est effectus, qui subtrahatur ab ordine, & intentione Causæ Primæ; consequenterque qui respectu illius sit casualis.

109. Secunda, quia nullus effectus prægnitus ab operante est casualis respectu illius: tùm quia ex Boëtio *lib. 5. de Consolat. prosa 1. Casus est inopinatus eventus:* tùm etiam, quia quod non est præter scientiam, non est omninò præter intentionem, saltem permittendi talem effectum; effectus autem casualis debet esse omninò præter intentionem agentis; sed quilibet effectus est certò, & evidenter prægnitus à Deo; ergo respectu Dei nullus est casualis.

110. Tertia, quia si aliquis effectus esset casualis respectu Dei, Deus esset illius causa per accidens; siquidem omnis causa eo ipso, quod non est causa per se, est causa per accidens; sed impossibile est, quod Deus sit causa per accidens alicujus effectus; siquidem omnis causa per accidens reducitur in aliquam superiorem causam, quæ sit per se; impossibile autem est, quod causa prima reducatur ad

aliam

aliam superiorem; alioqui jam non esset omnium prima, & suprema; ergo impossibile est, quod aliquis effectus respectu Dei sit per accidens, & casualis.

111. Quarta, quia nullus effectus, (qui non pendet à libertate creata, de quo infrà,) respectu totius collectionis causarum secundarum est casualis, & per accidens; siquidem tota illa collectio continet virtutem ad illum effectum producendum: virtus autem sufficiens ad producendum effectum, non per accidens, sed per se ad illum producendum est ordinata; ergo à fortiori nullus effectus erit casualis respectu Dei, qui produxit, & in certum finem ordinavit totam illam collectionem causarum.

112. Argues 1. Casus, & fortuna, cùm eveniant præter intentionem operantis, repugnant providentiæ, quæ omnia ex intentione causat, dirigit, & gubernat; ergo effectus casuales, & fortuiti non sunt ex Deo providente. Respondeo hujusmodi effectus repugnare providentiæ illius tantùm causæ, respectu cujus sunt casuales, & fortuiti: non autem repugnare providentiæ Dei, respectu cujus non sunt casuales, ut diximus; quod enim respectu unius causæ inferioris est casuale, potest gubernari, & conservari per providentiam Causæ superioris, nempè Dei, respectu cujus nihil est casuale, nec fortuitum.

113. Argues 2. Aliqui sunt effectus præter primariam intentionem Dei, qua intendit aliquid secundùm se bonum, ac perfectum, licet sint secundùm ejus intentionem secundariam, inspectis omnibus, quæ ex parte causarum secundarum sunt adjungenda; ergo tales effectus dicuntur casuales, & fortuiti saltem respectu illius primariæ intentionis Dei. Respondeo argumentum, si valeret, probare, quemlibet effectum posse dici casualem, si formalitates intentionis præscindamus in agente; sicq; casualem effectum esse, ignem producere calorem, si præscindendo consideremus solam generalem intentionem conservandi Universum, respectu cujus conservationis casualis, & per accidens est productio hujus caloris in particulari. Undè effectus non dicitur casualis, neque fortuitus, nisi prout comparatur cum tota intentione, & scientia sui agentis determinati: cùm autem nullus sit præter totam intentionem, & Scientiam Dei, nullus respectu illius est casualis.

114. Argues 3. Operationes peccatorum, etiam ut ad Deum relatæ, temerè & fortuitò eveniunt, utpotè quæ contra Dei voluntatem, & præter ejus intentionem eveniunt; ergo respectu Dei sunt casuales. Respondeo negando antecedens quoad primam partem; neque enim tales operationes sunt casuales respectu Dei, cùm non inopinato, neque præter ejus scientiam, aut intentionem concurrendi, & permittendi eveniant, ut infrà dicemus.

115. Argues 4. Casus est inopinatus rerum eventus ex causis concurrentibus ob aliud incæptis; sed tam concursus, quàm inchoatio causarum ob aliud, est à Deo; ergo effectus casualis in quantùm casualis, procedit à Deo; consequenterque non gubernatur per ejus providentiam, sed casualiter à Dei operatione procedit. Respondeo negando consequentiam quoad ultimam partem: solùm enim probat argumentum, effectus casuales causari à Deo quoad entitatem realem causarum, & actionum, & earum concursum; & quoad realem entitatem effectus, ejusque deformitatem, quam aliquando habet, quod non negamus: non tamen probat, talem effectum esse casualem respectu Dei.

116. Argues 5. Sicut id, quod est per se, ut est per se, producitur à Deo, ita id, quod est per accidens, ut est per accidens, producitur à Deo; ergo sicut operatio causæ per se est à Deo, ita etiam erit à Deo actio per accidens; sed effectus casualis dicit operationem per accidens; ergo ut talis est à Deo. Resp. concedendo totum: non enim negamus, effectus casuales ut casuales produci à Deo, sed tantùm non esse casuales respectu Dei, quod est quid diversum: nam ut sint à Deo, satis est, quod Deus simul concurrat cum causis secundis, respectu quarum tales effectus sunt casuales, utpotè producti præter earum intentionem: cùm autem respectu Dei nunquam eveniant præter ejus scientiam, & intentionem, numquam respectu illius sunt casuales.

117. Argues 6. Quoties diversæ causæ concurrunt ad aliquem effectum producendum, debent ab aliqua alia causa conjungi; sed causæ concurrentes ad effectum casualem sunt diversæ, & quoad substantiam, & quoad intentionem agendi; ergo debent ad illum conjungi à Deo, cùm præter Deum nulla detur causa, per quam omnes aliæ conjungantur; ac proindè earum concursus, & effectus casualis est à Deo. Respondeo concedendo totum: aliud enim, ut diximus, est, effectum casualem esse à Deo; & aliud esse casualem respectu Dei, hoc enim negamus, quod non probatur, & illud concedimus, quod solùm colligitur.

118. Argues 7. Fortior est ad agendum causa per se, quàm per accidens; sed illa nullum potest producere effectum, nisi cum Deo; ergo neque ista; sed casus, & fortuna sunt causæ per accidens, & eorum effectus casualis; ergo hunc producunt cum Deo ut talem; consequenterque effectus casuales sunt à Deo. Respondeo esse quidem à Deo; non tamen casuales respectu Dei, ut diximus.

119. Argues 8. Ideò effectus est casualis, quia est ab agente intendente aliud; sed quod agens intendat illud aliud, bonum est, & à Deo est; & illud casuale etiam bonum est, nempè inventio thesauri, & à Deo est; ergo casuale ut casuale est à Deo. Respondeo concedendo totum juxta proximè dicta.

120. Argues 9. Omnes effectus casuales reducuntur ad aliquam collectionem causarum secundarum, quæ est eorum causa per se; sed Deus causat hujusmodi collectionem, & etiam causat, quod illa sit eorum effectuum causa per se; ergo etiam causat talem effectum casualem, & facit, ut sit casualis. Respondeo concedendo totum: efficit enim effectum casualem, non tamen casualiter, ut diximus.

121. Argues 10. Sicut casuale fit præter intentionem agentis, ita effectus miraculosus fit præter solitum cursum agentis naturalis; sed miraculum ut miraculum procedit à Deo; ergo etiam casuale ut casuale. Respondeo concedendo totum, ut patet ex dictis, & potest ex argumento firmari nostra doctrina: nam sicut Deus causat miraculum ut miraculum, quin respectu illius sit miraculum, sed tantùm respectu facultatis naturalis, ita etiam causat effectum casualem ut casualem, quin respectu illius sit casualis, sed tantùm respectu agentis creati operantis præter intentionem.

122. Difficultas 3. Utrùm Deus velit, & faciat monstra, quatenùs monstra sunt? Dico 1. Deus vult, & facit quæcunque monstra. Ita *D. Aug. lib. 16. de Civit. cap. 8. & lib. 3. de Trinit. cap. 2. Clemens Rom. lib. 8. recognit. D. Bonav. in 1. dist. 45. dub. 6. Carthusian. lib. de Vetust. Universi cap. 9. P. Ruiz*

1. p. d. 1. sect. 8. num. 2. & alii. Probatur primò ex Clem. Rom. cit. *Ea*, ait, *quæ in mundo geruntur, per artificis providentiam fiunt, etiam si minùs ordinatâ videantur.* Secundò, quia quidquid est capax alicujus causalitatis, & aliundè divinæ Sapientiæ, & Bonitati non repugnat, procedit à Deo ut ab authore; sed, excepta peccati turpitudine, omnia, etiam monstruosa, sunt capacia alicujus causalitatis, eo modo, quo fieri possunt; ergo omnia, etiam monstruosa fiunt à Deo, ut ab authore.

123. Dico 2. Monstra, etiam ea ratione, qua sunt monstra respectu suæ speciei, à qua deformantur, sunt à Deo volita, & ab illo fiunt ut ab authore. Probatur primò ex illo Ecclesiast. 11. *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honestas à Deo sunt.* Et Isai. 45. *Ego Dominus, & non est alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* Et Amos. 3. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit*: ex quibus aliisque locis communiter colligunt Patres illud certissimum dogma: *Deus vult, & causat omne malum, quod non est virtuti contrarium*; sed non ita virtuti contraria sunt monstra prout sic; ergo &c.

124. Probatur secundò, quia monstrum ex Arist. *lib. 2. Phys. text. 82. & 4. de gener. animal. cap. 4. Est effectus naturalis à sui agentis perfectione rarò degenerans*; sed Deus vult, & causat, ut talis effectus naturalis à sui agentis perfectione degeneret, & ut hæc degeneratio sit rara; ergo &c.

125. Dico 3. Nullus effectus est monstrum respectu Dei, sed solius agentis creati. Probatur, quia ex proximè appositâ definitione monstri, nullus effectus naturalis potest degenerare à perfectione Dei, prout est agens talis effectus; siquidem semper, & necessariò adæquatur illius propriæ ideæ, & volitioni producendi illum, confertque ad pulchritudinem universi, quam Deus intendit: ergo &c. Confirmatur ex supra dictis pro effectu casuali, & fortuito.

126. Difficultas 4. Utrùm aliquis effectus sit contingens respectu Providentiæ divinæ? Negativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 103. art. 7. & in 1. sent. dist. 43. q. 2. art. 1. ad 4. Durand. in 1. dist. 39. q. 3. num. 11. Albert. 1. p. q. 79. memb. 2. art. 1. Alexand. 1. p. q. 23. memb. 3. art. 4. ad 3. Caiet. Ferrar. lib. 1. contr. gent. cap. 67. col. 7. Bannez 1. p. q. 14. art. 13. dub. ult. P. Molina 1. p. q. 14. art. 13. d. 10. P. Soar. in Met. d. 30. sect. 16. n. 43.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz. 1. p. d. 1. sect. 9. à num. 12.* Probatur 1. ex dictis de effectibus casualibus, licet enim multa cõtingentia non sint casualia, quia intenduntur ab operante, ut intenditur victoria ab Imperatore, & lucrum à Mercatore, omne tamen contingens participat illam imperfectionem casûs; sed hoc est præter scientiam certam, & intentionem infallibilis efficaciæ, ejusque gubernationem; ergo nullus effectus est contingens respectu Dei.

127. Probatur secundò authoritate D. Thom. cit. *Dicuntur*, ait, *aliqui effectus contingentes per comparationem ad proximas causas, quæ in suis effectibus deficere possunt, non propter hoc, quod aliquid fieri possit extra totum ordinem gubernationis Divinæ, quia hoc ipsum quod aliquid contingit præter ordinem causæ proximæ, est ex aliqua causa subjecta gubernationi Divinæ*; ergo &c.

128. Probatur tertiò ratione, quia quidquid est contingens est futurum, & non præsens; siquidem contingentia solùm sunt contingentia, quamdiu sunt futura: nam præterita jam necessariò extiterunt: præsentia autem supposito quod sint præsentia, etiam necessariò sunt; sed respectu providentiæ divinæ nihil est futurum, sed omnia sunt præsentia; ergo respectu illius nihil est contingens.

Probatur quartò, quia nihil dicitur contingens 129.
respectu illius, ex quo necessariò infertur, ita ut illo existente, non possit non existere: sed ex divina Providentia necessariò infertur quilibet effectus contingens, ita ut existente providentia illius, non possit non existere ipse effectus; ergo nullus effectus est contingens respectu Providentiæ divinæ. Confirmatur, quia licet aliquid possit contingenter evenire respectu operantis ex intentione incerta, & fallibilis efficaciæ, qualis est causa creata; non ita evenire potest respectu operantis ex intentione certa, & infallibilis efficaciæ, qualis est causa Increata, nempè Deus; ergo &c.

SECTIO VII.

Vtrùm mala cadant sub Providentiam Divinam?



DVERTES primò quæstionem posse pro- 130.
cedere, aut de malo culpæ, aut de malo pœnæ; hîc de malo culpæ, infra autem de malo pœnæ dicendum. Secundò, malum culpæ, aut posse sumi formaliter, prout est malum culpabile, sive peccatum, & offensa Dei: aut materialiter pro ipsis actionibus materialibus peccatorum, de quibus in præsenti sectione: Sit igitur.

Difficultas 1. Utrùm quodlibet peccatum, etiam 131.
formaliter sumptum sub ratione peccati, & mali culpabilis, ac offensæ Dei, cadat sub providentiam Divinam? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. q. 22. art. 2. ad 5. & ad 2. & in 1. dist. 39. q. 2. art. 2. Et de Verit. q. 5. art. 4. Carthus. in 1. dist. 39. q. 2. col. 3. Durand. in 1. dist. 39. q. 3. art. 2. num. 10. Richard. in 1. dist. 39. art. 2. Argentin. ibid. art. 4. Aureol. in 1. dist. 40. art. 3. Ferrar. contr. gent. lib. 3. cap. 71. Caiet. hîc art. 2. Alensis 1. p. q. 36. memb. 4. art. 1. P. Molin. 1. p. q. 22. art. 2. P. Vasq. 1. p. q. 22. a. 2. in comment. P. Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 10. n. 8. P. Tanner. 1. p. d. 3. q. 1. dub. 2. n. 10. P. Ruiz. 1. p. d. 2. sect. 1. n. 3. P. Præposit. 1. p. q. 22. art. 2. n. 8. P. Granad. 1. p. tract. 2. d. 1. n. 6. P. Compton. tom. 1. d. 37. sect. 3. n. 3.* & alii.

Probatur primò ex Sacris Litteris 2. Reg. 16. 132.
Dominus præcepit Semei ut malediceret David. Et cap. 24. *Addidit furor Domini irasci contra Israël, commovitq; David in eis, dicẽtem; vade, numera Israël.* Et 3. Reg. 22. *Decipies, & prævalebis, vade, & fac ita.* Et Isai. 13. *Ecce ego suscitabo contra vos Medos.* Et Habacuc. 1. *Suscitabo Chaldæos gentem amaram.* Et psal. 43. *Declinasti semitas nostras à via tua.* Et Isai. 63. *Quare errare nos fecisti de viis tuis, indurasti cor nostrum, nè timeremus te?* Et Rom. 9. *An non habet potestatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Et Thessalon. 2. *Mittet eis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Et Actor. 2. *Hunc definito consilio, & præscientiâ Dei traditum per manus iniquorum affligẽtes, interemistis.* Et cap. 4. *Conveniunt verè in civitate ista adversus Sanctum puerum tuum ✝ E SUM, quem unxisti, Herodes, & Pilatus cum gentibus, & populis Israël, facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri*; sed ex his, & similibus locis satis clarè colligitur, hominum peccata referri ad divinum consilium, decretum, intentionem, causalitatem, imperium, impulsum, & motionem; ergo cùm certissimum sit, Deum non esse peccatorũ authorem,

dicendum

dicendum est in prædictis locis solam eorum permissionem, & ordinationem ad meliora bona ex Providentia divina significari; ac proindè peccata etiam formaliter sumpta cadere sub Providentiam divinam.

133. Probatur secundò ex Sanctis Patribus D. Dionys. *de divin. nomin. cap. 4. Quin etiam iis, qui mali evaserunt, ad eorum vel privatum, vel communem usum providentia benignè utitur.* Et D. Clem. Alex. *lib. 4. Stromat. Non prohibere eos, qui afflictiones exercent, persuasum habere convenit, & ad bonum uti audacibus cœptis adversariorum.* Et *lib. 1. Stromat. Maximum esse Divinæ Providentiæ argumentum, non sinere, ut vitium inconducibile maneat, & inutile.* Et D. Cyril. Hierosol. *Catech. 8. O sapientissimam Providentiam, quæ malum etiam propositum in salutis occasionem convertit!* Et D. Basil. hom. 9. *Providentissimus rerum humanarum dispensator Deus utitur ad nostram exercitationem malignitate dæmonis, quemadmodum Medicus viperæ veneno.* Et D. Damascen. *lib. 2. Fidei cap. 29. Providentiæ hæc quidem secundùm acceptationem, hæc autem secundùm permissionem. Secundùm acceptationem sunt, quæ sine controversia bona sunt.* Mala autem dicit permitti. Et Origen. *hom. 3. in Gen. Multa sine Dei voluntate geruntur, nihil sine providentia.* Et D. Aug. in psal. 7. ad illud: *Et in eo paravit vasa mortis. Propterea,* ait, *Divinæ Providentiæ etiam ista dispositio tribuenda est; Non quia ipsa peccatores facit, sed quia ipsa ordinat, cum peccaverint.* Et sic etiam *in psal. 9. & lib. de Prædest. Sanctor. cap. 16. Et lib. de Agone cap. 7. & lib. 3. de Trinit. cap. 4. & in Enchirid. cap. 100. & 107.* & sæpè alibi. Et D. Greg. *lib. 33. cap. 13.* aliàs *18. & 19. Secreto ergo dispensationis ordine, undè sævire permittitur iniquitas diaboli, indè piè perficitur benignitas Dei;* sed ex his locis Sanctorum Patrum satis constat, peccata cadere sub Providentiam divinam; ergo &c.

134. Probatur tertiò ab exemplis: Primò, quia Deus præscivit ex Angelis, & hominibus multos esse damnandos; & tamen eos produxit. Secundò, quia præscivit abusum libertatis futurum in peccatis; & tamen voluit libertatem hominis conservare; præceptum Adamo imponere, dæmonis tentationem, & Adami transgressionem permittere. Tertiò, quia Judam in Apostolum, & Saulem in Regem elegit; & tamen sciebat hinc habituros occasionem peccandi. Quartò, quia præcognovit idolatriam, & gravissima peccata, quæ forent committenda; & tamen distulit Incarnationis remedium. Quintò Deus permittit peccata; non autem sic permitteret, nisi ex eis disponeret colligere majora bona. Sextò, quia ex peccatis Reproborum plurimas Deus utilitates colligit in prædestinatis: & tamen in his ex eorum peccatis colligit majorem compunctionem, humilitatem, gratitudinem, aliasque virtutes. Septimò, quia ex providentia fit, ut unum peccatum sit pœna alterius, imò & sui ipsius: & quod ex permissione peccati mundus sit simpliciter perfectior, quàm esset, si nulla permitterentur peccata, ut infrà dicemus; ergo &c.

135. Difficultas 2. Utrùm ex præcedentibus testimoniis colligatur quod peccatum sub ratione formali peccati cadat sub Divinam providentiam? Affirmativè. Probatur primò, quia nomina *malitiæ, peccati*, & similia, quoties per aliquid additum non limitantur ad rationem materialem, significant rationem formalem; sed Sancti Patres, & Scholastici locis citatis, non solùm non limitant, sed evidenter exprimunt bonos effectus, quos Deus colligit ex ipsa formali ratione peccati, qualis est pœnitentia, sui displicentia, humilitas, timor, & similes, qui essentialiter respiciunt peccata sub ratione formali; ergo &c.

Probatur secundò, quia martyrium essentialiter 136.
supponit peccatum tyranni, ut Deo, & religioni injuriosum: zelus, & justitia punitiva prælatorum malum culpæ, & offensæ Dei: & timor filialis, quem prædestinati majorem concipiunt ex ruinis reproborum etiam supponit essentialiter eorum peccata ut sunt offensæ Dei; ergo &c. Tertiò, quia Sancti Patres loquuntur de peccatis, prout fiunt contra voluntatem Dei, & convertuntur, ut serviant divinæ voluntati; sed sunt contra voluntatem Dei, prout sunt peccata formaliter; ergo &c.

Difficultas 3. Utrùm peccata sint à Deo provi- 137.
sa? Negant *Aureol. in 1. dist. 40. art. 2. P. Vasq. 1. p. q. 22. art. 2. n. 27. P. Præposit. 1. p. q. 22. art. 2. num. 9.* quatenùs dicunt vocem illam *provisa* denotare, peccata esse effectus divinæ Providentiæ. Attamen *P. Ruiz 1. p. d. 2. sect. 2. n. 3.* etiam si dicat melius esse hanc, & similes voces evitare, quatenùs vulgari modo loquendi sonant causalitatem, ut fiant, non dubitat posse usurpari apud doctos. Probat, quia peccata eo modo, quo subjiciuntur providentiæ Divinæ, sunt ejus objecta, circa quæ versatur; sed quodlibet objectum potest denominari ab actu intellectus, & voluntatis, qui circa illud versatur; ergo &c. Confirmatur, quia peccata ex eo, quod sint objecta præscientiæ, & ordinationis divinæ, denominantur præscita, & ordinata; ergo etiam poterunt denominari provisa, quatenùs sunt objecta providentiæ.

Difficultas 4. Qualiter Providentia divina at- 138.
tingat peccatorum malitiam, & se ipsam ab immunditia contineat? Cùm Providentia divina, prout supra diximus, contineat varios actus Intellectûs, & voluntatis, de singulis sigillatim dicere oportebit.

Dico 1. Scientia speculativa, quæ continetur 139.
in Providentia divina, versatur circa peccata, penetrans in illis quidquid est cognoscibile, tam quoad veritates necessarias, quæ pertinent ad Scientiam Simplicis Intelligentiæ, quàm quoad veritates contingentes, quæ pertinent ad Scientiam visionis. Probatur primò ex sacris litteris Gen. 6. *Videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra.* Et psal. 68. *Deus, tu scis insipientiam meam, & peccata mea à te non sunt abscondita.* Et psal. 138. *Vide si via iniquitatis in me est.* Job. 11. *Ipse novit hominum vanitatem, & videns impietatem nonnè considerat?* Et Prov. 15. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos.* Et Ecclesiast. 23. *Delictorum meorum non recordabitur.* Et Amos 3. *Cognovi multa scelera vestra.*

Probatur secundò ex Sanctis Patribus. D. Aug. 140.
lib. de Prædest. Sanctor. cap. 10. Prædestinatione Deus ea præscit, quæ fuerat ipse facturus. Undè dictum est: Fecit, quæ futura sunt. Præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcunq; peccata. Et D. Fulgent. *lib. 1. ad Monim. cap. 24. Deus omnia hominum opera, sive bona, sive mala præscivit, quia eum latere nihil potuit.* Et infrà: *Præscivit enim voluntates hominum bonas, & malas; prædestinavit autem non malas, sed solas bonas.* Idem dicunt D. Hieron. in Isai. cap. 29. D. Greg. *lib. 25. Moral. cap. 3.* & alii.

Probatur tertiò rationibus: Prima, quia cog- 141.
noscere quamlibet veritatem est perfectio simpliciter simplex, ejusq; ignorantia foret imperfectio; sed si Deus non cognosceret peccata, non cognosceret multas veritates, quæ de illis affirmantur, tam necessariæ, quàm contingentes, cujusmodi

sunt: *Peccatum est contra rationem: Offendit Deum: est detestabile: dignum pœnâ: hoc, aut illud de facto committitur: per pœnitentiam deletur; punitur, &* similes; ergo &c.

142. Secunda, quia si Deus non cognosceret peccata, impossibiles forent plurimæ partes providentiæ divinæ; neque enim posset Deus suos à peccatis præservare, nec lapsis medelam adhibere, nec pœnitentibus condonare, nec peccata permittere, nec judicare, nec punire; sed hæc non sunt dicenda; ergo &c.

143. Tertia, quia si Deus, prout sic non cognosceret peccata, non comprehenderet liberum arbitrium creatum; siquidem cognoscēs quid posset efficere, non cognosceret in quo posset deficere, quod est peccare; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Confirmatur primò, quia nisi peccata cognosceret, non solùm non comprehenderet, sed neque imperfectè cognosceret nostram intellectionem, qua peccata concipimus. Secundò, quia nisi cognosceret vitium oppositum, tyranni malitiam, & peccatum, non cognosceret quàm honesta sit virtus, neque virtutem martyrii, & pœnitentiæ, quæ quidditativè respiciunt peccata; sed hæc non sunt dicenda; ergo &c.

144. Dico 2. Scientia Dei practica diversis modis se habet circa malitiam peccatorum: Primò dictat Deum non posse esse causam, & authorem illorum. Secundò quomodo possit concurrere ad eorum actiones materiales, quin ad eas determinet, sed integram relinquat voluntatem, ut ab illis possit se continere. Tertiò quomodò, & propter quos fines sit permittenda malitia ex illis actionibus necessariò consequens. Quartò quæ bona, & quomodò possint ex peccatis elici. Quintò quomodo peccatorum inordinatio revocari possit ad ordinem per supplicium, aut pœnitentiam. Sextò quomodo voluntas creata possit peccatum committere; ex quibus constat, peccata esse materiam circa quam operatur providentia, illam tamen materiam non operari.

145. Dico 3. Peccatorum odium directè pertinet ad providentiam Dei, non minùs, quàm amor virtutum. Probatur primò, quia in voluntate creata, supposito amore boni contrarii, necessariò sequitur odium mali; ergo etiam in actu simplicissimo voluntatis divinæ ex formalitate, quâ constituitur amor divinæ Bonitatis, aut cujusvis honestatis creatæ, necessariò secundùm rationem sequetur formalitas alia, quâ constituitur odium peccati. Confirmatur ex illo psal. 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem.* Et Isai. 61. *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto*; ergo &c.

146. Probatur secundò, quia *odisse* est velle, ut non sint ea, quæ odio prosequimur, ut definit Arist. *lib. 2. Rhetor. cap. 4.* sed Deus vult, ut non sint peccata, neque peccatores, ut peccatores sunt, juxta illud psal. 103. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita ut non sint.* Et psal. 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium*; ergo &c.

147. Dico 4. Positiva volitio ordinandi peccata continetur in quidditate Providentiæ divinæ circa illa. Probatur ex supra dictis *à n. 139.* quibus autem modis ordinari possit peccatum exposuit D. Bonav. *in 1. dist. 46. q. 3. art. 1.* dicens, peccatum non posse ordinari, quasi res susceptiva ordinis intrinseci, cùm sit essentialiter inordinatio; posse tamen ordinari per extrinsecam sibi dispositionem, per quam destinetur, ut sit medium, aut dispositio ad bonos effectus, quorum nonnulli supponunt essentialiter peccatum, prout supra diximus. Præcipua tamen peccatorum ordinatio fit, aut per pœnitentiam, quâ destruuntur, aut per supplicium, quo illis redditur debitum, & in sua sede collocantur. Utrùm autem Providentia divina possit velle peccata: aut velle ut sint, vel fiant? Jam dicimus: Sit igitur.

SECTIO VIII.

Quid dicendum de volitione Providentiæ Divinæ circa peccata?

DIFFICULTAS 1. Utrùm Providentia Divina possit velle peccatum? Dico 1. Deus non potest peccare. Est de fide. Probatur primò ex Deuter. 32. *Deus fidelis, & absque ulla iniquitate.* Et psal. 144. *Sanctus in omnibus operibus suis.* Et 1. Joan. 3. *Peccatum in eo non est.* Et Rom. 3. *Nunquid iniquus est Deus? absit.* Et Rom. 9. *Nunquid iniquitas apud Deum? absit.* Et sæpè alibi. 148.

Probatur secundò ratione, quia Deus est bonum incommutabile, & simpliciter necessarium; sed tale non esset, si posset peccare, posset enim fieri malus, & mutari; ergo &c. Confirmatur, quia peccatum est summum malum; ergo summè repugnat summo Bono. 149.

Probatur tertiò, quia ex illo 1. Joan. 3. ibi: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen illius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*: colligunt Doctores cum D. August. *lib. 2. de peccator. merit. cap. 7. & lib. 1. de grat. Christ. cap. 21.* neminem, ut ex charitate operatur, posse mortaliter, aut venialiter peccare; sed Deus est ipsa divinitas, & charitas per essentiam; ergo habet essentialem repugnantiam cum peccato. Confirmatur primò, quia Deus est prima, & summa regula; sed ab hac deficeret, si posset peccare; ergo &c. Secundò, quia foret infelix, & pœnâ dignus; ergo &c. 150.

Dico. 2. Deus non potest velle peccatum, neque per se, neque per accidens. Probatur primò Exod. 23. *Aversor impium*: idest in quantùm impium, psal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et psal. 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem.* Et Prov. 15. *Abominatio est Domino via impii.* Et Sapient. 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus.* Et Abacuc. 1. *Mundi sunt oculi tui, nè videant malum*; ergo &c. 151.

Probatur secundò ratione, quia si Deus, sive per se, sive per accidens vellet peccatum, peccaret; siquidem ideò homo, & Angelus peccant, quia peccatum volunt, licet, per accidens ratione boni, cui peccatum conjungitur, nempè ob delectationem, propriam excellentiam, vindictam, & similia; sed Deus, ut diximus, non potest peccare; ergo &c. Confirmatur, quia quod non potest reddi honestum, non potest honestè, sed turpiter amari; atquipeccatum nulla ratione potest reddi honestum, utpotè consistens in volitione essentialiter turpi, quæ non potest fieri honesta; ergo nulla ratione potest à Deo amari honestè, sed turpiter, quod non est dicendum. 152.

Probatur tertiò, quia sicut omnis propositio negativa sumit veritatem ab affirmativa, & objecto positivo, ita omnis impossibilitas, quę est quoddam 153.

genus

genus negationis, sumit veritatem à necessitate, quæ est veritas positiva prærequisita ad omnem impossibilitatem; sed Deus, cùm sit essentialiter ipsa bonitas, virtus, rectitudo, & ratio, necessariò amat se ipsum; ergo impossibile est, quod amet, & velit peccatum; aliter se ipsum negabit contra illud 2. Timoth. 2. *Deus fidelis permanet, negare se ipsum non potest.* Confirmatur primò, quia peccatum est aversio à Deo, ei contrarium, & quodam virtuali affectu est illius destructivum, quatenùs vult non esse sibi Deum, neque Deum esse sibi ultimum finem. Secundò, quia ex 1. Joan. 4. *Deus Charitas est*; peccatum autem est directè contrarium charitati; ergo Deus non potest illud velle.

154. Probatur quartò, quia nulla potentia potest ferri extra suum objectum adæquatum; aliter extra suam essentiam ferretur, illamque mutaret; sed objectum adæquatum formale voluntatis divinæ est bonum divinum, materiale autem est bonum illud, quod est ordinabile ad bonum divinum, quale non est peccatum, cùm sit essentialiter inordinatio, quod autem tale est, non potest ordinari; alioqui tenebræ possent illuminari, & curvitas rectificari; ergo voluntas divina non potest ferri in peccatum.

155. Advertes hîc præcedentem doctrinam intelligendam esse, non solùm de peccato mortali, sed etiam de veniali; siquidem hoc etiam suo modo est contrarium Deo; quodam modo ab eo avertit; excludit honestatem, & ordinem ad Deum, & est essentialiter contra rationem.

156. Dico 3. Deus non potest odisse bonum honestum. Probatur, quia ejusdem rationis est amare malum, & odisse bonum oppositum; siquidem odium essentialiter supponit amorem oppositi; sed Deus, ut diximus, non potest velle malum; ergo neque odisse bonum. Confirmatur, quia non minùs turpe est odisse bonum honestum, quàm amare, & velle malum turpe; sed Deus non potest hoc velle; ergo neque illud odisse.

157. Difficultas 2. Utrùm Deus velit, mala esse, aut fieri à voluntate creata? Negativè. Est de fide. Ita *D. Aug. in Enchirid. cap. 101. D. Anselm. de liber. arbit. cap. 8. D. Thom. 1. p. q. 19. art. 9. & 1. 2. q. 19. art. 10. & in 1. dist. 48. q. unica art. 2. Magist. in 1. dist. 46. Albert. 1. p. q. 40. memb. 2. tr. 10. a. 3. Alexand. 1. p. quæst. 40. memb. 1. D. Bonav. a. 1. q. 2. & 3. Richard. art. 1. q. 2. & 6. Durand. dist. 47. q. 2.* & alii, quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 26. de Volunt. Dei sect. 2. à n. 12.* Probatur primò, quia Deus, ut diximus, non potest velle malum culpæ; sed fieri malum culpæ est malum culpæ; siquidem omnis actio sortitur rationem ex termino; mala autem fieri sonat actionem tendentem ad mala ut ad terminum; ergo est malum culpæ, consequenterque Deus non potest velle mala fieri.

158. Probatur secundò, quia si Deus vellet fieri malum, etiam vellet ipsum malum; siquidem qui vult antecedens per se ordinatum ad consequens, quod ex illo sequitur necessariò, etiam vult ipsum consequens; fieri autem malum est antecedens per se ordinatum ad malum, quod ex illo sequitur necessariò; sed Deus, ut diximus, non potest velle malum; ergo neque fieri malum.

159. Probatur tertiò, quia si Deus vellet mala fieri, etiam vellet mala eligi; siquidem mala non possunt aliter fieri, nisi libera electione; sed Deus non vult mala eligi; alioqui homo non peccaret; siquidem voluntas creata non peccat conformando se cum divina voluntate; sic autem se conformaret eligendo mala, quæ Deus vellet eligi; ergo neque vult mala fieri.

160. Probatur quartò, quia si Deus vellet fieri mala, non rectè colligerét Patres ex eo, quod Deus prohibet mala, non velle, ut fiant, neque esse authorem illorum: sed ita colligunt *D. Epiphan. Hæres. 66. D. Damascen. Dialog. contr. Manich. D. Cyril. Alex. lib. 3. contr. Julian. D. Amb. 1. Exameron. cap. 8. de Fulgent. lib. 1. ad Monim. & Concil. Arausic. 2. can. 23.* ibi: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet*; ergo &c.

161. Probatur quintò, quia si Deus vellet mala fieri, posset malitiam impiorum prædestinare, & impios ad peccatum; sed hoc est impossibile, & error damnatus in *Concil. Arausic. can. 25. Concil. Valent. cap. 3. & Trid. sess. 6. can. 17.* ergo &c. Confirmatur, quia Patres constanter affirmant sola bona esse à Deo prædestinata; mala autem non prædestinata, sed præscita; ergo &c.

162. Oppositum fuit error Theodor. Mopsvesteni, quatenùs dixit, hominibus fuisse utile peccare, ideoque Deum docuisse peccatum, & concessisse hominibus peccare, quatenùs illis expediebat; fuit tamen id damnatum in *Synod. gener. 2. Constantinopolitana collat 8.* Huic similis fuit aliorum error dicentium, Deum non velle quidem mala, velle tamen mala esse & fieri, inter quos P. Ruiz cit. *num. 2.* adnumerat Hugon. Victor. *lib. 1. de Sacram. Fidei p. 4. cap. 5. & 13. & 14.* pro quibus:

163. Argues 1. Aut Deus vult mala fieri: aut non: si non vult fieri; ergo non fient, cùm sit Omnipotens: si vult fieri; ergo, Deo volente, fiunt, sine quo nihil fieri potest. Respondeo Deum neque velle mala fieri, neque non fieri, sed tantùm permittere; sicque circa peccata, quæ permittit, datur in Deo volitio absoluta, & efficax permittendi; non ita tamen datur volitio positiva absoluta, & efficax, quæ terminetur ad existentiam, aut non existentiam peccatorum, sed sola volitio complacentiæ, antecedens, & inefficax de non existentia peccatorum, & voluntas signi prohibens peccata.

164. Argues 2. Ex D. Aug. in *Enchirid. cap. 95. Non fit aliquid*, inquit, *nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo, ut fiat, vel ipse faciendo*; ergo licet Deus non velit mala, potest tamen velle ut fiant. Respondeo Deum velle ut fiant mala sinendo, ut ait D. Aug. id est permittendo, quæ autem Deus sinit, sive permittit, non vult fieri voluntate beneplaciti, quæ sola est propriè voluntas, sed voluntate signi, quæ solùm metaphoricè dicitur voluntas, sic enim apud nos permissio solet esse signum nostræ voluntatis. Ita D. Augustinum explicat D. Thom.

165. Argues 3. Deus vult esse omne bonum, quod est, & fieri omne bonum, quod fit; sed licet mala non sint bona, est tamen bonum mala esse, vel fieri, ut ait D. August. in *Enchirid. cap. 96.* ibi: *Quamvis ea, quæ mala sunt, in quantùm mala sunt, non sint bona; tamen ut non solùm sint bona, sed etiam sint mala, bonum est*; ergo Deus vult mala esse, & fieri. Respondeo negando minorem quoad secundam partem; neque enim mala esse, aut fieri est bonum, sed malum; undè D. August. solùm vult, bonum esse, non solùm esse bona, sed etiam permittere mala, quorum occasione illustriora reddantur, & fiant bona.

166. Argues 4. Deus ex peccatis colligit maxima bona, ad quæ ordinat peccata; ergo hæc sub hac ratione sunt bona, & à Deo appetibilia. Respondeo negando consequentiam; nihil enim dicitur appetibile propter bonitatem sibi per accidens adjun-

adjunctam contra suam intentionem, sed propter id, quod ei convenit per se; bona autem, quæ Deus colligit ex peccatis, non sunt fructus per se, sed per accidens nati ex ipsis peccatis; nemo enim *colligit de spinis uvas, aut de tribulis ficus.* Matth. 7. nisi ob infinitam sapientiam, & potentiam colligentis.

167. Patet primò, quia præter intentionem tyranni est patientia, & corona martyris: & præter intentionem Luciferi Incarnatio, & redemptio Mundi; ergo bonus fructus sequitur præter intentionem peccantis, quatenùs peccans est. Secundò, quia non sunt facienda mala, ut veniant bona; alioqui cùm iniquitas nostra justitiam Dei commendet, injustè Deus peccatores damnaret; ergo fructus, quem Deus colligit ex peccatis, non excusat eorum turpitudinem, & malitiam; consequenterque ob ipsum fructum non redduntur appetibilia.

168. Argues 5. Deus vult totius Universi perfectionem, cùm universale bonum sit divinius; sed peccatum esse confert ad Universi perfectionem, ut infrà dicemus, & significat D. Dionys. *de Divin. Nomin. cap. 3. Erit*, ait, *malum ad omnes:* ideò ad omnium perfectionem: idemque probat D. Aug. *in Enchirid. cap. 10. & 11.* ergo &c. Respondeo peccatum non conferre ad perfectionem Universi per se, sed tantùm per accidens ob extrinsecam Dei Providentiam directè contrariam malitiæ peccati. Undè D. Dionys. potius negat malum conferre ad Universi perfectionem, quatenùs illud deducit quasi inconveniens ex quodam errore, supponitque mala non conferre ad Universi perfectionem, ut notat D. Thom.

169. Argues 6. Nullus potest velle efficaciter finem, quin etiam efficaciter velit ea, quæ necessariò prærequiruntur ad talem finem, aut prævideat fore efficaciter volita per alienam voluntatem; sed Deus vult efficaciter pœnitentiam, gloriam Martyrum, Doctorum, & Virginum; ergo non potest sic velle, quin etiam efficaciter velit peccata, crudelitatem tyrannorum, perfidiam hæreticorum, & tentationes hominum impudicorum; consequenterque velit esse peccata, quæ sunt media ad illos fines, quos efficaciter vult. Respondeo negando majorem: potest enim quis velle efficaciter finem, quin sic velit, quæ ad illum necessariò prærequiruntur, aut ea prævideat absolutè futura; dummodò per Scientiam Conditionatam certò præsciat, ut Deus præscit, quod si tales voluntates constituantur in talibus circumstantiis, eligerent ea, quæ prærequiruntur ad talem finem.

170. Patet, quia Sacerdos potest velle efficaciter absolutiones conferre, & eo fine jurisdictionem accipere, licet implicet contradictionem absolutio, nisi supposito peccato, quia certò præscit, si Mundus perseveret sub eodem Providentiæ genere, committenda fore peccata; ergo multò faciliùs, & certiùs poterit Deus prædestinare patientiam Martyris (idem dicendum de aliis, de quibus in argumento,) antequam videat crudelitatem tyranni absolutè futuram, quatenùs certissimâ Scientiâ conditionalium novit fore, ut si tyranno tribuat regnum, & potentiam, eis abusurum ad insolentiam, & crudelitatem contra fideles, in quo Deus non intendit, sed tantùm permittit peccata tyranni. De hoc tamen latiùs infrà.

171. Argues 7. Licet qui vult finem, non debeat necessariò velle media requisita ad ipsum finem; non tamen potest negari, quicumque vult finem, posse saltem liberè velle media simpliciter ad finem requisita; ergo &c. Respondeo quicumque vult finem, posse etiam liberè velle media simpliciter requisita, dummodò talia sint ab intrinseco, aut saltem ex se non sint ordinata ad contrarium finem: at verò peccata, cùm non sint ab intrinseco media ad fines bonos à Deo intentos, imò ex natura sua ordinentur ad contrarios, & solùm ob extrinsecam ordinationem infinitæ sapientiæ possint ad bonos fines deservire, ideò non possunt à Deo amari, licet ab eo ametur finis.

172. Argues 8. Quæ per se ordinantur ad aliquem finem, ab eo sumunt honestatem, & amabilitatem; sed peccata fieri à voluntate creata est medium per se requisitum ad bonos fines à Deo intentos; sic enim Reprobatio, & pœnitentia Magdalenæ sunt fines intenti à Deo, ad quos tamen peccata sunt media per se requisita, utpotè quæ essentialiter respiciunt, cùm non possint dari Reprobatio, & pœnitentia, nisi præsuppositis peccatis; ergo &c.

173. Respondeo negando minorem: neque enim peccata sunt media per se, sed tantùm per accidens ad ullum finem honestum, ut patet ex dictis, & ulterius ostendimus, nam ut medium sit per se ordinatum ad finem, non sufficit essentialis ordo, quem finis habet ad medium, ratione cujus non potest esse sine illo, sed requiritur ordo medii ad finem, ita ut medium ex natura sua ad illum, & non ad contrarium dirigatur: non autem sic diriguntur peccata ad pœnitentiam, imò contra illam, per quam destruuntur; neque ad ostendendam glorificationem Attributorum Dei per reprobationem, imò ex se destinantur contra Dei gloriam; ideoque non sunt media per se requisita ad eos fines à Deo intentos.

SECTIO IX.

Utrùm Deus possit dici author, aut causa peccati in aliquo genere Causæ?

174. DIco 1. Deus non est author, neque causa peccati, neque id potest cadere in Bonitatem divinam. Est de fide. Probatur 1. ex Scriptura Hierem. 2. *Ego te plantavi vineam electam omne semen verum: quomodò conversa es mihi in pravum?* Et Matth. 13. *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Undè ergo habet zizania? Inimicus homo hoc fecit.* Et Jacob. 3. *Non est ista sapientia de sursum descendens.* Et 1. Joan. 2. *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, non ex Patre, sed ex Mundo est.* Confirmatur, quia sic definitum fuit à Concil. Trid. *sess. 6. can. 5.* ibi: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissivè solùm, sed propriè, & per se, adeò ut sit proprium ejus opus, non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli: anathema sit.*

175. Probatur secundò ratione, quia Deus ex suppositione quod liberè operatur, cùm necessariò operetur ex honesto amore sui, necessariò operatur benè, & justè; ideò enim Scriptura dicit omnes vias Domini esse rectas & justas; sed peccatum neque est bonum, neque justum; ergo &c. Confirmatur primò, quia ex D. Ansel. in *Prolog. cap. 10.* Deus est justus, quia facit, quod decet summè bonum; sed peccatum non decet, imò dedecet summè bonum; ergo &c. Secundò, quia quidquid Deus facit, est bonum, juxta illud Gen. 1.

Vidit

Vidit Deus cuncta, quæ fecit, & erant valdè bona: & nihil odio habet eorum, quæ fecit, juxta illud Sapient. 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*; sed peccatum est malum, & illud Deus odio habet, ut supra diximus; ergo non est illius author. Tertiò, quia cùm Deus non agat, nisi per Intellectum, & voluntatem, nullius potest esse author, & causa, nisi volendo; sed Deus non potest velle peccatum, ut supra diximus; ergo &c.

176. Dico 2. Deus non potest cogere ad peccandum. Probatur primò ex verbis Trid cit. Secundò ex illo Ecclesiast. 15. *Ne dicas, ille me implanavit, non enim necessarii sunt ei homines impii*: Et ex aliis locis proximè citatis. Tertiò, quia si Deus cogeret ad peccandum, esset author, & causa peccati, vellet ipsum peccatum, imò potius ipse, quàm homo peccaret; siquidem ad peccandum requiritur libertas; hæc autem opponitur coactioni; ergo &c.

177. Difficultas 1. Utrùm Deus sit causa physica peccati? Negativè. Probatur 1. ex proximè dictis. Secundò, quia causa physica absolutè est causa; sed Scriptura, Concil. & Sancti Patres simpliciter, & absolutè docent, impossibile esse, Deum esse causam peccati; ergo &c. Confirmatur primò, quia omnis causa physica est propriè, per se, & directè causa sui effectus; sed Deo repugnat esse propriè, & per se causam peccati, ut patet ex Trid. proximè cit. ergo &c. Tertiò, quia ex errore Manichæorum, & Priscilianistarum non inferebatur, Deum esse causam moralem, sed physicam peccati, quatenùs secundùm illos agebat Deus ex necessitate; & tamen illam causalitatem refutant Patres ut repugnantem divinæ Bonitati; ergo &c. Quartò, quia causalitas moralis, cùm non sit realis, sed secundùm rationem, non est tam propria, atque est physica; sed illa repugnat Deo, ut statim dicemus; ergo etiam ista.

178. Difficultas 2. Utrùm Deus possit esse causa Moralis peccati. Cùm varia sint Moralis causæ genera, oportet breviter per singula discurrere. Undè. Dico 1. Deus non potest præcipere peccatum, neque licentiam, aut dispensationem peccandi concedere. Probatur primò ex illo Ecclesiast. 15. *Nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi*, id est licentiam. Et Hierem. 19. *Ædificaverunt excelsa Baalim, quæ non præcepi, neque locutus sum, neque ascenderunt in cor meum*; ergo &c.

179. Probatur secundò ratione, quia qui præcipit, directè inducit ad id, quod præcipit; & qui præbet licentiam, aut dispensationem ad aliquid, illud approbat ut licitum; sed Deus non potest, neque inducere, neq; approbare peccatum; ergo &c. Confirmatur, quia peccatū, quod à Deo sic fuisset præceptum, aut approbatum, non esset dignum pœnâ; siquidem injustè Deus puniret, quod præcipit, aut approbat; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur.

180. Dico 2. Deus non potest consulere peccatum. Probatur, quia id repugnat illius Bonitati, & Sapientiæ, ut patet ex illo Isai. 30. *Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me.* Et Oseæ 8. *Ipsi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi*: nempè scientiâ consulentis, & approbantis; ergo &c.

181. Dico 3. Deus non potest adhortari, suadere, sive inducere ad peccatum. Probatur primò, quia id esset peccatum consulere; sed id repugnat Deo, ut diximus; ergo &c. Secundò, quia tunc Deus diceretur causa, & author peccati; sicut talis simpliciter dicitur diabolus ex eo solùm quod consilio, & exhortatione induxerit Adamum ad peccatum; sed id repugnat Deo, ut diximus; ergo &c.

182. Dico 4. Deus non docet peccare, neque potest id docere. Probatur, quia in Scriptura frequenter qui docet dicitur pater, & filius qui docetur; sed si Deus doceret peccare, diceretur pater peccati, qui autem peccaret, peccaret ut filius Dei, contra illud 1. Joan. 3. *In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli.* Et illud Joan. 8. *Vos ex patre diabolo estis.* Et infrà: *Qui ex Deo est verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*; ergo &c.

183. Dico 5. Deus non est, neque fuit inventor peccati. Probatur, quia inventor est, quia primus docuit artem aliquam, illeque dicitur pater juxta illud Gen. 4. *Pater habitantium in tentoriis.* Et infrà: *Pater canentium citharâ*; sed Deus non potest dici pater peccati, ut diximus, sed solus dæmon juxta illud Joan. 8. *Mendax est, & pater ejus*; ergo solus dæmon, & non Deus est inventor peccati.

184. Dico 6. Deus non tentat. Probatur ex illo Jacob 1. *Deus neminem tentat*, id est tentatione noxia *seductionis*, maximè autem utili *probationis*, ut exponit D. August. *de bono perseverant. cap. 6.* & S. Thom. ad locum Jacob. cit. ergo &c.

185. Dico 7. Deus non instigat, nec movet ad peccandum: Non allicit, non invitat, non suggerit cogitationes, nec inspirat, ut peccemus. Probatur, quia hæc sunt propria tentationis, ideoque propria diaboli, ut ait D. Cyprian. *lib. 4. epist. 2. ad Anton. col. 2. & Tertul. lib. de anim.* ergo &c.

186. Dico 8. Deus non præmovet, nec præoperatur, nec prevenit, nec excitat, nec incitat, nec vocat, nec inclinat, nec impellit ad peccādum Probatur 1. quia hujusmodi genera causalitatis moralis admixtam habere solent causalitatem physicam; sed Deo, ut diximus, repugnat causalitas physica peccati; ergo etiam moralis prout sic. Secundò, quia Sancti Patres requirunt Dei motionem præmoventem, præoperantem, prævenientem, & excitantem tanquam specialem, & propriam bonorum operum; ergo &c. Tertiò ex illo 1. Thess. 4. *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* Et ad Gal. 5. *Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat nos.* Et D Prosper. *ad 10. object. Vincent. Neque cupiditates peccantium*, ait, *prædestinatio Dei, aut excitavit, aut suasit, aut impulit*; ergo &c.

187. Dico 9. Voluntas creata non præparatur à Deo ad peccandum, non agitur, nec Deus facit, ut peccemus, nec operatur in nobis velle, & perficere, nec procurat, nec tradit, nec dat, ut peccemus, nec discernit peccatores causando eorum discrimen à Sanctis; nec inchoat, nec præbet initium peccati. Probatur, quia hæc omnia causalitatis genera tribuuntur ut propria solis pietatis operibus ab Scriptura, & Sanctis Patribus; ergo &c. Advertes hîc omnia supra dicta intelligenda esse, non solùm de peccato mortali, sed etiam de quolibet veniali, in quo etiam datur eadem repugnantia contra divinam Bonitatem, & Sapientiam.

188. Difficultas 3. Utrùm Deus, saltem secundùm quid velit peccatum? Conclusio 1. Deus ex suppositione, quod sit peccatum, vult, ut ei conveniat tota essentia peccati, & ejus passiones. Probatur, quia in his non complacet Deus simpliciter, sed ex suppositione; sic autem complacere, licet videatur esse quodammodo complacentia in peccato, est potiùs ipsamet peccati displicentia; ergo &c.

189. Hinc colliges primò, Deo placere, quod peccatum eo ipso, quod sit contra Deum, sic etiam

contra rationem, detestabile, & abominabile, eique conveniant omnia prædicata essentialia, & passiones peccati, cùm omnia sint in illius dedecus, & detestationem, & in laudem summi boni, quod est Deus. Secundò placere etiam Deo, quod peccatum à nulla voluntate possit amari, nisi per accidens propter bonum, cui conjungitur. Tertiò, quod peccatum non possit fieri, nisi Deo præbente concursum generalem, & positivè volente permittere, & ordinante ad majorem suam gloriam. Quartò, quod non procedat à voluntate creata in quantùm voluntas est à Deo, sed in quantùm est ex nihilo. Probatur, quia hæc omnia maximè commendant bonum, cujus tanta est dignitas, ut bono indigeat etiam malum; ergo peccata sub his rationibus possunt esse, & sunt objecta complacentiæ divinæ, non absolutè, sed conditionaliter, & ex suppositione.

190. Conclusio 2. Deus sibi complacet in eo, quod malitia peccati sit pœna sui ipsius, & alterius peccati, sicque absolutè hæc concedi potest: *Deus vult, ut unum peccatum sit pœna alterius, & sui ipsius.* Non tamen absolutè potest concedi hæc: *Deus vult peccatum in quantum est pœna alterius.* Ita *P. Ruiz de Volunt. Dei d. 26. sect. 5. num. 4.* siquidem hæc sonat, Deum voluisse peccatum propter eum finem, ut esset pœna peccati; Deus autem hoc fine non vult peccatum, sed tantùm vult illud permittere, intendens, ut pœna sit peccati; sic etiam communiter rejicitur illa: *Deus est causa peccati, ut est pœna alterius peccati.*

191. Quæres tamen hîc: Utrùm hæc: *Deus peccatum vult*: logicè sit vera, quâvis logicè falsa sit hæc: *Deus vult peccatum?* Affirmant aliqui, quatenùs terminus appellans anteponitur, aut postponitur; sic enim Gabr. *in 2. dist. 37. q. unic. art. 3. dub. 1.* dicit veram esse hanc: *Deus peccatum facit*: licet falsa sit hæc: *Deus facit peccatum.* Negat tamen P. Ruiz proximè *num. 7.* Probat primò, quia licet id locum habeat quando anteponitur, aut postponitur terminus appellans, ut appellet supra materiale significatum termini appellati; non ita tamen, quando appellat supra formale, cujusmodi est prædicatum: *velle peccatum*: sive anteponatur, sive postponatur; Deus autem non potest velle formale peccatum. Secundò, quia dato, quod ex communi usu in hac: *Deus peccatum vult:* appelletur supra materiale peccati, adhuc talis propositio est falsa; falsò enim supponitur, Deum velle materialem actionem peccati, nisi secundùm rationem communem actionis, quam Deus vult, ubicunque reperiatur, prout jam dicimus, & infrà etiam dicemus, cùm egerimus de prædefinitionibus divinis.

SECTIO X.

Quomodò materiales actiones peccatorum subjiciantur Divinæ Providentiæ?

192. ADVERTENDUM est, primò, modum, quo Providentia divina gubernat actiones materiales peccatorum, esse medium inter gubernationem aliarum creaturarum, & gubernationem malitiæ, sive formalis rationis peccati; siquidem cum utrâque in aliquo habet convenientiam. Secundò, præscientiam actionum materialium, sive sub esse possibilitatis, sive existentiæ, & veritatis contingentis, tam absolutæ, quàm conditionatæ futuritionis, convenire cum omnibus; siquidem nihil est, sive bonum, sive malum; positivum, aut negativum; necessarium, aut contingens, quod Scientiam divinam effugiat; alioqui non esset comprehensiva, si aliquid daretur cognoscibile, quod illa non cognosceret. Tertiò, Volitionem divinam, quâ constat Providentia divina, ut diximus, quoad aliqua magis convenire cum modo providendi aliis creaturis simpliciter bonis; quoad aliqua tamen similiorem esse modo providendi, & gubernandi rationem formalem, sive malitiam peccati. Hoc posito.

Quæres 1. In quo conveniat Providentia actionum materialium peccatorum cum modo providendi cæteris creaturis simpliciter bonis? Primò convenit in eo, quod Providentia per se postulat offerre concursum paratum ad omnem actionem liberam, non excipiendo actiones materiales peccatorum, quem concursum Deus offert, suppositâ præscientiâ, quâ certissimè prænovit, quænam actiones, illo dato, forent eliciendæ, & positivè intendens concurrere ad omnem actionem, quâ actio est. 193.

Secundò cõvenit in eo, quod Providentia divina per se postulat actualiter concurrere ad eas actiones ex suppositione, quod voluntas creata ad illas se determinet. Tertiò in eo, quod voluntas creata, utpotè causa secunda, exigat per se concursum Causæ Primæ, sine quo non potest operari, quod est, materialem actionem peccati, sicut & alias, esse per se subjectam concursui Providentiæ divinæ, & ab illo quidditativè dependentem. Quartò in eo, quod quælibet differentia specifica, etiam contraria divinæ legi, continet essentialiter communem rationem entis, & actionis, consequenterque rationem illam, quæ per se respicitur à causalitate, ac Providentiâ divinâ. 194.

Quæres 2. In quo Providentia materialium actionum peccatorum conveniat cum modo providendi, & gubernandi formalem rationem peccati? Primò convenit in eo, quod actio materialis quidditativè contraria divinæ legi, non est per divinam Providentiam per se volita, & intenta, neque Deus vult, ut voluntas creata tales volitiones, & operationes eliciat, neque ut existant; imò voluntate antecedente vult, & intendit, ut non fiant, neque existant. Secundò in eo, quod quando Deus vult concurrere ad materialem actionem peccati, non vult specificam differentiam actionis, quæ realiter, & quidditativè est contraria legi divinæ, sed abstrahit rationem communem volitionis, & actionis creatæ, & ad eam vult concurrere ubicunque reperiatur; & sic etiam vult cætera prædicata generalia, quæ ita possunt præscindi à malitia, ut hæc ex illis non sequatur necessariò; siquidem talia prædicata non repugnant essentialiter divinæ legi, nec rationi; nam quæ sic repugnant, Deus non vult, nisi quatenùs vult generalia in differentiis contenta, quas vult permittere, & ad majora bona ordinare. 195.

Tertiò in eo, quod suppositâ præscientiâ Conditionali, quâ Deus prænovit, quænam peccatorum actiones elicerentur à qualibet voluntate, si sub talibus, aut talibus circumstantiis constituerentur, vult non has, sed illas tantùm actiones permittere; nam Patres non solùm ad formalem rationem malitiæ, sed etiam ad materiales actiones peccatorum putant pertinere permissionem, quatenùs dicunt, hujusmodi actiones à Deo non fieri, sed permitti. 196.

Quæ-

197. Quæres 3. Utrùm actiones materiales peccatorum, prout hactenùs diximus, subjiciantur Providentiæ divinæ? Affirmativè. Ita *D. Augustin. Origen. D. Chrysost. D. Damascen. D. Cyprian. D. Thom. D. Prosper.* & alii, quos citat, & sequitur *P. Ruiz 1. p. de Providentia d. 2. sect. 6. à n. 7.* Probatur primò authoritate Sacræ Paginæ, & Sanctor. Patrum, de quibus supra *à num. 132.* quæ quidem à fortiori hîc locum habent.

198. Probatur secundò, quia magis distat ratio formalis peccati à causalitate, & voluntate Dei, quàm actio materialis ipsius peccati; siquidem Deus vult, & causat rationem communem entis, actionis, volitionis, & alia prædicata, quæ non sunt rationi contraria, cùm tamen voluntas Dei, aut ejus causalitas versari non possit circa formalem rationem peccati; sed illa major distantia non obstat, quominùs ratio formalis peccati cadat sub Providentiam divinam, ut supra diximus; ergo neque sic à fortiori obstabit ista minor distantia actionis materialis peccati, ut etiam sic cadat sub Providentiam divinam.

199. Probatur tertiò, quia quidquid non fit casu, aut fortunâ, gubernatur Providentiâ; sed actiones materiales peccati non ita fiunt; siquidem non fiunt præter Scientiam, & intentionem Dei cognoscentis, & providentis; ergo subjiciuntur ejus Providentiæ.

200. Quæres 4. Utrùm actiones materiales peccatorum sint à Deo provisæ? Affirmativè. Probatur, quia Deus in actionibus materialibus peccatorum exercet aliquid Providentiæ causalitatis, & voluntatis, quod non exercet circa rationem formalem peccatorum; sed hæc potest dici à Deo provisa, ut diximus; ergo & illæ.

201. Quæres 5. Utrùm magis repugnet Providentiæ divinæ physicè prædeterminare ad actiones materiales peccatorum, quàm physicè prædeterminare ad actiones bonas? Affirmativè. Probatur, quia ad has solùm repugnat titulo libertatis; ad illas autem & titulo libertatis, & horrore malitiæ; ergo &c.

SECTIO XI.

Utrùm, & quomodò permissio peccati cadat sub Providentiam Dei?

202. DIFFICULTAS 1. Utrùm permissio peccati cadat sub divinam Providentiam? Affirmativè. Probatur, quia, ut supra diximus, peccata & formaliter, & materialiter sumpta cadunt sub Providentiam divinam; ergo à fortiori eorum permissio.

203. Difficultas 2. Utrùm Deus voluerit permittere peccatum ex intentione bonorum, quæ occasione peccati poterant evenire? Affirmativè. Probatur primò ex Scriptura Gen. 45. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate hùc missus sum*; ergo Deus Josephi venditionem permisit ex intentione colligendi bona illius, & suorum fratrum. Et 2. Reg. 24. *Addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitq; David in eis dicentem: Vade numera Israel*; sed ira Dei est voluntas puniendi; ergo ex hac intentione permisit Deus illud peccatum. Et Rom. 9. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ, ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ*; ergo permisit Deus inimicitiam Judæorum ex intentione vocandi gentes.

204. Probatur secundò, quia concedendus est Deo modus volendi convenientior suæ Sapientiæ, Bonitati, & Potentiæ; sed talis est velle permissionem peccatorum ob altiora bona; minùs enim conveniens foret eisdem Attributis, velle permissionem ex illa tantùm ratione, quia non tenetur impedire peccata; ergo &c. Confirmatur, quia nisi permissio peccati procederet ex intentione consequendi finem prædestinationis, non esset ejus effectus; sed est prædestinationis effectus, ut infrà dicemus; ergo &c.

205. Dices cum P. Vasq. *hîc q. 22. art. 2. in comment.* Pœnitentia, Martyrium, & similia bona, quæ Deus colligit occasione peccati, non amantur voluntate antecedente, sed consequente ipsum peccatum prævisum; ergo Deus non vult permissionem ipsius peccati ex intentione talium bonorum. Respondeo licet Deus sic amet pœnitentiam, Martyrium, & similia, non tamen ad eam volitionem supponi prævisionem peccati ut absolutè futuri, sed conditionaliter, quod foret, positis talibus circunstantiis, ideoque posse intentionem efficacem talium bonorum esse rationem motivam ad permittenda talia peccata. Addo multa bona provenire per Providentiam Dei ex occasione peccatorum, quæ tamen non sunt volita voluntate consequente, cùm eorum bonitas non necessariò supponat peccata, cujusmodi sunt Incarnatio, si volita fuit occasione peccati; ferventior Dei amor, & profundior humilitas, aliaque bona, quæ Deus sæpè colligit occasione peccati.

206. Difficultas 3. Utrùm ex peccatorum permissione colligatur major Mundi perfectio, sitque Mundus perfectior occasione peccatorum? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 22. art. 2. ad 2. & infra q. 48. art. 2. ad 3. & lib. 3. contr. gent. cap. 71. Alexand. 1. p. q. 38. memb. 4. Albert. 1. p. q. 27. de malo memb. 5. ad 1. Richard. in 1. dist. 46. a. 1. q. 6. D. Bonav. ibid.* & alii, quos citat, & sequitur *P. Ruiz 1. p. d. 2. de Provid. sect. 4. n. 1.* Probatur primò authoritate Scripturæ Ecclesiast. 3. *Didici*, ait, *quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum; non possumus eis quidquam addere, vel auferre, quæ fecit Deus, ut timeatur*: nempè veneratione, admiratione, & reverentiâ divinæ Sapientiæ, Bonitatis, & Potentiæ, ne quis audeat non solùm reprehendere, sed neque minùs perfectum putare.

207. Probatur secundò ex Sanctis Patribus D. Aug. *lib. de quantit. Anim. cap. 33. Dei justitiâ factum est*, inquit, *ut non modò sint omnia, sed etiam sic sint, ut omninò meliùs esse non possint.* Et in Enchirid. cap. 27. *Meliùs*, ait, *judicavit de malis bona facere, quàm mala nulla esse permittere.* Et Hugo Victor. *lib. 1. de Sacram. fidei p. 4. cap. 23. Et diximus*, ait, *quod majus bonum est esse bonum ex malo, & bono, quàm ex solo bono. Permitti itaq; mala debuerunt, ut essent, quoniam, ut essent, id bonum erat, ex quibus bonum futurum erat.* Et D. Ansel. *in Elucidar. col. 4.* ubi de malis Angelis: *Cùm Deus præsciret*, ait, *eos tales futuros, quare creavit eos? Propter ornatum sui operis*; ergo &c.

208. Probatur secundò rationibus: Prima, quia Deus de facto semper eligit, & facit opus, quod est simpliciter optimum respectu totius Universi; sed elegit de facto Universum, in quo permitterentur peccata, ut eorum occasione colligerentur majora bona ab ipso Deo; ergo hoc Universum prout sic est optimum; consequenterque perfectius, quàm foret, si Deus nulla peccata permitteret.

Confirmatur primò, quia si peccata non permitterentur, defuisset Universo summum bonum Incarnationis: Beatissima semper Virgo MARIA: abundantiora gratiæ dona hominibus ea occasione collata, ut ubi abundavit delictum, superabundaret & gratia, idque ob infinita merita Redemptoris, & ad illius gloriam accidentalem augendam; ergo &c. Secundò, quia occasione peccatorum meliùs ostendit Deus supremum dominium suorum donorum, debilitatem humanarum virium, gratiam gratuitam, eximiam misericordiam, patientiam, longanimitatem, clementiam, amorem virtutis, odium peccati, justitiam distributivam, & punitivam, & præ omnibus potétiam, sapientiam, & bonitatem, quibus sciat, velit, & possit ex malis bona colligere, quæ omnia defuissent, si peccata non permitterentur; ergo &c.

209. Probatur tertiò, quia respectu cujusque totius major perfectio est integritas omnium ejus partium, virium, & potentiarum, quàm multiplicatio, vel augmentum præstantiorum tantùm partium, ac potentiarum, illis, quæ minùs perfectæ sunt, deficientibus; sed si non permitterentur peccata, quædam partes & ac potentiæ minùs perfectæ deficerent Universo; ergo sine illis maneret Universum imperfectius, quod cum illis perfectius est, utpotè magis integrum.

210. Probatur quartò, quia licet ad statum ultimæ fœlicitatis convenientior sit confirmatio in bono; ad statum autem viatorum convenientius fuit, ut omnes (paucis exceptis) relinquerentur in manu consilii sui cum indifferentiâ & physicâ, & morali ad bonum, & ad malum; sic enim suaviùs gubernatur hominum libertas; ergo perfectior evasit Mundus ex permissione peccatorum.

211. Oppositum tenent aliqui cum *Durand. in 1. dist. 46. q. 2. P. Vasq. 1. p. q. 22. art. 2. in comment. & d. 107. cap. 3.* & aliis: pro quibus. Objicies 1. Ex D. Thom. *in 1. dist. 46. q. 1. art. 3. ad 6.* quædam mala sunt, inquit, quæ si non essent, universum perfectius esset: & inter hæc mala apponit malum culpæ; ergo sensit universum ex permissione peccatorum non esse perfectius. Respondeo D. Thomam, ut constat ex locis ejusdem supra citatis, licet in ea fuerit sententia, postea eam mutasse, re meliùs consideratâ.

212. Objicies 2. Mala juxta bona solùm ea reddunt commendabiliora secundùm apparentiam, quatenùs clariùs elucent comparatione malorum; non autem secundùm existentiam; ergo Universum secundùm existentiam & simpliciter, non evasit perfectius ex permissione peccatorum. Respondeo negando antecedens quoad secundam partem: mala enim etiam secundùm existentiam reddunt bona commendabiliora: Primò, quia ipsamet apparentia conducit ad existentiam, quatenùs ex illa melior cognitio comparatur, per quam profundiùs penetratur debilitas virium humanarum, necessitas gratiæ, excellentia virtutis aliique effectus pertinentes ad perfectionem Universi. Secundò, quia multa alia bona colliguntur ex permissione malorum independenter à relucentia, quæ consurgit ex collatione bonorum cum illis, cujusmodi sunt Redemptio, ostensio divinæ misericordiæ, justitiæ, clementiæ, pœnitentia, martyrium, exercitia fidei, spei, & charitatis, aliaque permulta.

213. Objicies 3. Bonum, quo privat peccatum, est perfectius, quàm quod ejus permissione acquiritur; siquidem majus bonum est innocentia, quàm pœnitentia; ergo perfectius esset Universum sine permissione peccati. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, innocentiam secundùm se majus bonum esse: at verò in ordine ad Universum, ejusque integritatem, suavitatem, ordinem, ac proportionem, majus bonum esse collectionem multarum virtutum, & donorum, quæ ex permissione peccati sequuntur.

Instabis: Deus magis diligit hominem innocentem, quàm pœnitentem; ergo etiam magis diligeret universum Mundũ innocentem; consequenterque perfectior esset Mundus innocens. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia cùm Mundus constituatur collectione omnium rerum, omnes ad ejus integritatem pertinent, sicque ad eum pertinent plures virtutes, quæ ex permissione peccati sequuntur, & ex quibus redditur perfectior: at non ita pertinent ad integritatem cujuslibet hominis singularis, siquidem nullus constituitur collectione omnium rerum. Secundò, quia homo deficiens ab innocentia, totus redditur deterior, & odio dignus, quin sit aliqua ejus pars, quæ occasione peccati reddatur perfectior: at verò Mundus pluribus partibus constat, quarum aliquæ occasione peccati redduntur perfectiores. Tertiò, quia hic, aut ille homo peccat, & non Mundus, ideoque respectu Mundi minus malum est peccatum, quo tollitur innocentia, licet respectu hominis peccantis sit summum malum amittere innocentiam per peccatum. 214.

Urgebis: Thesaurus non redditur prætiosior, imò ejus divitiæ minuuntur, si aurum, & lapides prætiosos tollas, ut argentum, & lapides minùs prætiosos apponas; ergo si Deus ad eundem, vel ad altiorem gradum gratiæ, & gloriæ totidem, aut plures prædestinatos perduceret absque ullo peccato, retenta semper innocentia, quot de facto perducit permittendo peccata, multò prætiosior esset hominum communitas; consequenterque Universum. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia corpora, quæ non exigunt partes heterogeneas, qualia sunt corpora inanimata, non redduntur perfectiora per additionem rerum minoris valoris, si per illas excludantur aliæ majoris valoris, & perfectionis, ut fit in exemplo adducto: aliter verò est in corporibus, quæ partes heterogeneas exigunt, qualia sunt viventia, præsertim animalia; sic enim foret monstrosus equus, ablatis pedibus, licet ei adderentur plura capita: & hujus generis est Universum, cui si Deus detraxisset illas partes, quæ supponunt peccata, esset imperfectius, licet ei Deus earum loco alias perfectiores multiplicaret. 215.

Replicabis: Ex hoc solùm sequitur, quod Universum esset extensivè, non autem intensivè perfectius; ergo &c. Respondeo negando sequelam: integritas enim omnium bonorum, non solùm majorum, sed etiam minorum est absolutè majus bonum Universo, etiam intensivè; neque enim equus esset intensivè perfectior habens quatuor oculos sine auribus, sed absolutè imperfectior, quàm habens duos oculos, & duas aures, licet hæ sint oculis imperfectiores. 216.

Objicies 4. Mundus redditur absolutè perfectior bono illo, quo ejus potissima pars, & caput redditur perfectius; sed caput totius mundi est natura rationalis Angelorum, & hominum; hæc autem perfectior esset, si nullum daretur peccatum; ergo etiam sine peccato perfectior esset mundus. Respondeo primò, majorem esse veram, servata proportione cum cæteris partibus, & retentâ omnium integritate, non autem si hæc desit, ut deesset, si non permitterentur peccata, ut 217.

patet

patet ex dictis. Secundò negando majorem: major enim mundi perfectio constituitur, ut est opus Dei, per illud, quod potest afferre perfectiorem cognitionem Attributorum Dei: hæc autem esset imperfectior, si nullus Angelorum, aut hominum peccasset, ut patet ex dictis.

218. Objicies 5. D. Aug. *lib. 3. de liber. arbit. cap. 5. Meliorem*, ait, *esse creaturam, quæ quamvis habeat liberam voluntatem, Deo tamen semper infixa, nunquam peccaverit*; idemque repetit variis in locis; ergo Universum fuisset absolutè melius, & perfectius, si nulla essent peccata. Respondeo D. Aug. cit. locis, sicut & in locis à nobis supra citatis, docere meliùs, ac perfectiùs esse creari utramque substantiam, & quæ peccatura præsciebatur, & quæ nunquam peccaverit.

219. Infertes: Ergo saltem dato, quod non defuisset Universo bonum Incarnationis, & Beatissimæ Virginis: aut præscindendo à tali bono, mundus manebit imperfectior ex permissione peccatorum. Respondeo negando illationem; adhuc enim in facta suppositione defuissent mundo aliæ perfectiones, quæ supponunt peccata, & pertinent ad illius integritatem, ordinem, & pulchritudinem, & ad ostensionem divinorum Attributorum.

220. Objicies 6. Bonum, quod Deus sibi vult innata inclinatione, & voluntate antecedente, est simpliciter perfectius, quàm quod vult voluntate consequente, & quasi coactus; sed illo modo vult totius mundi perseverantiam in gratia, observationem legis, & gloriam æternam juxta illud 1. Tim. 2. *Vult omnes homines salvos fieri*: hoc autem modo vult permissionem peccati, reprobationem, & alia, quæ peccatum supponunt; ergo mundus foret perfectior, si omnes Angeli, & homines perseverarent in gratia, & consequerentur vitam æternam.

221. Respondeo majorem esse veram absolutè, quatenùs bonum, quod Deus vult innata inclinatione, & voluntate antecedente, potest obtineri per media, quæ per voluntatem antecedentem offeruntur: non autem ex suppositione, quatenùs non obtinetur bonum per media, quæ vult offerre voluntas antecedens: sic enim simpliciter perfectius, & melius est, quod Deus vult voluntate consequente; nam ex suppositione, quod bonum voluntatis antecedentis non potest obtineri per media, quæ illa offert, perfectius, & melius est, quod obtineatur per media voluntatis consequentis, quatenùs ex permissione peccatorum illa bona Deus colligit, quæ vult colligere, quod est melius ex suppositione peccatorum, licet ipse potius vellet non committi.

222. Objicies 7. Si mundo defuisset peccatum, adhuc ei non defuissent bona ex peccato sequenda; siquidem adhuc Christus Dominus haberet animum paratissimum ad redimendos homines peccatores, si tales forent: Justi essent parati ad martyrium, & ad pœnitentiam, si darentur Tyranni, & peccata; sicque de aliis; ergo adhuc deficiente peccato, non esset mundus imperfectior. Respondeo in facta suppositione, licet non defuissent habitus illarum virtutum, defuturos tamen earum actus, ex quibus mundus fit perfectior; ac proindè ex defectu permissionis peccatorum maneret imperfectior.

223. Objicies 8. Quod excedit perfectione substantiali, & per se, est absolutè perfectius, quàm quod excedit perfectione accidentali, & per accidens; sed deficiente omninò peccato, mundus excederet perfectione substantiali, & per se; nunc autem exceditur perfectione tantùm per accidens; & accidentali; ergo mundus absque peccato foret absolutè perfectior. Respondeo negando majorem: licet enim equus excedat aliud animal additione materiæ, & formæ substantiali, si tamen careat oculis, auribus, & aliis potentiis, erit illo, quod talibus non careat, absolutè imperfectior.

224. Objicies 9. Ad illas minores, & accidentales perfectiones colligendas sufficerent pauciora peccata; ergo mundus fuisset saltem perfectior, si pauciora peccata permitterentur. Respondeo pauciora illa peccata sufficere ad pauciora aliqua bona colligenda; ad colligenda autem plura, & majora bona, necessaria fuisse tot, ac tanta peccata.

SECTIO XII.

An, & quomodò Deus velit permissionem peccatorum? Et quid de malo pœnæ?

225. DIco 1. Deus volitione positivâ vult permissionem peccati. Ita *D. Aug. in Enchirid. cap. 100. Magist. in 1. dist. 46. §. Ille verò. D. Thom. 1. p. q. 19. a. 9. Albert. 1. p. tract. 20. q. 80. memb. 2. art. 3. Alexand. 1. p. q. 38. & 40. memb. 2. & 3. D. Bonav. in 1. dist. 46. art. 1. q. 3. 4. 5. & 6. Richard. dist. 46. art. 1. q. 3. 5. 7. & 8. Scot. in 1. dist. 47. q. unica*, quos citat, & sequitur *P. Ruiz. de Volunt. Dei d. 26. sect. 6. n. 1.* Probatur primò, quia ad perfectionem volitionis divinæ pertinet versari positivâ volitione circa quaneumque partem contradictionis, si objectum est capax talis volitionis; sed permissio peccati est objectum capax talis volitionis; cùm sit bona nihil malitiæ includens, ut patet ex dictis, & patebit ex dicendis; ergo &c. Confirmatur, quia Deus sic vult quidquid oportet ad ejus gloriam, & Ecclesiæ utilitatem; sed ad hos fines oportet diabolo, ejusque membris plurima peccata permittere juxta illud. Apoc. 20. *Oportet eum solvi.* Et Matth. 24. *Oportet primum hæc fieri.* Et 1. Cor. 11. *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*; ergo &c.

226. Probatur secundò, quia omnis effectus Prædestinationis est bonus, & volitus à Deo per volitionem positivam prædestinandi; sed permissio peccati in prædestinatis est effectus prædestinationis, ut infrà dicemus; ergo &c. Tertiò, quia Deus potest velle omne opus, cujus est author; sed Deus absolutè est author permissionis peccati; siquidē Patres id absolutè affirmant; ergo &c. Quartò, quia permissio cujuslibet peccati est à Deo prædefinita, ita ut peccatum nihil unquam excedat, aut minuat mensuram Dei prædefinitione præscriptam; sed quæ à Deo prædefiniuntur, sunt à Deo volita; ergo &c.

227. Dices: In permissione peccati inest saltem diminutio aliqua prudentiæ, & gubernationis melioris, quatenùs permittitur majus malum, quale est peccatum, ut colligatur minus bonum, quod ex tali permissione colligitur; ergo Deus non potest velle talem permissionem. Respondeo peccatum mortale esse quidem maximum malum peccantis, non autem Dei permittentis, ideoque nullum malum esse in Deo permittere peccata, cùm non sint illius peccata, neque ei imputentur, sed homini.

228. Dico 2. Deus non ita permittit peccata, ut neget lumen, & favorem, sive concursum simpliciter necessarium ad illa vitāda, ut volunt Lutherani.

Probatur, quia implicat contradictionem aliquem peccare, & carere sufficienti possibilitate vitandi peccata; siquidem sine hac possibilitate, neque liberè, neque imputabiliter peccaret; sed hoc non est dicendum; ergo &c.

229. Dico 3. Deus non vult peccatum, neque est causa illius ex eo, quod non adhibeat media, quibus impediatur, sed vult illud permittere. Probatur primò, quia gubernator non dicitur causa naufragii, nisi quando potest, & tenetur impedire; sed Deus, licet possit, non tamen tenetur impedire peccata; ergo non est eorũ causa permittendo. Secundò, quia non Deus, sed homo liberè se determinans ad peccandum, est causa non accipiendi concursum actualem ad bene operandum, quo Deus de facto concurreret cum illo ad actus bonos, si ipse vellet benè operari; ergo solus homo, & non Deus est causa peccati in illius permissione.

230. Oppositum tenent Lutherani, ut refert *Sot. 1. de natur. & grat. cap. 18. arg. 2.* Calvinistæ, ut ait *P. Maldonat. Mat. 19. num. 8.* Petr. Martyr. Calvinus, & Philip. Melanchon. ut refert *P. Bellarm. lib. 2. de amissione grat. cap. 16. col. 3. & cap. 3. col. 2.* quatenùs dicunt verbum *permittere* non esse mitius, aut mollius quàm *facere*: pro quibus: Oppones 1. Deus certò scit, nos absque ejus lumine, & favore non posse vitare peccatum; ergo illa negare idem est, atque causare in nobis peccatum. Respondeo falsò supponere, Deum permittendo peccata nobis negare necessaria ad illa vitanda, si velimus, ut patet ex dictis *n. 228.*

231. Oppones 2. D. Ansel. *lib. de Concept. Virginal. cap. 5.* ait, peccatum provenire sicut naufragium ex absentia naucleri; ergo sensit Deum defectu suæ assistentiæ esse causam peccati. Respondeo primò, D. Ansel. ibi non agere de absentia Dei permittentis, sed de absentia boni justitiæ, & rectitudinis, in cujus privatione, ut aliqui dicunt, consistit quidditas peccati, ideoque non *naucleri*, sive gubernatoris, sed tantùm *gubernaculi* meminisse. Secundò, D. Ansel. licet ageret de absentia Dei permittentis, explicandum esse, ut peccatum proveniat, sicut naufragium ex absentia naucleri, quam non ipse, sed navis causat, quatenùs à se nauclerum projicit.

232. Oppones 3. Qui præcognoscit effectum infallibiliter futurum ex causa, & cùm possit, non impedit, sed vult causam, censetur etiam moraliter velle effectum; sed Deus præcognovit peccata infallibiliter futura, si crearetur liberum arbitrium, quod voluit creare; ergo in illo voluit etiam illius effectum, nempè peccatum. Respondeo majorem esse falsam simpliciter, nisi limitetur ad personam, quæ potest, & tenetur impedire: Deus autem, licet possit, non tamen tenetur impedire, ut diximus.

233. Instabis: Qui vult potentiam peccandi, vult etiam peccatum; siquidem potentia peccandi ut sic, non habet alium effectum, nisi peccatum, sed Deus vult potentiam peccandi, nempè liberum arbitrium creatum; ergo &c. Respondeo Deum non velle potentiam peccandi formaliter, ut est potentia peccandi, sic enim dicit defectum, & imperfectionem, & solùm ad peccandum destinatur, ac proindè non habet rationem boni amabilis, neque ut sic à Deo producitur: velle tamen illam in quantùm est potentia liberè volitiva cujusque boni, sive honesti, sive delectabilis, veri, aut apparentis, sicque ex hoc non sequitur, velle illius peccatum, sed tantùm permittere.

Difficultas sit: An, & quomodò Providentia 234.
Divina versetur circa malum pœnæ? Dico 1. Providentia divina non potest velle, neque causare malum pœnæ formaliter, ut malum est. Probatur primò ex illo Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus.* Et cap. 33. *Nolo mortem impii.* Et Sapient. 1. *Deus mortem non fecit, neque lætatur in perditione vivorum*: quæ loca, & si quæ sunt similia, intelligenda sunt de malo pœnæ formaliter.

Probatur secundò, quia Providentia, & volun- 235.
tas divina non potest amplecti aliquod objectum, nisi ob infinitam bonitatem, tanquam propter objectum formale; sed nullum malum, quà malum formaliter, proportionatur, ut possit amari propter infinitam bonitatem; ergo &c. Tertiò, quia formalitas, quæ est ratio tristitiæ, non potest esse ratio volendi, & amandi, imò potiùs odio habendi; sed malitia, quæ est in malo pœnæ, est Deo ratio tristitiæ, quantùm ad displicentiam; ergo &c. Quartò, quia quod aliquis tolerat coactus propter bonum ei adjunctum retinendum, non illud vult, neque amat propter se ipsum; sed Deus coactus tolerat malitiam pœnæ propter bonum puniendi, tentandi, aut exercendi; ergo &c. Undè advertes hîc, Deum, sive ejus providentiam eodem modo versari circa malum pœnæ formaliter, atque diximus versari circa malum culpæ.

Dico 2. Malum pœnæ potest terminare provi- 236.
dentiam, sive volitionem divinam. Probatur primò, quia quidquid Deo authore fit, Deo volente fit; agit enim Deus per voluntatem; sed Deus est author malorum pœnæ, ut patet ex illo Deuter. 32. *Congregabo super eos mala.* Eccles. iast. 11. *Bona, & mala; mors & vita, paupertas, & honestas à Deo sunt.* 2. Reg. 12. *Suscitabo super te malum.* Isai. 45. *Ego Dominus creans malum.* Hierem. 18. *Fingo contra vos malum.* Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit*; ergo &c. Confirmatur primò, quia reprobi prædestinantur ad pœnam; sed prædestinatio est volitio finis, ad quem persona destinatur; ergo &c. Secundò, quia omnis effectus prædestinationis, & reprobationis est à Deo volitus; sed malum pœnæ est hujusmodi effectus, ut infrà dicemus; ergo &c.

Probatur secundò, quia pœna, licet sit mala 237.
secundùm quid, prout scilicet destruit aliquod bonum, est tamen bona simpliciter, quatenùs reparat ordinationem hominis ad Deum, illum Deo subjiciendo contra voluntatem, qui Deo sponte subjici recusavit; ergo potest à Deo prout sic amari.

Dico 3. Providentia, seu voluntas divina vult 238.
malum pœnæ, non per se, sed per accidens. Probatur, quia Deus præoptaret nullum hujusmodi malum inferre, ad quod quasi compellitur, aut propter bonum justitiæ, aut correctionis, aut exercitii virtutum, aut majora bona colligenda; ergo &c. Confirmatur, quia neque ignis appetit aquæ destructionem, quatenùs ejus malum, sed quatenùs ei bonum ad propagationem suę speciei: neque leo appetit ovem, ut eam destruat, & mactet, sed ut famem suam extinguat: neque tyrannus, aut sicarius appetit cruciatus, & mortem, nisi propter ostensionem suæ potentiæ, aut vindictam; ergo à fortiori Deus non vult malum pœnæ, nisi per accidens, & ratione alicujus boni, ad quod destinatur.

Dices: Deus de potẽtia absoluta potest velle om- 239.
nes creaturas in nihilum redigere, etiam si indè nullum sequatur bonum; ergo malũ hoc annihilationis

potest

potest Deus per se velle. Respondeo negando antecedens quoad secundam partem, neque enim Deus ex sola illa ratione ductus potest annihilare creaturas, cùm sit malum: licet possit sic annihilare ad ostendendum suum dominium, & absolutam libertatem, quæ est ratio boni sufficiens, ut posset Deum saltem physicè ad id movere.

240. Advertes hîc malum culpæ in eo distingui à malo pœnæ, quod providentia divina, neque per se, neque per accidens possit illud velle, etiam si ex illo summa essent bona colligenda; hoc autem possit, si non per se, saltem per accidens velle.

SECTIO XIII.

Virùm Providentia Divina semper assequatur suum finem?

241. DIFFICULTAS 1. Utrùm Providentia Divina semper assequatur suum finem particularem? Negativè. Ita *D. Thom. de Verit. q. 6. art. 1. & in 1. dist. 40. q. 1. art. 2. Durand. ibid. q. 1. n. 6. Alexand. 1. p. q. 26. memb. 6. Albert. 1. p. q. 63. memb. 2. p. 2. Marsil. 1. q. 41. art. 1. Capreol. in 1. dist. 40. q. 1. art. 1. Ferrar. 3. contr. gent. cap 94. P. Mol. 1. p. q. 22. art. 1. Zumel. Sylvest. P. Soar. lib. 1. de Prædest. cap. 18. n. 7. P. Vasq. 1. p. d. 87. cap. 4. P. Valent. 1. p. n. 22. art. 1. punct. 1. P. Becan. p. 1. cap. 3. conclus. 4. P. Arrub. 1. p. d. 69. cap. 2. P. Tanner. 1. p. d. 3. q. 1. dub. 4. num. 5. P. Præpositi. q. 22. 1. p. art. 3. n. 13. P. Herice 1. p. d. 21. cap. 4. n. 21. P. Arriaga 1. p. d. 32. sect. 5. num. 44. P. Ruiz 1. p. d. 4. de Provident. sect. 2. P. Granad. 1. p. d. 1. tract. 3. n. 4.* & alii. Probatur primò, quia Deus habet Providentiam supernaturalem circa reprobos; siquidem vult omnes homines salvos fieri, illisque per plura auxilia, sive efficacia, sive sufficientia intendit gratiam, & gloriam ut finem; & tamen hunc finem non omnes assequuntur, ut non assequuntur reprobi; ergo &c.

242. Probatur secundò, quia de ratione Providentiæ divinæ latè sumptâ non est intendere semper finem efficaciter, sed aliquando inefficaciter; tùm quia alioqui sic intenderet gloriam reprobis, & non possent non salvari, aut de illis non haberet Deus Providentiam, cùm nullum ex his sit dicendum: tùm etiam quia in eo nulla cernitur imperfectio in Deo providente, cùm adhuc possit, si velit efficaciter finem intendere, quem non sic intendit ob aliquos fines superiores, quos ipse scit; sed finis sic inefficaciter intentus, potest non obtineri; ergo &c.

243. Probatur tertiò, quia Deus Providentiâ suâ per media naturalia convenientia ordinavit agentia naturalia ad fines naturales consequendos; sed hos sæpius non assequuntur; siquidem sæpius producunt effectus monstrosos, qui dicuntur peccata naturæ, & à Deo non intendebantur; ergo &c. Cõfirmatur, quia Deus sæpius providentiâ suâ vocat prædestinatos; & tamen hi sæpius non acceptant, imò vocationibus resistunt, in quo Providentia divina non assequitur suum finem; ergo &c.

244. Oppositum tenent *Caiet. 1. p. q. 22. art. 1. & q. 23. art. 6. Bannez, Ripa, Nazarius ibid. q. 22. art. 1. Alvarez de Auxil. d. 30.* & tenere videntur *Scot. in 1. dist. 46. q. unica. Major dist. 45. q. unica. Ocham. & Gabr. dist. 46. q. 1. Hervæus q. 2. Driedo de concord. liber. arbit. p. 1. cap. 4. ad 2. P. Rhodez de Deo d. 5. q. 1. sect. 3. P. Compton. tom. 1. d. 37. sect. 4. n. 3.* pro quibus: Argues 1. Ex D. Damascen. *lib. 2. Fidei cap. 29. Providentia*, ait, *est voluntas Dei, per quam omnia, quæ sunt, convenientem gubernationem suscipiunt.* Et infrà: *Omnia*, ait, *quæcumque voluit, Deus fecit, & in Cœlo, & in terra, & voluntati ejus nullus resistit*; ergo quæ non sunt, non suscipiunt convenientem gubernationem: & nihil est, quod Deus providerit, & fuerit à suo fine frustratum. Respondeo D. Damascen. in primo loco intelligendum esse de Providentia Dei, non quoad actum, sed quoad potentiam, id est, omnia, quæ possunt esse, apta esse, ut convenientem gubernationem accipiant à Providentia. In secundo autem loco loqui de voluntate Dei efficaci, cui nullus resistit, & semper assequitur suum finem.

245. Argues 2. Omnes res quantùm ad Providentiæ ordinem sunt fixæ, & stabiles, ut patet ex D. Nazianz. *orat. contra Julian: Quantùm*, inquit, *ad Divinæ Providentiæ ordinem, & constitutionem fixæ, & stabiles sunt, etiam si per contraria gradiantur.* Et Boët. *lib. 4. de Consolat. prosa 6. Deus*, ait, *Providentiâ quidem singulariter, stabiliterq; facienda disponit.* Et infrà: *Illud certè manifestum est, immobilem, simplicemq; gerendarum formam rerum esse Providentiam*; ergo ordo providentiæ certam consecutionem finis adducit. Respondeo omnes res esse quidem fixas, & stabiles, suosque fines assequi quantùm ad Providentiæ ordinem efficacem, de quâ Providentiâ loquuntur D. Nazian. & Boët. non autem inefficacem, quæ prout sic possunt à suis finibus deviari saltem particularibus.

246. Argues 3. Ecclesia sic orat: *Deus, cujus Providentia non fallitur*; sed falleretur, si Providentia suo fine frustraretur; ergo &c. Respondeo negando minorem; nunquam enim fallitur; siquidem etiam ille finis, quem non assequitur, non deficit, nisi providentiâ volente permittere, ut deficiat, & volente permissionem ad majora bona ordinare.

247. Argues 4. Authoritate D. Thom. *1. p. q. 22. art. 2. ad 1. Cùm omnes*, ait, *causæ particulares contineantur sub universali Causa, impossibile est, aliquem effectum ordinem Causæ universalis effugere.* Et infrà *art. 4. ad 2. In hoc est immobilis, & certus Divinæ Providentiæ ordo, quod ea, quæ ab ipso providentur, cuncta eveniunt eo modo, quo ipse providet, sive necessariò, sive contingenter.* Et infra *ad 3. Immobilitas, quam Boëtius tangit, pertinet ad certitudinem Providentiæ, quæ non deficit à suo effectu*; ergo in his, & similibus locis videtur sentire D. Thom. Providentiam divinam semper assequi suum finem. Respondeo Sanctum Doctorem intelligendum esse de providentia efficaci, non autem inefficaci, quæ potest à suo fine particulari deviari.

248. Argues 5. Deus solùm intendit formaliter dare reprobis auxilia, virtute autem gloriam, quæ in ipsis auxiliis continetur; sed semper eis dat auxilia; ergo providentia semper in datis auxiliis consequitur suum finem, licet non illum consequatur in assecutione gloriæ, quam reprobi non assequuntur Respondeo negando majorem quoad secundam partem; Deus enim etiam intendit formaliter dare gloriam reprobis, quatenùs per voluntatem, qua vult omnes homines salvos fieri, præparat, & dat auxilia sufficientia reprobis in ordine ad gloriam possibilem, quæ formaliter, & expressè sunt objecta illius voluntatis, in se quidem indivisibilis, divisibilis autem respectu electorum, & reproborum: undè voluntas illa respectu auxiliorum, quæ sunt unum illius objectum formale, dicitur

dicitur efficax, & non potest non assequi suum finem, quia semper Deus dat ipsa auxilia; respectu verò gloriæ possibilis, quæ etiam est illius objectum formale, dicitur intentio finis inefficax, & prout sic potest suo fine frustrari, illumque non assequi.

249. Argues 6. Si Deus provideret aliquem finem non obtinendum, v. g. gloriam reprobis, talis Providentia foret tantùm conditionalis, & non absoluta; sed hoc in Deo est impossibile; talis enim modus providendi est imperfectus, & proprius solius provisoris, qui non potest finem assequi, nisi posita conditione; sic enim Mercator non potest servare merces, nisi vitato naufragio; ergo &c. Respondeo negando minorem; talis enim modus providendi non est solius provisoris, qui non potest assequi finem, nisi posita conditione, sed magis proprius est provisoris, qui potest, sed non vult ob meliorem, & suaviorem providentiæ modum, ut fit in Deo, sic enim meliùs providet agentibus liberis, quatenùs illis libertatem relinquit ad finem assequendum, si velint. Neque exemplum Mercatoris contrarium probat; posset enim in aliquo eventu omnes merces servare absque jactura, in quo tamen prudenter eligeretur jactura aliquarum mercium, ut meliùs, & suaviùs, & fructuosiùs aliæ pretiosiores servarentur.

250. Argues 7. Si Providentia divina non assequeretur suum finem, sequeretur, dari in Deo volitiones repugnantes, & aliquid involuntarii in Providentia divina; quatenùs salutem omnium hominum intendit, & desiderat verâ, & reali volitione antecedenti; volitione autem consequenti, & efficaci vult, & disponit multorum hominum reprobationem; sed hoc videtur implicare in Deo; ergo &c. Respondeo negando minorem; neque enim repugnantia volitionum, & involuntarium secundùm quid est imperfectio, imò major perfectio providentiæ: talis autem est in Deo illa volitionum repugnantia, & involuntarium, quando salutem quorundam hominum antecedenti voluntate procurans, consequenti tamen voluntate vult, & disponit eorum reprobationem.

251. Inferes: Ergo providentia de salute præscitorum non est providentia simpliciter, sed tantùm secundùm quid, cùm finis nec intendatur, nec procuretur simpliciter. Respondeo negando illationem: licet enim voluntas illa antecedens salutis reproborum non sit simpliciter voluntas quoad assecutionem salutis, quatenùs illam amplectitur secundùm se, abstrahendo à particularibus circumstantiis, quod est eam amplecti secundùm quid: eadem tamen voluntas antecedens est simpliciter voluntas quoad entitatem realem, increatam, & æternam in Deo realiter existentem, nec non quoad perfectè satisfaciendum muneri gubernatoris, & provisoris perfecti, qualis est, qui simpliciter providet omnium saluti, quin ad id requiratur totalis, & plena volitio salutis assecutæ, sed satis sit eam velle, quantùm est
252. ex parte suâ.

Argues 8. De ratione Providentiæ divinæ, cùm sit omnium perfectissima, est, quod numquam à suo fine frustretur; ergo &c. Respondeo antecedens esse verum de Providentia divina efficaci; non autem inefficaci, & absolutè; siquidem de hujus ratione solùm est, quod servet ordinem debitum mediorum ad finem juxta exigentiam creaturarum; non autem quod semper assequatur suum finem.

Instabis: Non assequi finem intentum est imperfectio in omni gubernatore; ergo etiam in Deo, cùm sit omnium perfectissimus gubernator. Respondeo negando antecedens, quod solùm est verum in gubernatore, & providente, in quo datur ignorantia, & impotentia assequendi finem, ut fit in humanis; non autem in Deo, qui omnia media, quibus finis acquiri potest, & scit, & potest applicare, si velit, & non vult ob alios superiores fines, ideoque imperfectio non dicitur habere hujusmodi Providentiam inefficacem. 253.

Urgebis: De ratione perfecti artificis, qualis est Deus, est, quod cognoscens media efficacia ad finem assequendum, ea efficaciter applicet, ut illum assequatur; ergo &c. Respondeo antecedens esse verum, si aliud non exigat connaturalis modus operandi creaturarum; cùm autem earum connaturalis modus operandi sit operari, posita tantùm præintentione Dei inefficaci, & non efficaci, quatenùs prout sic magis liberè operantur, ideò Deus aliquando eis præparat auxilia, & media sufficientia, quod est in Deo perfectio, quatenùs prout sic media magis consentanea naturæ & ejus modo operandi præparat. 254.

Argues 9. Providentia divina pertinet ad voluntatem Dei consequentem; sed voluntas consequens semper impletur; ergo providentia divina semper assequitur suum finem. Respondeo Providētiam divinam complecti utramque voluntatem, & antecedentem, si sit inefficax; & consequentem, si sit efficax, ideòque licet hæc semper impleatur, & assequatur suum finem; non ita assequitur, neque semper illa impletur. 255.

Argues 10. Providentia tanquam causa per se extenditur ad omnia quomodolibet entia; sed causa per se semper assequitur effectum; ergo etiam providentia suum finem, qui est ejus effectus. Respondeo causam per se non semper assequi suum effectum, si vult sibi temperare à concursu, & vult permittere, ut vult Deus, quod effectus impediatur à libero arbitrio recusante operari cum ipsa causa per se. 256.

Argues 11. Providentiæ infallibilitas æquiparatur certitudini prædestinationis; siquidem hujus certitudo probatur ex eo, quod sit pars providentiæ; sed prædestinationis certitudo ita est infallibilis, ut semper assequatur suum finem; ergo idem dicendum de providentia. Respondeo prædestinationem quidem esse partem providentiæ, ut supra diximus, non tamen imitari totam latitudinem providentiæ, quæ latius patet, quàm prædestinatio, ratione cujus est quasi genus, ut etiam diximus, sed tantùm eam providentiæ partem assumere, & imitari, quâ Deus efficaciter providet, & prædestinat bona facere, & prout sic benè æquiparantur in infallibilitate. 257.

Argues 12. Providentia supponit absolutam volitionem, seu intentionem finis; siquidem imprudens esset agricolà, si mitteret semina in agrum, nisi absolutè vellet fructus colligere, licet aliquando per accidens impediantur ab assecutione finis per concursum aliarum causarum secundarum; sed voluntas Dei absoluta semper assequitur suum finem; ergo &c. Respondeo negando majorem, & ejus probationem, ex qua potius confirmari potest præsens doctrina; neque enim agricola foret imprudens, si mitteret semina in agrum, licet non haberet absolutam voluntatem colligendi fructum ex singulis granis, sed tantùm ex aliquibus, etiam si certò 258.

sciret,

sciret, quæ grana comedenda forent ab avibus, & quæ à viatoribus conculcanda, adhuc enim prudentiùs, & suaviùs consuleret granis fructificaturis, ea simul cum perituris seminando.

259. Difficultas 2. Utrùm Providentia divina semper assequatur aliquem suum finem, saltem universalem? Affirmativè. Probatur primò ex hactenùs dictis pro secunda sententia, cujus fundamenta possunt habere locum saltem quoad aliquem finem providētiæ universalem. Secundò ex loco Ecclesiæ supra citato dicentis, Deum in sua providentia non falli, id est semper assequi finem aliquem, saltem universalem. Tertiò, quia Deus, ut diximus, permittendo mala, ipsam permissionem refert, aut in commodum universi, aut in manifestationem alicujus Attributi divini, aut in laudem, & gloriam suam; ergo &c. Ita tenent D. Aug. *lib. de spirit. & liter. cap. 33.* D. Greg. *lib. 33. Moral. cap. 10. aliàs 13.* D. Anselm *lib. 1. Cur Deus homo cap. 15.* D. Isidor. *lib. 1. sentent. cap. 2.* D. Thom. *1. part. quæst. 19. art. 6. & de verit. quæst. 6. art. 3.* & alii apud *P. Ruiz d. 4. de Provident. sect. 3. anum. 6.*

260. Inferes: Ergo omnis providentia Dei potest dici efficax, cùm omnis prout sic assequatur suum finem. Respondeo negando illationem: Providentia enim solùm dicitur efficax, aut inefficax in ordine ad suum finem particularem, & non universalem: aut si illam prout sic dicas efficacem, debes id dicere cum addito, nempè respectu sui finis universalis, quem semper assequitur. Undè ex dictis.

261. Colliges primò, non esse de ratione Providentiæ assequi quemlibet finem particularem, quem intendit; siquidem aliquos fines Deus intendit volitione conditionata, & non totaliter efficaci, prout supra diximus. Secundò, certum apud omnes esse, Providentiam divinam absolutè & simpliciter loquendo non posse frustrari, cassari, impediri, falli, in ambiguo fluctuare, nihilque fieri, quod ei sit absolutè contrarium; siquidem nihil fit, nisi Deo volente, ut fiat, si est bonum, aut permittente, si est malum; & quidquid non fit, Deus vult, ut non fiat, si potest absque culpa non fieri; alioqui vult permittere, ut non fiat.

262. Tertiò, si sumamus providentiam secundùm totam suam latitudinem, semper consequi suum effectum, sive finem, essèque multipliciter efficacem: Primò comparatione finis, qui est effectus Deo proximior, & est medium ad ulteriorem finem; sic enim providentia supernaturalis efficaciter consequitur, quod in Ecclesia sint omnia requisita ad salutem æternam, nempè valor meritorum Christi Domini, Scriptura sacra, miracula, doctrina, Sacramenta, inspirationes internæ, &c. Secundò, quoad aliquem finem particularem obtinendum indeterminatè, id est non in omnibus, sed in aliquibus hominibus, ut patet ex parabola seminis Matt. 13. cujus licet plurima grana fuerint amissa, fructum tamen copiosum alia non amissa retulerunt. Tertiò, quoad finem universalem, prout supra proximè diximus.

SECTIO XIV.

Quomodò Deus rebus omnibus provideat?

263. Dico 1. Providentia est causa exemplaris rerum. Ita *D. Thom. 1. p. q. 116. a. 2. & ad 3. & de Verit. q. 5. a. 1. ad 1. & 1. dist. 39. quæst. 2. a. 1. ad 5. Alexand. 1. part. q. 26. membr. 2. Albert. 1. part. q. 67. membr. 2. argum. 5. & 6. Capreol. in 1. dist. 4. a. 2. concl. 1. & 3.* quos citat & sequitur *P. Ruiz d. 5. de providen. sect. 1. num. 1.* Probatur primò authoritate Boet. *lib. 4. de Consolat. prosa. 6. Illud certè manifestum est, immobilem, simplicemq; gerendarum formam rerum esse Providentiam.* Ubi *formam* non quidem intrinsecam intelligit, per quam rerum essentia constituatur, sed extrinsecam rebus existentem in mente artificis. Secundò ex D. Dionys. *de divin. nomin. cap. 5. Omnium causa*, ait, *priùs constitisse omnium rerum exemplaria, concedendum est.* Et D. Damasc. *orat. 1. de imagin. Sunt*, inquit, *in Deo imagines, & exempla rerum, quæ ab ipso futura sunt, &c.*

264. Dico 2. Providentia etiam est causa efficiens rerum, quæ providentur. Ita *D. Augustt. lib. 8. de gen. ad litter. cap. 9. & lib. 9. cap. 13. 14. & 15. & lib. 6. de Trinit. cap. 10. D. Damascen. 2. de Fide, cap. 29. Clem. Roman. lib. 8. Recognit. Boet. lib. 4. de consolat. prosa 6.* Probatur primò ex illo Psal. 103. *Omnia in sapientia fecisti.* Et Proverb. 3. *Dominus sapientiâ fundavit terram, & stabilivit cœlos prudentiâ*: Dei autem prudentia, est providentia. Secundò, quia providentia, ut patet ex supra dictis, est essentialiter scientia practica; sed hujusmodi scientia in Deo est causa rerum efficiens; ergo &c. Tertiò, quia providentia aut essentialiter includit, ut diximus, aut supponit, ut alii dicunt volitionem Dei; sed volitio Dei est causa rerum efficiens; ergo &c.

265. Difficultas 1. Utrùm conservatio, gubernatio, & administratio rerum, ac cooperatio cum omnibus causis sit proprium providentiæ divinæ? Affirmativè. Probatur primò ex sacra Scriptura ad Heb. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Et ad Coloss. 1. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Et Joan 5. *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Et Actor. 7. *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Et Psalm. 59. *In te faciemus virtutem, in te inimicos nostros ventilabimus cornu.* Et Psalm. 138. *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Et idem habetur Matth. 5. & 6. & Luc. 12. ex quibus locis, aliisque pluribus satis probatur omnia pendere à providentia divina conservatrice, gubernatrice, & cooperatrice.

266. Probatur secundò ex Sanctis Patribus. D. Chrysost. ad Hebr. 1. hom. 2. *Ecce & hic idem ipse verbo suo cuncta facit. Feratq;* inquit *omnia, hoc est gubernet omnia.* Et Theodoret. ibid. *Non solùm fecit omnia, sed ea etiam dirigit, & gubernat.* Et D. Anselm. ibid. *Portat*, id est, *sursùm tenet, ne decidant, & in nihilum revertantur.* Et Primasius. *Portans*, ait, *pro eo, quod est gubernans, & regens.* Idem tenent *D. Aug. lib. 4. de gen. ad liter. cap. 12. & lib. 5. cap. 20. Et Epist. 146. ad Consentium. D. Cyril. ad Anastas Sinaita, Origen. D. Hieron. D. Dionys. D. Gregor. Nazian. D. Damasc.* & alii, quos latè & eruditè refert *P. Ruiz d. 5. de Providen. sect. 2. & 3.*

267. Probatur tertiò, quia quilibet effectus, qualia sunt omnia respectu Dei, non retinens sibi radicem suæ conservationis, indiget sua causa, non minùs ut conservetur, quàm ut primò producatur; sed totum esse creaturarum non retinet sibi radicem suæ conservationis; siquidem existentia actualis nō est de essentia alicujus entis creati, sed solius Dei, ut alibi diximus; ergo totum esse creaturarum indiget Deo, non minùs ut conservetur, quàm ut primò producatur. Vide quæ diximus *tom. 2. de Ente Phys. tract. 2.*

268. Difficultas 2. Utrùm concursus, per quem Providentia divina conservat creaturas debeat esse totaliter immediatus? Affirmativè. Probatur primò, quia nihil potest sibi esse principium, & causa, ut sit; alioqui esset prius, & posterius se ipso; ergo neque sibi esse principium & causa, ut conservetur. Secundò, quia si creaturæ semel productæ, possent se ipsas, & non à solo Deo conservari immediatè & totaliter, sequeretur, operationem Dei conservativam esse minorem, quàm productivam, & creativam; siquidem in conservatione partem causalitatis relinqueret creaturæ; sed hoc est falsum, & contra Sanctos Patres dicentes in Deo conservare, & gubernare non esse minùs, quàm creare; ergo &c. Tertiò, quia actio, quâ Deus creat, & quâ conservat, est eadem; sed prout est creatio, est totaliter immediatè à solo Deo; ergo etiam prout est conservatio sic erit totaliter, & immediatè à solo Deo.

269. Objicies 1. Faciliùs est aliquid jam productum conservare, quàm ab initio producere; sic enim faciliùs est pondus, semel elevatum tenere suspensum, quàm primò elevare; ergo licet ad primam productionem, per quam res elevatur ex nihilo necessarius sit plenus, & totalis influxus, non ita erit ad conservationem, per quam res quasi jam suspensa tenetur. Respondeo negando antecedens; licet enim ita faciliùs videatur ad sensum, non tamen ita est in re ipsâ, ut patet ex dictis. Ad ejus probationem datur diversa ratio, quia pondus, ne elevetur, resistit positivè ratione suæ gravitatis conservantis locum inferiorem, quem appetit, ideoque difficiliùs elevatur: at verò nihil datur, quod positivè resistat conservando nihilum, ex quo fit creatio, ideoque tota difficultas creationis est summa totalitas agendi sine ullo adjutorio, quæ eadem tota concurrit in conservatione.

270. Objicies 2. Ædificiis, & quibuslibet rebus artificialibus, ut primò producantur, necessarius est concursus artificis, & instrumentorum, non ita tamen, ut conserventur; ergo minùs requiritur ad rerum conservationem, quàm ad primam earum productionem; consequenterque ad illam non erit necessarius totalis Dei concursus immediatus. Respondeo ut conserventur res artificiales, quale est ædificium, & similia, essentialem corporum virtutem, ex quibus componitur, præstare concursum non minorem, quàm artifex per instrumenta contulit ad eas producendas, quatenùs essentia talium corporum præstat duritiem, & soliditatem, per quam retinet figuram semel impressam: si autem Deus ad rerum conservationem præstat etiam non minorem concursum, quàm ad earum primam productionem, cùm ad hanc sit à Deo totaliter immediatè, etiam ad illam talis erit. Vide de hoc quæ diximus in Philosophia *tom. 2. de Ente Phys. tr. 2. d. 5. à n. 10.*

271. Difficultas 3. Qualesnam sint proprietates providentiæ divinæ? Ex hactenùs dictis de providentia divina aliquas habere proprietates colligimus, quarum præcipuas hîc enumerabimus præter alias, quæ facilè excogitari possunt. Prima igitur Providentiæ proprietas est, quod sit *universalissima* ratione rerum, quas gubernat; siquidem prout supra diximus, nihil est vel maximum, vel minimum; bonum, vel malum, quod non subsit ejus gubernationi; & nihil, quod rectum in finem non ordinet, nullum medium, quod non decernat, aut permittat.

272. Secunda Providentiæ proprietas est, quod sit *æterna*; siquidem nihil omninò est, quod ab æterno non fuerit illi præsens, quod non viderit, disposuerit, & direxerit; sicque nihil ei novum, aut improvisum evenit, sed totum ordinem personarum, eventuum, infortuniorum, regnorum, bellorum, naufragiorum minutim, & sigillatim digestum, & statutum habet. Tertia proprietas est, quod sit *sanctissima*; siquidem nullum finem præscribit, nullum medium eligit, quod non sit honestissimum, & conforme æternæ rationi, cùm omnia decreta providentiæ sint actus voluntatis infinitè sanctæ, & cùm suam sanctitatem infinitè amet, & creatam etiam procuret, tota ordinatur ad sanctificationem creaturæ rationalis.

273. Quarta Providentiæ proprietas est, quod sit *suavissima*, & *amantissima*; siquidem semper rerum naturis se accommodat, res liberas liberè gubernans, & solâ suavitate illas ad se trahens monendo, docendo, delectando, & semper infinitè amando. Quinta Providentiæ proprietas est, quod sit *tranquillissima*; siquidem in tanta rerum mole nullâ unquam perturbatione tangitur, sed sic omnibus providet, quasi singulis, & sic curat singula, tanquam omnia.

274. Sexta Providentiæ proprietas est, quod sit *infallibilis* prout supra diximus; siquidem semper adæquatè sumpta suum finem assequitur juxta illud: *Omne consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Isai. 46. 10. Quis enim vincat Dei sapientiam, aut potentiam. Et hujus certitudinis ratio est, quia per scientiam conditionatam, de quâ statim, videt media omnia, quæ habitura sunt effectum, & illa tribuit. Septima Providentiæ proprietas est, quod sit *sapientissima*, atque adeò *secretissima*; siquidem per vias occultissimas, & sæpè contrarias assequitur quod intendit, media eligit maximè idonea, & optima, ut optimo modo assequatur fines optimos, cùm sit ipsa sapientia Dei infinita.

275. Hinc colliges varias esse operationes providentiæ gubernantis omnia, quarum præcipuæ sunt productio quotidiana innumerorum individuorum in qualibet specie: conservatio universi, & singulorum individuorum, & specierum: cooperatio, & concursus ad omnes omnium rerum operationes internas, & externas: prædefinitio bonorum omnium, tum naturalium, tum moralium, de quâ prædefinitione infra dicemus: Permissio & impeditio multorum malorum: illuminatio creaturæ rationalis, sive per interna gratiæ auxilia, & vocationes, sivè per externam legem, doctrinam, & exempla: deinde hominum redemptio, vocatio, justificatio, & instrumenta, quibus eam consequimur; remuneratio, & punitio, de quibus omnibus, & in præsenti, & alibi dicemus. Sit igitur.

SECTIO

SECTIO XV.

Utrùm Providentia Dei necessariò requirat Scientiam Mediam?

276. Suppono primò ex alibi dictis in Philosophia, & ex alibi dicendis in Theologia quid sit Scientia Media; & hanc dari in Deo, ut statim dicemus, quâ factâ suppositione, solùm in præsenti inquirimus: An hujusmodi Scientia Media necessariò requiratur ad Providentiam Dei? Recentiores enim aliqui, licet Deo hujusmodi Scientiam Mediam non negent, quatenùs plura sint cognoscibilia, quæ à Deo non nisi per hanc Scientiam cognosci possint, alioqui aliqua darentur cognoscibilia, à Deo tamen non cognita, illiusque cognitio non esset comprehensiva: dicunt tamen hujusmodi Scientiam Mediam non esse in Deo necessariam ad ejus Providentiam, sed posse Deum per Scientiam Simplicis Intelligentiæ de rebus omnibus disponere, & mundum perfectè gubernare. Hanc sententiam tenet, & latè defendit *P. Arriaga 1. p. d. 32. sect. 4.* dicens, se hanc difficultatem excitare propter aliquos, qui dùm nimium utuntur Scientiâ Mediâ, dant occasionem, ut illâ malè intellectâ impugnetur libentiùs à Thomistis: An verò ipse P. Arriaga meliùs in præsenti hanc Scientiam Mediam intellexerit, ex dicendis constabit, cùm oppositam sententiam plurium Sanctorum Patrum, & Doctorum authoritate firmaverimus, & rationibus.

277. Suppono secundò alibi, ut dixi, latiùs probandum, dari in Deo Scientiam Mediam de futuris conditionatis, ut etiam diximus in Philosophia *tom. 1. tract. 4. d. 3. à n. 59.* Probatur primò, quia Deus certò scit, quid factura sit causa libera posita in talibus, aut talibus circumstantiis, ordine, loco, tempore, &c. sed hoc est proprium Scientiæ Mediæ; ergo &c. Secundò, quia hujusmodi futura conditionata, cùm habeant determinatam veritatem, sunt à Deo cognoscibilia; aliter Deus non esset infinitus in cognoscendo, cùm aliquid daretur cognoscibile, ab eo tamen non cognitum; sed non cognoscit hujusmodi futura per Scientiam Simplicis Intelligentiæ; hæc enim habet objectum purè possibile: non per Scientiam visionis; hæc enim habet objectum purè futurum, aut purè existens; ergo per Scientiam Mediam, cujus objectum neque est purè possibile, neque purè futurum, aut existens, sed conditionatè futurum; consequenterque in Deo datur hujusmodi Scientia Media.

278. Suppono tertiò, hujusmodi Scientiam dici *Mediam* inter Scientiam Simplicis Intelligentiæ, & visionis, non quia sit ab illis diversa, sed quia habet objectum medium inter objectum utriusque: undè licet semper sit eadem Scientia in Deo, respectu tamen objecti, ad quod tendit, est diversa; sicut diversa dicitur Omnipotentia producens hominem à se producente leonem: & diversa est Scientia visionis, prout attingit hoc aut illud objectum existens. His suppositis.

279. Dico 1. Providentia absolutè, & in genere sumpta non requirit hujusmodi Scientiam Mediam. Probatur, quia Providentia prout sic sumpta consistit in cognitione proportionis mediorum cum fine, & in voluntate ea applicante, & exequente; sed hæc possunt dari in providente, quin cognoscat, an oblatis illis mediis sequatur effectus, quod sit per Scientiam Mediam; ergo &c. Confirmatur, quia in humanis datur Providentia; & tamen ibi sæpius non datur talis cognitio; siquidem homines sæpius non cognoscunt, an oblatis talibus mediis secuturus sit effectus; ergo &c.

280. Dico 2. Providentia divina quà talis necessariò secùm defert Scientiam Mediam. Ita sentire videntur *D. Aug. lib. contr. Adimant. cap. 17. D. Greg. Nissen. lib. 8. Philos. cap. ult. D. Greg. Magn. lib. 6. Mor. cap. 12. D. Iren. lib. 5. cap. 28. Origen. lib. 3. Periarch. cap. 4. & 7. D. Prosper. lib. 2. de vocat. gent. cap. 4. aliàs 13. P. Soar. in Opuscul. lib. 2. de Scient. Condition. cap. 2. n. 4. & de Prædest. lib. 1. cap. 7. P. Fons. 3. Met. lib. 6. cap. 2. q. 4. sect. 9. & q. 5. sect. 13. ad 7. P. Vasq. 1. p. d. 93. cap. 1. n. 4. & d. 98. cap. 6. n. 39. P. Mol. 1. p. q. 14. art. 13. d. 18. memb. 3. §. Illud postremò. & q. 23. a. 4. d. 1. memb. 11. concl. 5. & q. 22. art. 1. d. 2. P. Bellarm. lib. 2. de grat. & liber. arbitr. cap. 17. P. Lessius de Auxil. cap. 4. num. 16. P. Herice 1. p. d. 22. tr. 3. cap. 3. P. Compton. tom. 1. d. 37. sect. 5. 6. 7. & 8.* & alii.

281. Probatur primò ex Sanctis Patribus. D. Prosper. ubi proximè: *Præsciebat Deus*, ait, *ad quem finem insanientis esset progressura conceptio; neque ex eo, quod falli Scientia divina non poterat, necessitate peccandi urgebatur facinus voluntatis, à cujus utique intentione, atque affectu potuit incolumitas Abel illæsa defendi, nisi placuisset Deo cum magna laude patientiæ suæ, ut temporalis furor impii fieret perpetuus honos justi.* Et D. Aug. *lib. de bono persever. cap. 14. & cap. 17. Sua*, ait, *dona quibuscunque Deus donat, procul dubio daturum se esse præscivit, & in sua præscientia præparavit:* id est per suam providentiam. Et infrà: *In suâ, quæ falli, mutarique non potest præscientiâ opera sua futura disponere, id omninò nec aliud quidquam est, nisi prædestinare*; ergo ex his colligitur præscientiam aliquam ad talem dispositionem supponi, & requiri.

282. Probatur secundò rationibus: Prima, quia Deus habet Providentiam ita perfectissimam, ut alia perfectior nec dari, nec excogitari possit; sed de ratione perfectissimæ providentiæ est, quod provisor, antequam statuat adhibere media, præsciat quid ex illis sit eventurum; alioqui modo cæco, & imperfecto operaretur, & in incertum tenderet, ac intenderet; ergo Deus in providendo debet habere hujusmodi præscientiam, sive Scientiam Mediam, quâ ita præsciat effectus futuros. Confirmatur, quia providentia, quæ haberet hujusmodi Scientiam, esset perfectior, quàm quæ illam non haberet; sed Deo tribuenda est perfectior providentia; ergo illam habet providentiam, quæ secùm defert hujusmodi Scientiam.

283. Secunda, quia Deus majorem habuit providentiam circa prædestinatos, quàm circa reprobos; siquidem majus beneficium illis, quàm istis contulit, & majorem erga illos, quàm istos ostendit; sed hæc omnia in eo sunt posita, quod Deus voluerit prædestinatis præbere media efficacia, reprobis verò sola inefficacia, sive sufficientia, quæ non ita posset velle, nisi præsuppositâ Scientiâ mediâ; ergo &c. Confirmatur, quia Providentia in humanis distinguitur à Providentia divina; sed non apparet in quo ita distinguatur, nisi in eo, quod in humanis secùm deferat imperfectionem incertitudinis, & non ita deferat Providentia divina, sed deferat perfectionem certitudinis, quæ ei provenit ex adjuncta Scientia Media, per quam præscit quid sit infallibiliter eventurum; ergo &c.

284. Argues 1. pro *P. Arriaga cit.* Ut Deus dicatur habere providentiam infallibilem, perfectiorem, & prudentem, satis est, quod antecedenter ad consensum hominis, præparet Deus cumulum auxiliorum, præsciendo per Scientiam Simplicis Intelligentiæ, non posse hominem, illo posito, non consentire collectim, licet possit divisim; sic enim potest resistere venialibus divisim, licet non ita possit collectim; ergo ad perfectionem, & infallibilitatem Providentiæ divinæ non requiritur necessariò Scientia Media.

285. Respondeo negando antecedens: Primò, quia perfectior esset providentia, quæ prævideret singula media, & auxilia, ex quibus homo non posset non consentire, quod fit per Scientiam Mediam; Deo autem perfectior providentia concedi debet. Secundò, quia adhuc illum cumulum mediorum Deus prævideret per Scientiam Mediam; siquidem prævideret non posse hominem ex illo non consentire infallibiliter; hoc autem non posset fieri, salva hominis libertate, nisi præsupposita Scientia Media, per quam Deus prævideret, eum liberè consensurum. Tertiò, quia illa cognitio prævidens hominem ex illo cumulo auxiliorum non posse non consentire, esset cognitio confusa conversionis v. g. talis hominis; siquidem non ergo sciret Deus certò ex tali medio, & auxilio; aut in tali tempore, & cum tali intensione actûs convertendum; cognitio autem confusa, & incerta, utpotè imperfecta, non est Deo concedenda. Quartò, quia nesciret Deus ex quo medio particulari consentiret homo; siquidem solùm prævideret consensurum ex aliquo illius cumuli, quæ præscientia argueret in Deo imperfectionem; neque enim Deus certò cognosceret, sed ignoraret medium particulare, ex quo homo consentiret, si Deus efficaciter intenderet finem, quod non est dicendum.

286. Argues 2. Providentia divina non semper intendit finem efficaciter; alioqui semper suum finem assequeretur, contra id, quod supra diximus; ergo licet Scientia Media necessariò prærequiratur ad Providentiam divinam, quando finem efficaciter intendit, non ita prærequiretur, quando illum inefficaciter tantùm intendit. Respondeo negando consequentiam quoad ultimam partem: alioqui Providentia divina imperfecta conciperetur, quatenùs ad instar providentiæ humanæ non certò, neque infallibiliter, sed conjecturaliter, & probabiliter sciret Deus, quid futurum esset circa finem assequendum, aut non assequendum, quod implicat cum perfectione Scientiæ, & Providentiæ divinæ.

287. Instabis: Ad perfectionem Providentiæ divinæ inefficacis non pertinet intendere finem efficaciter, cùm possit; ergo neque intendere finem inefficaciter, præsuppositâ Scientiâ Mediâ, cùm possit. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in illo magis relucet libertas divina, quam Deus ibi exercet ob altissimos fines, quos ipse agnoscit: at verò aliter se res haberet, si non cognosceret certò, & infallibiliter, quid futurum esset circa finem, ut non cognosceret absq; Scientia Media, prout supra diximus; dareturque imperfectio in Intellectu divino, utpotè qui non cognosceret omne cognoscibile, & voluntas illa divina foret imprudens, utpotè quæ tenderet in finem non priùs cognitum, & modo cœco, atque fallibili.

288. Argues 3. Si Providentia divina necessariò præsupponeret Scientiam Mediam, sequeretur Providentiam divinam tollere libertatem creatam; siquidem Deus cognoscens per illam Scientiam quænam essent media, & auxilia congrua ad operandum, illa homini præpararet, quibus positis, non posset homo non operari; consequenterque voluntas creata non maneret indifferens ad actum, vel ad eliciendum oppositum; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam; nam cùm hujusmodi Scientia, & voluntas divina præbens auxilia congrua, supponant consensum conditionatum voluntatis creatæ, & ejus liberam determinationem, licet antecedant consensum absolutum, non posse voluntatem creatam non elicere actum, non est propter Scientiam, & voluntatem divinam, sed propter sui ipsius determinationem, ex qua sumitur illius actûs efficacia, sicque non amittit, imò per illas suam exercet libertatem; neque enim amittitur libertas ex eo, quod non possit voluntas non consentire, supposito, quod liberè consensit.

Argues 4. Omnes causæ, quæ sunt necessariæ ad effectum in esse absoluto, sic etiam apprehenduntur necessariæ ad effectum in esse conditionato, ut patet in igne *A.* qui si requirat ignes *B.* & *C.* ut existat in statu absoluto, etiam illos requirit in conditionato; neque enim benè dicitur, *si existat ignis B. existet ignis A.* sed *si existant ignes B. & C; existet ignis A*; atqui Scientia Media non apprehenditur ut causa necessaria ad effectum in statu conditionato; neque enim Deus dicit per Scientiam Mediam: *Si existat auxilium, & Scientia Media de operatione futura, erit operatio*: imò potius: si existat auxilium, etiam si non existat Scientia Media de operatione futura, erit operatio; ergo hęc non supponit ut causam Scientiâ Mediam in statu absoluto, cùm illam non supponat ut causam in conditionato; consequenterque ad Providentiam Dei in rebus non requiritur Scientia Media. 289. Respondeo argumentum non habere locum in Scientia Media in ordine ad effectus creatos, quorum non est causa necessariò requisita ad eorum existentiam, ut sunt ignes B. & C. ad existentiam ignis A. siquidem res, sublatâ Scientiâ Mediâ, possunt absolutè existere, nos autem solùm dicimus necessariò requiri ex parte causæ, nempè Dei, qui cùm sit perfectissimè operans, & providens, non ita esset absque Scientia Media, ut patet ex dictis.

Instabis: Quidquid requiritur ex parte causæ, requiritur etiam ex parte effectus; sed Scientia Media non requiritur ex parte effectus, ut sit; ergo neque ex parte causæ, ut operetur. 290. Respondeo majorem esse veram de causa creata, non autem Increatâ: Et ratio est, quia effectus non potest esse sine causa creata operante, & sine iis, quibus eget causa ad operandum, eoquod illis eget causa, non in ordine ad se, sed ad effectum, ut patet in approximatione efficientis ad effectum producendum: at verò Causa Increata, cùm non egeat Scientiâ Mediâ in ordine ad effectum, sed in ordine ad se, quatenùs debet habere modum perfectissimum operâdi, quem non haberet sine Scientia Media, ideò hanc requirit ex se, licet illam non requirat per ordinem ad effectum.

Argues 5. Ex eo, quod Trinitas Personarum non requiratur ex parte effectus creati producendi, etiam non requiritur ut conditio ex parte Dei producentis; neque enim Deus *ad extra* operatur ut Trinus; sed Scientia Media, ut diximus, non requiritur ex parte effectus producendi; ergo neque ex parte Dei producentis. 291. Respondeo negando

negando consequentiam; diversa ratio est, quia Trinitas Personarum requiritur in Deo ut perfectio Dei existentis, cùm sit ipsius existentiæ complementum, & in ordine ad fœcunditatem *ad intra*, & non ut perfectio Dei operantis; siquidem si Deus non esset Trinus, esset tamen Omnipotens, adhuc perfectissimè operaretur, utpotè qui non ut Trinus, sed ut Unus Omnipotens producit, sunt enim actiones *ad extra* indivisæ: at verò Scientia Media requiritur, ut Deus perfectissimè operetur, utpotè quæ excludit omnem incertitudinem mediorum, & cœcitatem circa eventum effectûs futurum, sicque sine illa operaretur Deus modo imperfecto, ut diximus.

292. Argues 6. Si necessaria esset in Deo scientia media ad perfectè operandum, sequeretur, dum illa repræsentat Deum dantem auxilium ex scientiâ simplicis intelligentiæ, illum repræsentare ut imperfectè operantem; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo illum sic repræsentare præcisivè, seu non cum omni perfectione, quam habet in operando, cùm scientia media se ipsam non repræsentet: non tamen illum sic repræsentat imperfectè operantem negativè, sive cum negatione scientiæ mediæ, qui modus operandi est Deo impossibilis, utpotè imperfectus; sicque scientia media in actu exercito Deum dirigit, ut modo perfecto operetur, licet non ita dirigat quasi in actu signato se ipsam attingens, & ut cognita concurrens ad providentiam.

293. Argues 7. Ideò requireretur hujusmodi scientia media ex parte Dei, quia cùm Deus velit dare auxilium efficax ut efficax, non potest illud velle prout sic dare, quin amet ejus efficaciam, hanc autem non potest amare, quin priùs illam cognoscat per talem scientiam; alioqui aliquid daretur volitum, quin prægnitum; sed ut det auxilium efficax non requiritur amor illius efficaciæ; sic enim Deus dat auxilium permissivum peccati sine amore ipsius peccati ex illo secuturi, saltem per accidens; ergo ex illa ratione non sequitur necessariam esse in Deo scientiam mediam. Respondeo negando minorem: nulla enim datur in Deo operatio *ad extra*, qualis est donatio auxilii efficacis, ut efficacis, sine Voluntate divinâ, cùm debeat esse libera, & ab ipsâ voluntate sumat libertatem, ut autem sit libera debet præsupponere scientiam de tali auxilio dando, & de illius efficacitate, quam amat in illius donatione; licet non sic amet peccatum in volitione auxilii permissivi ipsius peccati; siquidem hoc solùm sequitur ex illo per accidens, & non per se, & necessariò, quatenùs Deus prævidens per scientiam conditionatam, Petrum v.g. peccaturum, voluit permittere illius peccatum ex malitia ipsius Petri secuturum.

DISPUTATIO II.

De Prædestinatione secundùm se.

SECTIO I.

An detur, & quid sit in Deo Prædestinatio?

DIFFICULTAS 1. An detur in Deo Prædestinatio? Affirmativè. Est de Fide. Ita omnes Doctores Catholici. Probatur primò ex Scriptura ad Rom. 8. 29. *Nam quos præscivit, & prædestinavit.* Et 1. Cor. 2. 7. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Et ad Ephes. 1. 11. *In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum ejus.* Et ex aliis quàm plurimis locis, in quibus asseritur nomina quorumdam scripta esse in cælis, in libro vitæ, aliquos esse à Deo electos, à Patre trahi, dari Filio, regnaturos cum Deo, eis paratum esse regnum, mercedem, præmium, bravium, coronam, &c. Ex quibus satis colligitur aliquos esse ad gloriam destinatos, & à Deo ad gloriam prædestinari. Confirmatur ex *Trid. sess. 6. cap. 12. & can. 16.* quatenùs definit, neminem posse certò scire se esse de numero prædestinatorum absque revelatione; ergo &c. 1.

Probatur secundò ex Sanctis Patribus D. Aug. de bono persev. cap. 14. *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quàm præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Et D. Prosper ad object. Gallor. cap. 1. *Prædestinationis autem fides multa sanctarum authoritate Scripturarum munita est.* Et sic ex aliis plurimis. 2.

Probatur tertiò ratione, quia prædestinatio, ut infra dicemus, est ordinatio creaturæ rationalis ad visionem Dei ab ipso facta, neque enim fieri potest ab aliqua creatura, cùm sit supra ejus vires; sed de fide est dari aliquas creaturas, nempè Angelos, & aliquos homines sic à Deo ordinatos ad illius visionem consequendam, imò jam de facto sunt illam consecuti, quod fieri non posset sine illa Dei ordinatione; alioqui Deus illam dando, casu & fortuitò operaretur; ergo &c. 3.

Hinc inferes: Prædestinationem, sive prædestinare soli Deo convenire; nam cùm prædestinatio sit ordo, & transmissio infallibilis in vitam æternam, soli Deo convenit; tum ob excellentiam finis; tum ob efficaciam, & infallibilitatem prædestinationis, quæ de se infinitam Dei sapientiam, & potentiam postulat. 4.

Dices 1. Si daretur prædestinatio, cùm hæc sit actus efficax Voluntatis divinæ, qui frustrari non potest, sequeretur tolli necessitatem orationis, & bonorum operum; siquidem semper prædestinatus salvandus est; sed hoc non est dicendum, cùm sit contra illud 2. Petr. 1. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis:* 5.

ciatis; ergo &c. Respondeo negando sequelam: nam cùm prædestinatio, licet sit infallibilis, sit transmissio creaturæ rationalis in beatitudinem per media proportionata, hæc autem sint bona opera, ideò non potest dari sine illis.

6. Inferes: Ergo cùm prædestinatus possit non efficere illa opera, poterit non salvari; consequenterque poterit prædestinatio divina frustrari. Respondeo negando illationem: licet enim prædestinatus physicè loquendo possit non efficere illa opera, & sic physicè loquendo non salvari; infallibiliter tamen salvabitur juxta prædestinationem Dei, quæ non potest frustrari, ideoque infallibiliter benè operabitur; neque enim ex eo, quod physicè loquendo possit non salvari, sequitur posse decretum Dei frustrari, imò perfectè impleri, quatenùs Deus vult ita salvari liberè, ut possit non salvari.

7. Dices 2. Si daretur prædestinatio, sequeretur prædestinatum non posse peccare juxta illud Joan. 3. 9. *Omnis natus ex Deo* (per prædestinationem, ait D. Bernardus) *non facit peccatum*; tolleretur; libertas ad peccandum in prædestinato; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam: talis enim locus intelligitur, aut reduplicativè, ut exponit D. Thom. quatenùs scilicet ex Deo natus semper gratiam nativitatis custodit: aut de peccato finali in ordine ad prædestinationem æternam, quod nullus ex Deo natus committet; alioqui non salvaretur.

8. Dices 3. Si daretur prædestinatio, sequeretur, Deum plus diligere peccatorem prædestinatum, quàm reprobum justum; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam: plus enim Deus diligit reprobum justum, quàm prædestinatum peccatorem, pro tempore tamen justitiæ & peccati, licet pro tempore gratiæ & peccati finalis plus diligat prædestinatum decedentem in gratia, quàm reprobum decedentem in peccato.

9. Instabis: Amor Dei, cùm sit ipsemet Deus, est in se invariabilis; ergo non potest Deus modò unum, modò alium plus diligere. Respondeo Amorem Dei esse quidem ipsum Deum, & ideò invariabilem in se, hoc tamen non obstare quominùs pro varietate objecti varietur, ita ut plus unum quàm aliud diligat pro diversitate statuum.

10. Dices 4. Aliqui ex Sanctis Patribus dixerunt non dari prædestinationem divinam; ergo non est de fide, quod detur; alioqui aliquid contra fidem affirmarent. Respondeo Sanctos Patres, (si aliqui ita dixerunt) nomine prædestinationis intellexisse prædeterminationem ad actus meritorios, quæ non est in Deo admittenda, ut non admisimus propter libertatem creatam, quam tolleret, prout diximus in Philosophia *tom. 2. tract. 2. d. 5. sect. 4. 5. 6. & 7.*

11. Quæres hîc: Utrùm ratione naturali possit demonstrari in Deo esse prædestinationem? Negativè. Probatur, quia prædestinatio versatur circa supernaturalem ordinem; sed nullus est effectus in natura, ex quo nobis innotescat, illum procedere à divina providentia supernaturali dirigente efficaciter creaturas rationales in vitam æternam; ergo naturali ratione non possumus demonstrare esse in Deo talem ordinem, sive prædestinationem.

12. Difficultas 2. Quid sit Prædestinatio ex vi nominis? Vocablum *prædestinatio, prædestinatus, prædestinare*, vix est in usu apud profanos Scriptores Latinos, sola enim vox simplex *destinare* ab illis frequenter usurpatur, idque in vario sensu: Primò *destinare* significat *emere*, ut dixit Plautus in Rudent. *Minis triginta sibi puellam destinat*. Secundò *alligare*, ut Apuleius lib. 4. de Asino aureo. *Arreptum me loro quàm valido ad ansulam quandam destinatum*. Tertiò pro eo, quod est *mittere*, ut lib. 1. Machab. cap. 1. *Destinaverunt aliquos de populo, & abierunt ad Regem*. Et Sueton. in vita Galbæ cap. 16. *Prætorianos*, ait, *cum mandatis ad Imperatorem destinavit*. Quartò pro eo, quod est *deliberare*, ut Sueton. in Cæsar. cap. 44. *In dies plura, aut majora de ampliando imperio destinabat*. Quintò pro *decernere*, seu *statuere*, hinc 2. Cor. 9. *Unusquisque prout destinavit in corde suo*. Et lib. 2. Machab. 6. *Destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem*. Et Tullius de offic. *Cùm eorum alteri Dionysius diem necis destinasset*. Sextò pro *deputare*, seu *designare* rem quampiam ad aliquem finem, in quibus duobus ultimis sensibus si verbo *destino* adjungas dictionem *præ* idem erit, ac *prædestino*, à quo sumitur *prædestinatio*, quæ etiam multipliciter sumi potest in præsenti. Igitur:

13. Prædestinatio ex vi nominis idem est, atque anticipata destinatio, seu præordinatio, prædefinitio, & prædeterminatio, quæ verba tam apud Scriptores Græcos Ecclesiasticos, quàm Latinos tribuuntur Deo, æternoque illius decreto, non solùm personam aliquam ad aliquem finem efficaciter destinanti, sed universim etiam rem aliquam in tempore faciendam decernenti.

14. Hinc prædestinatio quatuor modis sumi potest: Primò *latissimè* pro destinatione alicujus rei in ordine ad aliquem finem, in quo sensu locuti sunt Patres, quando dicunt, essentias prædestinari ad existendum; convenitque prout sic prædestinatio, tam rebus, quàm personis, & effectibus quibuscumque juxta illud D. Aug. lib. 2. de bono persever. cap. 17. *Nam in suâ*, ait, *quæ falli, mutarique non potest præscientiâ, opera sua futura disponere, id omninò, nec aliud quidquam est, nisi prædestinare*. Secundò sumitur prædestinatio *minùs latè* pro destinatione ad ultimum finem, sive hic sit vita, sive mors, in quo sensu dicunt Patres dari prædestinationem electorum ad vitam, & reproborum ad mortem juxta illud D. Anselm. opuscul. de concord. præscient. cap. 2. *Prædestinatio*, ait, *non solùm bonorum est, sed malorum potest dici*. Et Aug. in Enchirid. cap. 100. *Tanquam summè bonus, ad eorum damnationem, quos justè prædestinavit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benignè prædestinavit ad gratiam*. Et lib. 13. de Civit. cap. 1. *Societatem malorum*, ait, *prædestinatam esse, æternum subire supplicium cum diabolo*.

15. Tertiò sumitur prædestinatio *præcisè* pro destinatione creaturæ rationalis ad quæcumque bona supernaturalia, qui sensus germanior est; siquidem in illo ordinatur homo ad illa consequenda, quæ viribus naturæ consequi non potest. In quo sensu loquitur D. Paulus 1. Cor. 2. 7. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram*.

16. Quartò sumitur prædestinatio *præcisius*, & accommodatè ad hunc locum pro destinatione efficaci electorum ad vitam æternam per media supernaturalia infallibiliter consequendam, in quo sensu loquitur D. Paulus ad Rom. 8. 29. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagines filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit*. Et loquitur Trid. sess. 6. cap. 12. quatenùs

tenùs dicit, nullum viatorum, secluſa revelatione, poſſe certò ſcire, ſe eſſe de numero prædeſtinatorum.

17. Difficultas 3. Quid particula *præ* verbo deſtino, ſeu deſtinatio adjuncta ſignificet? Advertes hujuſmodi particulam ſignificare præcedentiam, ſive antecedentiam, idque tripliciter: Primò antecedentiam durationis: ſecundò cauſalitatis: tertiò dignitatis: An verò omnes has antecedentias ſignificet particula *præ* in præſenti, eſt quæſtio præſens: pro qua:

18. Dico 1. Particula *præ* ſignificat antecedentiam durationis. Ita *P. Vaſq. 1. p. d. 87. cap. 5. P. Tanner. 1. p. q. 23. art. 1. q. 2. dub. 1. n. 4. P. Ruiz 1. p. d. 1. de prædeſt. ſect. 1. n. 8. P. Herice 1. p. d. 21. cap. 1. n. 3. P. Soar. lib. 1. de prædeſt. cap. 1. n. 5. cum Alenſ. & Durand. in 1. diſt. 40. q. 1. P. Præpoſit. 1. p. q. 23. art. 8. dub. 1. n 13.* & alii. Probatur primò ex illo Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*, id eſt ab æternitate. Et 1. Cor. 2. *Loquimur Dei ſapientiam, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula.* Et ad Rom. 8. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit*; ſed præſcivit ab æterno; ergo & ab æterno prædeſtinavit.

19. Probatur ſecundò ratione, quia prædeſtinatio, ut infrà dicemus, eſt actus immanens in Deo; ſed Deus nullum actum immanentem habet, imò neque habere poteſt in tempore; alioqui, cùm talis actus ſit ipſe Deus, illumque de novo in tempore haberet, Deus ipſe mutaretur in tempore, quod non eſt dicendum; ergo &c.

20. Dico 2. Particula *præ* etiam ſignificat antecedentiam cauſalitatis. Ita *P. Herice cit. n. 6. P. Ruiz cit. n. 7.* & alii. Probatur, quia omnis cauſa antecedit ſuos effectus ordine cauſalitatis; alioqui non eſſent ab illa; ſed prædeſtinatio ſuos habet effectus, ut infra dicemus; ergo illos antecedit ordine, ſive antecedentiæ cauſalitatis.

21. Dico 3. Particula *præ* non ſignificat antecedentiam dignitatis, ut voluit Catherinus *in opuſcul. de prædeſt. cap. 1. & in epiſt. ad Rom. 8.* quatenùs tres hominum ordines conſtituit: Primum prædeſtinatorum, quos proprio nomine vocat prædeſtinatos, infallibili decreto electos ſecundùm propoſitum, quia Deus illos potentiùs vocavit, copioſiùs juſtificavit, & ſplendidiùs magnificavit, horumque caput fuiſſe Chriſtum Dominum; deinde Sanctiſſimam Deiparam Virginem Mariam, atque Apoſtolos, ac cæteros eximiæ ſanctitatis viros. Secundum ordinem, ait, eſſe ſalvandorum, qui ſunt directi ad gloriam communi providentia cum reprobis, neque ſpecialibus auxiliis vocati, neque electi ad gloriam efficaciter, niſi poſt prævisum bonum uſum. Tertium denique ordinem reproborum, ſicque in hac Catherini ſententia hoc nomen *Prædeſtinatio* non eſt commune omnibus, qui conſequuntur vitam æternam, ſed prædeſtinati comparatione ſalvandorum præcedunt, eoſque præcellunt dignitate, tùm in modo præeligendi; tùm in gloria, ad quam præeliguntur.

22. Contra hanc Catherini ſententiam præter Doctores ſupra citatos *num. 18.* inſurgunt Thomiſtæ præſertim *Sot. in Epiſt. ad Rom. cap. 9. Cordub. lib. 1.* quæſtionarii *quæſt. 56.* P. Pererius *in cap. 8.* ad Rom. *d. 25.* & alii. Primò, quia his prædeſtinatis, & eximiè electis adimit libertatem amittendi gloriam; ſiquidem de illis non poteſt dici illud Apoc 3. *Tene quod habes, nè alius accipiat*, &c. Et D. Paulus, cùm in hac Catherini ſententia foret eximiè prædeſtinatus, fruſtra diceret: *Ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* 1. Cor. 9. ſiquidem non foret contingens reprobum effici. Secundò; quia cùm alii etiam non ita eximiæ ſanctitatis conſequuntur gloriam, ſi non ita dicuntur prædeſtinati, poterit dici, aliquos non prædeſtinatos conſequi beatitudinem; hoc autem nullus dicit; ergo &c.

Advertes tamen hanc Catherini ſententiam 23.
poſſe cum limitatione admitti, ut eam admittit *P. Vaſq. ſupra cit. cum Camerar. Dialog. cathol. cap. 1. §. 2.* & etiam non incongruam dicit *P. Ruiz d. 1. de prædeſt. ſect. 1. num. 6.* ſi v. g. fiat comparatio inter prædeſtinatos, & reprobos, quibus prædeſtinatio negatur, certum enim eſt, prædeſtinatos comparatione reproborum eſſe dignitate excellentiores.

SECTIO II.

Qualiter definiatur; & ſit in Deo Prædeſtinatio?

Difficultas 1. Qualis ſit definitio præ- 24.
deſtinationis? Varias prædeſtinationis definitiones apponunt Doctores, aliam enim aſſignat Ruardus *de liber. arbitr. art. 7. cap. ult. propoſitio.* ibi: *Prædeſtinatio eſt efficax ordinatio, & directio electorum per media congrua ad ſalutem æternam.* Aliam P. Bellarm. *lib. 2. de grat. & liber. arbitr. cap. 9. Prædeſtinatio*, ait, *eſt providentia Dei, qua certi homines ex maſſa perditionis miſericorditer ſelecti per infallibilia media in vitam diriguntur æternam.* Aliam Venerabilis Beda *tom. 8. in lib. quæſt. q. 13. Prædeſtinatio*, inquit, *eſt divinæ gratiæ appoſitio.* Aliam *D. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. Prædeſtinatio*, ait, *eſt ratio tranſmiſſionis creaturæ rationalis in vitam æternam.* Aliam Scot. *in 1. diſt. 40. q. 1. Prædeſtinatio*, inquit, *eſt electio creaturæ intellectualis, vel rationalis ad gratiam, & gloriam.* Aliam *P. Mol. 1. p. q. 23 d. 1. Prædeſtinatio*, ait, *eſt ratio ordinis, ſeu mediorum in Deo, quibus prævidet creaturam rationalem perducendam in vitam æternam cum propoſito eundem ordinem exequendi.* Omnes prædictæ definitiones ſatis explicant prædeſtinationis eſſentiam, quia tamen aliam communiter aſſignant Scholaſtici cum D. Auguſt. illam ſic apponimus.

Concluſio ſit: Prædeſtinatio definitur: *Præ-* 25.
ſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumq; liberantur. Ita *D. Aug. lib. de bono perſever. cap. 14.* eam recipiunt *D. Proſper. ad excerpta genuenſ. cap. 8. D. Fulgent. lib. 2. ad Monim. cap. 1. Magiſt. in 1. diſt. 40. Alexand. 1. p. q. 28. memb. 1. Albert. 1. p. quæſt. 63. memb. 1. & 2.* & Scholaſtici communiter, licet aliqui aliam ſic definitionem conficiant. *Prædeſtinatio eſt æterna, & divina ordinatio creaturæ rationalis in vitam æternam per media ſupernaturalia infallibiliter conſequendam.* Cùm tamen in definitione D. Auguſt. proximè tradita apponatur nomen, ſive particula illa *Præſcientia* loco generis, ſciendum opus eſt, in quonam præſcientia, & prædeſtinatio diſtinguantur; pro quo ſit:

Difficultas 2. Qualiter præſcientia à prædeſtina- 26.
tione diſtinguatur? Præſcientia, & prædeſtinatio diſtinguuntur in eo, quod illa latiùs pateat, quàm iſta, quatenùs præſcientia eſt ad bona, & ad mala; prædeſtinatio autem ſolùm reſpiciat bona. Probatur primò ex D. Aug. lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 10. *Prædeſtinatio*, ait, *ſine præſcientiâ non poteſt eſſe: poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia;*

Præde-

Prædestinatione quippè Deus ea præscit, quæ fuerat ipse facturus. Unde dictum est: Fecit, quæ futura sunt. Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata. Secundò, ex Concil Arausi. 2. can. 25. Valentinian. 3. cap. 3. Trid. sess. 6. can. 17. ubi damnantur asserentes, Deum aliquos prædestinare ad peccata; cùm tamen Deus peccata præsciverit; alioqui aliquid daretur cognoscibile à Deo non cognitum, & Cognitio divina non esset comprehensiva; ergo &c.

27. Probatur tertiò ratione, quia præscire absolutè solùm dicit notitiam, non autem approbationem, & causalitatem in cognoscente respectu objecti cogniti; sed prædestinatio, cùm sit scientia practica, & approbationis respectu termini prædestinati, dicit, & includit etiam approbationem, & causalitatem ejusdem in prædestinante; has autem non habet Deus circa peccata, quæ licet præsciat, non tamen approbat, neque causat; ergo &c.

28. Difficultas 3. Utrùm prædestinatio ponat aliquid intrinsecum formaliter existens in prædestinato? Negativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 23. a. 2. Alex. 1. p. q. 28. memb. 3. a. 2. Albert. 1. p. q. 63. memb. 1. D. Bonav. in 1. dist. 40. a. 1. q. 1. ad argum. Richard. ibid. a. 1 q. 1. & 2. P. Soar. lib. 1. de Prædest. cap. 2. num. 2. P. Arrub. 1. part. q. 23. a. 1. num. 1. P. Ruiz. d. 1. de prædest. sect. 5. num. 11. P. Præposit. 1. p. q. 23. a. 2.* Probatur 1. ex D. Aug. in præfat. ad psal. 150. *Prædestinatio*, inquit, *nostra non in nobis facta est, sed in occulto apud ipsum in ejus præsentia. Tria verò reliqua in nobis fiunt, vocatio, justificatio, & glorificatio. Vocamur prædicatione pœnitentiæ, &c.* Et simile habet *lib. 13. confess. cap. 34.* ergo &c.

29. Probatur secundò ratione, quia prædestinatio ut infra dicemus, est actus intellectus, & voluntatis divinæ; sed hujusmodi actus nihil intrinsecum formaliter ponunt in persona, circa quam versantur, tanquam circa objectum cognitum, & amatum; ut patet in intellectu, & voluntate creata; ergo &c. Dixi *intrinsecum*, nam extrinsecè ponit denominationem prædestinati; sicut enim objectū dicitur extrinsecè cognitum, & amatum à cognitione, & amore, sic etiam dicitur à prædestinatione extrinsecè prædestinatum.. Dixi etiam *formaliter*, nam effectivè ponit in prædestinato omnes effectus, quos in illo causat, nempè vocationem, & alia auxilia, illorumque finem, nempè gratiam, &c.

30. Objicies 1. Ex D. Aug. *de bono persever. cap. 14.* Prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei; sed præparatio est aliquid in præparato; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: est aliquid in præparato, si sit præparatio externa, & passiva; concedo minorem; sit sit interna, mentalis, & activa; nego minorem: hæc enim tota est in Deo præparante: illa autem, cùm sit executio præparationis internæ, tota est in præparato, non tamen est prædestinatio, sed illius executio. Patet in artifice priùs decernente opus faciendum; priùs enim dicitur præparans internè, & postea externè operatur.

31. Objicies 2. Prædestinatio ponit in prædestinato dignitatem prædestinati, per quam distinguitur à non prædestinato; sed hæc est ei aliquid intrinsecum; ergo &c. Resp. distinguendo minorem: est ei aliquid intrinsecum morale; concedo minorem: physicum; nego minorem: talis enim dignitas est quid morale, ut est dignitas prætoris in prætore à Rege illi data, & non physicum, de quo est quæstio.

32. Instabis: Dignitas baptizati, & Sacerdotis illos distinguens à non baptizato, & non Sacerdote, ponit in illis aliquid physicum intrinsecè; ergo etiā sic ponet dignitas prędestinati in ipso prędestinato. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia illi constituuntur tales per quasdam qualitates indelebiles, quas illa Sacramenta in eis producunt; qualitas autem est quid physicum: at verò prædestinatio nullam qualitatem producit in prædestinato, sicque solùm moraliter distinguitur à non prædestinato.

33. Urgebis: Prædestinatio est actus Dei efficax; sed hic distinguitur ab actu inefficaci ipsius Dei in eo, quod ille efficiat mutationem physicam in objecto, & non ita efficiat hic; ergo &c. Respondeo negando minorem: solùm enim efficit mutationem moralem, quam non efficit actus Dei inefficax, in quo satis distinguitur ab efficaci.

34. Inferes: Ergo sicut datur actus Dei efficax, qualis est prædestinatio sine mutatione physica in prædestinato, poterit etiam Deus sine mutatione physica in peccatore remittere peccatum mortale per solam condonationem extrinsecam. Respondeo hoc solùm implicare de potentia Dei ordinaria, non autem absoluta, quamvis id neget P. Vasp. dicens non posse tolli maculam relictam à peccato, neque dignitatem ad pœnam sine retractatione peccatoris, consequenterque sine illius mutatione physica: addit tamen posse à Deo remitti debitum pœnę per solam extrinsecam Dei condonationē sine ulla physica mutatione peccatoris; hoc autem admisso, jam datur actus Dei efficax, qualis est illa extrinseca condonatio, quin detur mutatio physica in objecto.

35. Objicies 3. Posito actu Dei libero, nempè prædestinatione, resultat in Deo denominatio realis de novo, nempè prædestinantis; sed talis denominatio non provenit ex aliquo in Deo de novo recepto, alioqui mutaretur Deus; ergo ex aliquo de novo recepto in objecto, per quod talc objectum physicè mutatur. Respondeo talem denominationem provenire quidem ab aliquo recepto in objecto non physicè, sed moraliter, sicque in illo sola datur mutatio moralis, quam ipse actus Dei liber dicit in obliquo, quin in Deo detur aliqua mutatio; cùm enim Deus à solis suis actibus liberis intrinsecis dicatur prædestinare, & hi sint ab æterno, ut infra dicemus, nulla exindè arguitur mutatio in Deo, neque physica, neque moralis.

36. Inferes 1. Ergo posset Deus per actum efficacem relaxare votum sine ulla mutatione physica voventis. Respondeo id nullum esse inconveniens; neque enim vovens efficit relaxationem, sed eam factam supponit à voluntate Dei, & potestate, à quâ illa tota dependet, sicque nulla in vovente datur mutatio physica.

37. Inferes 2. Ergo si tunc vovens ageret contra votum non peccaret; neque incurreret excommunicationem, aut reservationem, si fortè illas haberet annexas. Respondeo negando illationem quoad primam partem; peccaret enim, quatenùs ageret conscientiā erroneā, quæ à peccato non liberat; non tamen incurreret excommunicationem, aut reservationem, quia hæ solùm incurruntur realitate facti, non autem per conscientiam erroneam.

38. Urgebis: Ex tali relaxatione resultaret negatio realis illius obligationis; sed hæc videtur arguere mutationem physicam; ergo &c. Respondeo negando minorem: solùm enim est mutatio realis moraliter, & non physicè, qualis est ejus forma negata, nempè obligatio; siquidem talis est negatio

negatio, & talem arguit mutationem, qualis est ejus forma negata.

39 Difficultas 4. Utrùm prædestinatio sit aliquid intrinsecum existens formaliter in solo Deo? Affirmativè. Ita Doctores supra citati. Probatur primò, quia prædestinatio debet esse in aliquo formaliter intrinsecè; sed non ita est in prædestinato, ut diximus; ergo in Deo prædestinante. Secundò, quia prædestinatio est actus Intellectûs, & voluntatis divinæ; ergo debet esse in cognoscente, & volente per tales actus; sed hic est solus Deus; ergo in solo Deo existunt formaliter.

40. Dices: Prædestinatio, cùm sit actus liber in Deo, solùm addit respectum rationis, aut aliquid contingens; sed in Deo nihil datur contingens intrinsecum; alioqui mutaretur; ergo &c. Respondeo prædestinationem addere quidem in Deo aliquid contingens, non secundùm rectum, sed secundùm obliquum: cùm enim sit actus liber in Deo, ut infrà dicemus, hic in Deo dicit in recto ipsum actum necessarium, & in obliquo objectum contingens; ac proindè secundùm quod dicit in recto est aliquid divinum, & necessarium; & aliquid contingens, aut rationis secundùm quod dicit in obliquo.

41. Difficultas 5. Utrùm prædestinatio sit actus immanens in Deo; & ab æterno? Dico 1. Prædestinatio est actus immanens in Deo. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 2. n. 2. P. Ruiz 1. p. d. 1. de prædest. sect. 5. n. 11. P. Tanner. 1. p. q. 23. art. 1. dub. 1. n. 12. P. Præposit. 1. p. q. 23. art. 2. P. Herice 1. p. d. 22. cap. 1. n. 1. P. Arrub. 1. p. q. 23. art. 2. P. Arriaga 1. p. d. 33. num. 2.* Probatur primò, quia prædestinatio secum defert præscientiam, & electionem; sed hæ sumuntur in Deo per modum actus ultimi vitalis immanentis, cùm sint operationes potentiæ cognoscentis, & appetentis; ergo &c. Secundò, quia prædestinatio, ut infrà dicemus, est aliquid liberum in Deo; sed nihil est in Deo liberum, nisi quod ei convenit per modum actus immanentis; siquidem omnia alia Attributa ei necessariò conveniunt; ergo &c.

42. Dico 2. Prædestinatio est in Deo ab æterno. Ita Doctores proximè citati. Probatur primò ex Sacra Pagina 1. Cor 2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Et Joan. 17. *Clarifica me tu, Pater, apud temet ipsum claritate, quam habui priùs, quàm mundus esset apud te.* Et ad Ephes. 1. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti*: ex quibus satis constat & Christi Domini, & nostram prædestinationem esse à Deo ab æterno factam; ergo &c.

43. Probatur secundò ex Sanctis Patribus D. Chrysost. 1. Cor. 2. Hom. 7. *Hoc Paulus in præsentia ostendere annititur, quod scilicet semper nos dilexit à principio Deus, etiam non dum editos.* Et D. August. *lib. de prædest. & grat. cap. 5. Antequam faceret nos, præscivit nos, & in ipsa nos præscientia, cùm non dum fecisset, elegit.* Et *Epist. 57. ad Dardanum. Quomodo ergo Dei filios, nisi secundùm prædestinationem, secundùm quam & Apostolus dicit, quod nos elegerit Deus in Christo ante constitutionem mundi?* D. Fulgent. *lib. 1. ad Monim. cap. 12. In ipso ex æternitate dispositionis suæ in prædestinatione jam fecit, quæcunque effectu operis sui tempore congruo facienda disposuit.* Et D. Isidor. *lib. 1. sentent. cap. 18. Nobis igitur temporaliter accidunt, quæ conditori omnium sine tempore providentur.* Et D. Bern. *serm. 78. in Cant. Prædestinatio, non dico, ab exortu Ecclesiæ, sed nè à mundi principio quidem principium habuit; non denique à tempore illo, vel illo, ante tempora est. Sanè secundùm prædestinationem nunquam Ecclesia electorum penès Deum non fuit.* Idem habent Theodoret. Tertul. *lib. 5. in Marcion. cap. 6.* D. Paulin. *ad Alipium Epist. 35.* apud D. Aug. D. Ansel. *ad Rom. 8.* Concil. Valent. sub Leon. *4. cap. 3.* & alii.

Probatur tertiò ratione, quia prædestinatio, ut 44.
infrà dicemus, est actus Dei intelligentis, & volentis; sed quidquid Deus intelligit, vult, & amat, ab æterno amat, vult, & intelligit; alioqui, si in tempore, daretur in Deo mutatio, cùm aliquid de novo vellet, amaret, & intelligeret; ergo &c. Confirmatur, quia prædestinatio, ut diximus, est aliquid intrinsecum in Deo formaliter; sed nihil est in Deo intrinsecè, & formaliter, quod non sit ab æterno; alioqui Deus mutaretur; ergo &c.

Oppones 1. Non minùs dicitur de solo Deo 45.
creare, quàm prædestinare; sed creatio non dicitur de Deo ab æterno, cùm sit in tempore; ergo idem dicendum de prædestinatione; ergo &c. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est; Primò, quia creatio, cùm sit actio physica, requirit entitatem realem, & realiter existentem, in qua recipiatur, quæ entitas cùm ab æterno non existat, ideò creatio non est in Deo ab æterno: at verò prædestinatio, cùm sit entitas, & actus intentionalis, solam entitatem intentionalem, & objectivam requirit; cùm autem hanc entitatem objectivam habuerint prædestinati ab æterno in mente divina, ideò ab æterno datur de illis in Deo prædestinatio. Secundò, quia creatio, cùm non recipiatur in Deo, sed in termino creato, licet detur in tempote, nulla ex eo datur mutatio in Deo: at verò prædestinatio, cùm sit aliquid in Deo intrinsecum, si daretur in tempore, aliquid in tempore daretur in Deo formaliter intrinsecum, quod stare non potest cum illius Immutabilitate.

Oppones 2. Prædestinatio est actus Intellectûs 46.
divini cognoscentis; sed Deus aliquid cognoscit in tempore quod ab æterno non cognovit; siquidem cognoscit rem existentem ut sibi realiter præsentem, quæ cùm in tempore existat, in tempore illam ut sic cognoscit; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, licet res in tempore existat, adhuc Deum illam ab æterno cognoscere existentem pro illa differentia temporis, in quo extitura est, sine ulla mutatione intrinseca in Cognitione divina, licet detur ex parte objecti cogniti, ratione cujus datur in Deo quædam denominatio extrinseca cognoscentis.

Instabis: Si Deus in tempore prædestinaret, 47.
daretur mutatio, non solùm in prædestinato, sed etiam in Deo prædestinante; ergo etiam quando Deus in tempore cognoscit rem existentem ut sibi realiter præsentem, non solùm dabitur mutatio ex parte objecti cogniti, sed etiam Dei cognoscentis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia cùm prædestinatio sit actus Deo intrinsecus, & in eo immanens formaliter, ut diximus, si daretur in tempore, Deus in tempore aliquid intrinsecum de novo reciperet, & sic intrinsecè mutaretur, quod implicat: at verò cùm Cognitio divina sit ad omne cognoscibile, quoties datur aliquid de novo cognoscendum, potest ad illud extendi sine ulla mutatione intrinseca, & cum sola mutatione ex parte objecti.

Urgebis: Prædestinatio completur per obli- 48.
quum; sed hoc est quid creatum; nihil autem creatum datur ab æterno; ergo neque ab æterno

datur in Deo prædestinatio. Respondeo tale obliquum, licet sit quid creatum, esse quid creatum intentionale, & objectivum in Mente Divina; non autem implicat aliquid intentionale, & objectivum ab æterno, licet sic implicet aliquid physicum.

49 Oppones 3. Prædestinatio non solùm est præscientia, sed etiam præparatio beneficiorum Dei; ergo licet prout est præscientia sit ab æterno, saltem prout est præparatio, erit temporalis, utpotè quæ versatur circa rem existentem eam disponendo ad finem. Respondeo præparationem, ut supra diximus, duplicem esse, internam aliam existentem in actibus intellectûs, & voluntatis artificis v. g. & aliam externam, ut quando artifex dolat ligna ad effigiem efformandam, & hæc ab illa proficiscitur ut à causa: Prædestinatio autem non est præparatio externa, quæ est effectus, & in tempore; sed interna, quæ est ab æterno; licet enim versetur circa media, quibus subjectum dirigitur in finem, non ita versatur circa illud ut actu existens, sed ut futurum ex æternitate.

50. Oppones 4. Prædestinatio, ut supra diximus, est pars providentiæ; sed hæc non est ab æterno; siquidem supponit existentem rem, cui providetur; nulla autem res existit ab æterno; ergo prædestinatio, saltem quâ parte spectat ad providentiam non erit ab æterno, Respondeo negando minorem, & ejus probationem prout diximus *d. 1. à num. 83.* Accedit, quod providentia, licet versetur circa media, quibus dirigit subjectum ad finem, illud tamen supponit ab æternitate futurum.

SECTIO III.

Vtrùm Prædestinatio sit libera; & in quo formaliter consistat?

51. Difficultas 1. Utrùm Prædestinatio in Deo sit libera; an necessaria? Dico 1. Prædestinatio simpliciter, & absolutè est Deo libera. Est de Fide. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 3. n. 3. P. Ruiz d. 1. de prædest. sect. 4. num. 6.* & alii. Probatur primò ex illo Joan. 3. *Spiritus ubi vult spirat..... sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.* Et Joan. 5. *Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat; ita & Filius quos vult, vivificat.* Et Matt. 20. *An non licet mihi, quod volo facere?* Et Matt. 11. *Cui voluerit Filius revelare.* Et Marc. 3. *Vocavit ad se, quos voluit ipse.* Et ad Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti.* Et ad Rom. 9. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Et Jacob. 4. *Unus est Legislator, & Judex, qui potest perdere, & liberare*; sicque in aliis locis, quibus nominatur *electio*, *propositum*, aut *consilium* circa dilectos, his enim nominibus significatur indifferentia libertatis divinæ ad eos prædestinandos.

52. Probatur secundò rationibus: prima, quia prædestinatio est de objecto contingenti, cùm sit de creatione, & ordinatione creaturarum rationalium in vitam æternam per media infallibilia consequendam, ad quod nihil datur Deum necessitans; sed quod ita in Deo est, liberum est; ergo &c. Secunda, quia prædestinatio est gratia; sed gratia excludit omnem necessitatem; alioqui esset & non esset gratia; ergo &c. Tertia, quia Deus potuit nullum prædestinare; aut plures prædestinare, quos non prædestinavit; aut plures non prædestinare, quos prædestinavit; sed id stare non potest sine libertate in prædestinante, & contingentiâ in prædestinatione; ergo &c. Quarta, quia Providentia Dei est libera; ergo multò magis prædestinatio.

Oppones: Prædestinatio, ut diximus, est æterna in Deo; sed quod est æternum, est immutabile; 53. ergo est necessarium; consequenterque prædestinatio est in Deo necessaria, & non libera. Respondeo ex eo, quod prædestinatio sit æterna, non sequi esse absolutè, & simpliciter necessariam; nam ab æterno sunt in Deo Scientia, & Amor futurorum, & existentium; & tamen non sunt quid in Deo necessarium, sed liberum, & contingens, cùm ita sint in Deo, ut possent non esse, si Deus se liberè non determinasset ad productionem creaturarum; sicque similiter de prædestinatione.

Hinc colliges primò, licet certissimum sit esse 54. in Deo prædestinationem, incertum tamen nobis esse, hunc, aut illum esse prædestinatum; tùm quia ita definitum est à Trid. *sess. 6. cap. 12. & can. 15. & 16.* tùm etiam, quia cùm prædestinatio pendeat ex libera Dei voluntate, nullus, exceptâ revelatione, potest certò scire hanc determinationem Voluntatis divinæ; hæc autem revelatio regulariter non fit, ne aut prædestinati negligentes fiant, aut reprobi desperent. Secundò, licet certò id scire non possimus, posse tamen probabiliter, & per conjecturas aliqualem de eo habere cognitionem, nempè per varia prædestinationis signa, de quibus infra.

Dico 2. Prædestinatio potest dici necessaria ex 55. suppositione, quod aliqui consecuturi sunt Beatitudinem. Ita *P. Soar. proximè num. 6.* Probatur, quia in facta suppositione, cùm Beatitudo sit quid supernaturale consequendum, non potest ita acquiri sine præscientia mediorum ad illam, & sine ordine, & præparatione talium mediorum; ergo necesse est, quod præcedat prædestinatio ita ordinans, & media præparans. Confirmatur, quia nulla res potest assequi suum finem, nisi per divinam Providentiam; sed prædestinatio nihil aliud est, quàm divina Providentia ad finem supernaturalem consequendum, qualis est Beatitudo; ergo ut hæc acquiratur necessaria est, (saltem necessitate secundùm quid) prædestinatio.

Dico 3. Prædestinatio fuit etiam in Deo necessa- 56. ria necessitate congruentiæ. Ita *P. Soar. cit. num. 7. P. Ruiz. cit. num. 8.* & alii. Probatur primò, quia congruum fuit Bonitati divinæ, quatenùs est bonum diffusivum sui, quod Deus crearet homines, illosque ordinaret ad finem supernaturalem; ergo etiam congruum fuit, quod aliquos prædestinaret ad talem finem, nempè ad gloriam postea in re consequendam. Secundò, quia aliter viderentur frustra creari, aut ad malum destinati; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Tertiò, quia aliter videretur Deus impotens ad eos salvandos; & velle amittere posse ab eis postea in Beatitudine perfectè glorificari; sed hæc non sunt dicenda; ergo necessitate congruentiæ debuit Deus aliquos prædestinare.

Objicies 1. Nullum est inconveniens, quod den- 57. tur plures Angelorum species, quarum nullus Angelus salvetur; ergo nullum erit inconveniens, quod detur species hominum, quin ex illa aliquis homo salvetur. Respondeo primò, antecedens solùm esse verum in opinione D. Thomæ dicentis, omnes Angelos esse specie diversos, & prout sic idem est nō prædestinare aliquem Angelum, atque

non

non prædestinare totam speciem: sicut tamen tunc potuit esse conveniens prædestinare non omnes, sed aliquas Angelorum species: ita potuit esse conveniens prædestinare non omnia, sed aliqua hominum individua, ex quo præsens doctrina confirmatur, ut consideranti patebit.

58. Respondeo secundò juxta aliam opinionem, quam tenuimus in Philosophia, dicentem, quamlibet Angelorum speciem habere plura individua, sicut fuit conveniens ex hominum specie aliqua illius individua prædestinare; ita etiam fuisse conveniens ex qualibet Angelorum specie prædestinare similiter aliqua individua, in quo Deus magis ostenderet suam Bonitatem, Sapientiam, & Potentiam.

59. Objicies 2. Si congruum esset Bonitati divinæ, quia diffusiva sui, aliquos homines, & Angelos salvari, cùm esset major Dei Bonitas, salvari omnes, etiam esset magis congruum omnes prædestinari; sed hoc non ita est; ergo neque illud. Respondeo negando majorem quoad ultimam partem; licet enim in eo magis videretur diffundi Bonitatem divinam in creaturas; congruum tamen erat, quod aliquæ reprobarentur: tùm ut exerceretur Justitia divina: tùm ut magis ostenderetur Misericordia erga electos: tùm etiam ob alios superiores fines, quos Deus scit.

60. Objicies 3. Nullum fuit inconveniens, quod in statu innocentiæ nullus homo prædestinaretur ad illum firmiter obtinendum; neque ad Beatitudinem ex illo consequendam; ergo etiam tale non erit, quod nullus homo in statu naturæ lapsæ prædestinetur ad gloriam ex illo consequendam. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia in illo statu species erat in duobus tantùm individuis, & erat via brevissima, & facillima ad gloriam consequendam: at verò in statu naturæ lapsæ aliter se res habebat. Secundò, quia post illum primum statum, adhuc restabat alia via asperior, & fortasse utilior, in qua possent homines consequi beatitudinem, sicque conveniens fuit aliquos prædestinare, & ordinare ad illam consequendam.

61. Difficultas 2. In quonam formaliter consistat prædestinatio? Variæ sunt in hac re sententiæ, prout supra diximus de Providentia *d. 1. sect. 2. à num. 22.* Alii enim dicunt prædestinationem consistere formaliter in actu Intellectus divini connotante actum voluntatis. Ita tenent *D. Thom. 1. part. quæst. 23. art. 1. & 2. & 3. & de Verit. q. 6. art. 1. Caiet. Alens. 1. p. q. 28. memb. 1. art. 2. Richard. in 1. dist. 40. art. 1. q. 1. Durand. in 1. dist. 41. q. 1. n. 9. Capreol. dist. 40. q. 1. art. 1. & 2. P. Valent. hic. punct. 2. P. Tanner. 1. p. d. 3. de prædest. q. 2. dub. 2. n. 14.* & alii. Alii tamen asserunt, prædestinationem formaliter consistere in actu voluntatis. Ita affirmant *D. Bonav. in 1. dist. 40. art. 1. q. 2. Scot. q. 1. Arimineus. q. 3. art. 1. Aureol. dist. 40. quæst. 1. art. 1.* & alii, quos citat, & sequitur *P. Vasq. 1. part. d. 87. cap. 3.* favetque *P. Soar.* infrà citandus.

62. Nihilominùs tertia sententia nobis tenenda asserit, prædestinationem consistere formaliter in utroque actu, & Intellectûs, & voluntatis. Ita ut probabilem tenet *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 17. num. 12.* tenent expressè *P. Mol. P. Becan. P. Henice 1. p. d. 22. tract. 3. cap. 6. n. 50 P. Arrub. 1. p. q. 22. art. 1. d. 63. cap. 3. P. Arriaga 1. p. d. 33. sect. 2. n. 8. P. Compton. tom. 1. d. 39. sect. 2. n. 1.* & Recentiores communiter. Probatur primò ex illo ad Rom. 11. 2. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit:* id est prædestinavit, ut ait D. Augustinus Ep. Actor. 2. loquente de Christo Domino: *Hunc definito consilio, & præscientia tradetur.* Et ad Ephes. 1. *Elegit nos,* &c. Et infrà: *Qui prædestinavit nos secundùm propositum voluntatis suæ;* sed præscientia, & consilium spectant ad Intellectum; electio autem, & propositum ad voluntatem; ergo &c.

63. Probatur secundò, quia prædestinatio, ut constat ex illius definitione supra apposita, est ordinatio, præparatio, & executio mediorum ad finem; sed ordinatio est actus Intellectûs; præparatio autem, & executio sunt actus voluntatis; ergo &c. Tertiò, quia prædestinatio dicit formaliter adæquatè rationem ordinantem per media ad finem, & actùm efficaciter applicantem talia media; sed illud pertinet ad Intellectum, cujus est proprium ordinare; hoc autem ad voluntatem, cujus est proprium applicare, eligere, & exequi; ergo &c. Quartò, quia prædestinatio est providentia efficax perfectissima in ordine ad gratiam, & gloriam consequendam; sed hæc dari nequit, quin simul formaliter, & intrinsecè includat consilium, & prudentiam, ut decretum sit prudens, & voluntatem applicantem, ut sit efficax; ergo &c.

64. Argues 1. Prædestinatio expressiùs, & principaliùs dicit actum voluntatis, quàm Intellectûs; siquidem sine illo non statim sequitur infallibiliter consecutio gloriæ; potest enim Deus scire media, & illa non applicare, eoque dato, non acquiritur gloria, nec dabitur prædestinatio, ut fit in reprobis; ergo in solo actu voluntatis consistit formaliter prædestinatio. Respondeo negando consequentiam; licet enim prædestinatio expressiùs, & principaliùs dicat actum voluntatis, non ideò sequitur in illo tantùm consistere; sic enim homo expressiùs, & principaliùs dicit rationale, quàm animal; & tamen utrumque est de essentia hominis.

65. Argues 2. Prædestinatio est nomen simplex; sed hoc imponitur ad simplices res significandas, quales non sunt actus intellectûs, & voluntatis divinæ simul sumpti; ergo prædestinatio non dicit, neque includit utrumque actum simul. Respondeo prædestinationem esse nomen simplex in voce, non autem in significatione, de quo tantùm dicitur imponi ad significandas res simplices, non ita verò de nomine, quod solùm est simplex in voce, ut est nomen *Prædestinatio*, significat enim complexè, quatenùs significat duos illos actus, licet per modum unius, ratione unius finis, quem intendunt. Patet in his nominibus *Providentia, Beatitudo*, & *Signum*, quæ licet sint simplicia in voce, significant tamen duplicem actum, & respectum.

66. Argues 3. Illa est ratio formalis constitutiva alicujus rei, qua positâ, aut sublatâ, ponitur, aut tollitur talis res; sed positâ, aut sublatâ hac numero voluntate divinâ de glorificatione Sanctorum, & alio quocumque sublato, nempè actu Intellectûs, ponitur, aut tollitur prædestinatio; ergo hæc solo actu voluntatis formaliter constituitur. Respondeo distinguendo majorem: ponitur, aut tollitur talis res, vel adæquatè, vel inadæquatè; concedo majorem: semper adæquatè; nego majorem: positâ, autem, aut sublatâ tali voluntate, ponitur, aut tollitur prædestinatio inadæquatè, quia solùm inadæquatè constituitur tali actu; adæquatè enim utroque & Intellectûs, & Voluntatis; nam cùm sit perfectissima, talis non esset sine actu Intellectûs cognoscente media efficacia ad finem consequendum, alioqui imprudenter, sine consilio,

& cœco modo operaretur; & cùm sit efficax, talis non esset sine actu voluntatis applicante, & exequente.

67. Instabis: Sublato actu voluntatis, tollitur adæquatè prædestinatio; ergo hæc adæquatè constituitur solo actu voluntatis. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam: solùm enim probat argumentum, actum voluntatis esse etiam de essentia prædestinationis, quatenùs sublato, tollitur prædestinatio, cùm nulla res possit sine eo, quod est sibi essentiale, persistere: non autem probat esse illius essentiam adæquatam, licet illo sublato, adæquatè tollatur prædestinatio; siquidem minùs requiritur ad destructionem adæquatam, quàm ad adæquatam rei constitutionem: nam destructa sola unione compositi, destruitur compositum adæquatè, cùm jam non detur compositum; positâ autem solâ unione, non datur compositum adæquatè.

68. Argues 4. Electi per prædestinationem distinguntur à reprobis; sed distinguuntur per solam voluntatem Dei efficacem; siquidem Deus æquè habet ad electos, & ad reprobos Scientiam mediorum efficacium; ergo prædestinatio in solo actu voluntatis consistit. Respondeo argumentum ad plurimum probare, voluntatem applicantem efficaciter media esse quasi rationem differentialem, ut est rationale respectu hominis; non tamen esse adæquatam essentiam prædestinationis, ad quam etiam requiritur actus Intellectûs, sicut ad essentiam adæquatam hominis præter rationale requiritur etiam animal, quod hominem essentialiter etiam constituit.

69. Argues 5. Prædestinatio dicit formaliter præordinationem efficacem ad Beatitudinem; sed talis præordinatio efficax est solus actus voluntatis; ergo in solo actu voluntatis consistit formaliter prædestinatio. Respondeo negando minorē: talis enim præordinatio efficax, aut sumitur directivè præscribendo ordinem, & est actus Intellectûs; aut executivè ipsum ordinem præscriptum exequendo, & est actus voluntatis; uterque autem prædestinatio formaliter.

70. Argues 6. Reprobatio formaliter solùm dicit actum voluntatis; cùm sit exclusio à regno, & destinatio ad pœnam propter prævisa demerita; ergo etiam prædestinatio formaliter solùm dicet actum voluntatis. Respondeo negando antecedens: reprobatio enim præter actum voluntatis permittentis peccatum, & damnantis peccatorem, includit etiam actum Intellectûs proponentem media, & dictantem peccatorem damnandum; alioqui cœco modo operaretur Deus, quod non est dicendum.

71. Instabis: Tale judicium dictans peccatorem esse damnandum implicat in Deo, cùm sit contra eius Bonitatem dicentem, nolle mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat; ergo &c. Respondeo negando antecedens, & ejus probationem: neque enim id est contra Bonitatem divinam; siquidem Deus non vult mortem peccati, sed permittit, & postea præbet supplicium, quod non est mors, sed mortis, id est peccati pœna.

72. Argues 7. Prædestinatio, ut diximus, est formaliter libera; sed solus actus voluntatis est formaliter liber; ergo in solo actu voluntatis consistit prædestinatio formaliter. Respondeo prædestinationem esse quidem formaliter liberam, sumptam tamen inadæquatè pro actu voluntatis, in quo sensu supra locuti sumus; non autem si sumatur adæquatè etiam pro actu Intellectûs; licet etiam prout sic possit dici libera, non formaliter, sed aut radicaliter, aut quatenùs à voluntate approbatur, & acceptatur.

Argues 8. Prædestinatio idem est, atque liber vitæ; sed hic est ipsa præscientia Dei de electis; præscientia autem est actus Intellectûs; ergo in solo 73. actu Intellectûs consistit formaliter prædestinatio. Respondeo majorem esse veram de prædestinatione inadæquatè sumpta pro solo actu Intellectûs: non sumptâ adæquatè; sic enim includit etiam actum voluntatis; cùm sit præordinatio efficax salvandorum per media efficacia ad vitam æternam; hæc autem formaliter includit, & actum Intellectûs præordinantem, & actum voluntatis exequentem: at verò liber vitæ est sola præscientia Dei habita de salvandis, ideoque in solo actu Intellectûs salvatur. Hinc etiam prædestinatio distinguitur à prudentia, cùm hæc sit actus Intellectûs non exprimens solicitudinem circa agenda, quam exprimunt prædestinatio, & providentia, ideoque utrumque actum, & Intellectûs, & voluntatis includunt formaliter.

Argues 9. Prædestinati tenemur Deo gratias 74. agere pro prædestinatione; sed non tenemur gratias agere pro actu Intellectûs, sive scientiâ mediorum ad finem, cùm hæc sit etiam reprobis communis, sed pro solo actu voluntatis, quo liberè nos elegit efficaciter ad gloriam consequendam; ergo in solo actu voluntatis consistit formaliter prædestinatio. Respondeo distinguendo majorem: tenemur Deo gratias agere pro prædestinatione inadæquatâ; concedo majorem: adæquatâ; nego majorem: cùm enim solus actus voluntatis sit formaliter liber, pro solo illo tenemur Deo gratias agere, cùm liberè nos elegerit, & potuerit non eligere: non autem pro actu Intellectûs, sive scientiâ, cùm hæc sit etiam reprobis communis. Accedit, quod si etiam pro hujusmodi scientia tenemur Deo gratias agere, non est prout absolutè sumitur; sic enim est communis etiam reprobis, sed prout conservatur ab electione, & cum illa conjungitur, ac redditur efficax; sic enim solis convenit prædestinatis.

SECTIO IV.

Qualisnam sit actus, quo ex parte Intellectûs constituitur prædestinatio formaliter?

DIco 1. Prædestinatio ex parte Intellectûs cōstituitur formaliter per quoddam judicium practicum absolutum dictans convenire eligere hunc ad talem gloriam per talia media consequendam. Ita *P. Tanner. 1. p. d. 3. de prædest. q. 2. dub. 2. num. 10. P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 16. num. 17.* & alii supra cit. *d. 1. num. 41.* Probatur primò ex illo ad Ephes. 1. 11. *Prædestinati secundùm propositum ejus, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus.* Ubi ad explicandam prædestinationem ex parte Intellectus utitur nomine *Consilium*, non autem nomine imperii. Secundò, quia prædestinatio, prout est actus Intellectus divini, est actus efficax efficaciter perducens hominem ad Beatitudinem; sed hujusmodi actus involvit rationem judicij practici de effectu secuturo; ergo &c.

Dico 2.

76. Dico 2. Hoc judicium, licet sit formaliter simplex, est tamen virtute multiplex. Probatur, quia actus intellectûs debet inservire voluntati prædestinanti eam dirigendo; sed hæc, cùm sit perfecta transmissio interna, respicit simul intrinsecè, & finem, & media; ergo hoc judicium debet eam dirigere & ad finem, quatenùs intentio, & ad media, quatenùs electio; ac proindè tale judicium, prout inservit intentioni finis, & electioni mediorum, est multiplex virtute, licet sit formaliter simplex.

77. Oppones: Hoc judicium solùm est practicum respectu convenientiæ mediorum eligendorum, non autem respectu convenientiæ electionis eorum; ergo &c. Respondeo negando antecedens: Voluntas enim ex vi illius, non solùm amat media, sed etiam ea eligit; nam cùm tale judicium sit divinum, ideòque perfectissimum, debet practicare media & in ordine ad amorem, & in ordine ad electionem; sicque non solùm inservit amori mediorum, sed etiam eorum electioni.

78. Dico 3. Hoc judicium non est per modum artis, sed prudentiæ in Deo. Probatur primò, quia tale judicium, cùm sit divinum, debet esse perfectissimum; sed non ita esset, si foret per modum artis; siquidem judicium per modum artis ex Aristotele versatur practicè circa objectum cõmune; confusè verò, & indeterminatè circa singularia; tale autem judicium est imperfectissimũ; ergo tale non est in Deo illud judicium, sed per modum prudentiæ, utpotè quæ practicè versatur circa singularia hìc, & nunc determinatè facienda. Secundò, quia decretum divinum de salute electorum fuit determinatum, & definitum circa omnes personas in particulari, & non confusum, & indeterminatum; sed non esset ita determinatum, si non præcederet actus intellectûs sic determinatè proponens, qualis est actus prudentiæ, & non artis; ergo &c.

79. Objicies 1. Hoc judicium datum fuit ante prævisa merita in esse absoluto; ergo non potest dictare, convenire potiùs hunc, quàm illum in particulari eligere, cùm nihil determinatè, sed confusè repræsentet ex parte objecti. Respondeo, licet intellectus nihil proponat in particulari ex parte objecti, ex quo Voluntas divina moveatur ad hunc potiùs, quàm illum eligendum; aliquam tamen rationem in particulari proponere ex parte ipsius Dei, sine quâ non operatur, neque moveri potest, cùm sit cœca, quin ab intellectu proponatur; sicq; hæc ab intellectu proponitur, ut operetur, & hunc potiùs, quàm illum determinatè eligat.

80. Objicies 2. Voluntas divina potest, cùm sit libera, se ipsam determinare ad eligendum potiùs hunc, quàm illum; ergo non eget illo judicio proponente. Respondeo negando antecedens: aut enim se determinaret, nullo judicio præcedente, & hoc non; nihil enim volitum, quin præcognitum: aut præcedente judicio confusè, & indeterminatè proponente, & hoc etiam non, nam cùm voluntas sit cœca, solùmque tendat in id, quod proponitur, & eo modo, quo proponitur, solùm confusè, & indeterminatè eligeret hunc, aut illum, quod est imperfectio: aut præcedente judicio determinatè, & in particulari proponente, & hoc dicimus esse judicium illud per modum prudentiæ.

81. Dico 4. Hoc judicium pertinet ad Scientiam simplicis intelligentiæ. Probatur, quia cùm sit actus scientiæ, sive præscientiæ Dei, debet ad aliquam illius scientiam spectare; sed non spectat ad scientiam visionis; hæc enim solùm tendit in rem existentem, aut aliquo modo futurã; & non ita tendit illud judicium, sed ad rem ante decretum efficax; cùm ad illud dirigat voluntatem, & ante decretum efficax nihil est futurum: non ad scientiam mediam: tum quia dirigit voluntatem ad operandum & non ita dirigit scientia media: tum etiam quia scientia media non proponit convenientiam intentionis, & electionis, sed tantùm ostendit, quid sit futurum, si res in tali, aut tali circumstantia, vel occasione ponatur; ergo pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, cùm non detur altera.

82. Oppones 1. Prædestinatio est ordinatio in vitam æternã per media efficacia, ut efficacia; sed hoc videtur proprium scientiæ mediæ; siquidem per hanc tantùm cognoscuntur media efficacia, ut efficacia; ergo &c. Respondeo ex argumento solùm probari, prædestinationem secum deferre Scientiam Mediam, ut infra dicemus, non tamen illam includere essentialiter; sic enim essentialiter solùm includit illam scientiam, quæ dirigit, & ordinat voluntatem ad eligenda ipsa media efficacia, quod efficit sola Scientia Simplicis Intelligentiæ, & non Scientia Media, quæ solùm proponit media illa, quæ erunt efficacia in tali, aut tali occasione.

83. Oppones 2. Prædestinatio est quasi species Providentiæ, ut supra diximus; sed hæc includit essentialiter Scientiam Mediam, quâ providentur media accommodata ad finem assequendum; ergo etiam sic illam includet prædestinatio. Respondeo negando minorem: Providentia enim solùm includit essentialiter judicium practicum absolutum dictans, intendendum esse finem per media accommodata, ut supra diximus, licet tam providentia, quàm prædestinatio requirant Scientiam Mediam.

84. Oppones 3. Prædestinatio distinguit electos à reprobis; sed non ita illos distinguit Scientia Simplicis Intelligentiæ; cùm hæc sit communis etiam reprobis; ergo Prædestinatio non constituitur essentialiter per actum simplicis intelligentiæ. Respondeo negando minorem: licet enim non ita illos distinguat Scientia simplicis intelligentiæ absolutè sumptæ; maximè prout conjungitur cum decreto efficaci in electis; sic enim est diversa à se, prout conjungitur cum decreto inefficaci in reprobis; sicut materia prima prout conjungitur cum forma hominis, est diversa à se, prout conjungitur cum forma equi in equo.

85. Instabis: Prædestinatio, & reprobatio solùm distinguuntur per decreta efficacia, & inefficacia; non autem per Scientiam simplicis intelligentiæ; ergo idem dicendum de prædestinatis & reprobis. Respondeo negando antecedens: nam etiam distinguuntur per Scientiam simplicis intelligentiæ: hæc enim quatenùs connotat decretum efficax, dicitur etiã efficax extrinsecè; & quatenùs connotat decretum inefficax, dicitur extrinsecè inefficax; & prout sic distinguuntur saltem logicè, etiam per hanc scientiam.

86. Oppones 4. Prædestinatio est de re futura; sed sola Scientia Visionis est de objecto futuro; nam Scientia simplicis intelligentiæ solùm attingit possibilia; ergo judicium constituens prædestinationẽ, non ad hanc, sed ad illam scientiam spectat. Respondeo negando majorem; neque enim prædestinatio est de re futura, nisi ad plurimùm remotè, quatenùs illud judicium dirigit voluntatem ad eliciendum decretum, per quod, cùm sit efficax, res fit proximè futura; ac proindè non est judicium de re jam futura, sed de re, quæ erit infallibiliter futura.

87. Dico 5. Judicium hoc constituens prædestinationem ex parte intellectûs, non est per modum

imperii dicentis *Fac hoc*, sed per modum proponentis, & practicantis convenientiam objecti. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 16. P. Mol. 1. p. q. 23. a. 2. d. 2. P. Vasq. 1. p. d. 81. num. 9. & d. 87. num. 13. P. Compton. tom. 1. d. 39. sect. 2. num. 5.* & alii supra citati *d. 1. num. 41.* ante probationem tamen: Advertes hujusmodi actum per modum imperii tripliciter explicari posse: Primò, ita ut talis actus non sit aliquod judicium, nec cognitio intellectûs, sed insinuatio quædam, seu intimatio facta, aut voluntati, aut potentiæ executivæ de eligendis, aut exequendis mediis, quibus electi infallibiliter assequantur finem. Secundò, ita ut sit judicium aliquod intellectûs, antecedens tamen electionem mediorum, quo unum, aut plura media determinata statuuntur, quibus homo possit in Beatitudinem perduci, & ita voluntati intimantur, ut ad hæc, & non alia eligenda prædeterminetur. Tertiò, ita ut sit judicium, seu quicumque alius actus intellectûs, subsequens tamen non solùm dilectionem, & electionem ad gloriam, sed etiam electionem mediorum, quorum executionem, mediante alio actu voluntatis, qui dicitur usus, potentiæ executivæ imperat. Hoc posito.

88. Probatur hujusmodi judicium non esse per modum imperii in primo sensu: Primò, quia nullus possibilis est actus potentiæ cognoscitivæ, qualis est Intellectus divinus, qui non sit cognitio; sicut nullus est possibilis actus potentiæ volitivæ, appetitivæ, & visivæ, qui non sit volitio, appetitio, & visio. Secundò, quia nulla datur necessitas, aut ratio admittendi hujusmodi actum; ergo &c.

89. Probatur, non esse per modum imperii in secundo sensu; quia aut ille actus imperii prædeterminans voluntatem ad electionem est liberè voluntarius; aut non: Non primum: tum quia jam non potest dici, antecedere electionem, cùm ex libera potiùs electione procedat; siquidem non potest dici voluntarius, nisi per actum, quo voluntas voluerit sibi ab intellectu efficaciter intimari unum, aut plura media certa & determinata; hæc autem voluntas, aut est, aut supponit electionem mediorum: tum etiam, quia si est voluntarius voluntate antecedente, tunc ad illum prærequiretur alius actus imperii, & ad hunc alius, sicque in infinitum: Si secundum; ergo tollitur libertas electionis subsequentis, ad quam voluntas antecedenter, & intrinsecè prædeterminatur; ergo &c.

90. Probatur, non esse per modum imperii in tertio sensu; quia prædestinatio, ut diximus, consistit in ordinatione efficaci ad finem per certa media in re consequendum; sed hujusmodi actus imperii prout sic subsequitur hanc ordinationem efficacem, & efficacem electionem mediorum; ergo subsequitur prædestinationem; consequenterque hæc ex parte intellectus non constituitur per talem actum, qui sit per modum imperii. Confirmatur conclusio ex supra dictis de Providentia *d. 1. num. 41.*

91. Dices: Prædestinatio est pars prudentiæ; sed hæc ex Aristotele est præceptiva; præcipere autem idem est, atque imperare; ergo &c. Respondeo non omnem prudentiam esse præceptivam, nisi sit humana, de qua locutus est Philosophus, non autem de divina. Accedit etiam dato, quod aliqua pars Prudentiæ divinæ sit præceptiva, esse minùs propriè, quatenùs elicit aliquod judicium practicum, in quo sensu etiam Prædestinatio potest dici præceptiva, imò & imperium, sed impropriè.

SECTIO V.

Qualisnam sit actus constituens Prædestinationem ex parte voluntatis formaliter?

92. CONCLUSIO sit: Actus constituens formaliter prædestinationem ex parte voluntatis componitur ex intentione finis, & electione mediorum. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 17. num. 15. & cap. 5. num. 15. P. Ruiz d. 4. de prædest. sect. 2. & 3.* & alii. Probatur primò ex illo ad Rom. 8. ibi. *Quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Ubi Apostolus prædestinationem priùs positam, postea explicat simul per electionem mediorum, & intentionem finis. Et ad Rom. 9. *Ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam:* Præparavit autem per electionem mediorum ex intentione finis. Et Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus & gratiam pro gratia*: ubi de gratia agitur ut de medio, & ut de fine intento, nempè de gloria juxta illud ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*; ergo &c.

93. Probatur secundò ratione, quia prædestinatio, ut patet ex supra dictis, est perfectissima transmissio; sed hæc non respicit tantùm ultimum terminum, neque solam viam, sed & terminum per viam, & viam in ordine ad terminum; ergo &c. Confirmatur primò, quia prædestinatio ad gratiam est propter gloriam, & ad gloriam propter gratiam; sed ex Philosopho quando unum est propter aliud, unum tantùm ibi datur; ergo prædestinatio adæquatè est una complectens utrumque terminum, & gloriam, & gratiam, unam proximè, & aliam remotè, eo modo, quo unus motus respicit non solùm ultimum terminum, sed etiam intermedios. Secundò, quia prædestinatio, ut constat ex ejus definitione supra positâ, est ordinatio in vitam æternam per media convenientia; sed hujusmodi ordinatio includit simul electionem mediorum, & intentionem finis; ergo &c. Tertiò, quia non consistit in sola intentione finis, non in sola electione mediorum; ergo in utraque simul. Quartò, quia sicut reprobatio se habet ad pœnam, ita proportione habitâ, se habet prædestinatio ad gloriam; sed reprobatio est ad pœnam propter demerita; ergo prædestinatio est ad gloriam propter merita, sive per merita; consequenterque includit, & electionem mediorum, & intentionem finis.

94. Argues 1. pro solâ intentione efficaci dandi gloriam: Sacra Scriptura, & Sancti Patres pluribus in locis solius vitæ, & gloriæ faciunt mentionem, ut patet ex illo Actor. 13. *Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam.* Et D. August. lib. de corrept. & grat. cap. 7. *Illos elegit ad obtinendum regnum suum*: & sæpè alibi. Idem habent D. Fulgent. lib. 1. ad Monim. cap. 13. D. Prosper. Origen. D. Greg. ilb. 1. Dialog. cap. 8. & alii; ergo prædestinatio in sola intentione efficaci dandi gloriam consistit formaliter. Respondeo Sacram Scripturam, & Sanctos Patres ibi solùm loqui de prædestinatione inadæquatâ, principaliori, & principaliùs intentâ ex parte voluntatis, qualis est gloria, quæ propter se, electio autem mediorum propter illam intenditur. Accedit, quod qui unam

assignat

assignat, aliam non excludit, præsertim quando de illa aliis in locis sit mentio.

95. Argues 2. Per illud res formaliter constituitur, quo posito, intelligitur talis res; sed posità solâ intentione efficaci dandi gloriam, intelligitur prædestinatio ordinaria ex parte voluntatis; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: intelligitur prædestinatio inadæquata; concedo minorem: adæquata; nego minorem: licet enim in illâ intentione contineatur virtute, & in radice tota prædestinatio, adhuc tamen debet contineri formaliter; hoc autem fit, quando media sunt approbata, & determinata per voluntatem formalem, quæ dicitur eorum electio, cùm prædestinatio non sit tantùm ordinatio ad vitam, sed ad vitam per media congruentia.

96. Argues 3. Ex Philosopho essentia consistit in eo, quod est prius; sed intentio finis est actus distinctus, & prior electione mediorum, cùm objecta sint distincta, & unum prius alio, ut patet; ergo prædestinatio consistit formaliter ex parte voluntatis in sola intentione finis. Respondeo primò negando minorem: nam Deus antecedenter ad intentionem finis eodem actu indivisibili sine distinctione, prioritate, & dependentiâ cognoscit clarè finem, & media, sicut causam & effectum cum dependentia effectûs à causa, & cùm voluntas intendat: id, quod proponitur cognitum ab intellectu, etiam uno, & eodem actu indivisibili sine distinctione, prioritate, & dependentiâ intendit finem, & media propter finem, cùm sic illa supponat ab intellectu cognita.

97. Respondeo secundò negando eandem minorem; licet enim intentio finis, & electio mediorum sic distinguantur, sint priores & posteriores, ac dependeant in humanis; non ita fit in divinis, cùm illa arguant imperfectionem; siquidem in humanis intercedit consultatio, & inquisitio, quæ ignorantiam involvunt non admittendam in Deo. Deindè prioritas, & dependentia repugnant cum Æternitate, & Aseitate divina; neque enim hæc admittit dependentiam; neque illa priùs, & posteriùs.

98. Respondeo tertiò, dato, quod intentio finis sit distincta, & prior electione mediorum, sine ulla tamen dependentia, negando consequentiam, licet enim prout sic sit prior, non ideò sequitur in illa consistere essentiam adæquatam, sed tantùm inadæquatam prædestinationis. Patet, quia prior, & distinctus est actus intellectûs ab actu voluntatis in prædestinatione totali; & Visio beata ab amore beatifico; & animal à rationali; & tamen neque prædestinatio totalis consistit formaliter adæquatè in solo actu intellectûs, sed in utroque; neque Beatitudo in solâ visione, sed etiam in amore; neque essentia hominis in solo animali, sed etiam in rationali; ergo similiter prædestinatio ex parte voluntatis non solùm in intentione finis, sed etiam in electione mediorum consistet formaliter adæquatè. Accedit, quod sicut intentio finis est prior in intentione, sic electio est prior in executione.

99. Argues 4. Pro sola electione mediorum, nempè ad gratiam, sub cujus nomine intelligunt Authores hujus sententiæ, non solùm gratiam sanctificantem, sed etiam omnia media, tam communia, quàm particularia ad vitam æternam consequendam, nempè auxilia, vocationes, merita Christi Domini, Sacramenta, prædicationem Evangelii, &c. Prædestinatio est pars providentiæ; sed hæc versatur circa media; ergo prædestinatio consistit in electione mediorum. Respondeo Providentiam, cujus pars est prædestinatio non versari tantùm circa media; nam primò intendit finem assequendum, & postea applicat media, quibus acquiratur.

Argues 5. Prædestinatio est ordinatio executiva; 100.
sed executio fit circa media; ergo in electione mediorum consistit prædestinatio. Respondeo Prædestinationem, licet sit executiva in actu secundo, & prout sic immediatè terminetur ad media, non ita esse, neque terminari in actu primo; sic enim priùs intendit finem, nempè gloriam, & postea illam assequitur per media in executione adhibita. Undè ex hoc solùm colligitur, prædestinationem in intentione priùs intendere finem, in executione tamen priùs adhibere media.

SECTIO VI.

Qualenam sit objectum, & terminus Prædestinationis?

ADVERTES primò Prædestinationem, 101.
cùm sit actus intellectûs, & Voluntatis Divinæ, ut diximus, habere suum objectum, sive materiam *circa quam*, hanc enim habent omnes hujusmodi actus, sicque qualenam sit horum actuum objectum, sive materia *circa quam*, hic inquirendum. Secundò, hujusmodi materiam *circa quam* prædestinationis esse duplicem: aut id, quod prædestinatur, & prout sic dicitur objectum: aut id, ad quod prædestinatur, & prout sic dicitur terminus; quamvis & hic, & illud, si sumantur diverso modo, possint dici & objectum, & terminus: nam sicut homo prædestinatus ad gloriam dicitur objectū, & gloria dicitur terminus; ita etiam gloria prædestinata ad fœlicitatem hominis dicitur (licet minùs propriè) objectum; ipsa autem fœlicitas hominis dicitur terminus; de hoc autem termino, & objecto prædestinationis nobis in præsenti Sectione: sit igitur:

Difficultas 1. Qualenam sit objectum, seu materia *circa quam* prædestinationis? Dico 1. Objectum prædestinationis non sunt, neque Divinitas, neque Personæ divinæ quà tales, sive in ordine ad proprietates, aut notiones illis intimè convenientes. Probatur primò ex D. Aug. *tract. 105. in Joan.* ubi loquens de Prædestinatione Christi Domini: *Rectè*, ait, *dicitur non prædestinatus secundùm id, quod est Verbum Dei, Deus apud Deum. Ut quid enim prædestinaretur, cùm jam esset, quod erat sine initio, sine termino sempiternus?* Secundò ratione, quia quæ prædestinantur, pendent à libera Voluntate Dei; Prædestinatio enim, ut diximus, est actus Dei liber; sed illa non conveniunt Deo liberè, imò necessariò, & per naturam; ergo &c. 102.

Dixi *in ordine ad proprietates*, quia Persona Divina, nempè Verbum, potest dici prædestinatum in ordine ad naturam assumptam, licet minùs propriè; siquidè hæc denominatio potiùs cadit in Humanitatem, quàm in Verbum; potiùs enim dicitur Humanitas prædestinata ad Verbum, utilli uniretur, quàm Verbum prædestinatum ad Humanitatem. 103.

Dico 2. Sola substantia rationalis creata est per se objectum prædestinationis, & dicitur propriè prædestinari. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 4. n. 4. P. Tanner. 1. p. d. 3. de prædest. q. 2. dub. 1. n. 8. cum D. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. ad 2. & 3. P. Ruiz 1. p. d. 1. de prædest. sect. 3. num. 13.* & alii. Probatur, quia prædestinatio propriè, ut supra diximus, est ordinatio efficax alicujus in finem ultimum supernaturalem per media supernaturalia assequendum; sed 104.

sed ad hæc, & ad illum solæ substantiæ rationales creatæ sunt capaces, & possunt ordinari, & non sic irrationales; ergo solæ illæ sunt objectum, & materia *circa quam* prædestinationis.

104. Objicies 1. Aliquæ creaturæ irrationales ordinantur à Deo ad effectum supra earum naturam; sic enim ordinatur aqua ad lavandam animam spiritualiter in Baptismo; & Sacerdos ad consecrandũ Corpus Christi Domini; ergo possunt dici ad hos fines prædestinari. Respondeo posse ita dici impropriè; non autem propriè: prædestinatio enim propria debet esse in ordine ad finem supernaturalem ultimum, qualis non est illa ablutio aquæ in Baptismo, neque consecratio Sacerdotis, imò sunt media ad finem ultimum consequendum.

105. Objicies 2. Humanitas denudata subsistentiâ est substantia rationalis creata; & tamen non dicitur prædestinata ad Beatitudinem; siquidem cùm hæc sit operatio, operatio autem sit suppositorum, requirit suppositum, qualis non est sola humanitas; ergo &c. Resp. negando minorem; ad cujus probationem dicimus, humanitatem prout sic, licet non sit suppositum, esse tamen rem singularem; actiones autem dicuntur suppositorum, id est rerum singularium. Patet in Humanitate Christi Domini, quæ fuit verè prædestinata ad excellentem Beatitudinem, & ratione illius ad unionem hypostaticam, aut è contra; & tamen ibi actio non fuit alicujus suppositi, sed tantùm rei singularis; jam enim diximus in Philosophia *tom. 3. tract. 2. d. 3. sect. 13. à num. 450.* naturam denudatam omni subsistentiâ posse absque novo miraculo operari, & intelligere, quo dato, cùm suppositum sit tantùm conditio, natura autem sit causa cõpleta, dicetur ipsa natura propriè, & principaliter prædestinari. Addo, licet humanitas prout sic posset dici non prædestinata ad Beatitudinem defectu subsistentiæ, nihil indè sequi contra nos, qui solùm loquimur de substantia rationali, quæ sit persona, qualis non est humanitas sine subsistentia.

107. Objicies 3. Quælibet Persona divina est substantia rationalis; & tamen non dicitur prædestinata; ergo non omnis substantia rationalis dicitur prædestinata. Respondeo distinguendo consequens: non omnis dicitur prædestinata, si sit divina, & increata; concedo consequentiam: si sit creata; nego consequentiam: ideò enim in conclusione apposuimus particulam *creata*; siquidem Personæ divinæ, ut diximus, non sunt capaces prædestinationis, præsertim in propria Natura, cùm sit per se, & essentialiter beata.

108. Objicies 4. Christus Dominus est substantia rationalis creata, & Persona increata in natura extranea; & tamen non dicitur prædestinatus; ergo &c. Respondeo primò negando consequentiam: nos enim loquimur de substantia rationali, quæ sit persona creata, qualis non est Persona Christi Domini, cui cùm, supposita assumptione, & gratia, & gloria debeantur, ut proprietates, non dicitur propriè prædestinatus; nam nulla res dicitur prædestinata ad suam proprietatem.

109. Respondeo secundò negando minorem, nam D. August. *tract. 105. in Joan.* exponens verba illa: *Clarifica me, Pater, claritate, quam habui, priusquam mundus fieret apud te*: illa exponit de claritate, & honore Christi hominis, ut sic, quam in prædestinatione habuit ex æternitate. Addo tamen hanc prædestinationem Christi Domini esse superioris ordinis, atque est illa, de qua loquimur, quæ est de re indebita creaturæ: prædestinatio autem Christi Domini est de re sibi debita, supposita unione hypostatica.

Objicies 5. Angeli sunt substantiæ rationales creatæ; & tamen non dicuntur prædestinati; nam prædestinatio ex D. Aug. est *propositum miserendi*: & præparatio beneficiorum, *quibus liberantur*, quicunque liberantur; propositum autem miserendi, & liberandi, non datur, nisi erga illos, qui peccarunt, quales non fuerunt Angeli boni; mali verò, qui peccarunt, non prædestinantur; ergo &c. 110.

Respondeo primò negãdo minorem: prædestinatio enim (ut loquamur cum *D. Bonav. in 1. dist. 40.*) est duplex, alia, quæ simpliciter ordinat ad bonum, & hæc fuit in Angelis; & alia, quæ liberat à miseria peccati, quæ solis competit hominibus, & de qua locutus fuit D. Aug.

Respondeo secundò cum *P. Soar.* supra cit. *num. 10.* negando eandem minorem; ad cujus probationem dicit verba illa *propositum miserendi* non reperiri apud D. August. qui licet aliquando declaret prædestinationem per verbum *liberandi*, loquitur de sola prædestinatione hominum: aut ut idem *P. Soar.* dicit cum *D. Thom.* loquitur etiam de liberatione per præservationem. 111.

Objicies 6. Deus habens ab æterno decretum absolutum de existentia talis rei in tali tempore extituræ, dicitur illam prædestinare ad esse, & fieri, ergo prædestinatio non est solùm ad finem ultimum consequendũ. Resp. distinguendo antecedés: dicitur illam prædestinare impropriè; concedo antecedens: propriè; nego antecedens: tale enim decretum non est propriè prædestinatio, sed prædefinitio; nam prædestinatio propria debet esse ad rem supra naturam, qualis non est existentia, imò nihil est naturæ magis conforme, quàm ejus existentia. 112.

Difficultas 2. Qualisnam sit terminus prædestinationis? Dico 1. Terminus prædestinationis semper est aliquod bonum, ad quod homo ex peculiari Dei affectu ordinatur. Probatur, quia ubicunque in Scriptura ponitur verbum prædestinatio, semper in bonam partem accipitur; & hic est Scholasticorum usus; ergo &c. Confirmatur, quia D. August. *lib. de prædest. Sanctor. cap. 10. & lib. de Bono persever. cap. 14.* ita definit prædestinationem, ut sit *præparatio beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur*; ergo prædestinatio versatur circa bonum ex peculiari, & absoluta Dei voluntate. 113.

Dico 2. Terminus prædestinationis semper est aliquod bonum supernaturale. Ita *D. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 5. num. 8.* Probatur primò, quia prædestinatio est affectus Dei absolutus efficax; sed hic, cùm sit divinus, semper tendit ad bonum; & Deus propter suam bonitatem semper intendit sui similitudinem, quæ maximè fit per bonũ supernaturale, si creatura est illius capax; ergo &c. Secundò, quia prædestinatio est ordinatio facta ab extrinseco, nempè à Deo; sed hæc semper debet esse ad aliquid supernaturale; nam ordinatio ad naturale, cùm fiat per naturam, semper est ab intrinseco; ergo &c. Confirmatur ex Epist. *ad Rom. 1. & 8. Et 1. Cor. 2. Et ad Ephes. 1.* aliisque Scripturæ locis, in quibus quoties agitur de prædestinatione semper est in ordine ad bona supernaturalia; ergo &c. 114.

Dico 3. Terminus prædestinationis non est solum bonum supernaturale solius gloriæ. Ita *P. Soa. lib. 1. de præst. cap. 5. n. 14. contra Ocham. Gabr. Guilhelm. de Rubion. & Catherin.* Probatur primò ex illo ad Rom. 8. *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit*; vocatio autem, 115.

autem, & justificatio ad gratiam spectant. Et ad Ephes. 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei*; adoptio autem fit per gratiam. Secundò ex Sanctis Patribus D. August. *lib. de Bono perfever. cap. 14.* ubi dicit, *prædestinationem esse præparationem gratiæ, & Beneficiorum Dei.* D. Chrys. ad Ephes 1. hom. 1. *Deus*, inquit, *prædestinavit ad hoc, ut credat* D. Prosper. *ad objection. 11. Vincent. Ad prædestinationem*, ait *nihil aliud referri potest, nisi quod, aut ad debitam justitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem*; ergo &c. Confirmatur, quia Sancti Patres, & Scholastici solam malitiam rejiciunt à ratione objecti, & termini prædestinationis; ergo è contra omnia beneficia, quibus liberamur à servitute peccati, quorum primum est gratia, comprehenduntur sub ratione objecti, & termini prædestinationis.

116. Dico 4. Terminus prædestinationis non est solum bonum supernaturale solius gratiæ. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 5. num 13. contra Durand. in 1. dist. 41. q. 1. ad 1.* Probatur primò ex illo ad Rom 8. *proximè: Illos & glorificavit.* Et ad Rom. 9. *Ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Et Actor 13 *Quotquot prædestinati erant in vitam æternam*; ergo &c.

117. Probatur secundò ex Sanctis Patribus. D. Aug. *lib. de corrept. & grat. cap. 7. Electi autem sunt ad regnandum cum Christo.* Et cap. 9. *Qui ordinati sunt ad vitam æternam, sunt illi prædestinati, & secundùm propositum vocati.* Et cap. 13. *Hæc*, ait, *de his loquor, qui prædestinati sunt in Regnum Dei*: & sæpè alibi: Et D. Fulgent. *lib. 1. ad Monim. cap. 13. Potuit*, ait, *sicut voluit, prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam*; ergo &c. Confirmatur, quia prædestinatio, ut diximus, est præparatio beneficiorum Dei, quibus liberantur, quicumq; liberantur; sed non minus, imò majus beneficium est gloria, quàm gratia, & homo non est perfectè liberatus à miseria, donec gloriam obtineat; ergo &c.

118. Dico 5. Terminus prædestinationis quoad bonum supernaturale est simul gratia, & gloria. Ita *P. Soar. cit. n. 15, P. Ruiz d. 4. de prædest. sect. 2. & 3.* & alii apud illos. Probatur primò ex proximè dictis pro utraque sententia. Secundò ex supra dictis *à num. 92.* quæ omnia hìc militant. Tertiò, quia prædestinatio est perfectissima prudentia, & providentia circa supernaturalia, ut supra diximus; sed ad perfectissimam prudentiam, & providentiam spectat, non tantùm velle media, nec tantùm intendere finem, sed velle media ad finem, & finem intendere per media; ergo prædestinatio versatur, & circa terminum, & circa gratiam, ut medium ad gloriam, & circa gloriam ut finem assequendum per gratiam.

119. Dico 6. Malum culpæ non est terminus prædestinationis, sive Deus neminem prædestinat ad malum culpæ. Est de fide. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 5. n. 2. P. Ruiz d. 1. de prædest. sect. 2. n. 1.* & alii. Probatur primò authoritate Concil. Arausic. 2. *cap. 25.* & Trid. *Sess. 6. cap. 16.* ex D. Aug. *lib. de prædest. Sanctor. cap. 10.* ubi ob rationem hanc dicit præscientiam latiùs patere, quàm prædestinationem, quatenùs Deus præscit, non tamen prædestinat malum culpæ: *Quia Deus*, ait, *solum ea prædestinat, quæ ipse est facturus; præscit autem etiam, quæ non est facturus, neque prædestinat, ut peccata.* Et lib. 5. *de Civit. cap. 9.* ait, *Deum esse authorem omnium potestatum, non verò omnium voluntatum*: quatenùs malarum voluntatum non est author, neque eas prædestinat; ergo &c.

120. Probatur secundò ratione, quia prædestinatio est affectus Dei absolutè efficax; sed hunc non habet Deus de malo culpæ; neque enim Deus vult, sed solùm permittit peccatum; ergo non prædestinat ad peccatum, neque hominem, ut peccet. Confirmatur, quia, ut supra diximus, Deus solùm vult peccatum voluntate permissivâ; sed hæc non sufficit ad prædestinationem; ergo &c.

121. Dico 7. Malum pœnæ propriè, & rigorosè loquendo, non est terminus prædestinationis, neque homo prout sic dicitur prædestinatus ad malum pœnæ. Ita *P. Soar. cit. n. 5. P. Ruiz cit. n. 14.* Probatur primò, quia prædestinatio propriè dicta continet Dei voluntatem primariam antecedentem, & ex innata benevolentia, & propensione provenientem; sed malum pœnæ, sive punitio, non est per se intentum à Deo, sed per accidens; neque provenit à natura, & propria propensione voluntatis divinæ, imò potiùs à quadam quasi violenta coactione; Deus enim quasi coactus punit; ergo &c.

122. Probatur secundò, quia prædestinatio propriè est ad bonum supernaturale ut ad terminum; sed malum pœnæ, seu punitio, non est finis, sive terminus entitativè supernaturalis, neque effectus causandus per gratiam, cujusmodi effectus respicit prædestinatio propriè dicta; ergo &c. Confirmatur, quia punitio non est propriè finis personæ; siquidem hæc non destinatur ad punitionem ab intrinseco tanquam ad propriam perfectionem, & beatitudinem, quam debet respicere prædestinatio propriè, & rigorosè dicta; ergo &c.

123. Dico 8. Malum pœnæ minùs propriè, & rigorosè loquèdo potest dici terminus prædestinationis, & homo prædestinari ad pœnam. Ita sentire videntur *D. Aug. lib. 15. de Civit. cap. 1. & lib. 21. cap. 24. D. Fulgent. lib. 1. ad Monim. cap. 7. 13. & 14. D. Prosper. D. Isidor. lib. 2. sent. cap. 6. Concil. Valent. 3. cap. 3. P. Soar. cit. n. 3. P. Ruiz cit. n. 12.* & alii. Probatur primò ex illo 1. Cor. 4. *Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos*; mors autem est malum pœnæ.

124. Probatur secundò, quia Deus verè dicitur prædestinasse illa, quæ voluntate absoluta, & efficaci ordinavit, & decrevit facere in æternitate; sed ita ordinavit, & decrevit punire, quos præscivit peccaturos, & in peccato permansuros usque ad finem; ergo illos prout sic ad punitionem prædestinavit. Confirmatur primò, quia quod à Deo intenditur in punitione, nempè injuriis propriis, & Beatorum satisfacere, & meritis peccatorum debitas pœnas reddere, est bonum; ergo potest ad tale bonum prædestinare. Secundò, quia in punitione peccatorum est aliquid supra naturam, nempè ignis operatio in substantias spirituales; perpetuitas corporum; intensio apprehensionis, & tristitiæ, & similia; ergo &c.

125. Advertes primò, particulam *præ* in hujusmodi prædestinatione denotare antecessionem æternitatis ad tempus; non autem voluntatis divinæ ad Præscientiam Dei; alioqui jam malum pœnæ esset rigorosè terminus prædestinationis. Secundò, hæc non esse intelligenda de solo malo pœnæ æternæ, sed à fortiori posse intelligi de quacunque aliâ pœnâ. Tertiò, hæc intelligenda esse de malo pœnæ purè pœnalis, sive infligtæ in puram vindictam, sicut est gehenna; non autem de malo pœnæ medicinalis, cujus generis est Passio Christi Domini; hæc enim cùm infligatur in ordine ad majus bonum, est terminus prædestinationis in sensu rigoroso.

SECTIO VII.

Quænam Scientia debeat in Deo præsupponi ad Prædestinationem?

126. ADVERTES, Scientiam Divinam, prout supra diximus, aut esse simplicis Intelligentiæ, quæ attingit res possibiles, ut possibiles, antecedítque omne decretum Dei liberum, & est ei necessaria, necessariòque ei convenit: aut esse Scientiam visionis absolutam, quæ attingit res sub ratione futuritionis absolutæ, aut existentiæ, supponítque decretum Dei liberum, & est scientia libera, contingenterq; Deo conveniens: aut esse Scientiam Mediam, quæ inter has mediat: qualisnam ex his debeat præsupponi ad prædestinationem, dicemus per sequentes conclusiones: Sit igitur:

127. Conclusio 1. Prædestinatio necessariò præsupponit in Deo aliquam Scientiam. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 6. num. 2.* Probatur primò ex illo ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit, &c.* quæ duo verba, cùm non sint accipienda ut synonyma, & ex ordine litteræ prior sit præscire, quàm prædestinare, satis constat, præscientiam supponi ad prædestinationem. Secundò ex D. Aug. qui lib. de Bono persever. definiens Prædestinationem, dicit esse *Præscientiam & præparationem Beneficiorum Dei*; sed in hac præparatione consistit formaliter prædestinatio, ut diximus, & dixit idem D. Aug. lib. de prædest. Sanct. cap. 10. dicens, *Prædestinationem esse gratiæ præparationem*: statimq; subjungit: *quæ sine præscientia esse non potest*; ergo cùm dicit prædestinationem esse præscientiam, & præparationem, illamque priùs ponit, illam ut conditionem necessariò prærequisitam ad prædestinationem videtur ibi apponere.

128. Probatur 3. ratione, quia prædestinatio, ut diximus, consistit in aliquo actu libero Voluntatis divinæ; sed ante omnem actum liberum voluntatis debet antecedere aliqua cognitio, ut patet, tum ex definitione voluntarii, debet enim esse à principio intrinseco cum cognitione: tum ex ratione libertatis, quæ provenit ex indifferentia judicii proponentis: tum ex generali axiomate; *Nihil volitum, quin præcognitum*, quæ omnia in Deo locum habent, seclusis imperfectionibus; ergo ante prædestinationem necessariò præcedit in Deo aliqua cognitio, sive scientia Confirmatur, quia omnis natura intellectualis, etiam Divina, circa quamcumque rem priùs agit per intellectum, quàm per voluntatem; sic enim Deus ipse priùs se intelligit, quàm amet; ideòque prior est Generatio Filii, quàm productio Spiritus Sancti; ergo circa prædestinationem præcedit operatio intellectûs; consequenterque aliqua scientia necessariò prærequiritur.

129. Conclusio 2. Prædestinatio necessariò præsupponit Scientiam simplicis Intelligentiæ Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 6. num. 5. P. Herice 1. part. tract. 3. d. 22. num. 7. P. Arrub. 1. part. q. 23. d. 71. cap. 5. num. 15. P. Arriaga 1. p. d. 33. sect. 1. num. 2. P. Præpos. 1. p. q. 23. art. 8. dub. 2. n. 19. P. Compton. tom. 1. d. 39. sect. 2. n. 1. P. Rhodeq tom. 1. d. 5. q. 1. sect. 2. §. 1.* & alii. Probatur primò, quia ex communi Theologorum scientia naturalis semper necessariò antecedit decretum Dei liberum, cùm possit esse sine illo, non tamen è contra; nam Deus non potest esse sine proprietatibus naturalibus; potest tamen sine actibus liberis, ut tales sunt; sed prædestinatio, saltem partialiter, est decretum Dei liberum; Scientia autem simplicis intelligentiæ est naturalis; ergo hæc illud antecedit, & est prior.

130. Probatur secundò, quia Voluntas Divina ante suum decretum efficax, & judicium eam dirigens ad talem actum, supponit repræsentatam possibilitatem objecti, nempè Angeli prodestinandi, & gloriæ dandæ, ac meritorum, quibus potest obtineri; siquidem voluntas non fertur, nisi in possibilia ut talia cognita; sed id fit per Scientiam simplicis Intelligentiæ, quæ circa rerum possibilitatem versatur; ergo &c.

131. Conclusio 3. Prædestinatio necessariò requirit Scientiam mediam. Ita *P. Soar. cit. cap. 7. num. 4. & in opusc. lib. 2. de Scient. condition. cap. 2. num. 5. P. Mol. 1. p. q. 23. a. 4. d. 1. membr. 11. concluſ. 5. & quæst. 22. a. 1. d. 2. P. Bellarm. lib. 2. de grat. & lib. arbitr. cap. 17. P. Vasq. 1. p. d. 93. cap. 1. & d. 98. cap. 4. P. Less. de Auxil. cap. 4. num. 16. P. Fons. tom. 3. Met. lib. 6. cap. 2. q. 4. sect. 9. & q. 5. sect. 13. ad 7.* quos citat & sequitur *P. Herice 1. p. tr. 3. d. 22. cap. 3. num. 15. P. Arrub. 1. part. q. 23. d. 71. cap. 4. n. 10. P. Præpos. 1. p. q. 23. a. 8. dub. 2. n. 19. P. Compton. tom. 1. d. 39. sect. 2. num. 1. P. Rhodeq tom. 1. d. 5. sect. 2. q. 1. §. 1.* & alii. Probatur primò, quia prædestinatio, cùm sit intentio divina efficax dandi gloriam, & electio mediorum, ita debent accommodari, ut non offendant libertatem creatam; sed hoc solùm fit præsuppositâ Scientiâ Mediâ; siquidem data intentione efficaci, si Deus non adhibeat media sciens quid ex illis futurum sit, quod sit per Scientiam Mediam, ne postea frustretur ejus decretum efficax, impellet voluntatem, velit, nolit, ad eliciendum actum bonum, quo impulsu tolleret libertatem, tolleretur enim indifferentia ad operandum, vel non operandum, quod non est dicendum; ergo &c.

132. Probatur secundò, quia in Deo, ejusque modo operandi non est admittenda aliqua imprudentia, cùm sit imperfectio; sed ita admitteretur, si in prædestinatione intenderet efficaciter finem, nullâ ejus contingentiâ relictâ; hoc autem fieret, si priùs non haberet Scientiam mediam, per quam sciret certò, an haberet potestatem, & media congrua ad ipsum finem consequendum; consequenterque imprudenter operaretur; ergo &c.

133. Probatur tertiò, quia Deus intendens efficaciter gloriam prædestinatis, voluit illis dare media congrua ad illam consequendam; alioqui non eis conferret speciale beneficium; sed non potuit id ita velle, nisi præsuppositâ Scientiâ mediâ, per quam præcognoscit, prædestinatum in hac, aut illa potiùs occasione, quàm in alia acceptaturum talia media; ergo &c. Confirmatur, quia, ut supra diximus, ad Providentiam divinam præsupponitur necessariò Scientia media; ergo etiam ad prædestinationem, cùm sit illius pars, ut etiam supra diximus.

134. Argues 1. Scientia Media neque est pars, neque causa, neq; effectus prædestinationis; ergo ad illam non requiritur. Resp. negãdo consequentiam: licet enim Scientia Media non sit pars, neque causa, neque effectus prædestinationis, requiritur tamen necessariò, & logicè ex parte Dei prædestinantis, ut sciat quale beneficium confert dando hoc, aut illud auxilium; alioqui modo cœco, & imprudenter operaretur.

135. Argues 2. Deus necessariò attingens consensum futurum

futurum ante prædestinationem, propter illum, ut propter meritum movetur ad prædestinandum; ergo prædestinatio est opus Justitiæ, & non Misericordiæ; consequenterque ad illam non requiritur Scientia Media, propter quam Deus præcognoscat media congrua, ut in illis dandis speciale beneficium conferat prædestinato. Respondeo negando antecedens: nam cùm meritum habeat rationem causæ efficientis moralis, & hæc non possit operari, quin habeat existentiam absolutam, vel physicam, vel intentionalem, quam non habet consensus cognitus per Scientiam mediam, sed tantùm existentiam conditionatam, ideò Deus non propter illum, ut propter causam meritoriâ prædestinat, sed tantùm propter illum ut conditionem sine quâ non Deus hic & nunc prædestinat, sicque Deum non obligat ad prædestinandum, neque physicè neque moraliter ex justitia, sed id efficit ex Misericordia.

136. Argues 3. Ideò necessariò requireretur Scientia Media ad prædestinationem, quia necessariò deberet Deus prævidere quænam media essent efficacia ad finem efficaciter intentum consequendum, ad quod necessaria esset talis scientia; sed Deus ab æterno non prævidet hanc mediorum efficaciam; siquidem sæpius loco unius medii, quod videt frustratum, aliud, & aliud confert prædestinatis, donec aliquod habeat effectum, quod non ita esset, si eorum efficaciam prævideret, statim enim applicaret, quod prævideret habiturum effectum; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, Deum ab æterno prævidere per Scientiam Mediam & efficaciam, & inefficaciam mediorum, & utraque ut sic prævisa applicare; cùm autem illa media frustrata non sint congrua, & efficacia, sed inefficacia, & à Deo ut talia prævisa, & data, ideò frustrantur, quæ Deus aliquando etiam dat prædestinato permittens ejus ruinam, ut postea recipiendo congrua, vehementiùs pœniteat, & amet, sicque finem intentum assequatur.

137. Argues 4. Ideò requireretur Scientia Media ad prædestinationem, quia Deus deberet prævidere finem, & media per quæ posset infallibiliter acquiri; sed ad id satis est Scientia simplicis intelligentiæ; ergo &c. Respondeo negando minorem: nam cùm Scientia simplicis intelligentiæ solùm proponat objecta possibilia sub ratione possibilitatis, non potest ostendere efficaciam mediorum, neque consensum conditionatè futurum: si autem Deus non præviso consensu conditionatè futuro, & efficaciâ mediorum, quod fit per Scientiam mediam, decerneret efficaciter finem, & tolleretur libertas creata, & Deus imprudenter ageret, ut diximus.

138. Argues 5. Scientia Media neque auget Potentiam Divinam, cùm supponat objectum conditionatè futurum, & hoc supponat Potentiam Divinam jam completam; neque ponit aliquid in prædestinato, quod supponit ut objectum, Scientia autem nihil ponit in objectum; ergo neque ex parte Dei prædestinantis, neque hominis prædestinati requiritur Scientia Media. Respondeo negando consequentiam; requiritur enim ad perfectum modum operandi, & Dei, quia prout sic prudenter, & sine temeritate operatur; & creaturæ, quia prout sic non læditur ejus libertas.

139. Argues 6. Infantes mortui accepto Baptismo, vel Martyrio sunt de numero prædestinatorum; & tamen non sunt prædestinati prædestinatione supponente Scientiam Mediam; siquidem eorum salus non dependet à meritis, de quibus est Scientia media; ergo &c. Respondeo negando minorem; ad cujus probationem dicimus, prædestinationem infantium sic decedentium, licet non supponat Scientiam mediam meritorum, illam tamen supponere de Baptismo, aut Martyrio accipiendo, si creentur, & in hac, aut illâ occasione ponantur; imò etiam de voluntate baptizantis, & tyranni occidentis.

Argues 7. Deus speciali gratiâ specialem affectum ostendit erga aliquem, si sit paratus toties eum vocare, quoad usque respondeat, & salvetur, idque sine Scientia Media; ergo hæc non prærequiritur ad prædestinationem. Respondeo negando antecedens; talis enim modus procedendi est imperfectus, utpotè cœcus, Deoque alienus; siquidem posset homo unâ datâ vocatione respondere, & salvari, sed præter intentionem, & Scientiam Dei: aut poterit datis pluribus vocationibus ex speciali affectu non respondere, sicque non salvari, cùm tamen Deus id vellet antea ex speciali affectu, quod est absurdum. 140.

SECTIO VIII.

An, & quomodò Scientia Visionis prærequiratur ad Prædestinationem?

Dico 1. Prædestinatio prærequirit Scientiam Visionis naturalis habentis pro objecto Perfectiones divinas, nempè Omnipotentiam, Essentiam, & ipsammet Scientiam Divinam. Probatur, quia Deus non potest efficaciter intendere nostram gloriam, nisi priùs sciat, se habere potentiam ad illam producendam, & suam Essentiam posse à nobis videri, quod fit per Scientiam Visionis naturalis; & cùm talis scientia sit supra se ipsam reflexa, etiam hæc sui ipsius visio prærequiritur; ergo &c. Major tamen quæstio est de Scientia Visionis absoluta libera: Pro quâ: 141.

Dico 2. Si prædestinatio nostra est medium à Deo assumptum ad manifestandam suam gloriam, & Bonitatem, præsupponit Scientiam visionis absolutam de decreto divino intendente earum manifestationem. Probatur, quia prior est, & cognoscitur à Deo intentio finis, quàm electio mediorum; sed decretum illud est intentio finis; siquidem per illud intendit Deus manifestationem suæ gloriæ, & bonitatis; prædestinatio autem nostra est electio mediorum; siquidem in illa eligitur medium ad talem manifestationem; ergo priùs cognoscitur illud decretum; sed talis cognitio spectat ad Scientiam visionis absolutam talis decreti; ergo &c. Undè: 142.

Advertes primò, etiam prærequiri Scientiam visionis absolutam ipsius gloriæ & bonitatis Divinæ, quarum manifestatio intenditur per illud decretum, idque non solùm quatenùs possunt cognosci in ipso decreto, sed etiam in se; siquidem non potest cognosci decretum de communicanda gloria, quin cognoscatur ipsa gloria, quæ est illius objectum, ut potens communicari, & manifestari; alioqui cùm sit prout sic cognoscibilis, si à Deo nō cognosceretur, Cognitio Divina non esset comprehensiva, quod non est dicendum. 143.

Advertes secundò, si Deus in tali decreto intendat etiam augmentum accidentale suæ gloriæ, etiam 144.

etiam prærequiri Scientiam Visionis absolutam illius augmenti. Patet, quia illud augmentum per tale decretum accipit futuritionem; siquidem implicat, quod Deus aliquid efficaciter decernat, & hoc non sit; sed res sic in futuritione cognoscitur per hujusmodi scientiam; ergo sic cognoscitur illud augmentum, non solùm abstractivè in ipso decreto, sed etiam intuitivè in se, cùm sit prout sic cognoscibile.

145. Dico 3. Si Christus Dominus fuit causa exemplaris, & meritoria nostræ prædestinationis, ideoque fuit priùs prædestinatus, nostra prædestinatio prærequirit Scientiam visionis absolutam Christi Domini, & illius meritorum. Probatur, quia causa, tam physica, quàm moralis, semper est priùs existens, & ut talis cognoscitur à Deo, quàm effectus; sed Christus Dominus, ut supponimus, & illius merita sunt causa efficiens, & moralis nostræ prædestinationis; movent enim Deum ad intendendam efficaciter nostram gloriam per talia media, sicque sunt causa meritoria, quod est esse causa efficiens moralis; ergo priùs existunt, & priùs à Deo cognoscuntur; sed non cognoscuntur per aliquam ex aliis Scientiis, ut patet; ergo per scientiam visionis absolutam; consequenterque hæc prærequiritur.

146. Dico 4. Si in prædestinatione decretum intendens nostram gloriam est priùs decreto eligente media, hoc præsupponit necessariò Scientiam visionis absolutam illius; imò & ipsius gloriæ. Probatur prima pars, quia decretum intendens gloriam in eodem signo, quo est, cognoscitur à Deo scientiâ visionis absolutâ, cùm sit pro eo signo sic cognoscibile; alioqui aliquid daretur cognoscibile, & à Deo non cognitum; sed tale decretum est ante decretum eligens media; ergo ante illud cognoscitur; consequenterque præsupponitur illius scientia visionis absoluta ad electionem mediorum.

147. Probatur secunda pars, quia non potest cognosci actus quidditativè, & intuitivè, quin in eo cognoscatur illius objectum scientiâ visionis absolutâ; cùm ejus essentia sit in ordine ad objectum; sed hujusmodi Scientia, cùm sit divina, ut talis attingit decretum illud quidditativè, & intuitivè, cùm sit prout sic cognoscibile; alioqui non esset comprehensiva, quia aliquid daretur cognoscibile ab ea non cognitum; ergo etiam cognoscit illius objectum nempè gloriam abstractivè in ipso decreto; & intuitivè in se, cùm cognoscat ut sic rem futuram absolutè, qualis est illa gloria, posito decreto efficaci, alioqui posset non esse, & tale decretum frustrari, quod non est dicendum.

148. Dices: Res solùm cognoscitur scientiâ intuitivâ visionis sub ratione existentiæ exercitæ pro aliqua differentia temporis; sed non ita cognoscitur gloria; ergo &c. Respondeo negando minorem; sic enim cognoscitur gloria, posito decreto efficaci illam intendente, licet videatur requiri decretum executionis, ut illam ultimò ponat extra causas, nam cùm illud decretum sit efficax, secùm defert executionem in tali differentia temporis; sicque posita electione efficaci mediorum, per se ipsam applicat Omnipotentiam ad executionem, & dat existentiam gloriæ; alioqui non esset efficax, possetque frustrari, non existente gloria.

149. Dico 5. Decretum intendens gloriam, & decretum eligens media non præsupponunt sui ipsorum scientiam visionis absolutam. Probatur, quia omnis scientia, si non prioritate *in quo*, saltem prioritate *à quo*, supponit objectum; siquidem res non est, quia cognoscitur, imò cognoscitur, quia est, sicque priùs est esse rei, quàm ejus cognosci; sed hujusmodi decreta sunt objectum illius scientiæ; ergo non possunt illam præsupponere, imò ad illam præsupponuntur; alioqui se ipsa præsupponerent.

Dico 6. Nulla scientia visionis absoluta effectuum præsupponitur ex parte prædestinati ad totam ejus prædestinationem. Probatur, quia hujusmodi effectus ab ipsa prædestinatione accipiunt suam futuritionem absolutam, nullamque habent ante illam; ergo non possunt tali scientiâ cognosci; alioqui antequam essent, cognoscerentur. 150.

Dices: Merita in executione sunt priora, quàm est decretum dandi gloriam; ergo possunt prout sic priùs cognosci scientiâ visionis absolutâ. Respondeo negando antecedens, si executio sumatur prout intenta à Deo in æternitate; tunc enim præcedit omnia merita in esse absoluto; siquidem illa præcedit intentio dandi gloriam, quæ est idem cum hac executione, de qua hîc loquimur, non autem de executione sumpta ex parte rerum, prout exercita in tempore, sive pro ipsa gloria possessa; tunc enim merita antecedunt intentionem finis, utpotè qui per illa acquiritur. 151.

Dico 7. Si electio mediorum est multiplex respectu alicujus prædestinati, electio posterioris medii supponit scientiam visionis absolutam electionis prioris medii, à qua dependet; imò & ipsius medii. Probatur, quia cùm illa electio sit veluti effectus istius electionis, supponit eam realiter existentem in aliquo priori signo, illiusque objectum in esse futuro; sic enim supponit omnis effectus suam causam; ergo supponit illius scientiam visionis absolutam, jam enim tunc potest illam terminare. 152.

Dico 8. Tota prædestinatio alicujus hominis non supponit necessariò Scientiam visionis absolutam de illius existentia in rerum natura. Probatur, quia Deus per eundem actum potest intendere alicui homini possibili gloriam ordinando simul ut ille sit in rerum naturâ; nulla enim in hoc apparet repugnantia; sed tunc non præsupponitur necessariò Scientia visionis absoluta de illius gloria; ergo neque de illius existentiâ, cùm Deus utramque simul intendat, & decernat. An verò de facto ita decreverit Deus? infrà dicemus. 153.

Dices: In rerum natura necessariò præsupponitur ad formam natura ipsa existens, ut causa materialis, & subjectum recipiens; sic enim præsupponitur existentia hominis ad gratiam, quæ est veluti forma accidentalis respectu ipsius hominis; sed talis videtur esse prædestinatio respectu hominis prædestinati; ergo necessariò debet præsupponere illius existentiam. Respondeo majorem esse veram in ordine executionis exercitè; non tamen in ordine intentionis; in hoc enim sufficit si simul, & per modum unius intendantur. 154.

SECTIO XI.

Vtrùm in actibus Voluntatis Divinæ detur ordo prioritatis, & posterioritatis?

ADVERTES quæstionem non procedere de prioritate, & posterioritate reali, quæ provenit à dependentia reali, quam ipsi actus inter se habeât, hoc enim repugnat cum 155.

cum simplicitate divina, & ratione independentiæ, sed solùm procedere de prioritate, & posterioritate rationis, & quoad nos, detur nè in actibus voluntatis divinæ, & à quo illa distinctio, & prioritas, ac posterioritas desumatur? pro quo:

150. 156. Dico 1. In actibus Voluntatis Divinæ potest admitti & servatur hujusmodi ordo prioritatis, & posterioritatis. Ita *P. Soar. P. Ruiz. P. Arriaga*, & alii infra citandi. Probatur primò, quia sicut finis movet ad media, ita intentio ipsius finis ad electionem mediorum; sed propter ipsam motionem semper finis est prior mediis; ergo propter eandem prior erit intentio ipsius finis, quàm electio mediorum; consequenterque prior erit in Deo intentio dandi gloriam, quàm electio mediorum, non prioritate *in quo*, & naturæ, seu causalitatis, & dependentiæ, sed prioritate *à quo*, ita ut verum sit dicere, ideò est in Deo electio mediorum, quia est intentio finis, nempè dandi gloriam. Secundò, quia prior est in Deo prævisio, & acceptatio nostri meriti, quàm voluntas dandi præmium; ad hoc enim dandum movetur Voluntas divina ex merito prævisо, & acceptato; ergo idem dicendum est de intentione dandi gloriam respectu electionis mediorum, cùm in utroque casu moveatur Voluntas divina ex uno ad aliud.

157. Oppones 1. Deus sine ulla repugnantia amat eodem actu indivisibili & finem propter se, & media propter finem; sic enim intendit existentiam compositi, & in ea, quod materia sit causa formæ, & forma sit illius effectus; ergo &c. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem datur diversa ratio; nam cùm intentio influat in electionem mediorum eam finalizando, sequeretur, idem sine ulla distinctione, & prioritate esse veluti causam, ut finis, & effectum, ut medium, quod implicat: at verò cùm materia immediatè, & per se physicè causet formam, ideò eodem actu indivisibili, & sine ulla prioritate ex parte actûs possunt cognosci cum tali causalitate, quod non habet finis, qui cùm priùs intentus moveat agens intellectuale ad electionem mediorum, non ita movere potest sine aliqua prioritate.

158. Oppones 2. Si intentio finis esset in Deo prior, & distincta ab electione mediorum, sequeretur ipsam intentionem esse electionem mediorum confusam pro illa prioritate, darique in Deo voluntatem confusam; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Respondeo negando sequelam; nam Voluntas divina non ita tendit in finem secundùm ejus exigentiam, ut nihil determinet circa media, ut fit à voluntate creata, sed ita fertur in illum secundùm talem exigentiam, ut illum præintendat cum respectu ad talia, aut talia media, illa volendo virtute in ipso fine, & ex illo progrediendo ad eorum formalem volitionem, sive electionem, supponit enim ante intentionem media perfectè comprehensa ab Intellectu, quod non habet voluntas creata, ideoque hæc, non autem Voluntas divina admittit confusionem.

159. Oppones 3. Scientia divina est regula voluntatis divinæ; sed scientia divina antecedenter ad actū voluntatis eodē indivisibili actu, etiam quoad nos, sine ulla prioritate, & posterioritate tendit simul in finem, & in media propter finem; sicut eodem actu indivisibili sine aliqua prioritate, aut posterioritate tendit in Omnipotentiam, & creaturas possibiles; & in omnem causam, ejusque effectus cum dependentia ab illa; ergo etiam voluntas divina eodem indivisibili actu sine ulla prioritate, & posterioritate tendet simul in finem, & in media propter finem.

160. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Scientia divina tendit in finem, & in media; in Omnipotentiam, & creaturas; & in omnes causas, earumque effectus immediatè per scibilitates, seu rationes formales, quas habent in se, ideoque unico, & indivisibili actu; quod aliter est in Voluntate divina, hæc enim tendit in media propter finem, sicque actu divisibili. Undè dato quod Scientia divina non ita tenderet, sed tenderet in finem, in omnipotentiam, & in causas, ex eorumque scibilitate, ac continentiâ procederet ad cognoscenda media, creaturas possibiles, & causarum effectus, tunc non posset non dari multiplex actus virtualis, prioritas, & posterioritas inter illos propter illam dependentiam mediorum à fine, possibilium ab Omnipotentia, & effectuum à causis, ex quo potius confirmatur nostra doctrina. Addo, finem, & media sumpta materialiter posse amari eodem actu per modum unius objecti sine ullo ordine rationis, hoc tamen non esse amare finem ut finem, neque media ut media formaliter, in quo sensu loquimur; sic enim cognoscere eodem actu veritatem antecedentis, & conclusionis per se immediatè, non est cognoscere præmissam, & conclusionem ut tales formaliter, sed tantùm materialiter.

161. Oppones 4. In actibus divinis nulla imperfectio est admittenda; sed intendere priùs finem, & postea procedere ad investiganda media est maxima imperfectio; ergo &c. Respondeo negando minorem; id enim in Deo nullam arguit imperfectionem, qui posita intentione gloriæ non procedit ad illam investigationem, cùm jam supponat ipsa media cognita per Scientiam Mediam, solumque procedat ad eorum formalem, & expressam electionem, supponendo ipsorum electionem virtualem in ipsa intentione.

162. Oppones 5. Finis semper est volitus dependenter à mediis; ergo ejus intentio non potest præcedere ordine rationis mediorum electionem. Respondeo finem semper dependere à mediis in executione, non tamen in intentione; sicque benè posse finem, qui non est acquirendus, nisi per media, intendi priùs, quàm media eligantur, & acceptentur; præsertim cùm media sæpius sint plura, & non omnia necessaria, ideoque voluntas pro sua libertate potest priùs intendere efficaciter finem, quàm eligat formaliter expresè hoc potius, quàm illud medium. Patet, quia Doctores communiter asserunt, Deum priùs voluisse gloriam Corporis Christi Domini, quàm ejus Passionem, per quam illa erat acquirenda: & priùs voluisse esse Christum Dominum, quàm ejus Matrem Virginem Sanctissimam; sicque de aliis.

163. Oppones 6. Ratio formalis, per quam attingitur objectum, attingitur cum illo eodem actu indivisibili, etiam quoad nos; sed ratio formalis, per quam media attinguntur, est bonitas finis; ergo hæc eodem actu indivisibili attingitur cum illis; sed hæc non potest attingi sine fine, cujus est bonitas; ergo eodem actu attingitur etiam ipse finis simul cum mediis. Resp. majorem esse veram de ratione formali intrinseca, quæ constituit honestatem, & bonitatem delectabilem, aut utilem objecti; non tamen de ratione formali extrinsecâ movente, aut finaliter, aut efficienter; hæc enim aliquando attingitur actu diverso: bonitas autem finis non est ratio formalis intrinseca mediorum, cùm hæc habeant suam bonitatem utilem, per

quam eligantur, sed solùm est motivum à priori, quo voluntas movetur ad eligenda ipsa media, interim inserviente intentione finis in genere causæ efficientis ad eliciendam mediorum electionem, sicque non debet necessariò attingi eodem actu.

164. Dico 2. Hujusmodi distinctio, & prioritas, ac posterioritas in actibus divinis desumitur ex subordinatione, ac dependentia objectorum inter se, & ex modo tendendi ad illa. Ita *P. Soar. tomo 1. in 3. p. d. 5. sect. 1. P. Vasq. d. 82. cap. 5. num. 16. P. Valent. hîc q. 19. punct. 5.* quos citat & sequitur *P. Tanner. d. 2. quæst. 10. dub. 5. num. 11.* Probatur, quia absoluta in Deo, cùm sint idem, non habent ab intrinseco unde multiplicentur, & subordinentur, sed tantùm in ordine ad res creatas, & ex modo tendendi ad illas; atqui in creatis finis, & media subordinantur, & actus tendens in finem est distinctus, & ex modo tendendi est prior actu tendente in media; ergo hoc idem in Deo admittendum est, seclusis imperfectionibus dependentiæ, & prioritatis naturæ, quæ dicat negationem simultaneæ existentiæ.

SECTIO X.

Vtrùm in Deo admittendus sit ordo intentionis, & executionis distinctus?

165. ADvertes difficultatem in eo sitam esse, utrùm scilicet intentio efficax, sive finis, sive mediorum in Deo fuerit sufficiens ad applicandam postea potentiam exequentem in tempore; an necessarium fuerit ponere aliud decretum diversum ad talem executionem? duplex est in hac re sententia: Prima asserit, sufficere illam intentionem efficacem finis, aut mediorum: Secunda autem affirmat necessarium esse illud decretum diversum ab ipsa intentione efficaci ad talem executionem; quid autem à nobis sit tenendum, jam dico: sit igitur:

166. Conclusio 1. Necessarii non fuerunt in Deo duo illi ordines, sive duo actus diversi. Ita Doctores primæ sententiæ cum *P. Vasq. 1. p. d. 89. cap. 7. P. Herice tr. 3. d. 23. cap. 11. num. 129. P. Ruiz. de Prædest. d. 12. sect. 7. num. 9. & d. 59. sect. 1. n. 4. P. Quiroz. de prædest. d. 12. sect. 6. num. 41.* & alii. Probatur primò, quia intentio efficax absoluta in eo distinguitur à simplici complacentia, & intentione inefficaci, quod illa per se, seclusò quocumque alio, extrahit rem ab statu puræ possibilitatis, & non sic ista; sed non illam sic extrahit, nisi per executionem, movendo scilicet potentiam executivam; ergo includit in se ipsam executionem. Secundò, quia potentia executiva creaturæ rationalis, si est expedita, determinatur immediatè ad operandum per intentionem efficacem ipsius creaturæ; sed potentia executiva Dei est maximè expedita; ergo determinabitur immediatè ad operandum ab ejus intentione efficaci; consequenterque hæc erit intrinsecè executiva, quin necessarius sit alius actus diversus exequens.

167. Probatur tertiò, quia potior non est intentio efficax erga voluntatem, quàm erga potentiam executivam; sed, ut Adversarii fatentur, illa potest movere Voluntatem Divinam ad eliciendum illud secundum decretum exequens; ergo etiam poterit movere immediatè ipsam potentiam exequentem ad executionem sine tali decreto diverso, aliter assignetur diversa ratio.

168. Probatur quartò, quia in creatis ideò post intentionem efficacem finis, sequitur sæpiùs actus distinctus applicans potentiam executivam, quia propter ignorantiam mediant inquisitio, & consultatio mediorum, interimque perit ipsa intentio efficax; sed in Deo ob suam scientiam comprehensivam non datur illa inquisitio, neque consultatio, neque perit ipsius intentio efficax, semel enim elicita, semper durat, alioqui mutaretur ipse Deus, cum quo est idem; ergo hæc, facta priùs electione formali mediorum, poterit per se applicare potentiam exequentem sine novo actu distincto.

169. Dices 1. Si decretum exequens esset idem cum decreto intendente, cùm hoc præcedat merita, etiam illa præcederet illud; sed hoc non est dicendum; alioqui cùm sit causa immediata meritorum, sequeretur necessitare antecedenter voluntatem ad illa; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, tale decretum esse causam immediatam auxiliorum, & mediatam tantùm meritorum, sive consensuum, quos cùm supponat præcognitos in esse conditionato per Scientiam mediam, non inducit necessitatem antecedentem, sed solam necessitatem consequentiæ involvit.

170. Dices 2. Quando objecta sunt diversa, etiam diversi actus eis correspondent; sed illic objecta sunt diversa; siquidem respectu intentionis est gloria ut amabilis non applicando potentiam exequentem, & respectu executionis est gloria ut operabilis applicando ipsam potentiam; ergo &c. Respondeo negando minorem: repræsentatur enim gloria ut amabilis, & operabilis simul, tanquam unum objectum respectu intentionis efficacis, & ut talis applicantis potentiam ad executionem, quod non implicat; sicut non implicat amare unico actu Deum, & propter illum applicare potentiam exequentem ad dandam eleëmosynam externam sine novo actu interno.

171. Dices 3. Aliqua voluntas debet admitti, per quam ponatur gloria post prævisa merita; sed hujusmodi voluntas non potest esse illa prima intentio habita ante prævisa merita; siquidem executio non fit, nisi per determinationem factam à prævisione meritorum; prævisio autem non determinat ad operandum per primam intentionem, sed excitando novam voluntatem, per quam de novo amatur gloria; ergo intentio, & executio semper distinguuntur. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, si duret prima intentio efficax, necessarium non esse, quod prævisio meritorum determinet ad novam voluntatem, sed sufficere ipsam primam intentionem ad applicandam potentiam exequentem; sicut sufficit ad causandam electionem formalem ipsorum meritorum; cùm autem in Deo semper duret, ideò admittenda non est nova voluntas exequens.

172. Conclusio 2. Duo illi ordines intentionis, & executionis diversi non implicant absolutè in Deo. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 14. num. 3. & tom. 1. in 3. p. d. 5. sect. 1. & d. 10. sect. 4. & lib. 3. de Auxil. cap. 19. num. 4. P. Arrub. d. 74. cap. 2. P. Arriaga de prædest. d. 35. sect. 7. P. Quiroz. tract. 4. d. 11. sect. 6. num. 38.* & alii. Probatur primò, quia nulla datur repugnantia in eo, quod creatura rationalis, quæ potest per intentionem efficacem se immediatè determinare ad executionem rei, applicando per se potentiam exequentem, possit etiam id efficere mediatè

mediatè imperando pro suâ libertate priùs alium actum, qui sit immediatè executivus ipsius rei; sed tunc dabuntur duo illi ordines intentionis, & executionis diversi; ergo hi non repugnant creaturæ rationali, ac proinde neque Deo.

173. Probatur 2. Quia licet Deus possit se solo producere ignem, non ita vult se solo, sed simul cum alio igne illum producere; ergo etiam licet possit solâ intentione efficaci applicare Omnipotentiam ad producendam rem, poterit tamen pro sua libertate non ita velle producere, sed medio alio actu applicante ipsam Omnipotentiam; consequenterque tunc habebit distinctos actus intentionis, & executionis. Confirmatur, quia licet homo ex imperio amoris Dei sine alio actu reflexo possit immediatè velle eleëmosynam externam, potest tamen pro sua libertate etiam illam velle mediatè, sive mediante alio actu pertinente ad ipsam eleëmosynam; ergo similiter licet Deus per intentionem efficacem possit velle immediatè executionem nostræ gloriæ, poterit etiam pro sua libertate eam velle mediatè, sive mediante alio actu exequente, cùm in hoc nulla appareat specialis repugnantia, aut contradictio.

174. Argues 1. Aut res per eam intentionem efficacem accipit existentiam sufficientem ad terminandam Scientiam Visionis; aut non: Si primum; ergo secum defert executionem; siquidem nulla res potest talem existentiam accipere, nisi per applicationem Causæ Primæ; talis autem applicatio non datur absque Voluntate Divina exequente: Si secundum; ergo jam intentio Dei efficax non distinguitur ab ejus intentione inefficaci, & simplici complacentia, quod non est dicendum; ergo &c. Respondeo accipere quidem illam existentiam, solùm tamen radicaliter, & remotè, quatenùs Deus ex vi illius intentionis determinatus est ad secundam volitionem executivam, per quam accipit existentiam illam formaliter, & proximè, ideòque post hanc secundam volitionem attingitur res per scientiam visionis absolutæ, non autem post illam primam, cùm adhuc tunc non sit simpliciter extra statum possibilitatis, sed tantùm in via necessaria ad statum futuritionis, quod non efficit intentio Dei inefficax, sicque bene inter se distinguuntur.

175. Instabis: Si res adhuc tunc manet in statu possibilitatis, solùmque terminat Scientiam simplicis Intelligentiæ, sequitur decretum illud non fuisse efficax; siquidem hoc involvit media, saltem virtute, extrahitque rem ab statu possibilitatis; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam: illud enim decretum fuit efficax in intentione, non autem in executione, ad quod satis est, quod Deus obligetur ad ponendum necessariò secundum illud decretum efficax executivum, per quod res tantùm ponitur in statu futuritionis absolutæ.

176. Argues 2. Si in Deo possent admitti duo illi ordines distincti, sequeretur, principium meriti de lege ordinaria cadere sub meritum, si v.g. detur gratis in intentione, & statim per merita ex illo procedentia prævisa jam in futuritione absoluta mereatur in executione; ac proindè Christus Dominus sic posset mereri Incarnationem; quilibet homo suam existentiam, & primam vocationem, sicque de aliis; sed hoc est contra cõmune Theologorum; ergo &c. Respondeo negando sequelam; nihil enim mereri potest, nisi videatur absolutè futurum in se, & non ita videtur principium meriti ex vi solius primæ intentionis, sed tantùm videtur futurum in causâ infallibili, quatenùs scilicet ipsa intentio efficax Deum necessitat ad ponendam secundam volitionem executivam, quâ positâ sequitur infallibiliter operatio.

Neque dicas ad rationem meriti sufficere illam continentiam in causa, non, inquam, hoc dicas, adhuc enim requiritur, quod res existat formaliter in se ipsa, quapropter licet in Scientia Media de consensu futuro sub tali auxilio, & simul in voluntate dandi illud cõtineatur futuritio absoluta ipsius rei, ideoque in tali conjuncto videatur ipsa res ut absolutè futura, non ideò prout sic visa poterit mereri suam existentiam, cùm sit continentia tantùm in causa, & non existentia in se ipsa. Unde similiter idem dicendum est à fortiori de continentia rei in decreto, sive intentione efficaci, nam adhuc in ea non continetur, ut diximus, nisi ut possibilis, sivè ut non absolutè futura. Accedit, quod meritum non reperitur in actu, quo Deus vult objectum; alioqui magis diceretur Deus mereri apud se ipsum, quàm creatura apud Deum; sed reperitur in existentia ipsius objecti; existentia autem creaturæ est eadem in decreto intendente, & exequente; unde si habetur in primo, non potest de lege ordinariâ mereri in secundo, & si in illo non habetur, non poterit exercere causalitatem meriti. De hoc tamen plenius suo loco. 177.

Argues 3. Executio solùm est in rebus externis exequendis, & non in actibus voluntatis; ergo post ordinem intentionis incipientem ab intentione finis, & desinentem in electione mediorum remotiorum, non est admittendus novus ordo actuum incipiens exequi à medio remotiori, & desinens in ipso fine. Respondeo negando antecedens; nam duplex datur executio altera passiva externa, & actualis; altera activa interna, & veluti signata: prima reperitur in solis rebus externis; secunda verò in solis actibus voluntatis, quæ aliquo modo dicitur usus applicans potentiam exequentem. 178.

Argues 4. Implicat dari decretum aliquod Dei efficax liberum circa creaturam, quin efficiat in illa mutationem aliquam; siquidem in illo incipit Deus habere novum respectum ad creaturam; cùm autem non possit dari de novo respectus inter duo extrema sine mutatione, saltem unius extremi, mutatio verò non possit dari ex parte Dei, debet saltem dari ex parte creaturæ; sed si primum decretum non esset exequens, non efficeret mutationem in creatura; siquidem hæc tunc maneret adhuc in statu possibilitatis ut antea; ergo &c. Respondeo ita implicare, si non efficiat mutationem physicam, aut moralem; proximam, aut remotam; proximam, si versetur immediatè circa ipsam creaturam independenter à novo actu Dei; remotam verò si versetur mediatè ratione alterius actûs, quem imperet, & ita se haberet illud primum decretum; intenderet enim mediante alio actu Dei, & non per se immediatè applicare Omnipotentiam. 179.

SECTIO

SECTIO XI.

Vtrùm primus actus liber Voluntatis Divinæ erga prædestinatos sit intentio divinæ gloriæ?

180. SUPPONENDUM est, nullum actum necessarium Voluntatis divinæ esse necessariò prærequisitum ad nostram prædestinationem. Probatur, quia Deus per hujusmodi actus amat se ipsum, suasque perfectiones intrinsecas, & juxta aliquos possibilia simplici affectu; sed nullus ex his actibus est per se requisitus ad prædestinationem: tum quia non assignabitur modus aliquis specialis, quo per se ad illam concurrat: tum etiam quia si per impossibile non darentur tales actus, adhuc posset dari nostra prædestinatio, cùm in illa nulla reperiretur repugnantia; ergo &c.

181. Dices: Requiritur per se Scientia simplicis Intelligentiæ necessaria; ergo etiam amor necessarius ei correspondens. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia actus scientiæ inservit prædestinationi, quatenùs proponit objecta voluntati, sine quo voluntas operari non potest: at verò actus amoris necessarius ad nihil ei inservit, sed tantùm per accidens se habet, ut patet ex dictis Neque obstat, quod ipsa scientia sit actus necessarius; siquidem voluntas ad suos actus liberos non requirit necessariò scientiam liberam; alioqui cum Scientia non sit libera, nisi quatenùs supponit actum liberum voluntatis, sequeretur, quod supponeretur ad se ipsam, saltem mediatè, quatenùs supponeretur ad Scientiam, & ipsam Scientiam supponeret ad se ipsam.

182. Dubium est: Utrùm gloria divina fuerit primum motivum, quod Deus habuit, ut nos prædestinaret; seu fuerit finis nostræ prædestinationis? Dico 1. Talis non fuit per se, & necessariò. Probatur, quia cùm nihil sit in nostra prædestinatione, quod Deum necessitet ad talem actum, benè potuit Deus simpliciter, & absolutè nos prædestinare, quin eliceret eam liberam intentionem suæ gloriæ; sed non ita posset, si ipsa intentio per se, & necessariò requireretur ad prædestinationem; ergo &c.

183. Dices: Ex nostra prædestinatione semper sequeretur divina gloria; ergo &c. Respondeo ita sequi, sed præter intentionem, & veluti per accidens quantùm ad rationem formalem prædestinationis: nam si per possibile, aut impossibile non sequeretur, adhuc eodem modo posset dari nostra prædestinatio quantùm est ex se. Patet à simili, quia etiam calor sequitur necessariò ex creatione Solis; & tamen Deus poterat creare Solem ex sola intentione lucis non attendendo ad calorem; sicq; emanatio ipsius caloris esset veluti per accidens ad eam intentionem creationis Solis, & non per se, & necessariò requisita ad illũ: undè similiter de intentione divinæ gloriæ respectu nostræ prædestinationis.

184. Dico 2. De facto primus actus liber Dei in nostra prædestinatione fuit intentio gloriæ divinæ. Ita *P. Valent. 1. p. d. 1. q. 23. pun. 3. §. Sed superest. & pun. 4. §. Quintò certum est*, & alii. Probatur primò ex illo ad Ephes. 1. 5. ibi: *Qui prædestinavit nos: ... in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Et Isai. 43. 7. *Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum.* Et ex Trid. sess. 6. cap. 7. ibi: *Hujus justificationis causæ sunt finalis gloria Dei*; ergo &c.

Probatur secundò, quia Deus, cùm ex omnibus ejus operibus gloria ei resultet, & eam in illis intendat manifestare, omnia propter illam, & semetipsum operatur, ita ut ipse sit finis *cui* & illius gloria sit finis *cujus* juxta illud Proverb. 16. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*; sed prædestinatio est unum, & præcipuum ex illius operibus; ergo in illâ primò intendit Deus suam gloriam. 185.

Oppones 1. Priùs intenditur causa, quàm effectus; sed nostra prædestinatio est causa gloriæ accidentalis in Deo; siquidem hæc ex illa resultat; ergo Deus priùs intendit nostram prædestinationem, quàm suam gloriam. Respondeo ad minorem, nostram prædestinationem esse tantùm medium, seu instrumentum efficiens ad habendam divinam gloriam; ipsam verò gloriam divinam esse ejus finem, utpotè quæ habetur per prædestinationem, & non ex illa; cùm autem finis intendatur priùs, quàm eligantur, & applicentur media, ideò prior est intentio divinæ gloriæ, quàm decretum nostræ prædestinationis. 186.

Oppones 2. Si Deus priùs intenderet suam gloriã ut finem ultimum nostræ prædestinationis, sequeretur amare nos, non amore amicitiæ, sed concupiscentiæ; siquidem referret nostram Beatitudinem in suum commodum, qualis est divina gloria, in quo consistit amor concupiscentiæ; sed id non est admittendum; Deus enim amat nos amore amicitiæ, ideoque D. Thom. *2. secundæ q. 132. art. 1. Deus*, ait, *gloriam suam non quærit propter se, sed propter nos*; ergo priùs intendit nostram Beatitudinem, quàm suam gloriam. Respondeo negando sequelam; nam Deus amando nos propter se, & ad se nos ordinando, nobis communicat se ipsum summum bonum, commodum, & utilitatem, ideoque nos amat verâ amicitiâ, quod voluit D. Thom. quando dixit, Deum non quærere suam gloriam propter se, sed propter nos, id est, quærit nostram, & non suam utilitatem, cùm Deus in se, & ex se habeat totam utilitatem, & quidquid boni est, aut esse potest, solùmque in sua gloria nostræ utilitati consulat. Et si ei accrescit illa major gloria accidentalis, quam non haberet, si non esset nostra prædestinatio, inde etiam stat nostra utilitas præsuppositа in medio assumpto ad ipsam gloriam, qualis est nostra prædestinatio. 187.

Oppones 3. Finis ultimus debet excedere omnes alios, qui sunt propter illum; sed non ita excedit gloria illa accidentalis Dei resultans ex nostra prædestinatione; siquidem est minùs perfecta, quàm unio hypostatica, quæ ad illam ordinatur; ergo illa non est finis ultimus in serie prædestinationis. Respondeo majorem esse veram de solo fine ultimo *cui*, & non de fine *cujus*, qui sæpè est inferior. Patet in rebus creatis, & earum usu, illæ enim sunt præstantiores ipso suo usu, & tamen ad illum ordinantur ut ad finem ultimum *cujus*, quarum finis ultimus *cui* est homo illis utens, & illis perfectior, quod sufficit, ut verè dicatur, quod semper minùs perfecta ordinantur ad perfectiora: cùm autem Deus sit finis *cui*, & ejus gloria sit finis *cujus*, benè potest ad eam ordinari unio Hpostatica, licet in se sit nobilior. 188.

Difficultas est: Utrùm Deus priùs decreverit creare naturam rationalem, quàm eam glorificare? Negativè. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 6. num. 12. P. Vasq. 1. p. d. 82. cap. 5. n. 18.* & alii. Probatur primò, quia eodem signo, quo creatura rationalis ordinatur ad esse, ordinatur ad illud propter suum finem primarium; siquidem ordinatur 189.

à per-

à perfectissimo agente intellectuali, qui solùm operatur ex fine primario perfectissimo; sed finis primarius supernaturalis creaturæ rationalis est ejus glorificatio; ergo eodem signo, quo Deus eam ordinavit ad esse, ordinavit etiam illam ad ipsum esse propter suam glorificationem; consequenterque non priùs habuit decretum de illius creatione, quàm de illius glorificatione.

190. Probatur secundò, quia Deus non aliter voluit fieri hominem, nisi ad eum finem, ut gloriam consequeretur; nec aliter voluit fieri gloriam, nisi ut ab homine possideretur; cùm gloria sit finis *cujus*, seu perfectio hominis, & homo sit finis *cui*, seu subjectum ipsius gloriæ; ergo neque priùs decrevit producere hominem, quàm gloriam; neque priùs gloriam, quàm hominem, sed eodem signo utriusque existentiam decrevit, ita tamen ut voluntas circa hominem fuerit efficax; simplex autem & inefficax circa gloriam, prout infra dicemus. Confirmatur, quia eodem signo, quo Christus Dominus fuit ordinatus ad esse, fuit etiam ordinatus ad tale esse, nempè ad esse Filii Dei naturalis; ergo etiam eodem signo, quo homo fuit ordinatus ad esse, fuit ordinatus ad tale esse, nempè possessoris Dei.

191. Argues 1. Primum decretum glorificandi naturam rationalem fuit inefficax; alioqui omnia illius individua consequerentur gloriam; sed decretum inefficax nõ involvit existentiam rei; ergo &c. Resp. decretum illud fuisse inefficax ex parte creaturarum, quatenùs non acceptarunt, quod Deus illis tribuit dependenter à libera earum voluntate; fuisse tamen efficax ex parte Dei; siquidem per illud obligavit se Deus præbere omnia necessaria ad salutem, quæ ab eo tantùm dependerent, quorum cùm primum sit earum existentia, quam ab ipso solo Deo habent per creationem, ideò hæc in illo decreto fuit à Deo efficaciter intenta, licet non ita fuerit intenta omnibus salus, quam Deus in illo decreto dependenter ab earum libera voluntate decrevit, ideoque inefficaciter, ut infra dicemus.

192. Argues 2. Deus priùs decrevit naturam rationalem ex illius fine naturali, & postea illam ordinavit ad supernaturalem; neque enim repugnat rem intendere ob unum finem, & postea ad alium ordinare; sed in eo primo decreto non potuit non decernere ejus existentiam, utpotè sine quâ non posset consequi ipsum finem naturalem; ergo priùs hanc, quàm ejus glorificationem decrevit. Respondeo negando majorem, ad cujus probationem dicimus esse veram de fine secundario, non autem primario; esset enim aliqualis inordinatio in Deo non admittenda intendere priùs finem secundarium, omisso primario, dato quod ad illum res erat ordinanda: cùm autem glorificatio sit finis primarius creaturæ rationalis, ad quem illa erat ordinanda, ob illum fuit à Deo primariò intenta. Accedit, quod ipse finis primarius, nempe Beatitudo supernaturalis substituit loco finis naturalis creaturæ rationalis, ideòque hæc propter illam fuit primariò intenta.

193. Argues 3. Deus primariò intendit suam gloriam ex creatione naturæ rationalis, ut patet ex supra dictis; sed non potuit sic intendere, quin involveret ejus existentiam, sine qua ipsa creatura est nihil; ex nihilo autem nulla est Deo glorificatio; ergo &c. Respondeo illam gloriam fuisse quidem à Deo intentam, non tamen ex nuda creatione, sed ex hac & ex glorificatione ipsius creaturæ, quæ sunt simul, licet illa gloriæ divinæ intentio sit prior, quatenùs est de gloria divina habenda per hominem glorificatum.

194. Argues 4. Si Deus ex intentione glorificandi Petrum v. g. decerneret ejus existentiam, sequeretur hanc esse effectum prædestinationis; siquidem nihil aliud est esse effectum prædestinationis, quàm procedere ex illius intentione; sed existentia, cùm sit res naturalis, non potest esse effectus prædestinationis; ergo &c. Respondeo negando sequelam: tum quia illa intentio non est prædestinatio, sed simplex affectio generalis eam antecedens, ut infra dicemus: tum etiam, quia si esset effectus, esset intenta post glorificationem, cùm tamen ita non sit, sed simul, ut supra diximus.

195. Argues 5. Quod est prius in executione, fuit posterius in intentione; sed existentia naturæ rationalis est prior in executione, glorificatio autem illius est posterior; ergo hæc in intentione fuit prior, illa verò posterior; consequenterque non fuerunt simul intentæ in eodem signo. Respondeo majorem esse veram inter finem & media, quæ illum non componunt intrinsecè, sed sunt tantùm causæ extrinsecæ efficientes illius consecutionem: non ita tamen inter subjectum, & finem formalem, ex quibus simul componitur intrinsecè finis totalis: talis autem est persona prædestinata, & gloria, ad quam prædestinatur; hæc enim est finis *cujus*, & illa finis *cui*: unde licet in tempore priùs producatur persona, quàm gloria, non ideò priùs amatur in æternitate gloria, quàm persona, cùm ametur tali personæ; neque enim amatur gloria in abstracto, sed in concreto, id est alicui personæ, cujus est forma; cùm nullus possit amari, ut sit Beatus, quin etiam ametur, ut sit, sive ut existat, sicque eodem signo, & per eandem voluntatem.

196. Argues 6. Intentio de glorificanda natura rationali respicit ejus operationes, quales sunt visio, & amor, à quibus glorificatur; sed non potest illas ita respicere, quin præsupponat existens ipsum subjectum operans; ergo &c. Respondeo ad minorem non posse ita respicere in executione facta in tempore extra causas: posse tamen in intentione habitâ in mente supremi artificis, qui potest per modum unius finis totalis intendere simul ipsam naturam, & gloriam habendam, seu conjunctum ex natura, & gloria.

197. Argues 7. Prioritas, quæ reperitur inter objecta, reperitur etiam inter actus divinos quoad nos; sed in natura glorificata prior est ipsa natura ut causa materialis, quàm gloria, quæ est illius forma; ergo &c. Respondeo majorem esse veram, quando prioritas illa ex objectis refunditur etiam in actus ob aliquam specialem rationem, ut refunditur ex fine & mediis; ac ex meritis, & præmio: nam cùm finis non moveat, nisi ut amatus; neque media proficiant ad finem, nisi ut electa, ideò sicut finis est prior, & causa mediorum, ita intentio finis est prior, & veluti principium electionis mediorum; idemque similiter de merito, & præmio: at verò cùm non ita se res habeat in causis physicis realibus respectu effectuum; neque in materialibus respectu formarum, ideò necesse non est, quod priùs intendantur, sed possunt simul amari, & intendi.

SECTIO XII.

Virùm in Deo præcesserit voluntas simplex salvandi omnes ante intentionem efficacem dandi gloriam electis?

198. DIFFICULTAS 1. Utrùm in Deo fuerit hujusmodi voluntas antecedens salvandi omnes? Affirmativè. Ita *P. Soar. de Prædest. lib. 4. cap. 1. num. 2. cum D. Chrysost. Theophylact. D. Amb. D. Athan. D. Hieron. D. Prosper. & D. Thom. 1. p. q. 19. art. 6. & 3. contr. gent. cap. 159. Durand. in 1. dist. 47. q. 1. P. Vasq. 1. p. d. 83. cap. 2. n. 7. P. Mol. 1. p. q. 19. a. 6. & in Concord. q. 14. art. 13. d. 10. & d. 23. memb. 2. P. Less. de Auxil. sect. 6. Assert. 1. P. Sal. tom. 2. in 1. 2. tract. 11. d. 2. sect. 3. P. Arrub. d. 50. cap. 2.* quos citat, & sequitur *P. Herice d. 23. tract. 3. cap. 11. P. Ruiz 1. p. d. 19. de Volunt. Dei sect. 1. & sequent. P. Martin. d. 11. sect. 3. n. 26. P. Amicus de prædest. d. 16. sect. 1. n. 11. P. Arriaga 1. p. d. 25. sect. 3. subsect. 3. num. 31.* & alii.

199. Probatur primò ab Scriptura 1. ad Timoth. 2. ibi: *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: ubi verbum *omnes* pro omnibus, & singulis, sive bonis, sive malis accipiendum est: alioqui si pro aliquibus, ita etiam acciperetur aliis in locis, in quibus Apostolus dicit, omnes in Adamo peccasse, ut ad Rom. 5. 12. *In quo omnes peccaverunt*: & Christum Dominum pro omnibus mortuum esse, ut 1. ad Tim. 2. 6. *Qui dedit redemptionem semet ipsum pro omnibus*; sed hoc repugnat fidei; nam de peccato definitum est à Trid. *sess. 5.* in decreto de peccato originali in omne genus humanum fuisse transfusum; & de Redemptione definitum est ab Innocent. X. in Bulla. *Cùm occasione*, & ab Alexand. VII. in Bulla *Ad Sanctam*, contra Jansenium in quinta illius propositione, Christum Dominum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, & sanguinem fudisse; ergo &c.

200. Probatur secundò ex eadem Scriptura Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* Et infrà: *quia nolo mortem morientis, dicit Dominus, revertimini, & vivite.* Et cap. 33. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat, convertimini, convertimini, & quare moriemini?* Et Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti.* Et cap. 18. *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.* Et 1. Thessal. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrùm vas suum possidere in sanctificatione, & honore.* Et 2. Petr. 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Et 1. Tim. 4. *Qui est salvator omnium, & maximè fidelium.* Et Rom. 1. *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: tu autem secundùm duritiam tuam & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram.* Et Isai. 30. *Expectat Dominus, ut misereatur vestri, & ideò exaltabitur parcens vobis.* Et Sap. 11. *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Et Job. 24. *Dedit ei locum pœnitentiæ, & ipse abutitur ad superbiam.* Et Apoc. 2. *Dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere*: ex quibus, & aliis plùribus Scripturæ locis apertè constat esse in Deo hanc voluntatem, qua vult omnium hominum salutem, etiam infidelium, & obstinatorum; ergo &c.

Probatur tertiò ex Sanctis Patribus D. Dionys. 201
de Divin. nomin. cap. 4. Si aliquis ipsius non participat, hoc nõ infirmitatis, aut parvitatis est illuminativæ ipsius distributionis; sed non extentorum ad luminis participationem propter luminis accipiendi importunitatem. Et cap. 9. *de cœlest. Hierarch. Immensum*, ait, *& infinitum divini luminis pelagus semper paratum est, & patet omnibus ad participandum.* Et D. Chrysost. *hom. 7.* in Joan. ad illa verba: *Illuminat omnem hominem, &c.* Et cap 2. *gen. hom. 11. fine.* Et in Joan. 17. *hom. 80. & tom. 3. hom. 9. de laudib. D. Paul. fine*: *Ipse quidem*, ait, *vult omnes salvos fieri: at non omnium voluntas ejus voluntati obsequitur: neque ab eo aliquis cogitur ..... Deus enim paratus est ad salvandum hominem, non involuntarium, neque non volentem.* Et D. Cyril. Alexand. *lib. 11. in Joan. cap. 21. in medium*: *Christus*, ait, *quantùm ad ferendam opem illi attinuerit, servasset hominem* (nempè Judam) *nisi ultro ipse in perditionem insiliisset. Gratia igitur in aliis effulsit, servavitq; omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt, sic enim salutis nostræ modus dispositus est.* Et D. Greg. Nissen. *de orat. Dominica*, ad illa verba; *Fiat voluntas tua: voluntas Dei*, ait, *salus hominum est.* Et D. Amb. *lib. de Paradiso cap. 8. ante medium. Nec Judæos*, ait, *omnes credituros sciebat; & tamen ait: Non veni, nisi ad oves perditas domùs Israël. Ergo non in mandante culpa est, sed in prævaricante peccatum est. Et quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quod omnes voluit liberare.* Idem habent D. Paulin. *epist. 1. ad Aprum.* D. Ansel. *lib. de volunt. Dei.* D. Damascen. *adversus Manichæos, & lib. 2. Fidei cap. 29.* D. Bonav. *in 1. dist. 40. art. 3. q. 1.* D. Hieron. *Malach. 1.* D. Bern. *serm. 5. de Nativit. Domin.* D. Irenæus, *lib. 4. advers. hæres. cap. 71.* D. August. *lib. 3. Confession. cap. 2. & in psal. 108.* & alii.

Probatur quartò rationibus: Prima, quia Deus 202
de facto omnes creaturas rationales ordinavit ad Beatitudinem supernaturalem; alioqui si aliquas non ita ordinaret, cùm illæ de se non essent ad eam ordinatæ, manerent in statu puræ naturæ, sicque non contraherent peccatum originale, cùm hoc solùm contrahatur ab illis, quibus debita erat justitia originalis; hæc autem illis prout sic non deberetur: neque essent redemptæ à Christo Domino, utpotè qui solùm redemit nos à privatione gratiæ & gloriæ resultante ex peccato Adami, quod non contraherent: neque essent capaces Sacramentorum, & fructûs passionis Christi Domini, cùm hæc solùm sint media ad finem supernaturalem consequendum; solùm autem sint capaces mediorum, quæ capaces sunt finis, ad quem ordinantur ipsa media; sed Deus non potuit sic illas ordinare ad talem Beatitudinem, nisi habuisset voluntatem salvandi illas; implicat enim quod Deus ordinet aliquem ad finem aliquem, & nolit, saltem inefficaciter, consecutionem ipsius finis; ergo &c.

Secunda, quia eodem signo facta fuit electio 203
efficax prædestinatorum ad gloriam, atque non electio reproborum; siquidem illa fuit electio eorum præ aliis; sed non electio supponit volũtatem universalem inefficacem salvandi, tam reprobos; alioqui priùs essent excluſi, saltem negativè à regno, quàm ad illud admissi aliquo modo, haberentque ad id media sufficientia, quod non est dicendum: quàm prædestinatos; alioqui jam Deus priùs esset affectus, licet inefficaciter circa repro-

bos,

bos, quàm circa electos, quatenùs priùs circa illos haberet eam voluntatem universalem; ergo &c. Confirmatur, quia applicatio redemptionis, aut supponit, aut involvit voluntatem, saltem inefficacem salvandi; sed Christus Dominus pro omnibus applicavit Redemptionem ex beneplacito Patris; ergo aut supposuit, aut involvit voluntatem, saltem inefficacem salvandi omnes pro primo signo, licet in secundo signo voluntate efficaci iterum eam applicarit pro electis.

204. Tertia, quia Deus absolutè vult omnium merita finalia, ut patet ex illo Ezech. 18. aliisque Scripturæ locis, de quibus supra *n. 200.* sed positis ipsis meritis vult Deus eorum salutem, ut est de fide; ergo absolutè vult omnium salutem; nam qui appetit aliquid sub aliqua conditione, & ipsam conditionem appetit, illud absolutè appetit. Patet in Materia prima, quæ licet appetat formam sub conditione dispositionum, cùm etiam ipsas dispositiones appetat, absolutè appetit ipsam formam.

205. Oppositum tenent *Alexand. 1. p. p. 36. D. Bonav. in 1. dist. 46. art. 1. q. 1. Scot. q. unica ad 1. Major. q. unica. Marsil. in 1. quæst. 45. art. 1. Dried de concord. liber. arbitr. & prædest. 1. part. cap. 4. ad 2. Caiet. in locum. D. Pauli. cit.* & alii: pro quibus: Objicies 1. D. August. aliquando coarctat illud D. Paul. 1. Tim. 2. ita ut intelligatur, aut per distributionem accommodam, id est de omnibus, qui salvantur, efficiatque hunc sensum: *Nullus salvabitur, nisi quem Deus salvari voluerit*: aut per distributionem incompletam, id est pro generibus singulorum, quatenùs ex omni genere, seu statu hominum velit Deus aliquos, non tamen omnes salvos fieri, ut colligitur ex *lib. de prædest. Sanctor. cap. 8. lib. de corrept. & grat. cap. 14. & 15. in Enchirid. cap. 103.* ergo &c.

206. Respondeo D. Aug. ut ait *P. Arriaga cit. n. 33.* retractasse postea hanc opinionem, si fortè eam habuit, de quo dubitatur, & veram, ac communem tenuisse; siquidem aliis in locis admittit in Deo alias voluntates inefficaces, quorum objecta non fiunt; ait enim *lib. 3. de libero arbitr. cap. 19.* peccatorem contemnere Deum volentem eum sanare. Et *lib. de Spirit. & litter cap. 33.* ait, Infideles facere contra Dei voluntatem non credentes Evangelio, sicque non debuit D. August. hîc eam voluntatem Dei inefficacem negare salvandi omnes, quando satis ab Apostolo declaratur, dum dicit, quod sicut Deus est unus omnium Deus; & Christus Dominus pro omnibus mortuus est, ita etiam vult omnes salvos fieri; sed Deus omnium, etiam reproborum est Deus unus; & Christus Dominus etiam pro illis mortuus est; & pro omnibus orandum, ut salutem assequantur, ut concludit Apostolus, & est usus Ecclesiæ; ergo Deus vult omnes, etiam reprobos salvos fieri. Aliter respondet Lezana dicens D. August. locis cit. fortasse locutum fuisse de voluntate efficaci, & absoluta Dei, quæ non est universaliter respectu omnium, sed incompletè respectu omnium tantùm, qui sunt prædestinati.

207. Objicies 2. Voluntas Dei debet impleri, ut patet ex illo psal. 113. *Omnia quæcunque voluit, fecit.* Et Sap. 12. *Subest illi, cùm voluerit, posse*; & sæpè alibi; sed voluntas illa circa reprobos non impletur; ergo non datur in Deo. Respondeo hæc, & similia loca intelligenda esse de voluntate Dei efficaci, non autem inefficaci, qualis est illa, qua Deus vult omnes homines salvos fieri. Addo si intelligenda sint de voluntate inefficaci, dicendum esse, illam impleri quoad unam partem, nempè quoad pœnam in reprobis; siquidem Deus per illam vult salutem omnium, aut damnationem, si per illos stet, quod non salventur, & quoad hanc partem semper impletur, ut ex D. Aug. explicat *P. Quiroz.*

208. Objicies 3. Implicat quod Deus velit aliquibus gloriam, & per ipsum præcisè stet, quominùs illi gloriam non assequantur; sed per Deum stat, quod aliqui non assequantur gloriam, quales sunt infantes, qui in utero materno moriuntur; aut inter gentiles ante usum rationis sine baptismo; aut amentes à natura, & omnes alii, ad quos nulla notitia, neque confusa legis Evangelicæ pervenit; ergo saltem respectu horum non habet Deus eam voluntatem. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus Deum omnibus præparasse auxilia sufficientia ad salutem, saltem in causis universalibus, nempè in meritis Christi Domini, in applicatione Sacramentorum, in illuminatione interna, si sint adulti juxta illud Joan. 1. 9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: cùm autem hæc data sint ex vi illius voluntatis conditionatè tantùm, nisi per illos stet, aut per concursum causarum secundarum naturalium, & sæpius causæ naturales ea impediant, nolente Deo illis resistere, ideò aliqui carent aliquo modo ipsis mediis, non defectu Dei, sed propter concursum causarum secundarum.

209. Respondet P. Vasq. cum aliis, Deum ex se noluisse gloriam aliquibus infantibus, ideoque eis negasse media sufficientia ad salutem; siquidem si hanc eis vellet, aliter disponeret causas secundas, nè impedirent baptismum; sicque de solis adultis explicat citatum locum D. Pauli 1. Tim. 2. motus verbis illis ejusdem Apostoli cit. loco: *Et ad agnitionem veritatis venire*: nam ad talem agnitionem soli adulti, non autem infantes illi possunt devenire.

210. Non placet primò, quia Apostolus ibi intendit, ut fiat oratio pro omnibus hominibus, quæ etiam pro infantibus in utero existentibus facienda est, neque securum est eos ab orationibus Ecclesiæ excludere. Secundò, quia propositiones universales Scripturæ non sunt limitandæ sine urgenti causa; hîc autem nulla datur; nam si Deus potuit, & noluit impedire causas naturales, ideò id fecit, quia ita postulabat earum exigentia, cum quo adhuc stare poterat, quod Deus inefficaciter optaret infantium salutem, eique displiceret, ac doleret, quod auxilia ab illis impedirentur. Undè non benè exponitur citatus locus D. Pauli de solis adultis; aliter neque de infantibus, qui salvantur, neque de illis, quibus poterat, & de facto non fuit applicatum remedium loqueretur; siquidem etiam non poterant ad agnitionem veritatis venire, quod neque ipse P. Vasq. admittit: sicque verba illa: *Ad agnitionem veritatis venire*: intelligit P. Arriaga, non de actuali, sed de habituali, quæ etiam reperitur in infantibus, cùm habeant potentias intellectuales.

211. Objicies 4. Deus ante prævisa demerita habet voluntatem positivam damnandi homines, si in peccato mortali moriantur; ergo nihil habet speciale circa eorum salutem; alioqui haberet voluntatem suæ voluntati contrariam. Respondeo negando consequentiam; nam Deus quantùm est ex se vult hominum salutem complacendo in illa, & eam desiderando, procurandoque quod apponatur conditio, & media exerceantur, ut acquiratur ipsa salus: at verò damnationem non vult quantùm est ex se, neque exoptat, neque curat, quod

conditio, sive peccata apponantur, imò oppositum desiderat, nè scilicet sint peccata, in eisque maximè displicet, in quo est magna diversitas.

212. Objicies 5. Intendere seriò finem, & illum non obtinere, est magna imbecillitas; nam si quis amat seriò, & non obtinet, non potest obtinere; si autem potest, & non obtinet, non amat seriò; sed id accideret in Deo, si haberet voluntatem salvandi omnes, esset que in eo voluntas imperfecta; ergo &c. Respondeo voluntatem inefficacem, quam haberet Deus, non esse imbecillitatem, quando intendens potest, si velit, habere efficacem, & media efficacia adhibere, ut acquiratur finis intentus, & non ita habet, neque adhibet ob altissimas causas nobis ignotas, quo pacto se habet Deus in illa voluntate; amat enim seriò, sed non efficaciter, neque media efficacia adhibet, cùm tamen possit.

213. Advertes P. Soar. hîc *lib. 1. cap. 18. num. 14.* non admittere hanc voluntatem inefficacem erga prædestinatos, sed solam efficacem, & hanc significari verbis Apostoli, nempè Deum velle omnes salvare, reprobos quidem inefficaciter, prædestinatos autem efficaciter. Non placet, ut patet ex supra dictis in probationibus, & quia Apostolus voluit ostendere Bonitatem divinam esse in ea prima voluntate universalem, & omnibus æqualem, ideòque attulit Vnitatem Dei, & Redemptionem Christi Domini, quæ sunt omnibus æqualiter universales; non autem sic ostenderet, si significaret ipsam voluntatem esse aliis efficacem, aliis verò inefficacem.

214. Dices; Nulla ratio suadet, voluntatem illam inefficacem fuisse priorem voluntate efficaci dandi gloriam prædestinatis; siquidem neque erat ejus causa; neque continebat motivum illius, cùm Deus non elegerit efficaciter prædestinatos, quia priùs voluit eis gloriam inefficaciter: deindè effectus procedentes ab ipsa voluntate inefficaci, æquè procederent à solâ efficaci; ergo non est dicendum fuisse priorem. Respondeo negando antecedens; ratio est, quia illa prima voluntas est universalis tendens ad omnes, & singulos gradus gloriæ per omnia & singula media de lege ordinaria possibilia, quos omnes Deus intendit, quantùm est ex se, dare omnibus & singulis creaturis rationalibus, si illæ ex sua parte ad eos disponantur: at verò ista secunda voluntas est particularis tendens ad certos, & determinatos gradus per certa, & determinata media; cùm autem universale semper sit prius particulari, ideò prior erit illa, quàm hæc voluntas. Accedit, quod voluntas inefficax est veluti conditionata; voluntas verò efficax est absoluta; semper autem conditionatum est prius absoluto.

215. Urgebis: si daretur voluntas illa universalis, sequeretur: Primò res naturales fuisse productas ex vi illius; consequenterque non propter electos, quod contradicit Scripturæ: Secundò circa electos dari duas voluntates efficaces, alteram universalem dandi eis gloriam indeterminatè; & alteram particularem dandi singulis ipsam gloriam in tali gradu. Tertiò, gratiam datam primis Parentibus in statu innocentiæ fuisse effectum illius primæ voluntatis universalis, & prædestinationis; sequelæ autem sunt falsæ; ergo &c. Respondeo ad primam, res naturales non fuisse primò propter electos, ad illos tamen fuisse postea ordinatas, quod satis est, ut dicantur fuisse propter illos. Ad secundam dicimus, nullam dari rationem, ut admittamus duas illas efficaces voluntates, dari tamen ut unam inefficacé, & alteram efficacem admittamus, ut patet ex dictis. Ad tertiam dicimus primam gratiam datam non fuisse primò primis parentibus ex vi voluntatis prædestinantis; fuisse tamen postea ex vi illius recuperatam, & conservatam, quod non repugnat.

Difficultas 2. Utrùm hujusmodi voluntas uni- 216.
versalis antecedens dandi gloriam fuerit signi; an beneplaciti? Advertes, voluntatem signi esse tantùm voluntatem metaphoricè & non propriam; siquidem significatur verbis, quæ supponunt eam esse in Deo, cùm tamen non sit, per illamque ita se gerit Deus externè, ac si rem vellet, cùm tamen internè non velit: voluntatem autem beneplaciti esse actum proprium internum in Deo, imò & ipse Deus. Hoc posito.

Prima sententia asserit, voluntatem antecedentem esse voluntatem signi comparativè ad salutem reproborum; esse tamen voluntatem beneplaciti comparativè ad media, quæ Deus re ipsa confert, ut possint salutem obtinere. Ita *Scot. in 1. dist. 46. q. unica. Major. dist. 45. q. unica, & dist. 46. q. unica. Marsil. q. 45. a. 1. Ocham. & Gabr. dist. 46. q. 1. Hærveus q. 2. Cajet. in 1. Tim. 2. Driedo de concordia liber. arbitr. p. 1. cap. 4. ad 2. Zumel in præsenti q. 19. a. 6. q. 2. conclus. 4. Alvarez d. 33. in 4. expositione, & ad 1. & 3. & d. 34. concl. 4. & d. 109. & 113.* & alii. 217.

Secunda sententia, quam sequimur, tenet huiusmodi voluntatem antecedentem in Deo esse voluntatem beneplaciti propriam, & realem. Ita, *D. Thom. hîc a. 6. ad 1. Albert. 1. p. q. 79. membr. 2. a. 2. Alexand. 1. p. q. 36. memb. 2. D. Bonavent. in 1. dist. 46. a. 1. q. 1. & d. 47. a. 1. q. 1. Richard. in 1. dist. 46. a. 1. q. 1. Durand. in 1. dist. 47. q. 3. Carthusian. in 1. dist. 46. q. 1. Corduba lib. 1. quæst. q. 56. P. Vasq. 1. p. d. 83. cap. 2. n. 7. P. Herice tr. 3. d. 23. cap. 11. n. 132. P. Ruiz de Volunt Dei, d. 19. sect. 10. n. 4. P. Soar. hic lib. 4. cap. 2. n. 2.* & alii. Probatur primò, quia verba Scripturæ, quando materia, aut circumstantia litteræ non cogunt ad metaphoram, & inde non sequitur aliquod inconveniens, sunt in omni proprietate intelligenda; sed neque materia, neque litteræ circumstantia nos cogunt ad metaphoram, neque inde sequitur aliquod inconveniens; ergo intelligenda sunt in omni proprietate; præsertim cùm ita verba D. Pauli citata intelligant D. Chrysost. *hom. 7. ad 1. Tim. 2. & hom. 1. ad Ephes.* D. Damascen. *lib. 2. de Fide, cap. 29. & 30.* & alii supra. 218.

Probatur secundò, quia Deus voluntate bene- 219.
placiti paravit omnibus auxilia sufficientia; ergo eadem voluntate optavit omnibus salutem: nam cùm media eligantur propter finem, & illa eligantur propria voluntate, etiam propria voluntate debet intendi finis. Confirmatur primò, quia non minùs complacet Deus in salute, quàm displicet in peccato; sed hujusmodi displicentia est actus internus Dei verus, & formalis; ergo etiam talis erit illa complacentia. Secundò, quia Deus non displicet in salute hominum, ut per se patet; neque circa illam potest se habere purè negativè per suspensionem actûs; ergo positivè per voluntatem beneplaciti.

Probatur tertiò, quia voluntas salvandi antece- 220.
dens in Deo est primaria, beneplacens, lætificans, vehemens Dei concupiscentia, & desiderium flagrans; voluntas autem consequens puniendi in Deo est secundaria, habens admixtam displicentiam, tarda, & quasi coacta; sed hæc est formaliter, propriè, & simpliciter in Deo; ergo à fortiori sic erit formaliter, propriè, & simpliciter illa.

Proba-

221. Probatur quartò, quia affectus, qui habet efficaciam, quantùm est ex se, non est metaphoricus, & improprius; sed voluntas antecedens salvandi in Deo est efficax quantùm est ex parte Dei; siquidem Deus quantùm est ex se vult efficaciter omnes homines salvos fieri; ergo talis voluntas non est metaphorica, & impropria, sed propria & formalis in Deo. Confirmatur, quia si talis voluntas circa salutem reproborum solùm esset metaphorica, & impropria, sequeretur, aut omninò, aut maximæ ex parte debilitari rationem, quâ præsciti tenentur Deo gratias agere, aliisque piis operibus gratitudinem ostendere pro infinitâ Dei benignitate, & Misericordia, qua Deus quantùm est ex se optavit, & procuravit eorum salutem; Deumque non posse illis exprobrare ingratitudinem tanti erga eos beneficii, si solùm metaphoricè, & non propriè fuit eis collatum; sed hæc non sunt dicenda; ergo &c.

222. Probatur quintò, quia si voluntas antecedens salvandi in Deo non esset propria, sed metaphorica, sequeretur in Oratione Dominica, quam Dominus docuit faciendam petere in omnibus, etiam præscitis voluntatem suam, hos petere, ut sibi Deus deneget opportunitatem, abundantiam illustrationum, & inspirationum, utque permittat eos ruere in peccata, obstinari, & damnari; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Probatur sequela, quia quando petunt, ut fiat in eis voluntas Dei, intelligenda sunt eorum verba de propria voluntate, & non metaphorica; ergo si voluntas antecedens salvandi illos est metaphorica, debent eorum verba, non ad istam voluntatem metaphoricam referri, sed ad illa remedia deneganda, permittenda peccata, & æternum supplicium inferendum, quorum omnium in Deo est propria, vera, & simpliciter voluntas; hoc autem non est dicendum; ergo &c.

223. Argues 1. Scriptura ait, Deum irasci, clamare, tangi pœnitentiâ, & dolore cordis intrinsecùs, & similibus; & tamen hujusmodi voluntates in Deo non sunt propriæ, sed metaphoricæ, & signi; ergo idem dicendum de voluntate salvandi omnes. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia illæ voluntates ex suo conceptu formali involvunt imperfectionem, saltem physicam, ut patet in hominibus, ideòque non possunt esse in Deo formaliter, sed tantùm metaphoricè, ita ut Deus sic exteriùs se gerat, ac si interiùs illas haberet: at verò voluntas salvandi omnes nullam defert imperfectionem, imò maximam perfectionem, quatenùs summam Dei benevolentiâ in omnes, etiam præscitos ostendit, ideoq; in eo est formaliter admittenda.

224. Argues 2. Nullus actus imperfectus est in Deo formaliter; sed talis voluntas, cùm non sit habitura effectum, est quædam velleitas; hæc autem est actus imperfectus; ergo &c. Respondeo hujusmodi voluntatem ex parte subjecti, id est Dei, non esse velleitatem; siquidem Deus ex se perfectè vult omnes homines salvos fieri; licet solùm sit velleitas ex parte objecti, nempè liberi hominis arbitrii, qui, cùm possit, non cooperatur divinis vocationibus.

225. Argues 3. Voluntas illa est tantùm conditionata; sed voluntas conditionata non datur in Deo actu, & formaliter, sed daretur, si poneretur conditio; ergo &c. Respondeo voluntatem illam non esse conditionatam ex parte subjecti, nempè Dei, utpotè qui absolutè quantùm est ex se elicit voluntatem salvandi omnes: esse tamen conditionatam ex parte objecti, nempè liberi arbitrii creati, cui subordinatur in ordine ad effectum assequendum, & per quod stat, quod illum non assequatur.

Argues 4. Deus potest velle media efficacia ad salutem, quin velit efficaciter ipsam salutem; sic enim aliquando vult reprobis auxilia efficacia, per quæ assequuntur ipsam gratiam, quin velit eis efficaciter salutem; ergo etiam poterit absolutè velle media ad finem, non intendendo priùs ipsum finem. Respondeo primò negando antecedens; ad cujus probationem dicimus, Deum tribuere ea auxilia efficacia reprobis ex intentione suæ gloriæ, & gratiæ temporalis, quæ verè inde assequuntur; non autem ex intentione gloriæ eis dandæ, siquidem respectu illius non sunt efficacia, cùm ipsa gloria per illa non acquiratur in re. De hoc tamen latiùs infra. 226.

Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia dato, quod Deus vult media, ut media, debet necessariò priùs intendere finem; siquidem voluntas ex intentione finis movetur ad electionem mediorum; data autem ipsa intentione, benè potest voluntas excitari ad eligenda media efficaciora, præsertim quando Deus videt ea habitura ultimum finem, cùm solùm inserviant ad gratiam intermediam, non verò ad finalem assequendam: undè talia auxilia magis possunt dici efficacia in ordine ad hanc gratiam iterùm amittendam, quàm ad finalè, cùm media efficacia ad salutem, & quæ propriè dicuntur effectus prædestinationis, sint illa tantùm, quæ inserviunt ad gratiam finalem consequendam. 227.

Argues 5. Deus dat omnibus liberum arbitrium capax ad peccatum committendum, quin dicatur velle peccatum; ergo etiam dabit media sufficientia ad salutem, quin dicatur velle salutem. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia liberum arbitrium, neque per se est ordinatum ad peccatum, neque à Deo datur ea intentione, ut creatura illo abutatur ad malum, imò potiùs utatur ad bonum: at verò media, & per se ordinantur ad salutem; aliter non essent ei proportionata; & Deus illa dat ea intentione, ut salus per illa acquiratur, ideòque cùm vult media, etiam vult finem. 228.

Difficultas 3. Utrùm hujusmodi voluntas in Deo sit non solùm beneplaciti, sed etiam per modum prosecutionis? Affirmativè. Ita *P. Soar. hic lib. 4. cap. 2. n. 10.* & alii. Probatur, quia illa dicitur voluntas per modum prosecutionis, quæ non solùm habet complacentiam de objecto, sed etiam aliquo modo illud fieri desiderat, & intendit; atqui supra dicta Dei voluntas ita se habet; siquidem Deus per illam non solùm complacet in salute omnium, sed ad illam assequendam applicat media sufficientia, nempè merita Christi Domini, Sacramenta, præcepta, consilia, auxilia, & similia; ergo &c. 229.

SECTIO XIII.

Utrùm voluntas efficax dandi gloriam sit ante absolutam præscientiam meritorum?

ADVERTES primò, quæstionem hanc, quæ quidem in hac materia est facilè princeps, excitari posse inter Catholicorum, & desperatam Calvinistarum prædestinationem; hi enim cum suo Calvino *lib. 3. instit.* 230.

institut. cap. 21. §. 5. asserunt primò, Deum æterno suo decreto quosdam ad vitam æternam, quosdam autem ad mortem æternam prædestinasse nullo ipsorum merito, aut demerito, sed quia ita ipsi placuit. Secundò, hoc Dei decretum ita esse à Deo immutabile, ut tollat omnem nostri arbitrii libertatem in negotio salutis, & perditionis; sed quadam inevitabili necessitate, hos perire, illos autē salvari. Tertiò, solis prædestinatis dari fidem in Christo, quam non possint amittere; reprobis autem negari omnem fidem, & gratiam. Quartò, solos prædestinatos esse in Ecclesia per fidem adscriptos; reprobos autem & à fide, & ab Ecclesia exclusos. Quintò, prædestinatorum peccata, licet gravia, non imputari; reprobos autem impelli, & necessitari ad peccandum, miserèque decipi, & illudi, & ita illusos in æterna supplicia præcipitari. Hæc doctrina Ecclesiæ Calvinisticæ, quā ad paucas propositiones revocat, & compendiosè refutat *P. Becan. tom. 1. opuscul. in princip. & tom. 1. Sum. cap. 16.* ubi differentiam inter Calvinistas, & Pelagianos, atque Catholicos doctè confert.

231. Advertes secundò, præsentem difficultatem multipliciter excitari inter Catholicos: Alii enim quærunt, utrùm prædestinatio fuerit ante prævisa merita? Alii, utrùm fuerit ex motivo Misericordiæ, an Justitiæ? Alii, utrùm habuerit causam aliquam ex parte prædestinati? Alii, utrùm illa voluntas efficax dandi gloriam fuerit antecedens, an consequens?

232. Advertes tertiò, voluntatem antecedentem ex communiori acceptione esse illam, quam Deus habet à semet ipso independenter ab eo, quod ad illam moveatur ex nostris operibus bonis, aut malis: voluntatem verò consequentem esse illam, quam Deus habet dependenter à nostris operibus absolutè prævisis. Patet, quia termini *antecedens*, & *consequens*, sunt respectivi ad aliud: hoc autem aliud nihil potest melius esse, quàm nostra opera. Undè voluntas dandi, aut negandi primum auxilium dicitur antecedens, quia præcedit omne opus nostrum, & Deus ex se movetur ad illud dandum, aut negandum: voluntas autem dandi præmium, aut supplicium, dicitur voluntas consequens, quia est post nostrum meritum, aut demeritum absolutè prævisum, & Deus ex illis movetur ad dandum præmium, aut supplicium.

233. Advertes quartò, voluntatem efficacem esse duplicem, alteram absolutissimam, quæ ita tendit in objectum efficiendum, ut neque formaliter, neque virtualiter patiatur oppositum, sed ex se determinetur ad illud exequendum, auferendo quodcumque impedimentū, quin aliquo modo accommodetur libertati creatæ: alteram minùs absolutam, & rigorosam, quæ semper habet effectum, non tamen præcisè ex determinatione propria, sed dependenter à determinatione libertatis creatę, quæ posita in tali, aut tali occasione infallibiliter operabitur, cum potestate tamen ad non operandum, ideoque saltem virtute permittit oppositum, licet illud non sit habitura. Illa prima voluntas non requirit Scientiam Conditionatam, cùm inducat necessitatem causis liberis: hæc autem secunda illam supponit, cùm relinquat ipsas causas in sua libertate.

234. Advertes quintò, voluntatem absolutam non coincidere cum voluntate efficaci; siquidem voluntas, qua Deus vult observationem suorum præceptorum est absoluta, & tamen est inefficax, quia plura non observantur: similiter voluntas, qua Deus vult damnationem reproborum, supposita conditione suorum demeritorum, est efficax; & tamen non est absoluta, sed conditionata.

Advertes sextò, voluntatem conditionatam 235.
etiam non coincidere cum voluntate inefficaci; siquidem voluntas illa damnationis reproborum est conditionata; & tamen est efficax: similiter voluntas, qua Deus vult apponi aliquas conditiones, ut habeantur objecta, nempè merita reproborum, ut consequantur gloriam, est inefficax; & tamen non est conditionata, sed absoluta. Advertes septimò, hìc non esse sermonem de voluntate illa absolutissima, per quam Deus est paratus tollere omne impedimentum, ut habeatur effectus; siquidem hæc semper est efficax. Advertes octavò, his notatis, in triplici sensu posse præsentem quæstionen excitari: Primò, an sit possibilis talis electio, non supponendo Scientiam Mediam? Secundò, an sit possibilis, supponendo illam? Tertiò, (de quo in sequenti Sectione,) an de facto data fuerit? Sit igitur.

Difficultas 1. Utrùm possibilis sit electio effi- 236.
cax ad gloriam ante Scientiam Mediam, salva libertate creata? Negativè. Ita communiter Doctores nostræ Societatis Jesu. *P. Arriaga hìc d. 34. sect. 4. n. 13. P. Quiroz. hìc d. 10. sect. 1. num. 1.* & alii apud ipsos, & à nobis infrà citandi. Probatur, quia omnis suppositio omninò antecedens, & quæ nullo modo est in potestate agentis liberi, ut ponatur, aut tollatur, & quâ positâ non potest non operari, tollit ejus libertatem; siquidem non illud relinquit cum indifferentia ad operandum, vel non operandum, aut ad operandum oppositum, imò impedit omnem ejus resistentiam; sed ita se haberet electio illa efficax ad gloriam ante Scientiam Mediam; siquidem non esset in potestate hominis, quod poneretur, aut tolleretur, cùm antecederet omnem usum libertatis, & ejus etiam consensum conditionatum; deindè, câ positâ, non posset homo non salvari, etiam de potentiâ Dei absolutâ; ergo tolleret omnem ejus libertatem ut *salvaretur*, aut damnaretur; consequenterque necessitaret ad salutem.

Confirmatur primò, quia illud, quod necessariò 237.
sequitur ex alio, necessariò, simpliciter, & in se est necessarium; sic enim Filiatio divina simpliciter est necessaria, quia necessariò sequitur ex Paternitate necessaria; sed illa assecutio gloriæ sequitur necessariò ex electione simpliciter necessaria respectu prædestinati; ergo respectu illius esset simpliciter necessaria. Secundò, quia datâ illâ electione efficaci sine ulla dependentia à voluntate creata, non posset Deus habere decretum efficax concurrendi cum illa ad oppositum, aut suspendendi concursum productivum gloriæ; cùm talia decreta contrarientur in Deo; & sicut in nobis peccatum est velle, nè impleatur voluntas Dei efficax; ita etiam in Deo esset defectus elicere illud secundum decretum contrarium primo, & illius impeditivum, sed absque tali decreto non datur libertas creata; siquidem non manet voluntas cum omnibus requisitis necessariis ad operandum liberè, cùm eorum unum sit illud decretum; ergo &c.

Argues 1. Licet positâ illâ electione non posset 238.
homo non assequi gloriam in sensu composito, posset tamen in sensu diviso ab ipsa electione; siquidem per illam non amisit potestatē ad eliciendā opera ei contraria, quam adhuc conservat in ordine ad opera contraria, licet in sensu diviso ab ipsa electione efficaci facienda; ergo adhuc conservat suam libertatem. Resp. argumentum solùm probare, prædestinatum habiturum potestatem ad impediendam

diendam gloriam, dato quod electio illa auferretur; non tamen ad ponendum aliquid, quod eam impediret, quandiu duraret, sicque non mansurum absolutè liberum: aliter dicant hominem videntem Deum; aut Verbo unitum posse damnari, & ad id esse absolutè liberum; siquidem in sensu diviso à Visione beata, & ab Unione Hypostaticâ, posset liberè operari ad damnationem. Et ratio est, quia si non est in sua potestate tollere illam electionem, & illâ positâ, non potest non assequi gloriâ, quomodò pro tunc dici potest liber, & non potiùs necessitatus ad illam assequendam.

239. Argues 2. Quamvis suppositio illa esset antecedens respectu prædestinati, talis non esset respectu Dei; ergo absolutè non tolleret libertatem. Respondeo non tollere libertatem divinam, maximè tamen creatam: nam si à voluntate creata tolleret indifferentiam, quid ad eam referret, an à Deo eliceretur liberè, vel necessariò? hoc ei esset omninò per accidens. Patet à simili, ex eo, quod Deus liberè sibi univerit Humanitatem, mansit ne hæc, suppositâ unione Hypostaticâ, libera ad peccandum? Quis hoc dicet; ergo similiter in nostro eventu.

240. Argues 3. Ex illa electione adhuc orirentur media libera: posset prædestinatus promereri salutem per hæc, aut illa merita: imò posset adhuc Deus dare ei gloriam, etiamsi moreretur in peccato; ergo absolutè non tolleretur libertas. Respondeo negando primam & secundam partem antecedentis: nam cùm illa auxilia essent efficacia, & independentia à libero arbitrio, ejusque consensu conditionatè futuro, cùm non supponerent Scientiam Mediam, determinarent voluntatem creatam: & dato quod adhuc voluntas esset indeterminata ad hæc, aut illa media, quod facilè potest admitti; siquidem positâ electione efficaci ad gloriam, non sequitur, quod Deus necessitetur ad danda hæc numero media; adhuc salus non esset homini libera, quia adhuc non posset damnari, sed necessariò salvaretur, & cùm salus non posset acquiri sine mediis, necessitatus ad salutem, etiam necessitaretur ad electionem mediorum; quod autem esset liber in his, aut illis eligendis, simpliciter & absolutè non sufficeret ad rationem meriti, ut alibi dicemus. Ad tertiam partem antecedentis dicimus, verum quidem esse, Deum posse absolutè salvare peccatorem, non tamen pro hoc statu, in quo habet decretum efficax damnandi peccatores; aliter dicamus posse pro hoc statu jam damnatos salvare, & damnare jam electos; siquidem de potentia absoluta potest illos educere ab inferno ad Cœlum, & hos à Cœlo ad infernum detrudere.

241. Argues 4. Electio illa solùm adducit necessitatem moralem, & relinquit libertatem physicam; sed hæc sufficit; ergo &c. Respondeo negando majorem: implicat enim quod in voluntate creatâ detur virtus aliqua, sive physica, sive moralis, per quam frustrari possit decretum Dei efficax independens ab ejus consensu, qualis esset illa electio.

242. Difficultas 2. Utrùm possibilis sit electio efficax ad gloriam ante scientiam absolutam, sed post conditionatam? Affirmativè. Ita *P. Ruiz. hic d. 12. sect. 1. num. 3. P. Arriaga hic d. 35. sect. 8. num. 90. P. Quiroz tr. 6. d. 12. sect. 2.* & alii infra citandi. Probatur primò ex Scriptura Matt. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Ad Rom. 11. *Potens est Deus inserere illos*, ideſt in bonâ olivam. Et cap. 14. *Potens est enim Deus statuere illum:* nempe in perpetuâ mandatorum observantia. Et 2. Cor. 9. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis; ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Et ad Ephes. 3. *Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus, aut intelligimus.* Et Judæ n 24. *Ei autem, qui potens est vos conservare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos, &c.* Et Proverb. 21. *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.* Ex quibus, aliisque pluribus locis constat hanc Deum potestatem habere eligendi pro sua libera voluntate quemcunque maluerit ad gloriam.

Probatur secundò, ideò talis electio repugnaret, quia læderet libertatem creatam; sed non ita læderet; siquidem intentio illa dandi gloriam esset actus reflexus determinans Deum ad volendum dare auxilia, quibus ipsa gloria acquireretur, talis autem actus non læderet libertatem creatam: tùm quia si eam non lædit dare ipsa auxilia, neque etiam lædet velle illa dare: tum etiam, quia si ipsa auxilia, quæ sunt principia immediata, non lædunt libertatem, neque eam lædet illa intentio, quæ tantùm esset principium remotum operans per ipsamet principia immediata; ergo &c. 243.

Probatur tertiò, quia si certò sciam ex revelatione divina Petrum mihi liberè daturum librum suum, si ab eo petam, possum velle petere, quin hac mea volitione offendam ejus libertatem; siquidem dabit, & si infallibiliter, non coactus à revelatione divina, neque necessitatus à mea volitione, sed quia erat ex se cõditionatè determinatus ad dandũ; ergo similiter Deus sciens Petrum infallibiliter cooperaturum cum auxiliis in ordine ad salutem consequendam, potest ei efficaciter velle ipsam salutem, & in ea velle dare auxilia, quin offendat ejus libertatem; siquidem, etsi infallibiliter postea consequeretur gloriam, non esset tamen necessitatus à divina intentione, neque ab auxiliis, sed quia jam erat conditionatè determintaus ad cooperandum. 244.

Probatur quartò, ideò illa electio esset impossibilis, quia cùm esset voluntas Dei efficax antecedens consensum, & necessariò connexa cum illo, necessitaret voluntatem; sed possibilis est in Deo talis voluntas, quin nostram necessitet; siquidem nos possumus petere, imò in Oratione Dominicâ jam de facto petimus à Deo auxilium efficax, cùm dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem*: quod Deus potest velle dare; hæc autem voluntas dandi est antecedens nostrum consensum in esse futuro, & necessariò connexa cum illo, alioqui non esset voluntas dandi auxilium efficax, quin tamen lædat nostram libertatem; ergo &c. 245.

Probatur quintò, ideò esset impossibilis talis intentio efficax, quia implicaret velle gloriam dandam postea in executione propter merita ante illa prævisa in esse absoluto: aut quia Deus sic posset etiam reprobare ante prævisa demerita in esse absoluto, quod implicat; sed licet implicet hoc secundum, non implicat illud primum; ergo &c. Probatur minor quoad primam partem, quia Deus benè potest ex se moveri ad dandam vitam, non ita tamen ad dandam mortem, nisi coactus à peccatis reprobi; neque enim Deus vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat, ex principio illo: *Omnis excessus in præmiando est à virtute liberalitatis, & omnis excessus in puniendo est à vitio crudelitatis.* Probatur quoad secundam partem, quia illa intentio benè potest esse gratuita ex parte subjecti, id est Dei, & esse ex debito ex parte objecti 246.

objecti, nempè gloriæ; siquidem benè potest Deus gratuitò velle gloriam exequendam ex justitia: sic enim homo nullus obstrictus debito potest intendere vendere equum tradendum propter prætium, cujus intentio est gratuita ex parte subjecti, & executio postea ex parte objecti est ex justitiâ, quatenùs ex illa intentione gratuita determinatur homo ad executionem non gratuitam; ergo &c.

247. Objicies 1. Electio illa ita esset suppositio antecedens, ut ejus positio non esset in potestate prædestinati; siquidem non poterat Deum movere ad illam ponendam per sola merita conditionata: deindè, illâ positâ, magis illi repugnaret carentia salutis, quàm prædeterminationi physicæ repugnat carentia actûs; siquidem cum hac, saltem divinitùs potest conjungi carentia actûs, & non ita posset cum illâ etiam divinitùs conjungi carentia salutis; ergo omninò tolleret libertatem de salute consequenda.

248. Respondeo negâdo primam partem antecedentis; neque enim electio illa est suppositio simpliciter, & absolutè antecedens, neque desinit esse in manu prædestinati, quod detur talis electio, nam licet non potuerit per sola merita conditionata efficere, quod poneretur, potuit tamen efficere, quod non poneretur; si enim Deus non prævideret eum liberè cooperaturum, non eum eligeret. Undè quamvis absolutè non sit in mea manu, quod prædestiner, cùm dependeat à libera Dei voluntate, qui poterat videre mea merita conditionata, & me non prædestinare; in mea tamen manu est impedire meam prædestinationem, quatenùs possum non correspondere auxiliis divinis: sicque opera illa conditionata non movent Deum ut merita ad ponendam electionem in præmium; sunt tamen causa, ut electio ab illis dependens, & infallibilitatem sumens, non dicatur antecedens libertatem creatam simpliciter, & absolutè, sed ad plurimum secundùm quid.

249. Neque obstat, quod non possit, neque divinitùs habere secùm actualiter carentiam salutis; siquidem etiam Scientia Media, & voluntas dandi auxilium efficax, ita sunt conjunctæ cum consensu futuro, ut non possint, etiam divinitùs habere secùm actualiter carentiam illius; & tamen non sunt suppositio omninò antecedens libertatem, eamque tollens, cùm supponant ejus futuritionem conditionatam, & illi accommodentur; sicque non emutant connaturalem, & intrinsecum modum operandi in voluntate creata, sicut illum non emutat illa electio; præsertim cùm solùm intendat Deus salvare prædestinatum liberè; & cùm salus libera, licet infallibilis, secùm deferat potentiam ad non essendum, ita etiam eam involvit talis electio, etiamsi talis potentia non sit infallibiliter reducenda ad actum propter determinationem conditionatam causæ liberæ cognitam per Scientiam Mediam, quam supponit.

250. Instabis: Talis electio, saltem respectu salutis ut absolutè futuræ, est omninò antecedens: Deindè non potest secùm ferre voluntatem Dei generalem de concurrendo ad carentiam salutis; siquidem Deus non potest parare auxilium ad frustrandam suam voluntatem efficacem; ergo saltem ex hoc capite tollitur libertas. Resp. etiam Scientiam mediam esse antecedentè respectu consensus ut absolutè futuri; & tamen non tollere libertatem: Deindè Deus cum ipsâ Scientiâ habet generale decretum ad oppositum; & tamen non ideò dat auxilium ad frustrandam suam Scientiam, cùm illud non det eâ intentione, ut oppositum habeatur reduplicativè, & ex suppositione, quod detur Scientia Media, sed absolutè, & specificativè, ut possit fieri oppositum, & exerceri libertas creata: sic etiam videns per Scientiam Mediam Petrum peccaturum in tali occasione, adhuc ei dat vocationem, nè peccet, non reduplicativè, & in sensu composito, suppositâ tali scientiâ, sed absolutè, specificativè, & in sensu diviso à tali Scientia, ut possit non peccare, ideoq; nõ vult talem Scientiam frustrari; sicque similiter de illa electione efficaci ad gloriam, quæ supponit ipsam Scientiam Mediam, in qua fundatur, & à qua sumit efficaciam, & suam infallibilitatem, ac proindè non est simpliciter antecedens.

Urgebis: Aut Deus Scientiâ Mediâ prævidit 251.
nostrum consensum liberum ante, aut post electionem efficacem ad gloriam: Si primum; ergo voluntas non poterat postea liberè operari, cùm ei adveniret electio efficax eam determinans ad operandum; si secundum; ergo non potuit prævidere ipsum consensum liberum, cùm videret voluntatem operantem sub electione efficaci, quæ non poterat frustrari; ergo semper tolleretur libertas.

Resp. prævidere ipsum consensum ante electio- 252.
nem, quæ postea adveniens non offendit libertatem; siquidem non mutat causas, quas ipse consensus liber habebat in statu conditionato, sed eas relinquit intactas: & quamvis ipsa electio sit etiam causa, talis est tantùm mediatè, ideest, mediis auxiliis, quatenùs Deum determinat ad danda ipsa auxilia, quæ cùm non lædant libertatem, neque illam lædet ipsa electio, ut diximus. Patet à simili, nam etiam Scientia Media advenit statui conditionato, quin tamen mutet modum operandi liberè, cùm non mutet causas. Aliter tamen dicendum esset, si illa electio efficax esset absolutissima applicans media, quæ determinant ad consensum, & non sineret dari universalem permissionem ad oppositum, hæc enim necessitaret; de illa tamen hîc non loquimur.

Replicabis: Prædeterminatio physica, licet sup- 253.
ponat Scientiam Mediam de consensu futuro, tollit omninò libertatem, & secùm non patitur decretum generale de concurrendo ad oppositum, ex eo, quod neque ejus positio sit in potestate hominis, neque posita, possit homo impedire ejus operationem; ergo idem dicendum de electione efficaci. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia prædeterminatio physicâ, cùm sit causa physica operationis, addita, mutat causas consensûs prævisas in statu conditionato; neque enim in hoc poterat voluntas operari liberè in sensu composito, id est, si videretur habere ipsam prædeterminationem, sed in sensu diviso ab illa; ac proindè non mirum, si mutet modum operandi, & voluntatem necessitet, cùm Scientia Media antecedens sit respectu illius veluti per accidens, & tanquam si non præcederet, utpotè cui ipsa prædeterminatio non se accommodat, sed propriam sequitur naturam, quæ est determinare ad operandum, & voluntatem necessitare; quod aliter est in electione efficaci, ut patet ex dictis.

Inferes: Ergo si illa electio pendet à futuritione consensûs prævisa, & hæc à libertate creata, ipsa libertas creata, & non Deus est tota causa discretionis prædestinati à reprobo, quod tamen est contra illud 1. Cor. 4. 7. *Quis enim te discernit?* Respondeo negando illationem; nam sicut prædestinatus videbatur consensurus, si vocaretur in tali occasione,

occasione, ita etiam videbatur consensurus reprobus, si in tali occasione vocaretur: cùm autem Deus prædestinatum, & non ita reprobum vocet, ideò solus Deus ipsum prædestinatum à reprobo discernit.

255. Dices: Neque unio hypostatica in Christo Domino: neque Visio Beata in Petro est principium operationum, aut conditio ad illas; & tamen tollit libertatem ad peccandum, & non permittit illud decretum generale concurrendi ad oppositum. Similiter præceptum Dei de subeunda morte in hoc instanti v.g. impositum Christo Domino non est immediatè operativum, neque necessarium ad operationem; & tamen illum necessitat ad operandum, sive ad subeundam mortem, & non permittit in Deo decretum generale ad oppositum; ergo similiter de illa electione.

256. Respondeo primò cum aliquibus negando consequentiam; diversa ratio est, quia electio illa est extrinseca prædestinato, ideoque necessitatem non inducit: at verò unio Hypostatica, & Visio Beata, sicut & prævia motio, cùm sint formæ intrinsecæ, inducunt necessitatem. Non placent primò, quia decretum Dei efficax absolutum est extrinsecum; & tamen inducit necessitatem. Secundò, quia unio Hypostatica, & Visio Beata sunt extrinsecæ voluntati, cùm in illa non recipiantur; & tamen hæc illam necessitat ad amorem, & illa ad non peccandum. Igitur.

257. Respondeo secundò meliùs negando consequentiam; diversa ratio est, quia neque unio hypostatica, neque Visio Beata accommodantur Scientiæ Mediæ antecedenti, licet detur, neque eam supponunt, imò omninò per accidens cum illâ conjunguntur; siquidem ex naturâ suâ expellunt omnem sensum divisum à subjecto, in quo sunt, illud determinando ad unum, quin aliquo modo permittant oppositum: aliter tamen dicendum de illa electione, ut patet ex supra dictis. De præcepto imposito Christo Domino idem dicendum est; siquidem cùm efficiat oppositum esse peccatum, & peccatum pugnet cum unione hypostatica, idem de illo dicendum est, quod de ipsa unione,

258. Objicies 2. Deus eligit prædestinatum ad gloriam, ut ad præmium, mercedem, & coronam juxta illud Luc. 6. 23. *Gaudete in illa die, & exultate: Ecce enim merces vestra copiosa est in cœlo.* Et 2. Tim. 4. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ*: & sæpè alibi; sed non poterat sic eligere, nisi post prævisa merita absolutè futura; siquidem in eo distinguitur meritum à fine, quod meritum movet, quia jam est, ut præmium sit: finis autem non ita, sed movet, ut ipse sit, ideoque sufficit, quod videatur possibilis, & non ita sufficit, quod videatur meritum, sed debet prævideri existens; ergo &c.

259. Respondent aliqui ad id sufficere merita sub existentia conditionatè futura. Sed contra primò; ergo injustè damnarentur reprobi; siquidem etiam Deus videbat eorum merita sub existentia conditionatè futura, si in tali, aut tali occasione vocarentur; & tamen eis non tribuit gloriam. Secundò; ergo justè posset Deus damnare electos; siquidem etiam vidit eorum demerita sub existentia conditionatè futura, si in tali, aut tali occasione eis denegaret auxilia congrua; hæc autem non admittuntur; ergo &c.

260. Respondent alii, eam electionem fuisse independentem à meritis, postea tamen ipsa merita jam in esse absoluto prævisa obtinere, quod eadem gloria, quæ jam priùs supponebatur tribuenda, iterum novo alio titulo tribuatur. Non placent, (etiam si supra videamur hanc solutionem non rejicere,) primò, quia meritum de lege ordinaria non movet ad dandum in præmium novo titulo illud, quod jam antea possidetur; siquidem movet ad faciendam novam gratiam; hæc autem non fit dando novo titulo illud, quod jam possidetur; alioqui posset Deus de lege ordinaria eodem numero præmio omnia merita præmiare, addendo tantùm novos titulos. Secundò, quia si Deus in ea prima electione voluit dare homini gloriam gratis, non potest de lege ordinaria dare eam postea propter merita; siquidem velle dare gratis, & ob merita, sivè non gratis, de lege ordinaria repugnat, cùm non exequatur gloria, ut fuit priùs intenta.

Respondent alii, potuisse Deum in primo signo intendere gloriam præscindendo à meritis, neque ea includendo, neque excludendo, sed præcisivè se habendo; in secundo autem signo deliberare de illa danda ex meritis. Patet exemplis: primò, quia potest quis videns egenum deliberare primò apud se illum juvare: postea autem decernere, an omninò gratiosè, an solvendo illi pecuniam aliàs debitam. Secundò, quia Deus potest primò pluviam decernere; postea autem deliberare circa causas, propter quas eam est executioni mandaturus, an scilicet propter orationes fidelium, an propter causas naturales. Undè fit, quod illa prima intentio haberet pro motivo solam manifestationem gloriæ divinæ, & communicationem Dei creaturis, & non honestatem Misericordiæ, aut Justitiæ: Secundum verò decretum applicaret Omnipotententiam ad exequendam ipsam salutem sic intentam jam ex motivo Misericordiæ, aut Justitiæ. Ita P. Soar. 261.

Dices 1. cum *P. Arriaga cit. d. 35. sect. 3. n. 28.* Talis intentio cùm sit antecedens, tolleret libertatem; ergo non est admittenda. Respondeo negando antecedens; talis enim intentio potuit esse post Scientiam Mediam de mediis liberis; intentio autem efficax, suppositâ Scientiâ Mediâ, non tollit libertatem, ut supra diximus. Addo, etiamsi esset ante hanc Scientiam, adhuc posse salutem esse aliquo modo liberam, si Deus v.g. in secundo signo, habitâ jam Scientiâ Mediâ de mediis indifferentibus, daret auxilia indifferentia, quibus homo libenter consentiret ad salutem consequendam: tunc enim Deus solùm obligaretur ad necessitandam hominis voluntatem casu, quo non inveniret media, quibus ille vellet consentire. Patet exemplo, nam si pater intenderet efficaciter mittere filium velit, nolit ad bellum, & postea blanditiis, & obsequiis eum alliceret, ut liberè consentiret, illeque in re liberè patri obediret, quis dubitabit, filium liberè suscepisse bellum, & patrem ex illo decreto solùm se obligasse illum cogere, dato quod filius nollet? ergo similiter efficeret Deus in eo eventu, sicque adhuc homo liberè ageret ad salutem. 262.

Dices 2. cum eodem *P. Arriaga cit. num. 36.* In eo eventu non posset postea mereri gloria etiam in secundo signo, quia jam supponebatur aliundè debita in prima intentione; quod autem jam debetur, non meretur; ergo &c. Respondeo illam primam intentionem, licet decerneret dare gloriam, esse solùm dependenter à secundo decreto, quod deliberaret de motivo, & facta deliberatione de motivo, solùm ex hoc intenderet dare, & non absolutè sine illo. Undè quamvis homo tunc haberet jus ad gloriam, non esset jus absolutum, sed dependens à secundo decreto eligente media, per quæ assequeretur. 263.

264. Patet à simili, si homo efficaciter decerneret transferre dominium sui equi in amicum, non deliberando, an gratis, vel pretio accepto, nonnè posset postea, durante illa prima intentione illum tentare, an velit emere, & accepto justo pretio, justè illum tradere? Ita sanè; sed ex vi illius primæ intentionis solùm haberet amicus jus ad equum, non tamen ad illum accipiendum gratis, sed aut gratis, aut dato pretio dependenter à secunda volitione; ergo ita etiam esset in Deo. Hoc modo respondent aliqui, ut diximus, videant tamen, an illa indeliberatio in Deo circa merita, & suspensio circa hoc, aut illud motivum repugnent Deo, sicut ei repugnat cognitio confusa. Igitur.

265. Respondeo melius ad argumentum *num. 258.* negando minorem; Deus enim per eam electionem vult gratis salutem prædestinato, tradendam tamen post per merita, & propter illa: ita ut ipsa volitio sit omninò liberalis ex parte subjecti; siquidem ex se, & nullo oblato pretio, movetur Deus ad illam habendam, quatenùs non tenebatur velle donare nobis, imò neque etiam vendere salutem: non ita tamen talis sit ex parte objecti; siquidem non est de donandâ, sed de vendendâ gloriâ per merita; sicque non est concessa independenter à meritis: undè ipsa volitio manet prior meritis formaliter, & posterior virtualiter, ac ex parte objecti, quatenùs non nisi per merita vult Deus dare gloriam, volendo simul virtute media ipsa, sive merita, quibus postea moveatur formaliter ad illam in effectu tradendam.

266. Patet à simili in eo, qui in gratiam alterius vult equum vendere; hic enim, cùm à nullo cogatur velle vendere, gratis, & liberaliter vult ex parte actûs; non tamen ex parte objecti; siquidem intendit non tradere, nisi oblato pretio; quod idem est in omnibus aliis contractibus: in Rege proponente præmium certantibus non dandum, nisi post victoriam: & in amico solicitante pro alio amico, ut per sua merita assequatur præmium; cum hac tamen diversitate inter Deum, & homines, quod Deus vult etiam dare pretium, dando auxilia congrua ad opera bona, ut emamus salutem; & non ita inter homines volunt venditores dare, imò volunt accipere pretium ab emptoribus, sicque de aliis exemplis. Deindè inter homines venditor potest habere aliquam voluntatem vendendi, antequam videat emptorem, non tamen omninò efficacem, quia sibi certò non constat, an velit ipse emptor emere, & pretium habeat; Deus autem vult efficaciter, quia per Scientiam Mediam jam ei certò constat de emptore, & de pretio.

267. Infers: Ergo Deus aliter intendit Petro gloriam, & aliter eam postea donat; siquidem in ipsa intentione non est venditio, cùm tamen talis sit in executione. Respondeo negando illationem, si sumamus eam intentionem, non ex parte actûs, sed ex parte objecti; nam tunc si non est venditio exercita, quia non offeruntur merita in esse absoluto, est tamen venditio signata, quia intendit non dare gloriam, nisi post merita accepta; ac proindè ex tunc incipit gloria esse prædestinati, possidenda tamen ex suppositione, quod det merita. Undè intentio dandi gloriam ex parte objecti non est merum beneficium; aliter excluderet merita etiam in ordine executionis; siquidem qui intendit dare rem merè liberaliter, si postea tradat, accepto pretio, aliter dat, atque intendit, quod non potest in Deo admitti, idem enim motivum habuit in intentione dandi gloriam, atque postea in executione, quod erat dare ex justitia.

SECTIO XIV.

Virùm electio efficax ad gloriam de facto fuerit ante prævisa merita in esse absoluto?

HÆc est nobilissima, & omnium Doctorum scriptis celeberrima controversia, tota illius difficultas revolvitur ad ordinem, quem actus, in quibus consistit prædestinatio, inter se habent, sive ad causam motivam primariam propter quam Deus hos potiùs, quàm illos eligit ad gloriam; nam si priùs præparat gratias, prædefinit merita, & illa videt absolutè futura, quàm efficaciter prædestinet ad gloriam; causa hujus electionis sunt merita ipsius electi sic antea prævisa: si autem priùs efficaciter eligit ad gloriam, quàm videat merita absolutè futura, hujus electionis causa non sunt ipsa merita, sed sola Dei voluntas. Undè: 268.

Advertes primò, quando hîc quæritur causa prædestinationis, non esse quæstionem de causa ipsius actus divini secundùm id, quod dicit in recto; sic enim est ipse Deus, qui nullam habet causam, cùm sit omnium Prima, sed solùm secundùm id, quod connotat in obliquo, sive illorum effectuum, ad quos terminatur illa Dei voluntas. 269.

Advertes secundò nomine causæ hîc, aliam intelligi non posse, quàm motivam, & meritoriam; siquidem finalis est gloria Dei; subjectiva est ipse prædestinatus; formalis est ipsamet prædestinatio; effectiva physica est ipse Deus; sicque sola superest effectiva moralis Deum movens ad prædestinandum, seu ad præparandas homini gratias congruas, prædefinienda merita, & gloriam decernendam. Tota igitur prædestinationis difficultas, omnium adhuc ingeniorum contentione major, consistit in assignanda causa, quæ Deum ab æterno efficaciter movit ad decernendam absolutè gloriam Divo Petro potiùs, quàm reprobo Judæ; siquidem cùm certum sit præter voluntatem illam generalem inefficacem salutis omnium, de qua supra, admittendam esse in Deo voluntatem aliquam specialem efficacem, & absolutam dandi electis gloriam, quam voluntatem Deus non habeat pro gloria omnium reproborum, necesse est, ut ad hoc decretum absolutum moveatur Deus, aut ex pura liberalitate, & amore gratuito erga electum, aut ex justitia quadam, qua velit reddere æquale præmium meritis, quæ jam videt absolutè futura ex gratiis præparatis, qui est cardo totius controversiæ, in qua plures sunt Doctorum sententiæ, aliæ hæreticæ, aliæ minùs, aliæ magis probabiles. Igitur. 270.

Prima sententia asseruit causam meritoriam prædestinationis fuisse opera bona, quæ anima prædestinati fecit antequam ejus corpori uniretur. Hic fuit error Origenis *lib. 1. Periarch. cap. 8. & lib. 2: cap. 1.* censuit enim, animas fuisse creatas ante hunc mundum visibilem, & pro ratione operum bonorum, aut malorum, quæ tunc gesserint, uniri corporibus hominum, aut prædestinatorum, aut reproborum. Rejicitur hic Origenis error: Primò ex illo ad Rom 9. ubi de electione Jacob, & reprobatione Esau: *Cùm enim*, ait, *non dum nati essent, neque* 271.

neque quidquam boni, aut mali egissent, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocatione dictum est, quia major serviet minori; sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau odio habui. Et idem convincitur 2. Tim. 1. & ad Tit. 3. Secundò ex Concil. Later. *sub Innocent. III. sess. 8.* & Clementina *unica de sum. Trinit.* §. *Porrò*, ubi damnatur hic error Origenis quatenùs censuit animas uniri corporibus, non ut formas naturales, sed in præmium, aut in pœnam. Tertiò ex Sanctis Patribus *D. Cyril. Alexand. lib. 1. in Joan. cap. 4. D. Hieron. in cap. 1. ad Ephes.* & aliis.

272. Secunda sententia fuit Pelagianorum, qui cùm causam, ac initium justificationis ponerent in actionibus naturalibus liberi arbitrii, censerentque etiam solis viribus ejusdem liberi arbitrii sine auxilio gratiæ posse hominem in gratia accepta perseverare; consequenter censebant hujusmodi actiones naturales liberi arbitrii esse causam prædestinationis meritoriam ex condigno, de qua Pelagianorum sententia loquitur D. Aug. *lib. de prædest. Sanctor. cap. 18.* ibi: *Præsciebat*, (ait Pelagius,) *qui futuri essent sancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium; & ideò eos omnes ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, quia tales futuros esse præscivit, elegit.*

273. Sed contra hunc impium divinæ gratiæ hostem definitum est à quatuor Conciliis in illius causa coactis, Palæstino, Milevitano, & duobus Cartaginensibus, ac in multis aliis confirmatum præsertim à Trid. *sess. 6. can. 1. & 3.* deindè sancitum à pluribus Pontificibus illorum temporum Innocent. I. *Epist. ad Concil. Milevit.* Cœlestino I. *Epist. ad Episcopos Galliæ.* Gelasio *in Concil. 70. Episcoporum*: probatum ab omnibus Patribus, præsertim à D. Aug. *lib. de bono perseverant. de prædest. Sanctor. de grat. & lib. arbitr. de corrept. & grat. & Epist. 105. & 106.*

274. Tertia sententia fuit Semipelagianorum, qui paulò postquam fuit repressus Pelagii error, docuerunt in Gallia idem ferè, quod Pelagius, ideoque Semipelagiani, sive Pelagianorum reliquiæ dicti sunt. Hi censuerunt, causam meritoriam prædestinationis esse fidem, quâ quis primò credit doctrinæ Evangelicæ, atque adeò voluntatem ipsam credendi, & acceptandi salutem omnibus divinitùs oblatam, itemque perseverantiam finalem in fide; quatenùs asserebant, hominem, postquam divinæ gratiæ munere per fidei doctrinam salus omnibus offertur, & vocatione divina voluntas hominis prævenitur, posse per solum suum liberum arbitrium ita credere, & velle salvari, ut merito hujus fidei, & voluntatis obtineat à Deo munus gratiæ, quo & justificetur, & roboretur in illa voluntate, & fide; indigere autem auxilio gratiæ ad actiones virtutum pias, & observationem mandatorum (quod inter alia negabat Pelagius) non verò ad perseverandum in fide, sed id posse per solas vires liberi arbitrii.

275. Sed contra has Pelagii reliquias stat: Primò Scripturæ authoritas, quæ docet, & fidem, & perseverantiã in fide, & omnem piam, ac salutarem voluntatem promanare ex auxilio gratiæ, ut patet ex illo Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Ad Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Et 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti.* Et ad Philipp. 1. *Vobis datum est, non solùm, ut in eum credatis, verùm etiam, ut pro eo patiamini.* Et ad Philipp. 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere.* Et 1. ad Tim. 4. *Misericordiam à Domino consecutus sum, ut fidelis essem.* Secundò authoritas Concil. Arausic. 2. *Sub Leone I. can. 4. 5. 6. 7. 8. & 9.* ubi asseritur, neminem posse credere, aut perseverare sine auxilio divinæ gratiæ; quod etiam definitum est in Trid. *sess. 6. cap. 5. 6. & 13. & can. 3.* Tertiò authoritas Sanctorum Patrum. *D. Aug. lib. de bono persever. cap. 17. D. Prosper. D. Hilar. D. Fulgent. lib. 1. ad Monim. & lib. de Incarnat. cap. 17. & 18. D. Greg. hom. 9. in Ezech. D. Bern. lib. de grat. & liber. arbitr.* & alii.

Quarta sententia fuit eorum error, qui cum 276.
Basilide, Valentino, & Manichæis extremè oppositam Pelagio hæresim amplexi *Prædestinatiani* dicti sunt, quod vellent totam causam prædestinationis ita esse voluntatem Dei, ut neque prodesse possent nobis opera bona, si essemus reprobi, neque mala, si electi: quod delirium noviſſimis his temporibus secuti sunt Wicleffus, Joannes Hus, Martinus Lutherus, & Calvinus, volentes prædestinari homines ad vitam, & ad mortem ex solo Dei beneplacito nihil attendentis ad eorum merita, aut demerita, sed ex sola sua voluntate quosdam ad vitam, alios autem ad ignem æternum destinantis, ita ut nullum electis imputetur peccatum à Deo, neque reprobis à Deo detur ulla gratia, qua peccatum vitetur.

Sed contra hæc omnia opinionum monstra cũ ve- 277.
ritate catholica insurrexit D. Ignatius parens meus, & instituta ab eo Scocietas Jesu; *Sicut enim* (dicit de eo Ecclesia,) *Deus alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero, ejusdemque temporis hæreticis, Ignatium, & institutam ab eo Societatem objecit.* Nunc quas in hac materia opiniones habeant Doctores Catholici jam dicimus.

Quinta sententia affirmat in actibus, ac decre- 278.
tis divinis nullam esse prioritatem rationis inter merita, & gloriam, sicque neque merita prævideri ante voluntatem dandi gloriam, neque è contra; sed utraque, ut dicunt, habent se concomitanter, & Deus unico actu re, & ratione vult merita propter gloriam, & gloriam per, seu propter merita. Ita *P. Mol. 1. p. q. 23. art. 4. d. 1. memb. 8. P. Valent. hîc q. 23. punct. 4. §. Sit jam igitur secunda assertio. P. Granad. 1. p. contr. 14. d. 8. tract. 5. & tract. 7. d. 4. sect. 3. P. Arrub. d. 72. & 73.* quos citat, & sequitur *P. Rhodez d. 5. de Deo, q. 2. sect. 5. §. 2.* & alii, quorum fundamenta infrà proponemus, & dissolvemus.

Sexta sententia est aliquorum dicentium, præ- 279.
destinatos ante merita prævisa eligi ad minimum gloriæ gradum, nempè ad illum, quem parvuli statim post baptismum extincti assequuntur; quidquid autem primo huic gradui adjungitur, non nisi prævisis meritis à Deo ipsis conferri; sicque gratis accipiunt, ut hi Authores dicunt, primum gradum gloriæ; reliqui autem gradus per, & post prævisa merita.

Septima Sententia asserit, licet præscientia, seu 280.
prævisio absoluta meritorum antecedat ut plurimum electionem ad gloriam, aliquos tamen eximiè à Deo dilectos, fuisse peculiari modo prædestinatos, sicque ante prævisa merita, inter quos adnumerant Beatissimam Virginem Mariam. D. Joannem Baptistam, Sanctos Apostolos, & alios hujusmodi. Ita *Ocham. in 1. dist. 41. quæst. 1. Gabr. ibid. q. 1. art. 2. Catharin. opuscul. de prædest. lib. 1.* & alii.

Octava sententia magno plausu à Recentioribus 281.
plerisque excepta, quia, inquiunt, facilior, & suavior docet totam causam electionis efficacis ad gloriam esse merita absolutè prævisa, sicque nullum, sive Angelum, sive hominem ratione præditum fuisse

ad gloriam prædestinatum per electionem efficacem ante merita absolutè prævisa. Ita *P. Vasq. 1. p. d. 89. Stapletonius in cap. 9. ad Rom. P. Less. de prædest. sect. 2. P. Valent. 1. part. q. 23. punct. 4. §. 4. P. Becan. hic cap. 14. quæst. 4. P. Mærat. 1. p. d. 41. P. Alarcon. tract. 4. d. 2. cap. 11. P. Herice tract. 3. d. 23. P. Vekenus hic. d. 26. cap. 4. n. 7. P. Moncæus d. 4.* quos citat. & sequitur *P. Compton. hic d. 40. sect. 1. n. 3. & sect. 4. n. 2. Camerar. in dialog. cap. 5. Osorius lib. 9. de justit. P. Francisc. Turrian. in opuscul. de Election. Willelm. de Rubion. in 1. dist. 41. q. 1. a. 1. & art. 2. conclus. 3. apud. P. Vasq. cit. cap. 2. P. Præposit. hic q. 23. a. 8. dub. 8. §. 2. n. 69. Joan. à Bononia opuscul. de prædest. p. 1. & 2. Joan. Mariana de Morte, & Immortalit. cap. 7. Richard. in 1. dist. 41. art. 2. q. 2.* & alii apud citatos, quorum fundamenta infra adducemus, & dissolvemus.

SECTIO XV.

Proponitur, & probatur sententia à nobis tenenda.

282. COmmunior & probabilior sententia, quam sequimur docet prædestinationem, sive electionem ad gloriam respectu omnium tam Angelorum, quàm hominum sive adultorum, sive parvulorum factam esse ante prævisionem absolutam meritorum. Ita D. August. variis in locis, & alii Patres, de quibus infrà. *D. Thom. hic q. 23. art. 4. & 5. & lib. 3. contr. gent. cap. 161. & 163. & ad Rom. 9. lect. 3. Magist. in 1. dist. 40. & 41. Durand. ibid. dist. 41. q. 2. art. 2. n. 14. & q. 1. n. 8. Scot. in 1. dist. 41. q. 1. §. Potest aliter. D. Antonin. 4. part. tit. 14. cap. 12. §. 4. Rainer. 1. p. cap. 9. verbo. Electio. Altisiodor. in 1. cap. 9. q. 2. Arimin. in 1. dist. 41. quæst. 1. art. 2. conclus. 4. & 5. Major. dist. 40. q. unica. & dist. 41. q. 1. Marsil. in 1. q. 41. art. 2. Ægid. dist. 41. q. 1. art. 2. Capreol. in 1. dist. 41. art. 1. conclus. 7. Ferrar. lib. 3. contr. gent. cap. 161. & 163. Richard. in 1. dist. 41. q. 2. art. 2. Abul. in Matt. cap. 20. q. 25. & cap. 22. q. III. Driedo de concord. liber. arbitr. p. 1. cap. 3. conclus. 1. & 3. & cap. 4. memb. 1. ad 5. Richard. Tapper. art. 7. de liber. arbitr. Castro. verbo. Libertas, hæres. 1. ad object. 3. Sot. ad Rom. 9. Corduba. lib. 1. quæstionar. q. 59. opin. 5. Sixtus Senens. lib. 1. Biblioth. annot. 248. Viguerius Instit. Moral. cap. 20. de Incarnat. §. 8. Horant. lib. 3. col. cahol. cap. 6. Caiet. Ripa. Bannez. Zumel.* & Recentiores Thomistæ *hic q. 23. art. 4. Cabrera in 3. p. q. 1. art. 3. ad 1. P. Bellarm. tom. 3. lib. 2. de grat. & liber. arbitr. cap. 15 & 16. P. Henriq. de fine homin. cap. 11. & 12. P. Soar. 1. p. lib. 1. de prædest. cap. 8. à n. 32. & Opuscul. de Auxil. lib. 3. cap. 16. à n. 9. P. Salmeron. ad Rom. 8. d. 20. & 21. P. Pererius ibid. d. 12. 13. & 22. Estius in 1. dist. 41. §. 1. P. Justinian. ad Rom. 9. P. Lorin. in 2. Petr. 1. 10.* & alii, quos citant, & sequuntur *P. Tanner. hic d. 3. q. 5. dub. 3. à n. 5. P. Ruiz. hic d. 7. sect. 4. à n. 1. P. Arriaga d. 36. sect. 3. n. 20. P. Quiroz tract. 4. d. 12. sect. 3. n. 12.*

283. Fundamenta ex triplici capite sunt desumenda: Primò ex authoritate Sacræ Scripturæ, de quo in præsenti sectione: Secundò ex authoritate Sanctorum Patrum: Tertiò ex ratione, de quibus sectionibus sequentibus, cùm enim præsens quæstio sit totius materiæ prædestinationis præcipua, & magis controversa, mirum non est, si in illâ stabiliendâ longiùs, quàm par est immoremur. Igitur.

284. Probatur primò ex illo Matt. 25. 34. ibi: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi*: ubi significatur regnum æternæ beatitudinis illis à Deo fuisse paratum, id est destinatum in mente divina à constitutione mundi, quod non debet intelligi de sola actuali mundi productione, quia illud propositum non fuit à Deo conceptum in tempore, sed ab æterno, sicut ab æterno decrevit mundum producere in tempore. Dicent etiam ibi mentionem fieri de causa propter quam Deus illis regnum paravit: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Respondeo hujusmodi verba non reddere causam, cur illis paratum sit regnum, cùm ibi de hac præparationis causa solùm obiter fiat mentio; principaliter autem de proposito, de quo paulò ante dixerat: *possidete regnum, &c.* ut benè ibi D. Chrysost. hom. 54. *Nunc autem*, ait, *quoniam non secundùm mercedem hominum, sed secundùm suam largitatem constituit mercedem sanctorum, ideò antequam sanctos crearet in sæculo, regnum cœlorum præparavit in Cœlo.*

Probatur secundò ex illo Matth. 24. 20. *Propter* 285.
electos breviabuntur dies illi. Et Marc. 13. 20. *Nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro, sed propter electos, quos elegit, breviavit dies*; sed ibi loquitur simpliciter de electis ad gloriam, & horum electio assignatur pro causa illius breviationis, quæ erat medium ad gloriam; ergo hæc electio debuit ratione antecedere in mente divina decretum illius medii. Ita *P. Soar. lib. 3. de Auxil. cap. 16. & P. Tanner. cit. n. 10.*

Probatur tertiò ex illo ad Rom. 9. 11. ibi: *Cùm* 286.
non dum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundùm electionem propositum Dei maneret,) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autè odio habui. Ex quo infertur, Deum ex mera liberalitate, & non ex operibus prævisis quosdam eligere ad gloriam, aliis postpositis; neque enim potest sine temeritatis nota negari, ut ait *P. Ruiz cit. sect. 2. num. 1.* ibi agi de Jacob eligendo ad gloriam, & de Esau propter scelera damnando, in quo sensu intelligunt citatum locum. *D. Chrysost. Origen. Theodoret. Theophylact. OEcumen. D. Amb. D. Athan. Sedulius. Beda. D. Anselm. Hug. Cardin. D. Thom. D. Irenæus, D. Cyril. Alexand. D. Remig. D. Aug. lib. propositi. ex Epist. ad Rom. & lib. 1. ad Simplician. q. 2. & Epist. 105. ad Sixtum*, & alii.

Dicent 1. D. Paulum ibi locutum, non de per- 287.
sonis individuis Jacob, & Esau, sed de duobus populis, qui ex illis descenderunt, nempè de Israëlitico, & Idumæo. Primò, quia in Scripturis sæpè nominibus capitum significantur populi: Secundò, quia ibi loquitur Apostolus de fratribus, quorum *Major serviet minori*; hoc autem non est dictum de singularibus personis Jacob, & Esau, sed de populis ex illis capitibus procreandis; siquidem Paulus locutus est se referens ad illud Gen. 25. *Duæ sunt gentes in utero tuo, & duo populi ex utero tuo dividentur, populusq; populum superabit, & major serviet minori*: quod in populis, non verò in personis Jacob, & Esau accidit; neque enim Esau unquam servivit Jacob. Tertiò, quia verba illa: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*: de populis procreandis, non verò de eorum stipitibus dicta sunt à Malach. cap. 1. Quartò, quia Apostolus hic præcipuè agit de cæcitate, & reprobatione Judæorum, & de electione gratuitâ gentium à Deo misericorditer factâ; ad hoc autem probandum plenior erat argumentatio ex duobus populis desumpta, quàm ex duabus tantùm personis.

Respondeo D. Paulum ibi locutum fuisse & de 288.
populis

populis procreandis, & de eorum stipitibus, sicque: Ad primum dicimus in hoc, sicut & in aliis Scripturæ locis nomine Jacob, & Esau significari quidem populos ab ipsis procreatos, simul tamen etiam ipsas eorum personas singulares in exemplum prædestinatorum, & reproborum, contra quod nihil probat argumentum. Ad secundum idem dicimus; neque enim aliter, nisi de duobus personis singularibus potuit verificari textus, cùm duo populi non possent esse in utero unius fœminæ. Ad tertium dicimus, licet litteralis sensus apud Malachiam sit de illis populis, eorumque bonis temporalibus, allegoricum autem, quem ex illo sumpsit D. Paulus, esse de prædestinatione populi Christiani, & reprobatione Judaici, ut ait *P. Pererius in gen. cap. 25. d. 6. & 7. P. Tolet. hîc annot. 21. P. Salmer. hîc d. 27. P. Justinian. hîc vers. 13. P. Cornel. n. 54. & P. Ruiz cit. n. 13.* Ad quartum dicimus pleniorem argumentationem desumi simul & ex personis capitum, & ex duobus populis, quos omnes comprehendit eminentior Sapientia D. Pauli.

289. Dicent 2. D. Paulum ibi non agere de prædestinatione, aut reprobatione omnium hominum in singulari, sed populi collectim sumpti. Primò, quia perindè fuit dicere Malachiam: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui:* ac si diceret *Israëlitas*, & *Idumæos*, sed si id dicerent Propheta, & D. Paulus, nõ deberent intelligi de prædestinatione aut reprobatione singulorum hominum, sed populi, perindè ac si dicerent Lusitanos, aut Hispanos Deus dilexit, Turcas autem odio habuit; ergo &c. Secundò, quia Idumæi post Christi mortem cum reliquis gentilibus fuerunt ad fidem invitati, inter quos verisimile est fuisse non paucos prædestinatos, & ex Israëlitis quàm plurimos damnatos; ergo illud odium adversus Idumæos, & amor erga Israëlitas non fuerunt approbatio, aut reprobatio personarum in particulari, sed hominum, sive populorum in communi.

290. Respondeo negando antecedens: Ad primum dicimus non idem esse: *Jacob dilexi*: atque *Israëlitas dilexi*, (similiter de Esau;) siquidem prima illa verba exprimunt personam Jacobi, & implicitè subintelligitur populus; sicque non solùm ibi agit D. Paulus de prædestinatione, aut reprobatione duorum populorum, sed maximè personarum singularium. Ad secundum dicimus, neque amorem Jacobi prædestinasse quaslibet personas Israëlitarum sed ipsum in particulari, (idemque de reprobatione Esau;) illos tamen adducere D. Paulum in exemplum prædestinatorum, & reproborum.

291. Dicent 3. D. Paul. hîc locutum fuisse de favoribus peculiaribus & felicitatibus temporalibus, ut ait P. Vasq. datis Jacobo, & negatis Esau; non autem de electione ad gloriam, & reprobatione. Respondeo negando antecedens: tùm quia hîc absolutè sermo est de electione, & proposito Dei: tùm quia servitus illa, qua reprobi subjiciuntur electis, non est in hac vita, in qua sæpius iniqui dominantur bonis, sed debet in alia vita compleri juxta illud: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, &c.* Sap. 5. 4. tùm etiam quia ipsa terra promissionis, ad quam electus est Jacob, non autem Esau figura erat cœlestis gloriæ, ad quam gratuitâ Dei benevolentiâ electus est Jacob.

292. Dicent 4. D. Paulum ibi locutum de primogenitura, & dominio Jacob; siquidem id impletum fuit, quando Isaac benedicens dixit: *Esto Dominus fratrum tuorum.* Gen. 27. ibi autem loquebatur de pimogenitura; ergo &c. Respondeo quamvis sensus litteralis sit de temporali beneficio primogenituræ, allegoricum autem esse de singulorum hominum electione, aut reprobatione, & in hoc locutum fuisse D. Paulum.

293. Dicent 5. D. Paulum ibi locutum, *ut secundùm electionem propositum Dei maneret*; electio autem versatur inter personas, in quibus meritorum discrimina prævidentur; ergo &c. Respondeo electionem divinam non præsupponere, sed facere meritorum discrimina, inter quæ versatur, prout infrà dicemus.

294. Dicent 6. Odium Dei non esse possibile, nisi adversus peccata, quæ sola ipse non facit, nullum enim ex his, quæ Deus facit odio habet juxta illud. Sap. 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*; ergo nemo reprobatur, nisi propter prævisa peccata, quæ præbeant rationem odii, juxta illud: *Odio est Deo impius, & impietas ejus.* Sap. 14. Respondeo odium illud Dei adversus Esau, antequam aliquid mali egisset, non significare voluntatem positivam Dei inferendi pœnam, sed tantùm negativam de qua infrà.

295. Probatur quartò ex eodem D. Paulo ad Rom. 9. 20. ibi: *Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ex qua figuli, & luti similitudine probat D. Paulus prædestinationem, aut ejus negationem fuisse factam ante merita absolutè prævisa; alioqui si ex operibus prævisis, exemplum figuli non esset aptum, ut D. Paulus satisfaceret querelis, & objectionibus sibi ab hominibus factis & antea adductis, ut intendebat. Ita *D. Chrysost. D. Bonav. in 1. dist. 41. art. 1. q. 2. & ad 3. D. August. lib. de prædest. Sanctor. cap. 8. & lib. de prædest. & grat. cap. 16. & cap. 7. & lib. 1. ad Simplician. q. 2. & in Enchirid. cap. 99. & Epist. 105. & 106. & Concil. Valent. sub Leone IV. cap. 3.* & alii. Confirmatur etiam ex illo Isai. 64. *Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos verò lutum: & fictor noster es tu.* Et Jerem. 18. *Sicut lutum*, ait, *in manu figuli; ita in manu mea vos, domus Israël.* Et Sap. 15. *De eodem luto*, inquit, *fingit, quæ munda sunt in usum vasa, & similiter, quæ his sunt contraria. Horum autem vasorum quid sit usus, judex est figulus.*

296. Dicent 1. D. Paulum exemplo figuli denotare Deum pro mera sua liberalitate ex eadem massa quosdam abundantioribus auxiliis, ac spiritualibus beneficiis cumulare, alios relinquendo expositos gravibus peccatorum periculis, minori auxiliorum proventu roboratos. Respondeo hoc quidem non esse rejiciendum, dummodò ex hoc discrimine liberalitatis divinæ illi infallibiliter salventur; hi autem damnentur.

297. Dicent 2. Si in præsenti esset sermo de voluntate Dei, sequeretur Deum eundem esse malorum opificem, qui bonorum est author; siquidem idem vasa facit in contumeliam, qui facit in honorem. Resp. cum *D. Aug. lib. 1. ad Simplician. q. 2.* Deum efficere quidem vasa in contumeliam, non tamen quatenùs efficit naturam humanam, cùm hæc de se sit bona, & honore digna, neque quatenùs faciat hominis culpam, cujus author esse non potest; sed quatenùs homines à se neglectos, id est non efficaciter electos ad gloriam, sciens illos implicandos esse peccatis, ordinat ex ipsis peccatis ad pœnam, ut infrà dicemus.

298. Dicent 3. Deo pro sua voluntate faciente de hominibus quod ipse vult, sequi eorum liberum arbitrium ruere. Respondeo ita sequi, si Deus faceret id independenter ab eorum libera cooperatione,

tione, & nullâ præcedente Scientiâ Conditionatâ dictante, quid homo liberè sit voliturus in talibus circumstantiis, prout supra diximus.

299. Probatur 5. ex illo ad Ephes. 1. *In quo*, ait, *& nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum voluntatis ejus, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Ubi D. Paulus analogia sortis probat prædestinationem ante prævisa merita in esse absoluto: tùm quia sors fortuitò, & casu hominibus contingit; quamvis respectu Dei non sic, sed ex libero decreto, consilio, & proposito: tùm quia sors significat dona gratis collata his potiùs, quam aliis, soloque Dei beneplacito: tùm quia sors significat terram viventium, id est gloriam à Deo promissam juxta illud Psal. 141. *Portio mea in terra viventium*: quæ sorte divisa est, ut constat ex Scriptura.

300. Confirmatur primò ex illo ad Coloss. 1. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* Ubi D. Chrysost. hom. 2. *Qua ratione*, ait, *sortem vocat; ut ostendat neminem ex propriis suis virtutibus acquirere regnum, sed quemadmodum sors magis ex eventu est, & casu, ita & hîc: Nemo enim talem vitæ conversationem ostendit, ut regno dignus esse posit, sed totum donum est ipsius Dei.* Idem expositum hîc *Theophylact. D. Prosper. Epist. ad Russinum, & D. Ansel.* Confirmatur secundò ex psal. 30. ibi: *In manibus tuis sortes meæ*: non autè dixit *meis*: ubi D. Aug. *Quando Deus*, ait, *nulla merita nostra invenit, sorte voluntatis suæ nos salvos fecit, quia voluit, non quia digni fumus. Hæc est sors.* Confirmatur tertiò ex illo Prov. 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Ubi Beda cap. 18. cum D. Hieron. *Sors*, ait, *est occulta & incomprehensibilis prædestinatio ex divina regula procedens.* Confirmatur quartò ex illo Actor. 8. ubi D. Petrus ad Simonem Magum: *Non est tibi pars, neque sors in fide hac*: id est, non pertines ad istam gratiam, quam gratis omnes accepimus, quia pecuniâ te putas emere, quod gratis datur. Confirmatur quintò ex illo Actor. 1. *Ostende quem elegeris ex his duobus unum*: & additur: *Cecidit sors super Mathiam*: ubi notandum illud: *cecidit*: denotare casum, & Mathiam non fuisse causam illius suæ electionis; ergo &c.

301. Probatur sextò ex illo Luc. 12. 32. ibi: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*: ubi agitur de æterno regno dando ex complacentia, & ex beneplacito divino, non autem ex debito, & ex meritis absolutè prævisis; neque enim dicimus debitorem solvere debitum ex complacentia, sed ex debito. Dicent sermonem ibi esse de simplici, & inefficaci complacentia, aut voluntate conditionata, non autem efficaci; siquidem Christus Dominus non ad solos Apostolos, sed etiam ad alios verba fecit, inter quos multi non fuerunt prædestinati: aut si ad solos Apostolos, etiam inter illos erat Judas, quod stare non potest cum voluntate Dei efficaci prædestinante; ergo &c. Respondeo primò hæc verba intelligenda de solis electis, facta denominatione à potiori parte. Secundò, quia Christus Dominus voluit huic pusillo gregi speciale solatium exhibere; nihil autem speciale eis indicasset, si tantùm de voluntate conditionata locutus esset.

302. Probatur septimò ex illo Joan. 10. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis: Oves meæ vocem meam audiunt.* Ubi D. Aug. tr. 35. in Joan. assignat conscriptionem inter oves Christi pro causa auditionis; ergo secundùm rationem priùs est esse ovem Christi per prædestinationem, quàm credere & audire vocem Christi.

Probatur octavò ex illo Joan. 15. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ubi sermo est ad solos 303.
Apostolos electos & prædestinatos, jam excluso Judâ, quo loco utitur D. Aug. ad probandam electionem gratuitam. Dicent ibi sermonem esse de electione ad Apostolatum; ergo &c. Respondeo negando antecedens; quia etiam ibi est sermo de electione ad sanctitatem, & ad bona opera, eorumque perseverantiam, ut patet ex adjectis verbis: *Et posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat*: ad quæ dicuntur à Christo gratis electi; alioqui si ex operibus, priùs ipsi per sua bona opera Christum elegissent, quàm à Christo eligerentur.

Probatur nonò ex illo ad Ephes. 1. *Sicut elegit* 304.
nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti. Ubi D. Aug. *lib. de prædest. Sanctor. cap. 17. & 18. Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Idèo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus.* Et ex illo Jacobi 1. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni.* Ubi D. Aug. *de prædest. Sanctor. cap. 17. Eligendo ergo Deus facit divites in fide, sicut hæredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit.* Et ex illo 1. Cor. 4. *Quis enim te discernit? quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis.* Ubi D. Aug. *lib. 2. contr. 2. Epist. Pelagian cap. 7. Quis te discernit? Et tanquam respondisset, discernit me fides mea, propositum meum, meritum meum. Quid enim habes, inquit, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Ergo ille discernit, qui unde discernaris impertit, pœnam debitam removendo, indebitam gratiam largiendo, &c.* Ex quibus, aliisque pluribus locis, quæ videri possunt apud Doctores citatos, satis constat Deum de facto nos elegisse ad gloriam ante merita absolutè prævisa.

SECTIO XVI.

Probatur nostra Sententia authoritate Patrum, & Conciliorum.

CUm inter Sanctos Ecclesiæ Catholicæ Patres maxima sit de hac re D. Augustini authoritas, quem utriusque Sententiæ Doctores pro se habere dicunt, & ex non benè intellecta Summorum Pontificum approbatione circa doctrinam D. Augustini de gratia, & prædestinatione, aliqui nostræ sententiæ Authores occasionem sumpserint severiùs, quàm par est adversus contrariæ sectatores animadvertendi, de tali Summorum pontificum approbatione, quid sentiamus, priùs dicendum, ut authoritatem D. August. illiusque vim meliùs intelligamus: Undè: 305.

Advertendum est, doctrinam D. Aug. quan- 306.
tùm ad id, quod electio cujusque prædestinati ad gloriam facta fuerit ab æterno independenter ab operibus supernaturalibus absolutè prævisis, & quod hujusmodi electio fuerit causa, ex qua infallibiliter sequerentur bona opera supernaturalia, & perseverantia in illis, non fuisse à Summis Pontificibus, & Conciliis approbatam quasi de fide, neque tanquam certam; siquidem hi fuerunt Cœlestinus Papa *in epist. ad Episcopos Galliæ.* Leo I. *Epist.*

Epist. ad Nicetam. Gelasius *in decreto de apocri. Script. & Epist. 5. ad Episcopos per Picenum.* Et Concil. Arausican. 2. qui omnes non approbant ut certam, & de fide doctrinam. D. August. de prædestinatione, nisi quantùm ad hoc, quod ex viribus naturæ sine auxilio gratiæ, nullum detur initium justificationis, nulla dispositio, nullum meritum, & nulla impetratio.

307. Probatur primò, quia in suis decretis, & canonibus inserunt articulos illos doctrinæ D. Aug. quos approbant; cùm tamen plurimos inserant de negando initio gratiæ ex solis viribus naturæ, nullam ibi mentionem faciunt de electione ad gloriam ante prævisa merita. Secundò, quia illorum decreta dirigebantur ad reprimendos Massilienses contra D. Aug. Sed hi, licet agerent, non solùm de electione ad gratiam, sed etiam ad gloriam, in eo tantùm errabant, quod utriusque electionis causam sumi volebant ex actionibus liberi arbitrii, non dum excitati per auxilium supernaturale; ergo hoc tantùm, non verò electio ad gloriam ex prævisis operibus supernaturalibus per gratiam, ab illis expressè reprobatur.

308. Advertendum tamen deindè est, electionem hanc ad gloriam ante prævisa merita magnam authoritatem conciliare ex eo, quod hujusmodi sententia sit maximè affinis doctrinæ fidei confirmatæ à Summis Pontificibus; siquidem D. Aug. quoties excludit justificationis initium ex solis viribus naturæ contra Pelagianos, & Semipelagianos, toties recurrit ad id excludendum ad electionem factam ante prævisa opera quæcumque, sive naturalia, sive supernaturalia, insistens semper in potestate divinæ electionis, ut nos moveat infallibiliter ad opera supernaturalia. Et quamvis Adversarii, quando ex testimoniis D. Aug. colligimus electionem ante prævisa merita, dicant D. Aug. agere de electione ad gratiam, aut ad vocationem congruam, non autem de electione ad gloriam, id tamen ex pluribus D. Aug. locis, aliorumque Patrum manifestè apparet: Undè.

309. Probatur primò ex D. Aug. in locis, de quibus supra, & nunc ex *lib. de corrept. & grat. cap. 6.* ubi adducens illud Actor. 13. *Crediderunt quotquot ordinati erant in vitam æternam: Quis*, inquit, *in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantiæ dono; quandoquidè qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: quâ salute, nisi æternâ*; sed nomine *vitam æternam*, sive *salutem æternam*, non potest intelligi sola gratia, aut sola perseverantia; siquidem donum perseverantiæ non est medium, quo homines ordinentur ad gratiam, aut perseverantiam, sed quo ordinantur ad gloriam; hoc autem donum perseverantiæ procedit ex electione divinâ, ut constat ex toto citato capite; ergo &c.

310. Dicent nominibus *vita æterna, salus æterna, regnum cælorum*, aut *gloria* intelligi à D. Aug. gratiam, quatenùs hæc nos ordinat ad gloriam, quæ virtute continetur in ipsa gratia. Non placent: primò quia hujusmodi explicatio locum non habet in proximè citato loco, ut patet ex dictis. Secundò, quia verba detorquet ad minùs usitatum intellectum. Tertiò, quia minùs aptè congruit menti D. Aug. ut patet ex supra dictis.

311. Probatur secundò ex eodem Aug. *lib. de prædest. Sanct. cap. 17.* ubi explicans illud Jacobi 1. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, &c. Eligendo ergo Deus*, ait, *facit divites in fide, sicut hæredes regni. Rectè quippè in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit.* Ex quo facilè colligitur, electionem ad hæreditatem regni, & ad divitias fidei in eo convenire, quod sicut electio est causa, ut sint divites in fide, ita etiam ut sint hæredes regni; & ut habeant ea, per quæ sint hæreditate digni; ergo ad electionem ad gloriam non præsupponuntur merita prævisa, sed ab ipsa electione causantur. Hoc idem probant alia loca D. Aug. quæ Sectione præcedente ponderavimus, & hanc doctrinam D. Aug. de electione ad gloriam ante merita absolutè prævisa ita explicant *D. Prosper, D. Fulgent. lib. 1. ab Monim. cap. ult. & lib. 2. cap. 1.* & Doctores supra cit.

312. Dicent 1. D. Aug. tradidit hanc doctrinam contra Pelagianos, & Semipelagianos; sed horum nulli errabant circa electionem ad gloriam ex meritis gratiæ, sed tantùm ex meritis naturæ prævisis; ergo solùm de electione ad gratiam, & non ad gloriam locutus fuit. Respondeo minorem esse falsam, ut patet ex supra dictis, & exinde sumitur argumentum pro nostra sententia, quia Semipelagiani dicebant propter merita elicienda ex viribus naturæ à Deo prævisa eligi homines non solùm ad auxilia gratiæ, sed etiam ad perseverandum in gratia, & ad gloriam; sed D. Aug. debuit plenè refellere Semipelagianos; ergo refellit non solùm prædestinationem ad gratiam, sed etiam ad gloriam ex prævisis antea meritis: siquidem sic meliùs, & abundantiùs eorum errorem confutabat, quatenùs dicebat, non solùm ea, quæ in tempore sine præcedenti merito conferuntur, sed etiam ea, quæ conferuntur ad merita retribuenda, fuisse prædestinata ex mera benevolentia Dei decernentis conferre merita, ut retributionem conferat.

313. Dicent 2. Prædestinatio apud D. Aug. non est electio ad gloriam, sed tantùm ad gratiam, ut patet ex *lib. de prædest. Sanctor. cap. 10. Inter gratiam*, inquit, *& prædestinationem hoc tantùm interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia verò ipsa donatio*; ergo quando asserit prædestinationem fieri ante prævisa merita, intelligit solam electionem ad gratiam. R. nomine *gratiæ* hoc loco comprehendi quælibet dona, ad quæ gratis eligimur, quamvis eligamur, ut ea consequamur per merita, ut consequimur gloriam.

314. Dicent 3. Impossibile est, gloriam in tempore reddi, ut præmium meritorum, & sit ab æterno prædestinata merè gratis, non præmisso meritorum examine; siquidem, quod fit in tempore, eodem modo est ab æterno prædefinitum; alioquì aliter vellet Deus in tempore, quàm voluit ab æterno; ergo &c. Respondeo argumentum laborare æquivocatione, quam sic distinguimus. Deus merè gratis elegit homines ad gloriam, & in ea electione gratis etiam voluit, ut gloriam obtinerent non gratis, sed ex justitia per merita conferenda ab ipso Deo ad hunc finem. De hoc tamen latiùs infra.

315. Dicent 4. D. Aug. probat prædestinationem, & electionem non fieri ex prævisis meritis ex eo, quod aliàs gratia non esset gratia; sed hoc inconveniens non sequitur ex eo, quod electio ad gloriâ ita fiat; ergo &c. Respondeo retorquendo argumentum: Ex eo, quo augmentũ gratiæ reddatur meritis de condigno, & perseverantia, & prima gratia obtineatur per merita de congruo, non sequitur, gratiã non esse gratiam; ergo apud D. Aug. electio ad primam gratiam, ad augmẽtum, & ad perseverantiã fiet ex prævisis meritis; hoc autem est falsum; ergo &c.

316. Probatur tertiò ex D. Prospero *in sentent. super cap. 8. Gallor. Qui salvantur*, ait, *ideò salvi fiunt, quia illos voluit Deus salvos fieri: & qui pereunt, ideò pereunt, quia perire meruerunt.* Idem tenet

ad

ad excerpta Genuensium dub. 9. & lib. ad Ruffinum de liber. arbitr. Et lib. 1. de vocat. gent. cap. 17. & 24. & lib. 2. cap. 9. & aliis in locis. Ex D. Fulgent. *de Incarn. & grat. cap. 31. Eosdem vivificari vult, quos vult salvari: Sic ergo quos vult, salvat, quemadmodum quos vult, vivificat.* Et *in epilog. lib de Incarnat. & grat. Donum*, inquit, *illuminationis ad credendum, & donum perseverantiæ ad proficiendum, & permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit.* Et idem probat *lib. 1. ad Monim. à cap. 7. usque ad 10. & cap. 14. & lib. 1. de Incarnat. & grat. cap. 31. ad finem.* Et Petr. Diacon. *lib. de Incarnat. & grat. cap. 7. Desinant*, inquit, *quærere, cur alios salvet gratuito dono, alios derelinquat justo, & occulto judicio, qui potestatem habet ex eadem massa aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam, & clament unà nobiscum: O altitudo divitiarum!* sed ex horum Patrum locis videtur satis constare, electionem ad gloriam fuisse factam ante prævisionem meritorum; ergo &c.

317. Dicent 1. D. Prosper. & D. Fulgent. assignant rationem, ob quam unus homo prædestinatus non sit; siquidem ille ad *cap. 3. Gallor. Ideò*, ait, *prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt.* Et hic *lib. 2. ad Monim. cap. 1. Aversio peccatoris*, inquit, *quoniam Deum futura non latuit, in æterna præscientia præparatam sibi pœnam invenit*; ergo etiam deberent assignare rationem, ob quam unus potiùs, quàm alius sit prædestinatus, qualia sunt meritæ prævisa; alioqui inconsequenter procederent. Respondeo ad reprobationem, quæ est voluntas puniendi, præsupponi quidem præscientiam peccati absolutè futuri, non ita tamen ad reprobationem, quæ est negatio prædestinationis, seu voluntas non prædestinandi; quare autem illa ita præsupponat præscientiam peccati, & non ita electio præsupponat præscientiam absolutam meritorum, dicemus infrà.

318. Dicent 2. D. Fulgent. *lib. 1. ad Monim. cap. 24.* ait: *Deus prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in se misericordiæ subsequentis auxilio remansuros*; ergo præscientia meritorum præcedit prædestinationem. Respondeo consequentiam esse veram, si loquamur de præscientia meritorum conditionata, non autem absolutâ.

319. Probatur 4. ex D. Chrysost. ad Coloss. 1. hom. 2. *Non solùm*, ait, *honorem nobis, sed & vires ad amplectendum eum dederit. Duplicatur enim honor per id, quod & idoneos ad collatum donum facit.* Et infrà. *Nemo talem vitæ conversationem ostendit, ut regno dignus esse posit, sed totum donum est ipsius Dei.* Idem tenet 2. *Thessalon. 1. hom. 3. & de laudib. Paul. hom. 4. & 9. & in psal. 50. hom. 2. & 2. Cor. 8. hom. 18.* & sæpè alibi, ut supra vidimus. Et ex D. Athan. *serm. 3. contra Arianos. Quemadmodum*, ait, *elegit nos in se, ante jacta fundamenta mundi, ut Sancti essemus, & incontaminati coram ipso, cùm jam animi benevolentiâ prædestinasset, ut nos sibi in filios adoptaret per JESUM Christum*: ubi notandum est verbum *animi benevolentiâ*. Et ex Theodoret. ad Epes. 1. *Sicut elegit nos*, ait, *in ipso ante mundi constitutionem, &c.* Et infrà: *Deindè honoris, & liberalitatis magnitudinem admirans, subjunxit: secundùm propositum voluntatis suæ, hoc enim, inquit, voluit, hoc ei placuit.* Et ex Theophylact. ad Coloss. 1. *Qui dignos nos fecit, &c. Sortem*, ait, *ubique vocat, ut ostendat, quod quemadmodum sors non est humanæ diligentiæ, neque conatus, sed fortunæ potiùs videtur; hanc ad rationem non ex nostris virtutibus regno digni judicamur, sed divinæ totum est gratiæ.*

Probatur quintò ex D. Hieron. ad illud Ephes. 1. 320.
Sicut elegit nos, &c. *Secundùm*, ait, *propositum voluntatis suæ, non secundùm opera nostra.* Et ex D. Greg. *lib. 33. Moral. cap. 20. Quos benignè eligo, eripere mirabiliter possum, & eos, quos respuo, non injustè derelinquo. Nemo quippè, ut divina illum gratia subsequatur, priùs aliquid contulit Deo.* Et infrà: *Nemo Deum meritis prævenit, ut tenere eum quasi debitorem posit: sed miro modo æquus omnibus conditor, & quosdam prælegit, & quosdam in suis pravis moribus justè derelinquit. Nec tamen electis suis pietatem sine justitia exhibet, quia hic eos duris afflictionibus premit: nec rursum reprobis justitiam sine misericordia exercet, quia hic æquanimiter tolerat, quos quandoque in perpetuum damnat.* Et ex D. Ansel. ad Rom. 8. *Antequam quidquam boni, aut mali egissent*, &c. *Propositum*, inquit, *justificationis manet, non secundùm debiti, sed secundùm gratiæ electionem, quæ eligendos facit Deus, non invenit, quia Deus facit, ut homines faciant opera, quæ Deus posit eligere.* Ex quibus Sanctorum Patrum locis citatis sufficienter constat, nostram prædestinationem fuisse factam ante merita absolutè prævisa. Hoc idem videntur sentire plures alii, qui poterant hîc à nobis citati, & possunt apud citatos Doctores videri.

Probatur sextò ex Concil. Valentian. sub Leo- 321.
ne IV. cap. 3. ibi: *Fidenterq; fatemur, prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem; in electione tamen salvandorũ misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem perituroru meritum malum præcedere justum Dei judicium, &c.* ex quibus verbis manifestè probatur prædestinatio ante merita prævisa; reprobatio autem post prævisa absolutè demerita; ergo &c.

Dicent primò nomine *vitæ* ibi intelligi sola au- 322.
xilia efficacia gratiæ. Sed contra, quia ibi nomine *mortis*, ad quam prædestinantur impii post prævisa demerita, intelligitur pœna æterna; ergo etiam nomine *vitæ*, ad quam prædestinantur electi, intelligetur gloria æterna. Dicent secundò Patres ibi locutos de prædestinatione inefficaci. Sed contra, quia hæc, ut supra diximus, est communis etiam reprobis; Patres autem ibi agebant de prædestinatione salvandorum, consequenterque de efficaci.

Probatur septimò ex Concil. Arausican. *can. 25.* 323
ibi: *Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus.* Ex quo Concil. negat, Deum ex se prædestinare aliquem ad malum pœnæ ante prævisionem demeritorem; ergo è contra agnoscit Deum ex se prædestinare ad bonum, tam gratiæ, quàm gloriæ ante merita prævisa. Confirmatur ex Trid. *Sess. 6. cap. 16.* ibi: *Benè operantibus usque ad finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per JESUM Christum misericorditer promissa, & tanquam merces, ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Ex quibus verbis notanda sunt illa *gratia, misericorditer*, quæ videntur significare gratuitam electionem ad gloriam, tradendam tamen ut mercedem.

SECTIO

SECTIO XVII.

Probatur nostra Sententia ex rationibus.

324. PRÆSUPPONENDUM est, seclusa Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & Theologorum authoritate, nullam dari rationem, quæ veram sententiam de causa prædestinationis evidenter concludat; nam sicut, ut supra diximus, de potentia Dei absoluta possibile fuit, quod Deus prædestinaret electos ante eorum merita absolutè prævisa; ita etiam possibile fuit, nullum prædestinari, nisi prævisis ejus meritis absolutè futuris. Undè in rebus, quæ ex divinis Attributis neque necessariò consequuntur, neque illis repugnant, sed ex mera Dei libertate potuerunt sic, aut aliter se habere, debet solidum cujusque fundamentum desumi à divina revelatione, qua Deus sua libera consilia manifestaverit, sive per sacras Scripturas, sive per Doctores Ecclesiæ, ideoque hìc solas rationes congruentiæ pro nostra sententia assignabimus: Sit igitur:

325. Prima ratio, omne agens rationale prudenter, & ordinatè operans, priùs intendit finem, quàm eligat media; sed Deus prudentissimè, & ordinatissimè operatur; ergo cùm gloria sit finis, merita autem sint media, priùs intendit Deus ipsam gloriã, & postea eligit merita ut media. Confirmatur, quia ex communi Philosophorum axiomate, *quæ sunt posteriora in executione, sunt priora in intentione*; sed gloria est posterior in executione; ergo fuit prior in intentione divina.

326. Dicent, Deum ita priùs intendere finem, quàm media, voluntate tamen inefficaci, nõ verò efficaci. Sed contra primò, quia intentio finis debet esse accõmodata electioni mediorum, ita ut modus electionis mediorum benè indicet modum intentionis finis; sed electio mediorum est efficax; siquidem per illam eliguntur auxilia finalia in ordine ad gratiam perfectam, & consummatam, ex quibus oritur perseverantia finalis; ergo etiam efficax debet esse intentio finis, sive gloriæ.

327. Secundò, quia voluntas inefficax finis in Deo non potest esse principium eligendi media efficacia: tùm quia illa voluntas inefficax est generalis, & æqualis, tam erga prædestinatos, quàm erga reprobos; ab æquali autem voluntate finis non potest oriri voluntas inæqualis mediorum, maximè in Deo, qui vult, & disponit omnia ordinatissimè; alioqui dicant ab æquali calore in agente physico posse oriri inæqualitatem in passo: & ab æquali assensu principiorum inæqualitatem assensûs in conclusione: tùm etiam, quia illa voluntas generalis salvandi omnes est ad omnes gradus gloriæ possibiles, & per omnia media possibilia, ut supra diximus; hæc autem intentio est ad certos gradus gloriæ, & per certa tantùm media, ut infrà dicemus; ergo non potest non esse diversa.

328. Secunda ratio, omnes actiones liberæ, quæ possunt præstare rationem, aut causam prædestinationi, procedunt ab auxilio gratiæ; sed hoc est effectus prædestinationis; ergo hæc præsupponitur priùs firmiter constituta, quàm prævideantur actiones meritoriæ absolutè futuræ; siquidem hæ non prævidentur, nisi prævisio auxilio, neque hoc prævidetur, nisi prævisa prædestinatione, à qua procedit ut effectus à sua causa. Confirmatur, quia omnia bona opera supernaturalia sunt effectus prædestinationis, ut infrà dicemus; ergo non possunt esse ratio, aut causa illius.

329. Tertia ratio, voluntas divina est prima causa movens ad quodcumque bonum; ergo congruentiùs est, quod pro sua libertate constituat media prædestinationis in ea persona, in qua voluerit, quando, quo gradu, & modo voluerit, quàm quod expectet prævisionem nostræ actionis futuræ; alioqui jam primum movens, & prima causa erit aliquo modo ex parte nostra, quatenùs voluntas divina movetur à nostris actionibus prævisis, ut ad hunc potiùs hominem, quàm ad illum inclinetur.

330. Quarta ratio, Prædestinatio habet pro fine ostensionem divitiarum gloriæ Dei in vasa misericordiæ, juxta illud ad Rom. 9. 23. *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam*: & laudem gloriæ gratiæ suæ, juxta illud ad Ephes. 1. 6. *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos*; sed si merita prævisa fuissent in causa, cur Deus hunc potiùs hominem, quàm illum eligeret ad gloriam, tantundem minueretur ille finis, ut patet ex illo ad Rom. 11. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*; ergo &c.

331. Confirmatur primò, quia si Deus ex prævisis meritis eligeret ad gloriam, nulla in eo esset major gratia, liberalitas, aut misericordia erga prædestinatos, quàm erga multos reprobos; siquidem cùm gratia, liberalitas, & misericordia sit in eo, quod conferat auxilia supernaturalia, & benè utentibus promittat præmium excellentius, quàm pro dignitate meritorum; plurimis autem reprobis conferat uberiora auxilia, quàm quibusdam prædestinatis, & omnibus, si benè utantur, promittat tale præmium, quod ita illud decernat iis, qui prævidentur morituri in gratia, & illâ benè usuri, jam est justitia, & nihil habet gratiæ, liberalitatis, & misericordiæ præter id, quod supponebatur in decretis generalibus; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur.

331a. Confirmatur secundò, quia hæc est major laus potentiæ divinæ; siquidem majoris potentiæ est prædestinando causare media, quibus finis acquiratur, quàm illa supponere prævisa. Ut notat D. Aug. *lib. de corrept. & grat. cap. 11. & 12.* Tertiò, quia id imponit benè operantibus majorẽ obligationem agendi, & referendi gratias per dilectionem, & magis se ipsos despiciendi, & humiliandi, quatenùs si Deus illis prædestinationis gratiam subtraxisset, non evasissent cæteris peccatoribus meliores; ergo &c.

333. Quinta ratio, discrimen prædestinatorum à reprobis provenit à Deo; sed non ita proveniret, si Deus ex prævisis meritis prædestinaret; siquidem jam tunc prædestinatus per sua bona opera prævisa se ipsum à reprobo discerneret cõtra illud 1. Cor. 4. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Confirmatur, quia adversus superbiæ tentationes, quæ ex sanctitate provenire solent, hæc est Sanctorum vox: *Nullus est me vilior, nam si Deus alteri, quæ mihi beneficia conferret, fortè magis se Deo devovisset: & si me sicut illum alium latronem auxiliis peculiaribus destituisset, eadem, & graviora scelera perpetrassem*; sed nulla virtus, qualis est similis actus, potest mendacio niti; ergo ut hic humilitatis actus à veritate procedat, debet procedere ab ea, quam intêdimus probare de discrimine efficaciter, & infallibiliter causãdo à Deo pro sua libertate sine ulla ratione discriminis causanda ex parte nostra.

334. Sexta ratio, Deus quibusdam negat copiosa auxilia, quibus sciebat benè usuros, si acciperent; & illa aliis confert, quibus scit malè usuros; ergo ratio prædestinandi hunc potiùs, quàm illum non sumitur ex præviso bono usu gratiæ; siquidem in hoc decreto conferendi aliquibus auxilia, & negandi aliis, nullus bonus usus prævisus est, ut absolutè futurus. Confirmatur, quia Christus Dominus apud aliquas civitates miracula edidit, & conciones habuit, quarum bonus usus, quia non erat futurus, non fuit prævisus; & tamen eadem auxilia negata sunt gentibus, quæ si accepissent, converterentur, ut patet ex illo Matth. 11. 21. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone,* &c. Et Ezech. 3. *Si ad populum ignotæ linguæ mitteris, ipsi audirent te*; ergo &c.

335. Septima ratio, parvulorum aliqui statim à Baptismo moriuntur, alii paulò ante Baptismum, aliis non datur potestas accipiendi Baptismum, aliis post Baptismum producitur vita usque ad senectutem inter infideles, quorum mores Deus certò præscivit imitaturos; sed ex his discrevit Deus prædestinatos à reprobis, nullo præviso usu gratiæ; cùm tamen, qui statim à Baptismo salvantur, sint filii aliquando sceleratissimorum parentum, qui autem sine Baptismo damnantur, sint aliquando filii Sanctorum Parentum; ergo prædestinavit Deus eodem modo adultos etiã ante prævisa eorum opera, cùm hoc fuerit congruum, & consonum illius ingenio. Hoc argumento usus est variis in locis D. Aug. ut *in epist. 105. & 157. lib. 2. contra Julian. cap. 8. lib. 2. contra duas epistolas Pelagian. cap. 7. & lib. de corrept. & grat. cap. 8. & lib. de prædest. Sanct. cap. 12. & 13.* & sæpè alibi.

336. Dicunt primò aliqui, de quibus D. Aug. *Epist. 106. ad Paulin.* infantes prædestinari, aut reprobari propter quosdam suos actus bonos, aut malos, quos etiam in utero habuerunt: *Sicut*, inquiunt, *Jacob & Esau in utero materno luctati sunt, & alter alterum inter nascendum supplantavit.* Sed contra, absurdum enim est infantibus concedere usum liberi arbitrii; ad luctam autem Jacob, & Esau rectè respondet D. Aug. ibid. *Illud non fuisse arbitrium, sed prodigium, & signum rerum magnarum*: de quibus dicit Apostolus ad Rom. 9. *Non ex operibus, sed ex vocante, &c.*

337. Dicunt secundò Semipelagiani, de quibus D. Prosper in *epist. ad Augustin.* ad initium. *lib. de prædestinat. Sanctor.* parvulos prædestinari à Deo propter opera bona, quæ Deus prævidebat facturos, si viverent; reprobari autem propter opera mala, quæ viderit Deus facturos, si non morerentur. Horum tamen sententiam jam refutavit *D. Aug. lib. de prædest. Sanctor. cap. 12. & sequent. & lib. de bono persever. cap. 9. & 10. & Epist. 105.* his potissimum argumentis.

338. Primò, quia Apostolus 2. Cor. 5. docet, futurum ut in altera vita referat quisque, non secundùm id, quod fuisset facturus, sed *prout in corpore gessit*, id est, secundùm id, quod gessit dum in corpore viveret. Secundò, quia omnes Catholici sentiunt, Deum optimè agere cum illo, qui ex hac vita eripitur, antequam in aliqua peccata incidat, in quæ alioqui incideret, si viveret; sed id verum non esset, si illa etiam peccata, quæ patraturus esset manens in vita, deberent etiam à Deo judicari; ergo &c. Tertiò, quia cùm quis morte præoccupatur, ne alioqui committat aliquid, propter quod damnetur, magnum à Deo accipit beneficium, ut patet ex illo Sap. 4. ibi: *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*: Et infra: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Et adjungitur ratio: *Quoniam Deo erat placita anima illius*; sed hæc nullum haberent locum, si opera mala, quæ quis facturus esset manens in vita, possent illi damnationem afferre; ergo &c.

339. Quartò, quia si Deus in hominibus judicandis non solùm respiceret ad ea, quæ fecerint, sed etiam ad illa quæ essent facturi, posità hâc, aut illâ conditione, sequeretur Tyrios, & Sidonios nullo modo esse damnandos; nam si apud illos *factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in Bethsaida, & Corozaim, olim in cilicio, & cinere egissent pœnitentiam*, ut ait Christus Dominus Matt. 11. & Luc. 10. sed hoc est falsum; siquidem isti in die judicii damnabuntur, licet remissiùs, quàm illi ex Bethsaida, & Corozaim, ut ibidem affirmat Christus Dominus; ergo &c.

340. Dicunt tertiò alii, infantes, qui sine Baptismo decedunt non perire, neque damnari, sicque potuisse relinqui sine prævisa causa ex parte illorum. Sed contra, quia licet id non sit præsentis instituti, supponimus tamen certum esse pueros sine Baptismo decedentes puniri pœnâ damni, ut notavit *D. Aug. lib. de bono persever. cap. 12.*

341. Dicunt quartò alii prædestinationem, aut reprobationem parvulorum provenire, ut à ratione, seu causâ, à præscientiâ futuræ mortis, quam causæ naturales suis viribus relictæ quibusdam afferunt. Sed contra primò, quia Deus quorundam adultorum voluntates excitat & allicit, ut huic parvulo Baptismum conferant, aut ut copiam faciant baptizandi suos filios; alios autem permittit esse protervos, aut negligentes; ergo jam inter istos parvulos datur discrimen, cujus ratio non provenit ex præuisâ virtute causarum naturalium. Secundò, quia Deus quibusdam parvulis miraculo manifesto, aliis autem occulto produxit vitæ terminum, donec baptizarentur; sed hujus liberalitatis quibusdam præstitæ, & aliis negatæ, nulla potest esse causa; ergo &c.

342. Octava ratio, quia maximè decet membra suo capiti esse simillima, quantùm patitur functionum & potestatum diversitas; sed Christus Dominus est caput, & exemplar omnium prædestinatorum, ut infra dicemus, & fuit ante omnia merita prævisa prædestinatus, ut infallibiliter haberet merita, & per illa obtineret gloriam sui corporis, & reliquorum prædestinatorum; ergo omnia illius membra debuerunt similiter prædestinari ante eorum merita prævisa; siquidem Deus, ut ait D. Paul. ad Rom. 8. 29. *Omnes nos prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*; ergo &c.

343. Nona ratio, quia prædestinationem, ut reconditum Dei arcanum, admiratur D. Paul. Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ*, &c. & occulta esse prædestinationis judicia, tradunt etiam Patres, de quibus supra; sed si omnes prædestinarentur ex prævisis operibus, jam in discrimine prædestinatorum à reprobis non essent admiranda consilia, & judicia Dei, sed hominum diversa, & libera studia, à quibus, & non à divino consilio ac judicio fuisset determinatum illud discrimen, quod tamen non videtur dicendum; ergo &c.

344. Decima ratio, ideò Deus non elegit prædestinatos efficaciter ad gloriam ante prævisa merita, aut quia non decuit, aut quia non potuit: Non primum, siquidē Deum maximè decuit ostendere sua Attributa, illa autem ostendit in electione ante merita prævisa, in qua manifestat suam Justitiam, Liberalitatem, Misericordiam, Fidelitatem, &c.

Non

Non secundum; tum quia contrarium supra probavimus: tum etiam, quia si Deus potuit prædefinire efficaciter opera libera ante eorum scientiam visionis absolutam, & ita de facto prædefinivit, quatenùs eorum prædefinitio prout sic spectabat ad perfectissimam illius providentiam, & dominium supra creaturas, cur etiam non potuit sic eligere ad gloriam ante merita absolutè prævisa?

345. Confirmatur primò, quia Deus ante merita prævisa voluit dare electis auxilia congrua ad conservationem gratiæ finalis, in quo eos plus obligavit, quàm reprobos, quamvis etiam aliquibus reprobis dederit auxilia congrua ad gratiam temporalem, non tamen finalem; sed in tali voluntate non potuit non velle eis etiam ipsam gloriam, aut formaliter, aut virtute; siquidem velle alicui gratiam finalem, est velle ei salutem infallibiliter consequendam; ergo jam Deus intendit efficaciter gloriam ante merita absolutè prævisa.

346. Confirmatur secundò exemplis: Primò, quia Deus eodem signo, quo prædestinavit Christum Dominum ad existentiam, illum prædestinavit gloriosum in anima, & corpore, ut docet *D. Aug. tr. 105. in Joan.* & tamen non habuit gloriam corporis in tempore sine suis meritis; ergo illam decrevit Deus ab æterno ante prævisa merita passionis, consequendam tamen in tempore per ipsa merita. Secundò, quia Virgo Sanctissima ante prævisa merita in esse absoluto fuit efficaciter electa à Deo ad ejus Maternitatem, ut significat Ecclesia: *Elegit eam Deus, & prælegit eam*; & tamen non obtinuit in tempore hujusmodi Maternitatem sine suo consensu libero, & merito, saltem de congruo; ergo Deus illam decrevit ab æterno sine meritis absolutè prævisis, consequendam tamen in tempore per ipsa merita. Tertiò, quia Deus ante prævisa merita Apostolorum, & D. Pauli elegit eos ad Apostolatum juxta illud: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*: Et illud: *Vas electionis est mihi iste*; & tamen non illum receperunt in tempore sine suo consensu libero; ergo ab æterno fuerunt electi sine meritis ad Apostolatum, consequendum tamen in tempore per sua merita; ergo similiter prædestinati homines fuerunt ab æterno electi ante prævisa merita ad gloriam, consequendam tamen in tempore per sua merita.

SECTIO XVIII.

Proponuntur, & solvuntur argumenta ab authoritate Scripturæ, & Sanctorum Patrum desumpta.

347. OPPONES 1. Multa sunt Scripturæ loca, quibus constat, vitam æternam à Deo tâquam mercedem, & præmium destinari benè operantibus, sicque conferri ob merita prævisa, cujusmodi est illud Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*: Et causam assignat: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare*, &c. Et illud Jacobi 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, & hæredes regni, quod promisit Deus diligentibus se?* Ubi promissionis, sive electionis causam assignat dilectionem. Et illud 1. Cor 2. *Nec oculus vidit ..... quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*: ubi eandem dilectionem assignat pro causa præparationis regni. Et illud 2. Petr. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*: si enim per bona opera electio fit certa, etiam fit efficax; nam idem est esse efficax, ac certum; si autem per bona opera fit efficax; ergo talis non erat ante prævisa opera; sicque in aliis similibus locis.

348. Respondeo negando antecedens quoad secundam partem: Ad primum, & secundum locum dicimus: Primò pro nobis facere, ut patet ex supra dictis *num. 284. & 311.* Secundò hujusmodi loca, sicut & illud *1. Cor. 2.* intelligenda esse, non de præparatione in mente divina per intentionem; hæc enim fuit ante omnia opera prævisa, sed de præparatione possessionis per executionem, quæ fit per merita jam prævisa; ita enim Deus præparavit electis gloriam sine meritis in intentione, ut illam præparaverit tradendam in executione per sua merita. Ad illud *2. Petr. 1.* dicimus, terminum *certum* idem esse, atque sortientem effectum; tunc enim electio dicitur in re efficax, quando sortitur effectum; cùm autem hunc non sortiatur electio efficax, nisi post prævisa bona opera, ideò per illa dicitur fieri certa, licet in executione.

349. Instabis: In illis verbis: *Discedite à me maledicti, &c.* Et Matt. 25. per particulam *enim* assignatur causa reprobationis & in intentione, & in executione, cùm dicitur: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*; ergo idem dicendum de electione. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio constabit infrà.

350. Oppones 2. ex Matth. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Et Matth. 25. *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supermulta te constituam.* Et Apoc. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum,* &c. Et Isai. 64. *Quæ præparasti expectantibus te*: ex quibus, sicut & aliis similibus locis constat, Deum tribuere gloriam ex meritis jam prævisis; ergo &c. Respondeo Deum ita quidem tribuere in executione, non ita tamen præparare in intentione, ut patet ex supra dictis.

351. Oppones 3. D. Paul. 2. Tim. 2. *Si quis*, ait, *emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum,* &c. ubi per *vas in honorem* intelligit electum ad gloriam; & tamen ibi assignat electionis causam emundationem; ergo &c. Respondeo Apostolum non id proferre, quasi mundities sit ratio electionis ad gloriam in intentione, sed gloriæ tradendæ in executione per munditiem, sive merita, prout diximus.

352. Oppones 4. Aliqua sunt Scripturæ loca, in quibus præscientia divina anteponitur prædestinationi, ut Rom. 9. *Quos præscivit, & prædestinavit,* &c. Rom. 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Et 1. Petr. 1. *Electis advenis secundùm præscientiam Dei Patris.* Et Amos 3. 1. *Tantummodò vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ*: & similibus; ergo significatur præscientiam meritorum fuisse priorem prædestinatione ad gloriam. Respondeo primò, argumentum, si aliquid probaret, etiam probare, gratiam congruam datam esse post præscientiam meritorum, & propter illa, quod nemo dixerit; siquidem de illa etiam in præsenti locutus est Apostolus.

353. Respondeo secundò, non esse ibi sermonem de præscientiâ meritorum absolutâ, sive de aliquâ scientiâ visionis, sed de præscientia aut Simplicis Intelligentiæ, ut ait D. Thom. ad cit. locum D. Pauli: aut de scientiâ approbationis, & amicitiæ, sive perpetuæ dilectionis erga electos, quæ ideò dicitur præscientia, quia re, & ratione antecedit omnem bonum usum liberi arbitrii, ita ut sensus

sit: *Quos Deus præscivit scientiâ approbationis*, sive, *quos dilexit, prædestinavit*: ut rectè dicit *P. Bellarm. lib. 2. de grat. & liber. arbitr. cap. 13. & P. Tanner. d. 3. q. 5. dub. 5. n. 4.*

354. Oppones 5. ex aliquibus Scripturæ locis constat, aliquos fuisse electos, ac prædestinatos occasione ruinæ, ac peccati aliorum; sic enim S. Mathias dicitur electus in locum Judæ. Actor. 1. 24. *Ostende, quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus, & apostolatûs, de quo prævaricatus est Judas:* Sic Gentiles in locum Judæorum Matth. 21. 43. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Et ad Rom. 11. 11. *Sed illorum delicto, salus est gentibus.* Sic etiam pœnitentium gloria pendet ex eorum præcedentibus peccatis: gloria Martyrum, Doctorum, ac Virginum pendet ex crudelitate tyrannorum, ex perfidia hæreticorum, & ex tentationibus hominum, aut dæmonum; ergo si permissio peccati alterius fuit prævisa ante electionem prædestinati ad gloriam, idem dicendum est de aliis mediis, ac meritis salvandorum.

355. Respondeo ex his, & aliis similibus locis non colligi, aliquos dici prædestinatos occasione ruinæ aliorum; quod autem salventur præsuppositis, seu permissis aliorum peccatis, totum hoc pertinet ad executionem, non autem ad intentionem, quam Deus habuit dandi illis gloriam, quæ cùm fuerit ante omnia eorum merita prævisa, etiam fuit ante peccatorum permissionem, à qua eorum merita præsupponentia peccata dependebant. Neque illud Sancti Mathiæ intelligendum est de ejus electione ad gloriam, sed ad Apostolatum, ut ait idem textus; alioqui posset colligi, Josephum, qui tunc non fuit electus, non fuisse etiam prædestinatum ad gloriam, quod est absurdum.

356. Oppones 6. Ex illo Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, &c.* quod D. Paulus accommodat arcano prædestinationis, videtur Apostolum sentire dari aliquas causas prædestinandi potiùs hunc, quàm illum hominem, quas tamen ipse cùm admiretur, ignorat; alioqui facilè fuisset pro ratione hujus discriminis recurrere ad divinum beneplacitum, nullo præsuppositio examine futurarum actionum; ergo &c. Hoc idem videntur sentire *D. Aug. lib. 1. ad Simplician. q. 2. & epist. 105. ad Sixtum. & lib. de prædest. Sanct. cap. 9. & 14. & lib. de bono persever. cap. 14. & cap. 8. & lib. de corrept. & grat. cap. 8.* & sæpè alibi. *D. Prosper. lib. 1. de vocat. gent. cap. 13. 21. 22. & 25. D. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 4. & lib. 29. cap. 15. aliàs cap. 21. D. Isidor. lib. 2. sentent. cap. 6. D. Fulgent. lib. de Incarnat. & grat. cap. 28.* & alii. Ante solutionem.

357. Advertendum est primò cum *P. Ruiz. hic d. 9. sect. 3. num. 2.* D. Paulum, D. August. D. Prosper. D. Fulgent. & alios Patres manifestè docuisse, nullam dari rationem discriminis, sive manifestam, sive occultam ex parte prædestinati, propter quam hic homo potiùs, quàm ille alius prædestinetur, ut patet ex eorum locis citatis *sect. 16.* Ut tamen præsentem locum D. Pauli, & horum Sanctorum Patrum testimonia locis proximè citatis explicemus. Advertendum est secundò, decretum Dei prædestinantis dupliciter considerari posse: Primò quatenùs efficaciter vult perducere in beatitudinem hanc determinatam & singularem personam, v. g. D. Petrum potiùs quàm Judam: Secundò quatenùs non in singulari, & determinatè, sed in communi, & indeterminatè statuit modum illum providendi, quo non omnes, sed tantùm aliqui, aliis relictis, prædestinentur ad gloriam. Hoc posito.

Respondeo ad argumentum in illa prima acceptione nullam dari, neque manifestam, neque occultam rationem discriminis in prædestinato præter liberrimam, & merè gratuitam Dei voluntatem, ut patet ex supra dictis, sicque supra dicta testimonia D. Pauli, & aliorum Patrum non intenderunt istiusmodi rationes occultas asserere: in secunda autem acceptione, existunt quidem rationes ex parte Providentiæ divinæ, ob quas unum, & non alium convertat, & prædestinet efficaciter, quæ cùm nobis, licet ex parte sint probabiliter notæ, non sint cognitæ evidenter, & totaliter, & multò minùs comprehensivè, dicuntur occultæ, & has Apostolus, & citati Patres se ignorare fatentur, & D. Aug. dicit in *Enchir. cap. 95.* esse in beatitudine cognoscendas. Imò *lib. 11. de gen. ad litter. cap. 10.* postquam dixit, Deum non omnes homines convertisse, *quia noluit*, cur noluerit, penes ipsum est, adjungit ipse rationem generalem ex majore perfectione universi. 358.

Oppones 7. Plures ex Sanctis Patribus, præsertim Græcis, quique D. Aug. antecesserunt, docuerunt prædestinationem post præscientiam absolutam meritorum; ergo &c. Respondeo primò negando antecedens, ut patet ex eorum locis supra citatis *sect. 16.* Respondeo secundò, dato, quod aliqui ex his Patribus hanc habuerint sententiam, ejsque fuisset adversatus D. Aug. quasi electio, de qua contra Massilienses disseruit, esset electio ad gloriam, ut falsò docuerunt *Sixtus Senensis, Driedo, & Ruard. apud. P. Tanner. d. 3. q. 5. dub. 5. num. 6.* nihil id nostræ sententiæ præjudicare, cùm sententia D. Aug. quæ in hac materia de prædestinatione cæteris præferenda est, pro nobis sit, ut patet ex illius locis supra citatis *sect. 16.* 359.

Respondeo tertiò cum D. Aug. *lib. de bono persever. cap. 18. & 19.* quem citat & sequitur *P. Tanner.* proximè *num. 10.* Patres illos antiquiores, qui D. Augustinum præcesserunt, obscuriùs quidem, nec ita ex professo hac de re disseruisse; imò verò non dum exorta Pelagianorum hæresi, liberiùs & securiùs fuisse locutos; re ipsa tamen hac in re minimè D. Augustino fuisse contrarios, sive sermo sit de prædestinatione ad gratiam, sive ad gloriam, sed utramque existimasse fuisse gratuitam, ut patet ex eorum locis supra citatis. Additur Sanctos Patres nonnûquam, cùm electionem ad gloriam meritis prævisis tribuerent, locutos fuisse, non de prima intentione, seu prædestinatione ad gloriam, sed de voluntate executiva. 360.

Oppones 8. D. Aug. (qui in hac materia est majoris ponderis) lib. 1. ad Simplician. q. 2. *Nemo eligitur*, ait, *nisi jam distans ab illo, qui rejicitur: Unde quod dictum est: quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodò sit dictum, nisi præscientiâ*; ergo ex D. August. electio ad gloriam supponit præscientiam absolutam meritorum ex gratia, quibus ille, qui eligitur, jam distet ab eo, qui rejicitur, sive non eligitur. Respondeo primò cum *P. Bellarm. lib. 2. de grat. & liber. arbit. cap. 15.* D. Aug. in illo quidem loco illam docuisse sententiam, postea tamen eam retractasse; siquidem quæstiones illas ad Simplicianum junior scripsit; senior autem jam factus scripsit ad Sixtum, & ad Paulinum *epist. 105. & 106. & lib. 6. de prædest. Sanctor. de bono persever. & de corrept. & grat.* in quibus contrariam docet sententiam, ut patet ex supra cit. locis.

Non

362. Non placet primò, quia D. Aug. *lib. 1. de prædest. Sanctor. cap. 4.* mentionem facit illius quæstionis ad Simplicianum, quam ibi, non solùm non retractat, sed maximè commendat, quatenùs in ea dicit fuisse laboratum pro libero arbitrio, & gratiam Dei vicisse. Secundò, quia eundem modum loquendi, quem habet in illa quæstione, videtur servare in superioribus libris, etiam in locis, in quibus maximè videtur stare pro electione ad gloriam ante merita, ut videre est in *lib. de corrept. & grat. c. 7.* ergo etiá in hoc loco significat propositum vocandi antecedere electionem, & vocationem congruam, seu effectum talis vocationis prævisum, esse rationem electionis, ut intendit argumentum. Unde.

363. Respondeo 2. cum *P. Soar. lib. 3. de Auxil. cap. 18. n. 4.* D. Augustinum aliquando mutasse, seu variasse loquendi modum, esto illius sententia sit ubique eadé. Duplex igitur electio distingui potest ex eodem *D. Aug. tract. 68. in Joan.* una per modum intentionis, alia per modum executionis: illa antecedit merita, hæc autem sit ex meritis; undè D. Aug. in illa quæstione ad Simplicianum loquitur de electione executiva, qualis est illa Matth. 13. *Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt*: in aliis verò locis de intentione electionis, seu prædestinationis.

364. Instabis: Electio executiva est temporalis, cùm sit executio electionis æternæ; sed D. Aug. loco cit. ad Simplicianum loquitur de electione æterna, cùm adducat testimonium D. Paul. ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi cõstitutionem*; ergo non loquitur de electione executiva. Resp. cum eodem *P. Soa. cit. & P. Bellarm. cit. cap. 14.* in ipsamet æternâ electione posse illas duas rationes distingui, nempè ut est intentio dandi gloriã, & ut est dispositio executionis, & quasi executio in mente divina: priori ratione antecedit quidem electio, siquidem gloria in genere causæ finalis est prior, quàm bona opera; posteriori autem modo subsequitur, & de illa ut sic videtur loqui D. Aug.

365. Oppones 9. Ex eodem D. August. *serm. 7. de Verbis Domin.* ibi: *Elegit nos Deus, sicut inquit Apostolus, & secundùm suam gratiam, & secundùm illorum justitiam*: ubi duplicem videtur assignare electionem, alteram ad gratiam, quæ sit merè gratuita; alteram ad gloriam, quæ sit ex justitia ex prævisis meritis. Et appositis verbis ad Rom. 11. *Reliqui mihi septem millia*, &c. *Quid est*, ait, *reliqui mihi? Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, non de se, nec de Baal*: ubi electionis causam assignat prævisam fiduciam in Deo collocandam; ergo &c. Respondeo D. August. ibi de utraque electione & ad gratiam, & ad gloriam asserere, quod sit merè gratuita, ut hunc sermonem legenti patebit, subdit enim ibi: *Totum gratiæ semper reputa, quia ut esset aliquid reliquum, gratia in te Dei, non tuum meritum fecit.* Additur, licet ageret de electione ad gloriam ex justitia ob merita prævisa, intelligendus est de electione executiva, non autem in intentione, prout supra diximus.

366. Oppones 10. Ex eodem D. Aug. *serm. 233. de Tempor.* *Multi*, inquit, *scire volunt, quare illum vocat Dominus, & illum non vocat: uni subvenit, & uni non; hunc dignum habet, & illum indignum: istum honorat, & illam cruciat. Audi, ô homo, hunc dignum habet pro bonis operibus suis; illum habet indignum pro suis operibus malis*: ubi videtur asserere prædestinationem, & reprobationem fieri ex operibus bonis, aut malis prævisis; ergo &c. Respondeo D. Aug. ibi populo proponere rudi Minerva eam veritatis partem, quæ illis erat utilior, subtiliore parte tacitâ. Verum quidem est in reprobo causam reprobationis esse mala opera: in prædestinato autem sunt bona opera, quæ causat ipsa prædestinatio, prout infrà dicemus.

Oppones 11. Ex eodem D. Aug. *lib. de prædest.* 367. *Dei cap. 3.* ibi: *Ex præscientiâ igitur offensionis ultionem ut justus judex prædestinavit, sicut ex præscientiâ virtutis prædestinatio solet fieri remunerationis.* Ubi ponit reprobationem, sicut prædestinationem ex prævisis operibus malis, aut bonis; ergo &c. Respondeo cum *P. Ruiz hîc d. 10. sect. 5. n. 14.* hunc librum non esse D. August. siquidem illius brevitas comparata cum argumenti dignitate, & amplitudine, stylus, ac rationum nexus indigna videntur tanti Doctoris ingenio. Additur, dato quod sit D. August. eodem modo huic, quo duobus præcedentibus argumentis respondendum.

Oppones 12. Ex eodem D. August. *lib. ad arti-* 368. *culos* sibi falsò oppositos *ad art. 12.* ibi: *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati, essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in sanctitate, ac virtute mansuri: ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini labendi*; ex quibus videtur colligi prædestinationem fuisse factam ex prævisione futuri usus liberi arbitrii; ergo &c. Respondeo primò cum *P. Ruiz cit. num 16.* librum illum non esse D. August. sed illi falsò imponi.

Respondeo secundò, (cùm author illius libri 369. sit D. Prosper apprimè Augustinianus, ea verba scribens *ad object. Vincent, respons. 12* fine,) postrema verba indicare sensum totius sententiæ, ita ut D. Prosper velit, prædestinationem esse causam totius boni usus, qui præscitur in prædestinatis esse futurus, quæ præscientia absoluta subsequitur eorum prædestinationem in intentione dandi illis gloriam, licet sit prior illâ in executione: reprobationem autem, aut negationem prædestinationis non esse causam mali usus, qui præscitur futurus in reprobis, de hoc tamen infrà.

Advertes, ad penetrandam mentem D. Aug. 370. in locis jam adductis, & explicatis, & in aliis, quæ adduci possunt, & explicari, multùm juvare si recolas D. Aug. juxta morem Scripturæ, prædestinationem aliquando significare nomine *præscientiæ*, ut constat *lib. de bono pers. cap. 17.* ibi: *In sua, quæ falli, mutarique non potest præscientiâ, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est, nisi prædestinare.* Et infra. *Hæc*, ait, *Dei dona, si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur à Deo, præsciuntur autem: hæc est igitur prædestinatio, quam defendimus.* Et cap. 18. *Eadem prædestinatio*, inquit, *aliquando significatur nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus: Non repulit Dominus plebem suam, quam præscivit. Hoc quod, ait, præscivit, non rectè intelligitur, nisi prædestinavit, quod circumstantia ipsius locutionis ostendit; loquebatur enim de reliquiis Judæorum, quæ salvæ factæ sunt, &c.*

SECTIO XIX.

Proponuntur, & solvuntur argumenta à ratione petita.

ARGUES 1. Ideò Deus eligeret ad gloriam 371. ante prævisa merita, quia cùm hæc sint media, & illa sit finis, agens, seu operans rationale, qualis est Deus, priùs debet intendere finem, quàm eligat media, ut supra diximus

diximus *num. 325.* sed in electione efficaci mediorum, saltem virtute, intenditur etiam efficaciter finis; siquidem electio ipsa mediorum est in ordine ad finem; ergo necessaria non fuit alia præcedens intentio formalis ipsius finis, ut operatio esset prudens. Respondeo negando consequentiam: nam perfectior modus operandi est exequi medium per electionem formalem ipsius medii, & formalem intentionem finis, quàm per solam intentionem virtualem finis, & electionem formalem medii: sic enim perfectiùs est cognoscere causam, & effectum formaliter, quàm hunc cognoscere formaliter, & illam solùm virtualiter: cùm autem Deo de facto concedendus sit perfectior modus operandi, sicut & cognoscendi; ideò dicendum est, priùs intendisse formaliter finem, & postea formaliter eligere media, ne casu, & sine consilio videatur media ipsa elegisse, si ante formalem intentionem finis illa eligat.

372. Argues 2. Benè potest electio efficax mediorum oriri ex intentione inefficaci finis; sic enim Deus de facto elegit reprobris plura media efficacia ex solâ inefficaci intentione salutis: imò sine ulla intentione salutis potest Deus providere media efficacia ad illam; ergo ex electione efficaci mediorum non benè arguitur Deum habuisse antecedenter electionem efficacem ad gloriam. Respondeo negando antecedens; neque enim possunt eligi media efficacia, ut efficacia quin saltem virtute efficaciter intendatur etiam finis: cùm autem hæc intentio virtualis finis non sit in Deo ita perfecta, ut est formalis, ideò hæc, & non illa est absolutè Deo tribuenda, ut modo perfectiori operetur. Ad probationem dicimus media illa efficacia reprobis præstita in ordine ad cõsequendam justificationem temporaneã dupliciter considerari posse: primò in ordine ad ipsam justificationem temporaneam, & gloriam Dei inde ortam, & prout sic sunt quidem efficacia, cùm habeãt infallibiliter effectum, non tamen prout sic procedunt ex illa intentione generali dandi gloriam, sed ex speciali intentione ipsius justificationis, & gloriæ Dei inde ortæ: Secundò in ordine ad gloriam in re consequendam, & pro ut sic sunt inefficacia, cùm gloria in re non acquiratur, & procedunt ex illa intentione inefficaci dandi gloriam, quam Deus habet circa reprobos.

373. Instabis: Licet electio medii efficacis quà talis requirat intentionẽ efficacem finis, non ita requirit electio medii efficacis non quà talis, sive absolutè, & specificativè sumpti; sed Deus elegit prædestinatis media non quà efficacia; alioqui cùm æquè eligat media reprobis, ea elegisset quà inefficacia, consequenterque ut non habitura effectum, quod non est dicendum, videretur enim eis insidiari, ut ait P. Less. ergo &c. Respondeo quidquid sit de majori, negando minorem, nam in ipsis mediis sic præstitis ut efficacibus ponunt Doctores speciale beneficium, quod Deus contulit prædestinatis præ aliis.

374. Neque inde sequitur Deum tribuisse reprobis media inefficacia quà talia, sive sub ea intentione, quod non consequerentur effectum; potiùs enim tribuit ut sufficientia, sive sub ea intentione, ut haberent effectum, permittendo tantùm eorum inefficaciam ob alium finem, nempè ut ostenderet in illis suam Justitiam, sicut in electis Misericordiam, aut ob alios fines, quos ipse scit; eligendo tamen illa ut efficacia ipsis electis. Patet, quia quando quis prævidet medium efficax ad finem consequendum, & illud eligit, ut efficax eligit, & in eo efficaciter, saltem virtute intendit ipsum finem; sed Deus ante illam mediorum electionem prævidebat ipsa media esse efficacia ad salutem, & illa elegit; ergo illa elegit ut efficacia; consequenterque efficaciter intendit ipsam salutem, saltem virtute, ante merita absolutè prævisa.

375. Urgebis: Deus absque intentione efficaci salutis potuit eligere media efficacia ex sola efficaci intentione suæ gloriæ; siquidem tunc electio efficax mediorum proportionaretur intentioni efficaci finis, saltem remoti; ergo ex eorum electione non benè arguitur intentio efficax finis proximi, nempè salutis. Respondeo ad antecedens, sic potuisse Deum eligere de potentia absoluta, non tamen de lege ordinaria; nam secundùm hanc magis consentaneum est, ut media eligantur ex intentione finis proximi, eique proportionentur, quàm ex intentione finis remoti.

376. Patet, quia etiam intentio illa efficax divinæ gloriæ erat sufficiens, ut Deus ex illa tribueret reprobis media sufficientia; siquidem etiam hæc conducebant ad ipsam Dei gloriam; & tamen pœnè omnes admittunt intentionẽ inefficacem salutis reproborum, ex qua electio illa mediorum procedit, ut ita proportionetur intentioni ipsius finis proximi; ergo similiter in nostro eventu.

377. Argues 3. Tunc electio efficax mediorum præsupponit intentionem efficacem finis, quando eligens sibi, non verò alteri proponit finem consequendum; sic enim pater emendo libros elegit efficaciter media, ut filius doctus evadat, quin tamen efficaciter intendat finem, nempè sapientiam filii, quia hæc non est in manu patris, sed alterius à patre; sed Deus non sibi, sed hominibus proponit salutem consequendam; ergo opus non est, quod illam priùs intendat efficaciter, quàm efficaciter eligat media. Respondeo negando majorem; licet enim Deus hominibus proponat salutem consequendam, electio efficax mediorum conducentium ad ipsam gloriam debet supponere intentionem efficacem ipsius gloriæ dandæ ob rationes assignatas, quin obstet, quod sit alteri intenta.

378. Patet primò, quia si Deus potest efficaciter eligere media ab alio exequenda, cur etiam non poterit efficaciter intendere finem ab alio assequendum? Secundò, quia ipsi Adversarii concedunt Deum in ipsa efficaci electione mediorum intendere etiam efficaciter, saltem virtualiter salutem; ergo à fortiori poterit eam sic intendere formaliter, cùm sit perfectius. Tertio, quia Deus antequam prævideat liberam cooperationem voluntatis absolutam intendit efficaciter actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis; liberam observationem omnium præceptorum, & perseverantiam finalem, & ad illos habendos dat auxilia efficacia; & tamen hi sunt fines ab aliis, nempè ab hominibus consequendi; ergo &c. Quartò, quia Deus ante prævisa merita Christi Domini elicienda per voluntatem humanam liberam, decrevit redemptionem; & tamen finis redemptionis erat obtinendus per illa merita libera; ergo &c. Quintò, ab exemplo adducto, quia pater, qui potuisset ingenii acumen præbere filio, & illius voluntatẽ efficaciter allicere, ut seriò & cõstanter animum applicaret ad studia, posset efficaciter velle filii sapientiam, anquam vellet illi præstare media requisita; sed Deus omnia illa potest, & facit in electis; ergo potest priùs eis intendere efficaciter finem, nempè gloriam, quàm eligat, & præstet media efficacia ad illam consequendam.

Argues 4.

379. Argues 4. Deus proponit hominibus gloriam ut præmium meritorum ea lege, ut nullus adultus, nisi per merita illam consequatur; sed stultum quid esset, si Rex proponeret præmium ea lege, ut nullus præmio potiretur, nisi qui victor evaderet, velle efficaciter conferre uni præmium ut præmium, quin priùs illum prævideat victurum in certamine; ergo neque Deus sic potest velle gloriam efficaciter tribuere ut præmium, nisi prævisis meritis. Respondeo minorem esse falsam, si sermo sit de supremo & sapientissimo Rege, qualis est Deus, licet sit verum de aliis Regibus. Patet, quia si Rex posset, cui vellet, conferre animum invictum, vires, artem militarem, & dexteritatem certandi, voluntatem inflammare ad certandum, adversariorum animos frangere, conatus eludere, aliisque artibus juvare: deindè certò præsciret Petrum infallibiliter victurum, si his mediis juvaretur, idem Rex prudentissimè decerneret efficaciter præmium certaminis conferre Petro ante prævisam ejus victoriam, decernendo simul arma illa, aliaque media præbere, quibus præscit infallibiliter victurum; ergo cùm Deus supremus Rex, & omnium sapientissimus hæc omnia possit, & præsciat, prudentissimè potest sic præmia decernere ante merita absolutè prævisa.

380. Argues 5. Sicut pœna dicit essentialem ordinem ad culpam, ita etiam dicit præmium ad meritum; sed Deus non potest efficaciter velle pœnam ante demerita absolutè prævisa; ergo neque præmium ante merita absolutè prævisa. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia sic intendere præmium provenit à Bonitate, & Misericordia divina, cui convenit sic intendere efficaciter præmium, & postea eligere media convenientia ad illud assequendum, procurando eorum executionem: at verò non ita provenit, imò repugnat ejus Bonitati intendere efficaciter pœnã, & postea eligere culpam ut medium, procurando ejus executionem; esset enim Deus causa culpę in ordine ad pœnam infligendam, sicut est causa mediorũ, seu meritorum in ordine ad dandum præmium

381. Instabis: Sicut gloria est meritorum corona, ita pœna est peccatorũ supplicium; ergo si Deus potest intendere positivè gloriam ante prævisa merita, per illa tamen assequendam, poterit etiam intẽdere positivè pœnam ante prævisa demerita, per illa tamen assequendam. Resp. negando consequentiã quoad secundam partem; diversa ratio est, quia cùm Deus de facto habeat ex se voluntatẽ positivam inefficacem salvandi omnes, nõ repugnat habere simul cum illa aliam voluntatem positivam efficacem salvandi aliquos; repugnat tamen habere cum illa voluntatem positivam perdendi aliquos ex illis; tum quia velle salvare & perdere, sive non salvare positivè ex sua voluntate sunt contradictoria: tum quia id non cõpatitur cum Bonitate, & Misericordia divina, licet cum illis compatiatur, & illis non repugnet illa alia voluntas positiva perdendi aliquos, suppositis jam in esse absoluto eorum demeritis; siquidem tunc ad illam non movetur Deus ex se, sed ex ipsis demeritis jam prævisis.

382. Urgebis: Deus in illa electione efficaci electorum etiam vult non electionem reproborum; sed hæc eorum non electio est ante eorum demerita prævisa; ergo &c. Respondeo hujusmodi non electionem, cùm non sit voluntas aliqua positiva, sed sola carentia actus efficaciter eligentis, non implicare in Deo, imò in illa ostendit Deus suum dominium, quin deficiat in Misericordia, aut alicui injuriam inferat, cùm simul habeat intentionem illam generalem salvandi omnes, det ad id auxilia sufficientia, & horum effectum exoptet ex se, licet inefficaciter. Et si illa est aliquo modo reprobatio virtualis, & veluti inchoata, talis est ultra Dei intentionem, neque enim Deus illam intendit, sed sequitur ex eorum malitia, quatenùs non acceptant ejus auxilia, neque cum illis cooperantur; non est tamen eorum reprobatio positiva; siquidem hæc connotat odium Dei, quod Deus non habet ante demerita prævisa in esse absoluto.

383. Argues 6. Ex eo, quod gratia detur in executione independenter à meritis, benè probant Theologi ex D. Aug. fuisse prædestinatam sine illis; ergo è contra ex eo, quod gloria non detur in executione sine meritis, benè probabitur non fuisse prædestinatam sine illis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia ut gloria dicatur esse ex meritis, quin sit propter merita, opus non est, quod merita in esse absoluto præcedant ejus intentionem, sed sufficit, quod prima illa voluntas intendat non exequi, nisi post ipsa merita, & ex illis, & hæc sola intentio probatur ex illa executione, seu traditione gloriæ per merita: at verò quando executio est absolutè independenter à meritis, ut fit in electione ad gratiam, benè arguitur nullam præcessisse intentionem de ipsis meritis, sicque non exequi per merita.

384. Argues 7. Aut intentio illa efficax ante merita prævisa esset necessaria ad salutem; aut non: Si primum; ergo reprobi, qui illam non habent, non haberent omnia necessaria ad salutem, quod affirmare est impium: Si secundum; ergo superfluè admittitur. Respondeo non esse absolutè, & simpliciter necessariam, esse tamen necessariam, ut Deus naturali, prudenti, & proportionato modo operetur in dandis auxiliis, intendendo scilicet priùs finem, & postea ex illo eligendo media. Patet à simili, quia etiam advertentia intellectûs non est simpliciter & absolutè necessaria, ut res aliena subripiatur; & tamen non ideò est superflua, imò necessaria, ut libero, & humano modo fiat; ergo similiter in nostro eventu. Neque ex eo deficiunt reprobis necessaria ad salutem, ut ex infra dicendis constabit.

385. Argues 8. Si Deus ex se ante prævisa merita eligeret homines ad gloriam, deberet plures eligere; sic enim postulabat ejus Misericordia, Bonitas, & Liberalitas, imò potiùs æquitas, & justitia; alioquî si omnes non eligeret, sicut omnes ordinaverat ad finem supernaturalem, ad sanctificationem ante peccatum, ad vocationem post peccatum, ad redemptionem, oblationem sacrificii ipsius, & Sacramenta, videretur acceptor personarum, & injustus, atque inæqualis, contra illud Act. 10. 34. *Non est acceptor personarum Deus*; ergo &c. Respondeo 1. argumentũ eandem vim habere in contraria sententia asserente, præcedere electionem gratuitam ad gratiam, seu ad auxilia congrua, in qua etiam à Deo incipit prædestinatio. Undè si in ea admittunt Contrarii, Deum sine injustitia, & dispendio suæ Misericordiæ, Bonitatis, Liberalitatis, & Æquitatis paucos elegisse, cùm posset plures, cur idem non admittent in nostra sententia? Quod igitur ipsi dixerint in sua sententia de electione sine meritis prævisis ad auxilia congrua, etiã & nos dicimus in nostra sententia de electione ad gloriam sine meritis prævisis; & hoc notandum ut plura argumenta possimus in Contrarios retorquere.

386. Respondeo secundò, numerum electorum absolutè esse quasi innumerum, ut constat ex Apoc. 7. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo*

poterat

poterat: & fortè majorem, quàm reproborum, ut tenet *D. Thom. in 1. dist. 39. q. 2. art. 2. ad 4. & cum eo P. Tanner. hîc d. 3. q. 7. dub. 5. num. 3.* Patet, quia licet inter homines multò plures sint reprobi, quàm electi; inter Angelos tamen multò plures sunt Angeli electi, quàm reprobi, ut multi docent ex illo Apoc. 12. 4. *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum*; ergo si ut communiter creditur cum *D. Dionys. cap. 14. Cœlest. Hierarch. D. Greg. hom. 24. in Evang. & D. Thom. 1. p. q. 50. art. 3.* longè major est absolutè numerus Angelorum, quàm hominum, valdè credibile est ex utroque simul ordine, & Angelorum, & hominum, multò plures esse absolutè electos, quàm reprobos.

387. Dices: Sequitur, aut non totam ruinam Angelorum per homines restaurandam; aut majorem, quàm tertiam hominum partem salvandam; siquidem cùm tertia Angelorum pars ceciderit, ut constat ex textu citato, quæ est longè major tertiâ parte hominum, ad restaurandam tertiam partem Angelorum deficientium non sufficit tertia pars hominum salvandorum, sicque aut plus, quàm tertia pars hominum debet necessariò salvari; aut non tota ruina Angelorum restaurabitur; sequela non videtur admittenda; ergo &c.

388. Respondeo cum *P. Tanner. cit. proximè num. 3.* locum illum Apoc. cit. ad litteram non loqui de Angelorum, sed hominum justorum casu, qui per caudam draconis, id est Antichristi operam, sub finem mundi seducentur, ut etiam Recentiores alii interpretantur, licet per accommodationem, & allegoriam etiam ad ruinam Angelorum accommodari possit; non quod planè tertia pars, sed multò minor, quàm dimidia pars ceciderit. De hoc tamen jam alibi, & iterum suo loco dicemus.

389. Respondeo tertiò ad argumentum, numerum electorum inter homines esse minorem, quàm reproborum, quod tamen Deus ita voluit: tùm ut suæ gratuitæ beneficentiæ affectus, ipsiusque beneficii magnitudo magis æstimaretur, quantò paucioribus communicatur: tùm nè si inter eos constaret, majorem esse numerum salvandorum, timor Dei magis adhuc exularet inter homines, & vana præsumptio cum vitæ licentiâ conjuncta, magis invalesceret; quando nec sic quidem satis possunt homines Dei, & salvationis timore cohiberi. In quem sensum loquitur *D. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 10. & lib. 21. de Civit. cap. 12. & Epist. 106. ad Bonifacium.* Undè.

390. Ad probationem argumenti de ordinatione ad finem supernaturalem, &c. dicimus, omnia illa esse beneficia, & media cõmunia, ac generalia, necessariaq; ad salutem, & ideò æquitatem postulasse, quod omnes ad illa eligerentur: at verò prædestinatio non ita est, sed beneficium speciale, & non necessarium simpliciter ad salutem, ideòque æquitas non postulat, quod omnibus conferatur. Patet, quia Deus absque læsione æquitatis, ac injustitiâ soli Humanitati Christi Domini contulit unionem Hypostaticam; soli Virgini Sanctissimæ Maternitatem Dei; solis Apostolis apostolatum, sicque Patriarchis, Prophetis, & aliis Sanctis alia similia beneficia specialia; & tamen indè neque dicitur acceptor personarum, neque quis potest justè de eo conqueri, quatenùs sibi similia beneficia non contulerit, quia specialia fuerunt, & gratuita, & non necessaria ad salutem, sicque similiter de beneficio, sive electione ad gloriam.

391. Inferes: Ergo cùm Deus electis seligat gratias congruas, ut fiat opus ab eo prædefinitum; ita etiam non electis debet seligere incongruas, nè fiat opus, quod ipse non prædefiniit; sicut enim ad specialem ejus providentiam spectat, ut salventur prædestinati, ita ad eandem videtur spectare ut non salventur non prædestinati. Respondeo negando illationem; neque enim opus fuit selectione gratiæ incongruæ, aut aliquâ speciali providentiâ circa non electos, nè eorum salus contingeret; siquidem eo ipso, quod Deus peculiari providentiâ gratias congruas selegit pro electis, incongruas communi providentiâ non electis reliquit, & decrevit, non ut incongruas, sed ut sufficientes, licet nunquam sint habituræ effectum.

Urgebis: In convivio nuptiali ad providentiam sponsi spectat, non solùm curare, ut delecti, nempè centum convivæ veniant, sed etiam nè plures veniant; ergo idem dicendum de Deo, si ex se certum numerum ad cœlestes nuptias vocavit, & elegit. Idem argumentum fit de Architecto, qui ex innumeres saxis certum numerum selegit ad ædificium. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio, quia sponsus (idem dicendum de Architecto, non habet simplicem affectum voluntatis, quo omnes etiam non efficaciter vocatos velit interesse cõvivio, sed affectum ita determinatum ad certum numerum, ut nec simplici voluntate plures adesse cupiat: at verò Deus aliter se habet, ut patet ex supra dictis; vult enim omnes homines salvos fieri voluntate saltem simplici, & inefficaci. 392.

Argues 9. Ex hac electione ad gloriam ante prævisa merita oriretur socordia, & tolleretur solicitudo bonorum operum in electis, & oriretur desperatio in reprobis; siquidem illi dicerent, *Si sumus prædestinati salvabimur infallibiliter: si non sumus prædestinati* (dicerent hi) *infallibiliter non salvabimur*; quæ quidem retardant à bonis operibus, & possunt afferre desperationem. Imò quidam viri docti fassi sunt, se nescire, quo futuri sint animo, in religionis jugo ferendo, si eam sibi sententiam persuasum habeant; ergo &c. 393.

Respondeo primò, hoc argumentum, (quo etiam Usi sunt Massilienses contra D. August. (ut videre est ex *D. Prospero in Epist. ad Augustinum*) eandem difficultatem habere in electione ad gratiam, quæ in Adversariorum, imò & omnium sententia (neq; enim cum probabilitate cõtrarium dici potest,) est à solo Deo ante prævisa merita, in qua etiã homo dicere potest: *aut Deus me elegit ad gratiam finalem*; *aut non*: Si primum, infallibiliter salvabor: Si secundùm, infallibiliter non salvabor: sicq; eadem indè socordia, & desperatio oriri potest. Deindè eodem argumento utuntur hæretici in præscientia divina infallibili, dicunt enim: *Aut Deus præscit me salvandum: aut non salvandum*: Si primum, infallibiliter salvabor: Si secundum, infallibiliter non salvabor; sicque, dicunt, non salvabitur, qui benè operatur, si Deus præscit non salvandum, aut non elegit ad gratiam; neque condemnabitur, qui malè operatur, si Deus præscit salvandum, aut elegit ad gratiam, quod argumentum cùm hîc non valeat, neque valet in electione ad gloriam ante prævisa merita. 394.

Respondeo secundò negando antecedens; neque enim per illam electionem amittitur libertas, neque in electo, ut possit non salvari, neque in reprobo, ut possit non condemnari; ac proindè neque reprobus potest desperare de salute, cùm adhuc possit eam assequi; neque electus otio tradi; siquidem potest eam amittere, si non laboret; ideò enim dicit Apostolus ad Philip. 2. 12. *Cum metu, & tremore* 395.

tremore vestram salutem operamini. Addo hujusmodi electionem nunquam posse causare desperationem in reprobo, licet posset socordiam causare in electo; siquidem cùm talis electio, ut diximus, necessaria non sit ad salutem simpliciter, posset ipse reprobus dicere: *volo laborare quia possum salvari sine illa electione*; ac proinde si non laboraverit, certò peribit, non certitudine, & necessitate antecedente, sed consequente. Ad illud, quod additur de viris doctis dicimus, alios viros etiam doctissimos, & sapientissimos, speciatim D. August. & D. Thom. aliter affectos fuisse; neque enim magnæ perfectionis est, ideò Religionis jugum solummodò ferre, quia incertâ quadam, licet probabili opinione de modo prædestinationis duceris, aliàs jugum ipsum non laturus, cùm sola obligatio diligendi Deum per se satis ad id momenti habere possit, & debeat.

396. Instabis 1. Ideò ex electione ad ultimum auxilium efficax non potest oriri socordia, aut desperatio, quia cùm illud dependeat à cooperatione hominum, ex diligentia unius fit efficax, & ex negligentia alterius fit inefficax; sed non ita dependet electio ad gloriam; siquidem in manu hominum non fuit, quod illa poneretur, aut non poneretur, cùm fuerit tota gratuita, ut dicitur; ergo &c. Respondeo negando minorem, prout jam supra negavimus: cùm enim electio illa ad gloriam sit essentialiter dependens à consensu conditionatè futuro, & ab ejus Scientia Media, sicut talis consensus potuit esse causa, ut daretur in Deo illa Scientia, ita etiam potuit esse causa, ut poneretur in Deo illa electio; & sicut illa Scientia non causat in electis socordiam, ita neque illam causabit electio; nam sicut si ego ex socordia in tali, aut tali occasione operarer, Deus non haberet talem Scientiam, ita etiam non haberet talem electionem, sicque dependet à mea libera determinatione conditionatè futura; sicut etiam Scientia Dei absoluta dependet ab objecto absolutè futuro.

397. Instabis 2. Hujusmodi sententia videtur non multum discrepare à sententia hæreticorum hujus temporis; siquidem non minùs videtur tollere sollicitudinem bonorum operũ, & inducere licentiam vitæ, quàm illa, quatenùs utraque videtur dicere: *Si sum prædestinatus, salvabor: si non sum prædestinatus, non salvabor*; cùm utraque hæc sit certò, & infallibiliter futura; ergo &c. Respondeo negando antecedens; iniquum enim, & injustum est injustâ adeò ac tam gravi censurâ celebratissimam, & probatissimam à tot, tantisque viris Sanctissimis, & doctissimis sententiam gravari, quæ ab hæreticorum sententia plusquam toto cœlo differt, ut jam ostendo.

398. Primò, quia hæreticorum sententia tollit planè libertatem; nostra autem minimè; cui etiam falsò imponitur, quod quasi necessitatem extrinsecam inducat, cùm solam inducat comitantem, seu subsequentem, quæ cum libertate stare potest. Secundò, quia illa Deum facit authorem, & impulsorem scelerum; non ita verò nostra. Tertiò, quia illa Deum facit Tyrannum, & injustum, quatenùs ante prævisionem peccatorum absolutam absoluto, & positivo decreto omnibus damnandis æterna decernit supplicia; quod nostra non facit, cùm in illa gratuita electione ad gloriam solam apponat reprobationem negativam, sive non electionem ad gloriam. Quartò, quia illa, prout libertatem tollit, omnem rationem peccati tollit, sicque Deum facit iniquissimum Judicem, quatenùs illum tam severum statuit vindicem peccatorum, quæ devitare non est in manu peccatoris; nostra autem minimè. An nè coincidit hæc nostra Catholicorum sententia cum illis hæreticorum hujus temporis erroribus, & deliramentis?

Instabis 3. Si Deus omnes non sic electos po- 399.
sitivo decreto reprobasset, & vellet hoc decretum sub specie benignitatis occultis modis exequi, non id commodiùs, & certiùs præstaret, quàm ratione illa, quam nos in nostra sententia statuimus, nempè res humanas sic dirigendo, & tales gratias illis præparando, cum quibus sciret certissimè frustrandos effectu; ergo parum interest, quod sic positivè, aut negativè illos excludat à regno. Respondeo negando antecedens; falsum enim assumitur; nam si Deus ex se aliquos positivo decreto destinasset ad pœnas inferni, tunc vellet, & procuraret media necessaria ad eum finem, nempè peccata, ad illaque impelleret, ut docet Calvinus, & ejus asseclæ, quod tanquam execrabilem blasphemiam detestamur; aliter tamen se res habet in illa exclusione negativa à regno, ut patet ex dictis. Vide *Calvinum lib. 3. Instit. cap. 22. §. 2. & cap. 23. §. 4.*

Instabis 4. Deus ex se, & sola sua bonitate non 400.
statuit aliquid inutile, & pernicioſum creaturæ; imò quo posito, melius esset homini non esse, quàm sic esse, ut patet ex illo Sap. 1. *Deus non lætatur in perditione vivorum*: Et illo. Oseæ 13. *Perditio tua Israël; tantummodò in me auxilium tuum*; sed talis est reprobatio illa negativa; ergo &c. Respondeo majorem esse veram si sermo sit de decreto positivo culpæ, seu pœnæ quà pœnæ, seu absolutè de pœna æternæ damnationis, prout supra diximus *d. 1. à n. 174. & à n. 134.* in quo sensu intelliguntur citata Scripturæ loca; non autem de decreto permissivo, & reprobatione negativa, ut patet ex dictis.

Instabis 5. Sequeretur ex hac sententia, creatio- 401.
nem reproborum, aliaque beneficia non esse beneficia, neque teneri pro illis Deo gratias agere; siquidem posità reprobatione illâ negativâ, melius erat eis non nasci, ut de Juda dixit Christus Dominus, neque tot beneficia recipere, cùm omnia fiant inutilia, & solùm ad majorem damnationem inserviant; ergo &c. Respondeo negando sequelam; cùm enim Deus vero voluntatis affectu, (licet non efficaci) creet omnes, ut salvi fiant, ad idque omnia sufficientia offerat omnibus, solùm penes ipsos est, quod non omnes salventur, sicque omnibus in creatione beneficium cõtulit, pro quo debent gratias agere; & si ob supervenientem ex ipsis perditionem tollitur hoc gratitudinis debitum, ex eo augetur in electis gratitudinis affectus. Neque exemplum Judæ aliquid probat in contrarium, cùm Christus Dominus loquatur de illius reprobatione positiva, non autem de sola negatione gratiæ congruæ.

Instabis 6. Sequeretur neque electos multum 402.
laudis & præmii promereri in eo, quod gratiæ sic præparatæ respondeant, & opera præfinita exequantur, & reprobos excusationem habere in eo, quod gratiæ incongruæ non respondeant, & opera bona sibi non præfinita non faciant; siquidem ex suppositione voluntatis divinæ aliter fieri non potuit. Respondeo negando sequelam: electi enim & laudem, & præmium promerentur, quia cùm absolutè potuerint transgredi, non sunt transgressi: reprobi autem nullam habent excusationem, quia cùm absolutè potuerint obedire, non obedierunt. Undè stante illo decreto circa utrosque, aliud ab utrisque fieri non erat impossibile, nisi

impossibilitate consequente, & in sensu composito, eo modo, quo utrisque erat impossibile aliter facere, posità præscientiâ divinâ.

403. Instabis 7. Licet omnibus sit possibile servare præcepta secundùm quid, & consideratâ intrinsecâ dispositione voluntatis, cum hujusmodi tamen libertate, & dispositione potest stare impossibilitas absoluta; sic enim Christus Dominus (licet seclusâ Visione Beatâ) posset, spectatâ internâ dispositione voluntatis humanæ, non servare præcepta divina, absolutè tamen id ei erat impossibile, propter assistentiam divinam, debitam illi animæ ratione Unionis Hypostaticæ; sed hæc eadem assistentia deberetur electis, supposito decreto absoluto, respectu operum prædefinitivorum, & perseverantiæ; ergo &c. Respondeo supponi falsum, quod per prædefinitionem Dei absolutam tollatur saltem extrinsecè libertas, & absoluta facultas faciendi oppositum, ut jam alibi ostendimus.

404. Ad exemplum de Christo Domino dicimus esse quid prorsus diversum, & dissimile, quia in Christo Domino erat intrinseca, & physica repugnãtia cum peccato; tum ratione Unionis Hypostaticæ; tum ratione Visionis beatificæ, quarum utraque faciebat, ut non solùm non haberet in eo locum transgressio præcepti divini, sed ne physicam omninò potentiam haberet ad illam; at verò in electis aliter se res habet; siquidem in illis solùm est protectio quædam Dei extrinseca talis, quâ infallibiliter in peccato mortali nõ decedent, licet absolutè, & physicè possent peccare, & ita in peccato decedere, suffragante ad id scientia media, quâ Deus præcognovit, si his, aut illis auxiliis prævenirẽtur, eos infallibiliter, sed absolutè liberè in gratiâ decessuros.

405. Argues 10. Deus in Scripturis omnes vocat ad salutem, hortatur justos ad perseverantiam, ad profectum, conqueritur de peccatoribus, perseverantibus in gratiâ promittit vitam æternam, non perseverantibus minatur mortem æternam; sed positâ hâc sententiâ non videtur hæc seriò facere, sed tantùm in speciem, ut electis videatur justus, & severus, non electis autem benignus; ergo &c. Respondeo negando minorem; nam cùm electio sit ad gloriam, consequendam tamen per merita in effectu, necessariæ fuerunt, & erunt hortationes, minæ, promissiones, & similia, ut habeantur media, & peccata vitentur, ut sic *cum metu & tremore nostram salutem operemur*, ut ait Apostolus. Accedit, quod cùm unusquisque, seclusâ revelatione sit incertus de sua electione; *Nescit enim homo utrum amore, an odio dignus sit*: Eccles 9 1. meritò in qualibet vocatione timere debet, ne ab ea pendeat ejus salus, de qua debet esse maximè sollicitus, ut ait Apostolus: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*. 2. Petr. 1. 10. Imò adhuc data revelatione, timere potest. nam ad rectè timendum satis est, si malum sit absolutè possibile, quamvis ex suppositione aliqua non sit futurum; sic enim etiam in patria admittitur timor filialis, & fuga offensæ absolutè possibilis, consideratâ naturâ ipsius Beati.

406. Instabis 1. Nemo prudens seriò, & ex animo potest desiderare, hortari, præcipere, ut fiat id, quod si re ipsa fiat, repugnabit operi antea designato, aut decreto antea concepto; sed ita accideret, si Deus, posito jam decreto de salvandis electis, adhuc desideraret, hortaretur, & præciperet non electis opera bona, ut salvarentur; ergo &c. Respondeo negando majorem; nam Judex quem judiciali decreto damnavit ad pœnam, sæpè voluntate, & affectu simplici cupit absolvi: Magistratus seriò, & ex animo desiderant, nullam violari legem, quod si fiat, repugnabit operi designato, aut decretis antea conceptis, nempè decretis, quibus decreverunt Fiscalibus stipendia ex transgressorum mulctis: pii Medici seriò, & ex animo affectu simplici cupiunt, ne ullus bonus vir ægrotet, quod tamen, si fiat, repugnabit operi, & officio decreto, quo ex sua se arte alere decreverunt. Et ratio est, quia efficax propositum vnius rei sub una ratione, & desiderium, seu voluntas inefficax oppositi ex aliâ ratione non pugnant inter se.

Instabis 2. Insolens, & extra morem planè est 407.
inter homines, id promittere sub conditione, quod jam voluntate absoluta decreverunt; sed ita accideret, si Deus post decretum absolutum dandi gloriam electis, adhuc promitteret tradendam sub conditione bonorum operum; ergo &c. Respondeo negando majorem: aliquando enim parens promittit filio amplam hæreditatem sub conditione certi officii sibi præstandi, quam tamen aliàs jam ei ut filio designarat: Et Princeps bravium, quod jam antea fideli servo designavit, potest ei promittere tradendum sub conditione certaminis, & victoriæ, si de victoria ab eo reportanda sit certus. Vide quid circa argumentum proximè adductum *num. 405.* dicat D. Aug. *lib. de bono perser. cap. 14. & 15.*

Argues 11. Hæc sententia videtur tollere zelum 408.
animarum, qui à Deo, & à Christo Domino maximè in Scripturis commendatur: tum, quia si omnes salvandi ante prævisionem mediorum sunt electi, salvabuntur, licet ego nihil prædicando, & monendo cooperer, sicque non est, quid multum angar in procuranda aliorum salute: tum etiam, quia quod in sanctis Viris valdè excitat hunc zelum, est sibi persuadere, & spem habere, aliquos suâ operâ salvandos, qui alioqui damnarentur; hanc autem persuasionem, & spem ab illis excludit illa electio absoluta, & reprobatio negativa; sed illud non est dicendum; ergo &c.

Respondeo negando majorem, & ejus primam 409.
probationem: Primo, quia licet ordine intentionis decreta sit gloria ante prævisa media, potuit tamen aliquando fieri, ut fieret quoad subsistendi consequentiam dependenter à certis mediis, quorum unum potest esse mea prædicatio, & monitio. Secundò, quia alia sunt motiva, quæ zelum animarum excitant, ut jam dicimus. Ad secundam probationem dicimus, si legantur Scripturæ, nunquam in eis, ut opinor, invenietur, Apostolorum aliquem sibi arrogasse, aliquos suâ operâ salvandos, qui alioqui sine illâ perirent, sed longè alia motiva sui zeli apud eos invenientur, qualia sunt: *Væ mihi est, si non evangelizavero, &c. Momentaneum, & leve tribulationis nostræ, &c. Qui parcè seminat, parcè & metet. Charitas Christi urget nos. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Quod debuimus facere, fecimus. Servi inutiles sumus, &c.* Imò illam animi persuasionem existimo Christianæ modestiæ non esse satis consonam.

Instabis: Si quis dicat, *Deus etiam hunc meum* 410.
zelum absolutè prædefinivit, & ut isti per me salventur. Potero respondere: *Si ita est, nihil est, quod ego me ad illum excitem, ipse me excitabit*; sed in hoc tollitur ut superfluus animarum zelus, & sollicitudo; ergo &c. Respondeo Deum quidem excitare, sed non trahere, nisi ego sponte sequar, trahit enim volentem, ut ait D. Aug. non tamen hoc agitur, ut ego prior me excitem, à Deo non excitatus, sed ut excitantem sequar, & excitatus excitem,

excitem, seu potiùs animum applicem ad nova semper opera bona facienda.

411. Argues 12. Deus ex se, & sine nobis per primam electionem nos discrevit à massa perditionis juxta illud 1. Cor. 4. ibi: *Quis enim te discernit, &c.* sed talis discretio facta fuit per electionem ad vocationem congruam, sive ad seriem auxiliorum prævenientium, quibus certissimè sumus liberandi; ergo prima electio fuit ad gratiam, & non ad gloriam. Respondeo negando minorem; nam gratia congrua discernens electos à reprobis est sola gratia finalis; siquidem sola hæc est propria electorum; gratia autem finalis ordinariè non datur sine meritis antecedenter prævisis; & cùm de se non sit necessariò connexa cum salute, vix in ratione doni distinguitur, sive discernitur una gratia ab alia, nisi in eo, quod priùs intendatur efficaciter salus ut finis, & ex illa eligatur ipsa gratia ut medium; sicque non per hujus, sed per illius electionem discernimur electi à massa reproborum.

412. Argues 13. Magis gloriosa sunt Deo nostra bona opera, quàm nostra Beatitudo; sed Deus in eligendis prædestinatis priùs respexit ad illud, quod ei erat magis gloriosum; ergo priùs respexit ad nostra bona opera, ut per illa nos eligeret ad gloriam, quàm ad ipsam gloriam habendam per nostra bona opera. Respondeo quidquid sit de majori, negando minorem; Deus enim, ut prudenter ageret, priùs respexit ad finem, nempè ad gloriam, quàm ad media, nempè ad merita: Imò aliquando elegit ad gloriam sine ullis meritis, ut fit in infantibus statim à baptismo decedentibus; & sine meritis propriis de condigno, ut fit in adultis decedentibus cum sola attritione, & Sacramento Pœnitentiæ. Accedit, quod Deus non elegit nos ad nudam gloriam, sed ad gloriam habendam per merita; gloriosiùs autem est Deo, seu magis auget ejus gloriam nostra Beatitudo simul cum meritis, quàm sola merita per se sumpta.

413. Argues 14. Si electio ad gloriam esset merè gratuita, & ante merita prævisa, etiam postea haberetur gratis in executione; siquidem in executione inciperet à prima vocatione, ut à prima radice, quæ facta est gratis; hoc autem est contra id, quod supra diximus, nempè gloriam dari ut præmium, bravium, mercedem, & coronam; ergo &c. Respondeo gloriam dupliciter considerari posse: Primò ut integrat totam seriem prædestinationis incipientis à prima vocatione; & prout sic præparatur, & confertur gratis, dicitúrque à D. Aug. gratia pro gratia: Secundò seorsim, prout est effectus præcedentium meritorum, & in hoc sensu, non gratis, sed de justitia confertur; eodemque modo dicendum est de meritis posterioribus, quæ dantur propter priora; nam si hæc considerentur ut integrant totam seriem prædestinationis includentis primam vocationem, dicuntur dari gratis propter illam, à qua incipiunt: si autem seorsim considerentur ut effectus distincti à primis meritis, non gratis, sed ex justitia nobis conferuntur.

414. Argues 15. Hæc sententia sic populo explicata, parit scandalum, torporem, amaritudinem animi, & desperationem; siquidem multi ex illa in gravissimos mœrores, & desperationem sunt delapsi, & optimi viri eam graviter accusant, quasi qui metuerent sibi effrænem vitæ licentiam, si eamin animum dimisissent; ergo &c. Respondeo huic argumento jam supra satis respondisse, quibus addimus: Primò hanc sententiam diligenter expensam, & benè intellectam apud animos pios, Deumque timentes nullum parere scandalum, nisi fortè falsa quædam affingantur, ut prout sic etiam bonis reddatur exosa, ut enim dicit Psalmista. Psal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.*

415. Secundò, in hac sententia nihil posse esse scandali, summæ consolationis multum, quod Deus solâ suâ gratuitâ bonitate tot, ac tantos tùm Angelos, tùm homines prædestinarit ad gratiam, & ad gloriam, aliis prætermissis, quibus nihil debebat, & utrisque interim libertate relictâ & ad benè, & ad malè operandum, licet illi ante finem vitæ sint infallibiliter benè acturi, hi autem malè, atque in eo statu utrique juxta Præscientiam Dei Mediam decessuri. An non idem ferè in omni sententia dicendum? Videant ex supra dictis.

416. Tertiò, pauciissimos ex illis, qui scandalizantur, eò præcisè scandalizari, quia nostram hanc sententiam sibi propositam habeant, sed aut quia eam non intelligunt; aut quia volunt (quod faciant bonis avibus) in oppositâ ire; aut occasione doctrinæ Calvinisticæ de prædestinatione, quæ à nostrâ est alieniissima, ut supra vidimus, & ostendimus. Quartò viris illis doctis, & piis, qui sic scandalizantur, alios doctiores, & sanctiores opponimus, quales sunt D. Aug. D. Thom. aliique quàm plures à nobis supra relati.

417. Instabis: Plurimi sunt, qui occasione disputationum, quæ in Hollandia sunt habitæ, hujus sententiæ imaginatione sunt afflicti, & perturbati; ergo &c. Respondeo negando antecedens; neque enim perturbatio illa fuit ex nostræ sententiæ imaginatione, sed ex imaginatione Calvinisticæ sententiæ, quam toto cœlo à nostra diversam esse supra diximus, & satis ex hactenùs dictis constat.

SECTIO XX.

Quid de electione ante prævisa mèrita per ordinem ad certas personas, & ad certos gradus gloriæ?

418. DIFFICULTAS 1. Utrùm electio efficax ante prævisa merita extendatur ad omnes, qui salutem consequuntur? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 8. à n. 42.* Probatur primò ex illo ad Rom. 8. ibi: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui, &c.* Ubi comprehendit omnes electos, tam eximios, quàm non eximios in sanctitate; siquidem omnes fuerunt imagini filii Dei conformes in gratia, & in gloria; ergo &c. Confirmatur, quia licet eximii plùs gratiæ, & gloriæ habuerint, non tamen habuerunt gratiam, & gloriam æqualem gratiæ, & gloriæ Filii Dei, nempè Christi Domni; & tamen dicuntur fieri ei conformes; ergo sic etiam dicentur fieri ei conformes alii non eximii, licet non æqualem cum his habuerint gratiam, & gloriam; consequenterque de omnibus loquitur Apostolus, & omnibus communis fuit electio illa Dei efficax ante prævisa merita.

419. Probatur secundò ratione: Ideò non comprehenderet omnes, quia videtur esse specialis circa alios, & circa alios generalis: specialis circa illos, quos ab infantia, & toto vitæ tempore conservat in gratia; & quos toto vitæ tempore malè viventes convertit miraculosè ad finem vitæ, ut accidit

bono latroni: generalis circa illos, quibus non tam specialis benevolentiæ ostendit: sed ex indè non sequitur; siquidem licet ipsa electio in quibusdam sit magis occulta, quàm in aliis, omnibus tamen est specialissima, quatenùs Deus sub illa præscientia omnibus præparat auxilium illud, quod futurum est efficax usque ad mortem, & sine merito proprio speciale tribuit donum perseverantiæ, sine quo nullus salvabitur, ut docet *D. Aug. lib. de bono persever. cap. 1. & lib. de corrept. & grat. cap. 12. & 13. &c.*

420. Oppositam sententiam tenent aliqui prout supra diximus *num. 280.* pro quibus: Objicies 1. Præelecti non possunt peccare finaliter, & perire juxta illud Joan. 10. 28. *Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea*; sed sic possunt peccare, & damnari plures ex salvandis juxta illud Eccles. 31. 10. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, &c.* ergo non omnes salvandi fuerunt electi in illa prima electione ante prævisa merita. Respondeo prælectos non posse quidem peccare finaliter ex suppositione Scientiæ Mediæ, quâ Deus vidit non peccaturos; posse tamen absolutè, præscindendo à tali scientia; quamvis enim infallibiliter non ita peccabunt, quod solùm indicant verba Christi Domini; in eorum tamen potestate est posse peccare; siquidem, ut jam supra diximus, prædestinatio non tollit, imò intendit libertatem, quatenùs Deus vult quod prædestinatus per bona opera liberè salutem assequatur.

421. Advertes tamen hoc esse intelligendum de prædestinatis non confirmatis in gratia, qualis fuit Virgo Sanctissima; nam si sint ita confirmati, & confirmatio denotet negationem decreti, ac concursûs indifferentis, & ejus determinationem ad solum bonum, tunc peccare non poterunt, sed erunt necessitati ad non peccandum: si autem confirmatio illa con connotet negationem talis decreti, sed solùm consistat in diuturna præparatione vocationum congruarum pro singulis occasionibus peccandi mortaliter, ut non peccent, tunc cum illâ stabit potestas ad peccandum, & amittendam gratiam, licet nunquam sint peccaturi, neque gratiam amissuri, quatenùs Deus speciali providentiâ eos muniet, tum frequenti vocatione congrua interna, tum etiam externa remotione occasionum peccandi.

422. Objicies 2. Aliqui salvantur interventu peccati alterius, aut proprii, quales sunt pœnitentes, Martyres, Doctores, & Virgines, prout supra diximus *num. 353.* Sed hi non possunt eligi ante prævisa merita; siquidem Deus nequit prædefinire finem, quin prædefiniantur media connexa cum illo; Deus autem nequit prædefinire peccata, quæ sunt media ad illos fines, sive ad illa merita; ergo electio ad gloriam ante prævisa merita non extenditur ad omnes. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, si peccatum esset unicum medium ad gloriam, & essentialiter connexum ex natura rei cum illa, tunc non potuisse Deum prædefinire efficaciter ipsam gloriam, quia necessariò etiam prædefiniret, & vellet ipsum peccatum; cùm tamen non ita sit; siquidem Deus plura alia habet media, quibus gloria possit acquiri, ideò potuit Deus omnibus antecedenter velle gloriam efficaciter, & in hac voluntate abstrahere à peccato, quia non est essentialiter requisitum ad gloriam assequendam, postea verò jam prævisо peccato, potuit per medium illud gloriam velle, intendendo pœnitentiam, Martyrium, &c. quæ à peccato oriuntur, ex quo nihil sequitur contra electionem efficacem ad gloriam ante prævisa merita, cùm hujusmodi electio non pendeat necessariò à peccato, licet aliquando occasione illius obtineatur, prout diximus loco proximè citato.

423. Difficultas 2. Utrùm hujusmodi electio efficax fuerit determinata ad certas personas, sive Angelos, sive homines in particulari, & ad certum eorum numerum? Affirmativè. Ita *D. Thom.* hîc, & variis aliis locis. *Altisiodor. lib. 1. sum. cap. 10. ad 1. Durand. in 1. dist. 40. q. 1. a. 2. Greg. Major. Marsil. Capreol. Cajet. P. Valent 1. p. q. 23. punct. 6. P. Soar. lib. 1. de Prædest. cap. 10. num. 2. & lib. 6. cap. 2. num. 6. P. Mol. 1. p. d. 23. a. 4. d. 1. memb. 11. & a. 7. P. Ruiz. hîc d. 53. sect. 2. num. 10. P. Arriaga hîc d. 36. sect. 5. subsect. 2. n. 37.* & alii. Probatur primò authoritate Scripturæ, & Sanctorum Patrum. Ex D. Paul. 2. Tim. 2. *Cognovit Dominus, qui sint ejus.* Addito illo Ecclesiæ, *Deus, cui soli cognitus est numerus electorum, &c.* Et ad Roman. 11. *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Et Joan. 10. *Bonus pastor proprias oves vocat nominatim.* Et D. Aug. epist. 106. *Certus est*, inquit, *Dei præscientia definitus numerus*, &c. Et D. Prosper. lib. 2. de vocat. gent. cap. 33. *De plenitudine membrorum Christi præscientia Dei, quæ falli non potest, nihil perdit, & nullo detrimento minui potest, &c.* Et idem habet *D. Aug. tract. 48. in Joan. & lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 27. & lib. de bono persever. cap. 18.* & alii Patres, ex quibus supra probavimus prædestinationem ante merita prævisa.

424. Probatur secundò rationibus: prima, quia Deo tribuendus est perfectior modus operandi, quando aliundè non repugnat; sed perfectior operandi modus est electio terminata ad certas, & determinatas personas in particulari, & ad certum earum numerum, quàm ad aliquas in communi, & indeterminatè; siquidem absolutè perfectior est actus terminatus ad singularia, & determinata objecta, quàm terminatus ad indeterminata, & communia; & aliundè nulla ex eo sequitur repugnantia; neque enim ulla sequitur necessitas in libertate creata, nulla volitio peccati in illis, qui, supposito peccato, salvandi sunt; ergo &c.

425. Secunda, quia si Deus sua prædestinatione non eligeret certas & determinatas personas in particulari, sed ad id expectaret liberam earum cooperationem, sequeretur aliquot saltem homines se ipsos discernere, transeuntes à numero reproborum ad numerum in cælis descriptum; siquidem transirent absque Dei electione prædefiniente eorum discretionem, possentque inde gloriari; sed hoc est contra illud Apostoli 1. Cor. 4. *Quis enim te discernit*, &c. Et illud: *Non est volentis, neque currentis*, &c. de quibus jam supra; ergo &c.

426. Tertia, quia figulus voluntate sua determinat quamlibet luti partem, quam determinatè eligit in particulari, ut faciat vas in honorem; sed Deus habet se adinstar figuli in eligendis prædestinatis de massa possibilium, ut fiant vasa in honorem, juxta illud Rom. 9. *An non habet potestatem figulus, &c.* de quo supra; ergo illos eligit in particulari quoad certas personas, & earum certum numerum. Confirmatur, quia Deus neque creat, neque potest creare, quin sua voluntate decernat singulas res in particulari creandas; ergo neque prædestinare, quin sua voluntate decernat singulas personas in particulari salvandas.

427. Quarta, quia numerus electorum eos omnes, & solos complectitur, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti; sed non possunt esse vocati

secundùm

secundùm propositum, nisi soli, & omnes singulares, & in particulari, quibus Deus æterno suo proposito decrevit talem vocationem, quâ sciebat esse salvandos; ergo &c. Confirmatur primò, quia qui temperat sortes, ille sua prædefinitione disponit, ut istis potiùs, quàm illis, æterna felicitas sorte contingat; sed Deus hujusmodi sortes temperat, prout vult; ergo &c. Secundò, quia Jacob, & Esau, prout supra diximus, proponuntur in exemplum prædestinatorum; sed Jacob priùs quàm aliquid boni, aut mali egisset, sicque non ex operibus, sed ex vocante electus est determinatè, & in particulari; ergo &c.

428. Argues 1. Electus potest suam coronam amittere, & alius non electus eam accipere juxta illud Apoc. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*; ergo neque illius electio, neque hujus reprobatio fuit certa, & determinata, sed à multitudine electorum ei contingit transire ad numerum reproborum, & è contra. Respondeo neminem posse amittere coronam, quam habet ex vi suę prædestinationis in sensu compositio cum ipsa prædestinatione supponente Scientiam Mediam, licet sic possit in sensu diviso ab illis juxta id, quod supra diximus. Cùm tamen hæc ipsa prædestinatio juvetur salutari metu amittendi coronam, ut cum metu & tremore nostram salutem operemur, ideò per illa verba Deus nobis intendit hunc metum incutere. Imò de facto permittit Deus, plurimos justorum amittere coronam, quam habebant suam, & sibi debitam ex merito gratiæ, quam finaliter amiserunt.

429. Argues 2. Numerus, cui potest additio fieri, non est certus; sed prædestinatorum numero potest additio fieri juxta illud Deuter. 1. *Addat Dominus ad hunc numerum multa millia.* Ubi glossa exponit: *Ad hunc numerum definitum apud Deum, qui novit, qui sint ejus*; ergo &c. Respondeo cum *D. Thom. hic a. 7. ad 1.* illud esse intelligendum de hominibus, quos Deus novit esse suos per gratiam, & secundùm præsentem justitiam; horum enim numerus augetur, quando peccatores convertuntur; sicut etiam minuitur, quando justi mortaliter peccant.

430. Argues 3. D. Thom. hîc *q. 23. a. 6.* probat certitudinem prædestinationis ex infallibilitate providentiæ, cujus illa est pars, ut supra diximus; sed providentia non semper assequitur quemlibet finem intentum, ut etiam supra diximus; ergo neque prædestinatio; consequenterque non erit certa. Respondeo D. Thomæ probationem hanc esse: *Providentia divina consequitur infallibiliter quemlibet finem, quem absoluta voluntate intendit; sed prædestinatione intenditur æterna gloria per absolutam voluntatem Dei; ergo infallibilis est, & certa hujus finis assecutio.* Ex quo nihil contra nos, imò pro nobis probat.

431. Argues 4. Si Deus potest revocare voluntatem prædestinandi Petrum, Petrus non erit prædestinatus; consequenterque ejus prædestinatio non erit certa; sed Deus potest illam voluntatem revocare; siquidem hujus irrevocabilitas respectu talis objecti non est major, quàm respectu aliorum objectorum; Deus autem respectu aliorum potest revocare suam voluntatem juxta illud Jerem. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Et Jonæ 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Et Isai 38. *Dispone domui tuæ, quia morieris, & non vives.* Ubi constat, Deum suam voluntatem revocasse; ergo &c.

Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, Deum propriè pœnitentiam non agere, neque suum decretum absolutum, qualis est prædestinatio, revocare, licet revocet punitionem comminatam, quam ab æterno decreverat sub conditione, & eo fine prædixerat, ut homines resipiscerent, & ad pœnitentiam confugerent, quâ remissionem impetrarent illius pœnæ sine dubio infligendæ, si conditio poneretur, non positâ pœnitentiâ; cùm autem fuerit posita pœnitentia, ideò voluntas illa Dei puniendi non habuit suum effectum, qui ab illa conditione dependebat. 432.

Argues 5. Quod est in nostra potestate facere, aut non facere certum, id non est simpliciter certum; siquidem cùm possimus omittere illud, à quo sit certum, non simpliciter, sed contingenter est certum; sed in nostrâ potestate est nostram electionem facere certam, ut patet ex illo 2. Petr. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*; ergo nostra electio non est simpliciter certa. Respondeo primò distinguendo majorem: non est simpliciter certum, si non habeat infallibilem præscientiam, & omnipotentiam faciendi, ut infallibiliter, & certò velimus, & faciamus; concedo majorem: si habeat; nego majorem: cùm autem nostra prædestinatio secum habeat adjunctam præscientiam, quâ Deus præscit, quibusnam mediis adhibitis certò cooperabimur, & omnipotentiam, quâ potest illa media opportunè applicare, & impedimenta removere, ideò certa, & infallibilis est simpliciter. 433.

Respondeo secundò non improbabiliter ab aliquibus explicari illud D. Petri, non ut simpliciter nostram vocationem certam faciamus, cùm sit simpliciter certa, sed ut faciamus magis certam per opera supererogationis, cui favet verbum illud: *Magis*: quod ibi apponit dicens: *Magis satagite*, &c. & illud quod sequitur: *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum*: ubi notandum est illud: *abundanter*; sicque hæc major certitudo non accrescit prædestinationi divinæ, sed nostræ securitati, & fiduciæ. 434.

Argues 6. D. Paulus certus erat, se esse prædestinatum, ut patet ex illo 2. Tim. 1. 12. *Scio enim, cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare*; & tamen optabat carere effectu prædestinationis, qualis est perfectissima unio cum Deo per visionem, & amorem, cùm diceret Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse in Christo pro fratribus meis*; ergo prædestinatio D. Pauli poterat effectu suo frustrari; consequenterque non erit certa. Respondeo illud desiderium D. Pauli non esse absolutum, neque plenam volitionem, sed tantùm velleitatem quandam, & desiderium conditionatum, quo potest appeti bonum, præscindendo illud ab aliquo malo, quod habeat adjunctum, & ab aliqua suppositione, qua fit impossibile, & sic præscindebat D. Paulus per hoc suum desiderium à conjunctione cum peccato, sine quo de lege ordinaria nullus separatur à Christo; & præscindebat à præsuppositâ prædestinatione, & ejus certitudine, cum qua stare non potest illa separatio à Deo, quam D. Paulus videtur optasse, si opus foret, ad spiritualem salutem sui populi, dummodo sine proprio peccato contingeret, in quo D. Paulus supremum charitatis gradum & Paulo dignum ostendit. De hoc tamen latiùs infra dicemus. 435.

SECTIO XXI.

Quid de electione ante prævisa merita per ordinem ad certos gradus gloriæ?

436. DIFFICULTAS 1. Utrùm Deus in illa electione cuilibet certæ, & determinatæ personæ certum, ac determinatum gradum gloriæ præparaverit, ac definiverit? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. de 1. de prædest. cap. 10. n. 4. P. Tanner. hîc d. 3. q. 5. dub. 6. n. 4. P. Arriaga hic d. 36. sect. 5. subsect. 2. num. 37.* & alii communiter. Probatur primò ex illo Joan. 14. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quò minùs dixissem vobis: quia vado parare vobis locum.* ubi D. Aug. tr. 68. ibi: *Quomodò vadit, & parat locum, si jam multæ mansiones sunt?* Et infrà respondet. *Mansiones præparavit, & præparat, nec alias, sed quas præparavit, has præparat, qui fecit, quæ futura sunt: quas præparavit prædestinando, præparat operando.* Et D. Bern. *serm. 23. in Cant.* ibi: *Non omnibus*, ait, *uno in loco frui datur gratâ, & secretâ sponsi præsentiâ, sed ut cuiq; paratum est à Patre, non enim nos ipsum elegimus, sed ipse elegit nos, & posuit nos, & ubi unusquisque positus fuerit, ibi erit.* Ex quibus, & aliis tùm Scripturæ, tùm Sanctorum Patrum locis satis constat, Deum nobis prædefinire certas gloriæ mansiones, sive gradus consequendos in executione per nostra bona opera.

437. Probatur secundò rationibus: Prima, quia si talis electio non fuit ad certos gradus gloriæ: aut fuit ad hos, vel illos vagè, & indeterminatè: aut determinatè ad alios majores, vel minores, quàm postea deberentur prædestinatorum meritis: Non primum; talis enim modus operandi est valdè imperfectus, & Deo alienus, ut supra diximus: Non secundum, alioqui Deus in sua dispositione fuisset deceptus, aut postea mutaret suum propositum, quæ sunt absurda; ergo &c.

438. Secunda, quia hic modus electionis ad gloriam non repugnat libertati creatæ, neque gratiæ, neque justitiæ, neque divinæ perfectioni, & providentiæ: Non primum, quia Deus per hanc intentionem non mutat voluntatem creatam, impediendo ejus modum operandi, sed potiùs ei accommodat media, sive auxilia, quæ illam moveant suaviter, & infallibiliter ad effectum liberum: Non secundum, nam respectu electorum illis fit maximum beneficium; respectu autem non electorum, non ideò eis denegatur sufficiens gratia: Non tertium, quia cùm Deus sit liber, & supremus Dominus, conferendo huic beneficium, & alteri non negando debitum, nulla est injustitia: Non quartum, quia potiùs talis modus est consentaneus perfectioni providentiæ divinæ; neque enim Deus in suis actibus procedit confusè, & indeterminatè, quod arguit imperfectam cognitionem, sed distinctè, & in particulari, quod arguit perfectiorem cognitionem, & modum operandi perfectiorem; ergo &c.

439. Tertia, quia quod aliquibus conceditur & aliis non repugnat, omnibus concedendum est; sed nullus negabit, Beatissimam Virginem fuisse præelectam ad cumulum gloriæ, quam habet; (idemque suo modo dicendum de Sancto Josepho, Sancto Joanne Baptista, Sanctis Apostolis, aliisque Sanctis præcipuis) & hoc idem omnibus aliis non repugnat, ut vidimus; ergo idem omnibus concedendum est. Confirmatur, quia ipsa varietas effectuum, & mediorum nobis ostendit hujusmodi fuisse Dei intentionem; ergo &c.

Quarta, quia Deus Creatoris munus perfectè non ageret, si ipse mensuram, locum, & ordinem unicuique membro non præscriberet, sed hominis arbitrio id committeret, posseteque homo digitos facere majores, aut minores, oculos, aut aures in alia sede collocare, majores, aut minores, sicque de aliis contra illud Matth. 16. *Quis vestrùm cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum*; ergo etiam supernaturalis Authoris munus perfectè non exerceret, nisi ipse, & non unusquisque sibi, mensuram, locum, & ordinem præscriberet unicuique membro sui corporis mistici, quod est Ecclesia. Confirmatur primò, quia figulus (idem est de architecto) omnibus vasis, præsertim illis, quæ sunt in honorem, modum, ac mensuram præscribit; alioqui non plenè arti satisfeciisset; sed Deus se gerit ut figulus; prædestinati autem ad gratiam, & ad gloriam sunt quasi vasa in honorem juxta illud ad Rom. 9. 21. *An non habet potestatem figulus luti, &c.* ergo &c. Secundò, quia electio æqualiter fertur in finem *cujus*, & in finem *cui*; sed in finem *cui*, nempè in personas fertur certè & determinatè, & non confusè, & indeterminatè, ut diximus; ergo etiam sic feretur in finem *cujus*, nempè in gloriam.

Oppositum tenent aliqui asserentes, electionem 440.
non fuisse ad certum, & determinatum gradum gloriæ ante prævisa merita, sed hunc post præscientiam meritorum fuisse quasi approbatum à Deo per quandam voluntatem complacentiæ, quod alseruisse videtur ex timore, si non tollendi omninò, saltem minuendi libertatem, si ita omnia in particulari prædefinirentur. Sed sic opinantes, timuerunt certè ubi non erat timor, ut patet ex dictis, & quia non agnoverunt Scientiam Mediam certissimam, & infallibilem, qua positâ, nulla est difficultas in componenda libertate circa omnia media cum fine præfinito in particulari quoad certum gradum, & perfectionem intensivam: pro illis tamen:

Oppones 1. Si id esset verum sequeretur: Primò hominem in hac vita posse pervenire ad eum 441.
statum gratiæ, ultra quem non posset crescere; siquidem cùm habeat prædefinitum gradum gloriæ, etiam prædefinitum habet gradum gratiæ; non autem potest excedere gradum à Deo prædefinitum: tùm quia jam non esset prædefinitum: tùm etiá quia jam quod Deus absolutè prædefiniret, non esset certum, & infallibile. Secundò, per Deum stare, nè homo sanctior fiat; licet enim magis, ac magis laboret, nunquam poterit excedere gradum prædefinitum à Deo; sed utraque sequela est falsa; ergo &c.

Respondeo negando utramque sequelam; ad 442.
primam enim dicimus, Deum sic uniuscujusq; actiones disponere, ejusdemque vitæ progressum, ut tunc ipsius vita finiatur, quando illa gratiæ mensura impletur, sicque quamdiu homo vixerit, semper poterit in gratia crescere, quin prædestinatio illum impediat, ejusque libertati repugnet, cùm supponat Scientiam Mediam, & ei fuerit accommodata illa electio, & prædefinitio. Ad secundam dicimus, semper omnibus à Deo parata esse auxilia, quibus possint in gratia crescere, quantùm voluerint, qui si nolint, per ipsos, non autem per Deum stat, nè fiant sanctiores.

Oppones 2. Deus in illa voluntate salvandi 443.
omnes,

omnes, quam diximus generalem non determinavit, neque certas personas, neque certos gradus gloriæ, sed quoad utrosque fuit voluntas, & electio indeterminata, & indefinita; ergo hæc non repugnat in Deo. Respondeo negando antecedens: nam Deus in illa solùm ordinavit ad gloriam personas illas, quas simul decrevit creare, & harum numerus erat certus, & determinatus; siquidem Deus non decrevit creare in communi, & indeterminatè, sed hos, & illos determinatè, & in particulari. Deindè gradus gloriæ, ad quos illos ordinavit, non erant omnes gradus absolutè possibiles, sed illi tantùm, qui de lege ordinaria erant possibiles unicuique juxta auxilia ab ipso Deo illi præparata majora, aut minora, prout ei placuisset; hi autem gradus erant certi, ac determinati, ac ut tales à Deo cogniti.

445. Infertur: Ergo non benè supra diximus hujusmodi voluntatem, & electionem generalem non esse ad certas personas, neque ad certos gradus gloriæ. Respondeo negando illationem: ideò enim id diximus, ut voluntatem illam inefficacem distingueremus ab hac electione efficaci, quæ non ita generaliter tendit, sed magis determinatè cuilibet certæ personæ certos gloriæ gradus assignat in effectu consequendos, quod illa non habet; cum hac tamen differentia (ut aliqui notant,) quod Deus ex se propriè, ac determinatè ordinaverit efficaciter, nè gloria hujus, & illius prædestinati esset minor; quod autem non sit major, ita decreverit, ut quantùm est ex se, majorem præoptaverit, sed inefficaciter.

446. Oppones 3. Deus in illa electione efficaci non designavit, etiam negativè, certum numerum reproborum, neque certos gradus pœnæ illis infligendæ; ergo neque certum numerum electorum, neque certos gradus gloriæ illis dandæ. Respondeo negando antecedens quoad primam partem; nam eligendo hos, eo ipso illos, saltem negativè reprobavit; præsertim cùm statuerit non eligere plures, neque aliis præparare media efficacia; cùm autem etiam illi sint certi, ac determinati; siquidem certos, ac determinatos decrevit creare ex reprobis, ideò certas, ac determinatas personas sic negativè reprobavit, licet certos, ac determinatos gradus pœnæ non prædefiniverit; siquidem hi correspondent demeritis, quæ cùm Deus prædefinire non possit, neque sic prædefinire potest gradus pœnæ, quos quisque sibi designat per peccata, quæ committit.

447. Advertes hîc *P. Soar. cit. n. 7. & cum eo P. Tanner. cit.* velle traditam resolutionem solùm procedere de gradibus gloriæ essentialis; posse tamen extendi ad præmium accidentale, dummodò necessariò non supponat peccatum; siquidem tunc non potuit cadere sub illam primam intentionem dandi gloriam, quia necessariò debet supponi permissio, & prævisio peccati; sicque Deus vellet ipsum peccatum; quod non est dicendum. Non placent tamen, & meritò *P. Arriaga cit. num. 39.* ob rationes jam supra à nobis breviter assignatas, & fusiùs infrà assignandas.

448. Difficultas 2. Utrùm electio illa Dei efficax ad gloriam sit electio, & dilectio: unus, an multiplex actus? Advertes primò, dilectionem esse propensionem, seu affectum quemdam voluntatis ad aliquid, qui licet absolutè stare possit, quin velit ei bonum; attamen ex *D. Thom. 2. secundæ quæst. 110. art. 1.* ordinariò idem est aliquid diligere, atque ei velle bonum, præsertim Deus, quando diligit efficaciter. Dupliciter Deus dicitur diligere; aut solùm ordinando ad bonum futurum, dicturque amor ordinativus, seu propositi, seu intentionis: aut ipsum bonum actualiter conferendo, dicturque amor collativus, seu executionis, quatenùs ponit in executione bonum illud, ad quod priùs ordinaverat.

449. Advertes secundò, electionem versari, aut inter personas, aut inter res alias, fierique quando plura, aut formaliter, aut virtute comparantur inter se, & unum ab aliis separatur, dicturque electio unius præ aliis. Aliter etiam actus voluntatis dicitur electio, quando scilicet eligit unum propter aliud, & sic dicitur electio voluntas medii propter finem.

450. Advertes tertiò, posse dari dilectionem, quæ non sit electio, quando scilicet absque ulla comparatione, aut separatione, etiam interpretativa, unus vult bonum alteri: & è contra posse dari electionem, quæ non sit dilectio, quando scilicet absque ullo affectu ad bonum, quod sit alicui bonum, unum comparas cum aliis, & ab illis separas, seu eligis præ illis. His positis.

451. Dico 1. Decrerum efficax dandi gloriam prædestinatis est eorum dilectio. Ita *D. Thom. hic q. 23. art. 4. & in 1. dist. 40. & 41. P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 11. n. 1. P. Herice tract. 3. d. 22. cap. 5. num. 39. P. Ruiz hic d. 12. sect. 9. n. 10. P. Arriaga, P. Tanner.* & alii. Probatur primò ex illo ad Ephes. 2. ibi: *Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos.* Et Joan. 15. 9. *Ego dilexi vos.* Et ad Rom. 9. 13. *Jacob dilexi, &c.* ubi sermo est, (sicut in pluribus aliis locis) de prædestinatione sub nomine dilectionis. Secundò ratione, quia diligere aliquem est velle ei bonum; sed per hujusmodi decretum Deus vult prædestinato maximum bonum, nempè gloriam æternam; ergo illum diligit; consequenterque actus ille est vera dilectio.

452. Objicies 1. Si prædestinatio esset dilectio, cùm prædestinatus, prout est in peccato, adhuc perseveret prædestinatus, adhuc perseveraret à Deo dilectus; sed Deus non diligit peccatorem, imò odio habet; ergo neque prædestinatum. Respondeo prædestinatum pro eo statu peccati perseverare à Deo dilectum, non amore collativo, seu complacentiæ, sed amore ordinativo, seu propositi ratione statûs, ad quem illum ordinavit, & ei intendit. Imò in hoc ipso statu peccati plus illum amat amore directivo, quàm diligit reprobum in statu gratiæ; licet hunc plus amet amore collativo, executionis, & complacentiæ, quatenùs ei gratiam confert, quam pro statu peccati non confert prædestinato, in quo pro præsenti statu minùs complacet, quàm in reprobo.

453. Infertur: Ergo dilectio Dei pro eo statu erit major erga reprobum justum, quàm erga prædestinatum in peccato, poteritque absolutè dici, Deum plus amare reprobum, quàm prædestinatum. Respondeo simpliciter, & absolutè plus amari prædestinatum, quatenùs ratione decreti gratuiti, seu voluntatis dandi gloriam, simpliciter vult ei majus bonum, nempè gloriam; licet secundùm quid, seu pro illo tempore, quo præscitus est in gratia, & prædestinatus in peccato, plus illum, quàm istum amet, quatenùs ille pro tunc est acceptus ad gloriam, ad quam iste secundùm præsentem statum illius temporis non est acceptus.

454. Instabis: Dilectio divina actu afficit objectum bonum; sed prædestinatus in peccato non est actu bonus; ergo non terminat affectum, sive dilectionem divinam. Respondeo prædestinatum in eo

statu

statu non esse actu bonum bonitate, quæ terminat actum complacentiæ, sed quæ terminet actum propositi, sive amoris directivi, & ita terminat dilectionem, quæ etiam est tantùm directiva, & quam Deus in re habet, & ostendit per illam electionem ad gloriam, ad quam illum elegit: sicut quando Abrahæ promisit futuram ex eo generationem Christi, eo ipso ostendit erga illum amorem actu, & præsentem, licet ordinativum tantùm, quia adhuc ei non præstabat tale bonum.

455. Inferes: Ergo si prædestinatus etiam pro tempore, in quo non est justus, diligitur per hunc actum dilectionis, etiam pro eo tempore plus diligitur simpliciter, & absolutè; siquidem cùm illa dilectio in se sit simpliciter major, pro omni tempore, pro quo denominat hominem dilectum, etiam illum denominat magis dilectum. Respondeo cum *D. Thom. & P. Soar. cit. num. 3.* amorem Dei esse causam bonitatis rei amatæ, ideòque pro quocumque tempore Deum diligere personam illam, cui pro eo tempore majus bonum confert: cùm autem prædestinatus pro tempore, quo nõ est justus non recipiat illud majus bonum, quod recipit præscitus tempore, quo est justus, ideò pro eo tempore Deus simpliciter plus hunc, quàm illum amat.

456. Objicies 2. Dilectio divina semper ponit in creatura aliquid boni; in hoc enim distinguitur à dilectione creata; sed illud decretum glorificandi nihil ponit in prædestinato; nam licet hic postea assequatur gloriam, illam assequitur per solam voluntatem executivam, quæ potiùs est actus justitiæ, quàm dilectionis; ergo tale decretum non est dilectio. Respondeo ad majorem ita quidem ponere, aut mediatè, aut immediatè: illud autem decretum sic ponit ipsam gloriam, saltem mediatè, quatenùs imperat actum exequentem, (si ab illo distinguitur,) qui illam ponit immediatè. Dixi *si ab illo distinguitur*, quia si non distinguitur, sed immediatè applicat Omnipotentiam, tunc immediatè ponet ex parte voluntatis ipsam gloriam sine eo secundo actu. Neque obstat quod ipsa gloria in executione dicatur actus justitiæ; talis enim non dicitur pro ut primò intenditur, & prout incipit à prima vocatione gratis grata, quod fit ex dilectione.

457. Dico 2. Decretum illud intendens gloriam prædestinato est etiam rigorosa ejus electio. Ita *P. Soar. P. Herice. P. Ruiz. P. Tanner. d. 3. quæst. 2. dub. 3. num. 5. P. Arriaga hic d. 34. sect. 1. num. 1.* & alii. Probatur, quia ille actus est electio rigorosa, qui aut unum è pluribus præfert, relictis aliis: aut unum eligit propter aliud; sed ita se habet supra dictum decretum respectu prædestinatorum; ergo &c. Probatur minor quoad primam partem, quia Deus ex infinitis, quos poterat eligere ad gloriam, hos tantùm elegit, aliis relictis, illosque cæteris prætulit; ergo &c. Probatur quoad secundam partem, quia licet Deus velit gloriam prædestinatis ut eorum finem, hoc non tollit quominùs illam etiam velit ut medium ad sua Attributa ostendenda, Bonitatem communicandam, & propriam gloriam accidentalem acquirendam; ergo propter hæc omnia fuit etiam intenta; consequenterque in utroque sensu est propria, & rigorosa electio.

458. Dico 3. Hujusmodi dilectio, & electio sunt unus & idem actus, solùmque distinguuntur per diversa connotata. Ita *P. Soar. cit. n. 7. P. Herice. d. 22. tract. 3. n. 44. P. Tanner. cit. n. 6. P. Arriaga cit. n. 1. P. Compton. hic d. 39. sect. 2. n. 8.* & alii. Probatur, quia tale decretum in se habet & velle bonum prædestinatis, & illud ita eis velle, ut omittat alios, quibus etiam Deus poterat velle tale bonum, & quibus ipsos prædestinatos præfert; sed prout eis vult bonum, est dilectio; & prout illos in bono aliis præfert est electio; ergo &c. Confirmatur, quia propositis Petro, & Juda Intellectui Divino secundùm sua bona naturalia, Voluntas Divina mota est eligere D. Petrum, non autem Judam; ergo talis actus fuit simul & dilectio D. Petri, quatenùs ei voluit gloriam, & etiam electio illius, quatenùs illum Judæ præposuit; ergo idem dicendum de aliis prædestinatis, quorum modus eligendi fuit similis.

Argues 1. Electio, & dilectio in humanis distinguuntur, ut supponit commune axioma: *Priùs eligas, quàm diligas*; ergo etiam sic distinguentur in Divinis. Respondeo negando antecedens: axioma enim illud solùm intelligitur de speciali, & majori dilectione, quæ dicitur amicitia, & supponit priùs aliam minorem dilectionem, quæ ab electione non distinguitur: sic quando quis eligit aliquem, ut illum habeat amicum familiarem, per ipsammet electionem incipit eum diligere, licet dilectionem illam ad aliam majorem, & familiarem amicitiam ordinet. 459.

Argues 2. Electio dependet à dilectione; siquidem prædestinatus ideò à Deo eligitur, quia diligitur; sed quando unum supponit aliud, ab eo distinguitur; ergo sic distinguitur electio à dilectione. Respondeo electionem, quando fit in bonum, duos includere gradus, alterum veluti genericum, qui est dilectio, & alterum veluti specificum, qui est talis dilectio, id est unius præ aliis, & hic supponit illum, estque illo posterior; siquidem non esset talis dilectio, id est unius præ aliis, nisi priùs esset dilectio; cùm tamen id habeat unus, & idem actus secundùm diversa tantùm connotata, prout scilicet connotat, aut non connotat negationem similis volitionis respectu alterius, benè sequitur non dari ibi duas virtualitates distinctas, & separatas, quæ efficiant quoad nos duos actus virtualiter distinctos. 460.

SECTIO XXII.

Virùm in electione divina aliquis fuerit ordo inter prædestinatos?

461. ADVERTES primò hujusmodi quæstionem solùm habere locum in nostra sententia ponente electionem ad gloriam ante prævisa merita in esse absoluto; nam in contraria dicendum est dari hujusmodi ordinem inter prædestinatos. Patet, quia multorum merita pendent ab auxiliis impetratis ab aliis, qui jam Deo fruuntur, sicque supponunt prævisam eorum beatitudinem, quæ cùm non acquiratur sine meritis, etiam supponunt eorum merita in esse absoluto; consequenterque eorum prædestinationem ad gloriam. Secundò hujusmodi difficultatem procedere de omnibus prædestinatis, comprehendereque Christum Dominum, Beatissimam Virginem, Angelos, & homines, de quibus omnibus incipiendo à Christo Domino, de quo variè loquuntur Doctores, dicendum est: sit igitur:

462. Difficultas 1. Utrùm Verbum Divinum, aut Filius naturalis Dei possit absolutè, & sine addito dici prædestinatus? Suppono primò de Fide esse, unio-

unionem substantialem duarum naturarum in supposito divino fuisse ab æterno prædestinatam. Patet primò ex illo 1. Cor. 2. 7. ibi: *Loquimur Dei Sapientiam in Mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Secundò, quia Prædestinatio divina versatur præcipuè circa opera gratiæ, & gloriæ; sed hujusmodi unio fuit maximum opus gratiæ, & gloriæ; ergo illam voluit Deus ab æterno, ut fieret in tempore. Hinc sequitur, complexum illud, *Filium Dei fieri hominem*, & *hominem esse Filium Dei*, fuisse etiam simpliciter & absolutè prædestinatum, seu ab æterno prædefinitum à Deo, quia sic etiam fuit postea factum in tempore.

463. Suppono secundò, Verbum Divinum, seu Filium Dei naturalem non posse simpliciter & absolutè dici prædestinatum ad esse Filii Dei naturalis, sive ut sit Filius Dei naturalis. Ita *P. Soar. de Incarn. d. 50. sect. 2. P. Perez de Incarnat. d. 40. sect. 7. n. 3.* & alii. Patet, quia prædestinatio ex parte voluntatis est actus liber communis toti Trinitati, & habens pro objecto, sive termino rem extrinsecam, sive ab extrinseco provenientem ei, qui prædestinatur; siquidem nemo dicitur prædestinari ad id, quod est sibi essentiale, & habet ab intrinseco; sic enim homo non dicitur prædestinari ad esse hominis; sed Verbum, & Filius Dei sibi habet essentiale & intrinsecum esse Filium naturalem Dei, quod à Patre accipit per æternam generationem; ergo non potest dici prædestinatus ad esse Filii Dei naturalis. Hinc sequitur ob eandem rationem non posse dici prædestinatum ad Beatitudinem Increatam, utpotè quæ ei est etiam essentialis, & intrinseca. His suppositis.

464. Conclusio sit: Verbum, seu Filius naturalis Dei non potest simpliciter, & absolutè sine aliquo addito dici prædestinatus. Ita *D. Bonavent. in 3. dist. 7. Richard. Durand. Paludan.* quos citat & sequitur *P. Soar. de Incarnat. d. 50. sect. 1.* dicens esse Theologorum communem. Probatur primò, quia verbum hoc *Prædestinari* absolutè prolatum in cõmuni acceptione idem significat, atque destinari ex dono Dei ad aliquod esse simpliciter, aut ad beatitudinem in tempore habendam; sed non ita destinatus est Filius Dei, ut patet ex dictis; ergo non potest dici simpliciter, & absolutè prædestinatus. Secundò, quia ex tali locutione absolutè, & sine addito prolatâ posset aliquis existimare Filium Dei secundùm propriam naturam fuisse ut creaturã prædestinatum; sed hoc sapit hæresim Arianam; ergo abstinẽdum est à tali locutione sic absolutè prolata. Confirmatur, quia ob eandem rationem abstinendum est ab hac absolutè, & sine addito prolata: Verbum incepit. Dixi *sine addito*, nam cum addito sive ex parte subjecti sic: *Verbum quà homo*; sive ex parte prædicati sic: *Verbum prædestinatũ est ad esse hominis*: seu *ut fieret caro*: benè poterit sustineri, ut patet ex alibi dictis, & patebit ex dicendis.

465. Oppositum tenent *P. Vasq. d. 92. de Incarnat. cap. 2. num. 6. P. Hurt. de Incarn. d. 8. diff. 5. n. 14.* & alii. Pro quibus: Argues 1. Absolutè, & sine addito dici potest: *Christus est prædestinatus*; ergo etiam: *Verbum est prædestinatum.* Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia ex eodem P. Vasq. ut aliquis dicatur absolutè prædestinatus, sufficit quod ab æterno ordinetur à Deo ad habendum esse in tempore, etiamsi non ordinetur ad gratiam, aut ad gloriam; cùm autem sic fuisset ordinatum compositum illud *Christus*, & non ita *Verbum*, ut est de fide, ideò absolutè potest illud, non tamen hoc, sicut neque Filius Dei dici prædestinatus. Hæc interim, infra enim latiùs.

Argues 2. Quidquid dicitur de hoc homine *Christus*, dicitur etiam de Verbo, & de Filio Dei per communicationem idiomatum; sed de hoc homine absolutè, & sine addito, dicitur fuisse prædestinatum; ergo etiam sic dicetur de Verbo, & de Filio Dei; siquidem benè valet argumentum: *Hic homo est prædestinatus: hic homo est Filius Dei; ergo Filius Dei est prædestinatus.* Respondeo majorem esse veram, nisi detur specialis repugnantia; aliter verò si detur, ut datur in præsenti. 466.

Patet in prædicatis *creatura, incepit*, quæ absolutè dicuntur de hoc homine; & tamen non possunt dici de Verbo, neque de Filio Dei absolutè, sed cum addito, nempè *quà homo*, aut *per communicationem idiomatum*, ob periculum incidendi in Arianismum: cùm autem idem periculum, & repugnantia detur in prædicato *prædestinatus*, absolutè prolato; tum quia etiam significat durationem temporaneam: tum etiam, quia, ut diximus, ex communi acceptione significat destinationem ad esse, aut beatitudinẽ secundùm propriam naturam, ideò sine simili periculo nõ potest proferri de Verbo, aut de Filio Dei absolutè, sed cum addito, nempè quà homo, aut per communicationem idiomatum, in quo sensu benè infert argumentum. Nisi velis dicere, consequentiam nihil valere, cùm mutetur suppositio; siquidem in majori, & minori sumitur subjectum in suppositione materiali, nempè, *subjectum quod est hic homo est prædestinatum*: in consequentia autem sumitur in suppositione formali, sicque est falsa. Patet in hoc Syllogismo: *Hic homo est Deus: Verbum factum est hic homo: ergo Verbum factum est Deus*: In qua conclusione supponitur pro formali, id est pro natura, de qua falsò asseritur factam fuisse; aliter inciperet in tempore. 467.

Argues 3. Eadem repugnantia quæ datur in hoc prædicato *prædestinatus*, datur etiam in his, *mortuus*, & *passus*; sicut enim est impossibile, quod Verbum fiat secundùm propriam naturam; ita etiam quod moriatur, & patiatur; & sicut potest secundùm naturam aliam pati, & mori; ita etiam fieri; sed absolutè, & sine addito affirmatur de Verbo fuisse mortuum, & passum; ergo etiam sic affirmabitur fuisse prædestinatum. Respondeo negando majorem: nam verborum sensus desumendus est à communi usu, & acceptione; ex his autem est quod prædicata *mortuus*, & *passus*, conveniant Verbo ratione idiomatum, non verò immediatè, & in se; ideòque licet absolutè proferantur, sic intelliguntur: at prædicatum *prædestinatus* è contra, ut patet ex dictis, ideòque non potest de illo absolutè proferri. 468.

Difficultas 2. Utrùm Verbum, seu Filius Dei possit dici prædestinatus ab æterno, ut fieret homo in tempore? Affirmativam sententiam tenent cum *D. Thom. Alens. & Scot. P. Soar. de Incarnat. d. 50. sect. 1. & P. Gaspar. Hurt. de Incarn. d. 18. diff. num. 10.* & alii. Negativam tamen sententiam tenent *Durand. Lorca, P. Becan.* & alii. Antequam quid sentiamus, apponamus: Præmittendum est cum *P. Vasq. de Incarnat. d. 92. cap. 3. n. 15. P. Petr. Hurt. de Incarn. d. 84. §. 9.* & aliis, prædestinationem hîc dupliciter sumi posse: Primò latè, seu minùs propriè pro simplici providentia, seu prædefinitione divina alicujus rei in ordine ad aliquid aliud accipiendum, sive sit ex gratia, sive sine illa; Secundò prefsè, seu magis propriè pro ipsa 469.

prædefinitione in ordine ad aliud ex dono, & gratia tantùm Dei accipiendum. Hoc posito.

470. Assertio 1. Verbum, seu Filius Dei potest dici lato modo prædestinatus ab æterno, ut in tempore fieret homo, seu caro. Ita *P. Vasq. P. Hurt cit. & P. Perez de Incarnat. d. 40. sect. 7. n. 6.* & alii. Probatur, quia Filius Dei verè dicitur factus homo in tempore ex æterno Dei decreto; ergo etiam verè dicetur prædestinatus: tùm quia prædestinatio non distinguitur ab illo decreto: tùm etiam, quia ad prædestinationem latè sumptam, qualis est hæc, non requiritur, quod sit ex dono, & gratia Dei; siquidem Concil. Valent. *cap. 3.* reprobationem malorum vocat prædestinationem ad pœnam; cùm tamen illam non sint accepturi ex dono, & gratia Dei: Et ita similiter loquuntur D. August. D. Fulgent. & alii Patres sumentes prædestinationem pro sola providentia absoluta. Confirmatur, quia in hoc loquendi modo vitatur inconveniens, de quo supra; siquidem non significatur, Verbum fuisse prædestinatum simpliciter ad esse, aut beatitudinem secundùm propriam naturam, sed tantùm secundùm quid, & lato modo, ut esset homo, seu ut uniretur humanitati.

471. Assertio 2. Verbum, seu Filius Dei non potest propriè, & strictè dici prædestinatus, ut esset, & fieret homo. Ita *P. Vasq P. Hurt. P. Perez cit.* Probatur, quia ut posset sic dici prædestinatus debebat ad id ordinari ut ad aliquam gratiam, & beneficium sibi faciendum; sed respectu Verbi, & Filii Dei non erat gratia, neque beneficium, quod fieret homo; imò maxima exinanitio, ut patet ex illo ad Philip. 2. 7. ibi: *Exinanivit semet ipsum formam servi accipiens*; ergo &c.

472. Dices 1. Quod prædestinatio, ut talis sit propriè, & rigorosè, debeat esse ad aliquid, quod sit donum, beneficium, & gratia, sine fundamento asseritur; ergo &c. Respondeo negando antecedens; constat enim: Primò ex definitione prædestinationis, quam tradit D. August. *Est præparatio beneficiorum Dei, &c.* de qua jam supra: Secundò, quia hæc est communis acceptio, juxta quam supra diximus, prædestinationem in proprio sensu esse ad dona, quæ viribus naturæ acquiri non possunt.

473. Dices 2. Filius Dei futurus non esset homo ex natura; ergo ex gratia, seu ex unione gratuita; consequenterque potest dici ad id prædestinatus. Respondeo negando consequentiam quoad utramque partem; neque enim ad rigorosam prædestinationem satis est, quod terminus, ad quem quis destinatur, sit datus à Deo utcumque gratis, & sine debito naturæ, sed ulterius opus est, quod sit gratia, & beneficium respectu ipsius, qui ad illum prædestinatur, qualis non est illa unio respectu Verbi, & Filii Dei: sic etiam è contra quando aliquis dicitur destinatus ad aliquid ex justitia, sic dicitur, non ex quacunque justitia, sed ex justitia propria, & sibi debita.

474. Dices 3. Ut Verbum dicatur propriè prædestinatum satis est, quod humanitati, aut huic homini fieret gratia, licet non ita fieret ipsi Verbo, siquidem ex illo per denominationem extrinsecam resultabit in ipsum Verbum; ergo &c. Respondeo negando antecedens; debet enim gratia fieri ipsimet prædestinato, qui ad illam prædestinatur.

475. Instabis: Ut Verbum dicatur propriè factum caro, opus non fuit, quod in illo fieret mutatio aliqua, sed satis fuit, quod hæc fieret in humanitate recipiente unionem, & ex illa resultaret talis denominatio in Verbum; ergo similiter. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia quando Verbum factum fuit caro, licèt tota mutatio facta fuerit ex parte solius humanitatis recipientis unionem; ipsum tamen Verbum fuit realiter unitum, cùm etiam terminaverit unionem, (sive intrinsecè, sive extrinsecè, prout alibi diximus,) & fuit cum humanitate conjunctum: at verò ipsa unio, prout est gratia à Deo facta, non fuit terminata ad ipsum Verbum, sed tota, prout est gratia, mansit in sola humanitate, cùm respectu Verbi potius sit exinanitio, quàm gratia, ut diximus.

476. Difficultas 3. Utrùm Christus Dominus possit dici simpliciter, & absolutè prædestinatus? Affirmativè. Ita *D. Thom. 3. p. q. 24. art. 1. D. Bonav. in 3. dist. 7. art. 2. q. 1. D. Aug. lib. de prædest. sanctor. cap. 15. & lib. de bono persever. cap. ult. Alens. 3. p. q. 3. P. Soar. de Incarn. d. 50. sect. 1. P. Vasq. de Incarn. d. 91. cap. 1. num. 1.* & alii. Probatur primò ex illo Actor 2. ibi: *Certissimè sciat omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus.* Et ad Hebr. 3. *Considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ JESUM, qui fidelis est ei, qui fecit illum.* Et 1. Cor. 2. 7. *Loquimur Dei Sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula.* Ubi sermo est de Sapientia incarnata, de qua etiam D. Petrus 1. Petr. 1. 20. *Redempti estis ..... pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati: præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus.* Et Concil. Tolet. 11. ubi de Christo: *Per hoc*, inquit, *quod de MARIA Virgine natus est, & prædestinatus esse credendus est*; ergo &c.

477. Probatur secundò rationibus: Prima, quia quod est ab æterno præordinatum à Deo, ut per gratiam fiat in tempore, verè dicitur prædestinatum; sed ita præordinatus fuit Christus Dominus media unione hypostatica; siquidem ita factus fuit in tempore, ut patet ex Scripturæ locis proximè citatis, & ex illo Joan. 1. *Verbum caro factum est*: nihil autem potest fieri in tempore, quod ab æterno non fuerit à Deo prædefinitum; alioqui aliquid Deus vellet de novo, quod antea non voluerit; ergo verè dicitur prædestinatus.

478. Secunda, quia Christus significat quid subsistens in duabus naturis divinâ, & humanâ; sed hoc, ut subsistat in duabus naturis, prædestinatum est ab æterno; ergo etiam Christus potest dici simpliciter ab æterno prædestinatus. Tertia, quia Christus simpliciter dicitur glorificatus, exaltatus, &c. ergo etiam sic dicetur prædestinatus, cùm hæc omnia dicantur de Christo ratione naturæ assumptæ.

479. Oppones 1. Subsistere media unione hypostatica in duabus naturis pertinet ad constitutionem Christi Domini; sed quæ pertinent ad constitutionem rei, non cadunt sub ejus prædestinationem; neq; enim homo dicitur prædestinatus, ut sit animal rationale; ergo &c. Resp. minorem esse veram, si constitutio sit merè naturalis, qualiter animal rationale constituunt hominem; non ita verò si sit supernaturalis, & miraculosa, qualis est constitutio illius compositi, ideoque verè dicitur prædestinatum.

480. Oppones 2. Prædestinatio simpliciter, & absolutè, prout sumitur à Theologis, est sola ordinatio efficax ad gloriam, ita ut idem sit dicere: *Petrus est prædestinatus*: atque dicere: *Petrus est ordinatus ad gloriam*; ergo ut Christus Dominus dicatur absolutè prædestinatus, non sufficit ejus ordinatio ad existentiâ; alioqui cùm omnes homines sint ordinati ad existendum, omnes dicerentur prædestinati. Resp. negando consequentiam, & ejus

proba-

probationem: nam cùm esse Christi Domini, & ejus existentia extra causas ratione Unionis Hypostaticæ secum deferant connaturaliter possessionem gloriæ, idem fuit in eo ordinari ad habendum esse, & existentiam, atque ordinari, saltem mediatè ad possessionem gloriæ, cùm utrumque pertineat ad ordinem supernaturalem: at verò cùm id non habeant cæteræ cæterorum hominum existentiæ, ideò ordinati ad existentiam, nequeunt absolutè dici prædestinati; siquidem illa ordinatio fit à Deo per providentiam naturalem; imò & si per supernaturalem, est tantùm generaliter, & inefficaciter, quatenùs prout sic etiam ordinantur ad gloriam, ut supra diximus.

481. Oppones 3. Prædestinatio semper est ad aliquod donum supernaturale, ut diximus; sed existentia nō est donum supernaturale, & indebitum rei, cujus est existentia; siquidem non distinguitur ab ejus essentia; nihil autem est connaturalius, & magis debitum rei, quàm ejus esse, & essentia; ergo &c. Respondeo ad minorem, aliquando posse existentiam esse donum supernaturale, & indebitum rei, cujus est existentia, quando scilicet tale est respectu alicujus partis illius, & talis est existentia illius compositi ineffabilis respectu humanitatis, quam includit.

482. Instabis: Quando prædicatum non convenit subjecto secundùm se totum, non potest de eo absolutè, & simpliciter affirmari; alioqui possemus absolutè, & simpliciter albedinem affirmare de Æthiope, cui convenit secundùm solos dentes; sed prædicatum *prædestinatus* non convenit Christo Domino secundùm se totum; solùm enim ei convenit secundùm humanitatem; ergo non potest de illo absolutè, & simpliciter affirmari. Respondeo majorem esse veram, quando prædicatum aptum est convenire toti subjecto, ut apta est albedo convenire toti Æthiopi; aliter verò si prædicatum sit de genere eorum, quæ apta non sunt convenire subjecto secundùm se totum, & hujus generis est respectu Christi Domini hoc prædicatum *prædestinatus*; non enim potest ei convenire, nisi secundùm solam humanitatem, ideoque benè potest de eo simpliciter, & absolutè affirmari.

483. Oppones 4. non potest dici de Verbo, fuisse prædestinatum ad existendum; ergo neque de Christo Domino; siquidem quæ non possunt dici de Verbo Divino, non possunt etiam dici de Christo Domino. Respondeo negando consequentiam, ad cujus probationem dicimus, non posse affirmari de Christo Domino, quæ non possunt affirmari de Verbo, si sumatur Christus quatenùs Deus; aliter si sumatur quatenùs homo; sicque benè potest de illo absolutè, & simpliciter affirmari illud prædicatum ratione solius humanitatis.

484. Oppones 5. Terminus prædestinationis non solùm debet esse in ordine supernaturali, sed esse ulterius donum, & beneficium gratuitum prædestinati, ut diximus; sed dici non potest, Deum per Providentiam æternam præparasse Christo Domino aliqua beneficia gratuita, & ei indebita; ergo non potest dici prædestinatus. Respondeo ad minorem, non posse dici, Deum sic præparasse beneficium indebitum Christo Domino respectu utriusque naturæ, posse tamen respectu solius humanitatis. Patet, quia Christus Dominus potuit, & debuit Patri gratias agere pro acceptis donis: imò de facto eas egit, ut passim constat ab Scriptura; gratiæ autem non aguntur, nisi propter dona gratuita, & indebita; ergo talia illa erant Christo Domino ut homini; sicque id ipsum sufficit, ut dicatur simpliciter, & absolutè prædestinatus.

SECTIO XXIII.

Quid dicendum de Christo Domino sub his nominibus Christus, *&* hic Homo, *ostenso Christo Domino?*

485. DIFFICULTAS 1. Utrùm Christus Dominus sub hoc nomine *Christus* possit simpliciter, & absolutè dici prædestinatus, ut esset Filius Dei naturalis? Negativè. Ita cum *D. Thom. P. Soar. de Incarnat. d. 50. sect. 2. §. Tertiò sequitur. P. Vasq. de Incarnat. d. 91. cap. 2. num. 13. P. Lugo de Incarnat. d. 32. sect. 2. num. 22. P. Hurt. d. 84. §. 4.* & alii. Probatur, quia prædestinatio in proprio sensu ordinatur ad terminum distinctum à re prædestinata, quin in illa præsupponatur, imò ei adveniat ex dono, & gratia Dei; sed non ita ordinatur Christus Dominus in hac propositione: *Christus est prædestinatus, ut esset Filius Dei naturalis*; siquidem cùm Christus Dominus dicat de formali compositum ex duabus naturis in unâ & eâdem personâ, dicit de formali subsistentiam, seu Filiationem divinam, sicque neque ipsa Filiatio est omninò distincta à Christo Domino; neque Christus Dominus ad illam, imò illa in eo præsupponitur; neque ei advenit ex gratia Dei; ergo non potest simpliciter, & absolutè dici prædestinatus, ut esset Filius Dei naturalis.

486. Confirmatur primò, ex eo, quod homo formaliter includat animam & subsistentiam: & humanitas sit idem cum se ipsa; neque homo potest dici prædestinatus, ut habeat animam rationalem, aut propriam subsistentiam; neque humanitas, ut sit humanitas; sed etiam Christus Dominus includit formaliter Filiationem divinam, & est idem cum illa, quatenùs Deus est; ergo non potest dici ad illam simpliciter, & absolutè propriè prædestinatus. Secundò, quia prædestinatus ad aliquem terminum debet esse prior illo; siquidem ad illum præordinatur; sed Christus Dominus non est prior Filiatione divinâ; siquidem per illam constituitur; constitutum autem non est prius suo constituente; alioquin prius esset totum suis partibus; ergo non potest dici ad illam prædestinatus. Unde si aliquando concessimus Christum Dominum fuisse prædestinatum ad Filiationem Dei, intelligendum est de prædestinatione lato modo, & alterius ordinis, ut ibi insinuavimus, quod idem dicendum de ejus prædestinatione ad gratiam, & ad gloriam, de quo infra.

487. Argues 1. Christus Dominus fuit propriè prædestinatus ad esse, sive ad existentiam, ut diximus; ergo etiam ad tale esse, nempè Filii Dei. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia existentia non erat necessaria Christo Domino; siquidem poterat non existere: at verò Filiatio Divina erat ei necessaria, & debita, quia sine illa non dabatur Christus. Secundò, quia Christus in esse essentiæ præintelligebatur ad ejus existentiam, & ad illam ordinabatur: at verò non ita præintelligebatur, neque ordinabatur ad Filiationem Dei; siquidem ex illa constituebatur.

488. Argues 2. Christus secundùm se est indifferens ad hunc Christum, & ad alios possibiles ex aliis humanitatibus ad alias Personas divinas ; ergo potuit sumi sine Personalitate Filii, & prout sic prædestinari ad illam. Respondeo cum P. Lugo cit. Christum Dominum ita sumptum in communi, posse quidem reperiri absque personalitate Filii; sicut tamen non dicimus, hominem in communi fuisse prædestinatum, ut sit Petrus ; sic etiam non debere dicere, Christum in communi prædestinatum esse, ut esset hic Christus, aut Filius Dei. Undè solùm fuisset prædestinatus hic Christus in particulari ; hic autem Christus, cùm non potuerit concipi ex parte subjecti sine Filiatione Divina, non potuit ad illam prædestinari.

489. Argues 3. Quod Christus sit prædestinatus ad esse Filii Dei benè infertur per hunc syllogismum expositorium : *Hic homo prædestinatus est ut esset Deus : hic homo est Christus, seu Filius Dei ; ergo Christus, aut Filius Dei prædestinatus est, ut esset Deus* ; ergo &c. Respondeo primò negando majorem argumenti, ut constabit ex sequenti difficultate. Respondeo secundò cum *P. Vasq. cit. n. 15.* syllogismum illum continere fallaciam, quam Logici dicunt *accidentis*, & datur quando duo conveniunt inter se, & ad invicem prædicantur, & uni eorum tribuuntur formaliter ea prædicata, quæ ipsi formaliter repugnant, aut formaliter non conveniunt, sed alteri ; quod quidem accidit quando duo ita inter se conveniunt, ut non per se, sed accidentariè invicem prædicentur, ut accidit in appositio syllogismo, ideoque consequentia non est bona, sicut non est in hoc : *Hic homo est Deus : Verbum factum est hic homo : ergo Verbum factum est Deus* : quæ est falsa, vera tamen, si ita inferatur : *Ergo Verbum factum est hic homo, qui est Deus* : sicut vera erit illa si inferatur ; ergo *Christus, aut Filius Dei est ille, qui prædestinatus est, ut esset Deus.*

490. Respondeo tertiò cum *P. Lugo cit. n. 23.* terminum *hic homo* ex parte suppositi, cùm illud indeterminatè significet, sapere naturam termini communis, & sic debere sequi illius leges, ideoque ex eo defectu non valere consequentiam, neque illum esse bonum syllogismum expositorium, cùm illius medium non sit terminus purè singularis ex parte suppositi, sed communis ; sicut non valet, neque est bonus iste : *Hic homo est hic Deus : hic Deus est Trinus ; ergo hic homo est Trinus* : in quo non valet consequentia ; imò neque inter Personas divinas, si dicas : *Filius est hic Deus : hic Deus est Trinus : ergo Filius est Trinus* : quia *hic Deus*, licet ex parte Naturæ Divinæ sit terminus singularis, ex parte tamen Personæ, quam indeterminatè significat, sapit rationem termini communis.

491. Argues 4. D. Paulus dixit Christum prædestinatum fuisse Filium Dei, ut patet ad Rom. 1. 3. ibi : *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis* ; ergo &c. Respondeo (omissis aliis interpretationibus de quibus latè, & eruditè, ut assolet *P. Soar. cit. sect. 2.*) verbum *prædestinatus* ibi idem valere, atque declaratus, & manifestatus per miracula, per doctrinam, per meritum, per satisfactionem pro peccatis hominum, per Resurrectionem, per Ascensionem, &c. ita ut sensus sit, non quod fuerit prædefinitus, sed quod homo factus, declaratus fuerit sua propria virtute Filius Dei. Ita exponunt citatum locum *D. Chrysost. Theodoret. Theophylact. D. Cyril.* & alii apud *P. Soar. cit.* qui etiam hanc ipsam expositionem dicit satis probabilem.

Difficultas 2. Utrum *hic homo*, ostenso Christo Domino, dici possit prædestinatus, ut sit Filius Dei? Negativè. Ita *Durand. in 3. dist. 7. q. 3. n. 9. Paludan. quæst. 3. art. 2. & 3. concl. 2. D. Bonav. in 3. dist. 7. art. 2. q. 3. Marsil. in 3. q. 7. art. 1. concl. 3. Lorca d. 85. n. 3. P. Petr. Hurt. d. 84. §. 5. P. Pere de Incarn. d. 40. sect. 8. n. 2. P. Gasp. Hurt. d. 18. diff. 1. n. 3. P. Arriaga de Incarn. d. 45. sect. 3. n. 26. P. Becan. cap. 2.* & alii. Probatur primò, quia *hic homo*, imò & *homo*, ostenso Christo Domino, idem significat, atque Christus ; nam licet *hic homo*, & *homo* videantur quid commune ad Petrum, & Paulum, designato tamen Christo Domino, non possunt jam sumi, nisi pro solo Christo ; sic enim *Petrus*, licet sit vox æquivoca ad hunc, & illum Petrum, designato tamen hoc numero Petro, non potest sumi nisi tantùm pro illo ; siquidem designatio tollit æquivocationem ; sed *Christus*, ut diximus, non potest dici prædestinatus, ut esset Filius Dei ; ergo neque *hic homo*, seu *homo*, ostenso Christo Domino. 492

Probatur secundò, quia tunc posset sic dici prædestinatus, quando Deus conciperet humanitatem concernentem suppositum aliquod in confuso, vagè, & indeterminatè, eamque ut sic ordinaret ad suppositum divinum ; sed Deus *non* ita concepit, imò neque potuit concipere ; siquidem Deus nihil concipit, neque considerat confusè, vagè, & indeterminatè, cùm sit cognitio imperfecta ; & multò minùs sic ordinat per actum efficacem, qui ut sit exequens, tendit ad rem determinatè, & ut futura est à parte rei ; sic autem futura est determinata, & ut singularis, non verò indeterminatè, & in communi ; ergo &c. 493

Oppositum tenent *D. Thom. 3. p. q. 24. a. 2. Aristod. lib. 3. sum. tr. 1. q. 8. cap. 2. Scot. in 3. dist. 7. q. 3. ad 1. P. Soar. de Incarn. d. 50. sect. 2. §. Quo circa. P. Vasq. de Incarn. d. 90. cap. 3. num. 17. P. Lugo de Incarnat. d. 32. sect. 2. n. 9.* & alii : pro quibus. *Objicies* 1. Concretum *homo* solùm dicit de formali naturam concernentem suppositum ; suppositum verò de connotato tantùm ; ergo potuit ad illud prædestinari, ut ad aliquid à se distinctũ. Respondeo quidquid sit de antecedente, (quod *P. Vasq. cit. n. 21.* dicit, se quidem judice, non esse parum efficax ad probandam suam sententiam, ut ex illo latè probat,) negando consequentiam ; nam *hic homo*, designato Christo Domino, jam includit quidquid est in illo substantiale, sive sit formaliter, sive de connotato ; cùm autem in illo sit substantialiter subsistentia divina, jam illam includit, sicque non potuit ad illam prædestinari. Addo, si argumentum ita efficaciter convinceret, ut ait P. Vasq, etiam probaret, posse hominem absolutè sumptum prædestinari ad subsistentiam vagam ; siquidem etiam illam non dicit de formali, sed tantùm de connotato ; hoc autem non admittet ; ergo neque illud, ex quo sequitur. 494

Objicies 2. Ille, cui in tempore fit gratia, fuit ab æterno prædestinatus ad illam ; siquidem Deus nihil voluit in tempore, quod ab æterno non voluerit ; sed huic homini Christo facta fuit in tempore gratia, ut esset Filius Dei ; ergo ab æterno fuit ad illam prædestinatus. Probatur minor, quia *hic homo* non intelligitur includere formaliter subsistentiam Verbi ; siquidem illâ variatâ, adhuc maneret idem homo ; sicut in Divinis ex eo, quod Deus non includat subsistentias, idem Deus est Pater cum subsistentia Patris, atque est Filius cum subsistentia Filii ; ergo in eo, quod data sit ei talis subsistentia, & per illam sit Filius Dei, facta fuit ei 495

in

in tempore gratia; ergo ab æterno fuit ad illam prædestinatus.

496. Respondeo negando minorem, & distinguendo antecedens probationis; *hic homo* non intelligitur includere subsistentiam Verbi prout fuit conceptus à Deo; nego antecedens: prout à me modò concipitur; concedo antecedens: modò enim à me, qui habeo cognitiones imperfectas, & confusas, concipitur cum subsistentiâ vagâ, & indeterminatâ; consequenterque sine subsistentiâ Verbi determinatâ: at verò à Deo, qui non habet, neque habere potest tales cognitiones vagas, & imperfectas, sed omnia cognoscit, prout sunt à parte rei, semper *hic homo* conceptus fuit cum subsistentia, quam habuit humanitas à parte rei; cùm autem humanitas non habuerit aliam, nisi subsistentiam Verbi, ideò Deus semper hanc in illa, consequenterque in hoc homine concepit, & concipit.

497. Additur, quod cognitio prædestinans est practica disponens rem, prout futura est à parte rei; cùm autem nulla res futura sit vaga à parte rei, nullique subjecto vago facienda sit gratia, sed soli subjecto determinato, ideò Deus per talem cognitionem non cognovit humanitatem cum subsistentiâ vagâ, & cùm non potuerit prædestinare, nisi id, quod cognoscebat, non potuit prædestinare hominem vagum, quem non cognovit, sed hunc hominem determinatè cum subsistentia Verbi. Neque obstat, quod variatâ subsistentiâ, adhuc maneret idem homo; siquidem solùm maneret idem secundùm significatum formale, non autem materiale; quod etiam est in divinis; cùm verò res absolutè nominentur à prædicatis formalibus, & non à materialibus, ideò absolutè diceretur idem homo, non tamen cum addito, id est secundùm significatum materiale, secundùm quod debebat à Deo prædestinari, cùm deberet illum prædestinare secundùm quod est à parte rei.

498. Objicies 3. Licet verum sit, quod Deus in sua prædestinatione respexerit ad subjectum determinatum, nempè ad hanc humanitatem ordinando illam ad hanc unionem Hypostaticam cum hac subsistentiâ Verbi; attamen nos per nostros conceptus vagos, & confusos possumus dicere; *Deus prædestinavit hunc hominem, ut esset Filius Dei*: aut, *hic homo prædestinatus est Filius Dei*; sic enim, licet Deus, volens creare Petrum, voluerit creare hunc hominem determinatè; nos tamen per conceptus vagos, & confusos possumus dicere, Deum voluisse creare aliquem hominem; siquidem aliquis homo existit, & nihil existit sine Dei voluntate; ergo &c.

499. Respondeo quidquid sit de nostris conceptibus, qui nihil juvant ad illam prædestinationem, quæ tota pendet, non à nostris, sed à divino conceptu. Undè aut Deus tunc concipit ipsam humanitatem sine aliqua subsistentia ordinando illam ad subsistentiam divinam: aut cum aliqua determinata, quæ non esset hæc subsistentia Verbi: aut cum aliqua vagâ, & indeterminatâ: Non primum, quia hoc esset prædestinare humanitatem, de qua infrà, & non hominem, de quo est quæstio: Non secundum, quia hoc esset prædestinare Petrum v.g. ad subsistentiam Verbi, & non hunc hominem, ostenso Christo: Non tertium, quia jam tunc Deus haberet cognitionem vagam, & confusam subsistentiæ Verbi, quam habere non potest, ut diximus, & sine qua non potuit prædestinare hominem ad subsistentiam Verbi, nihil enim volitum, quin præcognitum. Ad probationem dicimus, posse nos quidem sic affirmare in creatione, quia totam illam confusionem ponimus in nostris conceptibus, & non in cognitione divina, quatenùs vagè, & confusè concipimus illum, quem Deus determinatè creavit: at verò non ita esset in prædestinatione, quæ cùm tota sit à Deo, in illius cognitione, & non in nostris ponimus ipsam confusionem, quod implicat.

Objicies 4. Prædestinatio, cùm sit opus rationis, utpotè quæ fit per intellectum, solam requirit prioritatem rationis in subjectum prædestinatum, & terminum, ad quem prædestinatur; sed hæc datur inter hunc hominem, ostenso Christo, & Filium Dei; siquidem priùs ratione concipitur in eo, quod sit hic homo, quàm quod sit Filius Dei; ergo, ostenso Christo potest dici, *hic homo est prædestinatus ut esset Filius Dei.* Respondeo quidquid sit de majori, negando minorem in ordine ad actus divinos, per quos fit prædestinatio; nam hi, cùm sint efficaces, & factivi, tendunt in rem, prout est à parte rei sine tali distinctione, & requirunt ex parte termini aliquid diversum à subjecto, quod ad illum ordinatur; cùm autem, ostenso Christo, semper à parte rei *hic homo* fuerit Filius Dei, & habuerit Filiationem Divinam, ideò non potuit prout sic ad illam prædestinari. 500

Objicies 5. Ostenso Christo, *hic Deus*, sive *hic Filius Dei*, potest dici prædestinatus, ut sit *hic homo*; siquidem ab hoc Deo, sive ab hoc Filio Dei separabile est esse hunc hominem; nam si non assumeretur humanitas, esset *hic Deus*, & *hic Filius Dei*, quin esset *hic homo*: imò de facto fuit ab æterno *hic Deus*, & *hic Filius Dei*, & non sic fuit *hic homo*; ergo etiam ostenso Christo *hic homo* poterit dici prædestinatus, ut sit *hic Deus*, seu *hic Filius Dei.* Respondeo negando antecedens; nam cùm *hic Deus*, seu *hic Filius Dei*, ostenso Christo, sit idem cum hoc homine, si *hic homo* non potest dici prædestinatus, ut sit *Filius Dei*, etiam *hic Deus*, seu *hic Filius Dei* non poterit dici prædestinatus ut sit *hic homo.* Ad probationem dicimus, si *hic Deus* sumatur pro sola divinitate subsistente in ordine ad naturam humanam, jam supra de hoc satis dictum: Si autem sumatur pro toto Christo, tunc cùm jam includat humanitatem, & hunc hominem ex parte subjecti, non posse prædestinari ad illum, neque ad ipsam humanitatem, ut ad terminum, ut supra dictum est. 501

Objicies 6. *Hic Deus* sumptus cum supposito vago, & indeterminato, ex eo, quod sit in Patre sine Filiatione, potest dici acquirere per generationem, quod sit *Filius Dei*; ergo etiam *hic homo* ex eo, quod reperiatur, quin sit Filius Dei, benè poterit dici prædestinatus ad Filiationem divinam; siquidem non requiritur major distinctio inter subjectum, & terminum prædestinationis, quàm inter subjectum, & id, quod acquirit per productionem realem. Respondeo ad antecedens, supponi falsum, posse Deum concipere hunc Deum cum subsistentiâ vagâ; illum enim concipit determinatè aut cum tribus, aut cum Paternitate; & sic etiam non potuit concipere hunc hominem cum simili subsistentia vaga, ut illum prædestinaret ad Filiationem divinam, sed semper cum illa determinatè, ex quo potiùs confirmatur, quàm infirmatur nostra doctrina. Neque obstat, quod nos ita possimus concipere in utroque casu; siquidem hæc nostra conceptio nihil probat in ordine ad prædestinationem divinam, ut diximus; aliter dicamus potuisse Deum concipere, hominem vagum, aut communem, quia nos ita 502

possumus concipere, & eum prout sic prædestinare prædestinatione naturali ad Petrum, aut ad Paulum, cùm detur eadem ratio.

503. Instabis: Non repugnat Deo videre objectum confusè; siquidem videndo meam cognitionem confusam, necessariò videt ejus objectum confusum; ergo etiam potuit videre humanitatem, sive hunc hominem cum subsistentiâ vagâ, & confusâ, & illum prout sic prædestinare ad ipsam subsistentiam, sive Filiationem divinam. Respondeo negando antecedens, ut patet ex alibi dictis in Philosophia, & ad probationem dicimus, Deum videre quidem meam cognitionem confusam, & in illa ejus objectum confusum, non tamen confusè, sed distinctè; aliud enim est attingere objectum confusum, & aliud attingere illud confusè, hæc enim, cùm sit cognitio imperfecta, repugnat Deo; illa autem non, utpotè quæ potest esse distincta, ut est; siquidem Deus distinctè cognoscit me cognoscere tale objectum confusè, quod ille etiam cognoscit distinctè.

SECTIO XXIV.

Quid dicendum de Christo in ordine ad gloriam, & ad alia dona supernaturalia: & de Humanitate in ordine ad Vnionem Hypostaticam?

504. Difficultas 1. Utrùm Christus Dominus possit dici prædestinatus ad gloriam, & alia dona gratiæ supernaturalia? Affirmativam sententiam tenent *Altisiodor. lib. 3. sum. tr. 1. quæst. 8. cap. 2. P. Vasq. de Incarnat. d. 92. cap. 2. n. 7. P. Soar. de Incarn. d. 50. sect. 3. fin. P. Hurt. d. 18. diff. 6. n. 16. P. Arriaga de Incarn. d. 45. sect. 3. n. 30.* & alii. Negativam tamen sententiam sequuntur aliqui ex Thomistis, & cum illis *P. Perez. de Incarn. d. 90. sect. 9. num. 8. P. Lugo de Incarnat. d. 32. sect. 3. num. 25.* licet cum distinctione; dicit enim, Christum non fuisse prædestinatum ad gloriam, fuisse tamen hunc hominem, ostenso Christo, quod est juxta sua principia: Probat, quia prædestinatio significat donum indebitum; sed gloria, & alia dona gratiæ non erant indebita Christo Domino; erant tamen indebita huic homini formaliter loquendo; quatenùs hic homo ipse potest existere sine illis, quin aliquo sibi debito careret; ergo &c.

505. Advertes primò P. Lugo cit. supponere, hunc hominem, ostenso Christo, non dicere determinatè subsistentiam Verbi, sed subsistentiam in communi, aut aliquam indeterminatam, de quo nos jam supra. Advertes secundò, Christum Dominum non fuisse primò, ac per se prædestinatum ad talem gradum gratiæ, & gloriæ, ut ad finem, & postea fuisse ejus humanitatem prædestinatam ad Unionem Hypostaticam, ut ad medium per quod, & sine quo non posset tantam gratiam, & gloriam consequi, ut tenuit *Scot. in 3. dist. 7. q. 3. §. Respondeo.* Patet, quia non benè supponit Beatitudinem esse majus bonum, quàm Unionem Hypostaticam. Deinde Christus Dominus priùs fuit ordinatus ad Unionem Hypostaticam, quàm ad Beatitudinem; ergo cùm prædestinatio sit ipsa ordinatio, non fuit priùs prædestinatus ad talem Beatitudinem, ut ad finem, quàm ejus humanitas ad Unionem Hypostaticam, ut ad medium. Probatur antecedens; quia Unio Hypostatica pertinet ad ejus constitutionem, & non ita Beatitudo, cùm sit ejus operatio; sed res priùs ordinatur ad suum esse, quàm ad suum operari; actiones enim sunt suppositorum; ergo &c.

506. Advertes tertiò, Christum Dominum non fuisse prædestinatum ad gratiam Unionis, sed sola humanitas; siquidem non ita fuit ordinatus ab æterno ad ipsam unionem ut ad terminum; ergo neque prædestinatus, cùm in ea ordinatione consistat prædestinatio. Accedit, quod ipsa unio includitur essentialiter in Christo Domino; nihil autem dicitur prædestinatum ad illud, quod jam essentialiter includit, ut patet ex supra dictis. His positis.

507. Conclusio 1. Christus Dominus non potest dici prædestinatus ad gloriam, gratiam, & alia dona supernaturalia, sicut sunt, & dicuntur prædestinati alii homines de numero prædestinatorum. Probatur, quia alii, si sint adulti, sunt prædestinati ad gloriam per propria merita consequendam; si verò non sint adulti, ad gloriam consequendam per merita Christi Domini; sed Christus Dominus non ita fuit prædestinatus ad gloriam; siquidem eam de facto nō meruit, sed habuit titulo naturalis exigentiæ, & ex debito unionis Hypostaticæ, ut suppono probatum ex materia Incarnationis, & nos suo loco dicemus; ergo &c.

508. Advertes tamen conclusionem procedere de gloria essentiali Animæ Christi Domini, & de illis donis, quæ ad illam supponuntur, & illam subsequuntur; non autem de gloria Corporis, exaltatione nominis, aliisque donis, quæ ipsam gloriam accidentalem corporis subsequuntur; nam hæc sicut ex speciali Dei ordinatione fuerunt de facto promerita à Christo Domino, ita potuit Christus Dominus dici ab æterno prædestinatus ad illa, & sic prædestinatum fuisse ad gloriam, & claritatem Resurrectionis dixit D. Aug. *tract. 105. in Joan. 17.* ad illa verba: *Et nunc clarifica me tu Pater apud temet ipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te*: Ubi D. Aug. *Tanquam diceret*, inquit, *illam claritatem, quam habui apud te in prædestinatione tua, jam tempus est, ut apud te habeam etiam vivens in dextera tua.*

509. Conclusio 2. Christus Dominus potest dici prædestinatus ad gloriam, & alia dona supernaturalia mediatè, quatenùs potest dici prædestinatus ad esse. Ita sentio cum Doctoribus supra citatis pro prima sententia. Probatur, quia gloria actualis, & alia dona supernaturalia ita sequuntur esse actuale Christi Domini per exigentiam, & debitum naturale, ut esset miraculum illa non habere, quod suppono probatum ex materia Incarnationis; ergo non potuit Christus Dominus esse, & dici prædestinatus ad ipsum esse actuale immediatè, quin saltem mediatè esset, & diceretur prædestinatus ad gloriam actualem, gratiam, & alia dona supernaturalia.

510. Conclusio 3. Christus Dominus non potest absolutè dici prædestinatus ad gloriam animæ, & alia dona supernaturalia immediatè, & propriè. Ita sentio cum Doctoribus supra citatis pro secunda sententia. Probatur, quia prædestinatio ad aliquid propriè, & in rigore sumpta, prout supra diximus, significat donum aliquod, & beneficium gratiæ indebitum illi, qui prædestinatur ad illud; sed talis non erat gloria animæ, neque alia dona supernaturalia respectu Christi Domini; siquidem, supposita Unione Hypostatica, omnia erant ei debita jure naturæ

naturæ; ergo non potest de facto dici immediatè & propriè prædestinatus ad illa, Confirmatur, quia ex eo, quod vox *prædestinatus* accipiatur pro dono, seu beneficio gratuito, homines de facto non dicuntur prædestinati ad beatitudinem sibi naturalem, & debitam; sed non minùs naturalis, & debita est gloria cum aliis donis supernaturalibus Unioni Hypostaticæ, & ratione illius Christo Domino, quàm naturalis, & debita est homini illa beatitudo; ergo etiam Christus Dominus de facto non dicetur sic prædestinatus ad gloriam animæ, neque ad alia dona supernaturalia. Dixi *de facto*, nam de possibili, & ex speciali ordinatione divina, si Deus vellet, quod Christus Dominus illam mereretur, idem tunc dicendum de illa, quod nunc de gloria sui corporis. Dixi etiam *propriè*, nam minùs propriè, & lato modo, sic dici potest, ut notat *P. Perez cit. num. 8.* Siquidem dona illa fuerunt ei ab æterno decreta, & prædefinita; & in hoc sensu intelligendi sunt Patres, si fortè aliqui dicunt Christum Dominum fuisse prædestinatum ad hæc dona; accipiendi enim sunt in sensu minùs rigoroso.

510. Objicies 1. Ex eo, quod existentia Christi Domini fuerit indebita ejus humanitati, licet ejus divinitati fuerit debita, potest absolutè dici prædestinatus ad esse; ergo etiam poterit absolutè dici prædestinatus ad gloriam, & alia dona supernaturalia, quia licet hæc fuerint debita Unioni Hypostaticæ, & ejus divinitati, erant tamen indebita ejus humanitati. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia subjectū illud in actuali existentia secundùm unionem, & humanitatem accepit novum aliquod beneficium, quo poterat carere manendo in statu possibilitatis, quin careret aliquo sibi debito, cùm ei non debeatur existere, ideòque potest absolutè dici prædestinatus ad esse existentiæ, ut ad beneficium sibi indebitum: at verò, suppositâ existentiâ, non ita accepit in accipienda gloria, aliisque donis supernaturalibus; siquidem non potuit sic existere actualiter, quin actualiter acciperet illa dona, alioqui careret aliquo sibi debito, non solùm secundùm Naturam divinam, sed etiam humanam, suppositâ Unione Hypostaticâ, ideoq; non potest propriè & in rigore dici absolutè prædestinatus ad illa, nullus enim sic dicitur prædestinatus ad id, quod est sibi debitum.

511. Objicies 2. Deus ab æterno decrevit, ut Christus Dominus frueretur Beatitudine, & ei sic ab æterno præparavit gratiam, gloriam, & alia dona supernaturalia; sed ex D. Aug. in hâc præparatione consistit prædestinatio, ut constat ex illius definitione traditâ ab eodem D. Aug. de qua supra; ergo &c. Respondeo Deum ita quidem decrevisse, & præparasse, non tamen ut beneficium gratuitum superadditum, sed tanquâ debitum naturale, & secundùm naturalem exigentiam unionis Hypostaticæ, quod non sufficit ut dicatur propriè prædestinatus ad illa, licet sufficiat, ut sic dicatur impropriè, & lato modo.

512. Instabis: Hujusmodi dona, cùm sint supernaturalia, & non resultent ex unione quasi physicè, conferuntur à Deo speciali actione, & influxu; consequenterque speciali Dei voluntate; sed hæc specialis voluntas sufficit ad constituendam prædestinationem; ergo &c. Respondeo negando minorem: nam illa specialis voluntas de lege ordinaria, suppositâ primâ voluntate producendi Christum Dominum, esset ei debita, ita ut si Deus de lege absoluta eam voluntatem dandi ei talia dona non haberet, neque ei tribueret ipsa dona, careret Christus Dominus aliquo sibi debito, sicque si postea illa acciperet, non ea acciperet, sicut modò non accipit, tanquam aliquid sibi indebitum, quod necessarium erat ad rigorosam prædestinationem.

513. Objicies 3. Justus dicitur propriè prædestinatus ad gloriam; & homo ad gloriam corporis; & tamen illi debetur gloria connaturaliter propter gratiam; & huic connaturaliter debetur gloria corporis propter gloriam animæ; ergo etiam Christus Dominus dicetur propriè prædestinatus ad gloriam, licet hæc sit ei debita propter Unionem Hypostaticam. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia licet gloria ex suppositione gratiæ finalis sit justo debita, absolutè tamen, & in radice est ei indebita, quatenùs donum perseverantiæ, & auxilia ad illud præstita sunt indebita: similiter licet positâ gloriâ animæ debeatur gloria corporis homini Beato, absolutè tamen, & in radice hæc est ei indebita, sicut absolutè indebita est etiam illa: at verò gloria, & alia dona supernaturalia, neque in radice sunt indebita Christo Domino; siquidem unio, in qua fundantur, est ei essentialis, cùm illam essentialiter includat, sicut suam unionem includit essentialiter quodcunque aliud compositum, & non est gratia, neque beneficium, ut ratione illius gloria, & alia dona supernaturalia essent ei indebita saltem in radice, possetque dici absolutè, & propriè prædestinatus ad illa; & ob eandem rationem non potest dici prædestinatus ad gloriam, licet hanc habeat per gratiam, quia utraque est illi debita. Accedit, quod plures negant, posse hominem dici prædestinatum ad gloriam corporis ob eandem rationem, quia scilicet est proprietas consequens gloriam animæ, quâ positâ, illa alia ei debetur.

515. Conclusio 4. Neque *hic homo*, ostenso Christo Domino, potest dici propriè prædestinatus ad gloriam, & alia dona supernaturalia. Ita *P. Perez cit.* Probatur, quia *hic homo*, ostenso Christo Domino, involvit suppositum divinum, ut diximus, sic enim determinat particula demōstrativa *hic*; ac proindè idem valet *hic homo*, atque Christus alio nomine significatus; sed Christus Dominus, ut diximus, non potest dici propriè prædestinatus ad gloriam, aliaque dona supernaturalia; ergo &c.

516. Dices cum *P. Lugo cit. num. 27. Hic homo* non explicat aliquid ex parte subjecti, cui gloria, & alia dona supernaturalia debeantur; siquidem *hic homo* in suo conceptu non explicat personam Verbi, neque aliquem alium titulum, ratione cujus ei debeantur; ergo potest dici propriè prædestinatus ad illa; cùm sint ei indebita saltem in radice, quatenùs scilicet Unio Hypostatica est ei etiam indebita. Respondeo negando antecedens, & ejus probationem, ut patet ex supra dictis; nam terminus *hic* ostenso Christo Domino determinat, & efficit, quod idem valeat *hic homo*, atque Christus, qui cùm non possit sic dici propriè prædestinatus ad gloriam, & alia dona supernaturalia, neq; etiâ quatenùs significatur nomine *hic homo* ipso assignato. Neque dicas, Deum concipere hunc hominem cum supposito vago, (sicut nos possumus illum concipere,) & postea illum ordinare ad gloriam, & alia dona. Non, inquam, hoc dicas; siquidem talem modum concipiendi Deo repugnat, ut patet ex dictis à *n. 498.* Neque Unio Hypostatica est indebita Christo Domino, licet talis sit humanitati illius, quæ an possit dici prædestinata ad illam? Jam dicimus.

517. Difficultas 2. Utrùm Humanitas Christi Domini

mini possit dici prædestinata ? Advertes primò, difficultatem procedere de Humanitate sumpta in abstracto, prout condistinguitur à concreto, sive Persona, & ejus nomine intelligi tam naturam integram, quàm ejus partem principalem, nempè animam rationalem, de quibus eadem est quæstio. Secundò, difficultatem posse procedere de prædestinatione Humanitatis simpliciter: aut in ordine ad unionem hypostaticam: aut in ordine ad gloriam, sive visionem Beatam. Hoc posito.

518. Dubium 1. Utrùm Humanitas Christi Domini possit dici simpliciter, & sine addito propriè prædestinata ? Negativè. Ita *D. Thom. 3. p. q. 24. a. 1. ad 2. P. Soar. de Incarn. d. 50. sect. 4. fine. P. Lugo de Incarn. d. 32. sect. 3. num. 31.* & alii. Probatur, quia prædestinari simpliciter in communi usu nihil aliud est, quàm dirigi, & ordinari ut *quod* ad salutem consequendam per media convenientia; sed hoc soli personæ propriè, & simpliciter convenit; siquidem sola persona, sive suppositum applicat media; sunt enim actiones suppositorum; & solùm suppositum consequitur salutem ut *quod*; ergo de sola humanitate non potest simpliciter, & propriè dici, quod sit prædestinata sine aliquo termino superaddito. Confirmatur, quia prædestinatio absolutè dicta est pars providentiæ divinæ, ut supra diximus; sed providentia divina propriè, & simpliciter versatur circa suppositа, vel personas, quas gubernat, circa naturas verò, non nisi ratione suppositorum; ergo sola suppositа, & non naturæ dicuntur simpliciter, & sine addito propriè prædestinari.

519. Dubium 2. Utrùm Humanitas Christi Domini dicatur propriè, & verè prædestinata ad unionem Hypostaticam? Affirmativè. *Ita Durand. in 3. dist. 7. q. 9. n. 9. Paludan. q. 3. art. 3. concluf. 1. Scot. q. 3. §. Respondeo, Richard. art. 2. q. 4. ad 2. Major. Gabr.* & alii, quos citat & sequitur. *P. Vasq. 3. p. d. 90. cap. 4. n. 27. P. Soar. de Incarn. d. 50. sect. 4. P. Lugo de Incarn. d. 32. sect. 3. num. 30. P. Arriaga de Incarn. d. 45. sect. 3. num. 30.* & alii. Probatur, quia Deus ab æterno ex benevolentia elegit humanitatē ad hujusmodi unionem, ut ad supremum beneficium; sed in hac electione consistit prædestinatio propria; ergo &c. Confirmatur primò ex D. Aug. *de prædest. Sanctor. cap. 15.* ubi loquens de hac Humanitatis assumptione: *Prædestinata est*, inquit, *ista humana natura tanta subjectio, ut quò attolleretur, altiùs non haberet.* Secundò, quia hìc cessat ratio supra facta; siquidem unio propriè convenit naturæ, & non personæ; ergo natura propriè dici potest ad illam prædestinata. Tertiò, quia hoc modo facilè, & expeditè explicatur hoc mysterium; nam sic intelligitur quomodo, quod primò Deus decrevit, nihil aliud fuerit, quàm humanitatem uniri Verbo; ergo &c.

520. Dices: Prædestinari propriè ad unionem Hypostaticam est propriè prædestinari ad Filiationem divinam; sed Humanitas Christi Domini non fuit ad hanc propriè prædestinata; alioqui propriè diceretur Filius Dei; ergo neque ad illam. Respondeo negando majorem; sicut enim hic homo Christus, (ut aliqui dicunt,) dicitur prædestinatus ad Filiationem Divinam, & non ad unionem, quia dicitur Filius Dei, & non ita dicitur unitus: ita etiam Humanitas potest dici prædestinata ad unionem, & non ad Filiationem divinam, quia dicitur unita, & non Filius Dei. Et ratio est, quia solùm compositum resultans ex unione dicitur Filius Dei, & non sic extrema unita; neque enim de Humanitate in abstracto prædicantur illa, quæ dicuntur de Deo in concreto, sed solùm unum concretum naturæ dicitur de alio alterius naturæ etiam in concreto sumptæ.

Instabis: Humanitas dicitur propriè prædestinata ad sanctificationem provenientem non solùm 521.
ab unione ut à conditione, sed etiam à Deitate, & Personalitate Verbi; siquidem re vera fuit per illas sanctificata; talis autem sanctificatio respectu illius fuit maxima gratia; ergo etiam dicetur propriè prædestinata ad ipsam Filiationem Verbi. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Filiatio Divina, (sicut neque alia filiatio,) non denominat abstractum naturæ, sed solùm ejus concretum, nempè personam; cùm autem sola humanitas non sit persona, ideò est incapax talis effectûs, ac denominationis: non ita tamen est incapax, etiam in abstracto alterius effectûs, ac denominationis, nempè sanctificationis, ideoque propriè potest ad hanc, non tamen ad illam dici prædestinata.

Dubium 3. Utrùm Humanitas Christi Domini 522.
fuerit prædestinata ut *quod*, & ultimatè ad gratiam, gloriam, & alia dona supernaturalia? Negativè. Ita *D. Thom. 3 p. q. 24. a. 1. ad 2. D. Bonav. in 3. dist. 7. art. 2. q. 3. ad 2. P. Soar. de Incarn. d. 50. sect. 4.* & alii. Probatur primò authoritate D. Thom. loco cit. ibi: *Prædestinari*, inquit, *est dirigi in salutem, quod quidem est suppositi agentis propter beatitudinem finem*: ubi Sanctus Doctor non naturæ, sed supposito tribuit propriè beatitudinem, quæ in operatione consistit; operari autem sit proprium suppositi, & non naturæ, sicque naturam non dici propriè prædestinari ad beatitudinem ut *quod*, & ultimatè.

Probatur secundò, quia Deus non prædestina- 523.
vit creaturas extrahendo illas ab earum inclinatione, & ordinatione, imò semper se illis conformando, quantùm fieri poterat; sed humanitas non inclinatur, neque ordinatur (in quo consistit prædestinatio) neque ad gratiam, neque ad gloriam, aliavè dona, ut *quod*, & ultimatè; siquidem hæc prout sic semper dicunt ordinem ad suppositum, & ad naturam ultimò completam, quam ut suum subjectum ultimatum, & ut *quod* respiciunt; ergo neque ad illa fuit ab æterno prædestinata à Deo ut *quod* ultimatè; siquidem ex tunc ita fuit ad illa ordinata, ut postea illa erat habitura in tempore.

Dices 1. Humanitas fuit prædestinata ut *quod*, 524.
& ultimatè ad unionem hypostaticam; ergo etiá ad gloriam, & alia dona. Resp. negādo consequentiam; diversa ratio est, quia unio denominat humanitatem ut quod, & ultimatè, neque enim ab illa transit denominatio unitæ ad compositum; siquidem Christus non dicitur unitus, sed sola humanitas: at verò gloria, gratia, & alia dona, cùm ordinentur ultimatè ad suppositum, non solam humanitatem, sed etiam totum suppositum, illudque ultimatè denominant; totus enim Christus dicitur glorificatus, gratus, &c. ideoque humanitas dicitur prædestinata ad unionem ut *quod*, & non ita ad gloriam, & alia dona.

Dices 2. Anima eo modo fuit prædestinata 525.
ab æterno ad gloriam, quo illam assequitur, & possidet in tempore; sed illam assequitur, & possidet sine corpore, sicque sine supposito; ergo sine illo fuit ut *quod* & ultimatè prædestinata ad gloriam. Respondeo ad minorem ita quidem assequi, & possidere, sed tantùm ut *quo*: non autem ut *quod*: nam sicut ipsa anima in statu separationis dicit ordinem ad constituendam personam cum

corpore

corpore; ita etiam ejus gloria, & alia accidentia, quæ illam subsequuntur dicunt ordinem ad ipsam personam ut *quod* & ultimatè.

526. Dubium 4. Utrùm Humanitas Christi Domini fuerit prædestinata ad gloriam, & alia dona, saltem ut *quo*, & mediatè ratione unionis Hypostaticæ? Affirmativè. Probatur, quia fuit prædestinata immediatè, & ut *quod* ad unionem Hypostaticam, ut diximus; sed hanc subsequuntur omnia illa dona connaturaliter; ergo etiam ipsa Humanitas poterit dici ad illa prædestinata; non immediatè, utpotè ratione unionis; neque ut *quod*, quia sic dicunt ordinem ad suppositum; ergo mediatè, & ut *quo*.

527. Dices 1. Gloria, seu Beatitudo est operatio; sed sola persona operatur; operationes enim sunt suppositorum; ergo sola persona fuit prædestinata ad gloriam. Respondeo solam personam fuisse sic prædestinatam ut *quod*, cum quo tamen stare potest, quod humanitas fuerit etiam prædestinata ad illam ut *quo*.

528. Dices 2. Res fuerunt ita ab æterno prædestinatæ, ut erant realiter futuræ in tempore; sed Humanitas Christi Domini in tempore non erat ita futura in abstracto; non enim fuit priùs creata, quàm unita; ergo non potuit sic in abstracto prædestinari. Respondeo primò cum aliquibus in præsenti non affirmari, naturam fuisse prædestinatam in abstracto, sed solùm prout est pars concreti, & ut pars in illo includitur. Non placent, nam concretum indè resultans non fuit propriè prædestinatum ad gloriam, & ad alia dona, ut supra diximus, sicque neque natura ut pars potuit ratione illius, & cum illo propriè prædestinari. Respondeo igitur secundò, sufficere eam prioritatem, in qua natura fuit præsupposita ut extremum ad unionem Hypostaticam, ut dicatur propriè prædestinata, primò ad ipsam unionem; secundò ad gloriam, aliaque dona supernaturalia, quæ illam subsequuntur.

529. Dices 3. Factâ priùs prædestinatione Humanitatis ad unionem, jam ipsa gloria, & alia dona ei debentur; ergo non potuit ad illa prædestinari. Respondeo ad antecedens, jam ei deberi in se, non tamen in radice, nam radix, nempè unio fuit gratia, & beneficium, quod satis est, ut illa etiam dicantur gratia, & beneficium absolutè, consequenterque terminus prædestinationis.

SECTIO XXV.

Vtrùm Christus Dominus fuerit prædestinatus ad esse ut Redemptor ante præscientiam absolutam peccati originalis?

530. SUPPONO ex materia de Incarnatione, motivum totale ex quo Christus Dominus fuit prædestinatus ad esse fuisse de facto remedium peccati. Ita *P. Lugo de Incarn. d. 7. sect. 1. n. 1. P. Vasq. de Incarn. d. 10. cap. 4. n. 36.* cum aliis ab eo citatis. Probatur primò, quia cùm motiva Incarnationis tota pendeant ex libera Dei Voluntate, sola illa, & nulla alia debent à nobis recognosci, nisi quæ nobis innotescunt ex divina revelatione facta in Scripturis; sed solùm remedium peccati exprimitur in Scripturis fuisse motivum prædestinationis Christi ad esse, sive Christi venturi; ergo &c. Probatur minor ex illo Luc. 19. *Venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat.* Et Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Et 1. Tim. 1. 15. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus JESUS venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Et ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Quibus in locis, & sæpè alibi, absolutè dicitur, Christum hac de causa venisse in mundum, sive hominem factum fuisse; ergo &c.

Probatur secundò ex Sanctis Patribus. D. Athan. *lib. de Humanit. Verbi. Illius incorporationis*, ait, *nos causam dedimus, & ob nostram salutem ita humanus extitit, ut in humano corpore esse vellet, & apparere.* Et *serm. 3. contra Arianos. Non igitur propter se ipsum, sed propter nostram salutem, & ob demoritionem mortis, & condemnationem peccati, & ut cæci visum reciperent, & omnes è mortuis excitarentur advenit.* Et D. August. *serm. 9. de verb. Apostol. Nulla*, ait, *causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ.* Et D. Basil. *hom. 25. de Christ. human. generat. Disce*, ait, *mysterium, propterea Deus in carne est, quia oportebat, maledictam hanc carnem sanctificari.* Et D. Amb. *lib. de Incarnat. cap. 6. Quæ erat*, ait, *causa Incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur?* Idem tenent *D. Hieron. D. Cyril. Alexand. D. Damascen. D. Chrysost. Tertul. D. Greg. Nazianz. Theodoret. Theophylact. D. Epiphan. D. Greg. Nyssen. D. Cyrill. Hierosolym.* & alii. Hoc supposito. 531.

Advertes primò, hujusmodi quæstionem procedere, supposità Scientiâ Mediâ de peccato conditionatè futuro, alioqui; illâ sublatâ, non posset Deus efficaciter prædefinire Christum ut Redemptorem formaliter, quin vellet positivè ipsum peccatum, & ad illud prædeterminaret voluntatè creatam, quod implicat. Probatur, quia Deus non ita prædefiniret Christum ut Redemptorem, nisi per aliquod medium involvens infallibiliter peccatum; alioqui frustraretur ejus decretum efficax; sed nullum aliud occurreret infallibile, sublatâ Scientiâ Mediâ, nisi auxilium prædeterminativum voluntatis creatæ; ergo hoc eligeret; sed omne auxilium prædeterminativum ita impellit voluntatem creatam, ut non permittat secùm decretum indifferens de concurrendo ad oppositum, imò ita prædeterminat, ut eam necessitet; ergo ita illam necessitaret ad peccatum; consequenterque illud vellet positivè. Confirmatur ex supra dictis, ubi diximus de electione efficaci ad gloriam ante Scientiam Mediam. 532.

Advertes secundò, Christum Redemptorem dupliciter sumi posse: Primò fundamentaliter, nempè pro composito ipso ineffabili in carne impassibili, sub conditione tamen quod ipsa impassibilitas non impediretur occasione peccati futuri. Secundò formaliter, nempè pro ipso composito jam in carne passibili, & hoc, aut in actu primo, id est cum potentia ad patiendum; aut in actu secundo jam cum passione. 533.

Advertes tertiò, quæstionem non procedere de Christo fundamentaliter Redemptore: tum quia, ut supposuimus, non fuit de facto ita prædestinatus: tum etiam quia, eo dato, benè potest prout sic esse prædestinatus ante prævisum originale in esse absoluto; siquidem prout sic esset prædestinatus propter excellentiam mysterii independenter à remedio peccati, ac proinde ab ejus præscientia in esse absoluto. 534.

535. Advertes quartò, de Christo Redemptore formaliter in actu primo, plures asserere potuisse prædestinari ante prævisum peccatum in esse absoluto. Probant, quia ut Christus sic prædestinaretur passibilis, satis erat, quod prævideretur peccatum conditionatè futurum, nempè si Adamus poneretur in tali, aut tali occasione, in qua esset peccaturus: Sicut ut Deus communicaret herbis virtutem curandi morbos, & alia remedia præpararet, satis erat quod ipsi morbi præviderentur conditionatè futuri. Deinde ut Rex prepararet instrumenta supplicii, satis erat, quod prævideret culpas conditionatè futuras. Imò ex communi Theologorum Deus de facto præparavit ignem Inferni ante absolutam prævisionem demeritorũ, positâ tantùm eorum præscientiâ conditionatâ. Advertes quintò, quæstionem totam procedere de Christo formaliter Redemptore in actu secundo, id est jam sub actuali passione: In qua sit:

536. Assertio 1. Probabile est Christum Dominum fuisse de facto prædestinatum ut Redemptorem in actu secundo ante absolutam præscientiam peccati, dependenter tamen ab ejus præscientiâ conditionatâ. Ita *P. Arriaga de Incarnat. d. 15. sect. 4. n. 33. P. Amicus de Prædest. d. 15. sect. 5. n. 173.* & aliqui Recentiores. Probatur, ideò Christus Dominus non fuisset sic ut Redemptor prædestinatus, aut quia tolleretur libertas creata, cogereturque voluntas ad peccatum: aut quia Deus sic prædestinans obligaretur velle positivè ipsum peccatum; sed nullum ex his sequitur; ergo &c. Probatur minor quoad primam partem, quia Deus, ut supra probavimus, absque ullâ læsione, aut violentia nostræ libertatis potuit nos efficaciter eligere ad gloriam ut coronam per merita assequendam cum sola dependentia à nostris meritis conditionatè futuris, & suppositâ tantùm scientiâ mediâ; ergo etiam sic potuit eligere Christum ut Redemptorem formaliter cum sola dependentia à peccato conditionatè futuro, & suppositâ tantùm ejus scientiâ mediâ; nam sicut illic solùm obligaretur ad danda illa auxilia, quæ præviderat efficacia; ita etiam hìc solùm obligaretur ad ponendam voluntatem permissivam, & danda illa auxilia, quæ præviderat tantùm sufficientia.

537. Probatur eadem minor quoad secundam partem, quia nullus ex efficaci intentione alicujus finis cogitur plus velle, & amare, quàm necessarium est, ut ipse finis sic intentus acquiratur; alioqui dicamus, medicum, & infirmum ex efficaci intentione salutis assequendæ plus velle, & amare, quàm necessarium est ad ipsam salutem assequendam; sed ut ponatur Redemptio generis humani à parte rei, necessaria non est illa volitio Dei positiva, & amor peccati; siquidem ad id sola sufficit permissio peccati, quod prævideretur sub tali, aut tali conditione futurum; ergo ex efficaci intentione Christi Redemptoris non cogeretur Deus velle, & amare peccatum positivè, sed tantùm permissivè, quod non repugnat.

538. Confirmatur primò, quia prout supra diximus, Deus ante absolutam prævisionem peccati D. Petri elegit eum efficaciter ad gloriam comparandam per pœnitentiam, & contritionem supponentem essentialiter ipsum peccatum; & tamen indè non sequitur voluisse positivè ipsum peccatum; ergo etiam potuit velle efficaciter Redemptionem ante prævisionem absolutam peccati, quin voluerit positivè ipsum peccatum. Secundò, quia si Deus scientiâ mediâ videat Petrum v.g. in talibus circumstantiis positum infallibiliter peccaturum, potest velle illum ponere in eis circumstantiis, quin velit ipsum peccatum positivè; ergo etiam poterit sic velle Redemptionem, quin velit ipsum peccatum; neque enim majori necessitate sequeretur hoc peccatum ex hac volitione Redemptionis, quàm ex illa volitione ponendi Petrum in talibus circumstantiis sequeretur ejus peccatum.

539. Tertiò, quia sic benè explicantur loca Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, quæ videntur facere Christum Dominum initium omnium Dei operum, ac creaturarum; siquidem prout sic manet primus omnium in intentione, licet non ita fuerit in executione; ergo &c. Neque inde sequitur, quod adhuc veniret, etiam deficiente peccato; siquidem cùm sit prædestinatus ut Redemptor; Redemptor autem dependeat essentialiter à peccato, saltem conditionatè futuro, benè sequitur, non venturum, deficiente ipso peccato.

540. Oppositum tenent *P. Soar. de Incarnat. d. 5. sect. 3. §. Dico ergo secundò. P. Vasq. de Incarn. d. 11. cap. 4. num. 39. P. Herice tr. 3. d. 30. cap. 6. n. 47. P. Perez de Incarnat. d. 14. sect. 8. num. 2.* & alii: Pro quibus: Objicies 1. Deus non potuit velle efficaciter Christum ut Redemptorem ante præscientiam absolutam peccati, quin saltem virtute vellet id, quod est simpliciter necessarium ad actum Redemptionis; sed ad hunc simpliciter necessaria est captivitas peccati, tanquâ materia, & medium unicum; ergo Deus necessariò vellet hujusmodi captivitatem, consequenterque ipsum peccatum, quod est idem, efficaciter; sed hoc non potest ita velle; ergo neque illud, ex quo sequitur.

541. Respondeo majorem esse veram, nisi Deus jam aliquo modo sciret peccatum ab alio infallibiliter ponendum, & independenter à propriâ volitione, & amore; tunc enim sufficiet si permittat, seu illud non impediat. Patet à simili, quia si Deus per scientiam absolutam videat ipsum peccatum ab alio jam positum, & tunc velit efficaciter Redemptorem, non ideò dicetur velle ipsum peccatum, quia illud videt jam existens independenter à propriâ voluntate; ergo similiter si per scientiam mediam videat peccatum ita infallibiliter ponendum, & velit efficaciter Redemptorem, non ideò dicetur velle ipsum peccatum; siquidem parum distant videre illud jam existens, aut videre infallibiliter ponendum ab alio independenter à propria voluntate.

542. Instabis: Qui vult antecedens, vult etiam consequens; sed Deus vult antecedenter Redemptorem; ergo etiam volet peccatum, quod ex tali voluntate consequitur. Respondeo majorem esse veram, quando consequens est necessariò cõnexum cum antecedente independenter à voluntate alterius; cùm tamen à tali voluntate dependeat, & hæc prævideatur infallibiliter determinanda, satis erit, si velit permittere, & non impedire, & hæc tantùm voluntas sequitur tunc ex illa antecedente,

543. Objicies 2. Deus eodem actu, quo voluit nobis efficaciter gloriam ut coronã, etiam efficaciter voluit, ut non esset corona sine meritis; sed etiam non potest dari Redemptor sine captivitate peccati; ergo eodem actu, quo Deus efficaciter vellet Redemptorem, vellet etiam efficaciter, saltem virtute ipsam captivitatem; nam sicut velle illa merita includitur in volitione dandi auxilia congrua, ex quibus illa sequuntur; ita etiam velle peccatum includitur in volitione dandi auxilium permissivum, ex quo sequitur ipsum peccatum.

544. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia cùm bona opera dari nequeant sine

Volun-

Voluntate Dei positiva, à quo incipiunt; mala verò opera supponere nequeant ipsam Voluntatem Dei positivam, sed tantùm permissivam juxta illud Oseæ 13. *Perditio tua Israël, tantummodò in me auxilium tuum*; ideò affirmamus in electione ad gloriam includi, saltem virtute voluntatem positivam meritorum; & non ita includi voluntatem positivam, sed solùm permissivam in electione Redemptoris. Undè si dari possent bona opera sine illa Voluntate Dei positiva; tunc eodem modo dicendum esset solùm eorum permissionem includi in illa electione efficaci ad gloriam ut coronam, sicut modò dicimus de inclusione permissionis peccati in illa electione efficaci Redemptoris.

545. Objicies 3. Non posset Deus, datâ illâ prædestinatione Redemptoris, habere odium efficax peccati; siquidem non posset impedire ipsum peccatum; sed non haberet ex quo impediret tale odium, nisi per amorem efficacem ipsius peccati; ergo Deus efficaciter illud amaret, quod non est dicendum. Respondeo primò, argumentum, si aliquid probat, probare etiam in qualibet permissione peccati, ex quocumque motivo illa sit; siquidem cum omni illâ repugnat omninò odium efficax peccati, quatenùs impossibile est, quod Deus velit efficaciter permittere peccatum, & simul velit efficaciter, nè peccatum existat: cùm autem Adversarii non possint negare in Deo permissiones peccatorum; nihil enim fit sine voluntate Dei, aut positiva, si sit bonum; aut permissivâ, si sit malum; ideò non benè arguunt contra nos.

546. Respondeo secundò, verum quidem esse in ea prædestinatione Redemptoris includi voluntatem virtualem permissionis peccati, consequenterque virtualem carentiam odii efficacis illius; siquidem ex eo, quod quis cogitur ad aliquid permittendum, cogitur etiam ad illud odio efficaciter non habendum, seu quod idem est ad illud non impediendum: attamen non indè infertur illud amare positivè efficaciter; alioqui idem esset in Republica permittere aliquam occisionem, meretrices, & similia, consequenterque illas odio efficaciter non habere, atque positivè amare, quod nullus dicet.

547. Objicies 4. Deus ex communi Theologorum non potest ex se voluntate antecedente prædefinire efficaciter pœnam ut pœnam ex eo, quod in voluntate ipsius pœnæ quâ talis includitur voluntas positiva peccati; nempè si Deus videat Petrum moriturum in peccato mortali, si ponatur in tali occasione, non potest eum destinare ad Infernum ut ad pœnam prout sic, antequam videat ejus peccatum absolutè futurum, & mortem in illo; aliter enim vellet ejus culpam, si prout sic vellet ei priùs pœnam ut pœnam. Similiter etiam non potest prædefinire pœnitentiam prædestinati ante absolutam præscientiam peccati illius, de quo acturus est pœnitentiam, ex eo, quod cùm peccatum sit materia circa quam, necessariò etiam deberet velle efficaciter ipsum peccatum; ergo similiter de antecedente electione efficaci Redemptoris.

548. Respondeo negando antecedens quoad primam partem, jam enim supra diximus Deum de facto præparasse pœnas Inferni ante præscientiam absolutam peccatorum. Neque dicant hanc pœnam esse tantùm in actu primo, argumentum autem procedere de pœnis in actu secundo: Non, inquam, hoc dicant, dicimus enim, has pœnas non repugnare ex eo, quod Deus volendo illas, vellet etiam necessariò peccata; siquidem solùm vellet eorum permissionem, supponendo Scientiam Mediam; sed ex eo, quod videatur indignum infinitâ Dei bonitate, quod primò, ac directè velit, & amet pœnam ut pœnam, ut ex illa sibi gloriam acquirat, & non potiùs quasi coactus feratur ad illam, ut patet ex supra dictis *d. 1. sect. 12. à num. 234.* ex quo etiam capite videtur dedecere Deum torquere hominem non peccatorem perpetuis Inferni ignibus; sicque nihil contra nos. Ad secundam partem antecedentis respondetur etiam negando illam, ut patet ex supra dictis, & ex infrà dicendis latiùs patebit.

549. Objicies 5. Deus non potest prædefinire efficaciter cultum religiosum, nisi simul velit producere materiam aptam ad illum: Neque prædefinire efficaciter conversionem substantiæ panis in Corpus Christi, quin simul velit producere ipsam substantiam; ergo etiâ non poterit velle efficaciter Redemptorem, quin simul velit peccata. Respondeo antecedens quoad utramque partem esse verum, si non videat materiam cultûs, aut substantiam panis sub aliqua conditione ab alio infallibiliter ponendas; nam si ita videat, poterit tunc prædefinire efficaciter, volendo tantùm permittere, sive non impedire earum positionem, quod etiam accidit in peccatis, ideoque ante eorum scientiam absolutam, suppositâ tamen Conditionatâ, potuit prædefinire Redemptorem; sicque argumentum potiùs confirmat, quàm infirmat traditam doctrinam.

550. Objicies 6. Ante decretum prædestinans Christum Redemptorem, peccatum esset tantùm in statu futuritionis conditionatæ, & post ipsum decretum maneret jam in statu futuritionis absolutæ; siquidem post illud decretum Redemptio quantùm est ex parte Dei manet absolutè futura, & non ita manet respectu peccati conditionatè futuri, quia peccatum, prout sic, cùm non sit alicujus demeriti, ac offensionis, non est capax Redemptionis, sicque manet absolutè futurum quantùm est ex parte Dei; sed non potuit transire ab statu conditionato ad statum absolutum sine aliquo decreto Dei ita decernentis; ergo hoc includeretur in illo prædestinante Christum Redemptorem; consequenterque in illo Deus positivè vellet peccatum.

551. Respondeo negando majorem; nam peccatum non potest transire ab statu conditionato ad absolutum, nisi positâ conditione, & data determinatione absoluta voluntatis creatæ; siquidem per easdem causas, per quas habebat esse conditionatum ante conditionem ponendam, postea habet esse absolutum, illâ jam positâ; cùm autem sola prædestinatio Christi Redemptoris, neque ponat conditionem, neque determinationem absolutam voluntatis creatæ, ideò non efficit, quod peccatum maneat absolutè futurum in se, licet ipsum peccatum possit videri aliquo modo futurum, seu quod erit futurum in se per solam infallibilem consequentiam: sicut etiam videtur in permissione ipsius peccati simul cum negatione auxilii efficacis, cùm tamen adhuc non videatur tale in se, quia adhuc deest absoluta determinatio, seu consensus voluntatis, sine quo ipsum peccatum non habet esse futurum in se absolutum, ideoque in se tale non est. Ad probationem dicimus, Redemptionem manere futuram, non tamen ad expellendum peccatum, quamdiu est in statu conditionato, sed prout postea ponetur in statu futu-

ritionis absolutæ per absolutam determinationem voluntatis, in quo nulla datur repugnantia.

552. Objicies 7. Si puer moribundus baptizari nequeat, nisi per Baptismũ simoniacè factum, aut per dejectionem in puteum, non potest justus, ut justus velle efficaciter talẽ puerum baptizari; alioqui cùm ipse Baptismus fieri nequeat sine peccato, actus elicitus à charitate, qualis est actus elicitus à justo, ut justo, esset virtualis volitio peccati; sed Redemptor, ut Redemptor non potest etiam stare sine peccato; ergo Deus non potest illum velle, quin etiam velit peccatum, quod implicat. Respondeo ad majorem, non posse justum velle illum Baptismum ut à se faciendum; sicut enim tenetur non committere peccatum, ita etiam tenetur illud in se ipso non permittere: posse tamen illum velle, si videat ab alio infallibiliter faciendum, & alioqui non teneatur, aut non possit impedire; siquidem tunc solùm vellet permissionem peccati, & non ipsum peccatum in volitione Baptismi, licet hic habeat connexionem cum illo: sic enim actus, quo Deus complacebat in Christo passibili, non erat actus, quo Deus vellet peccatum, licet Christus passibilis haberet connexionem cum peccato: & sicut scientia creata de peccato habet cum illo cõnexionem; & tamen Deus complacet in ipsa scientia, & non ita in peccato; sicque de aliis; ergo similiter.

553. Instabis: Sequeretur Deum ante prævisa peccata Judæorum in esse absoluto, prædefiniviſſe efficaciter actus Christi Domini, quos exercuit in suâ Passione dum flagellabatur, coronabatur, & crucifigebatur, offerendo omnia sigillatim Patri pro ipsis Judæis; sed hoc est falsum; alioqui cùm tales actus supponerent essentialiter peccata, eorum prædefinitio efficax esset volitio virtualis talium peccatorum; ergo idem dicendum de Christo Redemptore. Respondeo negando minorem; Deus enim non solùm prædefinivit mortem externam Christi, sed eam ut imperatam, & informatam ab illis actibus internis Christi, qui supponebant essentialiter peccata Judæorum, neque tamen ex eo volebat positivè, sed tantùm permittebat ipsa peccata, ut antea pręviderat per scientiam mediam committenda. Confirmatur opinione eorum, qui dicunt, Christum fuisse à Deo prædefinitum passibilem solo prævisо peccato originali, non verò actualibus in esse absoluto; cùm tamen omnium fuerit Redemptor.

554. Objicies 8. Deus si ante præscientiam absolutam peccati potest prædestinare Christum Redemptorem, potest etiam ex se velle, homines indigere redemptione; siquidem hæc duo inferuntur necessariò, & sunt inter se connexa; sed non ita potest hanc hominum indigentiam velle; siquidem cùm indigere Redemptore idem sit, atque habere peccatum, idem esset velle ipsam indigentiam, atque velle peccatum; ergo &c. Respondeo negando majorem; neque enim vellet Deus talem indigentiam, sed prævidendo illam in esse conditionato postea infallibiliter futuram, solùm vellet ejus permissionem, ut patet ex dictis. Unde ex illâ prædestinatione non sequitur necessariò ruina generis humani, ut aliqui malè inferunt, sed tantùm ejus permissio, ipsa verò ruina ex sola malitia humana, quæ voluntariè ad illam determinatur, medio peccato.

555. Objicies 9. Ideò admittenda est hujusmodi prędestinatio Christi ante præscientiam absolutam peccati, quia sic meliùs explicatur quomodò sit Angelorum caput, & Dominus merendo omnibus gratiam, & gloriam; sed non ita meliùs explicatur; siquidem Christus prout sic solùm concipitur intentus, & non exequendus; prout autem intentus tantùm, non potest mereri, cùm adhuc non habeat existentiam in se absolutam, quia adhuc applicata non est Omnipotentia, sed applicanda est per secundum decretum executivum; ergo &c. Respondeo quidquid sit de majori, negando minorem, & ejus probationem; nam cùm illa electio Christi fuerit intentiva simul & executiva in actu signato, per se tantùm postea sine alio decreto applicaret Omnipotentiam in actu exercito, licet posito jam peccato, sicque fecit Christum absolutè futurum, & merentem Angelis, & hominibus.

556. Instabis: In eo signo peccatum solùm erat sub conditione futurum; ergo etiam sic tantùm esset Redemptor. Resp negando consequentiam; diversa ratio est, quia adhuc creatura non erat absolutè, sed tantùm sub conditione determinata ad peccatum: at verò illa electio efficax absolutè decreverat Christum Redemptorem, quin id repugnet; siquidem qui scit miseriam infallibiliter futuram, benè potest absolutè præparare ei remedium, etiam antequam videat absolutè futuram: sic enim ut impediatur lapsus opus non est, quod videatur absolutè futurus, sed satis est, si videatur futurus sub conditione: ut patet in Deo præparante auxilia efficacia ad impedienda peccata, quæ videt futura sub conditione.

557. Inferes: Ergo ex vi talis decreti veniret Christus, etiam si non poneretur peccatum, cùm fuerit decretus ante illud prævisum. Respondeo negando illationem; nam illud decretum, cùm supponat, ut diximus, Scientiam Mediam de peccato, & ei accommodetur, induit ejus conditiones: unde sicut illa, facta suppositione impossibili, quod peccatum non eveniret, non esset certa; ita neque Christus certò veniret ex vi illius decreti: cùm tamen illa sit metaphysicè certa, quia peccatum infallibiliter eveniet; ita etiam Christus, posita electione, certò veniret. Patet exemplo electionis efficacis ad gloriam, quæ facta fuit ante prævisa merita, de quâ supra; est enim eadem ratio.

558. Advertes hîc in hac opinione aliquos inferre, non fuisse primò intentam Redemptionẽ ut finem, & postea electam Incarnationem ut medium ad illam habendam: imò potiùs primò fuisse intentam ut finem Incarnationem, & postea electam Redemptionem ut medium ad illam exequendam: sicut priùs intenta fuit gloria ut finis, & postea electa merita ut medium ad talem finem consequendum. Unde licet Christus fuerit prædestinatus ut Redemptor, id parùm refert; siquidem etiam gloria fuit decreta ut corona, & tamen ratio coronæ non habuit rationem finis respectu ipsius gloriæ, cùm hæc tota decreta fuerit ut medium ad divinam Bonitatem ostendendam, & communicandam; sicque similiter neque ratio Redemptoris habuit rationem finis respectu ipsius Christi, sed totus fuit decretus ad augendam Misericordiam & gloriam divinam.

SECTIO

SECTIO XXVI.

Proponitur, et defenditur sententia negativa tenenda.

559. ASSERTIO 2. Christus Dominus de facto non fuit prædestinatus, nisi post prævisum peccatum in esse absoluto. Ita communior, & probabilior sententia, eam tenent *D. Thom. 3. p. q. 1. a. 3. Caiet. ibid. Ferrar. 4. contr. gent. 55. Capreol in 3. dist. 1. q. unic. a. 1. conclus. 1. Carthusian. Tarantasia, Abul. Marsil. in 3. q. 1. art. 3. D. Benavent. in 3. dist. 1. art. 2. q. 2. Richard. ibid. art. 1. q. 2. Gabr. dist. 2. q. unica art. 3. dub. 3.* quos citat & sequitur *P. Vasq. de Incarnat. d. 10. cap. 4. n. 36. P. Lugo de Incarn. d. 7. sect. 1. n. 2. P. Gasp. Hurt. de Incarnat. d. 1. diff. 26. num. 140. P. Arriaga de Incarnat. d. 15. sect. 4. n. 39. P. Tanner. de Incarnat. d. 1. q. 1. dub. 5.* & alii plures apud citatos. Probatur primò ex Sacrâ Scripturâ, & Sanctis Patribus supra adductis à *num. 530.* Ex quibus satis constat, Christum Dominum fuisse prædestinatum in remedium peccati, sicque post peccatum prævisum in esse absoluto.

560. Probatur 2. quia totum motivum, ut diximus, propter quod Christus Dominus fuit de facto prædestinatus, fuit expulsio peccati; sed ad hanc cõnaturalius erat, quod prævideretur ipsum peccatũ in esse absoluto, & in illo necessitas redemptionis, quàm quod solùm prævideretur in esse conditionato; sic enim meliùs videbatur necessitas, & efficacia Redemptionis; ergo &c.

561. Probatur tertiò, quia Deus, cùm posset prædestinare Christum ob excellentiam mysterii & complementum universi, non ita prædestinavit, sed voluit expectare, quod urgeret necessitas generis humani, ut magis lucerent ejus Attributa, præsertim Misericordia, & Benevolentia; ergo ut magis lucerent, debuit expectare, quod urgeret major necessitas, qualis erat in homine lapso per peccatum jam in esse absoluto; sic enim magis relucebant ejus Attributa, quatenùs conferebat beneficium actuali inimico.

562. Probatur quartò, quia Deus prædestinans Christum passibilem in actu secundo, extrahebat illius Humanitatem ab eo, quod in ea postulat connaturaliter ejus Unio Hypostatica, nempè ab impassibilitate; sed non debuit sic eam extrahere, nisi positâ jam urgentissimâ necessitate, à qua veluti cogeretur; talis autem necessitas solùm dabatur, posito jam peccato in esse absoluto; ergo post illud sic prævisum prædestinavit Christum sic passibilem & Redemptorem. Confirmatur, quia ita meliùs explicatur, quomodo remedium peccati, sive Redemptio sit finis Incarnationis; siquidem prout sic priùs intenditur illa ut finis, & postea eligitur Christus Redemptor ut medium ad illam consequendam; ergo &c.

563. Oppositum tenent alii Patres asserentes Christũ fuisse prædestinatum antequam prævideretur peccatum absolutè futurum, consequenterque adhuc Christum Dominum venturum, etiamsi Adamus non peccasset. Ita *Alens. 3. p. q. 2. memb. 13. Albert. in 3. dist. 20. a. 4. Scotus in 3. dist. 7. q. 3. §. Sed hic sunt. & dist. 19. quæst unica, §. In illa quæst. & dist. 7. quæst. 4. §. Tertiò declarand. Catharin. Viguer. Rupert. Galatin. & alii apud P. Vasq. & P. Tanner. citati*: Pro quibus.

564. Argues 1. Homines de facto fuerunt electi ad gloriam ante prævisa merita in esse absoluto; ut diximus; ergo etiam Christus Dominus fuit prædestinatus ut Redemptor ante prævisum peccatum in esse absoluto. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia utrumque fuit ad ostendendam Misericordiam Divinam; cùm autem hæc magis ostendebatur in electione ad gloriam ante, quàm post prævisa merita, quatenùs Deus ibi movebatur omninò ex se; & in prædestinatione Christi Domini post, quàm ante peccatum absolutè prævisum, quatenùs sic conferebat beneficium inimicis actualibus, ideò elegit ad gloriam ante prævisa merita, & prædestinavit Christum post peccatum absolutè prævisum. Accedit, quod in prædestinatione Christi ut passibilis operabatur Deus contra naturam, & postulantiam Unionis Hypostaticæ, ideòque debuit expectare actualem necessitatem in peccato jam absolutè futuro: at verò in electione ad gloriam operabatur secundùm inclinationem suæ Bonitatis, quæ cùm sit summa, & diffusiva sui, maximè appetit se communicare, ideòque noluit expectare nostra bona opera, ut nos ad gloriam eligeret.

565. Argues 2. Christus Dominus fuit prædestinatus ut caput Angelorum influens in eos gratiam & gloriã; cùm enim fuerit prędestinatus caput hominũ, quod est minùs, cur non etiam Angelorum, quod pluris æstimatur? ergo fuit prædestinatus ante illos; consequenterque ante prævisum peccatum originale in esse absoluto; cùm Angeli ante illud sic prævisum fuerint electi. Huic argumento variè varii respondent. Resp. igitur primò cum aliquibus, Christum Dominum fuisse decretum in intentione ante Angelos, & iterùm decretum post illos, & post prævisum peccatum in esse absoluto; sicque prævisum in intentione meruisse illis gratiam, & gloriam, imò & sibi executionem, manfisseque eorum caput per influxum ipsius gratiæ, & gloriæ. Non placent, nam admissis etiam illis ordinibus, cùm Christus Dominus in illo primo decreto non haberet existentiam in se, siquidem expectaret secundum decretum applicans Omnipotentiam, neque sibi, neque Angelis poterat mereri.

566. Respondeo secundò cum aliis, Deum habuisse duo decreta circa Angelos in instanti, quo tentatus est Adamus; alterum in prioritate naturæ, quo decerneret creare illos in ipso instanti, quo Adamus est tentatus, abstrahendo quidem à gratiâ; alterum in secundo posteriori naturæ, quo decerneret creare illos in gratia tempore aliquo antecedenti, v. g. decem diebus, & cùm inter utrumque prævisum fuerit peccatum originale, & Christus Dominus prædestinatus in remedium peccati, potuisse Christum jam prout sic prævisum, & prædestinatum absolutè eis mereri hoc secundum decretum, consequenterque creationem in gratia, & manere eorum caput; sic enim, inquiunt, Christus Dominus fuit decretus in prioritate naturæ pro tempore passionis, & iterùm in posterioritate naturæ pro tempore antecedenti in statu pueritiæ.

567. Non placent, licet enim in ordine ad potentiam absolutam non implicet talis modus decernendi Angelos, sine ullo tamen fundamento ponunt duo illa decreta, ut Deus priùs naturâ decreverit Angelos producere pro posteriori tempore, quàm pro priori, quod cùm sit contra naturalem exigentiam productionis creatæ, non debet admitti sine urgentissimâ causâ, & necessitate, qualis hîc non dabatur, nam si aliqua daretur esset, ut intelligeretur, quomodò Christus illis meruerit pri-

mam gratiam ; talis autem necessitas non dabatur, imò neque fundamentum ad id asserendum, cùm potiùs major, & melior Theologorum pars judicet, Christum non meruisse Angelis primam gratiam : at verò in Christo ita decernendo dabatur causa, & necessitas, nempè ut possimus salvare, quo pacto Christus omnia nobis meruerit ; & tamen Beatissima Virgo sibi meruerit dignitatem Matris, & Sancti Patres potuerint mereri accelerationem Incarnationis.

568. Hinc colliges, non benè dixisse aliquos, fuisse Adamum priùs naturâ prævisum à Deo in peccato, quàm in gratia, & Christum prædestinatum post prævisum peccatum meruisse Adamo primam gratiam : Non benè, inquam, dixisse, nam Adamus ante originale fuit prævisus caput generis humani habens gratiam, & potens illam traducere, aut amittere pro se & posteris, servando, aut non servãdo præceptum ; alioqui ejus peccatum non esset peccatum capitis, consequenterq; neque originale, sed solùm personale, & privatum, quod nullus dicet ; ergo non potuit priùs naturâ prævideri ejus peccatum, neque Christus prædestinari in remedium illius, quàm videri dignitas capitis, & gratia Adami ; consequenterque non potuit Christus sic prædestinari, ut ei meruerit primam gratiam.

569. Respondeo tertiò cum aliis, Deum videntem hunc mundum, & omnes ejus partes, inter quas erat Christus in esse conditionato, priùs elicuisse simplicem complacentiam de Christo sic prævisо, & ex complacentia fuisse motum ad non impediendam mundi creationem, quam prævidebat per Scientiam conditionatam daturam occasionem peccato, & adventui Christi ad ejus reparationem, & hanc complacentiam, dicunt, ob connexionem cum adventu Christi, & efficaciam circa illum fuisse tanquam voluntatem absolutam de Christo venturo, & propter illam mansisse Christum primum principium omnium creaturarum, consequenterque caput Angelorum influens in eos gratiam. Non placent, quia talis complacentia, aut decrevit absolutè Christum, auferens illum ab statu conditionato ad absolutum : aut non : Non primum ; alioqui jam non esset simplex complacentia, sed decretum absolutum prædestinans Christum, idque non post, sed ante peccatum prævisum in esse absoluto : Non secundum ; alioqui, cùm Christus adhuc non haberet esse absolutum, non potuit mereri, neque mundi creationem, neque influere gratiam in Angelos, neque esse principium, & caput omnium rerum. His rejectis responsionibus.

570. Respondeo quartò meliùs negando antecedens argumenti ; nulla enim necessitas nos cogit dicere, Christum Dominum fuisse caput Angelorum quoad collationem primæ gratiæ, sed tantùm quoad dignitatem, & honorem, quoad vim mandandi, & illustrandi illos circa rerum arcana, quoad gloriam accidentalem, aliaque dona etiam accidentalia. Ad probationem concedimus, esse caput Angelorum fore magnam dignitatem, indè tamen non sequi, fuisse Christo Domino concessam ; nam etiam magna illius dignitas esset, si constitueretur Angelorum Redemptor ; & tamen ei non fuit concessa talis dignitas, quia Deus ex sua libertate noluit concedere malis Angelis, sicut hominibus Redemptorem ; ergo similiter de dignitate capitis, cùm Deus noluerit assumere humanitatem, nisi veluti coactus necessitate reparationis generis humani, sicque post prævisum peccatum in esse absoluto. Ita *P. Arriaga cit. d. 14 sect. 3. num. 22.*

Dixi *quoad collationem primæ gratiæ*, nam ejus conservationem, augmentum, & perseverantiam finalem, meruit Christus Dominus Angelis bonis jam prævisus in esse absoluto post prævisum peccatum Adami, & ante eorum actualem glorificationem. Undè cùm in hac conservatione, & perseverantia finali consistat præcipuè justorum prædestinatio, benè ideò dici potest hanc meruisse Christum ipsis Angelis, licet fuerit decretus post prævisum peccatum Adami, & post collationem primæ gratiæ Angelis factam. Addo, posse etiam dici, fuisse Angelos quidem electos ad gloriam ante Christum absolutè prævisum, in effectu tamen consequendam per ejus merita, quæ jam videbantur sub conditione futura, eo modo, quo supra diximus de electione prædestinatorum ad gloriam ante eorum merita absolutè, sub conditione tamen prævisa, sed per ipsa merita in effectu consequendam. 571.

Hinc colliges Angelos bonos fuisse electos ad gloriam ante prædestinationem Christi ad esse, consequendam tamen in effectu per merita ipsius Christi jam tunc prævisi in esse conditionato, licet postea per illa jam in esse absoluto prævisa habuerint perseverantiam in gratia, acceptis illustrationibus, illuminationibus, & aliis auxiliis ac ipsius gratiæ augmento. Patet, quia Angeli fuerunt sic electi ante prævisum peccatum Adami ; Christus verò prædestinatus ad esse post illud prævisum ; cùm tamen Angeli non fuerint statim possessores gloriæ ; habuerunt enim viam, & hæc duravit etiam post Christum prædestinatum, potuit quidem Christus illa omnia eis mereri ; quod ut meliùs intelligas : 572.

Advertes aliquos sic distinguere signa : Vidit Deus conditionatè in primo signo Angelos malos peccaturos, & bonos perseveraturos, ex malorum peccato tentationem Adami, & ejus peccatum, & ex his omnibus maximam Christi gloriam occasionaliter orituram, in qua ita efficaciter complacuit, ut in secundo signo permiserit peccatum malorum Angelorum, & bonos elegerit ad gloriam, decernendo dare illis auxilia efficacia ad resistendum : in tertio permiserit tentationem, & peccatum Adæ : in quarto prædestinaverit Christum : in quinto propter Christum, & ejus merita jam absolutè prævisa decreverit dare amplius auxilia efficacia Angelis bonis, nè violarent alia ejus præcepta, in quibus adhuc tentabantur à malis pro toto spatio, & morula viæ, & præterea fidem Mysterii, ac denique perseverantiam finalem : in sexto tandem decreverit facere eos in re possessores ipsius gloriæ. Undè si sermo sit de adæquata Angelorum prædestinatione, dicendum est fuisse in re partim ante, partim post prædestinationem Christi, ut ex dictis patet. Hæc interim ad intelligentiam præcedentis argumenti ; nam de his signis latiùs infrà à nobis dicendum. 573.

Argues 3. Gratia Adamo collata in statu innocentiæ fuit ex meritis Christi ; alioqui cùm sit effectus prædestinationis Adami, si non esset ex meritis Christi, sequeretur Christum non ei meruisse prædestinationem quoad omnes effectus ; sed talis gratia fuit ei collata ante prævisum peccatum in esse absoluto ; ergo jam ante illud erant merita Christi ; consequenterque ipse Christus prædestinatus. Respondeo negando majorem, si loquamur quoad primam collationem illius gtatiæ ; sic enim non fuit ex meritis Christi collata, sed tantùm quoad 574.

quoad reparationem, & reviviscentiam, quod sufficit, ut dicatur, habere Adamum ex meritis Christi omnes effectus prædestinationis, & omnes gradus gloriæ; siquidem Christus Dominus omnes ei per peccatum amissos reparavit.

575. Inferes: Ergo Adamus fuit priùs prædestinatus, quàm Christus; siquidem fuit prædestinatus ante peccatum; Christus autem post illud; sed hoc non potest admitti; siquidem ex variis Scripturæ locis constat, Christum fuisse causam exemplarem, & meritoriam omnium prædestinatorum; ergo &c. Respondeo primò cum aliquibus concedendo illationem, si sermo sit de prædestinatione inadæquatâ, seu quoad effectum Justitiæ Originalis; aliter verò si loquamur de illâ adæquatè sumptâ, seu quoad omnes effectus, nempè quoad effectum etiam vocandi ad pœnitentiam post peccatum, restituendi gratiam, conferendi perseverantiam finalem, & similes, quos omnes habuit per merita Christi jam prædestinati, & ad quos fuit prædestinatus post prædestinationem ipsius Christi. Ad illa Scripturæ loca, quæ adduci poterunt in contrarium, dicendum, loqui in ordine ad prædestinationem Adami solùm inadæquatam, & secundùm aliquos effectus: aut etiam de Christo conditionatè futuro, & per supra dictam complacentiam volito, propter quem sic prævisum, & volitum Deus elegit hunc rerum ordinem.

576. Respondeo secundò cum aliis, illam primam electionem Adami ad gloriam fuisse conditionatam, tam erga ipsum Adamum, quàm erga posteros, nempè si observaret præceptum; consequenterque fuisse inefficacem; siquidem eam amisit per transgressionem ipsius præcepti; postea autem fuisse electum efficaciter cum aliis prædestinatis post peccatum, & Christum prævisum in esse absoluto, ac ex ipsius meritis; sicque fuisse adæquatè prædestinatum post prædestinationem Christi ex illius meritis, ex quibus etiam accepit gratiam amissam, & gloriam ei correspondentem. Addo, dato quod prima ejus electio fuerit efficax, & solùm mortificata per peccatum, adhuc potuisse esse ex meritis Christi eo modo, quo supra diximus de Angelis, & de electione ad gloriam ante, sed per merita consequendam, nempè si dicamus, Adamum fuisse electum ad gloriam in effectu possidendam ex meritis Christi, quæ tunc videbantur conditionatè futura, & postea jam essent in esse absoluto, quando Adamus in re accipiendus esset ipsam gloriam.

Argues 4. Adamus in statu innocentiæ ante
577. peccatum habuit revelationem, & fidem de Mysterio Incarnationis, ut cum *D. Aug. D. Thom. D. Bern. D. Epiphan. D. Hieron.* tenet *P. Vasq. de Incarn. d. 12. cap. 1. num. 4.* sed hujusmodi fides non poterat sic haberi, nisi Christus jam esset in esse absoluto ante ipsum peccatum; ergo &c. Respondeo negando minorem: talis enim fides, & revelatio licet fuerint priùs tempore, quàm peccatum, non fuisse priùs naturâ, quia peccatum Adami non fuit de facto dependens ab illa revelatione, aut à notitia futuræ Incarnationis: sic etiam gratia data Sanctis Patribus, licet fuerit priùs tempore, quàm Christus, & ejus merita, non tamen fuit priùs naturâ, quia neque Christus, neque ejus merita dependebant ab illa gratia, imò è contra. Quomodò autem hujusmodi revelatio fieri potuit? Dico potuisse sic fieri. In primo signo prædefinitus fuit Adamus in gratia originali: in secundo prævisus peccaturus ex permissione Dei: in tertio occasione peccati prævisi prædefinitus Christus in remedium peccati: in quarto tandem revelatum est Adamo Mysterium; non tamen revelatâ ejus causâ, nempè peccato; sicque non erat fides de Christo ut Redemptore, sed de Christo venturo, ut notat P. Vasq. cum aliis: quamvis *P. Arriaga de Incarn. d. 14. sect. 3. num. 49.* videatur sentire, Adamum in ipsa revelatione præsciviisse etiam suum peccatum, & neque ideò amisisse libertatem; siquidem in eo priori naturæ ad peccatum, quando illud commisit, nihil de eo illo modo cogitavit.

Instabis: Si Adamus haberet fidem de Christo 578.
venturo, per illam mereretur novam gratiam; & hanc etiam amitteret per peccatum originale; sed id non poterat esse, nisi ipsa gratia, fides, & Christus essent priùs naturâ, quàm ipsum originale; ergo &c. Respondeo Deum in primo signo non concepisse hanc novam gratiam amissam cum gratia originali per peccatum; siquidem in tali signo quando primò concepit amissam gratiam originalem, adhuc Adamus non habebat hanc aliam novam, sicut neque fidem, ut patet ex dictis; cùm tamen postea, quando commisit originale, jam illam haberet ex meritis Christi jam tunc prævisi, etiam illam amisit; siquidem per ipsum originale factus fuit indignus omni gratiâ. Patet ab exemplo, nam si Deus mihi hodie revelet, Petrum amissurum omnem dignitatem per crimen lælæ Majestatis post annum commissum, & ille habeat unam tantùm, videbo illum eam tantùm amittentem; si tamen interim eo anno aliam dignitatem acquirat, videbo postea hanc etiam amittere, quia omnem videram amissurum: Unde in primo signo non videbo hanc secundam amissam, quia adhuc non erat, videbo tamen in secundo signo, quia jam erit; sicque similiter in eo eventu de Adamo.

Argues 5. Si Christus esset prædestinatus post 579.
prævisionem peccati, sequeretur, quod nullus homo natus esset ex illius meritis; siquidem omnes ante prævisum peccatum fuerant prædestinati ad esse; & non sic fuerat Christus prædestinatus ante peccatum; sed hoc est falsum; nam saltem aliquorum existentia est effectus meritorum Christi; ergo &c. Respondeo negando sequelam; licet enim Deus de se motus fuerit ad dandam hominibus existentiam, decrevit tamen eam exequendam in tempore ex oratione (saltem in aliquibus,) ac ex meritis Christi jam tunc prævisis in esse conditionato, quod sufficit, ut dicantur habuisse existentiam ex illius meritis.

Argues 6. Incarnatio, seu Christus Dominus 580.
fuit causa finalis nostræ Redemptionis, ut constat ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum apud *P. Vasq. de Incarnat. d. 10. cap. 2. & P. Lugo de Incarn. d. 7. sect. 2.* & præsertim ex illo 1. Cor. 3. 23. ibi: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Et Ephes. 1. 5. ibi: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei per JESUM Christum in ipsum*: Ubi particula *in* denotat habitudinem finis; ergo Christus ut finis fuit priùs volitus, quàm ipsa Redemptio, quæ fuit medium, consequenterque quàm peccatum prævisum in esse absoluto.

Respondeo negando antecedens; potiùs enim 581.
Redemptio fuit finis Incarnationis; siquidem facta fuit Incarnatio, ut fieret Redemptio, non tamen è contra: Undè Redemptio fuit finis *cujus*, & homo redemptus finis *cui*; cùm tamen ex hac Redemptione magna resultaret gloria accidentalis in Christo jam præfinito, ideò Deus etiam hanc intendit ex ipsa Redemptione, ita ut talis gloria

manse-

manserit finis *cujus*, adventitius tamen, respectu nostræ Redemptionis; nam primarius, & per se intentus fuit tantùm gloria Dei; cùm autem ille finis fuerit tantùm accessorius, supponebat jam Redemptionem volitam ob finem primarium, & peccatum prævisum; ac proindè Incarnatio non fuit ante illud. Et in hoc sensu intelligenda sunt citata (& quæ citari poterant) loca tam Sacræ Scripturæ, quàm Sanctorum Patrum.

582. Instabis: Si Redemptio nostra esset finis Incarnationis, sive Christi, priùs esset intenta, consequenterque nostra salus in ea contenta; sed hoc non est dicendum; siquidem Christus fuit priùs prædestinatus, quàm homines, ut patet ex supra dictis, & patebit ex infra dicendis; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus primam illam intentionem Redemptionis, ac salutis nostræ, propter quam fuit prædefinita Incarnatio, sive Christus, non fuisse nostram prædestinationem, cùm in efficaciâ fuerit æqualis, & communis erga omnes homines, non tamen omnes fuerint prædestinati: Undè licet illâ fuerit efficax ex parte Dei, quatenùs Deus posuit remedium de se efficax ad salutem, nempè Incarnationem; fuit tamen conditionata ex parte hominum, nempè si ipsi cooperarentur: postea verò, prævisa jam Incarnatione, Deus ex meritis Christi elegit nos efficaciter etiam ex parte nostra, in qua electione consistit nostra prædestinatio, sicque hæc mansit posterior prædestinatione Christi ad esse.

583. Argues 7. Si Christus esset prædestinatus post prævisum peccatum, sequeretur, si Adamus non peccaret, neque Christum venturum, neque Deum prædestinaturum ullum hominem ex præsenti decreto; siquidem ex vi illius solùm sunt prædestinati homines ex meritis Christi Redemptoris, qui tunc non daretur; sequela autem est falsa; ergo &c. Respondeo datâ, & concessâ primâ parte sequelæ, quæ patet ex supra dictis, distinguendo secundam, sequeretur, Deum nullum hominem prædestinaturum formaliter; transeat sequela: virtualiter; nego sequelam: Deus enim de facto habuit decretum, saltem virtuale beandi homines, si in gratia perseverassent; cùm autem, si Adamus non peccasset, non solùm ipse, sed etiam plures alii homines perseverarent in gratia per auxilia ordinaria, ideò Deus haberet decretum beandi, ac prædestinandi illos.

SECTIO XXVII.

Virùm, & qualis detur ordo inter prædestinatos?

584. DIco 1. Christus Dominus fuit prædestinatus, & electus ad esse ante prædestinationem hominum ad gloriam, & hanc eis meruit, ut caput hominum. Ita *D. Thom. 3. part. q. 24. a. 4. Cajet. Alens. 3. p. q. 3. memb. 5. D. Bonavent. in 3. dist. 11. a. 1. quæst. 3. Albert. Viguer. P. Soar. lib. 2. de Prædest. cap. 24. n. 12. & tom. 1. in 3. p. d. 41. sect. 4. P. Vasq. d. 91. & 94. cap. 2. & 4. P. Fonsec. 3. Met. P. Mol. 1. p. q. 23. a. 4. & 5. d. 1. memb. 8. P. Tanner. hîc d. 3. q. 5. dub. 7. num. 1.* & alii. Probatur primò ex Scriptura ad Coloss. 1. 15. ibi: *Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit ipse in omnibus primatum tenens.* Et ad Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, & prædestinavit nos in adoptionem filiorum per* JESVM *Christum in ipsum.* Et 1. Cor 3. 22. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Et ad Hebr. 2. 10. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Confirmatur ex Sanctis Patribus, *D. Aug. lib. de prædestin. Sanct. cap. 18. D. Chrysost. hom. 1. ad Ephes. 1.* Favetque Concil. Trid. *sess. 6. cap. 7.* definiens causam *finalem nostræ justificationis esse gloriam Dei, & Christi*; ergo &c.

Probatur secundò, tùm quia Christus Dominus, 585.
ut infra dicemus, fuit causa nostræ prædestinationis, & omnium illius effectuum: tum etiam, quia quod in unoquoque genere est finis cæterorum, est illis priùs; sed negari non potest Christum esse causam finalem nostræ prædestinationis; ergo ordine intentionis fuit priùs volitus, quàm omnes homines prædestinati.

Dices 1. Christus Dominus, ut diximus, fuit 586.
prædestinatus post prævisum peccatum Adami in esse absoluto; sed Adamus fuit prædestinatus ad gratiam, & gloriam originalem ante prævisum peccatum in esse absoluto; ergo saltem respectu Adami non fuit Christus prædestinatus priùs ut illius caput. Respondeo negando consequentiam; nam licet Adamus fuerit priùs electus ad talem gratiam & gloriam, talis electio fuit tantùm conditionata, si observaret præceptum; cùm tamen illud non observaverit, eas per peccatum amisit, quas Christus iterum per sua merita donavit, quatenùs meruit reparationem, ac reviviscentiam, & tunc mansit Adamus jam efficaciter electus, & prædestinatus post Christi prædestinationem.

Dices 2. Membra in eodem signo prædestinan- 587.
tur cum capite; sed Christus fuit prædestinatus ut caput omnium hominum; ergo hi, non posteriùs, sed in eodem signo fuerunt cum illo prædestinati. Respondeo, ut Christus prædestinaretur priùs, & ut caput, satis esse, quod membra, nempè alii prædestinati, prædestinarentur simul cum illo, sive in illo virtualiter; & opus non esse, quod sic prædestinarentur formaliter in se. Patet, quia ut aliquis eligatur ut magister, necesse non est, quod in eodem signo cum illo eligantur discipuli formaliter, sed sufficit, si eligantur virtute, id est, quod eligatur magister cum respectu ad discipulos postea eligendos ex vi prioris decreti; sicque similiter de electione Christi in ordine ad alios homines eligendos.

Dico 2. Christus Dominus fuit etiam priùs præ- 588.
destinatus ut caput Angelorum, prout supra diximus *num. 570. & 573.* Ita *D. Thom. in cap. 1. Joan. Albert. in 3. dist. 13. a. 1. Cajet. 3. part. q. 7. a. 9. & 11. Ruard. a. 2. & 8. Catharin. lib. 1. de prædest. Christ. P. Valent. 3. p. q. 8. punct. 3. Cabrer. P. Soar. tom. 1. in 3. p. d. 41. sect. 1.* quos citat & sequitur *P. Tanner. de prædest. d. 3. q. 5. dub. 7. n. 5.* & alii. Probatur ex illo ad Coloss. 1. 15. ibi: *Primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt universa in cælis, & in terra.* Et ad Ephes. 1. 10. ibi: *Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso.* Et ex D. Bernard. serm. 22. in Cantic. *Qui erexit*, ait, *hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur; sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens: & hac ratione fuit æquè utrique redemptio, solvens illum, & servans istum.* Confirmatur ex supra dictis à *n. 565.*

Dico 3. Angeli prædestinati priùs fuerunt effi- 589.
caciter electi ad gloriam, quàm homines. Ita *P. Granad. 1. p. tr. 12. d. 2. n. 6. & 9.* Favet *P. Vasq. 3. p. d. 49.*

3. p. d. 49. cap. 3. n. 25. Probatur, quia Angeli boni fuerunt electi saltem in eodem signo, quo fuit permissum, & prævisum peccatum malorum Angelorum; alioqui promptior esset Deus ad deserendum in permissione peccati, quàm ad favendum in electione efficaci ad gloriam; sed permissio, & prævisio peccati Angelorum malorum fuit prior, quàm prædestinatio hominis; siquidem hi fuerunt præstinati post prævisum peccatum Adæ, ut infra dicemus; hoc autem fuit posterius peccato Angelorum, cùm fuerit ex eorum suggestione & persuasione commissum; ergo etiam electio bonorum fuit prior electione hominum.

590. Confirmatur primò, quia inter electionem Angelorum, & electionem hominum fuit medium peccatum Adæ; sed non potuit sic mediare, nisi illæ fuissent factæ in diversis signis; ergo illa facta fuit in primo signo, sicque priùs, & hæc in secundo, sicque posteriùs. Secundò, quia homines fuerunt electi ad reparandas sedes amissas ab Angelis malis, ut multi colligunt ex illo ad Ephes. 1. 10. ibi: *Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso.* Et Psalm. 109. *Judicabit in nationibus, implebit ruinas.* Et D. Aug. in Enchirid. cap. 29. dicit: *Filios Ecclesiæ succedere in sedibus Angelorum, ut pace fruantur, quam illi amiserunt.* Et D. Bernard. serm. 1. de Advent. *Propter hoc enim,* ait, *& ipse creavit homines ab initio, qui supplerent locum illum, & ruinas Hierusalem restaurarent*; sed non poterant sic eligi, nisi supponerent jam sedes restaurandas amissas; consequenterque Angelos bonos electos, cùm fuerint in eodem signo electi, ut diximus; ergo &c.

591. Oppositam sententiam tenet, & dicit Theologorum communiorem *P. Soar. de prædest. lib. 1. cap. 12. n. 4. P. Tanner. de prædest. d. 3. q 5. dub. 9. num. 5.* & alii: Pro quibus: Oppones 1. Nulla datur prioritas in actibus Voluntatis Divinæ, nisi detur aliqua dependentia in eorum objectis; sed nulla datur dependentia inter electiones Angelorum & hominum: aut enim hæc esset causæ finalis, & hoc non; siquidem prædestinatio Angelorum non fuit finis prædestinationis hominum: aut efficientis moralis, & hoc etiam non; siquidem Angeli prædestinati non meruerunt prædestinationem hominum; ergo nulla dabitur prioritas inter ipsas electiones. Respondeo primò negando absolutè majorem: sufficit enim, quod decreta sint in diversis signis, & inter unum, & aliud mediet aliud tertium, ut detur fundamentum ad admittendam inter illa posterioritatem, & prioritatem, & ita sit in præsenti, ut patet ex dictis.

592. Respondeo secundò, ibi aliquam intervenire dependẽtiam, si non inter Angelos, & homines, eorumque electiones, saltem inter alia, quæ ab illis supponuntur; siquidem electio hominum supponit peccatum Adæ, & hoc supponit peccatum malorum Angelorum; hoc autem est simul cum electione bonorum, quod sufficit, ut inter hanc, & electionem hominum detur aliqua prioritas. Addo cum *P. Granad. cit. num. 6.* valdè verisimile esse, aliquos homines prædestinatos esse mediis orationibus Angelorum, quod stare non potest, quin sint aliquo modo causa prædestinationis eorum, ac proinde quin istorum, sicut & aliorum Angelorum prædestinatio (non enim datur major ratio de his, quàm de aliis, cùm omnes simul fuerint electi) sit prior quàm electio hominum.

593. Oppones 2. Deus intendit regnum electorum per modum unius corporis, & Civitatis cælestis; ergo etiam simul intendit omnia ejus membra; siquidem ex eorum varietate, ac multitudine totius corporis pulchritudo insurgit. Respondeo negando consequentiam; nam & ipsi Adversarii concedunt, Christum Dominum esse caput hujus Regni, & Civitatis; & tamen non asserunt fuisse simul electum cum aliis membris; undè benè potest aliquod ædificium intendi per modũ unius, quin simul eligantur ejus partes, cùm possint aliquãdo alię propter alias eligi, sicq; alię aliis priores.

Oppones 3. Angeli, & homines in eodem signo 594.
fuerunt electi efficaciter ad esse, & inefficaciter ad salutem; ergo etiam eodem signo fuerunt postea electi efficaciter ad salutem. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia nullum datur fundamentum ad admittendam prioritatem in ea prima electione; alioqui assignetur: at verò datur ad illam admittendam in hac secunda, ut patet ex dictis. Accedit, quod Angeli fuerunt priùs possessores, quàm homines, ex quo colligitur fuisse etiam priùs electos. Deindè, cùm non peccaverint, semper conservarunt primam electionem: at verò homines eam amiserunt per peccatum, ideòque fuerunt postea efficaciter electi, sicque post electionem Angelorum.

Oppones 4. Homines, cùm de se sint æquè ca- 595.
paces beatitudinis, atque sunt Angeli, non fuerunt electi propter illos; ergo in eodem signo cum illis. Respondeo negando consequentiam; nam licet non sint electi propter illos, cùm tamen eorum electio supponat peccatum Adæ prævisum, ut infra dicemus, & hoc supponat Angelorum peccatum, concomitanterque connotet bonorum electionem, factam saltem in eodem signo commissionis ipsius peccati, ideò est illâ posterior. Et confirmatur, quia eadem videtur esse ratio in damnatione, atque in electione; sed Angeli mali fuerunt priores in damnatione, quàm homines mali; ergo etiam boni Angeli fuerunt priores in electione, quàm boni homines.

Instabis: Ideò Angeli essent priùs electi, 596.
quàm homines, quia hi sunt electi post peccatum Adæ prævisum, & cùm hoc debeat supponere peccatum Angelorum, consequenterque eorum electionem, prout supra diximus, etiam eorum electio debet Angelorum electionem supponere; sed homines non fuerunt electi post prævisum peccatum in esse absoluto; ergo &c. Respondeo negando minorem, ut jam diximus.

Dico 4. Homines fuerunt electi post prævisum 597.
peccatum Adæ in esse absoluto. Ita communiter Recentiores, & tenet ut probabile quoad posteros Adami in individuo *P. Tanner. de prædest. d. 3. q. 5. dub. 8. num. 11.* tenent etiam *D. Aug. in epist. 105. 106. 107. & 157. & lib. 15. de Civit. cap. 1. & lib. 21. cap. 12. & lib. de prædest. & grat. cap. 3. & 6. & 16. & lib. de prædest. Sanct. cap. 9. & 14. D. Prosper. D. Anselm. & D. Fulgent. D. Thom. 1. part. q. 23. a. 1. ad 3. & a. 5. ad 3. & in 3. dist. 10. q. 3. & quodl. 5. q 5. a. 8. Capreol. in 2. dist. 20. q. unica, a. 3. & Greg. in 1. dist. 41. a. 2. Soto ad Rom. 9. Zumel q. 23. a. 1. q. 2.* quos citat & sequitur *P. Ruiz de prædest. d. 13. sect. 5. à n. 8. & d. 59. sect. 2. n. 2.* Probatur primò ex illo Psal. 109. ibi: *Judicabit in nationibus, implebit ruinas.* Et ad Ephes. 1. *Instaurare omnia in Christo, &c.* ubi implere ruinas, & instaurare supponunt lapsum, sive peccatum. Et D. Aug. lib. 1. de prædest. & grat. cap. 16. *Injustitiæ,* ait, *non posse argui creditorem, qui duobus debitoribus tale voluerit habere judicium, ut uni donet, ab alio exigat, quod ab utrisq; debetur.* Ubi supponit electionem factam post debitum peccati; ergo &c.

598. Probatur secundò rationibus: Prima, quia Christus Dominus, ut diximus, fuit prædestinatus post prævisum peccatum, ita ut si illud non daretur, neque ipse veniret, saltem ex vi præsentis decreti; sed homines fuerunt electi post Christum absolutè prævisum; siquidem fuerunt electi ex ejus meritis; ergo etiam fuerunt electi post prævisum peccatum in esse absoluto.

599. Secunda, quia si homines fuissent electi ante prævisum peccatum, sequeretur, quod, eo non commisso, tot salvarentur, quot modò salvantur; imò quod non alii, quàm ipsi, & cum iis gradibus gloriæ, quos modò habent; siquidem electio, ut diximus, & ipsi Adversarii fatentur, fuit determinata, tam quoad personas, quàm quoad gradus gloriæ. sequela autem est falsa; nam plures gradus, qui modò habentur, dependent à Sacramentis, & à Passione Christi, quæ tunc non darentur: Deindè si iidem, qui modò salvantur, tunc salvarentur, etiam iidem, qui modò damnantur, tunc damnarentur; siquidem cùm electi omnes essent prædestinati ad esse in eo signo electionis, ipsa bonorum electio esset malorum reprobatio negativa; sed hæc repugnant Sanctis Patribus asserentibus in statu innocentiæ, aut nullum, aut saltem pauciores esse damnandos ob majores vires spirituales, quas homines in eo statu haberent, & ob naturæ integritatem, qua modò destituuntur in statu naturæ lapsæ; ergo &c.

600. Tertia, quia multorum prædestinatio consequitur suum finem per media supponentia peccatum originale, ut patet in parvulis, qui per Baptismum, & in adultis, qui per martyrium salvantur, & in iis, qui Martyrum constantiâ excitantur, ut credant, & resipiscant; ergo eorum prædestinatio fuit post prævisum peccatum originale; ergo idem dicendum de prædestinatione aliorum electorum, cùm omnes fuerint electi in eodem signo, ut infra dicemus.

601. Oppositum tenent *Scot. in 1. dist. 41. q. unica & in 3. dist. 7. q. 3. & dist. 19. q. unica. Marsil. in 2. dist. 13. art. 1. dub. 4. Gabr. in 2. dist. 20. quæst. unica art. 1. Ægid. Hervæus, Eckius, P. Mol. 1. p. q. 23. art. 5. d. 1. memb. 7. P. Soar. de prædest. lib. 1 cap. 12. num. 8. & 11.* pro quibus: Argues 1. Electio hominum in nullo dependet à permissione, neque à prævisione peccati Adami; siquidem facta non fuit ratione, aut occasione peccati; ergo illud non supponit. Respondeo primò negando antecedens; nam cùm Incarnatio de facto fuerit occasione peccati, quatenùs prævisio peccati fuit ejus causa motiva, & hominum electio fuit dependenter ex meritis Christi prævisi, ut à causa meritoria, saltem remotè ipsa electio fuit etiam dependens à peccato; consequenterque sicut Incarnatio, ita & ipsa electio illud supponit. Respondeo secundò, quidquid sit de dependentia, falsò supponi, prioritatem inter actus divinos desumi tantùm ab illa, ut jam diximus. Patet, quia licet inter voluntatem inefficacem salvandi omnes, & efficacem salvandi electos, nulla detur dependentia, adhuc tamen inter illas datur prioritas, & posterioritas, ut supra diximus; ergo similiter dicendum de electione, & prævisione peccati ob rationes supra factas.

602. Argues 2. Angeli boni fuerunt electi ante prævisum peccatum malorum; ergo etiam homines prædestinati electi fuerunt ante prævisum peccatum Adami. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Angeli prædestinati cùm nullum contraxerint peccatum, non erat cur expectaret Deus malorum peccatum, ut eos eligeret: at verò homines, etiam prædestinati, cùm contraxerint peccatum originale, debuit Deus expectare ejus prævisionem absolutam, ut eos eligeret, sic enim eis majus beneficium conferebat, & majorem Misericordiam erga eos ostendebat, quatenùs indignos eligebat. Et hoc significarunt *D. Aug. lib. 2. contra duas epistol. Pelag. cap 7. & lib. de Prædest. & grat. cap. 3. & lib. 1. ad Simplician. q. 2. & in Enchirid. cap. 49. & D. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. ad 3.* dicentes homines prædestinatos à massa corruptionis fuisse liberatos.

603. Dices cum *P. Soar. cit. num. 11. D. Aug. & D. Thom.* locis citatis intelligendi sunt, non de electione post prævisum peccatum, sed per anticipationem ad peccatum, quatenùs illi electi sunt, qui futuri erant in massa perditionis, & ab illâ postea liberandi, ergo &c. Respondeo negando antecedens; talis enim explicatio violenta est, & contra mentem D. Thom. qui agebat de specificatione electionis juxta diversitatem termini *à quo*, consequenterque de ipso termino *à quo*, qui jam erat, nempè de peccato, & non de termino *à quo*, qui futurus erat.

604. Argues 3 Homines fuerunt electi in eodem signo cum Adamo; sed Adamus fuit electus ante prævisum originale; siquidem ante illud fuit ei collata gratia originalis, hæc autem erat effectus prædestinationis, ergo etiam alii homines ante illud fuerunt electi. Respondeo primò negando minorem; nam illa prima electio, ut jam diximus, fuit tantùm conditionata, si homo non peccaret, consequenterque inefficax in ordine ad gloriam, quia peccavit: nos autem loquimur de electione efficaci, in qua consistit prædestinatio, & hæc tam in Adamo, quàm in aliis hominibus facta fuit post prævisum originale. Respondeo secundò, admissâ minori, si loquamur de electione Adami inadæquatâ, negando consequentiam; *licet* enim sic fuerit electus inadæquatè ante prævisionem peccati; adæquatè autem fuit cum aliis simul hominibus electus post prævisum peccatum, ut infrà dicemus, nos verò loquimur de electione adæquata.

605. Argues 4. Divinæ congruebat Bonitati priùs nos eligere ad bonum, quàm permittere malum; ergo sic de facto nos elegit ante permissionem, & prævisionem peccati. Respondeo concedendo totum; Deus enim de facto priùs nos elegit in Adamo ut in capite ad gratiam originalem, quàm permiserit peccatum: & priùs nobis intendit gloriam per voluntatem illam generalem salvandi omnes, quàm permiserit nostrum malum, sive peccatum; nulla tamen ex illis electionibus fuit efficax, cùm Deus non teneretur sic nos eligere efficaciter; elegit autem quando voluit, & sic voluit eligere post peccatum ad ostendendam magis suam Misericordiam, & Bonitatem, quatenùs prout sic conferebat inimicis beneficium electionis.

606. Argues 5 Deus benè poterat prævidendo peccatum solùm in esse conditionato, hos tantùm eligere, quos modò elegit, & tunc iidem, qui modò salvarentur, sive postea esset, sive non esset peccatum; sic enim de facto nos elegit ad certos gradus gloriæ prævisis meritis solùm in esse conditionato; ergo ratio supra facta nulla est. Respondeo negando consequentiam; licet enim Deus absolutè loquendo sic potuisset eligere, cùm tamen ante hanc efficacem electionem ad gloriam decrevisset in illa prima voluntate generali omnes hos homines, qui de facto futuri sunt, si soli prædestinati

nati salvarentur, etiam omnes alii damnarentur, quamvis non esset peccatum originale, quod, manente statu innocentiæ, esset maxima indecentia, & maximum inconveniens respectu talis statûs, in quo haberetur donum integritatis, & non adeò urgerent tentationes. Accedit, quod gradus gloriæ non possent tunc esse iidem, qui modò sunt; siquidem modò plures correspondeant operibus ex opere operato ratione Sacramentorum, & meritorum Christi, quæ tunc non essent, sed solùm haberentur illi gradus gloriæ, qui tunc corresponderent operibus operantis.

607. Argues 6. Christus Dominus, & Beatissima Virgo fuerunt prædestinati ante prævisum peccatum originale; siquidem non poterat prævideri, ubi non erat futurum; sed reliqui homines fuerunt simul cum Christo, & Beatissima Virgine prædestinati; ergo &c, Respondeo negando majorem: neque enim Christus Dominus fuit prædestinatus, sicut neque Beatissima Virgo, nisi post prævisum peccatum in esse absoluto, ut patet ex supra dictis, & patebit ex dicendis; ita tamen ut non fuerint prædestinati post originale, quod illis inhæreret, sed quod suis inhæreret progenitoribus.

SECTIO XXVIII.

Vtrùm omnes homines, & etiam Beatissima Virgo, fuerint simul electi in eodem signo?

608. ADvertes hujusmodi quæstionem posse in triplici sensu excitari, & resolvi: Primò comparando Adamum cum illius posteris: Secundò comparando posteros inter se, exceptâ Beatissimâ Virgine: Tertiò comparando eosdem posteros cum Virgine Sanctissimâ. Hoc posito.

609. Dico 1. Adamus non priùs, sed simul cum aliis hominibus fuit efficaciter electus ad gloriam. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 12. n. 4. P. Tanner. de prædest. d. 3. q. 5. dub. 9. n. 2. P. Ruiz de prædest. d. 59. sect. 2. n. 3.* & alii. Probatur, quia in actibus divinis nulla est admittenda prioritas, & posterioritas, nisi detur aliquod fundamentum, aut ad illos constituendos in diversis signis; aut ad considerandam aliquam dependentiam, vel congruentiam ex parte objecti; sed hìc nullum datur fundamentum, neque ad constituendam electionem Adami, & aliorum hominum in diversis signis; neque ad considerandam aliquam dependentiam, aut congruentiam inter gloriam Adami, & gloriam aliorum hominum; siquidem neque fuerunt intentæ in diversis signis; neque gloria Adami fuit causa, aut ratio, aut occasio dandi gloriam aliis hominibus; ergo &c.

610. Argues: Caput semper consideratur ante membra; sic enim Christus Dominus, quia erat caput morale aliorum prædestinatorũ per influxum gratiæ, & gloriæ, ante illos fuit prædestinatus, ut diximus; sed Adamus prædestinatus fuit etiam caput morale aliorum hominum in ordine ad transfundendam gratiam, & gloriam, si observaret præceptum; ergo ante illos fuit electus. Respondeo primò ad minorem, Adamum fuisse constitutum caput hominum, sed solùm quoad gratiam propriam statûs innocentiæ, quæ cùm non fuerit efficax in ordine ad gloriam in re consequendam, ideò eam amisit, consequenterque ipsam rationem capitis, cujus loco constitutus est Christus secundus Adamus de cœlo cœlestis, qui solus de facto est caput morale omnium hominum quoad supernaturalia, ipso primo Adamo manente capite solùm quoad naturalia, & privationem gratiæ, ex quo omnes nascimur filii iræ; sicque non est cur ipse Adamus sit priùs electus ob ipsam rationem, sed satis est, quod fuerit simul electus cum aliis ut membrum cum illis ejusdem capitis Christi.

Respondeo secundò, negando majorem; falsò 611. enim supponitur solam rationem capitis præcisè sumptam sufficere ad inducendam prioritatem, imò potiùs inducere simultatem cum membris, ut cum illis constituat integrum corpus. Undè ad probationem dicimus, Christum Dominum fuisse quidem priùs electum, non tamen ex eo præcisè, quod fuerit caput morale hominum, sed quia illis meruit electionem; causa autem meritoria semper est prior, utpotè efficiens, & influens moraliter.

Dico 2. Omnes alii homines fuerunt etiam in 612. eodem signo sine ulla prioritate electi. Ita *P. Soar. & P. Tanner. cit.* Probatur primò, quia etiam inter illos nullum datur fundamentum, ut dicamus eos electos fuisse in diversis signis; neque ulla dependentia, aut congruentia, quæ possit considerari ex parte objecti; sed ex hac ratione diximus, Adamum, non priùs, sed simul cum aliis fuisse electum; ergo &c.

Probatur secundò, quia si daretur prioritas in- 613. ter electiones aliquorum ad gloriam, etiam daretur inter electionem unius, & electionem alterius; sed hoc non est dicendum; siquidem ad id necesse erat, ut gloria unius haberet se per modum finis respectu alterius, cùm ordo intentionis sit secundùm rationem finis, & mediorum; unus autem electus, aut ejus gloria non est finis gloriæ alterius, cùm omnes sint ejusdem ordinis, & immediatè subordinati ad Christum, & Deum juxta illud 1. Cor. 3. 23 *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*; ergo &c.

Probatur tertiò, quia Deus intendit prædesti- 614. nationem electorum per modum unius corporis, regni, & civitatis juxta illud ad Rom. 12. 5. *Multi unum corpus sumus in Christo.* Et Apoc. 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum.* Et Apoc. 21. 2. *Vidi sanctam Civitatem Jerusalem*: idque sub uno capite, & Rege Christo; ergo similiter intendit omnia membra, ex quibus ipsum corpus constat, & qui ut cives per se ad idem regnum, & civitatem pertinent.

Dices: Aliqui justi fuerunt causa, ut alii salva- 615. rentur, & nascerentur; sic enim oratio D. Stephani fuit causa ut D. Paulus converteretur, & salvaretur, adeò ut D. Aug. dicat, non salvandum Apostolum, nisi Stephanus pro illo orasset: sic etiam interceſſio D. Nicolai Episcopi fuit causa ut nasceretur, & salvaretur D. Nicolaus Tolentinus; sicque de aliis; sed omnis causa est prior suo effectu; ergo illi fuerunt priùs electi. Respondeo negando consequentiam; solùm enim probat argumentum, dari aliquam prioritatem inter actus divinos versantes circa media ad salutem in ordine ad ejus executionem: non ita verò inter actus versantes circa finem, nempè gloriam, quam Deus omnibus simul intendit; neque enim gloria D. Pauli fuit dependens ab oratione D. Stephani, sed Deus eum absolutè elegit ad illam, licet in executione assequendam media illa oratione; sicque de aliis.

616. Dico 3. Virgo Sanctissima electa fuit ad gloriam in eodem signo cum aliis prædestinatis. Ita *P. Soar. P. Tanner. P. Ruiz cit.* quatenùs dicunt, omnium electionem (uno excepto Christo Domino) fuisse in eodem signo. Probatur, quia gloria aliorum prædestinatorum nullam habet dependentiam causæ, neque finalis, neque meritoriæ, neque exemplaris à gloria Virginis Sanctissimæ; siquidem nostra gloria, neque est propter gloriam Virginis tanquam propter finem; neque ex illa, tanquam ex causa meritoria; neque ad instar illius tanquam ad exemplar; sed ubi nulla datur dependentia, aut congruentia ex parte objecti, nulla datur prioritas, & posterioritas in actibus divinis; ergo neque sic dabitur in electione Virginis Sanctissimæ comparatâ cum electione aliorum hominum.

617. Oppositum tenet *P. Salazar de Concept. Virginis*, & aliqui Recentiores: pro quibus: Argues 1. Ecclesia accommodat Virgini Sanctissimæ illud Prov. 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Et illud Ecclesiast. 24. 5. *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Et infrà 9. *In omni populo, & in omni gente primatum tenui.* Et infrà 14. *Ab initio, & ante sæcula creata sum*; sed hæc, & similia testimonia non procedunt de productione Virginis in tempore, ut per se notum est; ergo de ejus electione, quæ cùm fuerit aliarum electionum initium, non potuit non esse priùs. Confirmatur authoritate Patrum, nam *D. Bernardin. Senens. serm. 15. de Beata Virgine*: *Tu*, inquit, *ante omnem creaturam in mente Dei prædestinata fuisti.* Et idem significant D. Anselm. Rupert. & alii.

618. Respondeo illa verba in solo sensu allegorico accommodari Virgini Sanctissimæ, sicque sumenda non esse pro omnimoda prioritate, sed tantùm quod fuerit ab æterno electa; utrùm verò fuerit in hoc, aut in illo signo, non resolvunt Patres, sed relinquunt Theologis resolvendum juxta majorem congruentiam. Illi autem Patres explicari debent (sicut etiam explicari possunt citata Scripturæ loca, aliaque similia,) de antecedentia Virginis secundùm dignitatem, & excellentiam, ut supra dictum est respectu Christi Domini juxta modum loquendi Scripturæ, quæ *Joan. 1. 30.* de Christo: *Qui*, ait, *ante me factus est, quia prior me erat*; & tamen Christus fuit conceptus, & natus post Joannem, qui hæc de illo dicebat. Addo, dici etiam posse Sanctos Patres locutos fuisse de antecedentia Virginis respectu actualium productionum aliarum creaturarum, quasi dicerent, electionem Virginis non fuisse de novo, & in tempore factam post existentiam aliarum creaturarum, sed ab æterno, & ante omnium illarum existentiam.

619. Argues 2. Virgo Sanctissima simul cum Christo meruit electionem omnium prædestinatorum, illa de congruo, Christus autem de condigno; sic enim constat ex *Arnold. Carnot.* quatenùs dicit, Virginem juxta Crucem *Redemptionis nostræ consummare Mysterium*: & ex *Guillel. in Cant.* aliisque Patribus apud *P. Salazar. cit.* asserentibus Virginem simul *commoriendo Christo martyrem fuisse*, & simul cum illo redemisse mundum, quatenùs cum illo pro hominibus mortuo simul mortua quodã modo fuit; sed omnis causa est prior suo effectu, & ad illum præsupponitur; ergo etiam electio Virginis fuit præsupposita ad electionem aliorum electorum; neque enim eis meruit electionem, nisi per merita supernaturalia, & hæc supponebant jam electionem ipsius Virginis ad gloriam in intentione.

Respondeo negando majorem; non enim constat de tali merito Virginis, neque ab Scripturis, neque à Conciliis. Ad probationem dicimus, eos Patres (sicut & alios, si qui sunt alii) locutos fuisse in sensu minùs proprio, quatenùs scilicet, nobis dedit Filium Redemptorem nobis electionem illam merentem; non autem quod nobis in rigore meruerit illam per sua merita, aut nos redemerit; alioqui cùm ipsa sit etiam electa, & redempta, etiam ex propriis meritis esset electa, & se ipsam redimeret, quod illi non admittunt. Accedit, quod etiam contra ipsos Patres sint alii, qui clarè dicunt, Virginem Sanctissimam fuisse eodem actu simul electam cum aliis hominibus, ut patet ex supra dictis. 620.

Argues 3. Medium fini propinquius debet semper priùs eligi; sed Virgo fuit medium propinquius ad Christi gloriam consequendam, ut finem proximum, utpotè ejus Mater; & ad Dei gloriam, ut finem remotum ob singulares excellentias à Deo acceptas, & incomparabilem excessum supra omnes alias creaturas; ergo debuit priùs eligi. Respondeo distinguendo majorem: debet semper priùs eligi, si sit medium propinquius in ratione causalitatis finalis, aut alicujus subordinationis; concedo majorem: in ratione soliusexcellentiæ, & naturæ; nego majorem: Virgo autem, licet sit propinquior gloriæ Dei, & Christi Filii ratione excellentiæ, & naturæ; non ita est in ratione alicujus causalitatis, quam exerceat circa gloriam aliorum hominum; neque enim est causa meritoria illius quoad primam electionem, neque ejus finis, neque ipsa hominum gloria ipsius Virginis gloriæ in aliqua ratione subordinatur, sicque non est cur in illa admittamus eam prioritatem. 621.

Instabis: Virgo Sanctissima dicitur causa impetratoria nostræ salutis; multi enim illius precibus, & intercessione salvantur, & speramus salvari; ergo sub hac ratione electio nostra illius electioni subordinatur; consequenterque fuit priùs electa. Respondeo Virginem Sanctissimam dici quidem causam impetratoriam nostræ salutis, in ordine tamen executionis, sive salutis in re consequendæ; non verò in ordine intentionis, ac primæ electionis, sive gloriæ primò intentæ. Undè si ex nostra salute maxima in ipsa Virgine resultat gloria, quatenùs ipsius intercessione salvamur, ideò est, quia ipsa fuit præcipuum medium à Deo electum, & præparatum, ut per ipsam Virginem gloriam in executione assequamur, & non quia aliquo modo fuerit causa nostræ primæ electionis ad gloriam. 622.

Argues 4. Ex P. Soar. & communi Theologorum constat mensuram privilegiorum Virginis esse Divinam Omnipotentiam juxta illud Luc. 1. 49. *Quia fecit mihi magna qui potens est*; sed quod sit priùs electa non est privilegium excedens Omnipotentiam Divinam; cùm jam fuerit concessum Christo Domino: imò videtur concessum ipsi Virgini, de qua dicit Ecclesia illud: *Elegit eam Deus, & prælegit eam*; ergo &c. Respondeo majorem esse veram de privilegiis, quæ fundantur in aliquo, quod quasi debitum convenit Virgini; non ita tamen de aliis, quæ sic non fundantur; siquidem non omne privilegium possibile ei conceditur: cùm autem illa prioritas non fundetur in aliquo, quod Virgini debeatur, sed in dependentia, aut subordinatione unius electionis ab alia, & hæc non detur in electione, sive gloria aliorum prædestinatorum respectu electionis, sive gloriæ Virginis, ideò 623.

ideò in ea non debet admitti illa prioritas electionis, licet admittatur in Christo, quatenùs nobis meruit ipsam electionem, & erga illum datur ea dependentia. Accedit, quod illa prioritas non est tantæ excellentiæ, ut necessariò debeat admitti in Virgine, cùm etiam in Christo non admittatur respectu Angelorum, prout supra diximus; & si in eo admittitur respectu hominum, non ideò est, quia magnam continet excellentiam, sed quia ibi datur supra dicta dependentia. Ad illud, quod de Beatissimâ Virgine canit Ecclesia dicimus, intelligendum esse de prælectione ad singulares excellentias, ad quas Deus præ aliis elegit Virginem Sanctissimam.

624. Argues 5. Homines fuerût electi ex meritis Christi absolutè futuris, & in particulari clarè, ac distinctè prævisis; sed talia merita ut sic supponunt existentiam Christi, & hæc existentiam Virginis, quæ est ejus Mater; ergo etiam electio hominũ supponit electionem Virginis, cum Virgo non fuerit electa ad esse sine electione ad gloriam. Respõdeo primò argumentum, si valet, etiam probare, Virginem non fuisse electam ex meritis Christi; siquidem hæc supponunt existentiam Christi, & existentia Christi supponit existentiam, consequenterque electionem Virginis; sed hoc non probat, ut ipsi Adversarii non admittunt; ergo neque illud, quod intendit.

625. Respondeo secundò, homines fuisse electos ex meritis Christi prævisis quoad substantiam, non tamen quoad omnes circumstantias in particulari, per quas postea in effectu consecuti sunt gloriam: merita autem Christi quoad substantiam supponunt etiam existentiam Christi quoad substantiam tantùm, & non quoad omnes ejus circumstantias in particulari, quarum una est existentia Virginis ut Matris.

626. Instabis: Christus Dominus fuit prædestinatus ad esse, ut Filius Virginis, & ut talis nobis meruit electionem ad gloriam; sed non potuit intelligi Filius Virginis, quin simul intelligeretur existens Virgo Mater; siquidem relatio Filii, & Matris sunt simul naturâ, & supponunt extrema existentia; ergo &c. Respondeo negando majorem; nam Christus fuit primò prædestinatus ad esse ut hic homo tantùm, & nos fuimus electi etiam primò ex meritis ipsius Christi, ut erat hic homo, qui prout sic non supponit Virginem Matrem, sed solùm supponitur productus per primam actionem independenter à Matre, licet postea sit decretus, & intelligatur productus per aliam actionem dependenter à Matre, ut ejus Filius, prout alibi diximus, & suo loco dicemus.

627. Argues 6. Virgo Sanctissima priùs fuit electa ad gloriam, quàm ad Maternitatem; sed priùs fuit electa ad Maternitatem, quàm alii ad gloriam; ergo à fortiori priùs fuit electa ad gloriam, quàm alii ad gloriam fuerint prædestinati. Respondeo negando minorem; nam si alii fuissent ad gloriam electi post electionem Virginis ad Maternitatem, essent etiam ad illam electi ex meritis Christi ut Filii Virginis, contra id, quod modò diximus. Unde post electionem Christi Domini ad gloriam ut caput, omnes alii fuerunt simul cum Virgine Sanctissima electi ex meritis ipsius Christi ad gloriam in effectu consequendam per propria merita, quæ cùm in Virgine Sanctissima jam essent merita Matris, ideò illam ad longè excellentiorem gloriam supponerent electam, & post talem electionem simul cum aliorum electione factam, statim fuit Virgo Sanctissima electa ad dignitatem Matris habendam etiam per sua merita jam tunc conditionatè prævisa, ut patet ex illo Ecclesiæ: *Ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, &c.* sicque Virgo Sanctissima non fuit priùs aliis electa ad gloriam.

628. Instabis: Finis semper intenditur priùs, & postea eliguntur media: sed finis omnium perfectionum, & gratiarum Virginis fuit Maternitas; siquidè propter illam sunt ei collatæ omnes aliæ excellentiæ, & illa ad hunc gratiæ, & gloriæ cumulum evecta est, non ut fœmina tãtùm, sed jam ut Matèr; ergo priùs electa fuit ad Maternitatem. Respondeo ad minorem, Maternitatem esse tantùm finem medium, finis enim ultimus fuit gloria, ad quam fuit electa. Undè argumentum solùm probat, fuisse priùs electam ad dignitatem Matris, quàm ad gratiam, & alia dona, quæ sunt media ad illam assequendam; non tamen fuisse priùs electam ad ipsam Maternitatem, quàm ad gloriam; hæc enim, cùm sit finis ultimus, priùs fuit intenta; neque Virgo ad illam fuit electa propter Maternitatem, sed propter gloriam Dei.

SECTIO XXIX.

Vtrùm Deus præparaverit media necessaria ad salutem infallibiliter consequendam?

629. ADvertes media ad salutem consequendam alia esse communia, & alia particularia: Communia sunt, quæ toti communitati præparantur, ut sunt respectu Angelorum omnes gratiæ, & auxilia eis data; & respectu hominum sunt Baptismus, & alia Sacramenta, prædicatio Evangelii cum præparatione auxilii interni necessarii ad fidem obtinendam; inter quæ numerari potest gratia originalis data toti communitati in primo parente ante lapsum. Particularia sunt, quæ cuilibet in particulari, & non omnibus æqualiter præparantur, & hæc sunt in duplici genere: Primi generis sunt, quæ fiunt à solo Deo sine cooperatione liberi arbitrii; qualia sunt prima vocatio, sanctificatio in utero matris, auxilia prævenientiâ, quæ Deus hominibus confert absque ullo eorum merito, ac dispositione, & similia, ad quod genus pertinet etiam effectus quidam singularis Providentiæ Dei, quam Deus singulariter exercet circa electos, ut auferre occasiones peccandi, & offerre occasiones merendi. Secundi generis sunt, quæ fiunt à Deo, dependenter tamen à libera cooperatione voluntatis, qualia sunt omnes actus humani supernaturales, ad quos spectant omnes effectus, qui ab illis dependent, ut est remissio peccati in adulto, &c. Deindè inter hæc sunt alia, quæ non supponunt peccatum necessariò, ut sunt actus Fidei, Spei, Charitatis, &c. & alia, quæ illud necessariò supponunt, aut proprium, ut pœnitentia, aut alienum, ut martyrium. Hoc posito.

630. Difficultas 1. Utrùm omnia hæc media sint electis præparata? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 13. à n. 1.* & alii. Probatur, quia Angelis, & hominibus electis fuerunt hujusmodi media præparata; siquidem Angeli secundùm probabilem sententiam per gratias, & auxilia eis in instanti suæ creationis data, ita fuerunt prævenți, ut pro eo non peccarent, imò ita fuerunt excitati, ut infallibiliter converterentur ad Deum, disponendo se

ad gratiam sanctificantem, & merendo primam gloriam; quod autē hominibus sint præparata alia media docet fides, & ex dicendis constabit; ergo &c. Quomodò autem Deus potuerit præparare ex se saltem illa media, quæ pendent à libero arbitrio sine ejus læsione? Infrà dicemus.

631. Difficultas 2. Utrum inter electiones mediorum detur aliquis ordo prioritatis? Affirmativè. Ita *D. Aug. lib. de bono persever. cap. 14. & cum eo P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 13. n. 7.* Probatur primò, quia ideò inter intentionem finis, & electionem mediorum datur ordo prioritatis, & posterioritatis, quia datur dependentia mediorum à fine in ordine ad tales actus voluntatis; sed hæc dependentia datur etiam inter unum, & alterum medium; siquidem actus liber meritorius dependet à prima vocatione; justificatio ab actu libero meritorio; perseverantia in gratia à justificatione; consecutio gloriæ ab ipsa perseverantia, quod significavit D. Aug. loco citato, quatenùs dixit, Deum velle talem vocationem dare, quia vult dare fidem; ergo &c.

632. Probatur secundò, quia ut media inserviunt ad finem, ita intenduntur; sed inserviunt ad finem per priùs, & posteriùs, cùm alia sint fini propinquiora, & alia remotiora; nam gloriæ propinquior est gratia finalis, deindè justificatio, postea actus liber meritorius, & tandem vocatio; ideoque in ordine executionis incipitur à prima vocatione usque ad gloriā ut finem; ergo eodem ordine, quo sunt propinquiora, intenduntur, sicque per priùs, & posteriùs. Confirmatur primò ex illo ad Rom. 8. 30. ibi: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit*: ubi prædicta media significavit per priùs, & posteriùs in ordine ad finem. Secundò in Angelis bonis, nam quia à Deo sunt electi ad tantam gloriam, ideò ab eo ordinati sunt, ut in tota via tantam haberent gratiam, & ut hanc haberent, elicerent tales, ac tales actus meritorios, & ut hos elicerent, acciperent talem, ac talem modum illuminationis, ac inspirationis; ergo inter ipsa media fuit ordo prioritatis.

633. Objicies 1. Media illa ita sunt inter se connexa, ut mutuam habeant dependentiam; sed ubi hæc datur, unico & eodem actu res amantur; ergo sic amantur illa media; consequenterque nullus datur ordo prioritatis, & posterioritatis inter decreta divina. Respōdeo 1. negando majorem; licet enim in ordine intentionis medium remotius pendeat à propinquiore, non ideò hoc pendet ab illo in eodem ordine, v. g. si prima vocatio ideò fuit electa, quia fuit intenta justificatio; non tamen è contra ideò fuit intenta justificatio, quia fuit electa prima vocatio: undè si postea in ordine executionis justificatio jam pendet à prima vocatione, parùm refert, quia est in diverso genere. Addo neque in ordine executionis ipsam justificationem pendere per se ab hac numero prima vocatione, sed per accidens; siquidem eadem poterat haberi ab hac, aut ab illa primâ vocatione.

634. Respondeo secundò, data majori, negando minorem; neque enim mutua connexio, aut dependentia duorum objectorum officit multitudini, & prioritati actuum voluntatis; nam licet tunc volitio formalis unius sit volitio virtualis alterius, & indirecta, hoc non tollit, quominùs dari possit alia ejus volitio formalis, & directa diversa, & posterior. Patet in intentione finis, & formali electione medii unici, in quibus datur illa diversitas, & prioritas; cùm tamen detur similis connexio, & dependentia, & illa formalis intentio finis sit etiam volitio virtualis, & indirecta talis medii.

635. Objicies 2. Deus priùs nobis elegit gratias congruas, quàm actus liberos ab illis dependentes; alioqui offenderetur libertas; sed actus liberi propiùs accedunt ad gloriam; siquidem sunt dispositiones ad gratiam, & meritorii ipsius gloriæ; ergo jam non priùs eligitur medium propinquius fini, quàm remotius. Respondeo primò negando majorem, ad cujus probationem dicimus minimè offendi libertatem ex prima prædefinitione actuum liberorum, suppositâ Scientiâ Mediâ, ut infrà videbimus; & aliundè connaturalius est, quando nullum datur inconveniens, quod operans propter finem priùs intendat, ut Deus intendit, medium propinquius ipsi; nam sicut hoc pendet à fine, ita etiam ab eo pendet medium remotius in ordine intentionis; cùm autem in ordine executionis medium remotius sit connaturaliter prius; in ordine intentionis est etiam connaturaliter posterius.

636. Respondeo secundò data majori, & minori, negando consequentiam; ex illis enim solùm sequitur priùs esse eligenda auxilia efficacia, quàm actus liberos propter illam specialem rationem, nempè quod offenderetur libertas: at verò cùm in aliis mediis non militet ipsa ratio, neque detur illud inconveniens, ideò in illis dicendum est priùs esse eligenda media propinquiora, quàm remotiora ob supra dictam dependentiam.

637. Difficultas 3. Utrùm electio illa mediorum fuerit in particulari, certa, & determinata, non autem in confuso, indeterminatè, ac disjunctivè? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 13. n. 5. D. Greg. Magn. lib. 12. Moral. cap. 1. D. Aug. D. Fulgent. Concil. Valent. cap. 3.* quos citat, & sequitur *P. Vasq. hîc d. 87. cap. 1. n. 8. & d. 99. cap. 5. n. 33.* Probatur primò, quia Deo tribuendus est perfectior modus operandi; sed modus operandi circa singula media in particulari certè, ac determinatè est perfectior, quàm modus operādi circa aliqua in confuso, indeterminatè, ac disjunctivè, nempè dicens, si hoc medium non habuerit effectum, eligam aliud, aut aliud, si hoc effectum non habuerit; sic enim solùm operatur, qui ignorat cujusnam efficaciæ sit primum medium, quam ignorantiam non debemus Deo tribuere; ergo neque illi tribuendus est talis modus operandi.

638. Probatur secundò, quia Deus ita voluit operari ab æterno, ut operatur in tempore; alioqui haberet in tempore novam voluntatem, quam non habuisset ab æterno; consequenterque mutaretur; sed Deus in tempore vult dare media in particulari certa, & determinata; ergo sic ea intendit, & voluit ab æterno; alioqui aliter intenderet, & aliter exequeretur. Confirmatur, quia electio mediorum ita sequitur ex efficaci intentione finis, ut assecutio ipsius finis sit omninò infallibilis; aliter non esset efficaciter intentus; sed non sic infallibiliter assequeretur, si electio mediorum solùm esset in confuso, vaga, & indeterminata; siquidem, cùm unum, sicut & alia media frustrari possent, solùm haberet certitudinem ex multitudine, & quasi vicissitudine mediorum, sicque merè contingenter assequeretur; ergo &c.

639. Oppones 1. *D. Thom. q. 6. de Verit. art. 3.* indicat, certitudinem prædestinationis consistere in eo, quod Deus præparet tot media, ut prædestinatus, aut non cadat, aut si ceciderit, resurgat; ergo non ei præparat certum, & determinatum medium, sed unum,

unum, aut alterum indeterminatè, quousque tandem aliquod habeat effectum. Respondeo cum *P. Soar. cit.* D. Thom. non asserere, quod Deus elegerit media in confuso, & indeterminatè, sed tantùm quod pro servanda nostra libertate, aliavè ob motiva, quæ Deus ipse scit, elegerit prædestinatis media inefficacia, & in eorum defectu eis præparaverit alia etiam inefficacia, ac tandem efficacia, omnia tamen in particulari, certa, ac determinata, cognoscendo omnem eorum effectum, nè dicamus casu, & fortuitò operari.

640. Oppones 2. Si Deus nobis eligeret medium certum, ac determinatum, impediret nostram libertatem, cùm non possemus aliud, nisi hoc eligere; sed hoc implicat; ergo &c. Respondeo negando majorem: talis enim electio fieret, aut ante, aut post prævisum nostrum consensum absolutum: si ante, salvatur libertas propter Scientiam Mediam, quam supponit, & præparationem concursûs indifferentis: si post, nullum est inconveniens, quod aliquo modo offendatur libertas; siquidem hujusmodi necessitas est tantùm subsequens, quæ non tollit libertatem antecedentem. De hoc tamen infrà.

SECTIO XXX.

Virùm Deus media Prædestinationis prædefiniverit, & qualia?

641. ADVERTES prædefinitionem, de qua hîc sermo est, accipiendam esse per modum intentionis, sive actûs efficaciter intendentis suum effectum, non autem per modum alicujus qualitatis physicæ prædeterminantis; siquidem hæc impediret, & omninò tolleret libertatem creatam, ut jam alibi diximus in Philosophia *tom. 2. tract. 2. d. 5. à n. 129* & fortasse alio in loco dicemus. Undè prædefinitio, de qua in præsenti, importat decretum Dei liberum, per quod ab æterno statuit efficaciter, ut aliquid extra se ipsum fieret in tempore. Particula *præ* dicit antecedentiam, non solùm illam, quâ esse futurum antecedit ab æterno existentiam temporaneam, sed etiam illam, quâ res antecedit suum esse futurum absolutum, & ejus præscientiam divinam absolutam in æternitate; sicque in præsenti inquirimus, An Deus decreverit media necessaria ad salutem, antequam eorum esse futurum absolutum videret, & ipsa illud haberent? Cùm tamen hujusmodi media, prout supra diximus, alia à solo Deo, & alia à Deo simul & à nobis dependeant, quid à nobis tenendum, duabus sequentibus conclusionibus resolvemus: Sit igitur:

642. Conclusio 1. Utrùm Deus ab æterno prædefinierit efficaciter media illa prædestinationis, quæ ab eo solo dependent, & fiunt? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 13. n. 3. P. Arriaga de prædest. d. 32. sect. 3. n. 25.* Probatur, quia hæc media non dependent, ut supponimus, neque à merito, neque à dispositione nostra, sed totaliter à solo Deo; ergo poterit ille sine ulla repugnantia quando, & quomodo voluerit prædefinire; ac proindè ab æterno ante eorum esse absolutum, & nostrum liberum arbitrium. Confirmatur, quia cùm hujusmodi media sint effectus Dei ad extra, debuit Deus ab æterno ad illos se determinare; alioqui maneret circa illos suspensus, & indeterminatus, daretúrque in Deo suspensio actûs; sed Deus non se determinat, nisi per voluntatem efficacem; quæ cùm antecedat esse absolutum rei, non potest non esse ejus prædefinitio; ergo &c.

Adverte de his mediis, quæ à solo Deo pendent 643.
nullam esse difficultatem, ut ait P. Soar. cit. sed totam versari circa media, quæ pendent à nostro libero arbitrio, quales sunt ordinariò actus liberi boni, qui cùm sint in duplici differentia; alii enim sunt ita boni, ut sint omninò independentes à peccato; alii verò ita sunt boni, ut illud essentialiter supponant, de primis in præsenti, de aliis autem in sequenti sectione dicendum: Sit igitur.

Conclusio 2. Utrùm Deus prædefinierit actus 644.
bonos liberos independentes à peccato antecedenter ad nostrum consensum liberum absolutè prævisum, & ante eorum esse absolutum? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 13. n. 10.* ubi citat *D. Aug. lib. de prædest. Sanctor. cap. 10. & lib. de bono persever. cap. 9. & D. Thom. 1. p. q. 23. & 1. 2.* tenent etiam *P. Amicus de prædest. d. 14. sect. 5. n. 150. P. Arrub. P. Tanner.* & alii. Probatur primò ex illo ad Ephes. 2. 10 ibi: *Creati in Christo JESU in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Ad quæ verba D. Aug. *lib. de prædest. sanctor. cap. 10. Quod ait Apostolus*, inquit, *Creati in Christo JESU in operibus bonis, gratia est; quod autem sequitur; quæ præparavit Deus, ut in eis ambulemus, prædestinatio est.* Et D. Fulgent. *lib. 1. ad Monim. Bona opera nostra*, ait, *Paulus à Domino asserit præparata, hoc est, in prædestinatione dispositа.* Et infrà: *Sicut præparata est per prædestinationem voluntas à Domino, quâ bonum velimus; sic etiam bona opera præparavit Deus, ut in eis ambulemus.* Et D. Prosper. *lib. 2. de Vocat. gent. cap. 35.* aliàs 10. *Deus*, ait *his, quos eligit sine meritis, dat undè ornentur & meritis.* Idem habet D. Thom. ad eadem verba Apostoli, ex quibus, & Sanctorum Patrum expositionibus adductis satis constat, Deum electis prædefinire, (quod idem est ac præparare,) actus bonos supernaturales non supponentes peccatum antecedenter ad eorum consensum liberum, & ipsorum actuum esse absolutè prævisum; ergo &c.

Probatur secundò rationibus: Prima, quia talis 645.
prædefinitio est valdè consentanea perfectioni Providentiæ Divinæ, & amori speciali, quo Deus prosequitur suos electos, & aliundè non lædit eorum libertatem, ut patet ex dictis de electione efficaci ad gloriam ante eorum merita absolutè prævisa; ergo admittenda est in Deo. Confirmatur, quia ut se habuit Voluntas Divina ad nostram salutem, ita se habuit ad media requisita ad illam; nam ubi nulla reperitur repugnantia, proportionari debent voluntas finis, & voluntas mediorum; sed Voluntas Divina prædefinivit nostram salutem ante nostram liberam determinationem, & ejus esse absolutum prævisum; ergo sic etiam prædefinivit media omnia ad illam requisita; cùm in hoc nulla appareat manifesta repugnantia.

Secunda, quia Deus, ut constat ex conclusione 646.
proximè apposita, & ipsi Adversarii concedunt, prædefinivit nobis auxilia congrua; sed de lege ordinaria non potuit sic prædefinire, quin etiam prædefiniret bona opera; siquidem hæc habent rationem finis, & illa habent rationem mediorum; priùs autem intenditur finis, quàm medium, quod cùm in executione sit prius, debet esse in intentione posterius; ergo etiam illa prædefinivit. Confirmatur, quia ut supra diximus, qui intendit efficaciter aliquem finem, priùs intendit medium propinquius ipsi fini, quàm remotius; sed Deus ut finem intendit electis efficaciter salutem, cui sunt

sunt propinquiora media actus liberi meritorii, alii enim, quibus Deus solus eos excitat, sunt media remotiora; ergo priùs illos intendit efficaciter; sed talis intentio efficax est eorum prædefinitio; ergo &c.

647. Tertia, quia Deus aliquando nobis promittit nostros actus bonos, ut patet ex illo Ezech. 36. 27. ibi: *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini*; sed qui aliquid promittit efficaciter, habet voluntatem antecedentem dandi illud, quod promittit; promissio enim antecedit rem promissam; siquidem non ideò promittitur, quia res fiet, sed ideò res fiet, quia promittitur; ergo Deus habuit voluntatem antecedentem, seu intendentem ipsos actus; consequenterque eos prædefinivit, idque ante eorum consensum, & esse absolutum.

648. Dixi *ante eorum consensum, & esse absolutum*, quia debuit præcedere eorum esse conditionatum, & eorum scientia Conditionata; alioqui tolleretur libertas, ut benè P. Amicus cit. & alii notant, exceptis Thomistis. Patet, quia cùm prædefinitio divina sit infallibilis, si antecedat omnem prævisionem actûs, non relinquet causam proximam indifferentem ad operandum, sed necessariò illam determinabit, & compellet ad operationem, ita ut cõsensus maneat infallibilis solùm ex parte ipsius prædefinitionis, & nullo modo ex parte voluntatis creatæ, ut fit quando præcedit esse conditionatum, & ejus scientia Conditionata, & est necessarium, ut salvetur libertas in operando juxta ea, quæ supra diximus de electione efficaci ad gloriam ante prævisa merita in esse absoluto, prævisa tamen in suo esse conditionato, & suppositâ eorum scientiâ Conditionatâ.

649. Oppositum tenent *P. Vasq. 1. p. d. 99. cap. 7. à n. 41. P. Alarcon. de prædest. d. 1. cap. 6. num. 6. P. Martinon. de prædest. d. 19. in Appendice n. 74. P. Herice tract. 1. d. 7. cap. 5. n. 28. P. Less. P. Molin.* & alii: pro quibus: Objicies 1. Ex illo Ecclesiastici 15. 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui*; sed non ita relinqueret, si ejus actus prædefiniret; ergo &c. Respondeo negando minorem; adhuc enim homo, positâ prædefinitione, manet liber ad illos actus efficiendos, aut non efficiendos, cùm illa prædefinitio supponat Scientiam Mediam, & non influat, nisi per media, quæ libertatem non impediunt.

650. Objicies 2. D. Damascen. *lib. 2. de Fide cap. 30.* dicit (& idem docent alii Patres,) Deum omnia præscire, sed non omnia prædefinire; præscit enim omnia, quæ sunt in nostra potestate, & arbitrio, & ea non prædefinit; ergo &c. Respondeo D. Damascen. & alios Patres loqui de prædefinitione determinante per qualitatem physicam: aut de prædefinitione absolutissima independente omninò â Scientia Media, & auferente decretum conditionatum concurrendi, si voluntas creata se determinarit, & ponente aliud decretum absolutum dicens, velit, nolit voluntas operabitur: non autem loqui de prædefinitione, de qua hîc est sermo, & non tollit libertatem, sicut illæ tollerent.

651. Objicies 3. Illa prædefinitio induceret necessitatem antecedentem; necessitatem, quia non posset non adimpleri; antecedentem, quia antecederet determinationem voluntatis; sed necessitas antecedens tollit libertatem; ergo &c. Respondeo negando majorem; ut enim induceret necessitatem illam, quæ tolleret libertatem, debebat antecedere omnem consensum, & nullo modo ei accommodari; non autem sic antecedit, cùm supponat consensum conditionatum, & ei accommodetur; ac proindè solùm inducit necessitatem aliquo modo consequentem, quam potiùs appellamus infallibilitatem, cùm non sit omninò antecedens, utpotè supponens consensum conditionatum; neque sit omninò consequens, utpotè quæ non supponit consensum absolutum. Patet in auxilio efficaci à Deo dato, ut efficaci, quod non potest non habere effectum; & tamen licet antecedat consensum absolutum, non inducit necessitatem omninò antecedentem, quia supponit esse conditionatum, & Scientiam Mediam, eique accommodatur propter quam inducit necessitatem aliquo modo consequentem, quam potiùs appellamus infallibilitatem.

652. Inferes: Ergo cùm illa prædefinitio accommodetur libertati creatæ, non erit omninò efficax, poteritque frustrari. Respondeo non esse efficacem immediatè, sed tantùm mediatè, id est, mediis auxiliis, per quæ influit; siquidem per illam dicit Deus, volo efficaciter contritionem v. g. per tale auxilium, ut video per Scientiam Conditionatam, voluntatem creatam velle illam, quæ cùm per tale auxilium velit liberè talem contritionem, etiam eam vult Deus ut liberam; sicque mirum non est, quod habeat præparatum concursum ad oppositum; alioqui non esset velle efficaciter contritionem ut liberam.

653. Objicies 4. Illa prædefinitio non est necessaria ad Providentiam Divinam: tùm quia sine illa Deus Providentiâ suâ ordinat actus peccaminosos ad ostendendam suam justitiam, & manifestandum specialem amorem erga electos; neque enim Deus voluntate absolutâ, sed tantùm conditionatâ concurrit ad peccata, illaque permittit, & non prædefinit: tùm etiam quia ad ipsam perfectam Providentiam sufficit, si Deus velit ipsos actus in causa, licet non immediatè in se, & habeat voluntatem generalem, ac conditionatam concurrendi, si voluntas creata voluerit, cujus subordinatio optimè salvatur in eo, quod operari non possit, quin Deus simul concurrat; ergo admittenda non est talis prædefinitio.

654. Respondeo hujusmodi prædefinitionem non esse quidem absolutè necessariam; esse tamen necessariam de lege ordinaria, & ex quadam congruentia, ut benè probant rationes supra positæ. Neque ex actibus peccaminosis benè arguitur ad actus bonos; nam sicut Deus dat specialia auxilia ad bonos, qui propterea specialiter tribuuntur Deo, & non sic dat ad peccaminosos, quos tantùm permittit; ita etiam congruum fuit, quod illos, non tamen istos prædefiniret. Deindè negari non potest, Deum majorem habuisse Providentiam erga electos in ipsa prædefinitione, quàm si solùm haberet illam voluntatem generalem, & ex illa majorem argui subordinationem in causis creatis; ergo de facto non est Deo deneganda.

655. Objicies 5. Si Deus ex se prædefiniret nostra bona opera, sequeretur primò, quod non essent, neque tam pauca, neque tam imperfecta, neq; tam remissa: Secundò, quod viri Sancti meritò possent de Deo queri, quia majorem non acquirerent perfectionem ex eo, quod non possent excedere prædefinitionem divinam: Tertiò, quod Deus cognosceret nostros actus bonos, non quia futuri sunt, sed quia sunt ab eo prædefiniti, quod est contra communem locutionem Sanctorum Patrum; sequelæ autem sunt falsæ; ergo & illud, ex quo sequuntur.

656. Respondeo negando primam sequelam, cùm enim

enim Deus in ipsa prædefinitione se accomodaverit Scientiæ Mediæ, ne libertas creata offenderetur, solùm prædefinivit opera, prout illa vidit postea ab hominibus in tempore elicienda; ideòque tota ipsa operum paucitas, imperfectio, ac remissio potiùs hominibus, quàm Deo debet attribui. Ad secundam dicimus, adhuc nos posse majori cum fervore divinis inspirationibus respondere, & actus perfectiores elicere; siquidem Deus semper habet paratum concursum ad illos, etiam si non ita prædefiniviſſet, cùm prædefinitio non sit absolutè necessaria, ut eos eliciamus, quos si non elicimus, de nobis ipsis, non autem de Deo queri debemus. Ad tertiam dicimus, eos actus cognosci à Deo, & in se ipsis, & in divina prædefinitione; cùm tamen non prædefiniantur, nisi ut cogniti à Scientia Media, ideò absolutè dicuntur cognosci, quia futuri sunt, & non è contra, de quo nihil in contrarium loquuntur Sancti Patres.

SECTIO XXXI.

Quid de mediis supponentibus essentialiter peccatum?

657. Advertes primò media supponentia peccatum esse v. g. contritionem, seu pœnitentiam, prout hæc dicit retractationem, & aliquam peccati satisfactionem; pœnam ut pœnam; Redemptionem, sive passionem Christi Domini, quæ sine Judæorum peccato esse non potuit; Martyrum tormenta, quæ connexionem habent cum malitia Tyrannorum; actus humilitatis, & propriæ confusionis de peccato commisso; sicque de aliis similibus.

658. Advertes secundò *P. Soar. hìc lib. 3. cap. 8. n. 14. & in opuscul. lib. 2. cap. 5. n. 14.* existimare hujusmodi media esse in duplici genere: alia enim, inquit, ita supponunt essentialiter peccatum, ut sine illo esse non possint, cujusmodi sunt pœnitentia, Redemptio, pœna ut pœna, & similia, quæ formaliter respiciunt ipsam culpam ut culpam, tanquam suum objectum, & materiam circa quam; & sicut non potest dari actus sine objecto, ita neque illa media sine peccato: alia, quæ non ita dicunt ordinem essentialem ad culpam, quia absolutè poterant sine illa dari, cujusmodi sunt actus humilitatis, & confusionis, Passio Christi Domini, tormenta Martyrum, & similia: Undè concludit non potuisse Deum prædefinire actus prioris generis, potuisse tamen actus secundi generis prædefinire.

659. Non placet aliquibus hæc P. Soar. divisio, ac doctrina quatenùs asserit, Passionem Christi Domini, Martyrum tormenta, & actum humilitatis solùm accidentaliter, & occasionaliter supponere peccatum: talis enim passio, & Martyrum tormenta possunt dupliciter considerari, aut ex parte Judæorum, & Tyrannorum, aut ex parte Christi, & Martyrum: Si primum, dabatur ibi actio externa, & odium Christi ac Fidei, quo ipsa actio externa veluti informabatur, ac reddebatur peccaminosa: Si secundum, dabatur voluntaria tormentorum receptio, & acceptatio, & dolor indè resultans in corporibus, quem acceptabant, non absolutè, sed reduplicativè ut illatum ex illo odio, ideò enim Christus Dominus, & Martyres non solùm dolebant de sua passione, sed maximè de peccato, & malitia Judæorum, ac Tyrannorum: ergo voluntas illa intrinsecè respiciebat ipsum peccatum, ut suum objectum; consequenterque non minùs essentialiter, quàm respicit pœnitentia. Deindè sicut Martyrum tormenta absolutè, & ut passiones sunt, non supponunt essentialiter odium, & peccatum Tyrannorum, illud tamen supponunt, ut sunt tales passiones, nempè Martyrum; ita etiam actus humilitatis, & confusionis, præcisè ut talis est, non supponit essentialiter peccatum; illud tamen supponit reduplicativè, quatenùs talis est; nempè ortus à recordatione peccati commissi.

660. Advertes tertiò, quæstionem procedere de mediis supponentibus peccatum in re commissum, & non in sola æstimatione; licet enim de hoc possit esse verus actus pœnitentiæ, & ejusdem fortasse rationis cum actu pœnitentiæ elicito de peccato in re commisso; quæstio tamen specialiter procedit de ipsa pœnitentia, quæ supponit verum, & reale peccatum, & non solùm apparens. His suppositis.

661. Conclusio nostra sit: Deus prædefinivit media supponentia essentialiter peccatum ante illius præscientiam absolutam. Ita *P. Amicus de prædest. d 15. sect. 3. n. 137. P. Quiroz de prædest. tract. 4. d. 22. sect. 2. P. Arriaga de prædest. d. 38, sect. 4. n. 41.* ubi etiam pro se adducit *P. Mol. P. Soar. & P. Granad.* & dicit esse sententiam communem inter Thomistas, & Scotistas. Probatur primò, quia quando Deus vult permissionem peccati, (ut velle posse diximus supra, & dicemus infra,) efficaciter intendit aliquod bonum, ad quod illa conducit; siquidem cùm talis volitio sit bona, debet habere pro objecto aliquod bonum, qualis non est de se permissio peccati nudè sumpta, sed informata bono illo, ad quod conducit; atqui hoc bonum est pœnitentia, aut humilitas, aut alius similis actus; ergo Deus aliquem eorum priùs intendit efficaciter, seu prædefinit, quod est idem; sed tunc adhuc peccatum non habet esse futurum absolutum, neque ut tale prævidetur; siquidem hoc non habet, nisi post ipsam permissionem; ergo pœnitentia, & similes actus sunt à Deo prædefiniti ante præscientiam absolutam ipsius peccati.

662. Probatur secundò, (& est totum fundamentum Contrariorum,) ideò Deus non posset prædefinire pœnitentiam, (idemque de aliis similibus actibus,) quia necessitaretur velle positivè peccatum; sed hoc non sequitur; ergo &c. Probatur minor primò, quia voluntas prædefiniens aliquem finem solùm includit eam voluntatem medii, quæ necessaria est per se ad ponendam existentiam talis finis; sed ad ponendam existentiam pœnitentiæ sufficit ex parte Dei voluntas permissiva peccati, quin sit necessaria voluntas positiva illius, ut patet in omni pœnitentia, quæ de facto datur; ergo sola illa, & non hæc includetur in voluntate prædefiniente pœnitentiam.

663. Secundò, quia ut Deus prædefiniat finem, satis est, quod ille de se sit honestus, & honestū habeat medium, per quod acquiratur; sed pœnitentia de se est honestissima, & honestum habet medium, per quod acquiratur, qualis est permissio peccati, hæc enim est honesta: tùm quia Deus non tenetur non permittere peccatum: tùm etiam, quia non tenetur dare auxilium efficax, quo illud impediatur; positâ autem ipsâ permissione, sufficienter habetur pœnitentia; ergo Deus potest illam prædefinire ante prævisum peccatum in esse absoluto.

664. Tertiò, ideò prædefinitio pœnitentiæ esset volitio positiva peccati, quia habet cum illo necessariam connexionem; sed indè non sequitur; siquidem pœnitentia de peccato præterito habet cum illo connexionem necessariam; & tamen gaudium

de tali pœnitentia non est gaudium talis peccati; neque qui amat talem pœnitentiam, amat præteritionem talis peccati. Similiter passio Christi Domini, & tormenta Martyrum de facto habuerunt necessariam connexionem cum peccatis Tyrannorum; & tamen Deus potuit velle illa efficaciter, quin vellet positivè ipsa peccata; ergo &c.

665. Quartò, quia dato, quod Deus videat Petrum v. g. peccaturum, si ponatur in tali occasione, & loco, talis occasio, & locus habent connexionem cum tali peccato; & tamen Deus potest prædefinire, & velle efficaciter, imò de facto sic vult ponere Petrum in tali occasione, & loco, quin positivè velit illius peccatum; ergo &c. Quintò, quia cùm pœnitentia destruat peccatum, qui vult efficaciter pœnitentiam, etiam vult efficaciter destructionem peccati; ergo non vult ipsum peccatum; implicat enim velle simul efficaciter rem, & ejus destructionem. Sextò, quia pœnitentia non solùm destruit peccatum præteritum, sed etiam præservat à futuro; ergo potuit prædefiniri à Deo, non ut destructiva peccati, quod adhuc solùm est in esse futuro conditionato, sed tantùm ut præservativa ab aliis, quæ possunt esse, quæ prædefinitio ex vi, & intentione sua, neque virtualiter extenderetur ad tale peccatum.

666. Contrarium tenent *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 13. num. 11. & lib. 3. cap. 8. n. 13. & in opuscul. lib. 3. de Auxil. cap. 17. à n. 8. & lib. 2. de concursu Dei, cap. 5. num. 14. P. Vasq. 1. p. d. 93. cap. 2. P. Arrub. d. 82. cap. 2. P. Herice tract. 3. d. 30. cap. 6. n. 31. P. Tanner. de prædest. d. 3. quæst. 5. dub. 6. num. 28.* & alii apud citatos: pro quibus: Argues 1. D. Aug. in psal. 125. sicut & alii Patres putant Deo esse indignum parare medicinam ea voluntate, quâ permittat vulnera, ut curentur; sicut contra rationem est, quod medicus intendat efficaciter medicinam ante morbum, & hunc permittat, ut illam postea adhibeat; ergo neque Deus sic poterit velle efficaciter pœnitentiam, quæ est medicina peccati, & hoc permittere, ut illam postea adhibeat.

667. Respondeo cum *P. Arriaga cit. n. 38.* D. Aug. & Sanctos Patres ad plurimum intelligendos esse de medicina, quæ nullum alium habet finem, sive effectum, nisi sanare; non tamen de illis, quæ ulteriùs præservant à gravioribus morbis, quarum una est pœnitentia, & sic prudenter amari potest, non tantùm præcisè quatenùs sanat, sed præcisè quatenùs præservat, ad quod etiam permitti potest minor morbus, sine quo ipsa medicina, ut à majoribus præservet, applicari non potest, quo modo pœnitentia est à Deo volita, & prædefinita, propter quam permittit saltem minus peccatum. Neque dicas indè sequi, Deum plus amare pœnitentiam, quàm carentiam peccati. Non, inquam, hoc dicas, totum enim admittimus, nam Deus de facto sæpiùs videt evitandum esse peccatum, si dederit tale auxilium efficax, & committendum, si neget; ponendam tamen postea pœnitentiam; & tamen adhuc negat tale auxilium, ut habeatur postea pœnitentia, in quo plus amat ipsam pœnitentiam, quàm carentiam peccati, aliter daret auxilium, ut hæc, & non illa sequeretur.

668. Argues 2. Qui intendit efficaciter finem, necessariò intendit medium unicum ad illum assequendum; neque enim finis sic intenditur, nisi ut acquiratur, non autem potest acquiri, nisi per illud medium, cùm sit unicum; sed peccatum est medium unicum ad pœnitentiam; hæc enim sine illo dari non potest; ergo si Deus efficaciter intenderet pœnitentiam ante prævisionem absolutam peccati, necessariò intenderet etiam ipsum peccatum, quod non est admittendum.

669. Respondeo distinguendo majorem: necessariò intendit medium unicum, si videat, non posse ipsum finem assequi, quin tale medium intendatur formaliter, aut virtualiter; concedo majorem: si videat posse assequi, positâ tantùm ejus permissione; nego majorem: tunc enim intendens finem, neque formaliter, neque virtualiter, sed solùm permissivè intendit tale medium, sicque sola ipsius medii permissio virtualis continetur in illa efficaci intentione finis, ex qua solùm obligatur ad volitiones necessarias ad assecutionem finis infallibiliter, ad quam cùm sola sit necessaria volitio permissiva peccati, solam illam habet Deus ex intentione efficaci pœnitentiæ. Patet à simili, quia non magis requiritur peccatum futurum ad pœnitentiam futuram, quàm peccatum præteritum ad pœnitentiam præsentem; sed potest hanc amare, & approbare, quin amet, & approbet peccatum præteritum; ergo etiam poterit sic amare, & approbare illam, quin amet, & approbet peccatum futurum; aliter assignent de hoc diversam rationem.

670. Instabis: Quando pœnitentia amatur, prævisso jam peccato in esse absoluto, ut prævidetur peccatum præteritum, amatur ut destructiva ipsius peccati; sicque non amatur, imò odio habetur ipsum peccatum: quando autem amatur ante prævisum peccatum, ut non prævidetur peccatum futurum, amatur ut inductiva ipsius peccati, sine quo esse non poterit; ergo hoc, & non illo modo amari à Deo implicat; consequenterque assignata ratio nulla est. Respondeo negando secundam partem antecedentis; nam ideò amor pœnitentiæ præsentis non est approbativus peccati præteriti, quia illud supponit ab homine jam commissum ex propria malitia independenter à tali amore; sed etiam amor pœnitentiæ futuræ supponit peccatum ab homine committendum ex propria malitia independenter à tali amore; siquidem ante illum vidit Deus peccatum conditionatè futurum, & in re posse esse sine tali amore; ergo talis amor non ponit ipsum peccatum; illas enim causas, quas res habet in statu conditionato, habet etiam in absoluto, & cùm talis amor non sit prævisus ut causa peccati in statu conditionato, neque talis erit in absoluto.

671. Argues 3. Deus in ea prædefinitione pœnitentiæ necessariò intenderet permissionem peccati, & auxilium inefficax, quatenùs habent utilitatem ad ipsam pœnitentiam eliciendam; siquidem illa eligeret, ut inserviunt ad habendam pœnitentiam; solùm autem ita inserviunt, prout habent eam utilitatem; sed Deus non poterat illa eligere, prout eam habent utilitatem; siquidem cùm hanc sumant à peccato, & prout cum illo conjunguntur, amando Deus ipsam utilitatem, consequenter amaret ipsum peccatum, quod implicat; ergo &c.

672. Respondeo negando majorem, nam intendens finem ex illius prædefinitione solùm obligatur eligere medium, quatenùs per illud ipse finis acquiri potest; cùm autem pœnitentia haberi possit, positâ tantùm permissione, & dato auxilio inefficaci, licet non amentur formaliter secundùm eam utilitatē, quam habent ad talem finem reduplicativè, ideò dicendum est, Deum non obligari ad eligendam ipsam permissionem, & illud auxilium reduplicativè sub tali motivo, nempè quatenùs habent talem utilitatem. Accedit, quod Deus potuisset eligere permissionem, non ut utilem ad peccatum, sed ut utilem

lem ad pœnitentiam, cùm hæc utilitas sit proxima, illa verò remota, ideòque hæc, & non illa debet intendi ut motivum formaliter, licet illa debeat supponi ut conditio sine qua non eligeret Deus tale medium ad pœnitentiam.

673. Argues 4. Implicat quod quis intendat efficaciter finem, & habeat displicentiam de positione medii necessarii ad illum assequendũ, & quod illud prohibeat, cùm potiùs ipsa intentio moveat ad positionem, & gaudium talis medii; sed Deus non potest non habere displicentiam de peccato, & illud prohibere, cùm tamen sit medium necessarium ad pœnitentiam eliciendam; ergo non potest Deus hanc efficaciter intendere, & prædefinire.

674. Respondeo negando majorem, si sermo sit de displicentia inefficaci: Primò, quia mercator, ut salvetur, amat efficaciter projectionem mercium in mare; & tamen hæc ei displicet inefficaciter: Secundò, quia Deo inefficaciter displicet pœna dãnatorum; & tamen eam vult efficaciter; ergo à fortiori poterit amare pœnitentiam efficaciter, & ei displicere peccatum. Tertiò, quia hîc & nunc ei displicet pœnitentia inefficaciter; siquidem quantùm est ex se potiùs vellet, quod homini non esset necessaria; cùm tamen videat illum dispositum ad committendum postea peccatum grave, nisi confundatur, & humilietur per pœnitentiam de aliquo peccato leviori factam, ideò quasi coactus ad evitandum majus malum, permittit minus, & decernit pœnitentiam, eamq; vult efficaciter, quia videt utilem ad talem finẽ, ad quem peccatum permittit.

Argues 5. Qui intendit efficaciter finem contí-
675. nentem virtute aliquem effectum, etiam necessariò intendit, saltem virtute ipsum effectum; ergo etiam qui intendit efficaciter aliquem finem, intendit etiam unicum medium illius, illudque amat, saltem virtute. Respondeo negando consequentiam, diversa ratio est, quia positâ causâ physicâ necessariâ, necessariò sequitur ejus effectus, sic enim posito Sole, necessariò sequitur lux, quin interveniat operatio aliqua intentionalis, ideòque qui amat talem causam, censetur amare etiam necessariò, saltem virtute talem effectum: at verò positâ intentione efficaci finis, non sequitur medium necessariò, sed interveniente operatione voluntatis, debet enim hæc illud eligere, & applicare, ideoque ex tali intentione solùm sequitur necessariò ea voluntatis operatio circa medium, quæ necessaria est ad finem consequendum; cùm autem necessarius non sit amor etiam virtualis ipsius medii, sive peccati ad ponendam pœnitentiam, sed sufficiat ejus permissio, ideò hæc tantùm continetur virtute in ipsa intentione efficaci pœnitentiæ.

Argues 6. Non potest dari pœnitentia actualis
676. sine peccato præterito; ergo neque pœnitentia futura sine peccato futuro; sed positâ prædefinitione efficaci, jam pœnitentia manet futura; ergo etiam peccatum manebit futurum; sicque per eam prædefinitionem transivit de statu conditionato in absolutum, & Deus saltem virtute illud in ipsa prædefinitione voluit ac prædefinivit. Respondeo distinguendo primum consequens; neq; pœnitentia futura sine peccato futuro, si sit absoluta in se quoad exercitium, concedo cõsequentiam; neque enim exerceri potest pœnitentia futura sine peccato futuro: si sit futura solùm in causa, id est ex divina intentione; nego consequentiam: tunc autem adhuc non esset futura in se quoad exercitium, cùm talis non sit ante determinationem liberam voluntatis, quæ adhuc non daretur, sed talis esset in Deo, qui præviso peccato conditionatè futuro, potuit ei præparare remedium, quin talis præparatio sit causa illius, etiam virtualis, sed sola permissio.

Instabis: Si prædefinitio pœnitentiæ esset vir- 677.
tualis permissio peccati, sequeretur, Deum intendere simul existentiam, & non existentiam ipsius peccati: existentiã, quia eam involvit permissio, quâ posità peccatum manet futurum: non existentiam, quia eam destruit pœnitentia prædefinita; sed hæc implicat; ergo &c. Respondeo Deum non intendere peccati existentiam, nisi permissivè, idque in diverso tempore, intendit enim permittere in hoc instanti, & auferre illud in instanti sequenti per pœnitentiam, quod non implicat: sicut non implicat, quod præviso jam peccato in esse absoluto, prædefiniat pœnitentiam, & tunc dentur simul existentia peccati in esse absoluto, & ejus non existentia in prædefinitione ipsius pœnitentiæ, cùm sint in diverso tempore, nempè existentia peccati in exercitio tempore antecedenti, & ejus non existentia in pœnitentiâ posita in exercitio tempore subsequenti, sicque futuræ in diverso tempore.

Argues 7. Deus non potest prædefinire pœnam 678.
ut pœnã ante præviſum peccatum in esse absoluto; ergo neq; pœnitentiam ante prævisionem absolutam ipsius peccati. Respõdeo dato antecedente, de quo jam supra, negando consequentiam; diversa ratio est, non in eo, quod volitio pœnæ ut pœnæ sit volitio peccati, cùm Deus de facto, præviso peccato in esse absoluto, velit efficaciter pœnam ut pœnam, quin habeat complacentiam, imò displicentiam de ipso peccato, sed quia cùm pœna ut pœna sit supplicium, maximè dedecet Bonitatem ac Misericordiam Divinam parare illam ante prævisionem absolutam peccati; & deindè non benè ostenditur Justitia Divina, cùm adhuc non detur materia, ideòque D Damascenus, & alii Patres dicunt pœnam pertinere ad voluntatem consequentem peccatum prævisum: at verò pœnitentia, cùm sit remedium, maximè decet & commendat Bonitatem, ac Misericordiam Divinam, si illud præparet etiam ante prævisum vulnus in esse absoluto.

Argues 8. Deus intendens efficaciter gloriam, 679.
saltem virtute intendit etiam merita, quia sunt necessaria ad illam consequendam; sed etiam peccatum est necessarium ad pœnitentiam consequendam; ergo Deus hanc efficaciter intendens, etiam illud, saltem virtute intendit; sed hoc implicat; ergo & illud, ex quo sequitur. Respondeo peccatum esse necessarium ad pœnitentiam permissivè tantùm ex parte Dei, & volitum positivè ex parte hominis: at verò merita sunt necessaria ad gloriam volita positivè, & ex parte Dei, & ex parte hominis. Et ratio diversitatis est, quia merita, cùm sint bona, & honesta, benè potest Deus, & vult in illa tendere voluntate directa, & positiva: at verò peccatum, cùm sit malum, & alioqui ad pœnitentiam consequendam non sit necessaria volitio positiva illius, sicut meritorum ad gloriam consequendam, quam Deus intendit dare per merita, sed satis sit volitio permissiva, ideò est incapax volitionis divinæ positivæ, etiam virtualis. Accedit, quod merita, cùm possint informari bonitate gloriæ, & non ita peccatum bonitate pœnitentiæ, cùm sit incapax de se recipiendi quamlibet bonitatem, etiam extrinsecam finis, ideò Deus potest illa, non tamen hoc amare positivè saltem virtute.

Instabis: ex præmissis necessariis sequitur neces- 680.
sariò conclusio formalis intrinsecè respiciens, saltem virtute objectum præmissarum; ergo etiam ex

intentione efficaci pœnitentiæ sequetur necessariò formalis electio medii, sive peccati intrinsecè respiciens, saltem virtute bonitatem ipsius pœnitentiæ. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia conclusio cùm sit actus intellectûs necessariò operantis, impediri non potest; sed necessariò sequitur ad positionem præmissarum: at verò electio cùm sit actus voluntatis, quæ est potentia libera, potest ab illa procedere solùm, prout est necessaria ad finem consequendum; cùm autem sit necessaria per solam permissionem peccati, ideò non necessitatur voluntas ad ponendam ejus volitionem formalem, & positivam.

SECTIO XXXII.

Vtrùm Deus potuerit prædefinire actus pravos quoad materialitatem, ut media prædestinationis?

681. ADvertes primò, hujusmodi actus potuisse considerari ut media prædestinationis, si Deus prædefiniret alicujus materialitatem permittendo ejus malitiam, ut postea evitaret alios in malitia graviores; sicut diximus prædefinisse pœnitentiam, & alios actus bonos, permitendo peccata leviora, ut postea evitaret alia longè graviora, & tandem præstaret gratiam finalem.

682. Advertes secundò, peccatum posse dupliciter accipi: primò pro materialitate, qualis est ipsamet entitas actûs: secundò pro formalitate, qualis est malitia ipsius actûs, sive hęc sit aliquid positivũ, sivè negativum, de quo suo in loco, cùm egerimus de peccatis. Deinde ipsa materialitas peccati adhuc dupliciter accipitur: Primò specificativè, quando scilicet sumitur entitas ipsius actus physicè, & secundùm se, aut si in genere moris, solùm ut ejus individuum genericum abstrahendo à bonitate, & malitiâ, quæ sunt rationes specificæ talis generis: Secundò reduplicativè, & formaliter, quando scilicet ipsa entitas sumitur ut hîc, & nunc subjecta malitiæ, sive ut habens malitiam sibi connexam, illamque dicens de connotato.

683. Advertes tertiò, quæstionem non procedere de actibus pravis formaliter sumptis, nullus enim Catholicus dubitat, Deum non potuisse hujusmodi actus prout sic prædefinire: tum quia Deus non potest prædefinire peccata: tum quia si non potest hujusmodi actus etiam materialiter sumptos prædefinire, ut infra dicemus; à fortiori non potuerit eos formaliter sumptos prædefinire.

684. Advertes quartò, Deum non posse etiam prædefinire actus pravos quoad materialitatem sumptam reduplicativè, nempè prout hæc subjacet formalitati ipsius peccati, & eam dicit de connotato, ut est etiam indubitatum. Probatur primò, quia tunc etiam vellet saltem indirectè, & de connotato ipsam malitiam, cùm hæc ab illo sic dicatur; Deus autem non potest neque prout sic velle malitiam peccati, ut patebit ex dicendis; ergo &c. Secundò, quia Deus non potest velle, & amare, quod prohibet; sed prohibet volitionem etiam indirectam malitiæ peccati; ergo non potest illam amare, & à fortiori neque in se habere per ejus prædefinitionem. Advertes quintò, difficultatem solùm procedere de actibus pravis quoad materialitatem specificativè, & materialiter sumptam. Hoc posito.

Verior sententia, quam sequimur, asserit Deum non prædefiniviſse tales actus pravos etiam sic materialiter, & specificativè acceptos. 685.
Ita *P. Soar. in opuscul. lib. 2. cap. 4. à num. 2. P. Mol. 1. p. q. 14. a. 13. d. 18. memb. 3. P. Vasq. 1. p. d. 99. cap. 4. n. 20. P. Ruiz de voluntate Dei, d. 27.* & sequentibus, ubi latissimè de hac re *P. Præposit. 1. p. q. 22. a. 4. dub. 2. à n. 26. P. Compton. tom. 1. d. 41. sect. 1. n. 8. P. Rhodez tom. 1. d. 5. q. 2. sect. 4. §. 3. P. Valent. 1. p. q. 19. punct. 3. P. Quiroz hic d. 24. n. 6.* ubi, inquit, sic tenere omnes Doctores nostræ Societatis JESU, & plures alios ex aliis Scholis. Probatur primò authoritate Scripturæ. Exod. 23. *Mendacium fugies, justum non occides, quia aversor impium.* Judith. 5. *Deus enim illorum odit iniquitatem.* Psal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Psal. 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem.* Prov. 15. *Abominatio est Domino via impii.* Sapient. 14. *Similiter odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Ezech. 33. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur à viâ suâ, & vivat.* Oseæ 13. *Perditio tua Israel, tantummodo ex me auxilium tuum.* Habacuc. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & ad iniquitatem respicere non potes.* Jerem. 19. *Repleverunt locum istum sanguine innocentium, & adificaverunt excelsa Baalim, ... quæ nec præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Rom. 9. *Sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ.* Jacob. 1. *Deus enim intentator malorum est* & sæpè alibi, quæ loca non solùm sunt intelligenda de actibus pravis formaliter, sed etiam materialiter sumptis, ut constabit ex dicendis; ergo &c.

Probatur secundò authoritate Conciliorum ex Arausican. 2. can. 23. ibi: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet.* Et can. 25. ibi: *Aliquos ad malum divinâ potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Neque dicant primò ibi sermonem esse de malo pœnæ; siquidem si de hoc, à fortiori de malo culpæ, cùm sit detestabilius, & in illo etiam hoc virtute prædefinitur. Neque dicant secundò, Concilium loqui de malo culpę formaliter, non verò materialiter sumptæ, hoc enim esse falsum ex dicendis constabit. Deindè ex Concil. Valentin. sub Lothario cap. 3. ibi: *Fatemur prædestinatione ea tantùm Deum statuisse, quæ ipse vel gratuitâ suâ misericordiâ, vel justo judicio facturus erat: in malis verò ipsorum malitiam præsciviſse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex illo non est.* Hùc etiam spectat quod in 5. Synod. act. 4. inter blasphemias Theodori refertur, quod dixerit, disposuisse Deum, ut homines peccarent, quia ita eis expediebat. 686.

Probatur tertiò specialiter ex Trid. sess. 6. cap. 10. ibi: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deũ operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè, & per se, adeò ut sit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli: anathema sit.* Ubi Concil. loquitur etiam de entitate actûs pravi, & non de sola ejus malitia formali: Primò, quia utitur verbo *operari*, quod si sumatur, ut debet, in proprio sensu solùm competit per se entitati physicæ, & non malitiæ morali; hæc enim non producitur propriè & per se, sed tantùm per accidens ratione entitatis physicæ. Secundò, quia Concil. definit contra aliquos hæreticos asserentes, Deum operari peccatum, aut instigando ad illud, aut voluntatem ad illud prædeterminando; illi autem non 687.

loque-

loquebantur de malitia formali; siquidem de hoc erubescebant etiam ipsi hæretici ut ait *P. Soar. cit. cap. 2. n. 22.* & hoc dicere ausi non sunt *Calvin. lib. 3. Inst. cap. 23. §. 9. Beza Aphorismo 31. & Zuinglius serm. de Provid. cap. 6. ut ait. P. Vasq. cit. n. 22.* ergo de sola entitate actûs pravi, sive de sola volitione mala materiali; sed Deus in hac non ita se habet, sicut in actibus bonis, ut definit Concil. ergo si Deus prædefinit actus bonos, non ita prædefinit actus malos, etiam quoad materialitatem.

688. Probatur quartò ex Sanctis Patribus, D. Leo serm. 16. de Passione ubi tractans illud Actor. 4. *Convenerunt in civitate ista, &c. Nunquid,* ait, *iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio? Et illud facinus, quod omni majus est crimine, manus divinæ præparationis armavit? Non hoc planè de divinâ justitiâ sentiendum est, quia multùm diversum, multùmq; contrarium est, id quod in Judæorum malignitate præcognitum, & quod in Christi est Passione dispositum.* Et Leo 9. *Epist. ad Petr. Antiochen. Credo,* ait, *prædestinasse solùmmodò bona, præscivisse autem bona, malaq;.* Et D. Prosper. *ad object. Vincent. art. 10. Detestanda,* ait, *& abominanda opinio, quæ Deum cujusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem, cujus prædestinatio nunquam extra bonitatem, numquam extra justitiam est.* Idem habet *art. 4. & 11. & lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 4. & ad capitul. Gallor. cap. 1.* Et D. Fulgent. *lib. 1. ad Monim. Iniquos ad supplicium justè prædestinavit, quia eorum mala opera, licet futura præsciret, non tamen ipse prædestinavit, ut futura essent, quia non ipse fecit, ut facerent,* & sæpè idem repetit toto hoc libro. Idem probant, & habent *D. Gregor. Nyssen. lib. 7. Philosoph. cap. 1. D. Damascen. lib. 2. cap. 29. & 30. & lib. 4. cap. 20. Theodoret. serm. 5. ad Græc. D. Irenæus lib. 4. contr. hæres. cap. 77. D. Cyril. lib. 11. in Joan. 16. Tertul. lib. 2. contr. Marcion. cap. 14. D. August. lib. de Spirit. & liter. cap. 31. & lib. 2. de peccator. merit. cap. 5. & cap. 18. D. Amb. lib. de Parad. cap. 8. & lib. 2. de Cain & Abel cap. 9. D. Hieron. in Isai. 45. & ad Ephes. 1. D. Greg. Magn. lib. 29. Mor. c. 21.* & alii apud Doctores citatos præsertim apud *P. Soar. cap. 2. àn. 23. & P. Ruiz à d. 27.*

689. Probatur quintò rationibus: Prima, quia impossibile est, quod Deus prædefiniat formale peccati, ut ipsi Adversarii tenentur fateri; sed etiam est impossibile prædefinire ejus materiale, quin etiam prædefiniat formale; ergo neutrum potest Deus prædefinire. Probatur minor primò, quia velle materiale peccati nihil aliud est, quàm velle hanc volitionem libero, & humano modo productam, v. g. volitionem, quâ Judas vendidit Christum Dominum libero, & humano modo elicitam; sed illam prout sic velle est velle formale ipsius peccati; siquidem neque Deus ampliùs vellet, si vellet formale peccati; neque Judas aliquid ampliùs voluit, quando peccavit; ergo &c. Secundò, quia positâ tali prædefinitione, & seclusâ quacunque voluntate permissivâ, adhuc sequeretur formale peccati; ergo Deus volendo, & prædefiniendo illud materiale, etiam vellet, & prædefiniret formale peccati. Tertiò, quia qui vult unum, etiam vult aliud cum illo necessariò connexum, sed malitia formalis est de se necessariò connexa cum illa materialitate peccati sic productâ; ergo Deus hanc prædefiniens, etiam illam necessariò prædefiniret.

690. Secunda, quia si Deus posset prædefinire eos actus quoad materialitatem, plura sequerentur absurda: Primum, posse eam consulere; siquidem hoc minùs est, quàm prædefinire; hoc enim habet infallibilem effectum; non ita verò illud. Secundum, posse etiam infundere habitus pravos; siquidem etiam hoc minùs est; cùm homo possit resistere habitibus ipsis; non ita verò prædefinitioni divinæ, neque illâ positâ, malitiæ ipsius peccati. Tertium, dari contrarietatem in Voluntate Divina, quatenùs vult efficaciter entitates ipsas peccatorum illas prædefiniendo, quas tamen prohibet, quatenùs prohibet non solam malitiam formalem, sed etiam omnem occasionem eam involventem; posito autem actu ita producto, necessariò involveretur illa malitia. Quartum, posse hominem licitè, & laudabiliter velle efficaciter illam entitatem actûs, nempè odii Dei; siquidem licitum, & laudabile est conformari Voluntati Divinæ efficaci, qualis est prædefinitio; cùm illa sit suprema regula omnis bonitatis, & licitum, ac laudabile sit tali regulæ conformari; sed hujusmodi absurda non sunt admittenda; ergo &c.

691. Tertia, quia Deus, ut per se notum est, prohibet determinationem Voluntatis ad formale peccati; sed voluntas non se determinat ad hoc, nisi determinando se ad materialitatem actûs; ergo Deus etiam hanc, saltem secundariò prohibet; ergo non potest illam efficaciter prædefinire. Confirmatur, quia alioqui sicut in prædefinitione actûs boni se obligat ad inchoandum, & procurandum, ut fiat, ita etiam se obligaret in hac prædefinitione materialitatis peccati; sed hoc non est dicendum; neque enim Deus potest inchoare, & procurare, quod prohibet; ergo &c.

692. Quarta, quia Deus punit non solùm formale, sed etiam materiale peccati, ut patet ex illo Apoc. 18. ibi: *Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum:* ubi agitur de pœnâ sensûs, quâ punitur voluntatis conversio ad creaturam; sed ita converti spectat ad materiale peccati, licet habeat adjunctum formale, per quod fit aversio à Deo, quæ punitur pœnâ damni; ergo Deus punit materiale peccati; sed non posset ita punire, si illud prædefiniret; alioqui puniret, quod ut fiat, impellit; maximè enim Deus impellit ad id, ad quod determinat, & efficaciter intendit; sicque injustè ageret, ut ait D. Prosper. *lib. ad object. Gallor. cap. 12.* ibi: *Si Deus,* ait, *hominem sibi obedientem à veritate deturbat, & benè currentem cadere facit; ergo pro nobis mala retribuit, & injustè punit, quod ut fiat impellit. Quid tam perversum, quid tam insanum dici, aut excogitari potest?* ergo &c.

693. Oppositum tenent *Bannez 1. p. q. 14. art. 13. dub. ult. & q. 19. art. 8. & q. 23. art. 3. dub. 2. Cabezudo 3. p. q. 62. art. 5. tota q. 1. & 2. de Auxil. Zumel. 1. p. q. 14. art. 13. suâ q. 2. concluf. 2. & tom. 1. opuscul. d. 5. sect. 1. Trigosus 1. p. sum. D. Bonav. q. 18. art. 4. dub. 3. ad 2. & 3. Cabrera 3. p. q. 18. art. 4. d. 2. §. 12. à n. 530. Navarrete tom. 2. in 1. p. controv. 25. concluf. 6. & 7. Alvarez d. 24. concl. 2. Ledesma de Auxil. q. 2. art. 18. concl. 3.* & communiter Thomistæ: pro quibus: Argues 1. Ex Scriptura constat, quasdam actiones pravas ex consilio, & prædefinitione Dei fuisse factas; siquidem loquendo de venditione Joseph sic ait Gen. 45. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate hùc missus sum:* & ut intelligamus ipsam Dei voluntatem fuisse efficacem, addit: *Num Dei possumus resistere voluntati? &c.* Et Actor. 2. loquendo de Christo Domino: *Hunc,* ait, *definito consilio, & præscientiâ Dei traditum, &c.* Et Actor. 4. *Convenerunt Herodes, &c. facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri;* sed talis vo-

luntas Dei antecedens non poterat esse circa malitiam peccati; ergo circa ejus materialitatem quà talem.

694. Respondeo negando majorem, ad primum locum dicimus Deum ibi solùm prædefiniviſſe tranſitum Joſeph in Ægyptum, & ejus ibi exaltationem permittendo tantùm venditionem, quam per ſcientiam mediam prævidebat, & eam ordinando ad ipſam exaltationem, quod inde patet, neque enim dicit *voluntate Dei venditus ſum*, ſed *hùc miſſus ſum*: quod etiam ipſe Joſeph inſinuat Gen. 50. *Vos cogitaſtis in me mala, ſed Deus vertit illud in bonum.* Ad ſecundum dicimus, verba illa referri ad diverſas perſonas; illa enim *definito conſilio* pertinent ad homines, qui conſilium habuerunt, & definierunt, ut Chriſtum interficerent; alia verò *præſcientiâ Dei traditum*, pertinent ad Deum, qui id præſciens permiſit. Ad tertium dicimus, ſolùm ibi ſignificari, Deum prædefiniviſſe mortem, & Paſſionem Chriſti in hominum Redemptionem, non tamen quod fierent ab Herode, & Pilato; hoc enim ſolùm permiſit: ſiquidem dicit *manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri*; non autem quod tu decreviſti, ut illi facerent, quod eſt quidem longè diverſum.

695. Argues 2. Aliqua ſunt Scripturæ loca, in quibus actiones pravæ videntur Deo attribui, ut 2. Reg. 16. *Dominus præcepit Semei.* Et cap. 24. *Commovit q; David.* Et Pſal. 104. *Declinaſti ſemitas noſtras à viâ tuâ.* Alia in quibus Deus dicitur *indurare, & excæcare* corda hominum, ut Exod 7. Joſue 11. Rom. 9. Iſai. 63. *Tradere* in reprobum ſenſum. Rom. 1. & *Decipere* 3. Reg. 22. & Job. 12. *Convertere ad odium.* Pſal. 104. & aliæ locutiones generales, quæ videntur intelligendæ tam de rectâ, quàm de obliquâ creaturarum actione, ut 1. Cor. 12. *Qui operatur omnia in omnibus.* Rom. 11. *Ex quo omnia, per quem omnia.* Jerem. 10. *Non eſt in homine via illius.* Epheſ. 1. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*: & ſimilia; ſed hæc non ſunt intelligenda de voluntate Dei circa formale peccati; ergo circa illius materiale.

696. Reſpondeo primò cum *P. Soar. cit. cap. 3. n. 2.* hujuſmodi teſtimonia, ſi aliquid probant, non ſolùm id probare de materiali, ſed etiam de formali malitia peccati, imò & de toto peccato; nam ſi corticem litteræ ſpectemus, aliquando videtur eſſe ſermo formaliſſimus, ut patet ex illo Pſal. 104. *declinaſti ſemitas noſtras à via tua*; & ſimilibus; ſed non debent illa intelligere de formalitate peccati; ergo ita ſunt catholicè explicanda, ut noſtræ ſententiæ non adverſentur, & hæreticis favere videantur.

697. Reſp. ſecundò, omnia hæc & ſimilia Scripturæ teſtimonia intelligenda eſſe de permiſſione divinâ cum D. Chryſ. hom. 36. in Matt. ibi: *Quanquam non ipſe*, ait, *ſed hominum improbitas horum omnium cauſa futura eſſet, ſe tamen facturum omnia dicit, talis quippe eſt Scripturarum conſuetudo.* Et D. Aug. lib. de grat. & liber. arbit. cap. 23. *Quando auditis*, ait, *dicentem Dominum: Ego ſeduxi, & quem vult indurat, in eo, quem ſeduci, vel obdurari permittit, mala ejus merita credite.* Et D. Damaſc. lib. 4. cap. 20. *Scire illud attinet*, inquit, *in Scripturæ more poſitum eſſe, ut Dei permiſſionem, actionem ipſius appellet.* Et ratio eſt, quia quando ex proprio ſenſu verborũ, & quaſi materiali, ſequitur aliquod abſurdum pietati, & aliis ejuſdem Scripturæ locis contrarium, debent talia verba in ſolo ſenſu metaphorico accipi; ſed ita ſequitur, ſi talia verba ſumantur in proprio ſenſu, ut patet ex dictis; ergo ſumenda ſunt tantùm metaphoricè, quatenùs illud verbum *agendi, ſeducendi, & indurandi* tribuitur Deo operanti, pro ut operanti idem eſt, atque permittenti.

Argues 3. D. Aug. *lib. 3. contr. Julian. cap. 3.* videtur docere Deum interdum impellere ad peccatum per potentiam. *Et lib. de grat. & liber. arbitr. c. 20.* videtur docere, Deum voluntatem malã quocunque voluerit inclinare: Item proprio vitio malam in hoc peccatum (ſcilicet maledictionis) ſuo juſto judicio inclinaſſe. Et *cap. 21.* Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, ſive ad bona pro ſua miſericordia, ſive ad mala pro meritis eorum; ergo poteſt Deus ex ſe peccata, & mala opera, ſaltem quoad materialitatem prædefinire. Reſpondeo D. Auguſt. locis citatis non velle, quod Deus poſitivè inſtiget ad mala opera, neque quod ea decernat, & prædefiniat, ut ait *Medina 1. 2. q. 79. art. 1. ad 2. & P. Præpoſit. cit. q. 22. a. 4. dub. 1. num. 24.* ſed quod non ſolùm per patientiam tradat hominem ſuis deſideriis, verùm etiam per potentiam ponendo occaſiones, nempè divitias, aut flagellationes, ex quibus, cùm deberet per pœnitentiam reſipiſcere, ſumit tamen occaſionem ruinæ, quam Deus permittit, ut puniat. 698

Argues 4. Idem D. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 7. *Cùm audimus*, ait, *Ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt, illos debemus intelligere electos per miſericordiam, illum per judicium: illos ergo elegit ad obtinendum regnum ſuum, illum ad effundendum ſanguinem ſuum*; ergo juxta D. Aug. Deus prædefinit peccatum, ſaltem pro materiali. Reſpondeo negando conſequentiam; nam D. Aug. ſolùm voluit, quod Judam elegerit, cùm tamen prævideret illum Judæis traditurum, ejuſq; proditionem permiſerit, ex qua redemptio fieret, & nunquam ſenſit, Deum directè & propriè velle ac inclinare voluntatem ad actum malum, ſicut de ipſis Judæis ait tract. 53. in Joan. ibi: *Fecerunt peccatum, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet, ſed facturos eſſe præſcivit.* 699

Argues 5. Deus ante omnem præſcientiam peccatorum prædefinivit reproborum damnationem ut patet ex illo Rom. 9. ibi: *Cùm non dum aliquid boni egiſſent, aut mali, &c.* Et ex illo ibid. *An non habet poteſtatem figulus facere aliud quidem vas in honorem, & aliud in contumeliam.* Et Prov. 16. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum*; ſed talis prædefinitio includit prædefinitionem ipſorum peccatorum, propter quæ Deus poſtea eos damnabit, ut in eorum damnatione ſuam virtutem oſtendat juxta illud Rom. 9. *Volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multâ patientiâ vaſa iræ apta ad interitum*; ergo &c. Reſpondeo primò, argumentum, ſi probat, etiam probare de prædefinitione peccatorum ſecundùm militiam formalem; ſiquidem ſolùm propter hanc, & non propter entitatem materialem peccati poſtea damnantur; cùm autem de hac non probet, etiam per Adverſarios, ideoque neque de illa probat. 700

Reſpondeo ſecundò negando majorem, cujus falſitas conſtat ex ſupra adductis definitionibus Concil. Arauſican. & Valent. & Sanctorum Patrum: licet enim Deus elegerit ad gloriam ex ſe ante præviſa merita, ut diximus, ad oſtendendam ſuam Miſericordiam, Bonitatem, & Liberalitatem infinitam; non ita ordinavit ad pœnas, niſi provocatus à demeritis jam prævisis in eſſe abſoluto; quatenùs ſolùm prout ſic oſtendebat ſuam Juſtitiã, & 701

& non ante illa, cùm deficeret materia circa quam. Undè loca illa D. Pauli ad plurimũ intelligenda sunt de reprobatione negativâ, seu de non electione ad gloriam, quæ facta fuit in eodem signo electionis prædestinatorum ad gloriam, & ante prævisa malorum demerita, quæ tamen re verâ non fuit dãnatio, de qua procedit argumentũ, sed potiùs non electio.

702. Argues 6. Deus potuit prædefinire pœnitentiam (idemque dicendum de passionibus Christi Domini, & Martyrum, prout supra diximus,) quin prædefiniret, sed solùm permitteret peccatum; ergo etiam sic poterit prædefinire entitatem materialem peccati, quin prædefiniat, sed solùm permittat ejus malitiam formalem. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia positâ prædefinitione pœnitétiæ non obligatur Deus ad volendum peccatum positivè, sed tantùm permissivè, prout supra diximus: at verò positâ prædefinitione entitatis materialis peccati, necessitaretur Deus ad volendum positivè, saltem virtute ejus malitiam formalem; siquidem hanc velle virtute nihil aliud est, quàm velle in talibus circumstantiis deliberatè ipsam actûs entitatem, prout supra diximus.

703. Argues 7. Tantùm est in Deo permittere peccatum negando auxilium efficax, quantùm est prædefinire entitatem actûs pravi; sicut enim ex hac prædefinitione sequitur infallibiliter peccatum, ita sequitur ex illa negatione auxilii efficacis; sed Deus potest velle efficaciter illud primum; ergo etiam hoc secundum. Respondeo negando majorem: licet enim ex permissione peccati sequatur infallibiliter ipsum peccatum, est tantùm ex malitia hominis, & ejus determinatione cognita à Deo per Scientiam Conditionatam, cùm adhuc ille posset resistere absolutè loquendo, quatenùs Deus ei præbet auxilium sufficiens, & habet præparatum concursum ad oppositum, cùm autem homo nolit eis uti, ideò ex malitiâ suâ peccat, sicque Deus prædefiniendo permissionem peccati, non ideò ipsum peccatum prædefinit: at verò cùm ex prædefinitione entitatis actûs pravi sequatur necessariò malitia ipsius peccati sine nova alia determinatione; siquidem ipsa malitia separari non potest ab ipsa entitate sic productâ humano, & libero modo, si Deus illam prædefiniret, etiam hanc prædefiniret, saltem indirectè, & sequeretur ex illius prædefinitione, eique tribueretur, quod implicat.

704. Argues 8. Hoc materiale peccati est bonum; cùm sit ens; bonum autem recurrat cum ente; sed Deus absolutè potest velle omne bonum; ergo etiam hoc materiale peccati. Respondeo ad majorem, esse bonum transcendens, quod recurrit cum ente; non autem honestum simpliciter, ideoque non posse cadere simpliciter in voluntatem Dei absolutam, & efficacem; licet Deus, eo non obstante, adhuc possit velle id, quod in ipso actu potest esse honestum, quale est concurrere ad illum ut Causa Prima, & universalis, si homo causa secunda ad illum se determinaverit, quæ tamen voluntas in Deo est tantùm secundùm quid, & conditionata.

705. Instabis: Eo ipso, quo Deus vult concursum, sine quo ipse actus esse non potest, censetur velle ipsum actum; & tamen potest velle talem concursum; ergo &c. Respondeo negando majorem; neque enim Deus potest velle, quod prohibet, prohibet autem talem actum, licet velit ad illum concurrere ut Causa prima, ad quod habet justissimas causas, nempè, ut causæ secundæ non sint stupidæ, sed possint exire in actum: ut non turbetur rerum ordo, & libertas voluntatis perpetuò impediatur, si concursus à Deo ei denegetur, & mala ejus actio impediatur.

706. Urgebis: Licet in eo actu non sit sufficiens bonitas honesta, ut possit propter se à Deo prædefiniri, poterit tamen aliundè eam participare, nempè si sit utilis ad alios fines honestos; ergo prout sic poterit à Deo prædefiniri. Respondeo negando consequentiam; nam ex D. Paulo. Rom. 3. *Non sunt facienda mala, ut veniant bona*; ideoque non potest amari medium turpe ad finem honestum, nisi priùs exuat ipsam turpitudinem. Neque obstat illud D. Aug. *in Enchirid. cap. 27. Melius putavit Deus ex malis benefacere, quam mala nulla esse permittere.* Nam D. Aug. ibi loquitur de voluntate Dei permissiva, ut patet, non autem de voluntate prædefiniente, positivâ, & efficaci, de qua est sermo.

707. Argues 9. Omne, quod Deus suâ Omnipotentiâ causat in tempore, priùs decernit, ac prædefinit; alioqui ageret in confuso, modo cœco, & præter intentionem; sed Deus omnipotentiâ suâ causat materialitatem peccati in tempore; siquidem cùm hæc sit entitas per participationem, debet in sui productione subjici enti per Essentiam, qualis est Deus; ergo Deus priùs eam decrevit, ac prædefinivit. Respondeo distinguendo majorem: priùs prædefinit, si causet voluntate positivâ; concedo majorem: si tantùm permissivâ; nego majorem: concursus autem Dei simultaneus, quo ejus Omnipotentia causat & concurrit ad materialitatem peccati, pertinet ad solam voluntatem illius permissivam; hæc enim, ut diximus, tria includit, decretum scilicet concurrendi, si voluntas creata se determinaverit, donationem auxilii sufficientis, & negationem efficacis, sicque non arguit prædefinitionem Dei; neque ideò Deus operatur modo confuso, & cœco, aut præter intentionem, cùm supponat Scientiam Mediam, per quam Deus videt ipsam hominis determinationem, ad quam intendit concurrere, si ipse homo velit operari.

708. Instabis: Nihil potest fieri, nisi Deus velit; sed materiale peccati fit; ergo Deus vult fieri; consequenterque poterit illud prædefinire. Respondeo primò negando majorem, nam ut aliquid fiat, sufficit ut Deus actum non impediat, & velit concurrere, & non requiritur, ut velit fieri. Respondeo secundò distinguendo majorem: nisi Deus velit, aut positivè, aut solùm permissivè; concedo majorem: semper positivè; nego majorem: Deus autem ad efficientiam peccati solùm se habet permissivè.

709. Urgebis: Deus potest prædefinire actiones bonas, eique tribuuntur; ergo etiam sic ei poterunt tribui malæ, easque poterit prædefinire; siquidem non aliter concurrit Deus ad bonas naturales (de quibus hîc loquimur,) quàm ad malas. Respondeo negando consequentiam, ad cujus probationem datur diversa ratio, quia cùm Deus indiderit voluntati virtutem operandi, ut benè operetur, & ad id suum concursum præparaverit, benè potest ei actio bona tribui, illamque prædefinire: at verò cùm non creaverit naturam, ut malè operaretur, neque ad id, sive ad eum finem suum concursum præparaverit, & malam actionem prohibuerit, non potest hæc ei tribui, neque ab eo prædefiniri: sic etiam non potest ei tribui ex eo, quod illam non impediat, cùm possit, quia ad id non tenetur: neque ex eo, quod ad illam concurrat, sicut ad bonam concursu universali, quia actio non

sumit

sumit speciem per respectum ad concursum Dei universalem.

710. Replicabis : Illa entitas, quæ est in actu malo, procedit re ipsa per actionem Dei, quæ terminatur ad ipsum actum singulare, prout est à parte rei; siquidem est eadem cum actione causæ secundæ, quæ sic producit ipsum actum; sed ex eo, quod sic procedat à causa secunda, ei tribuitur; ergo etiam sic poterit Deo tribui, & ab eo prædefiniri. Respondeo ex hoc solùm sequi, quod Deus velit suum concursum, & id, quod est idem cum influxu creaturæ; non autem quod velit terminum talis influxûs, nempè ipsum actum productum.

711. Argues 10. Deus producit materialitatem peccati, quin producat ejus formalitatem; ergo à fortiori poterit liberè prædefinire materialitatem ipsius peccati, quin ejus formalitatem prædefiniat, sed erit præter illius intentionem. Respondeo negando consequentiam, diversa ratio est, quia productio, cùm sit influxus physicus, solam entitatem physicam producit, qualis non est formalitas peccati, sed aliquid tantùm morale, ideòque non producitur: at verò prædefinitio, cùm sit actus intentionalis, potest tendere, non solùm ad esse physicum, sed etiam ad morale, ut tenderet in hoc eventu, nam cùm illud physicum peccati productum cum advertentia, & deliberatione non possit nō secum ferre malitiam ipsius peccati, Deus prædefiniendo ipsum physicum peccati, etiam saltem interpretativè, & virtualiter prædefiniret ejus malitiam formalem, quod implicat.

DISPUTATIO III.

De Causis Prædestinationis.

SECTIO I.

Vtrùm dentur Causæ aliquæ nostræ Prædestinationis?

1. CUM causæ prædestinationis possint esse, aut ex parte Dei prædestinantis; aut ex parte ipsius prædestinati; aut ex parte unius hominis justi respectu alterius; aut ex parte Christi respectu omnium prædestinatorum, de his omnibus hîc specialem Sectionem suo ordine instituemus; in præsenti igitur inquirendum de causis prædestinationis ex parte Dei: Pro quo sit:

2. Difficultas 1. Utrùm, & quales sint causæ ex parte Dei ad nostram prædestinationem? Supponendum est primò, causam aut esse physicam, aut moralem: Physica est illa quæ physicè, & per physicum, ac realem influxum influit in effectum, & prout alibi diximus in Philosophia dividitur in formalem, materialem, finalé, & efficientem: Moralis propriè est illa, quæ non influit physicè in effectum, sed applicat, & inducit moraliter causam liberam ad aliquid agendum, dividiturque in Meritoriam, Satisfactoriam, Impetratoriam, & Dispositivam. Dixi *propriè*, quia ipsamet causa physica, si sit libera, propter ipsam libertatem, quam addit supra causam necessariam, dicitur etiam causa moralis, sed minùs propriè.

3. Supponendum secundò ex supra dictis, prædestinationem esse actus immanentes in Deo, sicque realiter idem cum ipsâ Essentiâ Divinâ, ac proindè secundùm suam entitatem, & rationem formalem non habere in Deo ullam causam physicam, neque efficientem, quia in Deo nihil est factum: neque finalem, quia Deus ad nullum finem, nequidem ad se ipsum propriè ordinatur: neque materialem ac subjectivam, quia neque prædestinatio est accidens, neque in Deo ulla est potentia passiva: neque formalem, quia cùm prædestinatio sit ipse Deus, & forma non formata, seu actus purissimus, non potest habere aliam causam formalem: habere tamen causam physicam, si sumatur in ordine ad effectus; siquidem cùm hi sint entitates creatæ, qualis est gratia, & gloria, proprias habet causas physicas.

4. Supponendum tertiò, solùm hîc inquiri de causa morali prædestinationis, & hanc posse considerari, aut in ordine ad actus divinos secundùm illud tantùm, quod dicunt intrinsecum; aut in ordine ad ipsos actus secundùm quod *dicunt* extrinsecum, sive quoad terminationem; aut in ordine ad effectus, qui ponuntur in prædestinato: Si primo modo, constans est inter Doctores, nullam habere causam, neque moralem; siquidem cùm sit entitas increata, imò & ipse Deus, ut diximus, sicque omnibus modis necessaria, excludit omnem causam, à quâ dicat dependentiam; sicque tota difficultas procedit de causa morali secundo & tertio modo considerata.

5. Supponendum quartò, prædestinationem in ordine ad causam moralem prout sic consideratam sumi posse, aut adæquatè prout includit intentionem finis, & electionem mediorum juxta ea, quæ supra diximus: aut inadæquatè pro sola intentione finis, vel pro sola electione mediorum, imò & pro singulis singulorum mediorum electionibus, comprehendendo etiam primam vocationem, aut eam excludendo.

6. Supponendum quintò, difficultatem solùm procedere de causa morali minùs propriâ prædestinationis nostræ; siquidem propria, etiam moralis in Deo esse non potest neque meritoria, neque satisfactoria, neque impetratoria, neque dispositiva. Patet, quia hujusmodi causæ in suo modo causandi aliquam involvunt imperfectionem in persona operante, quatenùs hæc debet esse inferior, & subjecta personæ, apud quam meretur, satisfacit, imperat, & disponitur. Undè sermo tantùm est de causa motiva, sive de objecto formali, quod est causa minùs propria respectu actuum divinorum, prout terminantur ad extrinsecum. His suppositis.

7. Dico 1. In Deo aliqua fuit ratio specialis motiva præter consilium & libertatem divinam ad eligendum efficaciter ad gloriam aliquas creaturas rationales. Ita *D. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 11. & 12. D. Thom. hic q. 23. & cum illis P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 25. n. 2. & 3.* Probatur primò ex illo ad Ephes. 1. 11. ibi: *Prædestinati secundùm propositum..... ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante sperávimus in Christo.* Ubi gloriam Dei assignat rationem motivam nostræ prædestinationis; ergo &c.

8. Probatur secundò ratione, quia Deus semper operatur modo prudentiori; sed modus prudentior operandi est, quod Voluntas Divina ducatur ab aliqua

ab aliqua ratione motiva, quando hæc reperiri potest, quàm quod à sola sua libertate ducatur; talis autem ratio illic reperiebatur, nempè ostensio divinæ gloriæ, bonitatis, liberalitatis, dominii, ac sapientiæ, quatenùs Deus ex se, nullis attentis meritis ex parte hominum, & Angelorum, eos ad tantum bonum eligebat, & ita sapienter conjungebat infallibilitatem sui decreti cum mutabilitate libertatis creatæ, ut neque illa hanc destrueret, neque hæc illam impediret; ergo Deus à tali ratione motus fuit ad aliquas creaturas rationales eligendas ad gloriam.

9. Dico 2. In Deo data etiam fuit causa motiva ad aliquos tantùm Angelos, & homines eligendos, & non omnes, quot erant producendi. Ita *P. Soar. cit. n. 4. P. Tanner. d. 3. de prædest. q. 4. dub. 1. n. 6.* & alii communiter. Probatur primò, quia sic meliùs ostendebatur Misericordia divina, & ejus dominium, quatenùs nullâ prævisâ inæqualitate ex parte eorum, aliquos præ aliis eligebat; ergo &c. Secundò, quia sic fuit necessarium ad ostendendam divinam Justitiam punitivam; quatenùs hæc habet pro objecto creaturas rationales existentes in massa perditionis; ergo &c.

10. Difficultas 2. Utrùm in Deo fuerit aliqua causa motiva ad eligendum hunc numerum prædestinatorum, & non majorem: & ad eligendum potiùs Petrum, quàm Paulum? Dico 1. In Deo præter divinam libertatem, nulla data fuit causa motiva, quæ à nobis cognoscatur, ad eligendum hunc prædestinatorum numerum, & non majorem, neque minorẽ. Ita *P. Soa. cit. n. 5.* cum communi Theologorum. Probatur, quia sicut Deus decrevit aliquos ex possibilibus producere, ita etiam decrevit aliquos ex producibilibus eligere; sed nõ potest reddi à nobis ratio, cur ex infinitis Angelis, & hominibus possibilibus elegerit Deus creare potiùs hunc, quàm illum numerũ; potiùs in hoc, quàm in illo tempore; in hoc, quàm in illo rerum ordine, nisi sola voluntas Dei libera; ergo neque ulla alia reddi poterit cur ex tot producibilibus elegerit potiùs hunc, quàm illum numerum prædestinatorum. Confirmatur, quia licet ex pluribus prædestinatis magis ostenderetur Misericordia Divina erga electos; etiam minùs ostenderetur Divina Justitia erga reprobos, si essent pauciores; ergo &c. Accedit, quod etiam erga electos minùs ostenderetur divina Misericordia; siquidem quò pauciores sunt electi, eò magis ostenditur Misericordia erga singulos.

11. Dico 2. Nulla data fuit causa motiva ex parte Dei, cur eligeret potiùs hunc numero hominem, nempè Petrum, quàm illum, nempè Judam. Ita *P. Soar. cit. cum D. Thom. 1. p. q. 23. art. 5. ad 3. P. Tanner. de prædest. d. 3. quæst. 4. dub. 1. num. 10. Richard. in 1. dist. 41. a. 2. q. 2. Hervæus in 1. dist. 40. q. 1. Durand. in 1. dist. 41. q. 2. P. Mol. 1. p. q. 23. a. 5. d. 1. memb. 6. P. Pereira ad Rom. 9. d. 12. & 13. P. Arriaga de prædest. d. 37. sect. 6. n. 47.* & alii. Probatur primò ex Scriptura Matth. 20. 13. *Amice non facio tibi injuriam..... volo & huic dare sicut & tibi..... aut non licet mihi, quod volo facere?* Et ad Rom. 9. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* & ibidem. *Antequam quidquam boni, aut mali egissent.* Et *non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*: ex quibus, & aliis similibus locis colligitur, totam rationem motivam ex parte Dei ad eligendum potiùs hunc, quàm illum fuisse solam ejus voluntatem, & libertatem; ergo &c.

12. Probatur secundò, ex Sanctis Patribus, D. Aug. lib. 1. de prædestinat. Sanctor. cap. 8. *Cur ergo*, ait, *non omnes docet, ut veniant ad Christum? Nisi quia omnes, quos docet, misericordiâ docet, quos autem non docet, judicio non docet; quoniam cujus vult miseretur, & quem vult obdurat.* Idem habet cap. 9. & lib. de bono persever. cap. 8 & cap. 11. & tract. 26. in Joan. & lib. 1. ad Simplician. q. 2. & lib. de Spirit. & liter. cap. 34. Et D. Prosper. lib. ad excerpta Genuens. respons. ad dub. 9 *Quare autem*, inquit, *non omnes, aut quare illos potiùs, quàm illos liberat, nec necessarium est quærere, nec possibile reperire: cùm omissis discretionis istius causis, scire sufficiat, quod nec Misericordia Justitiam, nec Justitia auferat Misericordiam apud eum, à quo nemo nisi justè damnatur, nemo nisi misericorditer liberatur.* Idem habet Respons. ad dub. 4 & 7. & habet D. Fulgent. & alii Sancti Patres, de quibus supra *d. 3. à n.*

Probatur tertiò rationibus: Prima, quia nullus 13.
hactenùs assignavit aliquam rationem hujus electionis ex parte Dei præter ejus liberam voluntatem; ergo signum est, quod non detur alia ab hominibus cognoscibilis. Secunda, quia non assignatur ratio aliqua motiva ex parte Dei, præter ejus liberam voluntatem, cur potiùs elegerit hanc humanitatem, & non aliam æquè perfectam, aut perfectiorem ad Unionem Hypostaticam: ex duabus partibus materiæ elegerit hanc ad formam hominis, & illam ad formam equi; sicque de aliis; ergo neque cur elegerit potiùs hunc, quàm illum hominem ad gloriam. Tertia, quia æquè manifestarentur Attributa Divina, si sortibus mutatis, Petrus, qui de facto est prædestinatus, reprobaretur, & Paulus, qui de facto est reprobatus, eligeretur; ergo quod ille, & non iste fuerit electus, solùm habuit rationem motivam in voluntate Dei liberâ sic eligentis.

Dices 1. cum *D. Bonav. in 1. dist. 41. a. 1. quæst. 2. Aureol. in 1. dist. 41. q. 1. P. Granad. tract. 10. d. 2. sect. 5.* quatenùs inquit, Deum ita fuisse moraliter necessitatum ad salvandos hos numero, qui de facto salutem præ aliis consequuntur, ut si ita non fecisset, non esset Deus: Fundatur, quia Deus necessitatur ad illud, quod est melius moraliter; sed meliùs moraliter erat, quod salvarentur, qui de facto salvantur, quàm alii; ergo &c. Respondeo negando majorem, ut patet ex alibi dictis in Philosophia *tom. 1. tr. 5. d. 5. à n. 409.* data tamen majori, unde probatur fuisse moraliter melius salvari hunc numero Petrũ potiùs, quàm Paulum, si Deus, illo omisso, hunc eligeret? cùm autem non appareat unde probetur, ideò absolutè neganda est minor. 14.

Dices 2. Passim in Scriptura commendatur divinum Consilium, & Sapientia in eo, quod potius hi, quàm illi salventur; sed si tota causa esset voluntas divina, non ita id faceret, cùm satis esset, si uno verbo diceretur: *Ideo salvantur, quia Deus ita voluit*, quin esset necessarium recurrere ad thesaurum Sapientiæ, & Scientiæ divinæ, ut patet ex illo ad Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei*; ergo aliquæ fuerunt causæ occultæ præter Voluntatem Divinam, quas tamen ignoramus, & solus Deus scit, propter quas Deus potiùs hos, quàm illos voluit salvare, & quas nos postea sciemus in cœlo, ut ait D. Aug. *in Enchirid. cap. 95.* ibi: *Tunc non latebit, quod nunc latet, cur scilicet ille potiùs, quàm iste fuerit assumptus, cùm causa una fuerit ambobus.* Respondeo negando minorem; neque enim in illo consilio, & Sapientiâ significatur aliquid diversum à Libertate Divina, ut patet ex locis citatis *num. 11.* quam D. Aug. etiam dicit à nobis in cœlo clarè, & sine dubitatione cognoscendam, nempè quod sola Voluntas divina fuerit tota causa nostræ electionis, sine alia ratione 15.

motivâ, licet nos nunc lateat, & non ita clarè illam cognoscamus.

16. Advertes tamen, si adhuc perseveres, & affirmes, Deum propter aliquas rationes motivas sibi notas, nobis verò ignotas, hos potius, quàm illos elegisse, me non multum restiturum, dummodò admittas, potuisse etiam in se invenire alias infinitas æquales, & fortè meliores ad eligendos alios plures diversos, quibus de facto non fuit usus, utpotè qui non tenebatur eligere melius, in quo sensu locutus sum cum *P. Arriaga cit. num. 50.* Et ratio est, quia Deus, cùm sit agens rationale perfectissimum, non potest non agere propter aliquam rationem motivam ultra suam libertatem, licet opus non sit, quod noster intellectus semper eam assequatur ob limitationem sui luminis; ergo &c.

SECTIO II.

Virùm detur aliqua causa prædestinationis ex parte prædestinati?

17. ADvertes, quæstionem solùm procedere de causâ morali motivâ, meritoriâ, satisfactoriâ, impetratoriâ, & dispositivâ; nam de causa physica jam supra diximus, non habere locum in Deo. Hoc posito.

18. Difficultas 1. Utrùm in prædestinato præcesserit aliqua causa motiva, quâ Deus fuerit excitatus ad illum prædestinandum? Conclusio 1. Ex parte prædestinati præcessit causa motiva ad aliqua tantùm decreta prædestinationis. Ita *P. Soar. de prædest. lib. 2. cap. 2. n. 8. P. Alarcon. de prædest. d. 3. num. 5.* & alii. Probatur primò, quia Deus ex intentione nostræ gloriæ motus est ad decernendam nobis gratiam finalem, & propter hanc donum perseverantiæ, & propter hoc singula auxilia subordinata usque ad primam vocationem; sed gloria habet se ex parte prædestinati, & illa decreta pertinent ad prædestinationem; ergo jam ex parte prædestinati præcessit aliqua ratio motiva quoad aliqua decreta prædestinationis.

19. Probatur secundò, quia ad rationem motivam non requiritur, quod semper influat in voluntatem, sed satis est, si illam inclinet ad effectum; atqui salus prædestinati, positâ divinâ intentione efficaci, inclinavit Voluntatem Divinam ad eligenda media; sicut oratio inclinat ad id, quod petitur; miseria ad misericordiam; & peccatum ad justitiam; ergo ipsa salus fuit ratio motiva ex parte prædestinati, quâ Deus fuit excitatus ad ponenda illa decreta.

20. Dices 1. Voluntas divina non movetur, nisi à se ipsa, ut ait D. Thom. & deducitur ex illo Prov. 16. ibi: *Universa propter semet ipsum operatus est Dominus*; ergo neque respectu unius decreti potuit dari ex parte prædestinati aliqua ratio motiva. Respondeo D. Thomam, sicut & alios Theologos, solùm asseruisse, Voluntatem divinam non moveri, nisi à se ipsa, tanquam ab ultimo fine; hoc tamen non tollere, quod etiam possit moveri à creaturis ut à finibus non ultimis, in quo sensu est etiam intelligendus citatus locus.

21. Dices 2. Si daretur talis causa motiva ex parte prædestinati, hæc esset vera causa finalis respectu decretorum Dei; sed implicat, quod extra Deum detur talis causa; cùm ipse sit omnium creaturarum principium, & finis juxta illud Apoc. 22. 13. *Ego sum principium, & finis*; ergo &c. Respondeo rationem illam fuisse causam finalem decretorum Dei secundùm solam terminationem ad extrinsecum, nempè ad creaturas; & non secundùm esse intrinsecum; nam secundùm hoc, cùm actus divinus sit ipse Deus, sicque ens à se, & per essentiam omnibus modis, à nulla creatura potest causari, neque ut ab efficiente, neque ut à fine, cùm potiùs ipse sit omnium illarum prima Causa efficiens, & ultimus finis, quod intendit Scriptura loco citato.

Conclusio 2. Ex parte prædestinati non præ- 22
cessit causa motiva respectu totius prædestinationis adæquatè sumptæ. Ita Doctores citati. Probatur, quia intentio salutis pertinet ad prædestinationem, imò est ipsa prædestinatio formaliter, ut supra diximus; & tamen ad illam non præcessit ulla causa motiva ex parte prædestinati, ut patet ex supra dictis, & patebit ex dicendis, cùm potiùs illa fuerit finis omnium aliarum rerum, quæ spectant ad prædestinationem; ergo ad totam prædestinationem adæquatè sumptam non præcessit aliqua causa motiva ex parte prædestinati.

Dices: Ex parte Dei præcessit causa motiva to- 23
tius prædestinationis; ergo etiam ex parte prædestinati. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia ex parte Dei assignatur ejus gloria: at verò ex parte prædestinati nihil appareret, quod possit assignari. Urgebis: Ex parte Dei assignantur etiam ejus bonitas, & liberalitas; ergo ex parte prædestinati poterunt assignari ejus miseria, & fragilitas. Respondeo Bonitatem, & liberalitatem divinam fuisse causam motivam ad eligendos aliquos, non tamen hunc, aut illum, cùm æquè in quolibet manifestarentur: Undè etiam similiter miseria, & fragilitas, cùm æquè sint in quolibet, potuerunt esse motivum ad eligendum aliquos, non tamen hunc, aut illum, in quo sensu procedit resolutio.

Replicabis: Gloria divina, propter quam Deus 24
voluit decreta, & omnes effectus prædestinationis, nihil aliud est, quàm manifestatio perfectionum divinarum; sed talis manifestatio est ex parte prædestinati; siquidem talis manifestatio formaliter est cognitio talium perfectionum existens in ipso prædestinato; ergo jam ex parte illius præcessit aliqua ratio motiva totius prædestinationis. Respondeo distinguendo minorem: est ex parte hujus prædestinati per accidens; concedo minorem: per se; nego minorem: non est per se, quia satis est, quod talis manifestatio sit in aliis, & necesse non est, quod sit in hoc ipso prædestinato, ideoque, si in illo detur, est tantùm per accidens, ac proindè solùm per accidens erit ratio motiva illius prædestinationis adæquatæ; quod nos non negamus, sed tantùm quod per se loquendo detur in illo. Accedit etiam dici posse, gloriam divinam, quæ est ratio motiva prædestinationis adæquatè, non esse manifestationem illam, sed actum complacentiæ divinæ indè ortum; consequenterque esse aliquid increatum existens in Deo, & non in prædestinato.

Difficultas 2. Utrùm detur causa meritoria præ- 25
destinationis ex parte prædestinati? Variè in hac re errarunt hæretici varias assignantes causas prædestinationis totalis ex parte prædestinati, quas jam supra retulimus, & hîc iterum referemus, iis exceptis, quibus eorum sententias refutavimus. Primus error fuit Manichæorum, & Priscilianistarum

nistarum asserentium causam prædestinationis, & reprobationis ex parte hominum esse diversa corporum temperamenta accepta ex diversa constellatione, sub qua singuli nati sunt, adeò ut prædestinati sint, qui bono temperamento sunt præditi, & sub bona constellatione nati: è contra verò reprobi, qui sub malâ. Undè negarunt omnem causam moralem ex parte hominum, omnemque eorum libertatem, & solam causam physicam naturalem assignarunt, ut excusarent eos, qui damnantur, quatenùs dicebant necessitate quadam damnari; & expellerent omnem occasionem se gloriandi ab eis, qui salvantur, quatenùs asserebant etiam necessariò salvari.

26. Hujusmodi error damnatus fuit à *Concil. Bracharens. 1. cap. 8. & à Leone I. in Epist. 91. ad Turibium cap. 11.* illumque improbant *D. Aug. lib. de hæresibus cap. 70. D. Hieron. Epist. 8. D. Greg. hom. 10. in Evangel. D. Prosper. lib. 1. de Vocat. gent. cap. 14.* & cum illis *P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 4. num. 2.* Convincitur primò ex illo Jerem. 10. *A signis cæli nolite timere, quæ gentes timent.* Secundò, quia Jacob, & Esau sub eadem constellatione nati sunt; & tamen dispar fuit eorum eventus, ut patet ex illo ad Rom. 9. 13. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Tertiò, quia inter infideles multi inveniuntur optimo temperamento, & constellatione nati; & inter fideles multi sancti malo temperamento, & constellatione nati; & tamen neque hi damnantur, neque illi salvantur. Quartò, quia neque temperamentum, neque stellarum constellatio auferunt libertatem ad benè, aut malè operandum; ergo ex illis non potest desumi causa prædestinationis, aut reprobationis.

27. Secundus error fuit discipulorum Valentini, & Basilidis dicentium, diversas esse naturas animarum, quasdam esse terrenas, ac necessariò addictas terrenis cupiditatibus, & has reprobari: quasdam verò spirituales, quæ peccare non possunt, & has prædestinari. Rejicitur primò, quia satis constat inesse hominum animis liberum arbitrium ad peccandum, aut non peccandum. Secundò, quia si opera animarum, tam terrenarum, quàm spiritualium sunt necessaria, neque harum opera sunt bona, sicque neque causa prædestinationis; neque illarum opera sunt peccata, sicque neque causa reprobationis. Tertius error fuit Origenis existimantis, animas ante hunc mundum fuisse creatas, & tunc alias bona, & alias mala opera egisse, easque, quæ bona egerunt, post unionem ad corpus prædestinatas fuisse, quæ verò mala, fuisse damnatas. Hic Origenis error fuit damnatus prout supra diximus *d. 2. n. 271.*

28. Quartus error fuit Lutheri, & Calvini asserentium, solam Voluntatem Divinam fuisse totalem causam nostræ prædestinationis, & quoad primam intentionem, & quoad ejus executionem, quin aliquis ejus effectus possit ab hominibus mereri, quod asserunt, quia nullam libertatem moralem in nobis agnoscunt in ordine ad res supernaturales, licet eam concedant in ordine ad res civiles, sicque affirmant, Deum sine causa reprobare, necessitatem peccandi inducens, & prædestinare, inferens necessitatem bonorũ operum, ita ut in nobis & bona & mala operetur, prout supra diximus *d. 2. n. 230. & 276.* Hic error tanquam hæreticus damnatus fuit à Concil. Trid. *Sess. 6. cap. 5. & 6. & Can. 4.* ibi: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque possit dissentire, si velit, sed veluti inanime quòdam nihil omninò agere, meròq; passivè se habere: anathema sit.* Et *Sess. 14. cap. 8. & 9.* ubi definit dari in nobis veram satisfactionem erga Deum, quæ stare non potest sine libertate morali. Et *Sess. 6. cap. 7.* ubi repetens illud Christi Domini Matt. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: declarat, observantiam liberam mandatorum nobis acquirere salutem in executione. Contra hunc etiam errorem sunt illud Zachar. 1. 3. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Ubi Trid. *Sess. 6. cap. 5. Libertatis nostræ*, ait, *admonemur.* Et illud 1. Reg. 7. 3. *Præparate corda vestra Deo.* Et illud Prov. 16. 1. *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.*

Quintus error fuit Pelagianorum affirmantium, 29.
sola opera bona naturalia ex libero arbitrio facta sine auxilio gratiæ fuisse causam nostræ prædestinationis. Hic etiam error fuit damnatus à pluribus Conciliis, & Sanctis Patribus, ut diximus supra *d. 2. n. 272. & 273.* Sextus error fuit Semipelagianorum, qui hunc Pelagii errorem per alium limitarunt, de quo nos etiam supra *d. 2. n. 274.* ubi *n. 275.* illum esse damnatum ostendimus. Qualesnam sint in hac re Catholicorum sententiæ vide apud *P. Tanner. d. 3. de Prædest. q. 4. dub. 4.* per totum. Ubi sex assignat Doctorum sententias diversas, quas modò examinare longiùs esset, cùm ad alia pertractanda nobis tempus non sufficiat.

SECTIO III.

Proponitur, & defenditur Sententia tenenda.

DIco 1. Nulla data fuit causa meritoria ex parte prædestinati ad primã ejus electionem, tam ad gloriam, quàm ad media, 30.
sed ratio eligendi hunc potiùs, quàm illum fuit beneplacitum divinum. Ita *D. Thom. 1. p. q. 23. art. 5. & 3. contr. gent. cap. 161. & 163. ubi Cajet. Bannez, Zumel. Ferrar. Magist. in 1. dist. 40. & 41. Scot. Durand. Greg. Capreol. Ægid. Richard. Major. Hispal. D. Antonin. 4. p. tit. 14. cap. 12. §. 4. Abul. in Matt. 20. q. 111. Cordub. lib. 1. q. q. 56. Marsil. in 1. d. 41. art. 2. Arimin. dist. 41. quæst. 1. Driedo de Concord. liber. & prædest. part. 1. cap. 3. Sotus in Rom. cap. 9. P. Bellarm. lib. 2. de grat. & liber. arbit. cap. 14. & sequent. P. Valent. hic q. 23. punct. 4. §. 4. P. Molin. hic art. 5. d. 1. memb. 11. P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 23. num. 20. P. Vasq. d. 91. cap. 11. P. Less. de prædest. sect. 1. P. Tanner. d. 3. de prædest. q. 4. dub. 5. num. 22.* & alii. Probatur primò authoritate Scripturæ. Psal. 30. *In manibus tuis sortes meæ*, ubi ex D. Aug. nomine *sortes* intelliguntur electiones ad salutem, & ad media ex mera Dei liberalitate sine nostris meritis nobis concessæ. Et ad Rom. 9. 11. *Cùm non dùm nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali, &c.* Et infrà 14. *Miserebor, cujus misereor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ubi divinæ prædestinationis consilium in solam Dei Misericordiam refertur. Et ad Ephes. 1. *Elegit nos, ut essemus sancti, &c.* Ut *essemus*, ait, non quia jam eramus sancti; ergo sanctitas est effectus, & non causa meritoria illarum electionum. Hoc idem habetur pluribus aliis locis supra citatis *d. 2. à num. 284.* Confirmatur authoritate Sanctorum Patrum, & Conciliorum, de quibus supra loco proximè citato *n. 305. & 321.*

31. Probatur secundò rationibus: Prima, quia ut supra diximus, intentio dandi gloriam, & electio mediorum fuerunt ante prævisa merita in esse absoluto; siquidem intentio fuit ante electionem, & electio fuit ante ipsa merita; cùm sit eorum causa; sed in illis consistit prædestinatio ex parte Dei, ut etiam supra diximus; ergo prædestinatio ipsa nullâ supponit causam meritoriam ex parte prædestinati.

Secunda, quia prædestinatio est opus Misericordiæ, & non Justitiæ Divinæ, ut constat ex illo ad
32. Tit. 3. ibi: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit*; sed non ita esset, si aliquam supponeret causam meritoriam; ergo &c. Tertia, quia prædestinatio fuit principium totius meriti; siquidem ex intentione efficaci salutis orta fuit electio mediorum, sive meritorum, quod est idem, & ex ipsa electione orta sunt merita; sed principium meriti non potest cadere sub meritum; ergo neque prædestinatio habet causam meritoriam. Vide alias rationes supra *d. 2. à n. 325.*

Argues 1. Ideò merita prædestinatorum non essent causa meritoria primæ electionis, neque
33. possent eam mereri, quia sunt post illam; sed hoc non obstat; siquidem etiam opera Christi Domini fuerunt post gratiam datam primis Parentibus; & tamen eam ipsis meruerunt; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: non obstat, si essent posteriora solùm in tempore; concedo minorem: si sint posteriora, non solùm in tempore, sed etiam in existentiâ objectivâ; nego minorem: nam cùm meritum sit causa efficiens moraliter, debet prævideri existens, ut causet: talia autem non fuerunt merita prædestinatorum; siquidem prædestinatio fuit eorum causa etiam in existentia objectiva, consequenterque prior illis etiam ita sumptis: at verò merita Christi Domini, licet fuerint tempore posteriora gratiâ datâ primis Parentibus, fuerunt tamen priora in existentiâ objectivâ, & prout sic potuerunt esse causa meritoria illius.

Argues 2. Rex dat equum militi, ut per bonum illius usum in bello solvat eum: homo vendit vi-
34. neam, ut mercator ex ejus fructibus solvat pretium: & sæpius datur pecunia operario in mercedem operis futuri; ergo etiam potuit Deus primò prædestinare motus, ut ex causa meritoria, ex meritis, quæ ex ipsa prædestinatione postea sequerentur. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in Rege equus datus non habet rationem præmii; neque enim possunt præmiari merita, quæ adhuc non sunt, & de quibus dubitatur, an sint futura; sed solùm habet rationem medii ad habenda merita, ut finem, per pugnam; finis autem non movet, quia jam est, sed ut sit: at verò meritum movet, quia est, & habet rationem causæ efficientis moralis, ideòque opus est, quod prævideatur existens, antequam causet voluntatè dandi præmium; cùm autem non ita prævideatur merita, non possunt esse causa meritoria talis voluntatis, sive prædestinationis.

35. Ad alia exempla eodem modo respondemus, dicimus enim, venditionem vineæ, & donationem pecuniæ ad faciendum opus, esse tantùm media ad solutionem, & opus faciendum, ut ad finem, quod non repugnat in contractibus, ideoque etiam non repugnat, quod fiant ante eorum prævisionem in esse absoluto, sicut repugnat in præmio. Addo, sicut Rex primò movetur gratis ex parte actûs ad dandum equum militi propter pugnam; homo ad vendendam vineam; & conductor ad dandam pecuniam operario; ita etiam posse Deum moveri primò gratis ex parte actûs ad dandam gloriam, licet tradendam in executione per merita; hoc tamen non est mereri ipsam primam electionem, sed postea ejus executionem, & traditionem, de quo non est quæstio.

Argues 3. Ideò prædestinatio non haberet cau- 36.
sam meritoriam ex parte prædestinati, quia Scriptura id affirmat, quatenùs dicit, homines fuisse gratis, & liberaliter electos; sed hæc ratio non obstat; siquidem etiam Scriptura, & Concilia affirmant, homines gratis & liberaliter justificari; & tamen communis sententia in materia de merito asserit, eos mereri de congruo ipsam primam justificationem per ultimam dispositionem ad illam; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem datur diversa ratio, quia prima justificatio supponit primum auxilium, & in eo fundatur, quod cùm sit gratis, & liberaliter donatum, etiam ipsa dicitur gratiosa, si non formaliter inse, quia meretur de congruo ab ea ultima dispositione, saltem in radice: at verò prædestinatio in ea prima electione nullum supponit meritum supernaturale etiam de congruo, ut ratione illius dici possit habere causam meritoriam, saltem in radice, ac proinde tota est liberalis, & gratiosa.

Argues 4. Si non datur causa meritoria præde- 37.
stinationis ex parte prædestinati, sequitur non esse in ejus manu ponere se in numero prædestinatorum, neque in manu reprobi ab eo se excludere; sed hoc est falsum: tum quia inde sequeretur illum necessariò salvari, & hunc damnari: tum etiam quia est contra D. Aug. ita suadentem: *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris*; ergo &c. Respondeo primò cum aliquibus negando majorem; dicunt enim, prædestinationem, neque ponere necessariò salutem, cùm prædestinatus possit non salvari: neque in se esse necessariam ad salutem, cùm adhuc reprobus sine illa possit consequi salutem, ad quam habet auxilia sufficientia. Non placet, neque enim benè conjunguntur hæc duo: *Salvari, & non esse prædestinatum*: *damnari, & esse prædestinatum*: licet enim prædestinatus specificativè loquendo, adhuc habeat facultatem, *ut non* salvetur, & reprobus, ut salvetur, est tantùm potestas physica, & non moralis; siquidem factâ suppositione, ille necessariò salvabitur, & hic necessariò damnabitur: unde:

Respondeo secundò distinguendo majorem: 38.
sequitur non esse in manu ejus ponere se in numero prædestinatorum per aliquod meritum antecedens; concedo majorem: per cooperationem cum auxilio, complendo illud in ratione efficacis per consensum conditionatè prævisum; nego majorem: nam licet prima electio, & donatio *auxilii* tota sit à Deo, ut tamen ipsa electio, & auxilium compleantur in ratione efficaciæ, pendent à consensu liberi arbitrii; ideo enim vocatio est, aut non est congrua, quia ita eam facit prædestinatus cooperando, & non ita facit reprobus non cooperando; sicque in manu eorum est secundùm hoc complementum poni, aut non poni in numero prædestinatorum: at verò non ita est, ut primò eligantur, aut eis donetur illud auxilium, quod æquè datur reprobo, & prædestinato, & Deus liberè dat, ut vult, & quando vult.

Instabis: Si prædestinatio in tantùm esset in no- 39.
stra manu, & salus nobis esset libera, in quantùm cooperando auxiliis possumus reddere efficax auxilium nobis datum, sequeretur ipsam prædestinationem, & salutem non esse in potestate multorum; siquidem multis non dantur auxilia supernaturalia

naturalia, nempè gentilibus, qui nihil unquam de fide audierunt; sed hoc est falsum; ergo &c. Respondeo negando majorem, ad cujus probationē dicimus, per eos stare, ne aliquando habeant ipsa auxilia: tum quia saltem aliquando dubitarunt circa fidem, quam profitentur, & cùm ex hâc dubitatione potuissent inquirere veritatem, non ita inquisierunt: tum etiam, quia saltem resistere poterant peccatis, per quæ fiebant indigni habendi tales illuminationes, & inspirationes, & non ita restiterunt ponendo obicem divinæ gratiæ; Deus autem solùm voluit dare illam liberaliter non ponentibus ipsum obicem; sicque per illos stat, ne sint prædestinati, neque salventur.

40. Argues 5. Opera bona naturalia poterant esse causa meritoria totius prædestinationis: primò, quia mala merentur reprobationem; ergo etiam bona poterunt mereri æternam electionem: secundò, quia non sunt demeritoria; ergo sunt meritoria; cùm non possint esse omninò indifferentia in ordine ad præmium, aut pœnam, utpote determinatè bona: tertiò, quia aliquando fiunt ab homine sancto; ergo sunt sancta, & Deo grata; consequenterque non possunt non esse meritoria præmii supernaturalis, ut in simili dicitur de similibus operibus factis à Christo Domino; sed hujusmodi opera poterant antecedere electionē ad gloriam, & ad media, ergo jam potuit dari causa meritoria totius prædestinationis ex parte prædestinati.

41. Respondeo primò negando majorem, nam causa meritoria exigit præmium tanquam suum effectum moralem, eique ob talem exigentiam debetur: at verò opus naturale non ita exigit, neque ei debetur præmium supernaturale, cùm hoc sit supra omnem exigentiam, & debitum naturæ. Ad primam probationem datur diversa ratio, quia plus requiritur ad electionem, quàm ad reprobationem: hæc enim, cùm sit malum, sequitur ex quocumque defectu: at verò illa cùm sit bonum, non nisi ex integra causa. Ad secundam dicimus, talia opera esse meritoria solius præmii naturalis, cum quo habent proportionem, & cujus exigentiam habere possunt, nisi imperentur à charitate, aut ab alia virtute supernaturali; nam tunc erunt etiam meritoria præmii supernaturalis, non tamen propter honestatem naturalem sibi intrinsecam, sed tantùm propter extrinsecam participatam à virtute imperante.

42. Ad tertiam probationem dicimus, talia opera non sanctificari à gratia, licet hæc detur in supposito, & sanctificet naturam; siquidem non influit in talia opera, sed habet se tantùm per accidens respectu illorum, cùm possent æquè fieri, etiamsi non daretur ipsa gratia: sanctificat verò naturam, quia cum illâ unitur ut ejus forma, cui communicat suum effectum formalem; non autem sic unitur operibus naturalibus, ut eis suum effectum communicet. Ad illud de Christo Domino eodem modo respondent aliqui. Alii verò in illo concedunt, & diversitatem assignant, quia Sanctitas Christi Domini pertinet ad constitutionem suppositi; cùm autem actiones, etiam naturales sint suppositi, etiam has sanctificat, & dignificat in Christo Domino ejus Sanctitas: at verò sanctitas sive gratia accidentalis non ita constituit hominem, ideòque non sanctificat omnia ejus opera, sed ea tantùm, ad quæ concurrit per virtutes supernaturales, ut per suas proprietates. Accedit, argumentum quoad hanc probationem supponere, dari gratiam in subjecto, cùm tamen à principio supponat nullam dari.

Respondeo secundò cum P. Arriaga hîc *d. 37. sect. 1. n. 9.* data majori, & minori, negando consequentiam: nam admisso, quod ante electiones ad gloriam, & ad media detur aliquod bonum opus naturale, quod sit illarum causa, tunc prædestinatio deberet incipere ab auxilio naturali requisito ad tale opus; siquidem ab illo connexione quadam infertur totum negotium prædestinationis; cùm autem tale auxilium naturale non posset cadere sub meritum, cùm esset ante omne meritum, etiam naturale, adhuc in ea hypothesi tota prædestinatio non posset cadere sub meritum, neque habere causam meritoriam. 43.

Instabis: Homo in statu puræ naturæ per contritionem naturalem poterat mereri de condigno remissionem peccati, saltem venialis; & tamen ipsa remissio esset donum supernaturale, siquidem esset ejusdem rationis cum hac, quæ de facto datur, quæ supernaturalis est; ergo jam per opus naturale potest mereri præmium supernaturale. Respondeo data majori, de qua in materia de Pœnitentia, negando minorem: nam tunc ipsa remissio fieret, aut per gratiam naturalem; aut per solam condonationem naturalem extrinsecam; siquidem homo tunc non esset elevatus ad statum supernaturalem; sicque esset diversa ab hac, quæ de facto datur; hæc enim, cùm de lege ordinariâ non fiat, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, & ipsa infusio sit supernaturalis, etiam talis erit ipsa remissio. 44.

Urgebis: Sacramenta, cùm sint naturalia, elevantur à Deo, ut producant gratiam supernaturalem; ergo etiam, ut eam mereantur; idemque dicendum de illa contritione naturali. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Sacramenta sunt tantùm causæ instrumentales, Deus autem est causa principalis, in cujus virtute illa operantur, & producunt effectum supernaturalem: at verò meritum est causa principalis respectu præmii, Deus autem nihil meretur, sicque non possunt elevari ad merendum; licet enim causa instrumentalis possit elevari ad effectum supernaturalem, non ita elevari potest causa principalis naturalis. Addunt aliqui, Sacramenta esse tantùm causas efficientes; meritum autem non ita, sed etiam est causa formalis, quatenùs ita moraliter producit in præmiante voluntatem præmiandi, ut etiam disponat subjectum formaliter ad illud, dando ei condignitatem ad illud per sui communicationem; sic licet causa purè efficiens possit elevari, non ita potest, quæ est simul efficiens, & formalis; siquidem cùm ut formalis communicet suum effectum per suam essentiam à se indistinctā, & hæc sit immutabilis, non potest elevari ad causandum effectum diversum, atque illa est in se. 45.

Argues 6. Merita in ordine intentionis sunt priùs, quàm prima auxilia: tum, quia positâ electione ad gloriam, statim merita sunt futura: tum etiam quia in executione sunt posteriora ipsis auxiliis; quæ autem sunt posteriora in executione, sunt priora in intentione; ergo sic prævisa potuerunt esse causa meritoria ipsorum auxiliorum. Respondeo distinguendo antecedens: sunt priùs, quàm prima auxilia in decreto eligente; concedo antecedens: in se; nego antecedēs: nam ut viderentur futura in se, debebant videri cum omnibus suis causis, & non ita tunc videntur, ut supponit argumentum, siquidem non videntur auxilia, & gratia, quæ etiam sunt eorum causæ: at verò, ut res sit causa meritoria, debet esse futura in se, & non solùm in alio; neque enim sufficit, quod ignis videatur existens in 46.

decreto divino, ut possit causare, sed necesse est, ut existat in se; sicque similiter.

47. Dico 2. Pars, tam prædestinationis, quàm effectuum illius, quando tendit ad executionem, supponit causam meritoriam ex parte prædestinati. Probatur primò, quia ex Trid. *Sess. 6. cap. 5. & 6.* homo disponit se per pœnitentiam, & actus aliarum virtutum ad primam gratiam, ita ut Deus intuitu illarum det eam, saltem de congruo; sed hi sunt effectus prædestinationis; ergo jam aliqui habent causam meritoriam, saltem de congruo, ex parte prædestinati. Secundò, quia Deus non movetur ad dandum in executione augmentum gratiæ, imò & ipsam gloriam, nisi præcedentibus nostris meritis; alioqui ipsa gloria non acciperetur ut præmium, & corona justitiæ, ut docet Apostolus 2. Tim. 4. 8. ibi: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ*; sed illa est magna pars prædestinationis, & effectus illius; ergo hæc supponit causam meritoriam ex parte prædestinati.

48. Tertiò, quia in Scriptura sæpiùs significatur, prædestinationem supponere causam meritoriam, ut patet ex illo 1. Cor. 2. 9. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Et Matt. 25. 23. *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam*: Idemque docent D. Amb. *lib. 5. de Fide cap. 3.* D. Aug. *serm. de Verbis Domin.* & alii Patres; sed non ita supponit in prima electione, ut probavimus; ergo illam supponit in executione.

49. Dico 3. Pars prædestinationis, & effectuum illius, neque in executione supponunt causam meritoriam ex parte prædestinati. Ita Doctores supra citati cum communi Theologorum. Probatur, quia voluntas dandi primas vocationes congruas, & prima auxilia excitantia, pertinet ad prædestinationem, ut nullus dubitabit; & tamen non supponit causam meritoriam ex parte prædestinati, etiam in executione, ut sæpè explicat Scriptura. Joan. 6. ibi: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum*: & sæpè alibi: & ut definitur in Concil. Arausi. 2. *can. 25.* ibi: *Ipse nullis præcedentibus meritis bonis, & fidem, & amorem sui imperat, ut baptismi gratiam requiramus*: Et in Trid. *Sess. 6. cap. 5.* asserente, *Exordium justificationis sumi ex divina vocatione, nullis præcedentibus meritis*: & hoc idem approbat commune illud Theologorum axioma: *Principium meriti non potest dari in præmium ipsius meriti*, sive non cadit sub meritum; ergo jam pars prædestinationis, & effectuum illius non supponit causam meritoriam ex parte prædestinati.

SECTIO IV.

Virùm bona opera naturalia fuerint saltem causa dispositiva Prædestinationis?

50. Suppono primò, dispositionem dupliciter distingui à merito: Primò in eo, quod meritum sit obsequium cedens in utilitatem, & honorem præmiantis; & non ita pura dispositio. Patet in dotibus virtutum, ac litterarum, quæ sunt dispositiones ad hoc, ut religiosus eligatur in prælaturam; & tamen non sunt ejus meritum. Secundò in eo, quod meritum respiciat præmium indifferenter, aut sibi, aut aliis conferendum juxta promissionem, & acceptationem Dei, & non ita dispositio; siquidem hæc solùm respicit rem conferendam ipsi personæ operanti, quam disponit, ac dignificat.

Suppono secundò, dispositionem sumi posse, aut positivè, aut negativè. Positivè sumitur, quando ponit aliquid conducens ad formam, ad quam disponit; quod etiam fit, aut directè, ut quando ponit aliquid exigens formam, aut saltem terminans ejus exigentiam: aut indirectè, quando ponit aliquid removens impedimenta, quibus remotis, forma aliquo modo debetur subjecto. Negativè sumitur, quando, licet non moveat positivè ad formam, non ponit tamen impedimenta ad illam, in quo sensu subjectum minùs indispositum dicitur magis dispositum; hoc autem non habet meritum; siquidem semper debet ponere aliquid positivum factum in obsequium præmiantis, & non sufficit, quod persona, quæ meretur, habeat se merè negativè. His suppositis. 51.

Difficultas 1. Utrùm bona opera naturalia potuerint disponere positivè ad prædestinationem directè, aut indirectè? Negativè. Est cõmunis Theologorum. Ita *D. Thom. 1. p. q. 23. a. 5. D. Bonav. Alens. P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 7. n. 22. P. Tanner. hic d. 3. q. 4. dub. 5. num. 1.* ubi dicit hanc assertionem, licet non sit apertè de fide, esse tamen adeò certam, ut oppositum non sit tutum, ut communiter censent Doctores, quorum plures citat *dub. 5. n. 22.* & nos supra citavimus *num. 30.* Probatur primò ex Scriptura sæpius docente in iis, quæ ad salutem pertinent, hominem nihil præstare, neque vitare peccata, neque ab illis posse esse immunem sine gratia, neque hanc posse solis viribus naturæ comparare. Et in primis Joan. 15. 1. *Sine me nihil potestis facere*: posset autem aliquid facere, si posset sine gratiâ divinâ speciali se disponere per opera naturalia ad prædestinationem. Et Rom. 9. 16. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et Rom. 11. 5. *Reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt: Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* Et infrà 35. *Quis prior dedit ei.* Et 1. Cor. 4. 7. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti?* Et 2. Cor. 3. 5. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et ad Philipp. 2. 13. *Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Et Jacob 1. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursùm est, descendens à Patre luminum.* Et Oseæ 13. 9. *Perditio tua Israel, tantùmodò in me auxilium tuum.* Idem est Job 14. 4. Prov. 20. 9. Ephes. 2. 3. & sæpè alibi ex quibus patet, non esse naturæ hominis, aut virium naturalium quidquam facere, quo à reprobis discernatur, ac prædestinetur; ergo &c.

Probatur secundò ex D. Aug. *lib. de prædest. sanctor. cap. 6.* ibi: *Electio*, ait, *ista gratiæ est, non utiq; meritorum; superiùs enim dixerat (Rom. 11. 5.) Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ per electionẽ gratiæ salvæ factæ sunt, & c gratis ergo consecuta est, quod consecuta est electio: non præcesserit eorũ aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis; pro nihilo enim salvos fecit eos*: non autem *pro nihilo*, sed pro aliquo salvarentur, si ipsi per sua opera naturalia ad salutem disponerentur. Ex Concil. Arausi. 2. *can. 4.* definiente, nulla opera facta sine gratia conducere, & esse utilia ad gloriam; nimis autem conducerent, & essent utilia, si disponerent ad prædestinationem; quod enim disponit ad formam maximè conducit, & est utile ad illam. Ex Concil. Trid. *Sess. 6.*

Sess. 6. cap. 6. & 7. & can. 4. Disponuntur autem, inquit, *ad ipsam justificationem, dum excitati divinâ gratiâ, & aduti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum*; ergo si solùm disponuntur, dum à gratia excitantur, cùm ad opera naturalia non detur gratia excitans, per illa non disponuntur; consequenterque non sunt dispositiones ad justificationem, ac proindè neque ad prædestinationem.

54. Probatur tertiò ratione, quia de ratione dispositionis, etiam remotæ, & indirectæ est, ut habeat aliquam connexionem cum forma, ad quam disponit, eamque aliquo modo, ut sibi debitam exigat; sed opera bona naturalia non habent talem connexionem cum prædestinatione, neque eam ut sibi debitam exigunt; ergo &c. Probatur minor, quia si ita haberent, & exigerent, aut esset ex natura sua, & hoc non; siquidem prædestinatio, cùm sit supernaturalis, superat omnem connexionem, & exigentiam naturæ: aut esset ex decreto, ac ordinatione divina, & hoc etiam non: tùm quia non apparet tale decretum, neque ex Scriptura, neque ex Sanctis Patribus: tùm etiam, quia si daretur, jam talia opera moverent Deum, ut causæ morales ad dandũ præmium, quod supra negavimus; ergo talem connexionem, & exigentiam non habent; consequenterque non potuerunt esse dispositiones, neque remotè, & indirectè ad prædestinationem. Confirmatur, quia dispositio habet proportionem cum forma, ad quam disponit; siquidem ratione talis proportionis disponit subjectum reddendo illud proportionatum ad ipsam formam; sed nulla datur proportio inter opera naturalia, & prædestinationem supernaturalem; ergo &c.

55. Oppositum tenent *Gabr. in 1. dist. 41. q. unica art. 3. dub. 1. & in 4. dist. 14. q. 1. art. 2. citans Scot. Ocham Petr. de Aliaco. Durand. in 2. dist. 28. q. 5. Caiet. tom. 1. Opuscul. tract. 4. q. 1. & 1. 2. q. 109. art. 6. vers. Neque obstat. Vega lib. 6. in Trid. cap. 17. ad 20. & lib. 13. cap. 25. Soto in 4. dist. 18. q. 3. art. 3. & lib. 2. de natur. & grat. cap. 3. fine. Cano. in relectione de Pœnit. Richard. in 2. dist. 28.* & idem videtur sentire *D. Thom. in 2. dist. 28. art. 4. & dist. 5. q. 2. art. 1.* licet P. Soar. *hic lib. 2. cap. 6. n. 10.* dicat cum Caiet. D. Thom. mutasse sententiam *in 1. 2. q. 109. art. 6.* pro quibus. Objicies 1. Dan. 4. dicitur: *Peccata tua eleëmosynis redime.* Ubi per eleëmosynam, quæ est opus bonum naturale, disponitur homo ad remissionem peccatorum, quæ est opus supernaturale, cùm fiat per gratiam sanctificantem. Et 1. Tim. 1. 13. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* Et Joan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri:* quibus in locis significatur, prædestinatum se disposuisse ad gratiam, & misericordiam consequendam per opera liberi arbitrii; ergo &c. Respondeo hæc, & similia loca intelligenda esse, non de operibus purè naturalibus, sed aliquo modo supernaturalibus, utpotè factis ex fide, aut quovis alio motivo supernaturali. Ad illud D. Pauli specialiter dicendum, non intellexisse positivè, quasi ejus minus peccatum moverit Deum ad eum vocandum; sed tantùm negativè, quatenùs scilicet non commisit majus peccatum, quod si D. Paulus committeret, Deus eum non vocaret.

56. Objicies 2. Matth. 25. 15. dicitur, talenta fuisse distributa servis *unicuique secundùm propriam virtutem*; sed hujusmodi talenta erant dona gratiæ, & gloriæ data prædestinatis; eorum autem virtus erant opera bona naturalia; ergo illi ad talia dona se disposuerunt per vires naturales. Respondeo talia dona non esse auxilia gratiæ, quibus homo primò excitatur ad opera bona, sed gratiam habitualem, & justificationem, quam Deus concedit juxta hominis dispositionem, quæ dispositio ex auxilio gratiæ facta dicitur virtus hominis, non quia sit ejus virtus naturalis, sed quia est illius actus vitalis supernaturalis ab ipso homine vitaliter operante elicitus cum tali auxilio.

57. Objicies 3. Ex communi Theologorum axiomate (de quo suo in loco,) *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*, sive auxilium; sed in hoc significatur, hominem per bona opera naturalia se disponere ad gratiam supernaturalem, sive ad auxilium; siquidem in apponendis operibus bonis naturalibus facit quantùm in se est, neque enim supernaturalia sunt in eo; ergo &c. Respondeo axioma illud multipliciter explicari: Primò, *Facienti, quod in se est* per auxilium supernaturale, & gratiam vocantem, Deus non denegat gratiam justificantem. Secundò *Facienti, quod in se est* per primum auxilium, Deus non denegat ulteriora auxilia; nam si homo acceptet vocationem ad fidem, Deus ulteriùs ei dat auxilia ad actus timoris, spei, & pœnitentiæ, aliosque similes necessarios ad justificationem. Tertiò cùm aliquibus, *Facienti, quod in se est*, id est, non ponenti obicem per peccatum, sed avertenti mala contra legem naturalem, Deus non denegat gratiam, & auxilia tempore opportuno, non quod illa tribuat ex aliquo merito, aut dispositione naturali, sed omninò gratis, ac liberaliter juxta communem legem, qua decrevit illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum; siquidem illuminat, non solùm justos, sed etiam peccatores, eos excitando ad pœnitentiam: ex quo non sequitur, posse hominem viribus naturæ diu vivere sine peccato, sed tantùm, quod possit aliquando benè agere, per quod pro tunc impediat peccatum.

58. Objicies 4. Ut infundantur habitus supernaturales aliqua dispositio exigitur ex parte subjecti, ut per se notum est; sed hæc non potest esse aliquis actus supernaturalis; siquidem omnes actus supernaturales supponunt habitus supernaturales tanquam potentias, à quibus producuntur; ergo est aliquis actus naturalis. Respondeo negãdo majorem; neque enim est universaliter vera; siquidem talis dispositio non requiritur in parvulis, quibus sine illa infunduntur per Baptismum habitus supernaturales; licet requiratur in adultis, ut definit Trid. talis tamen actus est supernaturalis elicitus per auxilium gratiæ, & concursum Dei actualem ante infusionem habitûs supernaturalis, sicque non est solus actus bonus naturalis.

59. Objicies 5. Homo discurrendo naturaliter circa fidem faciliùs eam amplectitur per actum fidei supernaturalem; sicque qui præstantioris ingenii est faciliùs eam amplectitur; sicut qui est benè temperatus in complexione, & bona indole præditus, aptior est ad virtutem; ergo discursus ille naturalis, ingenium, bona complexio, & indoles sunt dispositiones ad fidem, & virtutes supernaturales. Respondeo negando consequentiam, si fides, & actus virtutum sumantur, ut sunt actus morales supernaturales, quia ut sic nullam habent cum illis proportionem, neque illos exigunt, ut aliquid sibi debitum: licet tamen sint veluti manuductiones quædam, & remotiones prohibentium, si sumantur ut actus physici potentiæ rationalis vitalis, cui potiùs in hoc inserviunt, quàm ipsis actibus, cùm respectu illorum habeant se, ut ipsa potentia, quæ

non

non est propriè dispositio ad ipsos actus, licet eos producat.

60. Objicies 6. Omne donum supernaturale exigit aliquam dispositionem ex parte subjecti; sed hæc non potest esse aliquid supernaturale; siquidem ante omne donum supernaturale non potest dari aliquod supernaturale; ergo est aliquis actus bonus naturalis. Respondeo negando majorem, si loquatur etiam de primâ vocatione: nam licet alia dona supernaturalia requirant in adultis eam dispositionem, cùm illi potuerint eam habere eliciendo actus bonos supernaturales; non ita illam requirit prima vocatio, cùm ante illam non detur aliquid supernaturale; aliter non esset prima, sicque Deus eam dat omninò gratis, & liberaliter, & sæpiùs peccatori existenti actualiter in peccato, sicut etiam illam sæpiùs negat homini justo existenti in gratiâ, idque sine illius injuria.

61. Objicies 7. Angeli juxta majorem, aut minorem perfectionem naturæ acceperunt gratiam à Deo; ergo ipsa naturæ perfectio fuit dispositio ad illam. Respondeo negando antecedens: nam plures Angeli in natura perfectiores ceciderunt, & plures minùs perfecti in natura steterunt in gratia, quod non ita esset, si acciperent à Deo gratiam secundùm majorem perfectionem suæ naturæ; sicq; illa gratiæ inæqualitas orta fuit ex beneplacito Dei; sive etiam à majori, vel minori dispositione per actus supernaturales, si fortè aliqua dispositio præcessit.

62. Objicies 8. Gratia, & alia dona supernaturalia exigunt naturam, ut in illa sint; ergo etiam possunt exigere ut dispositionem actus naturales, utà Deo tribuantur. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia dona illa, & gratia, cùm sint accidentia, à naturâ suâ exigunt subjectum, neque enim possunt esse extra illud naturaliter; & cùm non detur subjectum supernaturale, ideò à natura sua exigunt naturale elevatum: at verò, ut dentur à Deo non exigunt dispositionem à natura sua, cùm ante illam dentur in parvulis, ideoque non exigunt actus naturales, ut dispositionem: quam si in adultis requirunt, est tantùm ex quadam congruentia ex suppositione, quod illi possint habere actus supernaturales, & per illos se disponere, quæ congruentia non cernitur respectu actuum naturalium, neque ex natura rei, neque ex aliqua ordinatione divina, cùm hæc non appareat, ut supra diximus, ideòque non est admittenda.

63. Difficultas 2. Utrùm opera bona purè naturalia potuerint esse causa impetratoria prædestinationis? Advertes, quæstionẽ hanc posse in duplici sensu excitari: Primò secundùm præsentem providentiam, quâ Deus decrevit non dare de facto donum aliquod supernaturale ex motivo purè naturali non elevato. Secundò juxta naturam rei, stando in alio genere providentiæ, quod dari poterat de lege absoluta. Hoc posito.

64. Dico 1. Prædestinatio in primo sensu non potuit impetrari per opera purè naturalia. Ita *P. Vasq. 1. p. d. 91. cap. 6. n. 35. P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 19. n. 4. cap. 6. n. 40. P. Tanner. de prædest. d. 3. quæst. 4. dub. 5. n. 22.* & alii. Probatur primò ex illo ad Rom. 8. 26. ibi: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis, &c.* ubi fundat impetrationem in oratione facta, sicut oportet, nempè secundùm Spiritum Sanctum; sed oratio ita facta est aliquo modo elevata, & non purè naturalis; ergo &c. Secundò ex Concil. Arausic. 2. can. 6. ibi: *Si quis sine gratia Dei petentibus, & quærentibus nobis misericordiam dicit conferri, resistit Apostolo, &c.* ergo si non confertur operi facto sine gratia, non confertur operi naturali, quod sine gratia fit; consequenterque hoc non est impetratorium doni supernaturalis, qualis est prædestinatio.

Probatur tertiò rationibus; Prima, quia opera impetratoria nimis conducunt ad rem impetrandam; sed nullum opus naturale conducit ad prædestinationem, ut constat ex Scripturis supra citatis; ergo nullum est impetratorium illius. Secunda, quia prædestinatio ad gloriam, cùm sit quid supernaturale, habet puram rationem gratiæ respectu naturæ; sed non sic haberet, si posset impetrari ab oratione naturali; siquidem jam tunc non daretur à Deo ex pura liberalitate, sed intuitu ipsius orationis naturalis; ergo &c.

Dices 1. D. Thom. asserit, Deum audire orationem peccatoris procedentem ex bono naturæ desiderio, si petat pro se salutem; ergo jam petitio naturalis est impetratoria doni supernaturalis. Respondeo D. Thom. non loqui de desiderio naturæ nudè sumpto, & prout excludit elevationem, & auxilium gratiæ, sed prout ipsam elevationem, & auxilium includit, in quo sensu dicit impetrare donum supernaturale.

Dices 2. Homo per petitionem *merè naturalem* potest impetrare à Deo primum auxilium gratiæ, quod adhuc maneat pura gratia; siquidem inter homines, quod datur postulanti, adhuc censetur pura gratia; ergo &c. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem datur diversa ratio, quia inter homines ordinariè loquendo, petitio non est obsequium, sed manifestatio quædam miseriæ, ut illâ cognitâ, alius remedium adhibeat, ideòque inter ipsos petitio nullam habet rationem meriti; consequenterque non minuit rationem gratiæ: at verò petitio nostra respectu Dei, qui omnia cognoscit, est vera oratio cedens *in* ejus cultum, & obsequium, & aliquo *saltem modo* meritoria; ac proindè ex illa, si esset naturalis, minueretur gratia.

Dices 3. Lacrymæ, & preces pauperum factæ ad homines divites non minuunt rationem gratiæ in eleëmosynis faciendis; ergo neque factæ ad Deum. Respondeo supponi falsum, posse lacrymas, & preces merè naturales factas ad Deum conducere ad impetrandam rem supernaturalem; siquidem donum impetrandum continetur aliquo modo intra debitum, & exigentiam virtutis impetrantis: donum autem supernaturale est supra omne debitum, & exigentiam rei naturalis.

Dices 4. Oratio nostra merè naturalis potest Deo repræsentare nostram miseriam, & ab eo impetrare divinam Misericordiam; ergo &c. Respondeo ita posse ex se repræsentare Deo, sed ut authori naturæ, non autem ut authori gratiæ supernaturalis; sicque poterit impetrare Misericordiam Divinam circa res naturales, non verò circa res supernaturales.

Dices 5. Actus merè naturalis potest imperare actum supernaturalem; ergo etiam poterit impetrare aliquid supernaturale. Respondeo negando antecedens, ut alibi diximus in Philosophia *tom. 1. d. 5. tr. 5. n. 79.* nam eadem est ratio de actu imperante, atque de actu impetrante, sive de impetratione.

Dico 2. Prædestinatio etiam in secundo sensu non poterit impetrari per opera merè naturalia. Ita *P. Soar. P. Vasq.* & alii. Probatur, quia impetratio connectitur intrinsecè cum dono impetrando; sicut etiam meritum cum præmio; siquidem est veluti

veluti causa moralis illius inclinans donantem ad illud præstandum; omnis autem veluti causa moralis connectitur intrinsecè cum suo effectu, vel quasi effectu, illumque exigit; sed nullum ens merè naturale potest ita connecti, neque exigere donum supernaturale, ut diximus; ergo neque actus naturalis, etiam de lege absoluta, poterit impetrare prædestinationem supernaturalem; siquidem providentia illa alterius ordinis non posset mutare essentialem improportionem rerum, quam inter se habent ab intrinseco, sicut non potest earum essentias mutare. Confirmatur, quia res supernaturales, qualis est prædestinatio, adhuc in illo diverso ordine essent essentialiter gratuitæ, & indebitæ ipsi naturæ; sed ita non essent, si possent naturaliter impetrari; siquidem jam tunc non haberent puram rationem gratiæ, cùm in aliquo sensu essent debitæ rei naturali; ergo &c.

71. Oppositum tenet *P. Ripal.* & alii: Pro quibus: Oppones 1. Miseria humana de facto movit Deum ad incarnandum; sed Incarnatio est aliquid supernaturale; ergo jam aliquid naturale potest Deum movere ad supernaturale; ergo etiam oratio naturalis poterit impetrare supernaturale. Resp. 1. argumentum, si probaret, etiam probare, factam fuisse de facto talem impetrationem, & de facto fuisse aliquid supernaturale concessum; siquidem de facto miseria humana movit Deum ad incarnandum; cùm autem id de facto non probet, ut patet ex supra dictis, neque etiam probat in facta suppositione.

73. Respondeo secundò ad majorem, miseriam humanam movisse Deum in ratione objecti terminativi, quatenùs solùm terminavit Divinam Misericordiam habendo se negativè; neque enim moveretur Deus ad incarnandum, nisi esset miseria humana: non tamen illum movit in ratione causæ moralis effectivæ, quia non movit causando positivè, aut impetrando per influxum moralem; sicq; ex illa non sequitur, posse aliquid naturale impetrare rem supernaturalem; siquidem tunc non haberet se solùm negativè, ac terminativè, sed positivè; ex quo potius confirmatur, quàm infirmatur nostra doctrina.

74. Oppones 2. Homo in puris naturalibus constitutus, si alloqueretur alium elevatum ad statum supernaturalem, posset ab eo impetrare, ut Deum flecteret oratione supernaturali; ergo sic poterit à Deo impetrare aliquid supernaturale. Respondeo negando antecedens, si sermo sit de impetratione propriâ, & positivâ, quæ in talem orationem supernaturalem influeret; neque enim petitio naturalis habet connexionem cum oratione supernaturali, qualis esset illa, ut supponimus: aliter tamen dicendum, si talis petitio se habeat per modum objecti terminativi tantùm, quatenùs terminaret voluntatem illam orandi ad Deum, quam ille alius homo elevatus non haberet, nisi ipsa petitio daretur, ut proximè diximus de Incarnatione respectu miseriæ humanæ.

75. Oppones 3. In eo distinguuntur impetratio, & meritum, quod illa non moveat secundùm proportionem, quam oratio habeat cum re impetranda, sed secundùm quam res impetranda habet cum liberalitate donantis: meritum verò moveat secundùm proportionem, quam habet cum præmio: Et patet, quia meritum mouet ex justitia; impetratio verò ex misericordia; justitia autem attendit ad æqualitatem meriti cum præmio; misericordia verò ad proportionem, quam ipsa habet cum dono tribuendo pauperi postulanti; sed Misericordia Divina habet maximam proportionem cum dono supernaturali impetrando; ergo licet illam non habeat oratio naturalis cum tali dono, poterit tamen per illam impetrari.

Respondeo negando majorem; oratio enim impetratoria movet secundùm proportionem, 76.
quam habet cum Divina Misericordia, & cum re impetranda, & non solùm secundùm illam, quam Divina Misericordia habet cum ipsa re impetratâ: cùm autem oratio naturalis, ut diximus, nullam habeat proportionem cum Divina Misericordia sumpta in ordine ad res supernaturales, qualis est prædestinatio, ideò hanc non potest impetrare ab ipsa Misericordia Divina.

Advertes, me non negare, Divinam Misericordiam moveri ad operandum secundùm proportionem, 77.
quam in se habet cum dono tribuendo, in quo distinguitur à Justitia, quæ movetur ad præmiandum juxta proportionem, quam meritum habet cum præmio; sed solùm addere, in impetratione præter illam proportionem inter Misericordiam, & donum, requiri etiam illam aliam inter orationem, & ipsam Misericordiam, ac donum ab ipsa præstandum. Imò etiam Justitia præter ipsam proportionem inter meritum, & præmium, fortasse requirit etiam aliam inter se ipsam, & meritum præmiandum.

Oppones 4. Causa efficiens naturalis potest elevari ad effectum supernaturalem; sed oratio impetratoria est causa efficiens moralis; ergo poterit elevari ad impetrandum donum supernaturale. Respondeo posse quidem elevari, si esset purè efficiens, ut in simili jam supra diximus: cùm tamen sit etiam causa formalis formaliter disponens subjectum dando ei condignitatem, & proportionem quandam impetratoriam, & in genere causæ formalis non possit elevari; siquidem in hoc genere causæ non datur, neque dari potest elevatio, ut alibi diximus in Philosophia; ideò absolutè negandum est, posse elevari ad impetrandum donum supernaturale. 78.

SECTIO V.

Vtrùm opera bona liberi arbitrii sint saltem conditio sine qua non ad prædestinationem: & quid Sancti Patres senserint de initio prædestinationis ex operibus naturæ?

DIFFICULTAS 1. Utrùm bona opera liberi arbitrii sint saltem conditio *sine quâ non* daret Deus prædestinationem? Negativè. Ita *D. Thom. hic q. 23. a. 5. P. Vasq. 1. p. d. 91. cap. 7. n. 40. P. Tanner. de Prædest. d. 3. q. 4. dub. 5. n. 21.* & alli communiter. Probatur primò, quia si opera bona naturalia essent conditio sine qua non prædestinationis, hæc ab illis inciperet; consequenterque essent initium nostræ salutis; sed hoc est falsum, & contra definitionem Trid. cit. adversus Semipelagianos; ergo &c. Secundò, quia conditio sine qua non, ut communiter dicitur, est in eodem ordine cum forma, ad quam disponit, & cujus est conditio; sed ita non sunt opera naturalia cum prædestinatione supernaturali; ergo &c. Tertiò, quia Deus vidit etiam in reprobis multa opera bona naturalia, 79.

& fortè excellentiora, quàm in electis; & tamen hæc in illis non fuerunt conditio ad prædestinationem; ergo neque in electis.

80. Dices pro aliquibus apud *P. Vasq. cit. num. 39.* Prædestinatus non potest habere opera meritoria gloriæ sine cooperatione liberi arbitrii; ergo neque potuit prædestinari ad illam; consequenterque talis cooperatio, & consensus voluntatis creatæ fuerunt conditio sine qua non ad prædestinationem. Respondeo ex antecedente solùm sequi, cooperationem illam, & consensum voluntatis fuisse effectum infallibilem, seu infallibiliter necessarium ad executionem ipsius prædestinationis, non tamen fuisse conditionem sine qua non respectu illius propriè loquendo. Patet, quia si talis esset, deberet necessariò, & per se prærequiri ad talem prædestinationem; sed non ita fuit prærequisita; siquidem potuit esse prædestinatio, quin prævideretur ulla cooperatio absolutè antecedens; ergo &c. Undè si aliqua ita fuit prævisa, id fuit per accidens respectu prædestinationis. Advertes me loqui de aliquibus operibus bonis naturalibus; nam actus boni supernaturales omnes sunt post prædestinationem seu electionem ad gloriam, ut illius effectus.

81. Difficultas 2. Utrùm Patres, præsertim Græci posuerint initium gratiæ, & prædestinationis in operibus naturalibus? Quoniam liberii arbitrii hostes, quales sunt hujus temporis hæretici cum suo Calvino, magnum sui erroris præsidium collocant in accusandis Græcis, ac præsertim D. Chrysostomo, quod in extollendo libero arbitrio modum excesserint, eique initium gratiæ, ac prædestinationis adscripserint, ut eorum testimonia táxantes, non habeant adversùs se antiquiores, nobiliores, ac locupletiores testes libertatis, quam hæretici ipsi de medio tollunt, totum salutis nostræ negotium gratiæ divinæ adscribendo, opere prætium duxi hos, quos ipsi accusant Patres ab ipsorum calumnia liberare, quod facere tenemur pluribus rationibus.

82. Prima, quia non solùmmodò istorum Patrum, sed totius etiam Ecclesiæ rem agimus, quatenùs non tam eorundem authoritatem, quàm etiam Recentiorum, maximè D. Augustini, ac Romanorum Pontificum suscipimus defendendam. Secunda, quia non solùm Cassiano, ejusque discipulis Massilienſibus eripimus, quos violenter rapiunt in duces sui erroris, sed etiam catholico dogmati testes, & patronos restituimus & numero, & antiquitate, & pondere majores. Tertia, quia sic etiam cum catholicis disputantes de indifferentia libertatis plura, & firmissima antiquitatis testimonia conservamus. Quarta, quia generali præcepto tenemur orthodoxè, ac sanè interpretare, quoad fieri possit, verba cujusque Doctoris, qui pietate, ac doctrinâ claruerit; quæ charitatis, & justitiæ lex tantò magis urget, quantò major est numerus, antiquitas, & authoritas eorum Patrum, de quibus agitur in præsenti: Sit igitur.

83. Conclusio 1. Ecclesiæ Patres, qui D. Augustinum præcesserunt, idem quod D. Augustinus, de initio gratiæ, & causâ prædestinationis non sumendâ ex viribus naturæ, docuerunt, ita ut contrarium asserere sit temerarium, & periculosum. Probatur primò, quia doctrina D. August. quam D. Prosper. & D. Hilar. defendebant contra Massilienſium errores, dicitur à Cœlestino antiqua, & horum errorem dicit novitatem, ut patet Epist. 1. *ad Episcopos Galliæ cap. 2.* ibi: *Non sit illis liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat, si ita res sunt, incessere novitas vetustatem*; ergo si antiqua, illam tenuerunt antiqui Patres.

Probatur secundò authoritate Concil. Arausic. sub Leone I. *cap. 1.* ubi dicit, hanc doctrinam fuisse Antiquorum Patrum, ibi: *Pauca capitula ab Apostolica sede nobis transmissa, quæ ab antiquis Patribus de certis Scripturarum voluminibus in hac præcipuè causâ collata sunt, &c.* Et idem *cap. 25.* fine. Confirmatur authoritate D. Aug. qui *lib. 2. de bono persever. cap. 17.* & sequentibus probat, suam sententiam de initio gratiæ, & prædestinationis esse omnium fidelium, & antiquorum Patrum. Et Epist. 106. *ad Bonifacium*, eandem doctrinam recitans ex Concil. Palæstino adjungit: *Hæc semper tenuit Catholica Ecclesia*; sed non ita hæc essent vera, si verum non esset, quod Sancti Patres hanc habuissent sententiam; ergo &c. 84.

Probatur tertiò, quia si antiquiores Patres docuissent, quod Cassianus, Massilienses, & Faustus docuerunt de causa prædestinationis sumenda ex viribus naturæ, horum opinio fuisset tutior, magis probanda maturioribus ingeniis, & catholicæ antiquitatis sectatoribus; iniquæque fuissent Pontificum, & aliorum Patrum adversùs illos increpationes, quibus arrogantiæ, ingratitudinis, ac novitatis notantur, cùm potiùs fuissent commendandi ob prudentiam, antiquitatem, studium, & modestiam, quâ proprium judicium antiquitati submittebant, & è contrario D. Aug. & illius sectatores fuissent vituperandi; sed hæc non sunt dicenda; ergo &c. 85.

Probatur quarto, quia si Patres antiquiores ita circa justificationis initium, & prædestinationis causam ex operibus naturæ errassent, sequeretur totam, aut ferè totam Ecclesiam errasse; siquidem cùm primarii Theologiæ Magistri errarent, necessariò alii suppares, & inferiores fidei prædicatores errassent in eodem articulo, summque errorem in fidelium plebem instillassent; & cùm tot & numero, & doctrinâ, & authotitate, & sanctitate fideles præcessissent usque ad D. Augustini tempus, omnes in eo errore fuissent; sed hoc non est dicendum; alioqui videretur, Deum promissæ erga suam Ecclesiam providentiæ deficere, permittens ut maxima pars Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ erraret, quod est impossibile; ergo &c. 86.

Conclusio 2. D. Chrysostomus veritatem catholicam directè pugnantem cum Semipelagianorum errore tenuit, & docuit. Probatur, quia D. Augustinus, & cum eo Doctores catholici, probant, initium justificationis, & prædestinationis causam non esse ex operibus naturæ, sed gratiæ, ex pluribus capitibus: Primò ex eo, quod initium justificationis sit semen cõceptum, & partum timoris à divina gratia: Secundò, quod Deus aliquid priùs operetur in nobis sine nobis: Tertiò, quod gratia non reddatur præcedentibus meritis: Quartò, quod vocatio à Deo, & non à nostro arbitrio, atque humanis conatibus incipiat: Quintò, quod gratia Dei præveniat nostros conatus: Sextò, quod Deus in nobis operetur nostra bona opera, & agamus nos ad illa: Septimò, quod fides non solis naturæ viribus, sed & divinæ gratiæ auxilio, & inspiratione indigeat: Octavò, quod fides, & opera non sint causa prædestinationis ad illa; imò prædestinatio sit causa fidei, & bonorum operum: Nonò, quod nullus possit tentationibus etiam ordinariis resistere sine gratiæ auxilio: Decimò, quod nobis nihil, sed Deo totum sit tribuendum; sed hæc omnia tenuit, & docuit D. Chrysostomus, ut 87.

ut statim videbimus, variis in locis; ergo tenuit, & docuit catholicam veritatem Semipelagianis repugnantem.

88. Probatur minor quoad omnia assignata capita, nam primum habet 2. Cor. 1. *Hom. 3.* ibi: *Si initia, & fundamentum dedit, si radicem, & fontem veluti veram de ipso cognitionem, Spiritus communionem: quid convenit, ut quæ ex his nascuntur, daturus non sit?* Et infrà: *Non enim*, ait, *nisi totum daturus erat, voluisset arrhabonem exhibere, & perdere.* Et *Hom. 22. in Gen.* ibi: *Quia in nostrâ voluntate totum post gratiam Dei relictum est, ideò & peccantibus supplicia proposita sunt, & benè operantibus retributiones.* Ubi notanda sunt verba: *post gratiam Dei*: in quibus priores partes concedit gratiæ. Idem habet *Hom. 14. ad Popul. Antiochen. & Hom. 4. ad Ephes. 2.*

89. Secundum habet *Hom. 34. in Matt.* ibi: *Ipse*, ait, *Apostolos oves mansuetudine fecit; id enim significatur, cùm dicitur: Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum*: ubi præsupponitur aliquid, quod Deus fecit, in quo nihil homines à se ipsis conferunt. Et Matth. 10. *Ut aliquid*, inquit, *etiam à se ipsis conferant, neque omnia videantur esse à gratia, nec frustrà, & aliena solùm virtute coronari æstimentur, adjecit: Estote ergo prudentes sicut serpentes, &c.* ubi aliud esse significat, in quo homines aliquid à se ipsis conferunt, neque tamen sine gratia.

90. Tertium docet *Hom. 13. in Joan. Gratia Dei*, inquit, *semper in beneficiis priores sibi partes vendicat. Non enim nostris præcedentibus meritis hanc accepimus remunerationem.* Et *Hom. 71. in Joan.* ad illa verba: *Sicut ego dilexi vos. Non enim*, inquit, *vestris præcedentibus meritis debitum persolvi; sed ego incepi.*

91. Quartum docet *hom. 2. in 2. Tim. 1.* ad illa verba: *Vocavit nos vocatione sua sancta, &c. Quomodò*, inquit, *vocatus es vocatione sancta, hoc est, sanctos effecit, qui peccatores eramus, & inimici, & hoc non ex nobis, sed ex divino munere est. Si igitur ille, & potens est vocando, & bonus, idq; per gratiam, non ex debito faciendo, nihil est, cur metuamus; qui enim nos, cùm perditi, inimiciq; essemus, salvos per gratiam fecit; multò magis cùm operantes viderit, cooperator accedit.* Idem habet 1. Cor. 1. *hom. 2. & 4.*

92. Quintum docet non solùm in locis jam citatis, ut patet, sed etiam *Hom. 38. in Gen.* ibi: *Ut scias*, ait, *quod Deus non solùm benefacere vult, & dona sua dare, sed solitus sit, sua beneficia accepturos facere clariores, vide quomodo hoc & in Chananæa illa faciat.* Et infra: *Neque responso dignatur eam misericors, & clementissimus Dominus, alioqui preces nostras semper præveniens.* Idem habet *Hom. 28. in Gen. 9.* ubi cùm proposuisset plurima impedimenta, nè mundus Apostolorum prædicationi crederet, adjungit: *Prævià gratiâ substulit hæc omnia.* Idem 2. Cor. 8. *Hom. 18. & Hom. 2.* in psal. 50.

93. Sextum docet Hom. 8. ad Philip. 2. ad illud: *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere*: ubi *Propensionem*, inquit, *voluntatis ipse nobis præbet, & operationem.* Et subdit: *Deus vult, nos secundùm voluntatem suam vivere; si verò vult, agit nos ad hoc: ipse istud omninò operabitur.* Ponderandum est, operationē Deum in nobis operari, & ad benè operandum nos agere, & hanc esse gratiam prævenientem, excitantem, sive operantem, quam Catholici cum D. Aug. Semipelagianis opponunt.

94. Septimum docet *Hom. 44.* in Joan. ibi ad illa verba: *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet. Cùm enim Pater, inquit, aliquem dirigit, nihil prohibet illum ad me venire.* Ubi directio Patris debet præcedere potestatem veniendi per fidem ad Christum. Et infrà ad illa verba: *Beatus es Simon Barjona, &c. Quod significat*, ait, *non parvam rem esse fidem, sed superno indigere auxilio.* Idem habet *hom. 75. in Joan. & hom. 4. ad Ephes. 2. & hom. 4. ad Philipp. 1.*

95. Octavum tenet *Hom. 2.* ad Ephes. 1. *Deus*, inquit, *prædestinavit ad hoc ut credam.* Et infrà, *Credidimus, principium hoc est, ita & ipse arrhabonem dedit.* Et *hom. 2.* in psal. 50. *Si Deus dixerit adultero: Jam nolo, ut adulter sis, verba statim vertuntur in opera.* Et *hom. 9. de Laudib. Paul. Videmus complures ad defensionem suæ ignaviæ..... respondere quasi cunctabundos, & restilientes: Si Deus volet, persuadebit mihi, & convertar. Quos non arguo, sed valdè probo, quod ad Voluntatem Dei confugiunt: vellem autem nos etiam nostra afferre, & tunc dicere: Si Deus voluerit.*

96. Nonum habet 1. Cor. 10. *hom. 24.* ad illa verba: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis. Et quidnam hoc significat?* inquit, *Neque enim mediocres ideas, quod dixi, propriâ virtute sufferemus, sed hîc quoque divino indigemus auxilio, ut eas vel effugiamus, vel certè perferamus, si evitare non detur. Ipse namque & patientiam dat, & celeritatem mutationis inducit, ut in hac parte tolerabilis fiat tentatio. Hoc autem significavit, cùm dixit: Faciet eventum, ut positis sustinere; & omnia ei tribuit.*

97. Decimum docet 1. Cor. 4. *hom. 12.* dicens: *Igitur quod accepisti, habes, neque hoc tantùm, aut illud, sed quidquid habes. Non enim merita tua hæc sunt, sed Dei gratia*: Et infrà: *Propterea cohibearis oportet; non enim tuum id munus est, sed largientis; Nam si accepisti, ab illo accepisti; si ab illo, non tuum accepisti, si non tuum, quid insolescis, ac si tuum habeas?* Idem habet *1. Cor. 3. hom. 8. Et 2. Cor 9. hom. 20. & 2. ad Thessal. 3. hom. 5. & hom. 38. ad Popul.* Ex quibus omnibus locis satis constat D. Chrysostomum veram, ac catholicam doctrinam cum D. Aug. tenere, & Semipelagianis contrariam.

98. Dicent 1. easdem propositiones, quas D. Chrysost. concedit, etiam à quibusdam Massilienſibus concedi, qui tamen constituunt aliquod justificationis initium ex viribus naturæ. Sed contra primò, quia apud omnes certum est, propositiones illas, bene intellectas, contrarias esse errori Massilienſium, quas si malè intelligebant Massilienſes contrario asserentes, non idem existimandum est de D. Chrysostomo. Secundò, quia nihil ampliùs asseruerunt D. Cyprian. D. Amb. & D. Nazianz. & tamen D. Aug. testimonio D. Cypriani incitatus discessit ab errore, quem antea docuerat, & eorumdem testimoniis confutat errorem, ut constat *lib. 1. de prædest. Sanctor. cap. 3. & 14. & lib. 2. de bono persever. cap. 19. & lib. de natur. & grat. cap. 43.* sequentibus.

99. Dicent 2. D. Chrysostomus pluribus in locis docuit, nostras voluntates à Deo non præveniri, sed Deum subsequi justificationis initium à nobis datum; ergo &c. Probatur antecedens ex *hom. 27. in Joan. 1.* 38. ad illa verba: *Conversus autem JESUS: Hinc*, ait, *admoneri possumus, Deum suis in nos beneficiis nostras non prævenire voluntates, sed à nobis incipiendum esse: sed cùm nos prompto, paratoq; animo, ad suscipiendam ejus gratiam, exhibemus, tunc multas nobis offert salutis occasiones.* Et *hom. 12. ad Hebr. in Moral.* ibi: *Oportet nos eligere primum, quæ bona sunt, & tunc Deus, quæ sua sunt introducit, non antecedit nostras voluntates, nè lædatur arbitrium.* Idem habet *hom. 42. in Gen. & hom. de Convers. Paul. & lib. 1. de*

compunct. cordis, & hom. 19. in Acta Apostol. & 2. Cor. hom. 2. & hom. 9. in Gen.

100. Respondeo 1. cum *P. Soar. lib. 2. de Prædest. cap. 8. n. 11. & P. Ruiz de Prædest. tr. 3. d. 27. sect. 5. n. 4.* eadem reperiri apud D. Hieron. *epist. 147. ad Damas.* & D. Damascen. *lib. 2. de fide cap. 29. & 30. & lib. 4. cap. 22.* ubi dicit *Deum non prædefinire, seu prædestinare ea, quæ sunt in nobis*: & tamen nõ existimamus, eos aliquid Semipelagianũ sensisse. Secundò, D. Chrysost. ut patet ex locis supra citatis, rectè de gratia præveniente sensisse: præsertim *hom. 2. in psal. 50. & hom. 23. in Gen. & hom. 44. in Joan. Generosi cujusdam animi est*, inquit, *inspirationes divinas non abjicere*: quod *superno auxilio* fieri declarat. Tertiò, illas D. Chrysost. locutiones intelligendas, Deum non prævenire nostras voluntates, eas ad unum determinando, aut physicè prædeterminando, ut ait *P. Soar. cit.*

101. Dicent 3. D. Chrysostomus asseruit, Deum expectare, ut nos incipiamus, ut ipse perfectionem adjungat, ut videre est *hom. 2. in psal. 50. hom. 9. in Gen. hom. 19. in Acta. & hom. 42. in Gen.* de quibus supra *n. 99.* ergo sensit in nobis esse initium justificationis. Respondeo easdem locutiones inveniri apud D. Ambr. *lib. 2. de Abraham cap. 7.* ibi: *Talem te præbe bonis studiis, & prompta fide, ut Deus vocet te.* D. Nazian. D. Hilar. D. Hieron. *dialog. 3. contra Pelagian. Nostrum sit*, inquit, *rogare, nostrum incipere, illius perficere*; & tamen hi Patres non senserunt cum Pelagianis, neque Semipelagianis; sicque omnes solùm docere intenderunt, gratiam non sanctificare, neque disponere hominem adultum absque ejus libera cooperatione, quam vocant initium ex parte hominis, quatenùs in eo inchoat primam moralem dispositionem bonam; quo sensu Concil. Arausi. *can. 5.* vocavit voluntatem credendi initium fidei, & salutis. Ita *P. Soar. de prædest. lib. 2. cap. 8. n. 13.*

102. Dicent 4. D. Chrysostomus *hom. 42. in Gen.* dicit de Abrahamo: *Qui ante gratiæ tempus, & ante legem fuit, à se ipso, & scientiâ naturæ insitâ in tantum pervenit virtutis fastigium.* Et hom. 3. in 1. Cor. dicit; *Aliquos Philosophos per lumen rationis, non solùm præcepta servasse, sed etiam aliquando superasse*; in quibus locis plus videtur tribuere rationi naturali, ejusque operibus, quàm expediat; ergo &c. Respondeo etiam D. Paulum dixisse Rom. 2. *Factores legis justificabuntur; cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Et D. Hieron ad Galat. 1. *Naturâ*, ait, *omnibus Dei inesse notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, nec sine semine sapientiæ, & justitiæ.* Et D. Nazian. *orat. 19.* in laudem patris, cujus mortui virtutes morales laudeverat: *Pro his rebus*, ait, *fidem quoque ni fallor, præmii loco retulit*; & tamen neque de D. Paulo, neque de Hieron. neque de Nazianz. dicendum à sensu catholico discedere. Unde sicut D. Paulus ab Aug. exponitur de natura absque lege scripta, non tamen sine interiori gratiâ interiùs in cordibus scriptâ: & D. Hier. ac Nazian. loquuntur de virtutibus elicitis ex aliqua supernaturali complacentia, & propensione ad fidem; ita explicandus est D. Chrysost. in locutione illa de Abrahamo. Ita *P. Ruiz cit. sect. 5. n. 15.* Ad illud de Philosophis dicendum D. Chrysost. ibi agere, non de omnibus virtutibus collectivè, sed de una, aut altera, quia aliqua etiam bona faciebant, non tamen quoad perfectè cohibenda inordinata desideria cordis spontaneo virtutis amore, sed tantùm quoad externam operis executionem, ad quam aut inani gloria, aut spe alicujus temporalis commodi, aut alicujus pœnæ timore ducebantur, ut colligitur ex eodem D. Chrysostomo *hom. 8. in 1. Cor. 3.*

103. Dicent 5. D. Chrysostomus videtur eandem causam electionis ad gloriam reddere, quam Massilienses, quatenùs dicit, Deum prævidere aliquos benè operaturos, alios verò malè, ut constat *hom. 31. in Matth. & hom. 96. etiam in Matth. & lib. 1. de compunct. cordis*, disputans enim de vocatione D. Pauli, & Matthæi hom. illa 31. in Matt. dicit, *Tunc fuisse à Deo vocatos, quando sciebat, illos esse obtemperaturos*; ergo &c. Respondeo hanc D. Chrysostomi præscientiam esse longè diversam à præscientia Massilienssium; hi enim loquebantur de operibus eliciendis per solas vires naturæ: at verò D. Chrysost. de operibus eliciendis virtute auxilii supernaturalis; siquidem agebat de operibus, quæ à Deo præsciuntur, fore meritoria gloriæ de condigno, qualia non sunt opera solis viribus naturæ elicita, foret enim hæresis Pelagiana, à quâ longè aberat D. Chrysostomus. Ita *P. Ruiz. cit. num. 21.*

104. Dicent 6. D. Chrysostomus *concedit*, Deum exigere ab homine aliquas dispositiones ad gratiam, nempè pœnitentiam, dilectionem, & spem, quæ tamen ex se non sufficiant ad tollendum peccatum, nisi accedat gratia, illâ verò accedente, remitti peccatum, ut docet *hom. 17. & 42. in Gen. & hom. 2. in psal. 50. & hom. 12. ad Hebr.* ergo videtur requirere pœnitentiam ex solo libero arbitrio elicitam, quæ à Deo impetret remissionem peccati. Respondeo D. Chrysost. loqui de pœnitentia elicita ex auxilio supernaturali, quæ est sufficiens ad remissionem peccati; qualis fuit pœnitentia Davidis dicentis: *Peccavi Domino*: & Latronis orantis: *Domine memento mei*: quibus exemplis confirmat suam sententiam. Unde solùm voluit dicere, hanc pœnitentiam, licet supernaturalem, per se non justificare hominem formaliter, nisi accedat nova misericordia, & gratia Dei remittentis peccatum, & infundentis justitiam. Ita *P. Soar. cit. n. 18.*

105. Dicent 7. Cassianus fuit D. Chrysostomi discipulus, suamque sententiam, quam cum Semipelagianis habet communem, quasi à suo Præceptore acceptam tradit; ergo ejusdem sententiæ fuit D. Chrysostomus. Respondeo Cassianum, sicut Scripturam, ita etiam D. Chrysostomi mentem non fuisse assecutum.

106. Dicent 8. Cassianus, Faustus, aliique Semipelagiani, easdem, quas D. Chrysostomus, locutiones usurpant; ergo D. Chrysostomus eandem, quam illi, sententiam tenuit. Respondeo easdem quidem aliquando usurpare locutiones, sed non solùm illas; siquidem alias adjungunt, quibus earum sensum detorquent ad Semipelagianismum.

107. Conclusio 3. Omnes alii Patres tum Græci, tum Latini circa justificationis initium, & prædestinationis causam cum D. Chrysostomo, & D. Augustino concordant. Horum tamen sententias non transcribam, sed loca videnda, si Lector videre velit, apponam. Igitur sic tenuit *D. Cyprian. lib. de exhortatione ad Martyrium, cap. 10. fine, & lib. 1. de opere, & eleëmosyna, fine. & lib. 4. Epist. epist. 7. D. Ambros. lib. de fuga sæculi, cap. 1. & lib. 7. in Lucam, cap. 12. & lib. 6. in Lucam, cap. 21. & lib. de Jacob. lib. 1. cap. 6.* & sæpè alibi. D. Hieron. cujus sanam doctrinam *de gratia & liber. arbitr.* contra Ruffinum approbat Ecclesia in cap. *Sancta Romana, dist. 15.* hanc etiam sententiam docet *in Jerem. 9.*

prope

prope finem. & lib. 3. adversus Pelagianos prope medium. Et Isaiæ 49. ad initium, & ad Galat. 5. & ad Ephes. 1. & sæpè alibi. *D. Lactant. lib. 7. divinar. Institut. cap. 5. D. Petr. Chrysol. serm. 97. & 108. & 136. & 152. D. Hilar. D. Paulin. ep. 2. ad Severũ, & epist. 4. D. Leo Magn. D. prosper. D. Isidor. Hugo. Victor. Arnobius. D. Laurent. Justinian. lib. de contempt. mundi, cap. 8. lib. de obedient. cap. 15. init. & lib. de humilit. cap. 1. 7. & 12. D. Nazian. orat. 31. in Matt. 19. D. Athan. epist. ad Serapionem, & orat. 1. contra Arianos, & serm. 3. contr. Arianos. D. Greg. Nyssenus lib. de Beatitud. tit. 5. in 5. Beatitud. & in Cant. orat. 5. in princip. & de Orat. Dominica. D. Basil. hom. 22. de humilit. Et in constit. monasticis cap. 16. & 17. D. Cyrill. Alexandr. in Joan. lib. 10. cap. 24. & lib. 4. cap. 5. & lib. 3. cap. 39. D. Damasc. lib. 2. de fide cap. 30. & lib. 4. cap. 23. Clem. Roman. epist. 1. ad Jacobum, D. Dionys. Areopag. lib. de divin. nominib. cap. 2. 3. 4. & 11. D. Ignat. epist. 1. ad Mariam Cassobolit. D. Justin. in dialog. cum Tryphone. Clem. Alexand. lib. de Pædagogo, & lib. 7. stromat. & lib. 4. & 5. stromat. D. Ephrem. serm. 1. de compunct. cordis. Theodoret. ad Ephes. 2. ad Philipp. 1. Rom. 8. & 1. Cor. 7. Theophylact. in Marc. 10. & in prolog. ad Evang. Matt. Euthym. in psalm. 20.* & alii de quibus pro sententia catholica mentionem facit D. Aug. variis in locis. *in lib. de bono persever. de prædestinat. Sanctor. de natur. & grat. in Epistolis,* aliisque locis. Quid autem senserit D. Thom. de dispositione ad gratiam ex libero arbitrio, dicemus suo loco. Vide interim *P. Herice tract. 3. d. 26. cap. 3. per totum.*

SECTIO VI.

Vtrùm aliquis homo purus potuerit esse causa prædestinationis alterius?

108. ADvertes primò hujusmodi quæstionem multipliciter excitari: Primò: Utrùm de facto aliquis homo justus fuerit prædestinatus propter merita alterius? Secundò: An potuerit justus de lege ordinaria mereri de condigno, aut de congruo prædestinationẽ alterius? Tertiò: An saltem ita potuerit de potentia absoluta? Advertes secundò, quæstionem procedere de justo puro homine, nam de Christo Domino infra dicemus: deinde procedere de prædestinatione totali, aut partiali; & quoad primam electionem, & quoad executionem. His positis.

109. Assertio 1. Nullus purus homo justus de facto meruit electionem alterius ad gloriam. Ita *D. Thom. 1. p. q. 23. a. 8. Durand. in 1. dist. 41. q. 3. num. 4. D. Gregor. lib. 1. dialog. cap. 8. D. Aug. lib. de bono persever. cap. 22. D. Prosper lib. 2. de Vocat. gent. cap. ult.* quos citat, & sequitur *P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 24. num. 2. P. Tanner. d. 3. de prædest. q. 4. dub. 2. n. 13. P. Arriaga de prædest. d. 37. sect. 2. num. 24. P. Herice tr. 3. d. 29. cap. 5. n. 50. P. Ruiz de prædest. d. 58. sect. 2. n. 3. P. Martinon. d. 21. sect. 3. n. 27. Lesana tr. 4. d. 11. q. 5.* & alii communiter. Probatur primò, quia ut unus justus de facto mereretur alteri ejus electionem ad gloriam, debebant illius merita prævideri absolutè futura ante talem electionem; siquidem omnis causa effectiva, etiam moralis, præsupponitur existens ad suos effectus, ut sæpè diximus; sed non ita fuerunt prævisa; siquidem de facto omnes prædestinati fuerunt simul electi in eodem signo ante omnia eorum merita absolutè prævisa, ut supra diximus; ergo nullus de facto meruit alterius electionem. Confirmatur in D. Stephano respectu D. Pauli, nam si D. Paulus fuit simul in eodem signo electus cum D. Stephano ante ejus merita absolutè prævisa, quomodo hujus merita, quæ non dum erant prævisa absolutè, potuerunt esse causa meritoria electionis D. Pauli, ut dicunt? ergo &c.

110. Probatur secundò, quia hujusmodi privilegium, nempè quod unus justus sit causa meritoria electionis alterius non debet alicui puro homini concedi sine fundamento in Scriptura, aut Sanctis Patribus; sed hoc non ita datur, imò contrarium, quatenùs id specialiter soli Christo Domino conceditur ut Primogenito inter fratres, & capiti totius Ecclesiæ, ut patet ex illo ad Ephes. 1. 3. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*: Et infra 4. *Elegit nos in ipso, ut essemus Sancti*; ergo nulli alteri concedi debet.

111. Probatur tertiò, quia Deus in primo signo post originale prævisum, prævisis meritis Christi Domini ante merita aliorum hominum, & præsertim prævisâ oratione, quâ Christus Dominus in primo instanti suæ conceptionis ipsa merita efficaciter offerebat pro prædestinatis, habuit sufficientem causam ad illos omnes eligendos; ergo necessarium nõ fuit adhibere merita alicujus puri hominis, quæ iuvarent merita Christi Domini in ratione causæ ad aliquem alium eligendum. Confirmatur, quia electio efficax ad gloriam, ut diximus, est opus Misericordiæ, omninò gratiosum, & liberum; sed non ita esset, si daretur causa aliqua meritoria ex parte alicujus puri hominis; ergo &c.

112. Oppositum tenent *P. Vasq. 1. p. d. 94. cap. 5. n. 41. P. Arrub. d. 79. cap. 2. n. 3. P. Less. de prædest. sect. 2. P. Salazar. tract. de Conceptione, cap. 21. & cap. 8. Prov. vers. 19.* quos citat & sequitur *P. Alarcon. tract. 4. de prædest. d. 3. cap. 6. n. 1. P. Compton. tom. 1. d. 43. sect. 1. n. 7.* quatenùs dicunt, Virginem Sanctissimam de facto meruisse de congruo prædestinationem omnium hominum; D. Stephanũ electionem D. Pauli, sicque de aliis: Pro quibus: Objicies 1. Virgo Sanctissima fuit Redemptrix totius generis humani; sicut enim Pater dedit Filio omnem potestatem distribuendi hominibus omnia auxilia congrua, propter quam ille eis meruit prædestinationẽ; ita etiam Filius dedit Matri illam constituendo Dominam totius Ecclesiæ; ergo illa nobis meruit omne auxilium congruum usque ad perseverantiam finalem, præparationem, seu electionem ab æterno factam; consequenterque prædestinationem. Respondeo Virginem Sanctissimã fuisse Redemptricem in sensu minùs proprio, prout supra diximus *d. 2. à n. 616.* ubi latiùs probavimus, Virginem Sanctissimam fuisse electam in eodem signo cum aliis prædestinatis, ex quo satis colligitur non potuisse eis mereri primam electionem; licet postea potuerit mereri, ut in executione assequerentur auxilia congrua.

113. Objicies 2. Ex D. Aug. *de bono persever. cap. 22.* constat nostras orationes fuisse aliquibus prædestinatis causam meritoriam electionis ad gloriam, quod confirmat dicens de D. Stephano *serm. 1. de S. Stephano: Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* Ex quo fit, quod sicut, orante Stephano pro omnibus lapidantibus, Deus elegit unum Paulum, ita orante aliquo justo pro salute alicujus integræ nationis, potuerit Deus aliquos tantùm ex illa eligere ad salutem; ergo &c.

114. Respondeo cum P. Herice cit. D. Aug. loqui, non de prima electione facta ante omnia merita absolutè prævisa, sed de ejus executione, sive de prædestinatione quoad aliquos tantùm effectus: certum enim est, Deum tribuere de facto aliquibus prædestinatis plures vocationes congruas propter aliorum orationes, ut patet in D. Paulo, & D. Stephano; idemque potuit accidere in aliquibus prædestinatis alicujus nationis propter orationem alterius postulantis pro tota natione; siquidem potuit Deus, si vellet, post eorum electionem ad gloriam, hujus orationes eligere ut media ad eos vocandos congruè, ut illi prout sic ipsam gloriam assequerentur; quod totum fatetur D. Paulus dicens: *Elegit nos in ipso* (id est in Christo) *ante mundi constitutionem*: in Christo dixit, non in Stephano.

115. Assertio 2. Unus homo purus justus potuit de potentia absoluta mereri alteris de congruo suam primam electionem ad gloriam. Ita *P. Herice tract. 3. d. 29. cap. 5. num. 53. P. Arriaga de prædest. d. 37. sect. 2. num. 21.* & à fortiori Doctores citati *n. 112.* qui id affirmant de facto. Probatur primò, quia Deus statim post electionem Christi Domini; potuit de potentia absoluta ex ejus meritis unum tantùm hominem eligere ad gloriam, aliis omissis; nulla enim in hoc apparet repugnantia; & postea ex meritis hujus puri hominis prædestinati alios etiam eligere in secundo signo de congruo, quod etiam non implicat; sed in hoc eventu ille primus electus mereretur aliis de congruo suam primam electionem ad gloriam; ergo &c.

116. Probatur 2. quia Deus de potentia absoluta potuit tribuere uni homini auxiliũ congruum ab benè operandum ex affectu salutis illius, aut ex aliquo alio fine, quin attenderet ad salutem alterius, v. g. potuit dare auxilium congruum D. Stephano ad orandum pro inimicis, quin attenderet ad salutem D. Pauli: Deindè ex ipsis bonis operibus potuit moveri ad alium eligendum, nempè ex oratione D. Stephani ad eligendum D. Paulum; sed tunc ex operibus unius hominis puri alium eligeret; ergo jam purus homo de potentia absoluta potuit alteri mereri de congruo suam primam electionem. Dixi *de congruo*, quia hîc non disputo: An id possit de condigno? de hac enim quæstione in materia de Merito, ubi multi communiter affirmant.

117. Argues 1. Si hoc esset possibile, sequeretur, potuisse Deum etiam de potentia absoluta dare D. Paulo auxilium congruum ad benè operandum, quin esset ex intentione gloriæ illius, sed ex aliquo alio fine, & ex tali operatione jam prævisa illum eligere ad gloriam; consequenterque D. Paulum potuisse esse causam meritoriam suæ primæ electionis ad gloriam; sed hoc non videtur admittendum; ergo &c. Respondeo cum *P. Herice cit. n. 22.* negando minorem: neque enim in hoc aliqua apparet manifesta repugnantia.

118. Infers: Ergo Adamus per opera facta in statu innocentiæ ante peccatum fuit de facto causa meritoria suæ primæ electionis ad gloriam factæ post prævisum illius peccatum. Respondeo primò negando illationem: tale enim meritum non debet admitti sine acceptatione, & ordinatione divina, de quibus tamen non constat de facto. Respondeo secundò negando etiam illationem, nam talia opera, cùm fuerint per peccatum mortificata, non potuerunt esse causa electionis efficacis: at verò in nostro casu supponimus, opera esse vivificata per gratiam; aut saltem non mortificata per culpam; sicque possunt esse causa meritoria electionis.

Urgebis: Contritio facta à peccatore meretur 119.
de congruo primam gratiam sanctificantem, & de condigno primam gloriam; ergo à fortiori illa opera Adami facta in gratia potuerunt mereri de congruo ipsam gloriam, licet ipse jam esset in peccato. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia contritio illa, cùm sit facta post peccatum, formaliter, aut virtute illud retractat, sicque potest Deum movere, saltem de congruo ad præmiandum: at verò illa opera in Adamo, cùm fuissent facta ante peccatum, videntur postea retractari per ipsum peccatum, sicque indigna omni præmio apud Deum.

Argues 2. Implicat dari aliquam gratiam, quæ 120.
conducat ad salutem alicujus, & non dari ex intentione ipsius salutis; sed si detur ex tali intentione, est effectus; ergo non potest esse causa. Respondeo majorem esse veram, si talis gratia detur ut conducens ad salutem; aliter tamen si non ita detur, sed ob alios fines, licet prævideatur ad illam postea conductura, quod non implicat; siquidem totum id pendet ex libera Dei voluntate ita decernente.

Assertio 3. Purus homo justus de facto fuit cau- 121.
sa meritoria prædestinationis alterius in executione quoad aliquos ejus effectus. Ita videtur tenere *P. Soa. lib. 2. de prædest. cap. 24. num. 8.* & tenent *P. Herice d. 29. cap. 5. n. 49. P. Tanner. de prædest. d. 3. q. 4. dub. 2. num. 18. P. Martinon. d. 21. sect. 3. num. 29.* & tenere debent Doctores cit. *n. 112.* Probatur primò ex illo 2. Cor. 13. ibi: *Oramus autem, ut nihil mali faciatis*, ubi Apostolus orabat, ut mundi à peccatis conservarentur mediis actibus liberis, quibus consequerentur gratias usque ad glorificationem; sed non ita orarer, nisi intelligeret, ipsam orationem habere aliquam vim impetratoriam, & meritoriam; ergo &c. Confirmatur ex Jacob. 5. ubi sic hortatur. *Orate pro invicem, ut salvemini; multùm enim valet deprecatio justi assidua apud Deum.*

Probatur secundò ex D. Aug. *serm. de D. Ste-* 122.
phano, ubi Deum sic loquentem inducit: *Si prote, Paule, Stephanus servus meus non orasset, disposueram in mente disperdere te*; ergo si Deus prædestinando Paulum pro medio conversionis illius assumpserat orationem D. Stephani, jam de facto merita unius Stephani fuerunt causa meritoria executionis prædestinationis Pauli quoad aliquos ejus effectus. Confirmatur primò ex orationibus Sanctæ Monicæ respectu D. Augustini: aliorum Sanctorum, qui per aliquorum Sanctorum orationes concepti sunt, & sanctitatem adepti: & ex Ecclesia quæ orationes instituit ad salutem hominum petendam; non quod per illas dispositio divina sit mutanda, sed ut, quod Deus disposuerat, impleatur; ergo &c. Secundò, quia de facto unus justus meretur vocationem congruam alteri homini; sic enim dicunt communiter Sancti Patres de D. Stephano respectu D. Pauli; sed merendo illam, saltem mediatè ac remotè meretur etiam reliquas vocationes congruas, quæ in illa prima fundantur, ut nullus desitebitur; ergo jam ei meretur plures effectus prædestinationis, & saltem ex parte ejus executionem.

Assertio 4. Nullus homo purus de facto me- 123.
retur in executione predestinationem alterius quoad omnes ejus effectus. Ita *P. Soar. P. Herice, P. Martinon.* citati, & alii communiter. Probatur, quia si ita de facto mereretur, etiam mereretur primam vocationem congruam sibi ipsi datam, ut oraret, & mereretur pro illo; siquidem etiam hæc

est

est effectus illius prædestinationis; sic enim Deus ex intentione salvandi D. Paulum dedit primam vocationem congruam D. Stephano ut oraret pro illo, & converteretur; sicque de aliis; nam omnia quæ cõducunt ad alicujus salutem, ex ejus intentione sunt à Deo electa ut media ad ipsam salutem in effectu consequendam; sed hanc primam vocationem non meruit; siquidem prima vocatio, cùm sit principium meriti, non cadit sub meritum; ergo neque omnes effectus prædestinationis alterius.

124. Oppositum tenent *P. Vasq. 1. part. d 94. cap. 5. à n. 4. P. Alarcon. d. 3. cap. 6. n. 9. P. Arriaga d. 37. sect. 2. n. 23.* Pro quibus: Argues 1. D. Aug. contra Massilienses ex eo arguit, nullum posse mereri totam suam prædestinationem, quia primam vocationem sibi datam mereri nequit; sicque videtur sentire ab hac, & non à primâ vocatione alterius pro illo orantis, aut merentis incipere ejus prædestinationem, sed alter potest ei mereri hanc primam ejus vocationem; siquidem jam de facto D. Stephanus eam meruit D. Paulo; ergo & omnes effectus prædestinationis illius.

125. Respondeo D. Augustinum benè arguere nullum posse mereri omnes effectus suæ prædestinationis ex eo, quod non possit mereri suam primam vocationem, cùm hæc etiam inter ipsos effectus numeretur: non tamen inde benè arguitur, eum judicasse illam esse primum effectum ipsius prædestinationis, & ad hanc non pertinere etiam vocationem illam congruam alteri datam, ut ei ipsam primam vocationẽ mereatur. Addo D. Aug. & alios Patres, si quando appellarunt eam primam vocationẽ D. Pauli v. g. primum effectum prędestinationis illius, & non ita vocationem illam primam datam D. Stephano, ut oraret pro illo, locutos fuisse de solis effectibus ab ipso prædestinato procedentibus, non autem de aliis procedentibus ab alio pro eo orante, ac merente; siquidem gratia vocationis absolutè sumpta non est tantùm illa, quæ prædestinato inhæret, sed etiam quælibet alia ad ejus salutem conducens.

126. Argues 2. Sequitur ex hoc, preces à Christo Domino factas pro aliquo speciali homine, & primam ejus vocationem ad illas, esse effectus prædestinationis talis hominis; consequenterque Christum Dominum de facto non meruisse omnes effectus talis prædestinationis; siquidem non meruit illam primam vocationem; sed hoc non est dicendum; siquidem Christus Dominus omnibus hominibus de facto meruit, & primam electionem ad gloriam, & omnes ejus effectus, ut ex Scriptura & Sanctis Patribus communiter probant Theologi; ergo &c.

127. Respondeo negando sequelam, nam ut ipsæ preces Christi Domini, & prima ejus vocatio ad illas, essent effectus prædestinationis illius hominis, debebant esse naturâ posteriores; sic enim posterior est omnis effectus suâ causâ; non autem ita sunt posteriores, sed priores; siquidem priùs prædestinatus fuit Christus Dominus cum omnibus suis meritis, quàm homines electi ad gloriam, ut supra diximus, & ex talibus meritis sic prævisis motus est Deus ad eligendos homines; sicque fuerunt causa, & non effectus electionis eorum: at verò in homine priùs fuit de facto ejus electio ad gloriam, & postea omnia media electa ad illam; consequenterque omnia sunt effectus electionis illius, sive sint intrinseca, qualia sunt data ipsi prædestinato, sive extrinseca, qualia sunt alteri data in ejus favorem, pro ut supra diximus.

Argues 3. Solum principium benè operandi est 128.
propriè gratia respectu alicujus sic operantis, & est effectus prædestinationis illius; sed oratio unius puri hominis orantis pro alio non est principium benè operandi respectu illius, cùm potiùs ei impetret ipsum principium; ergò propriè non est gratia, neque effectus prædestinationis illius. Respondeo negando majorem; nam omne illud, quod ad alicujus prædestinationem conducit, & ex affectu salutis ipsius ei datur, est ipsius prędestinationis effectus, cùm autem ita se habeat oratio illa impetrans alicujus conversionẽ, etiam illa est ipsius prędestinationis effectus, & ab illa, seu potiùs à prima vocatione divina ad illã, incipit ipsa prędestinatio.

Assertio 5. Homo justus, benè potuit mereri 129.
alterius prædestinationem in executione quoad omnes ejus effectus. Hæc constat ex dictis. Probatur facilè, quia Deus potuit aliquem justum prædestinare, & ei dare auxilia ex sola intentione propriæ salutis, aut ex aliquo alio fine, quin attendat ad salutem alterius, licet prævideat inde postea orituram: deindè ex operibus bonis factis per talia auxilia ita præstita potuit postea moveri ad dandum primum auxilium, & subsequentia usque ad gratiam finalem alteri, ut gloriam assequatur; cùm in eo nulla appareat repugnantia, imò maxima Dei libertas; sed tunc hujus hominis salus inciperet ab hoc primo ejus auxilio, & per alia consummaretur, ac tandem in executione acquireretur; ergo tunc ille purus homo totam ejus prędestinationem quoad omnes illius effectus in executione mereretur.

SECTIO VII.

Vtrùm Christus Dominus fuerit causa meritoria nostræ prædestinationis?

DIFFICULTAS 1. Utrùm Christus Dominus fuerit causa finalis, & exemplaris nostræ prædestinationis? 130.
Dico 1. Christus Dominus fuit causa finalis nostræ prædestinationis. Probatur ex illo Ephes. 1. ibi: *Prædestinavit nos per JESUM-Christum in ipsum.* Ubi præpositio *per* videtur denotare causam meritoriam; præpositio autem *in* causam finalem. Et 1. Cor. 3. *Omnia vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei*; non autem essemus Christi, nisi nostra felicitas ad ejus gloriam ut ad finem ordinaretur; sicut omnia nostra sunt, quia ad nostram felicitatem ordinantur. Et ad Hebr. 1. ubi Christus dicitur: *Constitutus hæres universorum.* Et Rom. 8. ubi dicitur: *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*: id est primariò à Deo intentus. Et ad Coloss. 1. *Quoniam in ipso condita sunt omnia, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Et ad Hebr. 2. *Decebat enim eum, propter quem omnia*; ergo &c.

Dico 2. Christus Dominus, prout est causa fi- 131.
nalis, non potuit esse causa discriminis, propter quam prædestinaretur hic homo potiùs, quàm ille. Probatur, quia ad Christi gloriam nihil interest hunc potiùs quàm illum hominem prædestinari; siquidem Deus sicut habet æqualem potentiam erga omnes ut illis tribuat sanctitatis gradum, & illi æqualem potentiam obedientialem, ut illum recipiant, sic æqualem inde Christi gloriam colligit; ergo &c. Confirmatur, quia gloria Dei æqualiter colligi poterat ex prædestinatione aliorum, qui non sunt prædestinati, ideòque non ejus gloria, sed

ejus

ejus mera libertas fuit ratio, cur potiùs Petrũ, quàm Judam prædestinaret; ergo idem de gloria Christi.

132. Dico 3. Christus Dominus fuit causa exemplaris nostræ prædestinationis. Probatur primò ex Scriptura ad Rom. 8. ibi: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, &c.* id est ad eum finem nos prædestinavit, ut ait 1. Cor. 15. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Et specialiter de gloria corporis ad Philipp. 1. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*; ergo &c. Secundò ex Sanctis Patribus D. Aug. lib. de bono persever. cap. ult. *Nullum est*, ait, *illustrius prædestinationis exemplum, quàm ipse JESUS.* Idem habet lib. de prædest. Sanctor. cap. 15.

133. Difficultas 2. Utrùm Christus Dominus fuerit Causa meritoria nostræ prædestinationis secundùm primam intentionem, & electionem efficacem ad gloriam? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 24. à n. 16. & tom. 1. in 3. dist. 41. sect. 2. P. Vasq. d. 94. cap. 2. & 3. P. Fonse. 3. Met. lib. 4. cap. 2. q. 6. sect. 2. P. Mol. 1. p. d. 1. a. 4. & 5. memb. 8. P. Valent. 1. p. q. 23. pun. 4. P. Herice tr. 3. d. 29. cap. 2. n. 7. P. Tanner. 1. p. d. 3. q. 4. dub. 2. P. Ruiz. de prædest. d. 57. sect. 6. n. 1. P. Præposit. 1. p. q. 23. art. 8. dub. 5. n. 44. P. Arriaga d. 37. sect. 5. n. 39. P. Martinon. d. 21. sect. 4. n. 35.* Probatur primò ex Scriptura ad Ephes. 1. ibi: *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicùt elegit nos in ipso, &c.* ergo si benedixit nos in omni benedictione, cùm electio efficax ad gloriam sit maxima omnium benedictio, facta fuit ex meritis Christi. Confirmatur, quia elegit nos sicut benedixit; sed benedixit ex meritis Christi; ergo ex eisdem nos elegit, ut hîc admittit D. Chrysost. *Hom. 1.* ubi loco præpositionis *in* apponit præpositionem *per*, quæ denotat causam meritoriam: *Per quem, inquit, nos benedixit, per eundem nos elegit.*

134. Probatur secundò ex illo etiam ad Ephes. 1. ibi: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per JESUM Christum in ipsum.* Ubi præpositio *per* denotat causam meritoriam. Et, *gratificavit nos in dilecto filio suo.* Et, *Instaurare omnia in Christo.* Et, *Consedere fecit in cœlestibus in Christo JESU.* Et 1. Tim. 2. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum, homo Christus JESUS.* Et 2. Tim. 1. *Vocavit nos vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo JESU ante tempora secularia.* Et Joan. 17. *Dilexisti eos, sicut me dilexisti*: ubi dictio *sicut* ponitur pro *quia*, ut notavit D. Aug. *tract. 110. in Joan.* & D. Jeron. *lib. 2. in Jovin. Ideò*, inquit, *nos diligit, quia Filium dilexit Pater.* Et Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre: nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*: ubi cùm terminus *omnia* sit universalis, omnem potestatem ad salutem includit, sub qua continetur, ut pars præcipua potestas eligendi ad gloriam, & veniendi ad agnitionem Patris per glorificationem; ergo hanc potestatem habuit Christus Dominus; sed non illam habuit otiosè, sed applicantem merita sua ad consecutionem gloriæ; ergo ex illis nos elegit Deus, ut ipsemet Christus testatur Joan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.*

135. Probatur tertiò rationibus: Prima, quia Christus Dominus dicitur absolutè causa nostræ prædestinationis, ut constat ex loco D. Paul. cit. ad Ephes. 1. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per JESUM Christum in ipsum*; sed nõ ita diceretur, si non esset causa meritoria illius primæ electionis ad gloriam; cùm hæc sit præcipua pars ipsius prædestinationis, à qua aliæ dependent, & procedunt; ergo &c. Secunda, quia id non repugnat, neque ex parte meritorum Christi Domini, quæ cùm sint infinita, possunt mereri omne præmium, etiam possibile; neque ex parte ipsius electionis, quæ cùm sit posterior electione, & meritis Christi Domini, ut patet ex supra dictis, potuit ab illis causari; neque ex parte Christi Domini, cùm id in majorem potiùs honorem, & gloriam cedat; neque ex parte ipsius prædestinati, quia cùm omnes sint membra Christi Domini, ab eo ut à capite debebant accipere omnem influentiam spiritualem; non apparet aliundè ex quo repugnet; ergo &c.

Oppositum tenent *Adamus in Epist. ad Ephes. 1. & ad Philip. 1. & 2. Petr. 1. Capreol. in 3. dist. 18. q. unica art. 3. Scot. in 3. dist. 19. q. 1. §. In ista, & §. Sed hic sunt. Ferrar. 4. contr. gent. cap. 55. §. An autem. Driedo de captiv. & redempt. gener. human. tract. 2. cap. 2. p. 3. art. 4. ad 1. Almain in 3. dist. 19. q. 1. Major. q. 1. in 3. argum.* & alii apud Doctores citatos: pro quibus: Argues 1. Ex illo Matt. 20. 23. *Sedere autem ad dextram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Et Joan. 17. ibi: *Pater manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, tui erant, & tu illos mihi dedisti*: quibus in locis, & similibus significatur, Deum ex sua voluntate, & non ex meritis Christi elegisse nos ad gloriam; ergo illius merita non fuerunt causa meritoria nostræ prædestinationis quoad primam electionem, licet ita fuerint quoad executionem. 136

Respondeo ad primum locum cum D. Hieron. Christum Dominum ibi non excluisse sua merita ab hominum prædestinatione, sed solùm *voluisse* docere, non dari eis salutem ex mero alterius intercedentis favore, ut sæpius fit inter homines, sed ex ipsius accipientis meritis: sicut igitur Christus Dominus ibi merita propria prædestinati non excluit, sed postulavit, ita etiam sua propria ut causam meritoriam non excluit. Ad secundum dicimus, prædestinatos, licet propter redemptionem speciali modo pertineant ad Christum Dominum, adhuc etiam speciali modo pertinere ad Deum, quatenùs Deus ex sua mera voluntate accepit pro illis eligendis merita ipsius Christi Domini; sicque dicuntur prædestinati per Christum, non tamen à Christo, sed à Deo; siquidem prædestinare importat causam simpliciter principalem, & hæc est sola voluntas Dei. 137

Argues 2. Ex illo Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Et ex illo ad Ephes. 2. *Propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, cùm essemus mortui vivificavit nos in Christo*, &c. ex quibus, & similibus locis infertur, voluntatem redimendi, & salvandi homines provenisse ex puro Dei amore, & non ex meritis Christi; ergo &c. Respondeo primò in his locis solùm significari, voluntatem redimendi, & salvandi homines fuisse merè gratuitam in ordine ad ipsos homines, licet fuerit ex justitia in ordine ad merita Christi. Secundò, illam voluntatem fuisse gratuitam absolutè, quatenùs Incarnatio, in qua ut in prima causa meritoria fundatur, fuit à Deo merè gratuita, sicque ratione illius fuit etiam gratuita ipsa voluntas, saltem in radice; sicut gratuita dicitur nostra justificatio, quatenùs incipit à prima vocatione gratis data à Deo. 138

Argues 3. Priùs fuit intenta nostra salus, quàm Christi 139

Christi merita prævisa; siquidem, ut supra diximus, Christus fuit prædestinatus in remedium peccati, & ex intentione nostræ salutis, tanquam ex fine; finis autem semper est priùs intentus, quàm media electa; ergo non potuit nobis eam mereri quoad illam primam intentionem, & electionem. Respondeo negando antecedens, si loquamur de salute efficaciter intenta: nam priùs decreta fuit à Deo Incarnatio ex intentione salutis totius generis humani, conditionatè tamen, si ipsi homines vellent ex parte sua cooperari, sicque inefficaciter quoad applicationem meritorum, licet efficaciter quoad productionem Christi, postea verò ex talibus meritis Christi prædestinati fuerunt efficaciter electi. Patet à simili in illa voluntate generali salvandi omnes habita ex intentione divinæ gloriæ, quæ fuit efficax in ordine ad dandum esse; inefficax verò in ordine ad salutem consequendam; sicque similiter hæc fuit efficax in ordine ad redemptionem, quæ tota pendebat ex parte Christi; inefficax vero in ordine ad salutem consequendam, quæ etiam pendebat ex cooperatione hominum.

140. Instabis: Christus Dominus fuit prædestinatus ut Redemptor; sed non potuit sic prædestinari, nisi simul in eodem signo prædestinentur electi; siquidem correlativa sunt simul; ergo non potuit esse causa meritoria electionis eorum; cùm hæc debeat præsupponi ad effectum. Respondeo Christum Dominum fuisse prædestinatum Redemptorem omnium hominum, non solùm prædestinatorum, sed etiam reproborum, in quo signo prædestinati adhuc non fuerunt efficaciter electi, sed postea, sicque potuerunt eligi ex meritis illius jam prævisis. Imò etiam in ipso signo Voluntas divina primò, & directè fuit terminata ad Christum; secundò autem, & indirectè ad alios homines, qui jam ex meritis Christi prævisis eligi poterant; siquidem per ipsa merita constituebatur Christus eorum Redemptor; sicque semper præsupponebatur ad eorum electionem. Nisi velis cum aliquibus dicere, Christum Dominum fuisse prædestinatum ad titulum Redemptoris signatè tantùm, per sua tamen merita postea exercitè consequendū.

141. Argues 4. Christus Dominus non fuit causa meritoria illius primæ electionis inefficacis omnium hominum ad gloriam; ergo neque hujus primæ electionis efficacis prædestinatorum ad gloriam. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia illa prima electio inefficax, cùm fuerit ante prævisum peccatum Adæ in esse absoluto, & Christus post illud prædestinatus, non potuit esse ex illius meritis; licet tamen fuerit ex illius complacentia, utpotè quem Deus jam prævidebat in esse conditionato: at verò electio efficax, cùm fuerit post peccatum absolutè futurum, & etiam post illud fuerit Christus prædestinatus, potuit esse ex meritis illius, qui jam præsupponebatur: imò id postulabat dignitas capitis, & Redemptoris.

142. Difficultas 3. Utrùm Christus Dominus fuerit causa nostræ prædestinationis quoad omnes effectus in executione? Affirmativè. Ita *D. Thom. 3. p. q. 24. a. 4. Caiet. D. Bonav. in 3. dist. 11. a. 1. q. 3. Albert. dist. 10. a. ult. Alens. 3. p. q. 3. memb. 5. Palud. q. 1. a. 3. P. Soa. lib. 2. de præd. cap. 24. P. Tanner. d. 3. de prædest. q. 4. dub. 2. n. 3. P. Vasq. 1. p. d. 94. cap. 2. & 3. P. Mol. 1. p. d. 1. a. 4. & 5. P. Valent. 1. p. d. 1. pun. 4. P. Fons. 3. Met. lib. 4. cap. 2. q. 6. sect. 2. P. Herice tract 3. d. 29. cap. 1 n. 2. P. Martinon. d. 21. sect. 4. n. 38.* & alii communiter; qui hujusmodi difficultatem intelligunt de effectibus tam positivis, sive intrinsecis, sive extrinsecis, nempè de inspirationibus, illuminationibus, cooperationibus, habitibus infusis, applicatione Sacramentorum, prædicatione Verbi Dei, exemplis excitantibus, & similibus: quàm de negativis, nempè de impeditione tentationum, ablatione occasionum peccādi, & similibus. Imò etiam illam intelligunt de illis effectibus, qui ab aliis fiunt, qui tamen conducunt ad salutem prædestinati, qualis fuit oratio D. Stephani respectu D. Pauli; Sanctæ Monicæ respectu D. Augustini, sicque de aliis.

143. Probatur 1. ex illo ad Ephes. 1. ibi: *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*: quod saltem probat omnia dona gratiæ nobis donari ex meritis Christi, sive per Christum (idem enim significat *in*, atque *per*, ut supra diximus,) incipiendo à prima vocatione usque ad consummationem gloriæ. Hoc idem probant citata loca *numer. 133. & 134.*

144. Probatur secundò authoritate Conciliorum Milevit. tom. 1. cap. 3. ibi: *Item placuit, ut quicumq; dixerit, gratiam Dei, in quâ justificamur per JESUM Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit*: ubi dicitur, gratiam, quâ justificamur, & quæ valet, ut peccatum non committamus, qualia sunt auxilia supernaturalia, nobis donari per JESUM Christum. Idem habet Concil. Arauf. 2. *can. 25.* & Trid. *sess. 6. cap. 5.* ubi definit: *Justificationis exordium in adultis à Dei per Christum JESUM præveniente gratiâ sumendum esse*; hoc est ab ejus vocatione; ergo denotat, & Deum esse causam efficientem omnis doni gratiæ, & Christum esse causam meritoriam. Accedit definitio Cælestini Papæ *Epist. 1. cap. 10* in quo definit, omnia gratiæ beneficia contingere nobis ex meritis Christi. Propter hæc dicit *P. Vasq. cit.* resolutionem hanc esse catholicam. *P. Herice cit.* contrariam dicit erroneam; & erroneam etiam, & plusquam temerariam dicit *P. Soar. cit. n. 39.* si sermo sit de prædestinatione quoad effectus intrinsecos, quales sunt peculiares, & internæ gratiæ, quæ in electis sunt prædestinationis effectus.

145. Probatur tertiò ratione, quia Christus Dominus fuit à Deo constitutus mediator, & caput hominum; sed ad dignitatem mediatoris, & capitis spectabat omnem motum spiritualem ex propriis meritis in sua membra influere, & derivare; præsertim, quia ejus merita, ut potè infinita de se poterant sic extendi ad tale præmium, & infinitus Dei amor erga suum Filium ipsum Deum impelleret ad ea acceptanda pro tali præmio ei donando; ergo &c. Confirmatur, quia si homines independenter à meritis Christi Domini haberent hæc dona, sequeretur, quod iidem, qui nunc salvantur, salutem consequerentur ex vi præsentis decreti, etiamsi Christus in carne passibili non venisset; sed hoc est contra Sanctos Patres communi consensu affirmantes, quod homines salutem non consequerentur, nisi Deus fieret homo; ergo &c.

146. Objicies 1. Incarnatio est effectus nostræ prædestinationis; siquidem est præcipuum ejus medium à Deo ad illam ordinatum juxta illud: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis*; sed Christus Dominus illam non meruit, ut suppono probatum ex materia de Incarnatione; ergo neque omnes effectus prædestinationis. Respondeo primò negando majorem, & ad probationem dicimus eo in loco solùm intelligi decretam fuisse Incarnationē ex generali voluntate

salvandi omnes, & non ex speciali salvandi solos prædestinatos; siquidem Christus Dominus etiam pro reprobis incarnatus, & mortuus est; sicq; potuit esse priùs, & causa prędestinationis, omniumq; effectuum illius, & non medium, neque effectus; illud enim, quod est prius non potest esse effectus illius, quod est posterius.

147. Respondeo secundò cum aliquibus, datâ majori, & minori, negando consequentiam, admittunt enim Incarnationem, & Christi merita esse effectus nostræ prædestinationis, addunt tamen Christum Dominum meruisse omnes ejus effectus, sed illos tantùm, qui sunt destinati ab ipsâ Incarnatione, & meritis ipsius Christi Domini; cùm idem non possit esse causa sui ipsius; alioqui esset prius se ipso; sicque concludunt Apostolos loco citato, & Concilia, quando dicunt omnem gratiam nobis conferri per Christum, loqui tantùm de illa gratia, quæ est distincta ab ipso Christo, & ejus meritis.

148. Objicies 2. Dona naturalia sunt effectus prædestinationis; & tamen Christus Dominus ea nobis non meruit; siquidem solùm nobis meruit dona amissa ab Adamo, qualia erant supernaturalia, ut ait P. Mol. & alii; ergo nobis non meruit omnes prædestinationis effectus. Resp. negando majorem, si loquamur de ipsis donis quoad primum eorum decretum; hoc enim, ut supra diximus, fuit voluntas illa generalis salvandi omnes, quæ cùm præcesserit decretum divinum efficax prædestinans, quæ nobis fuerunt donata ex vi illius primæ voluntatis non potuerunt esse effectus prædestinationis, quæ postea subsecuta fuit. Verum quidem est, Deum postea omnia illa in electorum commodum retulisse ex meritis Christi Domini jam prævisis in esse absoluto; consequenterq; quoad hoc secundum decretum manssisse jam effectus, & prædestinationis, & meritorum Christi Domini.

149. Objicies 3. Christus Dominus nobis non meruit augmentum gratiæ; siquidem hoc nobis ex nostris meritis donatur; & tamen tale augmentum inter prædestinationis effectus numeratur; ergo jam non omnes effectus nobis meruit. Respondeo negando majorem, ad cujus probationem dicimus, illud augmentum nobis donari, & ex nostris, & ex Christi Domini meritis, diverso tamen modo, nempè ex meritis Christi, ut ex causa meritoria universali; ex nostris autem, ut ex causa meritoria particulari.

150. Objicies 4. Remissio pœnæ in Purgatorio facta est effectus nostræ prædestinationis; siquidem nimis conducit ad vitam æternam; quæ autem sic conducunt, sunt prædestinationis effectus, ut infra dicemus; & tamen Christus Dominus eam nobis non meruit; siquidem solam gloriam, & gratiam nobis meruit; talis autem remissio non est gratia, sed pura debiti solutio; ergo &c. Respondeo negando minorem, sive ipsa remissio fiat per indulgentias, sive per puram satisfactionem, & debiti solutionem: tum quia indulgentiæ fundantur in Christi meritis: tum etiam quia Christus meruit, quod ipsa pœna, cùm antea esset æterna, mutaretur in temporalem, ut locum haberet remissio per puram satisfactionem, & debiti solutionem facta, sicque hæc, saltem radicaliter in ipsis Christi meritis fundatur.

151. Objicies 5. Christus Dominus pro omnibus tam electis, quàm reprobis mortuus est; & tamen his gratiam, & gloriam non meruit; ergo neque illis; consequenterque eis non meruit omnes effectus prædestinationis. Respondeo negando minorem; sic enim meruit reprobis quoad sufficientiam, licet solis prædestinatis quoad efficaciam.

Objicies 6. Meritum illud, quo Virgo Sanctissima sibi meruit de congruo Maternitatem, fuit effectus prædestinationis illius; & tamen Christus Dominus illud non meruit Virgini Sanctissimæ; siquidem cùm fuerit ante Maternitatem, & hæc ante ipsum Christum, non potuit Christus illud mereri, quod fuerat ipso prius; ergo neque meruit omnes prædestinationis effectus. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, illud meritum, & Maternitatem Virginis Sanctissimæ fuisse priùs Christo Domino, ut decreto, & producto per secundam actionem, non autem ut decreto per primam independenter à Matre in statu, quo Adamus fuit creatus, & ipse Christus Dominus postea fuit passus; nam prout sic priùs fuit prævisus cum suis meritis, ideòque potuit mereri illud meritum, & Maternitatem Virgini Sanctissimæ. 152.

SECTIO VIII.

Vtrùm Christus Dominus meruerit nostram electionem ad gloriam, prout illa dicit electionem aliquorum præ aliis?

ADVERTES primò cum *P. Herice tr. 3. d. 29. cap. 3. num. 21.* & ex supra dictis *d. 2. à n. 448.* inter dilectionem & electionem illud dari discrimen, quod licet tendant in idem objectum, & in re sint unus, & idem actus, hic tamen in quantùm vult bonum dilecto, dicatur dilectio; & in quantum vult tale bonum ipsi dilecto præ aliis, dicatur electio. Secundò in hac comparatione unius præ aliis involvi aliam voluntatem, sive expressam, sive virtualem non dandi aliis tale bonum, quod uni vult præ aliis, ut patet in eo, qui advertens, se posse dare beneficium tribus personis, uni tamen dat; hic enim, si non expresè, saltem interpretativè vult non dare aliis, aut per actum positivum liberum, aut per solam omissionem. Terriò, quæstionem hic esse, an Christus Dominus meruerit specialem prædestinatorum electionem secundùm rationem electionis? seu (quod est idem,) an Christus Dominus specialiter, ac determinatè obtulerit sua merita pro prædestinatis; vel indifferenter tantùm pro illis, & reprobis, ita ut Deus, illis prævisis, eligeret, quos vellet? Hoc posito. 153.

Difficultas 1. Utrùm Christus Dominus nobis meruerit electionem ad gloriam, ut electio est? 154.
Affirmativè. Ita *P. Vasq. 1. p. d. 94. cap. 3. num. 17. P. Lessius lib. de prædest. sect. 3. num. 42. 43. & 44. P. Arrub. 1. p. d. 78. cap. 1. num. 6. P. Herice tr. 3. d. 29. cap. 3. num. 22. P. Ruiz hic d. 57. sect. 7. num. 5. P. Alarcon. 1. p. tract. 4. d. 3. cap. 5. num. 4.* & alii. Probatur primò ex Scripturâ Joan. 15. ibi: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*: que verba aut intelligenda sunt de electione ad gloriam, ut ea intelligunt D. Aug. *lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 17.* D. Prosper *lib. contra Collator. & in psalm. 131.* aut de electione ad Apostolatum, ut sentiunt *D. Chrysost. Cyril. Leont. Theophilact. Euthym. & P. Maldonat*: Si primum; ergo Christus, qui eos dixit elegisse, eis meruit electionem præ aliis: Si secundum; ergo si Christus per applicationem suorum meritorum

meritorum fuit primus elector ad Apostolatum, & voluntas Patris in eo se conformavit voluntati Christi, cur non ita se ei conformaret in electione ad gloriam præ aliis?

155. Probatur secundò ex illo Matt. 28. ibi: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*: ubi loquitur Christus de potestate sibi data in ordine ad salutem, & dona gratiæ, quam habebat ut Redemptor omnium hominum, ut communiter docent Patres ad hunc locum; sed illam non haberet, si solam haberet potestatem ad diligendum, & exequendum, quod Pater prædefiniendo eligeret; tunc enim non posset dicere, datam sibi esse omnem potestatem, sed solam executionem eorum, quæ Pater decerneret; ergo &c. Confirmatur, quia si Rex apud se statuisset dare Regni officia certis hominibus, idque alicui exequendum committeret, hic neque posset Regis decreta mutare, neque dicere, datam sibi esse omnem potestatem in tali Regno, sed solam executionem; ergo cùm Christus dicat se habere omnem potestatem distribuendi dona supernaturalia, dicendum est ad ipsum pertinere, non solùm eorum executionem, sed etiam primam electionem.

156. Probatur tertiò rationibus: Prima, quia prædestinatus in eo, quod sit præ aliis electus, aut superat in aliquo speciali beneficio non prædestinatum, aut non: Hoc secundum dici non potest, ut per se est evidens: Si primum; ergo Christus Dominus fuit talis beneficii author; alioqui Deus non benedixisset nos propter Christum in omni benedictione contra id, quod dicit Apostolus ad Ephes. 1. 3. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*: id est in omni beneficio; ergo fuit causa meritoria illius electionis præ aliis. Secunda, quia Christus Dominus antequam haberet merita, & ea offerret, præsciebat, omnes homines esse originali infectos; deindè præsciebat etiam, quod si Patri pro omnibus sua merita offerret, Pater hos potiùs, quàm illos eligeret; ergo cùm voluit sic pro omnibus indifferenter offerre de facto, saltem virtute, & interpretativè, ac indirectè voluit illam aliquorum præ aliis electionem; ergo non solùm voluit dilectionem specialem, ut dilectio est, sed etiam ut electio est.

157. Oppositum tenent *P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 24. num. 21. P. Tanner. d. 3. de prædest. q. 4. dub. 2. n. 10. P. Amicus de prædest. d. 15. sect. 3. n. 47. P. Martinon. d. 21. sect. 4. n. 40.* & alii; Pro quibus: Argues 1. Ut merita Christi Domini essent causa meritoria illius electionis, ut electio est, deberent necessariò prævideri ut applicata ab ipso Christo specialiter pro illis; alioqui ex vi eorum absolutè pro omnibus oblatorum Voluntas Dei non determinaretur potiùs ad hos, quàm ad illos; sed non fuerunt ita prævisa; siquidem positâ ipsâ præscientiâ, & Christi oblatione, adhuc Deus, aut nullos, aut omnes, aut potiùs hos, quàm illos poterat efficaciter eligere; ergo ex vi talis oblationis non sequitur fuisse Christum Dominum causam meritoriam talis electionis, ut electio est. Confirmatur ab exemplo, quia si testator dotem centum v.g. virginibus indeterminatè dandam relinquat, & postea hæres potiùs has, quàm illas eligat, licet præcipuum beneficium debeant testatori, aliquid tamen debent hæredi in ea determinatione, quod non debent testatori, deberent autem, si illas determinatè nominaret; ergo similiter, licet Christus Dominus pro omnibus hominibus merita offerret, & Deus ex vi illorum potiùs hos, quàm illos eligeret, non ideò hi debent Christo illud beneficium electionis præ aliis, sed Deo, licet absolutè ipsi Christo debeant electionem.

158. Respondeo primò negando minorem, ut ex infra dicendis constabit. Respondeo secundò ad majorem, non esse id, quod in ea proponitur, absolutè necessarium, sed satis esse, quod Christus Dominus habuisset præscientiam conditionatam ipsius electionis, & ex speciali complacentia sua merita absolutè applicuisset, ut diceretur velle illam, saltem indirectè, & consequenter, ut esset illius causa. Ad probationem dicimus non obstare, quod adhuc Deus possit omnes, aut nullos, aut hos potiùs quàm illos eligere; siquidem etiam factâ à Christo Domino illâ applicatione expressâ, adhuc Deus posset sic eligere, aut non eligere; & tamen tunc per ipsos Adversarios Christus esset causa illius electionis, ut electio est; ergo similiter in nostro eventu, etiam illâ non admissâ. Neque ex hoc sequitur, ut benè notat *P. Herice cit. n. 23.* quod Pater, & Deus non ostendat specialem benevolentiam, & liberalitatem erga electos in eo, quod sine obligatione cogente, liberè hos potiùs, quàm illos eligat præ aliis, sic enim ostendit; nam cùm illa complacentia Christi, imò & ejus oblatio non fuerit absoluta, & efficax respectu Dei, poterat Deus illam non acceptare, consequenterque non eos eligere; sicque quod eos eligat, fuit actus benevolentiæ, & liberalitatis specialis. Ad confirmationem dicimus, testatorem non habuisse Scientiam Conditionatam de talium virginum electione, & consequenter neque complacentiam, ideòque neque indirectè posse ei attribui earum electionem; attribueretur autem, si illas haberet, sicut illas habuit Christus de prædestinatorum electione à Patre, ex quo nihil contra nos.

159. Argues 2. Ut Christus Dominus mereretur aliquorum electionem præ aliis, deberet simul mereri & horum electionem, & aliorum non electionem, sivè negationem electionis; sed ita non meruit; siquidem non fuit missus, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum, ut ipse testatur Joan. 3. 17. *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*; ergo &c. Respondeo negando majorem: necesse enim non erat, quod mereretur negationem dilectionis, & electionis eorum, qui relinquebantur: tum quia per ipsos Adversarios Christus meruit electis dilectionem, ut dilectio est; & tamen non meruit reprobis ejus negationem: tum quia Misericordia Dei est causa electionis prædestinatorum, ut electio est; & tamen per ipsos Adversarios non est causa negationis ipsius electionis in reprobis: tum etiam, quia Virgo Sanctissima sibi meruit electionem ad Maternitatem Dei; & tamen non meruit aliis fœminis negationem ipsius electionis.

160. Argues 3. Christus Dominus pro omnibus æqualiter mortuus est, ut constat ex illo Rom. 8. 32. *Pro nobis omnibus tradidit illum.* Et 2. Cor. 5. 14. *Unus pro omnibus mortuus est:* & hoc idem postulabat officium Redemptoris; ergo non meruit prædestinatis dilectionem, ut electio est; siquidem cùm prout sic secum deferat non solùm comparationem, sed etiam prælationem aliquorum, consequenter etiam deferret voluntatem saltem interpretativam non dandi aliis illud speciale beneficium, quod non videtur dicendum; alioqui jam non ageret æqualiter munus Redemptoris.

Respondeo negando consequentiam; sufficit enim illa specialis complacentia, quam Christus Dominus habuit de electione prædestinatorum à Patre faciendâ, & à se ipso prævisâ per Scientiam Mediam, ut dicatur velle nostram electionem, ut electio est, licet indifferenter, & æqualiter pro omnibus merita sua obtulisset; neque id officit muneri Redemptoris, cùm per ipsos Adversarios meruerit electis efficacem dilectionem, ut dilectio est, quin ita mereretur reprobis; & tamen nihil in eo egit contra munus Redemptoris.

161. Argues 4. Si Rex tantùm auri tribueret alicui redemptori, quantùm putaret satis ad redimendos mille captivos, relinquendo tamen determinationem, & electionem eorum ipsi redemptori, verè diceretur eorum redemptor; & tamen non esset causa electionis eorum; ergo etiam Christus Dominus offerendo sua merita efficaciter pro electis, quin hos, aut illos determinet, sed id Patri relinquendo, verè dicetur eorum Redemptor, & meruisse eorum prædestinationem, quin eam mereretur, ut electio est. Respondeo negando consequentiam quoad ultimam partem; diversa ratio est, quia Christus Dominus supra pretium illud redemptionis addidit supra dictam Scientiam Conditionatam de eligendis à Patre, & insuper complacentiam de eorum electione, quas Rex ille non haberet; dato tamen, quod illas haberet, sicut habuit Christus Dominus, tunc verè diceretur, sicut ille, causa electionis tale pretium offerendo, ex quo potiùs confirmatur, quàm infirmatur nostra doctrina.

162. Difficultas 2. Utrùm Christus Dominus sua merita specialiter applicuisset pro electis, expresè orando pro illis? Affirmativè. Ita *P. Herice tr. 3. d. 29. cap. 3. n. 26. P. Alarcon tract. 4. d. 3. cap. 5. n. 7. P. Arriaga de prædest. d. 37. sect. 5. num. 38.* & ex parte *P. Vasq. d. 94. cap. 4. & P. Ruiz de prædestinat. d. 57. sect. 7. n. 13.* quatenùs id solùm extendunt ad electos mortuos post, non verò ante Christi Incarnationem. Probatur primò ex illo Joan 13. ibi: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, &c.* sed non ita dedisset omnia in manus Christi, nisi etiam Christo dedisset illam prædestinatorum determinationem pro illis sua merita specialiter offerendo, ac orando; cùm tamen hujusmodi determinatio maximum quid sit in negotio salutis. ergo &c.

163. Confirmatur exemplo, quia si aliquis strenuus Dux plures civitates victoriis compararet, & ab hostium manibus eriperet, & postea Rex per se ipsum, pro ut vellet, eas distribueret, non quidem benè diceretur omnia in manus ipsius Ducis tradidisse, quod tamen aliter esset, si eas Duci distribuendas committeret; ergo similiter, si Pater per se ipsum eligeret prædestinatos ad gratiam, & ad gloriam, idq; Christo non committeret faciendum per specialem suorum meritorum applicationem, & orationem, non benè diceretur, omnia in manus ejus tradidisse, eique dedisse omnem potestatem, ut supra diximus.

164. Probatur secundò rationibus: Prima, quia Christus Dominus, ut ipsi Adversarii fatentur, potuit respectu omnium, (etiam Antiquorum Patrum,) esse causa meritoria gratiæ; ergo etiam potuit pro illis orare, & specialiter applicare sua merita; siquidem non major antecedentia requiritur in oratione respectu rei postulatæ, & in applicatione meritorum respectu eorum, quibus applicantur, quàm in merito respectu præmii, quod meretur. Secunda, quia ex D. Petro Actor. 10. 42. Christus Dominus *constitutus est à Deo Judex vivorum, & mortuorum*; ergo ut talis esset perfectè, non solùm debebat ferre sententiam, sed etiam distribuere gratias, & dona, quibus vellet. Tertia, quia plus honoris deferebatur Humanitati Christi Domini, ut perfectissimi Redemptoris, & unici Mediatoris, si totum prædestinationis negotium ejus voluntati, ac determinationi committeretur, quàm si Deus per se ipsum illam determinaret; ergo cùm in tali commissione nihil involvatur indecens, aut repugnans divinis decretis, non est curillam negemus Christo Domino.

Oppositum tenent *P. Soar. lib. 2. de prædest.* 165
cap. 24. à n. 23. P. Amicus d. 15. sect. 3. num. 47. P. Martinon d. 21. sect. 4. n. 40. & alii: Pro quibus: Objicies 1. Christus Dominus semper electos, & prædestinatos vocat datos à Patre, & non à se electos, ut patet ex illo Joan. 6. ibi: *Hæc est voluntas Dei, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, &c.* Et infra: *Nemo potest venire ad me, nisi datum ei fuerit à Patre meo.* Et Joan. 17. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti.* Et infra: *Non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Et infra: *Quos dedisti mihi ego custodivi.* Et Isai. 8. *Ecce ego, & pueri, quos dedicti mihi:* & sæpè alibi, ubi dicitur, Christum Dominum eos accepisse à Patre, non autem elegisse; ergo &c.

Resp. primò Christum Dominum sic dixisse 166
sibi datos à Patre, quia à Patre accepit cogitationem illam congruam, ut specialiter, ac efficaciter oraret pro prædestinatis, nempè pro Petro, & non ita specialiter, sed tantùm generaliter, ac sufficienter oraret pro reprobis, nempè pro Judâ. Undè licet eorum electio potiùs, quàm electio reproborum immediatè dependerit ex Voluntate Christi Domini pro illis specialiter petentis, & sua merita applicantis; dependit etiam à Deo radicaliter, quatenùs Deus ex sua libera voluntate dedit Christo Domino cogitationem illam congruam, quando per Scientiam Conditionatam vidit eum pro his potiùs quàm pro illis petiturum, & sua merita specialiter, ac efficaciter applicaturum.

Resp. secundò, dato quod illa cogitatio con- 167
grua non admittatur in Christo Domino, quod probabilius judicat *P. Arriaga cit. n. 42.* adhuc nihilominùs dicendum, Christum Dominum eos accepisse à Patre, quatenùs Pater, cùm posset non annuere, ejus tamen annuit petitioni, volendo prædestinare illos potiùs, quos Christus Dominus designaverat, quàm alios; siquidem res optimè dicitur Petro donata, licet Petrus eam petat à donatore; sicq; & à Christo fuerunt electi, quatenùs pro illis specialiter, & efficaciter oravit, & à Patre ei donati, quatenùs Pater ejus annuit petitioni.

Instabis: Deus prædefinivit eos Christi actus, 168
quibus ille prædestinatos elegit; sicut in nobis nostros prædefinivit actus bonos, prout supra diximus; siquidem hoc ad perfectum dominium, & Creatoris respectu creaturarum perfectam providentiam spectabat; ergo tota ipsa prædestinatorum electio Deo tribuenda est. Respondeo primò cum aliquibus negando antecedens; nam dignitas Christi Domini propter Humanitatis unionem cum supposito divino, & scientias ei datas, & debitas, non egebat eâ actuum prædefinitione. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; nam cùm talis prædefinitio non tollat libertatem, neque Christi dominium supra suos actus minuat, ideò non tollit quominùs

electio

electio per illos facta etiam ipsi Christo Domino tribuatur, licet etiam, & principaliter Deo tribuatur ob rationem factam.

169. Objicies 2. Si Christus Dominus aliquos præ aliis elegisset, sequeretur, fuisse quodammodo causam, ne illi alii eligerentur; consequenterque ut perderentur; diceret enim in ipsa electione, volo hos, & non ut illos eligas ad gloriam; & ut his, non autem illis des auxilia congrua; sequela autem est falsa; siquidem, ut ipse testatur, non venit perdere quemquam, sed potiùs salvare, ut constat ex illo Luc. 9. 56. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*; ergo &c.

170. Respondeo primò negando minorem; nam si Deus liberè se determinavit ad non danda auxilia congrua reprobis, sed sola sufficientia, cur id ipsum non posset Christus Dominus ab eo petere? Ad probationem dicimus inde non sequi Christum Dominum eos perdere, cùm ipsi potiùs se perdant quatenùs auxiliis sufficientibus non sunt cooperati. Patet in ipso Deo, qui decrevit non dare reprobis auxilia efficacia ad gloriam ineffectu consequendâ, sed sola sufficientia; & tamen eos non perdidit, sed ipsi se perdiderunt exse juxta illud Oseæ 13. 9. *Perditio tua Israel: tua*, id est *ex te*. Undè licet sit verum dicere, ideò Petrus electus gratias congruas, ac tandem salutem consecutus est, quia Christus efficaciter pro illo oravit, juxta illud Luc. 22. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; non tamen est verum dicere; ideò Judas damnatus est, quia Christus pro illo efficaciter non oravit; siquidem efficaciter oravit, ut ei tribuerentur auxilia sufficientia, per quæ poterat beatitudinem consequi, licet non sit consecutus, quia cùm ipsis auxiliis sufficientibus connexa sit negatio boni, usûs liberi arbitrii, quæ tota provenit ab ipso Juda, & non à Deo, neque à Christo, sicque Judæ tantùm tribuitur tota ejus perditio.

171. Respondeo secundò, & meliùs negando majorem, nam Christus Dominus in illa oratione solùm dixit Patri: *Volo hos, erga alios, etiam optarem, sed non ita urgeo pro illis, fiat voluntas tua*: cùm enim sit omnium mediator, ac intercessor, nullum debebat determinatè rejicere, neque rejecit, ut indicant citata verba, sicut & illa Joan 10. *Ego*, ait, *veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*. Et Joan. 3. *Non misit Deus*, ait, *Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*: diceretur autem aliquo modo perdidisse, si positivè peteret, ne eligerentur, & salvarentur.

172. Objicies 3. Si totum salutis negotium fuisset Christo Domino commissum, non posset sine injuria Charitatis illius erga homines dici, eum tam paucos elegisse, cùm potiùs deberet pro omnibus sua merita offerre; ergo &c. Respondeo negando antecedens; major enim est Charitas Dei erga ipsos homines; & tamen sine ulla injuria Charitatis Dei præsumitur tam paucos elegisse; sicque idem dicendum de Charitate Christi; præsertim cùm ipsi Adversarii magis eam arguere videantur, quatenùs dicunt pro nullo expresè orasse, sed totum Patris voluntati commisisse.

173. Objicies 4. D. Paulus non in voluntatem humanam Christi Domini, sed in divinam refert totum prædestinationis negotium, & hominum electionem, ut patet ex illo Rom. 11. *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, &c.* Et ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ..... secundùm propositum voluntatis suæ*; ergo &c. Respondeo primò cum aliquibus, negando consequentiam; nullum enim est inconveniens in eo, quod totum prædestinationis negotium Voluntati Christi sit commissum, nempè, quod omnibus hominibus propositis, etiam sine speciali Dei motione, potiùs pro his, quàm pro illis oraret, ac sua merita offerret, eos potiùs, quàm alios eligendo, cùm hoc ad dignitatem ipsius Christi ut capitis, ac omnium mediatoris spectet, & adhuc deberet Deo principaliter tribui, ut patet ex suprà dictis, & patebit ex dicendis, quod ita Deo tribui voluit D. Paulus locis citatis.

Respondeo secundò cum aliis, Deum inspirasse Christo Domino, quos ille volebat prædestinatos, ut ipse Christus Dominus illos efficaciter peteret, & hos tantùm sic petiisse, & prout sic totum prædestinationis negotium dicitur in Dei consilium, & voluntatem refundi, in quo sensu locutus est Apostolus. Unde dicunt, Deum per Scientiam Mediam cognovisse, si Christo Domino daretur optio, eum electurum hos potiùs, quàm illos, Deumque in tali electione complacuisse inefficaciter, posteaque talem complacentiam revelasse Christo Domino, qui ex hac revelatione, licet posset facere quidquid vellet, motus est potiùs hos, quàm illos eligere, sicque se Patris voluntati accommodavit, & adhuc liberè elegit, quos voluit. 174.

Inferes: Ergo daretur mutua causalitas non admittenda; siquidem electio illa conditionata Christi Domini fuit causa motiva illius complacentiæ divinæ, & hujusmodi complacentia fuit causa motiva electionis absolutæ Christi Domini, utpotè qui propter illam prævisam, & revelatam motus est ad hanc electionem absolutè faciendam. Respondo negando illationem; illa enim complacentia Dei non fuit causa electionis absolutæ Christi Domini; siquidem hæc prævisa fuit in esse conditionato ante illam complacentiam; cùm autem causæ in esse absoluto, & in esse cõditionato sint eædem; illa verò complacentia non fuerit causa istius electionis in esse cõditionato, utpotè illâ posterior, neque fuit illius causa in esse absoluto, ac proindè sine illa poterat dari; consequenterque non datur illa mutua causalitas; licet illa complacentia Patris potuerit ex superogatione Christum Dominum allicere ad libentiùs, & alacriùs electionem illam faciendam. 175.

Objicies 5. Antiqui Patres præcesserunt Christum Dominum, ut potè ejus progenitores; ergo saltem pro illis non potuit Christus determinatè sua merita offerre. Respondeo negando consequentiam: nam Christus Dominus, ut supra jam tetigimus, fuit decretus per unam actionem totalem independenter ab ullo progenitore, & sub illâ prævisum benè operantem priùs naturâ, quàm illi essent, & per eam bonam operationem à Patre postulavit in particulari eorum prædestinationem; imò & Virginis Sanctissimæ cum præservatione ab originali, & gratiâ, per quam ipsa Virgo Sanctissima sibi meruit Matris dignitatẽ. Ita P. Arriaga, P. Herice cum aliis. 176.

Instabis: Christus Dominus jam existens sciebat Antiquos Patres jam præteriisse, prædestinatos fuisse, & habuisse jam omnia dona gratiæ; ergo non poterat pro illis determinatè orare, illa eadem postulando, quæ jam habuerant; alioquin oratio non minùs impertinens esset, ac si ego postularem, ut Deus produxisset meos progenitores, & omnia, quæ jam dederat, eis dedisset. Propter hoc argumentum dicunt aliqui cum *P. Vasq. d. 94. cap. 3. n. 19. & P. Ruiz. d. 57. sect. 7. num. 32.* 177.

num. 23. Christum Dominum orasse tantùm pro prædestinatis sui temporis, & pro aliis post ipsum futuris; non autem pro Antiquis Patribus, & aliis ante ipsum prædestinatis, sed pro his solùm meruisse eis gratiam per modum solutionis, quæ solutio potest fieri etiam post acceptam gratiam; sicque dicunt, Deum ex mera liberalitate dedisse suam gratiam Antiquis Patribus, quâ postea cognitâ à Christo Domino, tantùm pretii in ejus solutionem Patri obtulisse, quantùm ante illius donationem obtulisset, si jam tunc vixisset.

178. Non placent primò, quia Deus ex communi Theologorum sententia, nulli de facto voluit dare gratiam in executione ante merita Christi prævisa, quæ licet in existentia fuerint posteriora ipsis Antiquis Patribus, eorumque gratiâ, ac cæteris donis à Deo tunc acceptis, fuerunt tamen illis omnibus naturâ priora; alioquin non possent esse istorum causa, sed essent tantùm meræ gratiarum actiones pro tali donatione, quod non est dicendum.

179. Non placent secundò, quia argumentum hoc etiam contra ipsos Adversarios facit; siquidem probat etiam, non potuisse Christum Dominum pro hominibus futuris determinatè orare, & eorum prædestinationem petere, quod illi non admittent. Patet, quia Christus Dominus ab instanti suæ conceptionis vidit Scientiâ Beatâ, & Infusâ homines quotquot erant salvandi etiam in lege gratiæ; consequenterque cognovit, Deum ab æterno habuisse decretum salvandi illos; ergo si non poterat petere pro Antiquis Patribus, quia sciebat eos jam habuisse gratiam, ideoque non poterat dicere: *Pater rogo ut dedisses illis gratiam*; etiam non poterat petere ab eo prædestinationem pro hominibus futuris, quia jam sciebat eos esse prædestinatos, ideoque etiam non posset dicere: *Pater peto ut voluisses salvare Petrum*; sed hoc non admittent; ergo illud non debent negare. Præsertim, quia indè sequeretur, neque nos posse modò quidquam à Deo petere; nam cùm saltem in communi sciamus, Deum ab æterno voluisse quidquid facturus est in tempore, quomodò poterimus petere dicendo, *velis hoc, aut illud?* Igitur.

180. Respondeo ad argumentum, Christum Dominum in prioritate instantis, quo determinatè volebat orare pro electis, habuisse quamdam cognitionem, quæ solùm eos ut possibiles repræsentabat, nihil affirmando de voluntate Dei circa eorum prædestinationem, & ex hac cognitione ductum potuisse determinatè petere: *Pater prædestina Abrahamum*, sicque de aliis, ut constat ex illo Joan. 17. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi:* ubi specialiter petiit prædestinatis donum perseverantiæ, sicut specialiter etiam petiit pro Apostolo Petro. Luc. 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua:* & pro eo, & aliis. Joan. 17. 1. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*: In posterioritate verò ipsius instantis habuisse aliam cognitionem, quâ illos videbat ab æterno prædestinatos, & habuisse in tempore gratiam ob illam suam orationem, quæ fuit prior naturâ, quàm ipsa eorum prædestinatio, ideoque potuit Deum movere ad eorum prædestinationem faciendam propter illam orationem. Ita *P. Arriaga hic d. 37. sect. 3. n. 32.*

181. Confirmatur cum eodem P. Arriaga ex nobis ipsis, quia quando salutem à Deo petimus, à quadam cognitione ducimur nihil nobis certi proponente de nostra salute, licet alioqui in communi sciamus, Deum omnem suam voluntatem habuisse ab æterno; sed Deus in eodem instanti reali, quo sic oramus, potest pro ejus posterioritate nobis infundere cognitionem, quod ab æterno voluerit nos salvare; (neque enim in hoc apparet repugnantia;) datâ autem hac cognitione, simul haberemus in eodem instanti, & orationem pro prioritate instantis, qua petimus, ut Deus nos velit salvare; & scientiam pro posterioritate instantis, qua cognosceremus, quod id voluerit jam ab æterno; ergo quod in hoc casu in nobis contigisset, potuit de facto contingere in Christo Domino respectu, tam præcedentium Patrum, quàm subsequentium prædestinatorum. Undè Deus vidit ab æterno Christum determinatè orantem pro prædestinatis, & hanc pro illis orationem accepit, illos propter eam prædestinando, itaut hæc manserit prior naturâ, quàm eorum prædestinatio, posterior verò tempore auxiliis, & gratiâ eis datis.

Urgebis: Oratio Christi Domini solùm petebat, ut electio illa Patris exequeretur in tempore; ergo non ut illam efficeret ab æterno. Respondeo negando antecedens: cùm enim Christus Dominus fuerit prædestinatus ante omnes homines, & sic cum omnibus meritis, potuit Deus inter ipsa ejus merita prævidere illam orationem, & propter eam moveri, non solùm ad executionem in tempore, sed etiam ad primam electionem ab æterno. ita

Objicies 6. D. Paulus significavit, determinationem electionis non fuisse factam propter ulla merita; siquidem usus est nomine *sortis*, ut constat ex illo Ephes. 1. ibi: *In quo etiam nos sorte vocati sumus, &c.* ergo illam nobis non meruit Christus Dominus. Respondeo nomen illud *sortis* excludere merita, quibus homines meruerint suam prædestinationem, aut primam gratiam, prout supra diximus; non autem aliorum merita, nempè Christi Domini, propter quæ potuerunt determinatè eligi. 6

Inferes: Ergo jam prædestinantur ex meritis prævisis, contra id, quod supra diximus. Respondeo negando illationem; licet enim Christus Dominus nobis meruerit electionem determinatam, hæc non minùs casualis, & fortuita nobis contingit, quàm si Deus illam decrevisset sine meritis Christi Domini, cùm præter opinionem, & supra dignitatem nostram nobis contingat. De prædestinatione Angelorum hîc non agimus; tùm quia de illa jam aliqua supra tetigimus: tùm quia de illa iterum redibit sermo alio in loco, ubi de ea latiùs dicemus, quæ hîc desiderari poterunt.

DISPU-

DISPUTATIO IV.

De Effectibus Prædestinationis.

SECTIO I.

Virùm Prædestinatio aliquos habeat effectus, & quas conditiones requirant?

1. ADVERTES, quæstionem quoad primam partē posse procedere, aut de prędestinatione formali, sive de actibus divinis internis, in quibus supra diximus consistere prædestinationem formaliter: aut de prædestinatione objectiva, sive de objectis, quę illi actus interni Dei prædestinantis ponunt in ipso prædestinato; & de his, aut totaliter, aut partialiter. His positis.

2. Difficultas 1. Utrùm prædestinatio aliquos habeat effectus: & in quo genere causæ? Dico primò. Prædestinatio formalis plures habet effectus. Ita communiter Doctores *in 1. dist. 40. & 41. D. Thom. 1. p. q. 23. a. 2. D. Aug. lib. de prædest. Sanctor. cap. 10. & lib. de bono perser. cap. 14. P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 1. n. 1. P. Tanner. de prædest. d. 3. q. 3. dub. 1. n. 3.* & alii. Probatur primò, quia illud est alicujus causæ effectus, quod ab illa habet esse, & ad finem ab ea intentum conducit; sed plura dona habent esse à prædestinatione formali; & ad gloriam ab ea intentam conducunt; siquidem per illam decrevit Deus dare auxilia congrua, gratiam finalem, & alia gratiæ dona ad Beatitudinem conducentia; & in tempore applicat Omnipotentiam ad illa in executione tribuenda juxta illud D. Aug. loco cit de prædest. Sanctor. *Prædestinatio Dei*, inquit, *quæ in bono est, gratiæ est præparatio; gratia verò est ipsius prædestinationis effectus*; ergo &c.

3. Probatur secundò, quia prædestinatio, ut diximus, est pars providentiæ efficacis Dei; sed hæc, cùm sit ordinatio efficax mediorum ad finem, habet pro effectibus ipsa media; ergo etiam prædestinatio sic illa habebit. Cōfirmatur ex illo ad Rom. 8. ibi: *Quos prædestinavit, hos & vocavit; quos autem vocavit, illos justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit*: Ubi prædestinationi attribuit tanquam effectus suæ causæ vocationem, justificationem, & glorificationem; ergo &c.

4. Dico 2. Prædestinatio formalis est causa suorum effectuum in genere causæ efficientis. Ita *P. Soar. cit. n. 3 & P. Tanner. cit. n. 3.* Probatur, quia Prædestinatio formalis consistit in actibus intellectûs, & voluntatis divinæ, ut supra diximus, qui sunt ipse Deus; sed Deus per hos actus mediante Omnipotentia determinatur ad producendum physicè, & in genere causæ efficientis supra dictos effectus; ergo prædestinatio formalis est eorum causa in genere effectivo. Confirmatur, quia prædestinatio formalis, cùm sit aliquid divinum, non potest esse causa intrinseca respectu alicujus creaturæ, sicque neque materialis, neque formalis: Non extrinseca finalis; siquidem Deus non confert illas gratias ut prædestinet, sive propter prædestinationem formalem, imò potiùs, quia prædestinat, ideò illas tribuit; ergo est earum causa efficiens, cùm alia non appareat.

5. Oppones 1. Deus efficit illos effectus etiam, ut suam impleat voluntatem prædestinantem; sed hæc ratio causandi pertinet ad causam finalem; ergo ad hanc pertinet prædestinatio formalis. Respondeo implctionem illam Voluntatis Divinæ non pertinere ad prædestinationem formalem, sed ad illius effectus. Undè argumentum solùm probat, ipsam prædestinationem formalem esse causam efficacem suorum effectuum, & ex his unum esse propter alium. Addo cum *P. Soar. cit.* illum finem reduci ad finem generalem divinorum operum, qualis est manifestatio Divinæ Omnipotentiæ, & aliorum Attributorum; ideò enim Deus vult suam prædestinationem infallibiliter impleri, ut ejus Bonitas, & divina Potentia ostendatur; sed hæc ostensio est effectus prædestinationis, & non ipsa prædestinatio; ergo prædestinatio non est finis, sed causa efficiens suorum effectuum.

6. Oppones 2. Sola voluntas, quæ applicat Omnipotentiam ad suos effectus producendos, censetur cum illa eorum causa efficiens; sed non sic eam applicat Voluntas Divina, prout intendit gloriam prædestinatis; ergo saltem hæc non erit causa effectiva; cùm tamen sit prædestinatio formalis. Respondeo primò negando minorem, falsò enim supponitur, voluntatem intendentem, & exequentem, sive applicantem in Deo esse diversas, ut supra diximus; undè si hæc est causa efficiens, etiam illa, cùm sit eadem. Respondeo secundò, dato quod sint diversæ, voluntatem illam intendentem, licet non applicet Omnipotentiam immediatè, & per se; applicare tamen mediatè, & remotè, quatenùs applicat Voluntatem Divinam ad volitionem exequentem eliciendam, in hac enim si consummatur prædestinatio, in illa incipit, quod sufficit, ut dicatur causa efficiens, saltem remota.

7. Dico 3. Prædestinatio objectiva adæquatè sumpta nullum habet effectum. Est evidens. Probatur, quia prædestinatio objectiva, prout sic sumpta conflatur ex omnibus effectibus prædestinationis formalis; sed extra omnes non datur aliquis alius, quem causet; alioqui jam illi non essent omnes, neque prædestinatio objectiva adæquata; ergo hæc prout sic sumpta nullum habet effectum.

8. Dico 4. Prædestinatio objectiva inadæquatè sumpta suos habet effectus: sive unus effectus prædestinationis formalis causat alium, idq; secundùm omnia causarum genera. Ita *P. Soar. cit. n 2.* Probatur, quia gloria primò intenta causat finaliter merita, & justificationē; justificatio etiam finaliter causat vocationem: merita quodam modo effectivè causant gloriam: contritio ut disponens ad justitiam reducitur ad causam materialem, sicque de aliis; sed hæc pertinent ad prædestinationem objectivam; ergo hæc sumpta inadæquatè suos habet effectus. Confirmatur, quia ad effectus naturales concurrunt omnia causarum genera; ergo etiam ad effectus supernaturales gratiæ, & gloriæ; sicut enim Deus in ordine naturali providit effectus & causas ad illos necessarias, ita similes effectus, & causas cum proportione præordinavit in ordine supernaturali.

9. Dices: Si prædestinatio objectiva haberet illos effectus, cùm illa sit effectus prædestinationis formalis, ut diximus, etiam hæc, saltem mediatè, eosdem

eosdem haberet effectus juxta proloquium: *Quidquid est causa causæ, est causa sui causati*; sed hoc supra negavimus; diximus enim, prædestinationem formalem non causare materialiter, neque finaliter; ergo &c. Respondeo negando majorem quoad ultimam partem; ad probationem dicimus, illud proloquium intelligendum esse de causalitate in eodem genere, in quo prima causa causat secundam; non autem in diverso; ideòque licet Deus causet materiam & formam, & hæ causentur ad invicem materialiter, & formaliter, non ideò Deus dicitur ratione illarum causare etiam materialiter, & formaliter, quia illas non sic, sed efficienter causat, diceretur autem causare ratione illarum, si illæ in eodem genere effectivo, in quo causantur, ad invicem essent causæ; sicque similiter dicendum de prædestinatione formali.

10. Difficultas 2. Quot, & quales conditiones requirantur, ut aliquod beneficium sit prædestinationis effectus? Dico primò. Ut aliquid sit effectus prædestinationis, debet esse effectus Dei. Ita *P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 2. num. 2. P. Herice d. 30. cap. 1. num. 1. P. Tanner. hic. d. 3. q. 3. dub. 1. n. 4. P. Amicus d. 15. sect. 5. n. 133.* & alii. Probatur, quia cùm prædestinatio consistat in actibus internis Dei, quidquid illa causat, censetur causari ab ipso Deo, cum quo est idem, ipsique Deo specialiter tribuitur; ergo quod non potest à Deo causari, neque esse illius effectus, ut non potest esse peccatum, non potest etiam esse effectus prædestinationis; ergo ut aliquid sit effectus prædestinationis, debet esse effectus Dei.

11. Dico 2. Ut aliquid sit prædestinationis effectus debet aliquo modo conducere ad salutem æternam consequendam. Ita *P. Soar. cit. num. 9. P. Herice cit. n. 3. P. Tanner. cit. n. 6. P. Amicus cit. Lezana tract. 4. de prædest. d. 10. q. 1.* & alii. Probatur primò ex definitione prædestinationis tradita à D. Aug. *Est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur*; ergo si homines per talia beneficia, sive prædestinationis effectus liberantur, sive salutem consequuntur, ipsi effectus semper actu conducunt ad salutem consequendam.

12. Probatur secundò, quia prædestinationis effectus constituitur talis per hoc, quod procedat à voluntate Divinâ versante circa prædestinatos, prout hæc distinguitur ab aliâ, quæ versatur circa reprobos; sed illa circa prædestinatos per id distinguitur ab hac circa reprobos, quod illa aliquomodo conducat actu ad salutem cõsequendam, & non ita conducat hæc; ergo hoc idem habebit ejus effectus.

13. Quæres hic primò: An si hujusmodi effectus conducant ad solum augmentum gloriæ, sint adhuc effectus prædestinationis? Affirmativè. Ita *P. Arriaga d. 38. sect. 1. subsect. 1. n. 2.* Probatur, quia prædestinatio nõ ita sumitur indivisibiliter, ut talis sit tantùm in ordine ad primum gradum gloriæ, qui solus necessarius est ut homo salvetur, sed etiam in ordine ad omnem illam gloriam, ad quam homo de facto est destinatus; ergo non solùm illud, quod conducit ad primum gradum, sed etiam omne aliud, quod conducit ad ejus augmentum, erit effectus ipsius prædestinationis.

14. Dices 1. Consecutio gloriæ accidentalis non cõducit actu ad ipsam gloriam consequendam; siquidem nequit in se ipsam influere; & tamen est effectus prædestinationis; ergo jam non omnis effectus conducit actu ad gloriam consequendam. Respondeo negando majorem; conducit enim saltem passivè, & terminativè, quatenùs terminat, & terminando præstat aliis, ut inserviant ad eam consequendam, quod sufficit ut illa prout sic dicatur effectus prædestinationis.

15. Dices 2. Gratia collata reprobis conducit ad salutem, quatenùs est gloriæ semen, & hæreditatis debitum; & tamen non est effectus prædestinationis; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem: conducit ad salutem potentiâ; concedo majorem: actu; nego majorem: nos autem dicimus, effectus prædestinationis, ut tales sint, debere sic conducere actu.

16. Dices 3. De facto sæpiùs dantur prædestinatis auxilia gratiæ, quæ propter non acceptationem, imò propter resistentiam voluntatis, nullam habent efficaciam, neque cum fructu conducunt actu ad salutem consequendam; & tamen sunt effectus prædestinationis; ergo &c. Respondeo negando minorem; talia enim auxilia sunt tantùm effectus communis providentiæ supernaturalis, sicut etiam sunt in reprobis.

17. Quæres secundò: An necessarium sit ad effectum prædestinationis, quod duret in perpetuum? Negativè. Ita *P. Soar. cit. n. 9. & P. Herice cit. n. 3.* Probatur, quia sequeretur, solos habitus infusos cum gratia esse effectus prædestinationis, & non ita tales esse vocationes, neque alia auxilia congrua, cùm soli illi durent in perpetuum in gloria cum ipsa gratia; hæc autem pereant absolutè, licet quatenùs conducunt ad ipsam gloriam, dicantur aliquo modo durare in illa, veluti in effectu; sed hoc non est dicendum; ergo &c.

18. Unde advertes cum *P. Amico cit. n. 134.* etiam non esse necessarium, ut aliquid sit effectus prædestinationis, quod conducat actu ad Beatitudinem supernaturalem positivè merendo illam, aut ejus augmentum, sed satis esse, si aliquo modo ad illam disponat proximè, aut remotè; positivè, aut negativè, removendo scilicet impedimenta & peccata, quæ impediunt, ne prædestinatus cum auxiliis beatitudinem, aut ejus augmentum sibi mereatur.

19. Dico 3. Ut aliquid sit effectus prædestinationis, debet procedere ex illa, ut ex speciali intentione dandi gloriam. Ita *D. Soar. cit. num. 7. P. Herice cit. n. 1. P. Tanner. cit. num. 5.* & alii. Probatur primò, quia primum totius prædestinationis fundamentum est intentio dandi gloriam, ut supra diximus; ergo ut aliquid sit effectus ipsius prædestinationis, debet ab hac intentione procedere, tanquam medium à fine; sicut enim finis est ultimus in executione, ita est primus in intentione, propter quem omnia alia eliguntur. Secundò ex D. Aug. qui in eo distinguit gratiam collatam prædestinato à gratiâ reprobo collatâ, quod illa detur ex proposito, seu intentione efficaci dandi gloriam, & non sic ista; ergo omnis ejus effectus debet procedere ex speciali illâ intentione dandi Beatitudinem.

20. Dices: Communia beneficia, qualia sunt Incarnatio, Passio, Redemptio, Institutio Sacramentorum, Prædicatio Evangelii, & similia, sunt effectus prædestinationis; siquidem actu ad illam conducunt; & tamen non dantur ex illa speciali intentione dandi gloriam; alioqui cùm sint etiam reprobis applicata, hi etiam salvarentur; cùm specialis intentio Dei efficax frustrari non possit; ergo non est necesse, quod effectus prædestinationis ex tali intentione procedant. Respondeo distinguendo majorem: sunt effectus prædestinationis, prout procedunt à providentia communi, & generali

generali voluntate supernaturali inefficaci salvandi omnes; nego majorem: prout procedunt à particulari applicatione ad electos cum actuali efficacia ad salutem in effectu consequendam orta ex speciali voluntate, quâ Deus dilexit eos supra reprobos; concedo majorem: hæc autem specialis applicatio, cùm procedat ex speciali intentione dandi gloriam, ob illam manent jam hujusmodi beneficia, licet communia, effectus prædestinationis.

21. Dico 4. Ut aliquid sit effectus prædestinationis debet aliquo modo spectare ad ordinem gratiæ, & supernaturalem providentiam. Ita *P. Soar. cit. n. 3. P. Herice cit. n. 2. P. Tanner. cit. n. 4. P. Amicus cit. n. 135.* & alii. Probatur primò ex D. Aug. lib. de prædest. Sanctor. cap. 10. ibi: *Prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò est ipsius prædestinationis effectus.* Secundò ex ipsius prædestinationis definitione, de quâ jam supra diximus esse ordinationem ad finem supernaturalem per media supernaturalia consequendum; ergo &c.

22. Probatur tertiò, quia effectus prædestinationis, aut sunt media ad ejus finem consequendum, aut sub aliqua ratione ad illum conducunt, ut diximus; sed finis est supernaturalis, seu ordinis gratiæ; ergo etiam tales debent esse effectus; siquidem debent habere proportionem cum fine, ut ad illum ut media ordinentur, & ad illum conducant; hanc autem proportionem non habent cum fine supernaturali illa, quæ non sunt aliquo modo supernaturalia.

23. Utrùm autem hujusmodi effectus prædestinationis, ut tales sint, debeant esse supernaturales intrinsecè quoad substantiam: an solùm extrinsecè quoad modum? Utrumque affirmant aliqui; dicunt enim res in entitate naturales ita posse disponi à Deo authore gratiæ, ut aliquo modo inserviant ad Beatitudinem supernaturalem consequendam; sicut bona indoles, & ingenium maximè inserviunt ad virtutes comparandas. De hoc tamen infra dicemus.

24. Dico 5. Ut aliquid sit prædestinationis effectus, debet de facto esse ex gratiâ Christi Redemptoris, sive ex illius meritis habitis in Passione. Ita *P. Herice cit. n. 4. P. Tanner. cit. n. 4. P. Ruiz d. 21. sect. 2. n 7.* & alii. Probatur primò ex D. Aug. qui agens de effectibus prædestinationis, illos attribuit gratiæ Christi Domini, ut patet ex *epist. 95.* ibi: *Hanc Apostolicâ doctrinâ gratiam hoc nomine appellat, quâ salvamur, & justificamur ex fide Christi:* (similiaq; habentur in Concil. Milevit. & Arausic. agendo de necessitate gratiæ per Christum;) sed per eundem D. Aug. omne, quod est ex gratia, seu meritis Christi, est ex illius Passione, & morte; siquidem in illis, seu in ordine ad illas fuit ejus meritum ultimò completum; ergo omnes prædestinationis effectus sunt ex gratiâ Christi Redemptoris, sive ex illius Passione, & Morte. Secundò, quia Christus Dominus, ut supra diximus, fuit prædestinatus Redemptor, fons, & principium omnis sanctificationis ante omnes homines; ergo omnis gratia fuit eis collata ex illius meritis ut Redemptoris; consequenterque omnes prædestinationis effectus fuerunt ex illius Morte, & Passione.

25. Oppositum tenet *P. Soar. cit. num. 5.* dicens de facto omnes prædestinationis effectus fuisse quidem ex gratia Christi, sed Christi, aut Redemptoris, quatenùs hominibus lapsis conferuntur: aut ut capitis universalis abstrahendo à carne passibili, quatenùs Angelis, & Adamo in statu innocentiæ fuerunt collati intuitu actuum amoris, orationis, misericordiæ, & similium actuum ipsius Christi, qui abstrahunt ab statu mortali, & passibili. Hæc tamen doctrina P. Soar. procedit juxta illius principia; asserit enim Christum Dominum fuisse prædestinatum ante prævisum peccatum, abstrahendo à carne passibili, & impassibili, quam doctrinâ jam supra rejecimus, & asservimus, Christum non meruisse Angelis, neque primis parentibus primam gratiæ collationem.

Dices: Ut effectus prædestinationis tales sint, 26.
sufficit quod sint effectus providentiæ supernaturalis in ordine ad gloriam in effectu consequendam; siquidem Deus poterat Angelos, & homines prædestinare, dando eis omnes effectus necessarios ad talem finem consequendum, quin attenderet ad merita Christi, sed ex sua mera voluntate; ergo non est cur illos meritis Christi attribuamus. Respondeo antecedens esse verum, si sermo sit de prædestinatione, & ejus effectibus absolutè, & secundùm se spectatis; nam prout sic non postulant, neque merita Christi, neq; ejus merita ut Redemptoris: non tamen si sermo sit de illis secundùm præsentem statum; nam de facto non sufficit illa providentia supernaturalis sine meritis Christi Redemptoris, ut diximus. Ex dictis:

Colliges, ut aliquid sit prædestinationis effectus, 27.
quinque requiri conditiones: Prima, ut sit effectus Dei. Secunda, ut aliquo modo conducat actu ad gloriam consequendam. Tertia, ut procedat ex speciali intentione dandi gloriam. Quarta, ut pertineat aliquo modo ad ordinem gratiæ, & providentiam supernaturalem. Quinta, ut sit de facto ex gratia, sive meritis Christi Redemptoris.

SECTIO II.

Utrùm, & quænam res naturales sint prædestinationis effectus?

SUppono primò, entia naturalia, prout à supernaturalibus distinguuntur, esse illa, quæ à Deo ut authore naturæ procedunt, & ad illum, ut ad finem naturalem ordinantur: supernaturalia autem esse illa, quæ à Deo, ut authore gratiæ procedunt, & ad illum ordinantur, ut ad finem supernaturalem. 28.

Suppono secundò, Varia esse posse bonorum naturalium genera, de quibus hîc dubitari potest: An sint prædestinationis effectus? In primo genere constituuntur singula Universi entia, nempè Mundus, Cœli, Elementa, Animalia, Plantæ, & similia. In secundo ponuntur substantia ipsius prædestinati, ejus creatio, aut generatio. In tertio potentiæ naturales, quæ ipsam substantiâ in tali, aut tali gradu perfectionis naturalis infallibiliter comitantur. In quarto tale humani corporis temperamentum, bona indoles, & ingenium ad actus virtutum accommodatum, quod licet secundùm Philosophos consistat in indivisibili, adhuc suam habet latitudinem, intra quam, ut ait *P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 7. num. 4.* potest homo habere illud magis, aut minùs aptum ad virtutem. 29.

In quinto genere numerantur variæ circumstantiæ, ut nasci tali loco, tali tempore, ex talibus parentibus, educari cum his, aut illis circumstantiis, conservari, aut mori hoc potiùs, quàm illo tempore, valetudo bona, aut mala, magistri, amici, inimici, noti, extranei, studia, divitiæ, paupertas, honor, aut ignominia, concordia, aut lites, 30.

bellum, aut pax, sicque de aliis. In sexto personarum consuetudo, & aliarum circumstantiarum occursus, quæ possunt bonos affectus excitare. In septimo collocantur actus virtutum moralium naturalium, quæ possunt à natura exerceri sine gratia per Christum, saltem ad breve tempus, & quando superanda non est aliqua vehemens tentatio, ut dicit P. Herice infra citandus.

31. Suppono tertiò, hujusmodi bona duobus modis posse inservire ad finem prædestinationis consequendum: Primò, ut subjecta, in quibus alii prædestinationis effectus recipiantur. Secundò, ut media aliquo modo conducentia ad ipsum finem consequendum. His suppositis.

32. Difficultas est: Utrùm omnia hæc, aut saltem aliqua sint prædestinationis effectus? Dico 1. Quoties hujusmodi bona ita contingunt per causas naturales, ut sine speciali Dei providentia eveniant, nullo modo sunt prædestinationis effectus. Ita *P. Vasq. 1. p. d. 93. cap. 4. n. 23. P. Arrub. d. 81. cap. 2. num. 5. P. Herice tract. 3. d. 30. cap. 5. n. 23. P. Alarcon. tract. 4. d. 4. cap. 1. n. 1.* ubi dicit, conclusionem ita esse veram, ut judicet catholicam. Probatur primò, quia, ut patet ex supra dictis, prædestinationis effectus debent à Deo procedere ex speciali providentia supernaturali, & actu conducere ad salutem; sed non ita procedunt, neque conducunt hujusmodi bona, si solùm sumantur, prout contingunt per causas naturales; ergo &c.

33. Probatur secundò, quia à prædestinatione solùm oriuntur, ut ejus effectus, dona gratiæ, ut communiter docent Theologi; sed talia non sunt hujusmodi bona, si solùm sumantur secundùm se, & non ut conducentia ad salutem, ut definiunt Patres Africani, & Concil. Milevit. docetque expresè D. Aug. *lib. de prædest. Sanctor. cap. 2. & epist. 90. contra Pelagium*, qui ut absolveretur à Patribus in Concil. Palæst. concessit aliquam gratiam, intelligendo subdolè gratiam creationis, quam ipsi Patres nolebant gratiam vocari; ergo neque sunt prædestinationis effectus.

34. Dico 2. Quoties hujusmodi bona naturalia induunt aliquam rationem supernaturalitatis quoad modũ, ac in effectu conducunt aliquo modo ad salutem, sunt prædestinationis effectus. Est cõmunis Theologorum. Ita *D. Thom. 1. p. q. 23. a. 8. P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 7. n. 3. P. Vasq. 1. p. d. 93. cap. 4. num. 25. P. Herice tr. 3. d. 30. cap. 5. n. 24. P. Ruiz d. 24. sect. 2. n. 1.* & alii communiter. Probatur primò ex D. Fulgent. de Incarnat. & Grat. Christi cap. 31. ibi: *Nihil provenit*, inquit, *in salutem hominum, quod ille non in æternæ bonæ voluntatis suæ dispositione faciendum prædestinavit.* Et D. Anselm. de Concord. prædest. cum liber. arbitr. cap. 3. *Cùm omnia*, ait, *subjaceant dispositioni Dei, quidquid contingit homini, quod adjuvat liberum arbitrium ad accipiendam, aut ad servandam rectitudinem, suæ gratiæ imputandum est*; ergo & prædestinationi, quæ gratiam causat.

35. Probatur 2. ratione, quia hujusmodi bona, prout sic considerata pertinent ad Providentiam Dei supernaturalẽ, & in prædestinatis inserviunt ad ea beneficia, imò sunt etiam ex illis beneficiis, quibus liberantur, quicumque liberantur, ideòque sunt ex meritis Christi; sed quæ ita se habent, sunt in præparatione prædestinationis pars, & in executione sunt ejus effectus; ergo &c.

36. Dico 3. Bona naturalia primi generis, nempè Mundus, Cœli, Elementa, animalia, plantæ, & similia, non sunt effectus prædestinationis quoad creationem. Ita videntur tenere omnes illi, qui dicunt, homines fuisse prædestinatos post absolutam prævisionem peccati. Probatur, quia omnis effectus debet esse posterior suâ causâ; sed hujusmodi bona non sunt posteriora prædestinatione nostrâ in præscientiâ, & decreto divino; siquidem Deus priùs decrevit creare Mundum, quando habuit voluntatem illam generalem salvandi omnes, quàm prædestinare electos; consequenterque priùs illum prævidit absolutè futurum, quàm nostram prædestinationem; ergo talia bona non sunt prædestinationis effectus.

37. Oppones 1. D. Paul. 1. Cor. 3. sic ait: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*: Ubi videtur significare, omnia bona, etiam naturalia, esse propter electos, sicut electi sunt propter Christum; ergo sunt effectus prædestinationis eorum. Respondeo Apostolum in illis verbis solùm ostendere, omnia facta fuisse propter homines in ea prima voluntate generali salvandi omnes, quæ præcessit prædestinationem; sicque non potuerunt esse illius effectus. Si tamen dicamus, locutum fuisse de solis prædestinatis, qui soli sunt Christi ratione speciali; tunc etiam dicimus, Apostolum intellexisse, omnia esse propter illos, non quoad primam productionem, *sed* postea quoad specialem applicationem; siquidem postquam absolutè sunt creata propter omnes universaliter, sunt in alio signo ordinata, & applicata speciali quadam ratione ad electorum usus.

38. Oppones 2. Idem Apostolus ad Ephes. 1. ait: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*: ubi significat, eos fuisse electos ante decretum creationis hujus mundi, quod insinuat per illa verba *ante constitutionem mundi*: neque enim videtur loqui de solâ actuali creatione mundi in tempore; siquidem de hac, quod fuerit posterior, non solùm prædestinatione electorum, sed etiam omnium aliarum rerum, nullus dubitare poterat, cùm hæc fuerint ab æterno, illa autem in tempore; ergo potuit ipse mundus decerni propter electos; consequenterque esse effectus prędestinationis eorum. Respondeo D. Paulum in hoc loco intelligendum esse de actuali mundi creatione *in tempore*, antequam prædestinati fuerunt electi; non autem de ejus primâ intentione; sic enim suadent rationes supra factæ, quibus probavimus voluntatem generalem creandi mundum, & salvandi omnes inefficaciter fuisse antecedenter ad electorum prædestinationem.

39. Oppones 3. Tandiu erit motus Cœlorum, & tempus, quamdiu fuerit necessarium, ut omnes electi nascantur, ut colligitur ex illo ad Rom. 8. ibi: *Expectatio creaturæ revelationem Dei expectat*; ergo propter electos fuerunt Cœli creati; consequenterq; sunt effectus prædestinationis eorum. Respondeo negando consequentiam; argumentum enim solùm probat Universi durationem sub certo Cœlorum motu, & prædefinito tẽpore, cum determinatâ generationum, & corruptionum vicissitudine fuisse propter electos, quod nos non negamus, sed addimus fuisse sic à Deo ordinatam per novum aliud decretum diversum ab illo suæ primæ creationis, & illo posterius, ut patet ex supra dictis.

40. Undè notabis, non bene dixisse aliquos asserentes, hanc Universi conservationem ad tale tempus fuisse ex illa voluntate generali salvandi omnes, sicut fuit ejus prima creatio; siquidem de illa constat ab Scriptura fuisse propter electos, ut patet ex loco D. Pauli proximè citato; & Matt. 24. ibi: *Propter electos breviabuntur dies illi*: de hac verò non ita constat, imò contrarium jam probavimus.

Dico

41. Dico 4. Bona naturalia secundi, & tertii generis, nempè substantia prædestinati, ejus creatio, aut generatio, potentiæ accidentales, & proprietates connaturaliter consequentes ipsam substantiam, non sunt effectus prædestinationis. Ita *P. Vasq. 1. p. d. 93. cap. 4. num. 28. P. Arrubal. d. 81. cap. 2. n. 5. P. Alarcon. tract. 4. d. 4. cap. 1. n. 4. P. Præposit. q. 23. art. 8. dub. 6. n. 53. P. Comptom. tom. 1. d. 44. sect. 2. num. 2.* Probatur primò, quia omnis effectus prædestinationis, ut diximus, debet procedere ex illa efficaci intentione dandi gloriam; consequenterque esse post illam, ut effectus post suam causam; sed non ita sunt hujusmodi bona; siquidem, ut vidimus, omnia illa fuerunt decreta in eodem signo cum illa prima intentione generali inefficaci salvandi omnes, quæ præcessit electionem efficacem prædestinatorum; ergo non sunt effectus prædestinationis eorum.

42. Probatur secundò, quia Patres Africani in Concil. Palæstin. & D. August. *Epist. 90. & 95.* contra Pelagium distinguunt gratiam creationis à gratia prædestinationis data ex meritis Christi, quæ sola est effectus ipsius prædestinationis: *Et si enim*, inquiunt, *quadam non improbandâ ratione dicitur gratia Dei, quâ creati sumus, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuitâ Dei bonitate donata est: alia est tamen, quâ prædestinati vocamur, justificamur, glorificamur*; ergo ex mente Patrum gratia prædestinationis, seu quæ est prædestinationis effectus, non est, quâ conditi sumus, sed qua jam creati, & producti vocamur, & justificamur. Confirmatur, quia D. Aug. *lib. de prædest. Sanctor. cap. 10.* dicit prædestinationis effectus esse gratiam factam prædestinato: *Prædestinatio Dei*, inquit, *quæ in bono est, gratiæ est præparatio, gratia verò est ipsius prædestinationis effectus*; sed omnis gratia subjecto facta supponit ipsum subjectum in suo esse perfectum, & ei advenit ut forma; ergo tale subjectum ut sic non potest esse prædestinationis effectus.

43. Oppositum tenent *P. Soa. lib 3. de prædest. cap. 7. num. 5. P. Herice tract. 3. d. 30. cap. 5. n. 24. P. Tanner. 1. p. d. 3. q. 3. dub. 2. num. 2. P. Granad. tr. 6. de prædest. d. 2. num. 5. P. Ruiz d. 24. sect. 7. P. Rhodez tom. 1. d. 5. q. 2. sect. 7. §. 2.* & alii: pro quibus: Argues 1. Prædestinati eodem signo, & actu fuerunt simul electi ad gloriâ, & ad esse, sive ad creationem; sed glorificatio est ultimus effectus prædestinationis; ergo talis erit etiam hominis procreatio, cùm sit veluti initium executionis ejusdem prædestinationis. Respondeo negando majorem, si sermo sit de electione efficaci ad gloriam, ut patet ex suprà dictis *d. 2. à n. 189.*

44. Argues 2. Substantia prædestinati conducit actu ad ejus Beatitudinem; sed quæ ita conducunt sunt effectus prædestinationis, ut diximus; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem: conducit actu ad Beatitudinem ut subjectum, seu per modum subjecti; concedo majorem: ut medium, seu per modum medii; nego majorem: solùm autem quæ ita conducunt, sunt effectus prædestinationis; subjectum enim cùm præcedat prædestinationem, & omnes ejus effectus, non potest esse illius etiam effectus.

45. Argues 3. Existentia data fuit aliquibus prædestinatis miraculosè, ex meritis Christi, & ex intentione salutis eorum, ut patet in Isaac, Jacob. Samuele, D. Francisco de Paula, & similibus; ergo ab illa incepit in executione eorum prædestinatio; consequenterque fuit effectus prædestinationis eorum. Resp. primò cum aliquibus, dato antecedente, negando consequentiam; ratio est, quia cùm ex D. Aug. ut diximus, effectus prædestinationis sint gratia facta prædestinato, eique existenti, debent illum supponere ut subjectum, & ipsi esse per modum medii ad ejus beatitudinem actu conducentis; hoc autem non habent ejus existentia, & creatio, cùm intrinsecè constituant ipsum subjectum, quod autem sic aliquid constituit, non illud supponit. Imò hoc esset verum, etiam si intenderentur simul efficaciter & esse hominis, & ejus beatitudo; siquidem semper intenderentur, ut postea sunt in creatione; cùm autem tunc semper homo habeat rationem subjecti, & non medii, effectus verò semper habeat rationem formæ supponentis subjectum, nunquam hoc potest habere rationem effectûs; alioqui idem esset subjectum, & forma sui ipsius

Respondeo secundò negando antecedens, si sermo sit de primo illo decreto dandi existentiam; concedendo tamen, si loquamur de secundo, quod non est tantùm de danda existentia, quantùm de modo illius: nam Deus primò decrevit simul producere omnes homines ante eorum efficacem electionem ad gloriam, ut suprà diximus; postea verò facta jam ipsa eorum electione efficaci, per aliud decretũ ex intentione salvandi Jacob (idemque de aliis) dedit vocationem congruam Isaac, ut ab eo filium peteret, & tali petitione motus dedit ei Jacob miraculosè; sicque oratio Isaac mansit primus effectus salutis Jacob; actualis verò productio ipsius Jacob, quæ ab illa oratione processit, mansit secundus effectus prædestinationis illius; non sumpta in ordine ad illud primum decretum generale de illius existentiâ, sed in ordine ad hoc speciale. Eodem modo dici potest de morte naturali alicujus hominis, qui si sit propè illam in peccato, & Deus illum liberet miraculosè, & ei vitam præstet longiorem, ut postea acceptâ jam gratiâ moriatur, talis mors, & vitæ prolongatio erunt effectus prædestinationis; siquidem ex intentione salutis fuit prolongata ad tale tempus, quo in gratia decederet. 46.

Argues 4. Generatio, & existentia unius prædestinati possunt esse effectus prædestinationis alterius; ergo etiam propriæ prædestinationis. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia generatio, & existentia unius prædestinati non sunt subjectum effectuum prædestinationis alterius, sunt tamen subjectum effectuum prædestinationis propriæ; sicque dato, quod sint effectus prædestinationis alterius prædestinati, quem possunt ut subjectum supponere; non ideò sequitur, quod sint effectus propriæ prædestinationis, cùm non possit se ipsum ut subjectum supponere; alioqui esset prior se ipso. 47.

Argues 5. Existentia potest esse terminus prædestinationis; siquidem Christus Dominus fuit prædestinatus ad existentiam; ergo etiam poterit esse ejus effectus; neque enim terminus prædestinationis est minùs extra subjectum, quàm ejus effectus. Resp. distinguendo antecedens: potest esse terminus prædestinationis, si sit extraordinaria; concedo antecedens: si sit ordinaria; nego antecedens: de hac enim hîc loquimur, quæ habet pro subjecto ipsam prædestinati existentiam, & ad ejus gloriam terminatur; non autem de illa extraordinaria Christi Domini, quæ cùm talis fuerit, potuit habere pro subjecto essentiam, existentiam verò pro termino; sicque illa non potest habere pro effectu, aut termino existentiam ipsius prædestinati: potuit tamen hæc Christi 48.

Domini; quia illic consideratur existentia per modum subjecti; hîc autem per modum formæ, aut termini respectu suæ substantiæ, cui advenit.

49. Dico 5. Bona aliqua naturalia aliorum generum sunt effectus prædestinationis, cujusmodi sunt ingenium, bona indoles, nativitas ex talibus parentibus, in tali loco, tali tempore, personarum consuetudo, ingressus in Ecclesiam tempore concionis, assistentia morti repentinæ, & aliarum circumstantiarum occursus. Ita *P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 7. num. 10. P. Alarcon. cit. num. 3. P. Amicus cit. n. 146. P. Arriaga de prædest. d. 38. sect. 1. subsect. 2. n. 9. P. Ruiz d. 24. sect. 3. & sequentibus. P. Tanner. cit. num. 1.* & alii apud citatos. Probatur primò de his omnibus in communi, quia omnia hæc sunt à Deo decreta ex intentione salutis prædestinati, non ut subjectum tantùm, neque ut causa meritoria, sed ut media ad ipsius salutis consecutionem adjuvantia; sed hoc sufficit, ut sint prædestinationis effectus; ergo &c.

50. Probatur secundò, quia Deus ordinans hominem efficaciter ad gloriam per providentiam supernaturalem, non excludit causas naturales, imò illis utitur ad eam actu obtinendam, ut experientia docet; nam quis dicet non conducere actu ad Beatitudinem habere talem, aut talem naturam, quando hic, nempè Petrus cum iisdem auxiliis, & in iisdem tentationibus positus resistit, ille verò, nempè Paulus non resistit? Quod hic puer statim moriturus nascatur juxta aquam, ut baptizetur, & non ita alius? sicque de aliis; ergo &c.

51. Oppones 1. Hæc omnia sunt communia reprobis, & electis; & aliquando nihil juvant etiam in electis ad salutem; ergo non possunt esse effectus prædestinationis. Respondeo distinguendo antecedens: sunt communia, si sumantur absolutè, & secundùm se; concedo antecedens: si sumantur ut à Deo ordinata ad salutem; nego antecedens: sic enim reducuntur ad entia extrinsecè supernaturalia ratione ipsius ordinationis ad finem supernaturalem, & non possunt non juvare electos, illisque esse utilia ad salutem consequendam, ut significavit Apostolus Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

52. Oppones 2. Pelagius damnatus est, quia dicebat, bona naturalia conducere ad Beatitudinem; & D. August. *lib. de prædest. Sanctor. lib. 10.* addit, solam gratiam esse effectum prædestinationis, prout gratia est aliquid supra naturam: *Prædestinatio*, inquit, *quæ in bono est, gratiæ est præparatio, gratia verò est ipsius prædestinationis effectus.* Et cap. 5. *Illa itaq; natura*, ait, *in qua nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem, ipsa verò fides discernit ab infideli fidelem*; ergo &c.

53. Respondeo Pelagium solùm errasse, quatenùs asseruit, actus bonos naturales conducere moraliter ad salutem, illam positivè merendo, quod nos negamus, & dicimus solùm conducere negativè removendo peccata, & alia impedimenta salutis, quod sufficit, ut sint effectus prædestinationis; sicut etiam sufficit, quod alia bona physica, nempè ingenium, & bona indoles conducant physicè, ut sint etiam ejus effectus. Ad D. Aug. dicimus, intelligendum esse de omni gratiâ ex Christi meritis factâ, sub quo nomine intelliguntur, non solùm supernaturalia, sed etiam bona naturalia à Deo data ex illius speciali providentia supernaturali, ut aliquo modo inserviant ad salutem actu consequendam; licet non sic intelligantur, si secundùm se nudè sumpta considerentur; tunc enim veniunt nomine puræ naturæ, in quo sensu non sunt effectus prædestinationis.

54. Oppones 3. D. Paulus enumerans prædestinationis effectus sic ait ad Rom. 8. 30. ibi: *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit*: ubi nullius effectûs naturalis fit mentio; ergo &c. Respondeo Apostolum solùm ibi enumerare effectus prædestinationis principales, & non omnes.

55. Oppones 4. Si hujusmodi bona naturalia essent effectus prædestinationis, nobis darentur per Christum, & ex illius meritis, ut patet ex supra dictis; sed non ita dantur; alioqui possemus dicere, Christum fuisse mortuum propter illa, nempè ut haberemus bonam indolem, ingenium, &c. quod non admittitur; ergo &c. Resp. negando minorem, & ejus probationem; nam Christus Dominus solùm dicitur mortuus propter finem principalem, nempè propter nostrâ justificationem, glorificationem, &c. quod non tollit, quominùs etiam propter ejus merita nobis sint concessa alia dona in entitate naturalia, alioqui non benè peteret Ecclesia per Christum pluvias, fertilitatem, & similia.

56. Inferes: Ergo datur in nobis causâ totius prædestinationis, quatenùs in nobis datur ingenium, bona indoles, &c. Respondeo negando illationem: Primò, quia hæc non sunt causa auxiliorum, neque auxilia dantur propter illa; imò potiùs illa cum auxiliis concurrunt ad effectum faciliùs obtinendum, ideoque dicuntur conducere aliquo modo ad salutem. Secundò, quia si ab illis incideret prædestinatio, cùm illa non habeant causam antecedentem, sed à Deo gratis nobis dentur, adhuc tunc non daretur in nobis causa totius prædestinationis.

57. Oppones 5. Effectus prædestinationis, ut talis sit, debet juvare, & causare gratiam, & gloriam; sed plurimæ res naturales ex assignatis non causant gratiam, & gloriam absolutè, & propriè, sed tantùm impropriè, & secundùm quid; siquidem exceptis potentiis rationalibus, quæ realiter influunt in actus supernaturales, omnia alia naturalia neque sunt causa propriè influens, neque conditio, sine qua non, neque dispositio, aut præparatio, sed quædam opportunitas aliquo modo juvans; ergo &c. Respondeo negando majorem: effectus enim prædestinationis, ut talis sit propriè, & absolutè, satis est, quod à Deo producatur ex intentione efficaci dandi gloriam; cùm autem sic producantur hujusmodi res naturales, sunt effectus prædestinationis propriè, & absolutè, licet impropriè, & secundùm quid causent gratiam, & gloriam.

58. Oppones 6. Effectus prædestinationis debet esse aliquo modo supernaturalis, & à Deo procedere per providentiam supernaturalem, ut diximus; sed hujusmodi res non sunt in entitate supernaturales, licet talis sit earum ordinatio ad gratiam, & ad gloriam; ergo saltem in entitate non sunt effectus prædestinationis. Respondeo hujusmodi res, licet sint in entitate naturales, cùm non solùm earum ordinatio ad finem, sed etiam earum intrinseca entitas juvet ad ipsum finem consequendum, etiam prout sic esse effectus prædestinationis, cùm sint à Deo ex intentione efficaci dandi ipsum finem, nempè gratiam, & gloriam.

SECTIO

SECTIO III.

Ostenditur specialiter, aliqua bona naturalia ex proximè dictis esse effectus prædestinationis.

59. DICO 1. Bona indoles, ingenium, consuetudo, bona educatio, & liberales disciplinæ sunt effectus prædestinationis. Probatur primò ex illo Sapient. 8. ibi: *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam*: ubi fatetur Salomon, bonam indolem, & ingenium reddere eum capacem, & maximè idoneum ad sapientiam, & virtutem consequendam, quam postea precibus impetravit. Confirmatur primò ex D. Aug. lib. de bono perseveran. cap. 14. ibi: *Ex quo apparet*, inquit, *habere aliquos in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Ubi insinuat naturale ingenium, & indolem movere, seu conducere ad benè operandum, & fidem acceptãdam. Secundò ex Trid. sess. 23. de Reform. cap. 18. ibi: *Cùm adolescentium ætas*, ait, *nisi rectè instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, & nisi à teneris annis ad pietatem, & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfectè, ac sine maximo, ac singulari propemodùm Dei Omnipotentis auxilio in disciplinâ Ecclesiasticâ perseveret.* Ubi definit valdè juvare bonam adolescentium educationem, ut communior prædestinandi modus æternæ vitæ consequatur effectum. Hoc idem colligitur ex *Concil. Tolet. 4. cap. 23. ex Lateran. sub. Leone X. sess. 9. de Reform.*

60. Probatur 2. quia si bona indoles, & ingenium non adjuvaret, ut adolescẽtes sequerentur ductum prædestinationis divinæ ad opera pietatis, nulla spes futurorum bonorum conciperetur ex bona indole, ingenio, consuetudine, & educatione; sed hoc est contra id, quod supponit Trid. ubi proximè, ubi præcipit haberi delectum eorum Scholasticorum: *Quorum indoles.* ait, *& voluntas spem afferat, eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuò inservituros:* contra quod agunt omnes Religiosorum familiæ: omnes enim explorant recipiendorum indolem, ingenium, consuetudinem, & bonam educationem, ex quibus futurum sperant spiritualem profectum: Contra quod experientia testatur in adolescentibus benè educatis apud Christianos, & malè educatis apud Ethnicos, & Turcas; ergo &c.

61. Probatur tertiò ex illo Philosophorum, ac Theologorum axiomate: *Consuetudo est altera natura*: ex quo videtur, consuetudinem, si sit mala, afferre quandam veluti necessitatem peccandi, & resistendi mediis prædestinationis; ergo si bona, maximè adjuvabit ad media prædestinationis exequenda, & salutem consequendam. Confirmatur primò, quia quorumdam hominum mores, indoles, ingenium, & consuetudo magis uni, quàm alteri virtuti repugnant; ergo maximè juvabunt, saltem removendo impedimenta, ad efficaciter amplectendam virtutem illam, cui minùs repugnant. Secundò, quia diabolus minùs sperat impedire prædestinationis effectus quoad illas virtutes, quibus magis favent, & minùs resistunt hominum mores, indoles, ingenia, & consuetudo; & magis impedire illos sperat quoad virtutes, quibus magis illa resistunt, ut constat ex D. Gregor. lib. 14 Moral. cap. 7. ibi: *Intuetur*, ait, *inimicus generis humani uniuscujusque mores, cui vitio sint propinqui, & illa ponit ante faciem, ad quæ cognoscit facilius inclinari mentem*; ergo &c.

62. Dico 2. Corporis dispositio ex multiplici causa proveniens, est effectus prædestinationis. Probatur primò, quia hujusmodi dispositio corporis suo peculiari modo juvat, ut media prædestinationis suum fructum actualiter consequantur; sed quæ ita se habent sunt effectus prædestinationis, ut diximus; ergo &c. Confirmatur, quia corporis dispositio maximè juvat ad meliorem propositionem boni, & rationum, quæ persuadent illius electionem; sic enim somnolenti, capitis dolore, aut vehementi melancholiâ correpti, difficiliùs, obscuriùs, & segniùs rationes hujusmodi perpendunt, & segniùs per voluntatem operantur ad executionem boni; ergo &c.

63. Probatur secundò, quia cibi potûsque parsimonia maximè juvat, ut contemplationis, & omnium supernaturalium virtutum actus frequentiùs, intensiùs, & ferventiùs exerceantur, ut ait D. Leo serm. 8. de jejunio: ibi: *Animam à corporeis cupiditatibus sæpiùs liberam in aula mentis posse divinæ vacare Sapientiæ.* Contra verò cruditas stomachi, epulæ, & crapula omnium illorum afferunt impedimentum, ut ait Christus Dominus Luc. 21. ibi: *Attendite vobis, ne fortè gravẽtur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ.* Et D. Leo proximè. *Quotidiano experimento*, ait, *probari, potûs satietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari*; ergo &c.

64. Dico 3. Circumstantia temporis opportuni est effectus prædestinationis. Probatur primò ex illo Psal. 9. ibi: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulationibus.* Et Psal. 144. ibi: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno*: Ubi loquitur de esca spirituali, quam præcipuè respicit Spes Theologica; ergo &c. Probatur secundo ex D. Chrysostomo hom. 4. de laudib. Paul. ubi proposita quæstione, cur non antea Paulus fuerit vocatus: *Ne velis*, respondet, *esse curiosior, sed concede incomprehensibili Dei providentiæ, salutes hominum notis sibi temporum opportunitatibus ordinari. Sic enim fatebatur ipse, dicens: Cùm autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, vocavit per gratiam suam.* Idem habet de vocatione operariorum in vineam *hom. 65. in Mat.* & de vocatione Matthæi *hom. 31. in Matt. 9.*

65. Dico 4. Brevitas, aut longitudo vitæ est effectus prædestinationis, dummodò maturâ morte claudatur, id est, quando justus manet in gratia. Probatur primò ex illo Sapient. 4. *Justus, si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.* Et infra. *Placens Deo factus dilectus, & vivens inter peccatores translatus est.* Et infra. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Undè D. Aug. & alii Patres colligunt esse beneficium singulare prædestinationis, quod Deus maturo tempore mortem inferat; indicium autem reprobationis, quod mortem ad immaturum tempus differat.

66. Probatur secundò ex D. Aug. de corrept. & grat. cap. 8. ibi: *Cur illos Deus*, inquit, *cùm fideliter, piè, & viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum?* Et addit: *Donum Dei esse, ut finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum.* Idem habet *lib. de prædest. Sanctor. cap. 14. & habent D. Ambr. orat. de obitu*

obitu fratris. D. Paulin. epist. 35. D. Fulgent. epist. 2. ad Gallam, cap. 4. D. Cyprian. lib. 3. ad Quirinum. D. Gregor. lib. 15. Moral. cap. 4. D. Bernard. serm. de Innocentibus. & alii.

67. Difficultas 1. Utrùm bona septimi generis, de quibus supra, nempè actus virtutum naturalium moralium sint effectus prædestinationis? Affirmativè. Ita *Durand. in 1. dist. 4. q. 2. Capreol. ibid. & Gregor. P. Valent. 1. p. q. 23. pun. 3. P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 7. num. 12. P. Molin. 1. part. q. 23. a. 2. d. 3. § Dicendum. P. Bellarm. lib. 2. de grat. cap. 13. §. Sed esto. P. Alarcon. tract. 4. d. 4. cap. 1. n. 2. P. Ruiz. d. 24. sect. 1. n. 3.* & alii. Probatur primò, quia sæpiùs sunt effectus Dei ex speciali Dei voluntate concessi ad salutem prædestinatorum. Secundò, quia fiunt aliquo modo supernaturales ex ordinatione divina ad finem supernaturalem. Tertiò, quia conducunt actu ad finem supernaturalem consequendum, si non positivè disponendo tem negativè removendo impedimenta saluti hæc omnia sufficiunt, ut sint prædestinationis effectus; ergo tales sunt.

68. Difficultas 2. Utrùm bona unius hominis sint effectus prædestinationis alterius? Dico 1. Orationes unius Sancti, sive in hac vita, sive in gloriâ, plerumque sunt effectus prædestinationis alterius electi. Ita *D. Thom. hic a. 8. de Verit. q. 6. a. ult. & in 1. dist. 41. q. unica, art. 4. Durand. in 1. dist. 41. q. 3. Richard. ibid. a. 2. q. 1. ad 1. P. Mol. 1. p. q. 23. a. 2. d. 3. P. Valent. 1. part. q. 23. punct. 4. P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 21. n. 7. & cap. 24. n. 6. & 7. & lib. 3. cap. 5. n. 17. P. Ruiz hic d. 25. sect. 1. n. 2.* & alii. Probatur primò, quia quidquid juvat ad salutem consequendam est effectus prædestinationis, ut diximus; sed orationes Sanctorum maximè juvant, ut alii salutem consequantur; constat enim ex Sacris Litteris, & Sanctorum Historiis, multos eorum orationibus consecutos fidem, peccatorum remissionem, & perseverantiam; ergo &c.

69. Probatur secundò, quia Isaac orando impetravit conceptum Rebeccæ Gen. 25. sine quo non fuisset prædestinatus, quia non extitisset: D. Stephanus orando pro lapidantibus impetravit Saulo vocationem congruam, & gratiam; ergo utraque oratio fuerat à Deo præordinata ad singularissimos effectus, qui processerunt à prædestinatione Jacobi, & Pauli. Confirmatur ex D. Aug. lib. de bono persever. cap. 22. ibi: *Et si qui sunt non dum vocati, pro eis, ut vocentur, oremus. Fortassis enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam, quâ velint esse, atque efficiantur electi.* Idem habet *lib. 5. de Civit. cap. 1. & habent. D. Gregor. lib. 16. Moral. cap. 17. aliàs 19. & lib. 1. dialog. cap. 8. D. Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 36.* & huic prædestinationi cooperatur Ecclesia in Canone Missæ postulans: *In electorum jubeas grege numerari*: & in oratione totius Quadragesimæ: *Beatæ prædestinationis liber adscripta retineat.*

70. Dico 2. Gratiæ gratis datæ Virgini Sanctissimæ, Apostolis, Prophetis, & aliis Sanctis sunt effectus prædestinationis eorum hominum, quos ad æternam vitam adjuvarunt. Probatur, quia quæ conducunt ad salutem consequendam, sunt prædestinationis effectus; sed hujusmodi gratiæ ita conduxerunt ad multorum salutem, ut supponimus; ergo &c. Confirmatur, quia hujusmodi gratiæ præ cæteris aliis donis habêt, ut ab intrinseco destinentur ad aliorum salutem, ut patet ex 1. Cor. 12. ibi: *Unicuique datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem*: nempè Ecclesiæ: ubi Apostolus, sicut *ad Rom. 12. & 2. ad Tim. 2.* varias enumerat gratias. Et 1. Pet. 4. *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum, illam administrantes, sicut boni dispensatores gratiæ Dei; si quis loquitur, &c.* ergo &c.

Dico 3. Gratiæ gratum facientes unum prædestinatum sunt etiam effectus prædestinationis omnium aliorum prædestinatorum; & etiam quorumdam in speciali. Probatur prima pars ex duplici ratione communi: Prima ex communione Sanctorum, ratione cujus quilibet prædestinatus est particeps meritorum Ecclesiæ. Secunda ex congratulatione, & communi lætitia, quia quilibet Beatus congaudebit, & quasi propriam æstimabit alterius sanctitatem, & beatitudinem; ergo &c. 71.

Probatur secunda pars etiam ex duplici ratione speciali: Prima, quia Charitas, & patientia multis Sanctis à Deo inspiratur, non eo tantùm fine, ut ipsos sanctificet, sed etiam, ut ad aliorum salutem conducant, ut patet ex 2. Tim. 2. *Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur.* Et 1. Cor. 15. *Quotidie morior propter vestram gloriam, &c.* Secunda ex peculiari gaudio spiritualium parentum de sanctitate filiorum, & filiorum gaudio de gloria suorum spiritualium parentum, ut patet ex 2. Cor. 2. *De quibus*, inquit, *oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium vestrûm est.* Et ad Philemon. *Ego te fruar in Domino*; ergo &c. 72.

Dices: Orationes, & dona Petri, quibus sanctificatur, sunt effectus prædestinationis illius; ergo non sunt effectus prædestinationis Pauli, & aliorum prædestinatorum; alioqui cùm hi sint in magno numero, multoties contingeret, unicam operationem unius prædestinati conducere ad innumerabilium salutem, ut dicuntur conducere Evangelia, Epistolæ Apostolorum, aliique libri Scripturæ. Respondeo negando consequentiam; ad cujus probationem dicimus, id ipsum maximè convenire, & esse dignum amplitudine Scientiæ, Potentiæ, & Providentiæ Divinæ, quod sciat, possit, & provideat unicum, & eundem effectum, quo unus sanctificatur, destinare ad salutem plurimorum, aut etiam omnium prædestinatorum. 73.

Dico 4. Bona reproborum, sive sint apparentia, sive vera; sive naturalia, sive supernaturalia, plerumque sunt effectus prædestinationis aliorum electorum. Probatur, quia plerumque reprobis à Deo conferuntur ea intentione, ut profint prædestinatis; sed quæ ita prosunt, conducunt ad salutem; quæ autem ita conducunt, sunt effectus prædestinationis; ergo &c. 74.

Dico 5. Bona naturalia aliquorum prædestinatorum multoties sunt effectus prædestinationis aliorum. Probatur primò, quia Verba Evangelica, sive sint vocalia, sivè scripta, sunt in entitate naturalia; & tamen quando fiunt à Prædicatoribus Evangelicis, non solùm sunt utilia, sed etiam simpliciter necessaria, ut quilibet adultus possit de potentia ordinaria credere, & justificari, quatenùs maximè concurrunt, & conducunt ad conversionem, & salutem, ut patet ex illo 1. Cor. 4. *Per Evangelium ego vos genui.* Et 2. Cor. 6. *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; ergo &c. 75.

Probatur secundò, quia sermonis artificium, & eloquentia, licet semper, aut ferè semper sit naturalis, plurimùm confert, ut suadeat bonum, sicque ad salutem conducat, ut patet ex illo Esther. 14. *Tribue*, inquit, *sermonem compositum in ore meo in* 76.

conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri: ubi frustrà, & ut superfluus peteretur à Deo sermo compositus, si non intelligeret multùm prodesse ad transferendum cor Regis. Confirmatur primò oratione Abigail *1. Reg. 25.* quâ cohibuit David à vindicta, quam sumere intendebat de viro suo. Secundò ex D. Ambrosii eloquentiâ, quæ plurimùm valuit ad conversionem D. Augustini, ut ipse testatur *lib. 5. confess. cap. 14. & 15.* Tertiò ex D. Paulo præcipiente ad Coloss. 4. *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere*; ergo salis, sive eloquentiæ condimentum erit effectus prædestinationis eorum, quos Concionator allicit ad virtutem.

77. Dico 6. Operatio corrigentis, & punientis est effectus multorum prædestinationis, qui corriguntur, & puniuntur. Probatur primò ex illo Matth. 18. *Corripe eum, ait, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Et Ezech. 3. *Ipse morietur quia non annunciasti ei*: Et infrà: *Si autem tu annunciaveris justo, ut non peccet justus, & ille non peccaverit, vivens vivet, quia annunciasti ei.* Ubi dicit, unum mori, quia à Propheta non corripitur; alterum ad vitam redire, quia corripitur.

78. Probatur secundò, quia quæ conducunt ad salutem, sunt effectus prædestinationis, ut diximus; sed correctio, & punitio ita conducunt; siquidem ex dolore correctionis, & punitionis oritur voluntas remedii obtinendi per gratiam, & orationis affectus ad obtinendam à Deo pœnitentiam, quam nisi Deus dederit, non possumus habere, ut patet ex illo Jerem. 31. *Castigasti me Domine, & eruditus sum*; ergo &c.

79. Dico 7. Angelorum bona sunt effectus prædestinationis hominum. Probatur primò, quia Angeli, & bona à Deo eis collata suo modo causant, & promovent hominum beatitudinem, ut patet ex illo ad Hebr. 1. *Nonnè omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* Et Psal. 90. *Angelis suis Deus mandavit de te*; sed quæ ita conducunt, & promovent salutem, sunt effectus prædestinationis; ergo &c.

80. Probatur secundò, quia consulunt electorum saluti, & eorum prædestinationi inserviunt suggerendo bonas cogitationes, illuminando mentem, corpus, & ejus passiones mitigando, nè virtuti resistant, orationes nostras ad Deum perferendo, impetrando, quæ petimus, alligando diabolum, & eorum vehementiores tentationes retundendo, ut ait *D. Aug. lib. 20. de Civit. cap. 7. & 8. & in Psal. 61. D. Greg. lib. 19. Moral. cap. 5. D. Bern. serm. 5. in Psal. 90.* sed quæ ita inserviunt, & conducunt ad salutem, sunt effectus prædestinationis; ergo &c.

SECTIO IV.

Utrum omnes res supernaturales sint effectus prædestinationis?

81. ADvertes primò, dona supernaturalia, prout procedunt à prædestinatione, & ad illam exequendam inserviunt ad tria capita communiter reduci, nempè ad vocationem, justificationem, & glorificationem, quæ ab Apostolo exprimuntur in illis verbis sæpè citatis, & iterùm infrà citandis ad Rom. 8. *Quos prædestinavit, &c.* & de quibus hîc eodem ordine agendum, & primò de gratia vocationis, seu auxilio excitante.

82. Advertes secundò nomine vocationis venire hîc omnes illas gratias, quæ antecedunt justificationem, dividunturque: Primò in internas, & externas; internæ sunt illustrationes, cogitationes, inspirationes, & alia auxilia prævenientia, quæ Deus in nobis sine nobis, id est, sine nostro consensu libero operatur: externę sunt miracula, prædicatio, exhortatio, lectio rerum fidei, & Scripturarum, exempla, correctiones, beneficia, flagella, & similia, quibus excitamur ad benè operandum, & sunt supernaturalia, aut intrinsecè quoad entitatem; aut extrinsecè quoad modum rationis finis, ad quem tendunt. Secundò dividuntur vocationes illæ in congruas, & non congruas, quæ distinguuntur in eo, quod congruæ connotent actum secundum, & non ita non congruæ, sed ejus negationem. His positis.

83. Difficultas 1. Utrùm omnis gratia congrua in prædestinato, sive sit excitans, sive prævenians, sive adjuvans, sive auxilians, sit effectus prędestinationis? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 23. art. 5. Albert. 1. p. q. 63. memb. 1. & 2. Greg. dist. 41. q. unica a. 2. Capreol. dist. 40. q. unica. Conclus. 2. Driedo. Camerar. P. Mol. 1. p. q. 23. art. 2. d. 3. P. Vasq. d. 93. cap. 2. P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 6. n. 4.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 22. sect. 2. n. 2. P. Herice tract. 3. d. 30. cap. 2. n. 6. P. Alarcon. tract. 4. d. 4. cap. 2. n. 2. P. Tanner. d. 3. q. 3. dub. 1. num. 10. P. Præpos. q. 23. art. 8. dub. 6. num. 49.* & alii. Probatur primò ex illo ad Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, &c.* ubi D. Aug. *Epist. 106. ad Bonifacium, & lib. de corrept. & grat. cap. 7. Hic subaudire debemus*, inquit, *secundùm propositum: Sunt enim & alii vocati, sed non electi, ac per hoc non secundùm propositum vocati.* Ubi D. August. sicut etiam in aliis plurimis locis docet vocationem secundùm propositum esse propriam prædestinatorum, & à Dei prædestinatione causari, ut illius effectus; ergo &c.

84. Probatur secundò, quia illud, cui competunt conditiones requisitæ ad rationem effectûs prædestinationis, de quibus supra, est illius effectus; sed tali gratiæ competunt omnes conditiones supra positæ; siquidem est effectus Dei, data ex intentione efficaci dăndi gloriam, supernaturalis, actu conducens ad salutem, & per merita Christi; ergo est effectus prædestinationis.

85. Probatur tertiò, quia illud est prædestinationis effectus, quod est medium ad salutem consequendam; sed tales sunt vocationes congruæ, ut constat ex illo Joan. 6. *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*: Et ex illo Cant. 1. *Trahe me post te curremus*: Ubi sermo est de vocatione congrua juxta communem Sanctorum Patrum interpretationem; ergo &c.

86. Oppositum tenent *Gabr. in 1. dist. 41. quæst. unica art. 3. dub. 1. & dist. 40. art. 1. Ocham. in 1. dist. 41.* quatenùs docent, solam gloriam esse prædestinationis effectum: pro quibus: Objicies primò. Illud est effectus prædestinationis in prædestinato, quod est proprium ipsius tantùm prædestinati; sed non ita sunt propriæ vocationes illæ congruæ; siquidem etiam competunt reprobis, ut patet ex illo Joan. 1. *Qui illuminat*, id est vocat, *omnem hominem, &c.* ergo non sunt effectus prædestinationis. Respondeo negando minorem: vocationes enim propriæ prædestinati sunt actu conducentes ad salutem consequendam, quales non sunt vocationes datæ reprobo, utpotè qui

salutem

salutem non consequetur, licet possit illam consequi, ideoque vocationes ei datæ solùm potentiâ conferunt ad salutem.

87. Objicies 2. Prædestinatio solos causat effectus, quos intendit; sed solùm intendit finem, nempe gloriam, & non media, nempè vocationes congruas; ergo solam gloriam, & non vocationes causat; consequenterque sola gloria, & non vocationes sunt illius effectus. Respondeo negando majorem: causat enim non solùm finem, quem intendit, sed etiam media, quæ eligit; nam sicut applicat Omnipotentiam, ut producat ipsum finem, ideoque illum habet pro effectu; ita etiam eam applicat, ut producat media, ideoque etiam hæc habebit pro effectu.

88. Objicies 3. Nullus effectus proprius prædestinationis potest esse cum peccato mortali; siquidem homo per illum ordinatur ad beatitudinem, & non ita potest ordinari, prout est in peccato; cùm peccatum illum actu ordinet ad ignem æternum; sed vocationes congruæ possunt esse cum peccato mortali; siquidem Deus sæpius vocat efficaciter peccatorem ad actus supernaturales fidei, & spei; ergo non sunt effectus prædestinationis. Respondeo negando majorem; ad cujus probationem dicimus, hominem per effectus prædestinationis diversimodè ordinari ad beatitudinem; nam per alios ordinatur proximè, nempè per gratiam, & merita de condigno, & cum hâc ordinatione non potest stare peccatum mortale: per alios autem ordinatur tantùm remotè, & dispositivè, nempè per actus fidei, spei, &c. & cum hac ordinatione benè potest stare peccatum mortale: cùm autem per vocationes congruas hoc secundo modo ordinetur homo ad beatitudinem, ideò illæ possunt esse effectus prædestinationis, licet possint dari cum peccato mortali.

89. Objicies 4. Pueri, qui statim post baptismum moriuntur, sunt verè prædestinati; & tamen non habent illas vocationes; cùm sint illarum incapaces; ergo jam prædestinatio non habet pro effectu vocationes. Respondeo distinguendo consequens: jam omnis prædestinatio non habet pro effectu vocationes; concedo consequentiam: aliquæ prædestinationes; nego consequentiam: nos enim non affirmamus, omnes prædestinatos habere omnes effectus prædestinationis; sed unûquemque illos habere juxta propriam capacitatem, quam non habent pueri respectu vocationum, habent tamen adulti. Accedit etiam hos pueros fuisse vocatos, non in se ipsis, quia ad hoc non habebant capacitatem, sed in illis, qui eorum baptismum procurarunt.

90. Difficultas 2. Utrùm hujusmodi vocationes congruæ in reprobis sint etiam effectus prædestinationis? Dico 1. Hujusmodi vocationes in reprobo respectu ipsius reprobi non sunt effectus prædestinationis. Ita *Albert. 1. p. q. 63. memb. 2. P. Vasq. d. 93. cap. 1. n. 3. P. Herice tract. 3. d. 30. cap. 2. n. 6. P. Ruiz. d. 22. sect. 2. n. 12.* Probatur, quia hujusmodi vocationes in reprobo non habent aliquas conditiones ex supra positis requisitas ad effectum prædestinationis; siquidem non ei tribuuntur ex intentione efficaci dandi gloriam; neque actu conducunt ad illam consequendam, sed solùm ei tribuuntur ex communi providentia supernaturali; ergo &c. Confirmatur, quia vocatio propria prædestinatorum, seu quæ est effectus prædestinationis, est vocatio data secundùm propositum; sed hæc semper sortitur effectum, & non illum sortitur vocatio illa in reprobo; ergo neque est vocatio secundùm propositum, neque effectus prædestinationis.

91. Dico 2. Hujusmodi vocationes congruæ reprobo datæ possunt esse effectus prædestinationis alterius hominis prædestinati, si hic ex bona operatione ipsius reprobi sibi in exemplum propositâ accipiat fructum aliquem vitæ æternæ. Ita *P. Herice cit. num. 6.* Probatur, quia tunc talis vocatio reprobi habet rationem gratiæ congruæ extrinsecæ respectu prædestinati illius; sed omnis gratia congrua data prædestinato, etiam si sit extrinseca, est effectus prædestinationis illius, ut infrà dicemus; ergo &c.

92. Difficultas 3. Utrùm vocationes non congruæ datæ prædestinato sint effectus prædestinationis illius? Advertes cum *P. Quiroz tract. 6. de prædest. d. 16. sect. 2. n. 8.* hujusmodi vocationes dupliciter posse esse non congruas: Primò positivè, quatenùs immediatè conjunguntur cum peccato, in quo sensu formalissimè dicuntur ejus permissiones, de quibus infrà dicemus, an sint prædestinationis effectus: Secundò negativè, quatenùs homo cum illis omittit opus consilii, nihil efficiens, quod conducat ad gratiam, aut ad ejus conservationem, in quo sensu dicit, tales vocationes esse effectus prædestinationis. Probat, quia quòd Deus det prædestinato hanc vocationem non congruam negativè, & non illam aliam positivè non congruam, oritur ex speciali providentiâ supernaturali erga prædestinatum, nè gratiam amittat; ergo talis vocatio non congrua fuit speciale beneficium; sed beneficia specialia sunt prædestinationis effectus; ergo etiam talis erit illa vocatio. Ita *P. Quiroz* & favet *P. Alarcon. tr. 4. d. 4. cap. 2. n. 5.* quæ doctrina suam habet probabilitatem; ego tamen distinctione aliquâ utendum puto. Igitur.

93. Dico 1. Vocatio illa non congrua si sumatur tantùm secundùm virtutem efficientem *in ordine* ad actum, pro quo data est prædestinato, non est effectus prædestinationis illius. Ita *P. Arrub. d. 84. cap. 2. n. 3. P. Herice tract. 3. d. 30. cap. 2. n. 10. P. Ruiz d. 22. sect. 2. num. 13. P. Arriaga d. 38. de prædest. sect. 1. subsect. 2. num. 14.* & alii communiter, quatenùs dicunt, eam non esse effectum prædestinationis, nisi conducat ad salutem. Probatur primò ex D. Aug. qui nullibi agnovit, vocationem non congruam ut sic esse effectum prædestinationis, imò solam congruam, & efficacem videtur ponere prædestinationis effectum; ergo &c.

94. Probatur secundò, quia talis vocatio, prout sic nullo modo conducit ad salutem in effectu, sive actu cōsequendam; neq; data est ex speciali affectu, sive intentione efficaci salutis consequendæ; sed quod ita se habet non est effectus prædestinationis, ut patet ex supra dictis; ergo &c. Confirmatur, quia cùm prædestinatus ei resistat, non est hîc, & nunc magis utilis ad salutem consequendam, ac si non esset ei data; atqui si ei non daretur, nullo modo esset utilis ad salutem, neque prædestinationis effectus; ergo neque hîc, & nunc talis erit.

95. Dico 2. Vocatio illa non congrua, si sumatur ut in memoriam revocata, & ipsius recordationis objectum, potest aliquando esse, & aliquando non esse prædestinationis effectus. Ita *P. Arrub. cit. P. Herice cit. n. 11. P. Ruiz cit. P. Arriaga cit. n. 15.* & quoad primam partem videtur tenere *P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 6. num. 7.* Probatur prima pars, quia quod est supernaturale, conducens actu ad salutem, datum ex aliqua intentione ipsius salutis consequendæ, & per merita Christi, est

effectus

effectus prædestinationis, ut patet ex supra dictis; sed ita se habet aliquando vocatio illa non congrua prout sic considerata; siquidem licet non habeat effectum, quando primò offertur ad actum proximum, ad quem data fuit, illum tamen habet postea aliquando conducens ad salutem, quatenùs in memoriam revocata movet prædestinatum ad actus gratitudinis, confusionis, doloris, & humilitatis, & ad acceptandam sequentem vocationem, ita ut Deus censeatur eam tunc dare saltem ex virtuali intentione ipsius salutis per merita Christi; ergo prout sic sumpta est effectus prædestinationis.

96. Dices: Præsens difficultas procedit de gratiâ non congruâ, & non de gratiâ congruâ; sed si illa gratia inserviret in effectu ab beatitudinem, jam esset congrua, & non incongrua, de qua loquitur; siquidem hæc non habet effectum, quem tamen illa haberet; ergo &c. Respondeo negando minorem quoad primam partem; gratia enim sumit rationem congruitatis, & incongruitatis ab effectu proximo, & per se, quem si non habeat, ut non habet talis vocatio, semper dicetur incongrua, licet remotè, indirectè, & quasi per accidens aliquem alium habeat, ut haberet hujusmodi vocatio, prout sic sumpta; siquidem essentiæ non desumuntur ab eo quod eis est per accidens, sed ab eo, quod est per se; & cùm hujusmodi vocatio non haberet effectum proximum, & per se in primo actu, ad quem fuit oblata, diceretur adhuc incongrua, licet haberet illum alium remotum, indirectum, & quasi per accidens

97. Instabis: D. Augustinus, cùm poneret vocationes congruas inter effectus prædestinationis, nunquam sic inter illos posuit vocationes non congruas; ergo &c. Respondeo D. August. semper considerasse ipsas gratias non congruas ut efficientes in ordine ad suos actus proximos, & per se, ad quos fuerunt oblatæ, in quo sensu non poterat illas vocare effectus prædestinationis, ut & nos non vocavimus, ut patet ex supra dictis.

98. Probatur secunda pars, primò, quia cùm non sit necessarium, quod hujusmodi vocationes non congruæ semper habeant talem effectum, possunt aliquando esse sine illo; siquidem aliquando potest contingere, ut homo postea nullo modo illarum recordetur; ergo etiam aliquando poterunt non esse effectus prædestinationis. Secundò, quia etiam posità tali recordatione, potest homo nullum ex illis actibus elicere; aut quia statim mortuus fuit; aut ad aliud diversus, etiam voluntariè; siquidem aliquando resistendo vocationibus potest nullum peccatum committere, neque mortale, neque veniale, si illæ sint ad actus majoris tantùm perfectionis non præceptos; in quo eventu opus non est, ut postea de tali resistentia conteratur, confundatur, aut humilietur, antequam moriatur, etiam si de illa recordetur; sed tunc tales vocationes non essent effectus prædestinationis; siquidem tunc non magis ad beatitudinem conducerent, ac si non darentur; ergo &c.

99. Dices: Tales vocationes in memoriam revocatæ semper conducunt, & sunt utiles ad salutem consequendam; ergo prout sic semper sunt effectus prædestinationis. Respondeo negando consequentiam; neque enim sufficit, ut aliquid sit effectus prædestinationis, quod conducat, & sit utile ad salutem; alioqui merita Christi, Sacramenta, & similia, cùm semper de se conducant, & sint utilia ad salutem, semper essent prædestinationis effectus, cùm tamen tales non sint in reprobis, quibus non conceduntur ex speciali intentione efficaci dandi ipsis salutem, quod erat necessarium: cùm autem Deus potuerit non dare illas vocationes prædestinato ex speciali intentione, sed ex providentia supernaturali generali, tunc saltem poterunt non esse media ad salutem, neque effectus prædestinationis, etiam si prædestinatus de illis recordetur, & illæ conducant, & sint utiles ad salutem.

Difficultas 4. Utrùm vocationes externæ sint etiam effectus prædestinationis? Affirmativè. Ita *P. Ruiz d. 22. sect. 2. n. 7.* Probatur, quia hujusmodi vocationes comprehenduntur sub nomine gratiæ, cujus præparatio est prædestinatio; sed omnis gratia, quæ à prædestinatione præparatur, conducit ad salutem, & ad illam consequendam datur ex speciali intentione; quæ autem sic conducit, & conceditur, est effectus prædestinationis; ergo &c. Confirmatur primò ex illo 2. Cor. 1. *Hâc confidentiâ volui priùs venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis*: ubi pro prima gratia intelligit epistolam, pro secunda autem præsentiam Doctoris, ut exponunt D. Chrysost. Theodoret. & D. Hieron. Secundò, quia de Christo Domino propter eminentiam prædicationis fuit prædictum: Psal. 44. *Diffusa est gratia in labis tuis*: Et fuit expletum. Luc. 4. *Mirabātur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.* Tertiò ex D. Aug. *lib. 83. quæst. q. 68.* ubi hanc vocationem exteriorem cōmemorat. D. Prosper. *lib. 2. de Vocat. gent. cap. 26.* ibi: *Gratiâ Dei*, inquit, *in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corq; ipsum illuminando..... Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur.* Ubi notandum, gratiam non solùm interiores, & spirituales effectus operari, sed etiam sensibiles, & exteriores; ergo cùm gratia sit prædestinationis effectus, etiam tales erunt illius effectus sensibiles, & exteriores, quando per illos vocantur electi. 100.

Difficultas 5. Utrùm præparatio Dei, ut concurrat nobiscum ad actus supernaturales sit effectus prædestinationis? Negativè. Ita *P. Ruiz d. 22. sect. 3. n. 4.* Probatur primò, quia nullus actus Dei potest esse verè, & realiter effectus; alioqui cùm effectus sit ab alio, & quid creatum, talis etiam esset ipse actus; consequenterque ipse Deus, cum quo talis actus est idem; sed præparatio Dei est actus liber ipsius Dei, cùm sit actus Voluntatis Divinæ volentis ita nobiscum concurrere; ergo non potest esse effectus prædestinationis. 101.

Probatur secundò, quia nihil est effectus sui ipsius; alioqui esset priùs se ipso; cùm omnis effectus supponat suam causam; sed hujusmodi præparatio, saltem partialiter est ipsa prædestinatio formalis; siquidem prædestinatio, non solùm est voluntas tribuendi finem, sed etiam tribuendi media; hæc autem voluntas tribuendi media est ipsa præparatio concurrendi; ergo non potest esse effectus prædestinationis; aliqui esset effectus sui ipsius. 102.

Oppones 1. Quidquid actu, & in effectu juvat ad beatitudinem consequendam, est prædestinationis effectus; sed hæc Dei præparatio ita maximè juvat; ergo est prædestinationis effectus. Resp. majorem esse veram, dummodò non sit ipsamet prædestinatio, quæ quidem maximè juvat; & tamen non est prædestinationis effectus; cùm non possit esse effectus, & causa sui ipsius. 103.

Oppones 2. Omnis gratia adjuvans, & omne auxilium 104.

auxilium sufficiens, est effectus prædestinationis, ut supra diximus; sed primum, & maximum auxiliorum, & maxima gratia adjuvans est prædicta Dei præparatio; ergo hæc est prædestinationis effectus. Respondeo majorem esse veram de auxilio, & gratia creata; non autem de auxilio, & gratia increata, qualis est hæc Dei præparatio; hæc enim, cùm sit ipsa prædestinatio, non potest esse illius effectus.

105. Oppones 3. Media necessariò requisita ad obtinendum finem, nempè gloriam, sunt effectus prædestinationis; sed præparatio concurrendi nobiscum ita est simpliciter necessaria ad obtinendam gloriam, ut sine illa non possimus eam assequi; ergo est effectus prædestinationis. Respondeo supponi falsum hanc præparationem esse medium ad finem; cùm sit voluntas dandi media ad ipsum finem obtinendum.

106. Oppones 4. Ideò hæc præparatio non esset effectus prædestinationis, quia est in Deo, & non in ipso prædestinato; sed hæc ratio non obstat; siquidem orationes Sanctorum, exhortationes, solicitudo Angeli custodis, & prælati nō sunt in prædestinato, sed extra, & tamen sunt effectus prædestinationis illius; ergo &c. Respondeo negando majorem, ut benè probat argumentum; neque enim hæc præparatio Dei definit esse effectus prædestinationis ex eo, quod non sit in prædestinato, sed ex eo, quod non possit effici, cùm sit quid increatum, & à se.

SECTIO V.

Vtrùm actus supernaturales in peccato facti; & omnes alii, prout ab homine procedunt, sint effectus Prædestinationis?

107. DIFFICULTAS 1. Utrùm actus supernaturales in peccato facti sint effectus prædestinationis? Affirmativè. Ita *P. Alarcon. tract. 4. d. 4. cap. 2. n. 3. P. Amicus d. 15. sect. 5. num. 164.* & alii. Probatur primò, quia hujusmodi actus, aut sunt meritorii de congruo, aut dispositiones perfectæ, vel imperfectæ ad justificationem, & salutem conducentes; sed quæ ita se habent inter prædestinationis effectus numerantur; ergo &c. Secundò, quia Deus propter hos actus dat auxilia congrua ad salutem inservientia; idoque Scriptura, Concilia, & Sancti Patres eos petunt à peccatoribus, ut per illos perveniant ad gratiam justificantem, & per hanc ad beatitudinem; ergo saltem remotè, & aliquo modo inserviunt ad salutem; quæ autem sic inserviunt sunt prædestinationis effectus. Tertiò, quia hujusmodi actus aliquam relinquunt facilitatem, ut homines postea in statu gratiæ alios similes exerceant, aut per se, aut à solo Deo intuitu illorum productam, ideoque inter specialia Dei beneficia numerantur, pro quibus Deo gratiarum actiones debentur; sed hæc sufficiunt, ut sint prædestinationis effectus; ergo &c.

108. Dices cum *P. Herice tract. 3. d. 30. cap. 3. n. 14.* Hi actus in tali statu facti, licet in potentiâ, sive in actu primo, ac de se sint apti, ut conducant ad salutem, non ita tamen sunt de facto in actu secundo; siquidem ad hoc debebant à Deo acceptari, & non ita acceptantur, cùm de tali acceptatione non constet; sed id erat necessarium, ut essent effectus prædestinationis; ergo &c. Respondeo negando secundam partem majoris; Deus enim de facto acceptat tales actus, ut merita de congruo, aut ut dispositiones perfectas vel imperfectas, quorum intuitu donat auxilia congrua ad actus amoris super omnia, aut contritionis, per quos acquiritur justificatio, quod constat ab Scriptura, Conciliis, & Sanctis Patribus, ut diximus. Accedit, dato quod illi actus sic producti non acceptentur à Deo, imò rejiciantur, tunc sicut non conducunt ad salutem, ita etiam dicimus non esse effectus prædestinationis, in quo eventu non procedit nostra resolutio.

109. Difficultas 2. Utrùm omnes actus supernaturales, non solùm prout procedunt à gratiâ, sive auxilio supernaturali, sed etiam prout procedunt à libero hominis arbitrio, & sunt vitales, sint effectus prædestinationis? Certum est primò, tales actus supernaturales esse effectus prædestinationis, prout sunt ab auxilio supernaturali, & à Deo ut à principali agente; neque enim de hoc est quæstio, cùm prout sic habeant omnes conditiones requisitas ad effectus prædestinationis, ut cōsideranti patebit. Certum est secundò, hanc propositionem: *Actus, sive actio supernaturalis quatenus procedit à libero arbitrio, est effectus prædestinationis*: in sensu reduplicativo esse falsam; sic enim affirmat, procedere à libero arbitrio esse formaliter idem, atque procedere à prædestinatione, sive esse effectum prædestinationis, quod est falsum; siquidem prout procedit à libero arbitrio reduplicativè non procedit à Deo; ut autem sit effectus prædestinationis debet à Deo procedere, ut supra diximus, & sic procedit specificativè; in quo sensu procedit quæstio, in qua dictiones *in quantùm, sub ratione, quatenùs, prout*, & similes accipiendæ sunt in sensu specificativo, & non reduplicativo. Hoc posito.

110. Resolutio sit: Actus supernaturales, non solùm prout procedunt à Deo per auxilia supernaturalia, sed etiam prout procedunt à libero arbitrio creato, sunt effectus prædestinationis. Ita *Scot. in 1. dist. 41. §. Sed contra istud, & dist. 47. & quodlib. 14. Greg. in 1. dist. 41. q. unica art. 2. Marsil. Sot. P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 5. n. 7. P. Vasq. 1. p. d. 93. cap. 1. & 3. P. Valent. 1. p. q. 23. punct. 3. Durand. dist. 41. q. 2. & 3. Carthus. in 1. dist. 41. q. 1.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 22. sect. 4. n. 17. P. Herice tract. 3. d. 30. cap. 3. num. 16. P. Arriaga d. 38. sect. 1. subsect. 2. n. 13. P. Tanner. d. 3. q. 3. dub. 1. num. 17.* & alii. Probatur primò, quia supernaturalitas istorum actuum non meretur gratiam, & gloriam, neque ad illas conducit, nisi prout liberè procedit à voluntate; siquidem si esset necessaria, aut non vitaliter producta, nihil mereretur; ergo etiam ipsa libertas, & vitalitas ita conducunt ad illas; sed quæ ita conducunt, sunt effectus prædestinationis; ergo tales sunt ipsi actus, etiam prout procedunt à libero arbitrio vitaliter operante.

111. Confirmatur primò, quia hujusmodi actus secundùm totum, quod sunt meritorii, sunt dona Dei, ut tradit Trid. *Sess. 6. cap. ult.* ibi: *Tanta est*, inquit, *Domini erga homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*: & idem docet D. Augustin. *Epist. 105. & 106. & lib. de grat. & libero arbitr. cap. 6. & 9.* & sæpè alibi; sed ut sint meritorii de congruo, vel de condigno, debent procedere ab arbitrio liberè concurrente; quod autem est meritorium, & donum, sive beneficium Dei, & condu-

conducit ut tale ad salutem est effectus prædestinationis; ergo &c. Secundò, quia ipsa cooperatio prout procedit à libero arbitrio est per se necessaria, ut adulti consequantur justificationem, & gloriam; ergo est per se, & efficaciter intenta, prædefinita, & præparata per Dei prædestinationem; sed quæ ita se habent sunt effectus prædestinationis; ergo talis est cooperatio, prout est à libero arbitrio.

112. Probatur secundò, quia liberum arbitrium à Dei gratia movetur ad actus supernaturales, eique subordinatur juxta illud, Ezech 36. *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis*: Et ad Philip. 2. *Qui operatur in nobis, & velle, & perficere*: Et ex Cœlestin. *Papa Epist. 1. ad Episcopos Galliæ cap. 12. Deus agit in nobis, ut quod vult, & velimus, & agamus. Et Concil. Arausican. 2. cap. 23. & 25. Milevitan. cap. 4. D. Aug. D. Hilar. D. Bern. D. Ansel.* & aliis; sed illa gratia est effectus proximus, & immediatus prædestinationis, ut supra diximus; ergo etiam actus prout procedunt ab ipso libero arbitrio gratiâ Dei adjuto, & moto erunt effectus prædestinationis, saltem remoti, & mediati.

113. Oppositum tenet *Henriquez quodlib. 4. q. 19. & quodlib. 8. q. 5. Favetq; P. Molin. 1. q. 23. art. 4. & 5. d. 1. memb. 8.* pro quibus. Argues 1. Effectus prædestinationis debent esse effectus Dei, ut diximus; sed tales non sunt hujusmodi actus, prout procedunt à libero arbitrio; siquidem Deus per illos, neque vivit, neque denominatur liber; ergo non sunt prout sic effectus prædestinationis. Respondeo negando minorem: tales enim actus secundùm suas entitates sunt, & à Deo, & à libero arbitrio, licet non sint à quolibet totaliter, sed ab utroq; simul, sicut etiam sunt actiones productivæ illorum. Patet in actione productiva ignis, quæ tota est à Deo, & non totaliter, tota, & non totaliter ab igne, tota autem, & totaliter ab utroque simul: quod est speciale in actibus liberis supernaturalibus, cùm Deus specialiter excitet, & ad illos concurrat, ut causa particularis, & non tantùm ut universalis, sicut concurrit cum igne. Neque tamen dicetur per illos vivere, quia illos in se non recipit, neque ad illos concurrit ut causa, seu potentia vitalis, dicetur verè liberè operari, quia liberè excitat, & concurrit.

114. Argues 2. Si illi actus essent effectus prædestinationis, essent etiam à Deo specialiter; sed non sunt; alioqui si essent effectus speciales Dei, non essent nobis liberi, sed necessarii; ergo &c. Respondeo negando minorem, & ejus probationem: nam sic Deus specialiter operatur, ut expectet nostram liberam determinationem ad illam excitando sine aliquo impulsu necessitante; sicque possumus ei resistere; ubi autem potest dari resistentia, datur libertas.

115. Argues 3. Hujusmodi actus, prout sunt formaliter à libero arbitrio, non sunt à gratia; sed ut sint effectus prædestinationis, debent esse à gratia; alioqui non conducerent ad salutem actu consequendam; ergo &c. Respondeo negando majorem: nam cùm liberum arbitrium ad illos excitetur per gratiam, & solùm supernaturaliter elevatum ad illos concurrat, etiam prout sunt ab illo, sunt à gratia, & ut sic specialiter eliguntur à Deo; siquidem, posita efficaci intentione gloriæ, Deus elegit illos actus, ut meritorios ad eam in effectu consequendam; illi autem non sunt meritorii, nisi prout procedũt supernaturaliter ab influxu gratiæ, & libero arbitrio; undè prout sic sunt effectus prædestinationis etiã prout procedunt à libero arbitrio,

Argues 4. Tales actus, prout procedunt à libero arbitrio, sunt causa prædestinationis; siquidem sunt ejus causa, quatenùs sunt meritorii; sunt autem meritorii, quatenùs sunt à libero arbitrio; ergo prout sic non possunt esse effectus prædestinationis. Respondeo tales actus, ut procedentes à libero arbitrio esse effectus prædestinationis, sive primæ intentionis gloriæ; siquidem ex hac movetur Deus ad excitandum ad illos; esse autem causam executionis illius, sive ut gloria in executione, & in effectu comparetur; quæ rationes, cùm sint in diverso genere non implicant. Vel dic, tales actus esse effectus, & non causam primæ vocationis; esse verò causam, & non effectus auxiliorum subsequentium gratiæ, & gloriæ, quod non implicat. Undè argumentum solùm probat hujusmodi actus esse secundos effectus respectu primorum effectuum prædestinationis, & esse causam respectu posteriorum effectuum ejusdem prædestinationis, quod non implicat. 116.

Difficultas 3. Utrùm justificatio, habitus ad justificationem aliquo modo spectantes, illorum augmentum, & remissio pœnæ sint effectus prædestinationis? Dico 1. Justificatio, sive gratia justificans est effectus prædestinationis. Ita *Richard. in 1. dist. 40. a. 1. q. 1. & dist. 41. art. 1. q. 1. & art. 2. q. 1. Marsil. in 1. dist. 41. art. 1. not ab. 1, Greg. in 1. dist. 41. q. unica art. 2. Chartagen. discurs. 3. P. Molin. 1 p. q. 23. art. 2. d. 3. P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 4. n. 2. P. Vasq. 1. p. d. 93. cap. 1.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 22. sect. 6. n. 9. P. Herice tract. 3. d. 30. cap. 4. n. 17. P. Tanner. d. 3. q. 3. dub. 1. n. 11. P. Præposit. q. 23. art. 8. dub. 6. n. 49.* & alii. Probatur primò ex illo ad Rom. 8. ibi: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit.* Et ad Ephes. 1. ibi: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum, &c.* ergo adoptio filiorum, quâ formaliter justificamur, decreta fuit, & causata per prædestinationem. 117.

Probatur secundò, quia D. Aug. ab omnibus receptus dicit, gratiam esse effectum prædestinationis; sed nomine *gratiæ* potissimùm significatur illa, quâ formaliter persona constituitur Deo grata, justa, & immaculata; ergo hæc est effectus prædestinationis ex mente D. Augustini. Confirmatur ex D. Prosper. *ad object. Vincent. Respons. 12.* ibi: *Prædestinatio facit* (id est causat) *ut ex filiis diaboli, fiant filii Dei*; sed filiatio Dei adoptiva fit per gratiam justificantem; ergo si hæc sit à prædestinatione, est prædestinationis effectus. 118.

Probatur tertiò, quia gratiæ justificanti competunt omnes conditiones requisitæ ad effectum prædestinationis, de quibus supra, ut consideranti patebit; deindè est singulare quoddam beneficium proprium prædestinati, simpliciter necessarium ad executionem electionis, & ab illa procedens; sed hæc sufficiunt, ut sit prædestinationis effectus, ut patet ex supra dictis; ergo &c. 119.

Dico 2. Quilibet habitus ad justificationem quolibet modo pertinentes, sunt effectus prædestinationis. Probatur, quia habitus, sive sit ille, quo homo constituitur formaliter gratus, & justus; sive sint habitus Fidei, Spei, Charitatis, & virtutum moralium, conducunt, & juvant ad consecutionem gloriæ inclinando ad proprios actus, & eo fine à Deo tribuuntur; sed quæ ita se habent sunt effectus prædestinationis; ergo &c. 120.

Dico 3. Augmentum gratiæ, & reliquorum habituum, est effectus prædestinationis; sive illud tribuatur ex opere operato ratione Sacramentorum, 121.

torum, nulla suppositâ actione libera hominis recipientis Sacramentum; sive tribuatur dependenter à libera cooperatione voluntatis humanæ. Probatur, quia quod conducit ad beatitudinem consequendam, & eo fine à Deo tribuitur, est effectus prædestinationis; sed ita conducit, & tribuitur à Deo illud augmentum; ergo &c.

122. Dico 4. Remissio pœnæ, tam in hac vita per satisfactionem, quàm in futuro sæculo per satispassionem, est effectus prædestinationis. Probatur primò, quia complet ultimatè justificationem, delens reatum, ac debitum pœnæ. Secundò, quia tollit impedimentum gloriæ, sive consecutionis illius; sed hæc sufficiunt, ut sit effectus prædestinationis; ergo &c.

SECTIO VI.

Virùm gratia per peccatum interrupta, finalis, donum perseverantiæ, & glorificatio sint effectus prædestinationis?

123. ADVERTES primò, cùm gratia habitualis sæpiùs destruatur, etiam in prædestinato, per peccatum mortale superveniens, dubium esse inter Theologos, an in prædicto eventu prima ejus productio, sive collatio fuerit effectus prædestinationis, aut solùm à communi providentia supernaturali processerit? Secundò, eandem esse difficultatem de virtutibus infusis, & de nostris actibus supernaturalibus meritoriis, quando per peccatum mortale interrumpuntur. Tertiò, quæstionem posse procedere de gratiâ interruptâ, aut quoad suam restitutionem per pœnitentiam, aut quoad primam ejus collationem, antequam per peccatum interrumpatur. Quartò, certum omnibus esse debere, per pœnitentiam recuperari, non solùm quod respondet merito de congruo pœnitentiæ, sed etiam totam intensionem gratiæ deperditæ, sive illa, aut illius pars conferatur ex liberalitate, sive ex vi meritorum, quæ per peccatum mortificata jacebant, ut suo loco dicemus, interim videri possunt *D. Thom. 3. p q. 89. art. 5. ubi P. Vasq. tom. 4. dub. 12. & 1. 2. tom. 2. de grat. d. 221. cap. 6. & P. Soar. in Opuscul. Relect. de Revivisc. meritor.* His positis.

124. Dico 1. Gratia per peccatum interrupta quoad ejus reparationem per pœnitentiam est effectus prædestinationis. Ita *P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 4. n. 5. P. Valent. q. 23. punct. 3. P. Herice tract. 3. d. 30. cap. 4. num. 18. P. Ruiz d. 22. sect. 7. num. 1. P. Tanner. d. 3. q. 3. dub. 1. n. 17. P. Arrub. d. 83. cap. 1. n. 1. P. Arriaga d. 38. sect. 1. subsect. 1. n. 3. P. Præpos. q. 23. art. 8. dub. 6. num. 49. P. Amicus d. 15. sect. 5. n. 161. P. Compton. tom. 1. d. 44. sect. 2. num. 6.* & alii. Probatur facilè, quia hujusmodi gratia revivisces post peccatum per pœnitentiam, sive sit eadem numero, quæ antea fuerat collata, reproducta, sive alia ejusdem intensionis, data est ex intentione dandi gloriam; & conjuncta cum perseverantia finali in re, & actu causat ipsam gloriam; ergo non potest non esse effectus prædestinationis.

125. Dico 2. Hujusmodi gratia per peccatum interrupta, etiam quoad primam ejus collationem, est effectus prædestinationis. Ita Doctores proximè citati. Probatur primò, quia hujusmodi gratiæ quoad primam ejus collationem conveniunt omnes conditiones requisitæ, & supra traditæ, ut sit effectus prædestinationis; siquidem est supernaturalis, effectus Dei, actu conferens ad salutem, ex intentione illius conferendæ, & ex meritis Christi data; sed quæ ita se habent, sunt effectus prædestinationis; ergo &c. Confirmatur, quia si non fuisset primò collata, neque postea reviviscceret, neque prædestinatus tantam haberet gratiam, & gloriam: Deindè fuit primò collata ex speciali affectu ipsius salutis; siquidem quando Deus prævidet, quod aliquid ad aliquem finem post aliquam conditionem in effectu conducet, & illud confert, absque dubio ex intentione talis finis confert; Deus autem in prima collatione illius gratiæ prævidebat, quod illa, positâ conditione pœnitentiæ factæ post peccatum, in effectu conduceret ad salutem, & illam dedit; ergo dedit ex speciali intentione ipsius salutis; sed hæc sunt requisita, & sufficiunt, ut sit effectus prædestinationis; ergo &c.

Probatur secundò, quia permissio peccati, ut infrà dicemus, est effectus prædestinationis; & tamen non conducit ad salutem, nisi interveniente peccato; ergo à fortiori illa prima gratiæ collatio erit effectus prædestinationis, licet non conducat ad salutem, nisi post peccatum per pœnitentiam extinctum. Confirmatur, quia peccatum, saltem moraliter non extinguit omninò primum jus, quod illa dedit ad gloriam, sed solùm illud mortificat, & consopit; siquidem ita adhuc vivit in acceptatione divina, ut habeat vim reviviscendi cum ipsa gratia, si peccati impedimentum per pœnitentiam removeatur; sed post illius reparationem est effectus prædestinationis, quia datjus, & conducit ad gloriam; ergo etiam ante in prima collatione talis erit, quia idem jus habet, & eodem modo ad gloriam conducit. 126.

Probatur tertiò, quia in Adversariorum sententiâ negante electionem ad gloriam ante meritа absolutè prævisa, sufficit, ut aliquid sit effectus prædestinationis, quod tribuatur ex præscientiâ conditionatâ, per quam præsciatur profuturum ad salutem consequendam, positâ aliquâ conditione; sed Deus per eandem Scientiam præscit primam illam gratiæ collationem profuturam ad salutem consequendam, si ponatur ut conditio reparatio illius post lapsum; siquidem interruptio non impedit, neque tollit talem præscientiam; ergo hoc sufficit, ut sit prædestinationis effectus. 127.

Probatur quartò, quia hujusmodi gratia semper durat, si non formaliter in se, saltem virtualiter in effectibus, nempè in meritis condignis, quorum fuit principium, & causa; siquidem talia merita non pereunt per peccatum, sed solùm mortificantur, & ideò, eo ablato, manent viva in acceptatione divina; sed sufficit, quod ita duret in effectibus, ut sit prædestinationis effectus, ut patet in vocationibus congruis, quæ sunt prædestinationis effectus, ut diximus, & tamen solùm durant in effectibus, nempè in meritis; ergo &c. 128.

Oppositum tenent *P. Vasq. 1. part. d. 93. cap. 3. P. Alarcon. tr. 4. d. 4. cap. 3. n. 9. P. Rhodez. d. 5. q. 2. sect. 7. §. 1.* & alii: Pro quibus: Objicies 1. Effectus prædestinationis cõstituuntur in quadam mediorum serie continuata usque ad gloriam in re obtentam; sed non ita constituitur illa prima gratiæ collatio; siquidem per peccatum interrumpitur; ergo non est prædestinationis effectus, sed solius providentiæ supernaturalis communis. Respondeo primò negando majorem: talis enim continuatio

tinuatio solùm esset necessaria, quando illa gratia per peccatum omninò extingueretur; non autem sic extinguitur moraliter, sed solùm ejus jus ad gloriam mortificatur, sicut & merita; sicque benè potuit Deus illam tribuere ex speciali intentione ipsius gloriæ; siquidem si illam videbat amittendam per peccatum, etiam prævidebat reparandam per pœnitentiam, ac tandem effectum habituram, & fortasse ipsum peccatum permittebat cum proposito reparationis, cùm illud non permitteret ut malum perpetuum, sed ut temporale cum voluntate, aut expressâ, aut tacitâ dimittendi illud, quod sufficit, ut ipsa gratia conseatur primò collata ex vi prædestinationis, & ut illius effectus.

130. Respondeo secundò cum *P. Soar. cit. n. 7.* licet ipsa gratia per pœnitentiam non esset reparanda, adhuc posse esse effectum prædestinationis, dummodò aliquo modo conferret ad beatitudinem; siquidem beatitudinis effectus non est sola gratia, quæ permanet in vita æterna, sed etiam quæ aliquo modo confert ad illius consecutionem; hæc autem gratia, etiamsi non esset reparanda, adhuc conferret & esset utilis ad salutem: Primò quatenùs esset occasio excitans hominem, quando postea resurgit, ut haberet plura merita permanentia in vitam æternam, aut quia inde excitaretur ad graviorem dolorem, aut ad majorem gratiarum actionem pro susceptis beneficiis, & similes actus. Secundò, quatenùs recordatio illius gratiæ amissæ posset deservire ad ferventiùs, & faciliùs conandum resarcire damnum majori cum diligentia & fervore secundùm illud Apoc 2. ibi: *Memento, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac*: & majori cum facilitate, aut propter habitum acquisitum, aut propter bona phantasmata, quæ permanent, non obstante peccato; ergo etiam tunc ipsa prima gratiæ collatio ratione talis utilitatis erit effectus prædestinationis.

131. Instabis: D. Paulus ad Rom. 8. cit. referens effectus prædestinationis immediatè connectit justificationem cum glorificatione; ergo ut illa sit prædestinationis effectus, debet esse continuata, & non interrupta. Respondeo D. Paulum locutum fuisse de justificatione indefinitè, & secundùm se totam, quæ prout sic immediatè conjungitur cum gloria ratione alicujus illius partis, qualis est gratia finalis; non autem secundùm omnes suas partes: unde ut absolutè dicatur conjungi immediatè cum gloria, satis est, quod cum illa sic conjungatur secundùm ultimum complementum. Accedit, quod licet D. Paulus loqueretur de justificatione continuata, & hanc diceret esse effectum prædestinationis, non ideò id negavit de gratia interrupta; nam qui unum affirmat, non ideo aliud negat.

132. Objicies 2. Prima gratiæ collatio per peccatum interrupta, est etiam communis reprobis; sed in his non est effectus prædestinationis; alioqui salvarentur; ergo neque talis erit in prædestinatis. Respondeo distinguendo majorem: est etiam communis reprobis, si sumatur absolutè, & secundùm se; concedo majorem: si ut conjuncta cum prævisione reparationis, & ejus decreto consideretur; nego majorem: nam in hoc sensu fuit primò data ex speciali intentione salutis consequendæ, quod non habet, si consideretur secundùm se, quo modo datur reprobis.

133. Confirmatur exemplo ipsius gratiæ, etiam quando non interrumpitur; nam etiam tunc ejus prima collatio, si ipsa gratia consideretur secundùm se tantùm, est etiam communis reprobis; non ita tamen si consideretur ut conjuncta cum prævisione perseverantiæ finalis, & ejus decreto divino, in quo sensu est prædestinationis effectus; licet talis non sit in illo alio; ergo similiter de ipsa gratia interrupta, prout diximus. Et adhuc patet, quia Deus absolutè decrevit tantam dare huic prædestinato beatitudinem, sive gloriam, & pro medio elegit illam primam gratiæ collationem; ergo si hanc ille non haberet postea, neque daretur ejus reparatio, neque prædestinatus ipse tantam assequeretur gloriam, quantam Deus ei decreuit dare; consequenterque divinum decretum frustraretur, quod nullus dicet.

Objicies 3. Prima gratiæ collatio Adamo facta in statu innocentiæ non fuit effectus prædestinationis illius; siquidem non fuit ei collata ex meritis Christi Redemptoris, ut supra diximus; licet ipsa gratia fuerit postea ejus effectus in sui reparatione; ergo similiter gratia illa interrupta, licet sit effectus prædestinationis in sua reparatione, non ita tamen erit in sua prima collatione. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia illa prima gratiæ collatio Adamo facta non potuit esse, neque ex efficaci intentione salutis, neque ex meritis Christi Redemptoris, quia facta fuit ante peccatum absolutè prævisum; Christus autem decretus, & Adamus efficaciter electus post illud prævisum, ut supra diximus; sicque ei defuerunt hæ duæ conditiones, ideòque non fuit prædestinationis effectus: at verò cùm ita non defuerint primæ illæ collationi gratiæ interruptæ, quia jam Christus Dominus fuerat decretus, & homines efficaciter electi, potuit esse & ex meritis Christi, & ex intentione efficaci salutis; consequenterque esse prædestinationis effectus. 134.

Objicies 4. licet peccatum, ut retractatum inserviat ad salutem, non potest esse effectus prædestinationis; ergo etiam, licet hujusmodi gratia inserviat ad salutem post ejus reparationem, & ut sic sit prædestinationis effectus, non ita erit in prima ejus collatione interrupta. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia peccatum non potest in se à Deo eligi, etiam in ordine ad retractationem, ut medium ad salutem; siquidem ab eo non potest in se amari; ideoque sola ejus retractatio in se amatur, ipsum verò peccatum permittitur: at verò illa prima gratiæ collatio, cùm sit bona, potuit à Deo in se amari, sicque eligi, ut eligitur, tanquam medium ad salutem; consequenterque esse effectus prædestinationis, licet non ita possit esse peccatum. 135.

Objicies 5. Per pœnitentiam non reproducitur eadem numero gratia, quæ primò fuit collata, sed alia diversa; ergo illa prima non potest influere in salutem, quod erat necessarium, ut esset prædestinationis effectus. Respondeo quidquid sit de antecedente, illo enim dato, adhuc ipsa gratia influeret in salutem, si non physicè, de quo in præsenti non agimus, saltem moraliter, quatenùs propter illam primam ejus collationem homo postea per pœnitentiam reparatus plus gratiæ & gloriæ recipit, quàm reciperet, si talis gratiæ collatio non præcederet, quod sufficit, ut sit prædestinationis effectus: præsertim, cùm gratia, etiam quando continuatur, non semper influat physicè in beatitudinem. 136.

Objicies 6. Illa prima gratiæ collatio non conducit ad gloriam, nisi per pœnitentiam; sed pœnitentia, cùm pendeat à libera hominis voluntate, non potest videri ut conducens ad gloriam, nisi posita jam ipsius hominis determinatione, hæc au- 137.

tem non datur, quãdo datur illa prima gratiæ collatio; ergo hæc non potest tunc videri ut cõducens ad gloriam; consequenterque neq; ut effectus prædestinationis. Resp. distinguendo majorem: nisi per pœnitentiam ponendam; concedo majorem: jam positam; nego majorem: cùm autem Deus in ipsa prima gratiæ collatione per scientiam conditionatam videat ipsam pœnitentiam ponendam, ideò jam prævidet eam in effectu profuturam ad gloriam, & sub hac intentione illam tribuit.

138. Patet à simili, quia etiam quodlibet auxilium congruum, ut conducat ad gloriam consequendam, dependet à consensu libero; & donatio ultimi dependet à libera hominis acceptatione; & tamen quia Deus per scientiam conditionatam videt ipsum hominis consensum, & liberam ejus determinationem in effectu ponendam, dicimus collationem talis auxilii, quod Deus sub illa conditione prævidet profuturum, esse prædestinationis effectum; ergo similiter.

139. Instabis: Illa gratia, ut primò collata non conducit ad salutem vi suâ, sed ut per pœnitentiam reparata; ergo sola ejus reparatio erit prædestinationis effectus. Respondeo negando antecedens: pœnitentia enim non præstat huic gratiæ vim, ut conducat ad salutem, sed respectu illius solùm se habet tanquam removens prohibens peccatum, ut illius vis, & jus, quod per peccatum impediebatur, reviviscat, & obliget ad dandam gloriam; sicque à prima collatione id habuit; consequenterque fuit effectus prædestinationis.

140. Objicies 7. Quando Deus primò dat illam gratiam, neque per Scientiam Mediam prævidet, quod illa de facto conducet ad salutem, donec ipse se determinet ad dandum auxilium subsequens, per quod homo moveatur ad pœnitentiam; ergo non potuit illam dare ut sic ex efficaci intentione salutis; consequenterque neque ut effectum prædestinationis. Respondeo negando antecedens; Deus enim per Scientiam Mediam prævidet, quid posità hac, aut illâ conditione futurum sit, ideoque antequam absolutè velit dare aliquod auxilium Petro v. g. ad gratiam acquirendam, jam præscit: *Si dedero hoc, dabo etiam alterum, quo à peccato resurget*: ac proindè jam prævidet illud primum futurum utile de facto ad gloriam; consequenterque jam potest illud dare ex intentione efficaci ipsius gloriæ. Patet in ipsa prima collatione gratiæ non interrumpendæ; jam enim Deus prævidet, quod illa de facto conducet ad salutem, quia per Scientiam Mediam videt se daturum auxilia subsequentia usque ad gratiam finalem.

141. Dico 3 Gratia finalis, ut finalis, est effectus prædestinationis. Ita *P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 3, n. 5. P. Vasq. 1. p. d. 93. cap. 3. n. 19. P. Tanner. d. 3. q. 3. dub. 1. n. 10. P. Arrub. d. 84. cap. 2. num. 6. P. Ruiz d. 22. sect. 6. num. 4. P. Herice tract. 3. d. 30. n. 17. P. Rhodez d. 5 q. 2. sect. 7. §. 1. P. Compton. tom. 1. d. 44. sect. 2. n. 6.* & alii. Probatur primò, quia hæc gratia habet omnes conditiones supra requisitas, ut sit effectus prædestinationis; & ita est propria electorum, ut non competat reprobis; ergo procedit ut à causa ex speciali eorum electione, sive prædestinatione; consequenterq; est illius effectus. Secundò, quia gratia tunc intelligitur finalis, quando in ultimo vitæ instanti per gloriam consummatur, & eam assequitur; sed tunc est effectus prædestinationis juxta illud ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate*; ergo gratia finalis absolutè est effectus prædestinationis. Confirmatur, quia gloria est gratia consummata; sed ut gratia consummetur, debet usque ad finem vitæ durare, quod est esse gratiam finalem; ergo sicut gloria est effectus prædestinationis, ut infra dicemus, etiam illius effectus erit gratia finalis.

Dico 4. Donum perseverantiæ etiam est effectus prædestinationis. Ita *D. Aug. lib. de prædest. Sanctor. cap. 16. lib. de bono persever. cap. 7. 8. & 17. lib. de corrept. & grat. cap. 6. 7. 8. & 12. D. Prosper. lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 24. D. Hilar. in Epist. ad August. D. Fulgent. lib. 1. ad Monim. cap. 7. P. Soar. cit. n. 6. P. Ruiz cit. n. 5.* & alii. Probatur primò ex authoritate Cœlestin. *1. Epist. 1. cap. 11.* ibi: *Apostolicæ sedis inviolabiles sanctiones bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis perseverantiam ad Christi Domini gratiam referre docuerunt.* Et Trid. *Sess. 6. cap. 13.* decernit, *de perseverantiæ munere, de quo scriptum est. Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit, quod quidem aliundè haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, &c.* ex quibus constat ad perseverantiam requiri speciale auxilium gratiæ, quod solùm datur prædestinatis, qui salutem consequuuntur; ergo &c. 142.

Probatur secundò, quia donum perseverantiæ ultra gratiam sanctificantem includit specialia auxilia cõgrua tam interna, quàm externa, quibus Deus dirigit, & custodit electum, ne deficiat, saltem finaliter; sed tam hæc auxilia, quàm gratia sanctificans finalis sunt effectus prædestinationis, ut diximus; ergo etiam sic erit illud donum. Confirmatur, quia est medium supernaturale à Deo specialiter datum ad salutem in effectu consequendam; sed quod ita se habet est effectus prædestinationis; ergo &c. 143

Dices: Infantes neque possunt operari moraliter, neque peccare, neque indigent illis auxiliis, & dono perseverantiæ; ergo saltem in illis non habet locum præsens conclusio. Respondeo negando consequentiam; nam etiam suo modo eis competit, quatenùs ipsa mors in gratia habet quodãmodo rationem perseverantiæ juxta illud: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*: siquidem procedit ex speciali amore, & curâ Dei eos dirigentis ad talem finem âssequendum. Accedit, dato quod tale donum non competat infantibus, adhuc competere adultis, in quibus habet rationem effectus prædestinationis; neque enim dicimus debere competere omnibus prædestinatis, ut sit prædestinationis effectus; alioqui omnes prædestinationis effectus deberent sic competere omnibus prædestinatis, quod non est dicendum.

Dico 5. Gloria beatitudinis est effectus prædestinationis. Ita *D. Thom. hic q. 23. a. 2. & 5. Magist. in 1. dist. 40. Albert. 1. p. q. 63. membr. 1. Alexand. 1. part q. 28. memb. 4. a. 2. Richard. 1. dist. 40. a. 1. q. 1. Marsil. 1. q. 41. a. 1. notab. 2. 3. & 5. Gabr. dist. 41, q. unica, a. 3. dub. 1. ubi Greg. a. 1. Capreol. dist. 40. q. unica, a. 1. Caiet. Driedo, Soto, Zumel. P. Molin. hic q. 23. a. 2. d. 3. & a. 5. d. 1. memb. 6. P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 3. n. 2. P. Vasq. 1. p. d. 91. cap. 4. & d. 93 cap. 1. P. Bellarm. lib. 2. de grat. cap. 15. P. Valent. hic q. 23. pun. 3. P. Tanner. d. 3. q. 3. dub. 1. n. 8. P. Herice tr. 3. d. 30. cap. 4. n. 21. P. Ruiz d. 21. sect. 3. n. 2. P. Arrub. d. 84. cap. 2. n. 6. P. Alarcon. tract. 4. d. 4. cap. 2. n. 2. P. Arriaga d. 38. sect. 1. subsect. 2. n. 15. P. Rhodez tom. 1. d. 5. q. 2. sect. 7. §. 1. P. Compton. tom. 1. d. 44. sect. 1. n. 4.* & alii. Probatur primo ex illo ad Rom. 8. ubi D. Paulus inter prædestinationis effectus glorificationem enumerat. *Quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos* 145

hos & justificavit; quos autem justificavit, hos & glorificavit; ergo &c.

146. Dicent primò, hunc locum non esse intelligendum de gloria beatitudinis, sed de claritate bonæ famæ, & nominis, ut indicat verbum *Magnificavit*, quod est in alia lectione, & ut orabat Christus Dominus Joan. 17 ibi: *Clarifica me Pater*. Non placent primò, quia talis expositio est contra Sanctos Patres, & mentem D. Pauli, nam D. Paulus loquitur de gloria, quæ est per se debita justificationi, & maximè intenta per prædestinationem, qualis non est gloria illa accidentalis extrinseca, aut quia non spectat ad ordinem prædestinationis, aut quia est communis etiam reprobis, aut quia potest non esse in aliquibus prædestinatis. Et D. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 9. *Illa gloria*, inquit, *est hîc intelligenda, de qua idem dicit: Cùm Christus apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Et lib. de prædest. Sanctor. cap. 17. *Glorificavit*, inquit, *illo utique fine, qui non habet finem.* Secundò, quia licet ibi sumatur, prout pertinet ad gloriam beatitudinis accidentalem, hæc supponit essentialem, ex qua oritur, & si illa est effectus prædestinationis, multò magis erit hæc. Ad illam lectionem *Magnificavit*, dicimus in vulgata Sixti V. legi *Glorificavit*, quæ sola lectio retenta est.

147. Dicent secundò, hunc locum intelligendum esse de augmento gratiæ & virtutum, & de adoptione divina, ut ibi exponunt D. Chrysost. *hom. 15.* & alii Patres. Sed contra primò, quia licet aliqui Patres ita exponant, nullus ex illis excluſit glorificationem; imò cùm de *adoptione* loquuntur, intelligere videntur adoptionem perfectam, & consummatam; consummatur autem per glorificationem. Secundò, quia Apostolus ibi loquitur de illa gloria, de quâ dixit 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, &c. quæ præparavit Deus diligentibus se*; hæc autem est gloria beatitudinis.

148. Probatur secundò, quia qui efficaciter ordinat media ad aliquem finem in effectu consequendum, non solùm est causa applicationis mediorum, sed etiam assecutionis finis ipsius juxta illud, *Quidquid est causa causæ, est causa sui causati*; sed prædestinatio ordinat media efficaciter ad gloriam, ut ad finem in effectu consequendum: ergo non solùm erit causa applicationis mediorum, sed etiam assecutionis ipsius finis, nempè gloriæ; consequenterque hæc erit illius effectus. Confirmatur ab exemplo, quia ars Medicinæ ex eo, quod ordinet, & applicet efficaciter medicamenta ad corporis sanitatem in effectu consequendam, non solùm est causa illius applicationis, sed etiam istius assecutionis; ergo similiter dicendum de prædestinatione applicante media, & efficaciter intendente animæ salutem.

149. Probatur tertiò, quia gloria habet omnes conditiones, de quibus supra, ut sit prædestinationis effectus; siquidem est supernaturalis, effectus Dei, conducit actu ad beatitudinem, quatenùs actu, & formaliter illam causat in homine, procedit ex voluntate speciali glorificandi prædestinatum, & ex meritis Christi Redemptoris; ergo &c. Confirmatur, quia licet gloria sit finis prædestinationis, hoc non obstat, quominùs sit prædestinationis effectus; siquidem excepto ultimo fine, qualis est Bonitas Divina, quicumque alius finis Providentiæ Divinæ debet ab illa causari; ergo &c.

150. Oppositum tenet *Durand. in 1. dist. 41. q. 2. n. 10. & Carthag. discursu 3. dub. 2.* Pro quibus: Argues 1. Sola media sunt effectus prædestinationis: tum quia hæc definitur à D. Aug. prout supra diximus: *Præparatio beneficiorũ Dei, &c.* præparatio autem solùm est de mediis: tum etiam quia prædestinatio est pars subjectiva Providentiæ; hæc autem solùm est de mediis, non autẽ de fine, cujus intentionem efficacem supponit; sed gloria non est medium, sed finis prædestinationis, ut per se patet; ergo &c. Respondeo ad majorem, sola media esse effectus prædestinationis proximos, & immediatos; hoc autem non tollere, quominùs habeat alium remotum, & mediatum, qualis est ipsa gloria; nam si prædestinatio immediatè causat media, & media immediatè causant gloriam, etiam ratione illorum ipsa prædestinatio remotè, & mediatè causat ipsam gloriam juxta illud Philosophi: *Quidquid est causa causæ, est causa sui causati*: idemque quod dicimus de prædestinatione, dicendum est de Providentia: neque definitio D. Aug. contra hoc facit, ut consideranti patebit.

151. Instabis: Solùm id, quod conducit ad salutem est effectus prædestinationis; sed sola media conducunt ad salutem, & non ita conducit gloria; cùm sit ipsa salus; ergo sola media, & non ipsa gloria, sunt effectus prædestinationis. Respondeo omne illud, quod conducit ad salutem, aut efficienter, aut formaliter, esse effectum prædestinationis; gloria autem, licet non ita conducat efficienter, sicut media, conducit tamen formaliter, quatenùs recepta in prædestinato illum efficit formaliter glorioſum.

152. Argues 2. Glorificatio præter infusionẽ luminis, & productionem Visionis Beatæ, importat etiam unionem Essentiæ Divinæ in ratione speciei intelligibilis cum intellectu Beati; sed hanc non potest causare prædestinatio; siquidem effectus ordinatur ad prædestinatum, & ad illum non potest ordinari Essentia Divina, cùm potiùs ad illam ipse prædestinatus, & omnia alia ordinentur; ergo neque potest ipsam glorificationem causare; consequenterque hæc non est illius effectus. Respondeo negando minorem: illam enim causat eo modo, quo unitur; nam si perfectioni Essentiæ Divinæ non repugnat illa unio extrinseca cum intellectu creato, etiam non repugnabit, quod sic dicatur fieri à prædestinatione divina, & esse illius effectum.

153. Argues 3. Glorificatio est finis prædestinationis; ergo non potest esse ejus effectus; alioqui esset effectus sui ipsius; siquidem causaret media, & cùm media illam causent, etiam à se ipsa, saltem mediatè causaretur juxta illud: *Quidquid est causa causæ, est causa sui causati.* Respondeo negando consequentiam; neque enim implicat, quod una res sit causa, & effectus in diverso genere, etiam respectu ejusdem; sanitas enim est causa in genere causæ finalis respectu artis medicinæ, & est illius effectus in genere causæ efficientis; sicque similiter de glorificatione. Neque ex hoc sequitur, esse causam sui ipsius; siquidem causat media finaliter, & ab illis causatur efficienter, sicque in diverso genere, in quo non habet locum illud proloquium, sed solùm quando causant in eodem genere. Patet in prædestinatione ipsa formali, nempè actibus internis Dei, qui cùm applicent Omnipotentiam ad media producenda per auxilia congrua efficienter, & ipsa media etiam efficienter causent gloriam in executione, ipsamet gloria causatur etiam efficienter, saltem mediatè ab ipsa prædestinatione formali, cùm utraque causalitas sit in genere efficientis, aut physicè, aut moraliter; ideoque dicimus gloriam esse prædestinationis effectum.

Dico 6.

154. Dico 6. Non solùm gloria essentialis animæ, sed etiam gloria accidentalis corporis, & omnes aliæ proprietates consequentes ipsam gloriam, sive essentialem, sive accidentalem, sunt effectus prædestinationis. Ita *P. Soa. lib. 3. de prædest. cap. 3. n. 2. P. Arrubal. d. 84. cap. 2. n. 6. P. Ruiz. d. 21. sect. 3. n. 2 P. Alarcon. tr. 4. d. 4. cap. 2. n. 2.* & alii. Probatur primò, quia gloria essentialis, ut diximus, est effectus prædestinationis; ergo etiam sic erit gloria accidentalis, & omnes earum proprietates, quæ illas consequuntur; siquidem accessorium sequitur principale. Secundò, quia *quidquid est causa causæ, est causa sui causati*; sed prædestinatio est causa ipsius gloriæ essentialis, & hæc est causa gloriæ accidentalis, & utraque suarum proprietatum; ergo prædestinatio est etiam causa, saltem remota, tam gloriæ accidentalis, quàm illius proprietatum.

SECTIO VII.

Vtrùm mala pœnæ, & culpæ sint effectus prædestinationis?

155. Difficultas 1. Utrùm malum pœnæ sit effectus prædestinationis? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 8. num. 1.* & alii communiter. Probatur primò ex illo ad Philipp. 1. ibi: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini:* ubi comparatur fides cum malis pœnæ; sed fides est effectus prædestinationis; ergo etiam talia erunt mala pœnæ. Secundò, quia hujusmodi mala sunt simpliciter bona, ideoque non solùm à Deo permissa pro hoc statu naturæ lapsæ, sed etiam intenta; atqui quæ ita se habent, possunt à Deo præstari ex affectu beatitudinis, & prædestinationis; consequenterque esse ejus effectus; ergo &c.

156. Probatur 3. quia Martyrium est malum pœnæ; & tamen est beneficium Dei singulare, ac medium efficacissimum ad beatitudinem consequendam; consequenterque prædestinationis effectus; ergo &c. Quartò, quia remissio pœnæ peccatis debitæ, prout prædestinatis confertur in hac vita, ut gloriam citiùs assequantur, est prædestinationis effectus, ut nullus dubitat; & tamen per mala pœnæ frequenter comparatur; ergo hæc, saltem in radice, sunt effectus prædestinationis. Confirmatur, quia malum pœnæ unius hominis potest esse effectus prædestinationis alterius, si ei prosit ad salutem, ut sæpius fit; siquidem sæpius unus videns alterum patientem, excitatur ad actus virtutum exercendos, per quos gloriam in effectu assequitur; ergo &c.

157. Dices: Decretum pœnæ, cùm supponat culpam, pertinet ad voluntatem subsequentem; sed prædestinatio est voluntas antecedens; ergo ipsa pœna non potest esse effectus prædestinationis. Respondeo primò negando consequentiam; neque enim argumentum probat; siquidem cùm effectus supponat causam, nihil officit, imò requiritur, ut aliquid sit effectus, quod sit aliquid subsequens ipsam causam. Secundò, Deum ex intentione gloriæ inter alia media ad eam consequendam, potuisse eligere aliquid, quod supponat culpam, & hoc potuisse esse ipsum malum pœnæ satisfactoriæ; sicut etiam potuit eligere pœnitentiam, quæ etiam supponit peccatum, prout supra diximus.

158. Instabis: Si Deus eligeret mala pœnæ, ut media ad salutem, aut ea eligeret ante, aut post culpam prævisam in esse absoluto: Non primum; jam enim supra diximus, Deum non prædefinire pœnam, ut pœnam ante culpam absolutè prævisam: Non secundum; siquidem, cùm ipsa pœna sit medium propinquius fini, debet intendi priùs; ergo &c. Respondeo primò cum aliquibus, Deum eligere hujusmodi mala ante prævisam culpam in esse absoluto, sed post illam prævisam in esse conditionato, quod non reputant inconveniens, cùm sit in ordine ad majus bonum ipsius patientis.

Respondeo secundò, Deum ea eligere post culpam absolutè prævisam, & nullum esse inconveniens, quod tunc posteriùs eligat medium propinquius fini, quando illud priùs eligere repugnat illius Bonitati Divinæ: solùm enim tunc priùs eligit quod est propinquius, quando id non habet essentialem repugnantiam cum sua Bonitate. Addo ad verificandam conclusionem satis esse, si loquamur de malo pœnæ minùs rigorosæ, qualis est sola meritoria; non autem de illa, quæ est rigorosè satisfactoria. 159.

Difficultas 2. Utrùm malum culpæ, sive peccatum sit effectus prædestinationis? Advertes, malum culpæ, sive peccatum hîc considerari posse, aut secundùm malitiam formalem, aut secundùm suam entitatem physicam, & materialem, quam habet, & tunc aut prout ipsa materialitas procedit à peccatore; aut prout procedit à Deo; nihil enim reale physicum producitur in rerum natura, ad quod Deus non concurrat, saltem ut causa universalis. Hoc posito. 160.

Dico 1. Peccatum consideratum secundùm malitiam formalem non est effectus prædestinationis. De hoc nullus Catholicus dubitat. Ita *P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 8. n. 2. P. Vasq. 1. p. d. 93. cap. 2. P. Ruiz. d. 23. sect. 1. n. 1. P. Herice tract. 3. d. 30. cap. 6. n. 29.* & alii. Probatur primò, quia effectus prædestinationis est effectus proprius Dei; sed non ita est peccatum secundùm suam malitiam formalem, ut dicitur in Concil. Arausi. *cap. ult.* & in Trid. *Sess. 6. can. 7.* alioqui Deus diceretur specialis causa, & author peccati; ergo &c. Secundo, quia effectus prædestinationis debet actu conducere ad vitam æternam; sed non ita conducit peccatum secundùm malitiam formalem, imò potiùs ab illa avertat ad pœnam æternam; ergo &c. Tertiò, quia effectus prædestinationis debet à Deo intendi specialiter in ordine ad beatitudinem; sed non ita intenditur, neque intendi potest peccatum, imò à Deo positivè per nolitionem rejicitur juxta illud: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*; ergo &c. Quartò authoritate D. Aug. *lib. de prædest. Sanctor. cap. 10.* ubi dicit, Deum sola illa prædestinasse, quæ ipse facturus est; sed non est facturus peccatum, ut ejus author; ergo neque illud prædestinavit; consequenterque non est effectus prædestinationis. 161.

Dico 2. Peccatum consideratum secundùm suam materialitatem, prout hæc procedit à peccatore, etiam non est effectus prædestinationis. Ita *P. Soar. cit. P. Herice cit. P. Ruiz cit. n. 2. P. Alarcon. tr. 4. d. 4. cap. 5. n. 5.* & alii infrà citandi. Probatur primò, quia effectus prædestinationis debet esse specialiter à Deo, & ab eo volitus; sed materialitas peccati, prout est à peccatore non est à Deo, neque ab eo volita, imò prohibita; ergo &c. Secundò, quia ipsa materialitas peccati, prout est à peccatore, est causa proxima, & proximum fundamentum ipsius peccati; ergo si prout sic esset 162.

à Deo

à Deo, ab eo esset causa proxima, & proximum fundamentum peccati; sed hoc est impossibile; ergo etiam quod illa materialitas, prout sic sit à Deo; consequenterque quod sit prædestinationis effectus; siquidem cùm prædestinatio sit actus internus Dei, quod ab illa est, etiam est à Deo specialiter.

163. Dico 3. Peccatum consideratum secundùm suam materialitatem, etiam prout hæc procedit à Deo, non est effectus prædestinationis. Ita *P. Alarcon. tract. 4.. d. 4. cap. 5. num. 7.* Probatur primò, quia illud est prædestinationis effectus, quod Deus speciali voluntate positiva eligit ex intentione gloriæ, ut medium ad ipsam gloriam consequendam; sed non eligit ut sic eam peccati materialitatem, etiam in sensu proposito; siquidem Deus de se est absolutè indeterminatus ad eam, & solùm ad illam concurrit per voluntatem permissivam determinatus, seu potiùs attractus à causâ secundâ; ergo neque ut sic est effectus prædestinationis.

164. Probatur secundò, quia si peccatum, prout sic esset effectus prædestinationis, aut talis esset ut habet conjunctam malitiam formalem; aut ipsius peccati materialitas per se nudè sumpta: Non primum, alioqui ipsa malitia formalis, saltem connotativè, esset effectus prædestinationis, quod dicere, hæreticum est: Non secundum, quia ut sic non inservit ad beatitudinem consequendam, neque physicè, cùm eam physicè non producat, neque moraliter, quia cùm non sit actus bonus, non potest esse causa meritoria illius; ergo nullo modo potest esse prædestinationis effectus.

165. Probatur tertiò, quia ita se habet ipsa materialitas, prout procedit à Deo, atque se habent Cœli, & aliæ entitates naturales, quæ à Deo procedunt, & sunt effectus creationis, aut ipsi creationi debentur, & à Deo dantur ut ab authore naturæ, & non ex gratia Christi; sed hujusmodi entitates non sunt prædestinationis effectus; ergo neque illa materialitas, sive entitas materialis peccati, talis erit; & à fortiori, cùm Deus ad illas concurrat voluntate positivâ, & non ita ad hanc, sed solâ permissivâ.

166. Oppositum tenent aliqui Recentiores, quos tacito nomine refert *P. Alarcon cit. n. 6.* & tenet *P. Gil.* hîc in manu scriptis *d. 5. sect. 4.* pro quibus. Objicies 1. Illud, cui competunt conditiones requisitæ, ut sit prædestinationis effectus, non potest non esse illius effectus; sed ita competunt materialitati peccati, prout sic consideratæ; siquidem est à Deo; potest inservire ad salutem, quatenùs potest excitare prædestinatum, saltem ad actum fidei, quo credat, Deum esse Causam Primam, sicque de aliis; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, talem materialitatem esse quidem à Deo voluntate tantùm permissivâ determinatâ à voluntate creatâ liberè operante; non autem voluntate positivâ eam eligente ut medium ad salutem, quod erat necessarium, ut esset prædestinationis effectus. Deindè quod ex illa possit prædestinatus moveri ad illum actum fidei, parum refert; siquidem ad illum potest etiam moveri à creatione Cœlorum, aliarumque rerum naturalium; & tamen nullus dicit, ipsam creationem nobis fuisse datam ex speciali electione ad gloriam, neque esse prout sic prædestinationis effectum.

167. Objicies 2. Materialitas illa, prout sic considerata, potest esse materia timoris, & cautelæ, quatenùs prædestinatus in illa videt, se posse à Deo deseri, & suæ malitiæ tradi: sic etiam potest esse materia pœnitentiæ, humilitatis, & causa confessionis, & confusionis; licet enim ut sic non sit culpa formalis, est saltem materialis, seu materia culpæ, quatenùs peccator malè utitur entitate physica, sive Dei concursu, illum inficiendo malitiâ formali, sicque erit materia saltem remota pœnitentiæ; sicut gladius parricidio inserviens est postea materia pœnitentiæ, & lacrymarum occasio; ergo ut sic potest etiam esse à Deo efficaciter intenta ex affectu beatitudinis consequendæ; consequenterque esse prædestinationis effectus.

168. Respondeo negando cõsequentiam; neque enim omne illud, quod est causa aliquo modo alicujus medii ad beatitudinem consequendam, dicitur prædestinationis effectus; siquidem ipsamet malitia formalis, & hæc eadem materialitas peccati, prout procedit à peccatore, possunt esse causa illorum, & plurium aliorum actuum; & tamen non sunt prædestinationis effectus, ut diximus, quia à Deo positivè non amantur, neque eliguntur; sicque similiter de ipsa materialitate, prout procedit à Deo, licet ad eos actus inserviat; alioqui dicamus Tyrannorum peccata esse effectus prædestinationis, quia aliquo modo inserviunt ad Martyrum beatitudinem.

169. Objicies 3. Ideò ipsa materialitas, prout sic, non esset effectus prædestinationis, quia ad hoc deberet Deus eam velle, non autem potest illam velle ut sic, quin etiam velit ejus malitiam juxta proloquium: *Qui vult antecedens, vult etiam consequens*; sed potest velle ipsam materialitatem, quin velit ejus malitiam; siquidem illa malitia non est connexa cum materialitate peccati, prout hęc est à Deo, sed tantùm prout est à peccatore; ergo &c.

170. Respondeo negando minorem, ad probationem dicimus, malitiam de facto non esse connexam cum ea materialitate, prout procedit à Deo; siquidem Deus eam non vult positivâ voluntate se ad illam determinando, sed solùm voluntate permissivâ, quatenùs ut Causa Universalis sequitur determinationem voluntatis creatæ: at verò si Deus eam vellet positivè, & voluntate speciali eam eligeret, ut medium ad salutem, quod necessarium erat, si esset prædestinationis effectus, tunc non posset non etiam velle ipsam malitiam formalem; siquidem non ex alio capite eam vult ipse peccator; cùm autem hoc sit impossibile, etiam impossibile est, quod ipsa materialitas prout sic sit prædestinationis effectus.

171. Objicies 4. ex D. Paul. ad Rom. 8. ibi: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; sed hæc propositio est universalis, ut patet ex verbo *omnia*; ergo debet intelligi etiam de peccatis, saltem in sensu proposito. Respondeo talem propositionem, licet universalis, intelligendam esse de omnibus illis, quæ sunt, & possunt esse speciales effectus Dei, & ab eo voliti positivè; tale autem non est peccatum, etiam prout sic consideratum, ut patet ex dictis.

SECTIO VIII.

Utrum permissio peccati sit prædestinationis effectus?

172. RESOLUTIO sit: Permissio peccati, tam proprii, quàm alieni potest esse, & sæpiùs est effectus prædestinationis. Ita *D. Thom. D. Anselm. P. Soar. lib. 3. de prædest. cap. 8. num. 4.* quam sententiam dicit, frequentiùs hoc tempore sequi Recentiores Theologos. *P. Tanner. d. 3. q. 3. dub. 3. n. 4. P. Ruiz. d. 23. sect. 1. n. 6. & 7. P. Arriaga d. 38. sect. 3. P. Amicus d. 15. sect. 5. n. 172. P. Granad. tract. 6. d. 5. n. 7. P. Molin. Bannez Carthag. Zumel. P. Fasol. q. 23. aat. 2. dub. 4. P. Rhodez d. 5. q. 2. sect. 7. §. 3.* & alii. Probatur primò authoritate Scripturæ Psal. 57. ibi: *Lætabitur justus, cùm viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*: ubi D. August. *Justus*, inquit, *qui videt vindictam peccatoris, profecit, & mors unius valet ad vitam alterius.* Et ad Rom. 11. 11. Ubi loquens Apostolus de peccato Judæorum sic ait: *Nunquid sic offenderunt, ut caderent? Absit. Illorum delicto salus est gentibus*: quibus ex locis constat, Deum assumere permissionem peccati ut medium ad salutem; sed quæ Deus sic eligit sunt prædestinationis effectus; ergo &c.

173. Probatur secundò ratione, quia tali permissioni competunt omnes conditiones supra assignatæ; siquidem est eo modo, quo fieri potest, effectus Dei, actu utilis ad salutem per martyrium, pœnitentiam, humilitatem, cognitionem propriæ miseriæ, majorem curam, ac diligentiam in obediendo Deo, aliasque virtutes indè ortas; deindè ex tali fine potest à Deo intendi, & de facto sæpius intenditur ab ipso Deo, & propter talem finem dicitur supernaturalis quoad modum; ergo non potest non esse prædestinationis effectus, cùm habeat omnes conditiones ad id requisitas.

174. Confirmatur primò, quia cùm permissio, formaliter loquendo, consistat in negatione auxilii, quod Deus prævidet futurum efficax ad vitandum peccatum, sæpè negatio talis auxilii in hac, aut illa circumstantia, ex qua prævidet postea infallibiliter orituram pœnitentiam, aliosque actus ad salutem inservientes, qui aliter non haberentur, non est minùs gratia, quàm est collatio ipsius auxilii efficacis in aliis occasionibus; neque minùs procedit à Voluntate Dei; sicut enim Deus liberè dat tale auxilium, ita etiam liberè non dat, sive negat; sed collatio talis auxilii ex eo, quod sit gratia specialis, est effectus prædestinationis; ergo etiam cùm illa negatio sit in illis occasionibus specialis gratia, erit etiam prædestinationis effectus.

175. Confirmatur secundò, quia Deus, ut ait D. Damascen. *lib. 2. de fide cap. 29.* aliquando vult permittere peccatum propter suam gloriam, juxta illud ad Rom. 8. *Ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, sustinuit in multa patientia vasa iræ*, & sic etiam permisit peccatum Adæ, ut in procuranda hominum salute suam Sapientiam, & Misericordiam manifestaret: aliquando propter aliorum salutem, & utilitatem juxta illud 2. Reg. 16. *Dominus præcipit illi, ut maledicat ..... Si forte respiciat Deus humilitatem meam.* Et Gen. 45. & 50. *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum*: aliquando propter propriam utilitatem juxta illud 1. ad Tim. 1. *Tradidit illum Satanæ* (id est permisit tentationem,) *ut discat non blasphemare.* Et D. Aug. *lib. 14. de Civit. cap. 13. Audeo*, inquit, *dicere, superbis utile esse cadere in aliquod manifestum peccatum, ut sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant*: Idem habet *lib. de corrept. & grat. cap. 9. & lib. Soliloq. cap. 28. & D. Bern. serm. 23. in Cant. & D. Greg. lib. 2. Mor. cap. 27.* sed quæ Deus ita vult, potest specialiter intendere ex intentione gloriæ dandæ; quæ autem sic intendi possunt, sunt prædestinationis effectus; ergo &c.

176. Confirmatur tertiò, quia permissio peccatorũ in reprobis est effectus reprobationis, ut infra dicemus; ergo à fortiori in prædestinatis erit effectus prędestinationis; siquidem magis dignũ est Sapientiâ, & Bonitate divinâ mala permittere ex intentione efficaci majoris boni, & utilitatis in amicis, quàm ex intentione puniendi in inimicis, ut ait D. Aug. *lib. de corrept. & grat. cap. 10. Scivit*, inquit, *Deus magis ad suam omnipotentissimam bonitatẽ pertinere etiam de malis benefacere, quàm mala esse non sinere.* Accedit quod hic sit melior modus providendi prædestinatis, & indicium majoris amoris erga illos, quatenùs circa illos non solùm nihil omninò facit, sed etiam nihil omninò permittit, nisi propter efficacem intentionem prædestinationis.

177. Oppositum tenent *P. Vasq. 1. p. d. 93. cap. 2. n. 9. P. Herice tract. 3. d. 30. cap. 6. num. 42. P. Arrub. d. 82. cap. 2. n. 3. P. Becan. cap. 14. conclus. 1. & 2. P. Alarcon. tract. 4. d. 4. cap. 5. n. 21. P. Præposit. q. 23. art. 8. dub. 6. n. 57. P. Compton. tom. 1. d. 44. sect. 3. num. 2.* & alii: pro quibus: Argues 1. Prædestinatio, ut diximus ex D. Aug. est præparatio beneficiornm, & gratiæ efficacis; sed permissio peccati, neque est beneficium, neque gratia, cùm potius sit negatio beneficii, & gratiæ; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: neque est beneficium, neque gratia secundùm quod habet ab intrinseco; concedo minorem: de se enim est indifferens ad bonum, aut malum finem: secundùm ordinationem extrinsecam, quam habere potest in ordine ad salutem; nego minorem: Deus enim sæpius prævidet orituram ex illa pœnitentiam, & contritionem finalem, eamque ex tali fine intendit. Patet à simili, quia etiam interesse morti amici, aut in se citiùs mori in gratia finali, non est beneficium, neque gratia; & tamen si ex illis intendantur salus, & evitatio mortis in peccato juxta illud: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*: erunt beneficia, & gratia specialis, consequenterque prædestinationis effectus, ut supra diximus; ergo similiter de permissione peccati.

178. Argues 2. Permissio peccati est carentia gratiæ, cùm sit negatio auxilii efficacis ad peccatum vitandum; ergo non potest esse signum ipsius gratiæ; consequenterque neque effectus prædestinationis. Respondeo permissionem esse carentiam alicujus tantùm gratiæ, non tamen omnis gratiæ; sicque licet non sit signum auxilii efficacis, cujus est carentia, potest esse signum alicujus alterius gratiæ, nempè pœnitentiæ, humilitatis, & confusionis, quæ ex illa oriri possunt, & Deus velle ex intentione salutis.

179. Instabis: Hæ, & similes aliæ virtutes possunt aliundè obtineri; ergo non est cur propter illas ametur à Deo ipsa permissio peccati. Respondeo negando consequentiam; nam ut aliquid sit prædestinationis effectus, non opus est, quod sit medium unicè necessarium ad salutem consequendam, sed sufficit, quod ad illam conducat; alio-

qui

qui nulla res supernaturalis in particulari esset effectus prædestinationis; siquidem sine hac, vel illâ posset ipsa gloria obtineri: cùm autem permissio conducat ad salutem, ut patet ex dictis, erit prædestinationis effectus, licet ipsa salus posset alioqui obtineri per pœnitentiam, & alios actus aliundè acquisitos.

180. Argues 3. Nobis licet petere à Deo omnes prædestinationis effectus, & pro illis gratias Deo agere; sed non ita licet petere permissionem peccatorum, cùm potiùs jubeamur oppositum petere: *Et ne nos inducas in tentationem*: neque pro illa debemus gratias agere; ergo &c. Respondeo primò negando consequentiam: nos enim solùm possumus amare, petere, & gratias agere pro illis prædestinationis effectibus, qui nostram non involvunt malitiam, & peccatum; cùm autem sic infallibiliter involvat permissio peccati, ideò non possumus eam amare, neque petere, neque pro illa gratias agere; strictiùs enim tenetur quisque vitare in se, quàm in aliis occasiones peccati, & illud non permittere; ideoque Deus potest illud in nobis permittere, non ita tamen nos possumus in nobis illud permittere, cùm illud sic permittere, sit peccare, quod vitare tenemur.

181. Respondeo secundò cum *P. Herice cit. num. 38. P. Alarcon. cit. n. 62.* & aliis, negando minorem, si permissio sumatur, non ut connexa cum peccato, sed illo conditionatè supposito, sed ut est connexa cum heroica pœnitentia, humilitate, & similibus actibus, sicut à Deo amatur, & intenditur; nam prout sic est aliquid bonum ad salutem, ego autem possum amare, & petere quidquid mihi est bonum ad salutem, non attendendo ad peccatum. Neque contra hoc aliquid petimus in Oratione Dominica, sed tantùm non induci in tentationem, id est, tentatione non seduci, sive quod Deus non permittat, nos in illis constitui occasionibus, in quibus prævidet in peccatum casuros. Addo cum *P. Arriaga tom. 3. de Actibus humanis, d. 19. n. 64.* posse nos amare, & petere à Deo peccati permissionem, quatenùs est voluntas dandi auxilium sufficiens absolutè, non tamen quatenùs includit denominationem sumptam ex non futura hominis, & illius voluntatis cooperatione, sic enim esset amare peccatum.

182. Argues 4. Christus Dominus applicavit sua merita pro omnibus prædestinationis effectibus, eos nobis postulando; sed non ea applicavit pro permissione peccati, & negatione auxilii efficacis, eas nobis postulando; ergo &c. Respondeo negando minorem; nam Christus Dominus applicavit sua merita pro permissione peccati, eam nobis postulando eo modo, quo illa à Deo fuit amata, & electa ut prædestinationis effectus.

183. Argues 5. Ut permissio peccati sit prædestinationis effectus, debet à Deo eligi ut utilis ad salutem; sed non potest sic eligi; siquidem redditur utilis per peccatum, imò per illud ut futurum constituitur formaliter in ratione permissionis; Deus autem nequit amare peccatum; ergo &c. Respondeo ad majorem, debere eligi quà utilem utilitate remotâ, non formaliter, & reduplicativè, sed tantùm materialiter, & specificativè, quatenùs scilicet per Scientiam Mediam videtur utilis, non ob aliquam necessariam connexionem, quam habeat cum ipsa utilitate remota, sed quàm habeat ex malitia, & libera hominis determinatione conditionata, per quam infallibiliter, non necessitate antecedente, sed consequente ponetur extra causas.

Neque in hoc datur aliqua repugnantia; siquidem de facto, ut communiter admittitur, Deus eligit permissionem unius peccati minoris, ut alia plura, & majora evitet, quam tamen non eligit reduplicativè quà utilem, amando ipsam utilitatem, sed tantùm specificativè, quatenùs scilicet per Scientiam Mediam, suppositâ determinatione hominis conditionatâ, eam videt utilem. Ad illud, quod additur de constitutione permissionis per peccatum, dicimus, non constitui per illud formaliter, sed per donationem concursûs indifferentis, & auxilii sufficientis cum negatione auxilii congrui connotando ipsum peccatum conditionatè futurum cognitum per Scientiam Mediam indirectè, & in obliquo. Dixi supra *utilitate remotâ*, quia proximè est etiam utilis ad salutem per pœnitentiam, & alias virtutes, secundùm quam utilitatem potest amari reduplicativè. 184.

Argues 6. Permissio peccati non potest eligi efficaciter, quin etiam sic eligatur pœnitentia, per quam conducit ad salutem; sed Deus nequit sic eligere pœnitentiam; alioqui saltem mediatè eligeret ipsum peccatum, quod ipsa pœnitentia supponit; ergo &c. Respondeo primò negando minorem, & ejus probationem, ut latè probavimus supra *d. 2. à n. 661.* nam electio, & prædefinitio pœnitentiæ non est voluntas positiva peccati, sed tantùm permissiva, cùm hæc tantùm requiratur, & sufficiat ad pœnitentiam ipsam ex peccato secuturam. 185.

Respondeo secundò cum *P. Soar. cit. à num. 14.* negando majorem: potest enim, inquit eligi ut inserviens ad humilitatem, quæ etiam sine peccato haberi potest, & si aliquando illud supponit, id est tantùm per accidens. Non placet *P. Arriaga cit. num. 26.* nam quando Deus eligeret ipsam permissionem in ordine ad humilitatem; aut hæc humilitas esset aliqua indeterminata, & in communi abstrahens ab illa, quæ oritur ex cognitione proprii peccati, & ex cognitione alicujus imperfectionis physicæ; aut esset illa, quam homo determinatè elicit ex cognitione proprii peccati: Non prima; siquidem permissio peccati ad eam non determinat, neque Deus habet talem actum ad ipsum objectum confusum, & indeterminatum: Si secunda, talis humilitas non minùs supponit peccatum, quàm pœnitentia; ergo si permissio non potest amari in ordine ad hanc, quin etiam ametur peccatum, etiam non poterit amari in ordine ad illam, quia etiam amabitur peccatum: aut si potest sic amari in ordine ad illam, etiam poterit sic amari in ordine ad pœnitentiam. 186.

Argues 7. Permissio peccati non est aliquid positivum, sed negativum; cùm sit negatio auxilii efficacis; sed prædestinationis effectus debet esse aliquid positivum; ergo &c. Respondeo negando minorem; nam mors justi est negatio; siquidem est privatio vitæ; & tamen data in hac, aut illa occasione, in quâ decedit cum gratiâ finali, ad vitandum in alia mortem æternam, est effectus prædestinationis, ut supra diximus. 187.

Argues 8. Deus non potest amare peccatum, neque illud eligere ut medium ad salutem; ergo neque sic poterit amare, neque eligere ejus permissionem; consequenterque hæc non potest esse prædestinationis effectus. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia peccatum de se est malum; & non ita est ejus permissio, sed de se est indifferens ad bonum, aut ad ma- 188.

lum juxta finem intentum, qui si fuerit honestus, qualis est beatitudo, ad quam ipsa permissio potest ordinari, etiam illa honesta erit, & ut talis poterit à Deo eligi, & amari.

189. Instabis: Deus non potest amare permissionem peccati, ut permissio est; alioqui cùm permissio ut sic dicat donationem auxilii sufficientis, ut sufficiens est, & hoc ut sic dicat negationem consensûs, hæc autem formaliter sit peccatum, si Deus vellet tale auxilium ut sic, vellet etiam peccatum; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Respondeo negando majorem, ad cujus probationem dicimus, Deum tribuere illud auxilium positivè, quatenùs habet sufficientiam ad ponendum consensum, & non positivè, sed tantùm permissivè, quatenùs habet negationem illius; quæ negatio cùm non sit per se annexa ipsi auxilio, sed tantùm ex mala, & libera hominis determinatione, quam Deus prævidet per Scientiam Mediam, ideò non sequitur, quod Deus, licet velit tale auxilium ut sic, velit etiam ipsum peccatum.

190. Argues 9. Illud, cujus oppositum est de se majus bonum, non potest esse beneficium; sed auxilium efficax ad vitandum peccatum est majus bonum, quàm illius negatio. quæ in permissione ipsius peccati reperitur; ergo hæc non potest esse beneficium; consequenterque neque prædestinationis effectus. Respondeo majorem esse absolutè falsam; nam secundùm se majus bonum est vita temporalis, quàm ejus carentia; bona valetudo, quàm ejus carentia; & habere esse, quàm illud non habere; & tamen quia hîc, & nunc cujuslibet negatio utilior est ad vitam æternam, ideò majus bonum reputatur juxta illud Christi Domini de Juda, Matth. 26. ibi: *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.*

191. Patet ratione, quia cùm bonitas cujuslibet rei desumenda sit in ordine ad subjectum ratione finis, ad quem ei magis inservit, accidere potest, quod una res, quæ secundùm se melior erat ad aliquem finem inferiorem, non ita sit in ordine ad alios fines superiores, sed ad hos magis inserviat ejus negatio, in quo eventu hæc reputabitur majus beneficium, ut reputatur in exemplis adductis. Undè ad minorem argumenti dicimus, vocationem congruam posse quidem esse utiliorem ad vitandum peccatum furti v. g. & non ita esse utiliorem ad actus pœnitentiæ, humilitatis, & similes, ad quos potest magis inservire ejus negatio, & illi magis inservire ad salutem, in quo eventu hîc, & nunc majus beneficium erit ejus negatio, quàm ipsa vocatio congrua.

DISPUTATIO V.

De Reprobatione.

SECTIO I.

Quid sit, & an detur in Deo Reprobatio?

Difficultas 1. Qualia sint reproborum nomina? Dico 1. Eorum, qui damnantur, plura sunt in Sacris Litteris nomina: dicuntur enim odio habiti, vasa contumeliæ, & iræ apta in interitum. Rom. 9. dicuntur etiam *despecti*, Eccles. 7. Psalm. 26. & 137. *expulsi*, Luc. 13. *repulsi*, Rom. 11. Proverb. 14. Psal. 118. & 87. *projecti*. Jerem. 6. *foras ejecti*, *missi*, & *expulsi*, Joan. 6. & 15. & Matt. 13.

Dico 2. Hoc nomen *reprobus* in Scriptura solet usurpari absolutè pro improbo, seu peccatore, ut constat Eccles. 9. ibi: *Speciem mulieris multi admirati, reprobi facti sunt.* Et 1. Cor. 9. *Ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Et 2. Cor. 13. *Nisi fortè reprobi estis.* Et 2. Tim. 3. *Reprobi circa fidem.* Et ad Hebr. 6. *Proferens spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima*: Nunquam tamen invenitur expresè sumptum ad significandos damnatos ad pœnam æternam, ut notat *P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 1. num. 1. & P. Vasq. 1. part. d. 96. cap. 4.* sed à Theologis transfertur ad illos significandos, sive sint damnati ad solam pœnam damni, ut sunt qui cum solo originali decedunt, sive etiam ad pœnam sensûs, ut qui decedunt cum peccatis personalibus, sicque apud Scholasticos idem est reprobus, atque damnatus.

Dico 3. Duo sunt frequentiora nomina, quibus Scholastici solent quoslibet non prædestinatos appellare: Primum est nomen *reprobus*, quod adæquatè correspondet reprobationi, quatenùs hæc potest accipi non solùm pro scientia judicantis aliquid esse malum, sicque dignum ut rejiciatur; sed etiam pro libera electione voluntatis decernentis aliquid ut malum, & indignum rejicere; quæ duæ significationes colliguntur ex significatione approbationis juxta illud Actor. 2. *JESVM Nazarenum Virum approbatum.* Secundum nomen est *præscitus*, non quia prædestinatos Deus non præsciat, cùm prædestinatio sit ipsa scientia approbationis; & Deus specialiter eos agnoscat, & præsciat, ut patet ex illo Joan. 10. *Cognosco oves meas.* Et ad Rom. 11. *Non repulit Dominus plebem suam, quam præscivit.* Et 2. Tim. 2. *Novit Dominus qui sunt ejus*: sed quia restringitur ad perditos, quasi eorum distinctivum à prædestinatis, ea ratione, quâ solemus distinguere, & vocare animalium nomine ea, quæ sunt irrationabilia, & distinguuntur ab homine, licet homo sit etiam animal. Quamvis autem inter Scholasticos *præsciti* absolutè dicti, solùm intelligantur reprobi; nihilominus præscientia absolutè dicta, non solet pro reprobatione usurpari.

Difficultas 2. Utrùm in Deo detur reprobatio? Affirmativè. Est de fide. Ita *P. Soar. lib. 5. de prædest.*

dest. cap. 1. n. 1. P. Vasq. 1. p. q. 23. a. 3. in comment. P. Ruiz d. 2. sect. 2. n. 1. P. Herice tract. 3. d. 32. cap. 1. n. 3. P. Arrub. d. 87. cap. 1. n. 1. P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 1. n. 2. P. Præposit. q. 23. a. 8. n. 96. P. Granad. tract. 4. d. 2. n. 2. P. Arriaga d. 39. sect. 1. n. 1. P. Compton. tom. 1. d. 45. sect. 1. n. 1. P. Rhodez d. 5. q. 3. sect. 1. & alii. Probatur primò ex Scriptura ad Rom. 9 & Malach. 1. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et infra: *An non habet potestatem figulus ex eadem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Et 2. Tim. 2. *In magna autem domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Et Matth. 13. *Sic erit in consummatione sæculi, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in camino ignis.* Et cap. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, &c.*

Probatur secundò ex Concil. Valent sub Lothario cap 3. ibi: *Fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & perditionem impiorum ad mortem*; ergo &c. Probatur tertiò ratione, quia fides docet, quosdam periisse, atque damnatos esse; alios etiam perituros, & damnandos esse, non est dubium; sed nullus periit, neque peribit sine Dei reprobatione, sicut nullus felicitatem æternam consequitur sine Dei approbatione, & prædestinatione; ergo de fide est esse reprobationem in Deo.

Oppositum tenuerunt aliqui hæretici, qui etiam negarunt Prædestinationem Divinam: Argues 1. Scriptura Sap. 11 dicit de Deo: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*; si autem Deus aliquem reprobaret, illum odio haberet. Deinde Concil. Arausic. 2. can. 25. & Trid. sess. 6. cap. 17. damnant eos, qui dicunt, Deum prædestinare aliquem ad malum, sicut prædestinat ad bonum; ergo in Deo non datur destinatio ad malum, sive reprobatio. Respondeo cum D. Thom. ad illud Scripturæ, Deum omnia quidem diligere, in quantùm omnibus vult aliquod bonum, non tamen quod omnibus velit omnia bona, sicque aliquibus non vult bonum salutis æternæ, & in quantùm illud non vult, dicitur eos odio habere. Vel dic, Deum nullum odio habere, antequam videat ejus demerita, eos tamen odio habuisse post illa prævisa. Ad Concil. cit. dicimus, ea loqui de prædestinatione ad malum culpæ, non autem ad malum pœnæ, quod solùm est terminus reprobationis: aut si de hoc etiam loquantur, loqui de prædestinatione positivâ ante prævisa demerita.

Argues 2. Ideò in Deo admitteretur reprobatio, quia per illam manifestarentur Divina Misericordia in electis, Justitia in reprobis, & defectibilitas libertatis in hominibus; sed hæc omnia sine illa manifestarentur; siquidem in electis manifestaretur Misericordia ratione electionis gratuitæ; in impiis Justitia ratione punitionis temporalis; & defectibilitas libertatis ratione commissionis peccatorum; ergo non debet in Deo admitti. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus non inde perfectè manifestari; neque enim perfectè manifestaretur Misericordia in electis, quia perfectiùs manifestatur in electione eorum præ aliis; neque Justitia vindicativa in punitione temporali pro peccatis, quæ æternam merentur; neque defectibilitas libertatis, quia non deveniret ad impœnitentiam finalem, & ultimam defectibilitatem ab ultimo fine.

Argues 3. Si in Deo daretur reprobatio, sequeretur; Primò, Christum Dominum non esse mortuum pro omnibus; siquidem ejus mors reprobis non prodesset: Secundò, non offerri sufficienter omnibus salutem; siquidem reprobis deesset prædestinatio ad illam; sicque Deum esse personarum acceptorem; sed hæc non sunt admittenda; ergo neque illud ex quo sequuntur. Respondeo negando utramque sequelam: ad primam enim dicimus, Christum Dominum pro omnibus obtulisse suam mortem quoad sufficientiam, licet non ita quoad efficaciam, quam sic pro solis electis obtulit. Ad secundam dicimus, omnibus dari auxilia sufficientia ad salutem consequendam, quam si reprobi non assequuntur, solùm est ex defectu libertatis, & cooperationis eorum, non autem Misericordiæ Divinæ, ideoque jam supra diximus prædestinationem non esse omninò necessariam ad salutem consequendam.

Argues 4. Si in Deo daretur reprobatio, sequeretur, dari contrarietatem in Voluntate Divina, & frustrari Providentiam divinam supernaturalem; siquidem illa vult omnes creaturas rationales in vitam æternam transmittere, volendo eas omnes salvas fieri; reprobatio autem non ita vult, imò è contra vult aliquas salvas non fieri, in quo providentia aberraret à fine supernaturaliter intento; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando majorem: solùm enim datur contrarietas, quando respicitur idem objectum eodem modo consideratum, quod hîc non fit; siquidem Deus solùm per voluntatem simplicem vult omnes homines salvos fieri, considerando illos absolutè, & secundùm se sine demeritorum circumstantiis; quibus tamen jam prævisis, ex intentione manifestandi sua Attributa vult efficaciter, aliquos salvos non fieri, in quo eventu, cùm varientur circumstantiæ actuum, & objectorum, nulla datur contrarietas, licet detur frustratio illius Voluntatis divinæ; neque enim id est aliquod inconveniens, cùm talis voluntas sit inefficax; neque aliquis defectus arguitur in Deo, cùm frustratio illa non sit ex defectu scientiæ, aut potentiæ in Deo, sed ex malitia, aut defectu cooperationis, & libertatis creatæ, cui Deus commisit determinationem, & reliquit in manu consilii sui. 9.

Argues 5. Si in Deo daretur reprobatio, sequeretur, dari librum mortis reprobationi correspondentem; sicut datur liber vitæ prædestinationi correspondens; sed liber ille mortis non admittitur; ergo neque reprobatio. Respondeo negando sequelam; diversa ratio est, quia ex D. Thom. solùm scribuntur in libro, qui eliguntur, non autem qui repudiantur; & cùm soli prædestinati eligantur, reprobi enim repudiantur, ideò soli illi, & non isti dicuntur scribi in libro; consequenterque dari librum vitæ prædestinationi correspondentem, non autem librum mortis correspondentem reprobationi. Deindè quiscribuntur in libro, ideò scribuntur, ut ante oculos versentur, & de illis recordetur Deus; Deus autem de solis electis, & non de reprobis recordatur, ex illo Eccles. 39. 13. *Non recedet memoria ejus*: ubi de electis: Et ex illo Psal. 15. 4 *Nec memor ero nominum eorum*: ubi de reprobis: & solos electos, non autem reprobos præ oculis habet; ideoque reprobi potiùs dicuntur deleri de libro vitæ, quod idem est, atque amittere gratiam Dei finalem, imò & temporalem, ad quam extenditur ipsum deleri de libro vitæ. 10.

Inferes: Ergo non poterit homo petere deleri de libro vitæ; cùm tamen Moyses id postulaverit: Exod. 32. *Dele me de libro tuo*: & D. Paulus etiam postularit anathema esse pro fratribus suis: ad 11.

Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Respondeo concedendo illationem, quia id esset petere amissionem gratiæ, quod nulli licet. Neque Moyses id postulavit, sed locutus est, aut per exaggerationem, aut de libro, in quo Viri illustres scribebantur. Et D. Paulus, si postulavit anathema esse, id est, ad inferos detrudi, id intelligebat conservando, non autem amittendo amicitiam, & gratiam Dei. Hæc interim, infra enim latiùs de hac re.

12. Difficultas 3. Utrùm reprobatio fuerit in Deo absolutè, & simpliciter necessaria: aut saltem aliquo modo conveniens? Dico 1. Reprobatio non fuit in Deo absolutè, & simpliciter necessaria. Ita *P. Ruiz d. 2. sect. 2. n. 3.* & alii. Probatur primò, quia reprobatio, ut infrà dicemus, est actus Dei liber; sed quod est liberum potest non esse; quod autem potest non esse, non est absolutè, & simpliciter necessarium; ergo &c. Secundò, quia Deus potuit nullam creaturam creare: omnes homines, & Angelos in gratia perpetuò conservare: homines in statu naturæ lapsæ ad gloriam perducere, eos majoribus, & magis copiosis illustrationibus, & auxiliis invitans, protegens, & ad gloriam perducens; sed in his eventibus nullus esset reprobationi locus; ergo &c. Confirmatur ex D. August. *lib. de prædest. Sanctor. cap. 8.* ibi: *Cur non omnes docet, ut veniant ad Christum, nisi quia omnes, quos docet, misericordiâ docet: quos autem non docet, judicio non docet; quoniam cujus vult, miseretur, & quem vult obdurat*: ex quo patet reprobationem non necessariò, sed liberè Deo evenire; ergo &c.

13. Dico 2. Reprobatio fuit in Deo quodammodo necessaria quoad aliquos. Ita *P. Ruiz cit. n. 6.* Probatur primò, quia Voluntas Divina infallibiliter eligit optimum modum providendi; sed hic requirit aliquorum reprobationem: Primò, ut appareat Universi varietas: Secundò, ut magis exerceatur hominum libertas, & providentiæ suavitas juxta rerum naturas: Tertiò, ut experientia doceat evidentiùs, quàm debiles sint naturæ vires, & quanta gratiæ necessitas: Quartò, ut magis eluceret beneficium prædestinationis cum miseriâ reprobationis collatum: Quintò ob multa bona, quæ Deus colligit ex permissione peccatorum, & perditione reproborum; ergo &c.

14. Probatur secundò, quia Deus est supremus Judex; sed supremum Judicem decet, non omnia peccata remittere, sed aliqua extremo, ac æterno supplicio punire; ergo &c. Confirmatur primò, quia sic prædestinati terrore Justitiæ, aut à peccatis se continent, aut ab illis resipiscunt. Secundò, quia sic in hac punitione ostenditur divina Justitia, Sapientia, & potentia juxta illud Rom. 9. ibi: *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam*; ergo &c.

15. Difficultas 4. Utrùm reprobatio fuerit in Deo propriè, & non solùm metaphoricè? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 1. n. 4. P. Ruiz d. 2. sect. 3. n. 3. P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 1. num. 2.* & alii. Probatur primò, quia reprobatio, ut infrà dicemus, est actus Intellectûs, & Voluntatis Divinæ, Deo intrinsecus, in eo immanens ab æterno, & ab eo indistinctus, cùm sit ipse Deus; ergo est in Deo verè, & propriè, & non metaphoricè. Secundò, quia reprobatio, ut infrà dicemus, suos habet effectus, qui propriissimè sunt à Deo, & illius providentiâ; sed non possunt sic esse à Deo, quin supponant aliquam cognitionem, & voluntatem propriam in Deo, à qua procedant: cùm hoc sit de necessitate omnium effectuum Dei; alioqui Deus non liberè, sed necessariò, & modo cœco operaretur; ergo &c. Confirmatur, quia reprobationem esse propriè in Deo nullam involvit imperfectionem, imò ad illius perfectionem pertinet; ergo &c.

Dices cum Aureolo in *1. dist. 41. art. 3. propos. 4.* 16. Reprobatio importat odium, detestationem, abominationem, & actus similes; sed hi actus non sunt in Deo propriè, sed tantùm metaphoricè; ergo &c. Respondeo negando minorem; sunt enim actus propriissimi Intellectûs, & Voluntatis; siquidem applicant in tempore Omnipotentiam ad producendos proprios, & rigorosos effectus in reprobo; talis autem applicatio stare nequit sine cognitione, & volitione propria in Deo; alioqui imperfecta esset operatio Dei, ut diximus.

SECTIO II.

Qualis sit reprobationis definitio; & in quo formaliter consistat?

DIFFICULTAS 1. Utrùm reprobatio sit 17. actus Dei intrinsecus, immanens, liber, & æternus? Affirmativè. Ita *P. Soar. cit. n. 5. P. Ruiz. cit. à n. 7. P. Tanner. cit. num. 2.* & alii. Probatur prima pars, quia talis actus est ab æterno; sed ab æterno nihil est in Deo, quod non sit ei intrinsecû; ergo &c. Probatur secunda pars, quia reprobatio, ut infrà dicemus, est actus Intellectûs, & Voluntatis divinæ; sed hujusmodi actus sunt immanentes in Deo; ergo &c. Probatur tertia pars, quia reprobatio, ut diximus, absolutè loquendo poterat non esse in Deo; siquidem Deus poterat res ita disponere, ut nullus damnaretur; ergo liberè fuit in Deo. Probatur quarta pars, quia quidquid Deus exequitur in tempore, voluit ab æterno; alioqui mutaretur Deus; sed Deus in tempore aliquos reprobat; ergo ab æterno fuit in Deo reprobatio. Vide supra *d. 2. à n. 39.*

Reprobatio optimè definitur: *Exclusio alicujus* 18. *à regno, & ejus deputatio ad ignem æternum*: hoc autem accommodari potest tam actui Intellectûs, quàm Voluntatis; siquidem, cùm reprobatio approbationi opponatur, & nos per judicium aliquid primò approbemus, cùm de illius bonitate judicamus, etiam primò aliquid per judicium reprobamus, cùm de illo aliter, quàm de bono judicamus. Deindè etiam per voluntatem dicimur approbare aliquid, cùm illud ut bonum eligimus; & è contra dicimur reprobare, cùm oppositum illi electioni nolumus; sicque hoc modo reprobatio mali opponitur electioni boni, juxta illud, Isai. 7. ibi: *Ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Undè sit:

Difficultas 2. Utrùm reprobatio consistat formaliter in utroque actu, & intellectûs, & voluntatis? Affirmativè. *Ita P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 4. num. 11. P. Molin. 1. p. q. 23. art. 3. P. Valent. ibid. punct. 1. P. Arrub. d. 88. cap. 5. n. 17. P. Herice tract. 3. d. 32. cap. 2. n. 8. P. Alarcon. tract. 4. d. 5. cap. 1. num. 4. P. Rhodez d. 5. q. 3. sect. 1.* & alii. Probatur primò ex supra dictis de prædestinatione *d. 2. à n. 62.* est enim eadem ratio de prædestinatione, ac de reprobatione.

Probatur secundò, qui res per id formaliter 20. constituitur, & in eo formaliter consistit, sine quo

quo non potest formaliter intelligi; sed reprobatio non intelligitur sine actu Intellectûs, & Voluntatis divinæ; ergo in utroque formaliter consistit. Probatur minor, quia saltem ordinario, & modo perfecto operandi, non datur in Deo voluntas deputans hominem propter sua demerita ad ignem æternum, quin supponatur Judicium dictans hîc, & nunc, talem hominem esse dignum, ut à regno excludatur, & puniatur pœnâ æternâ; & posito tali Judicio, quin ulteriùs detur illa voluntas decernens, & deputans, adhuc talis pœna non est futura, neque homo dicitur damnatus; siquidem adhuc Deus de potentia absoluta poterit ipsum hominem non damnare; ergo ut dicatur damnatus, & reprobatus requiritur uterque actus; consequenterque reprobatio in utroque illo actu formaliter consistit. Confirmatur, quia in hac sententia meliùs conciliantur loca tùm Scripturæ, tùm Sanctorum Patrum, quatenùs alia loquuntur de actibus Intellectûs, alia verò de actibus voluntatis; possunt enim singula intelligi de reprobatione inadæquata.

21. Oppositum tenent *Durand. in 1. dist. 40. q. 2. D. Thom. 1. p. q. 23. art. 2. & 3. P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 1. n. 3. P. Præpos. q. 23. art. 8. dub. 1. de Reprobat. n. 98.* & alii: pro quibus: Objicies 1. Ideò prædestinatio consistit etiam in actu voluntatis, quia intendit finem, & præparat media; sed non ita intendit, neque præparat reprobatio; solùm enim præscit, ideoque reprobi dicuntur *præsciti*; ergo in sola præscientia, sive actu Intellectûs consistit. Respondeo argumentum solùm probare, non dari reprobationem positivam, (de qua hîc loquimur) in intētione ante prævisa demerita, sicut ante prævisa merita datur prædestinatio: non tamen probare, quod prævisis ipsis demeritis, præter illud judicium practicum, non sit etiam necessaria voluntas excludens à regno, & ad pœnam deputans, ut probavimus, & sicut in prædestinatione est necessaria voluntas acceptans ad ipsum regnum, & exequens, nam sicut hîc solum judicium non acceptaret, ita etiam illîc solum judicium non excluderet.

22. Objicies 2. Reprobatio secundùm se solùm dicit negationem voluntatis dandi gloriam, & non voluntatem ipsam positivè excludentem à regno, ut constat, tùm ab Scriptura Matth. 18. ibi: *Non est voluntas ante Patrem vestrum, ut pereat unus de pusillis istis*: tùm ratione, siquidem ex eo, quod Deus non velit alicui gloriam, virtute eum ab illa excludit sine alia voluntate positiva excludente; consequenterque sine tali voluntate datur reprobatio, cùm excludere à regno sit reprobare; ergo reprobatio non consistit formaliter in actu voluntatis, sed in solo actu Intellectûs.

23. Respondeo negando antecedens, ad cujus primam probationem dicimus, Scripturam sæpè uti termino negativo pro contrario positivo, quod hîc etiam facere colligitur, quia sæpè alibi explicat reprobationem per actum positivum. Vel dic, ibi significare, Deum non habuisse illam voluntatem positivam excludentem à regno ante prævisa demerita. Ad secundam probationem dicimus, solùm probare de reprobatione negativa, sive non electione, de qua an fiat per puram actûs suspensionem infrà dicemus.

24. Difficultas 3. Qualesnam sint hujusmodi actus; & qualemnam Scientiam supponant? Dico 1. Hujusmodi actus ex parte intellectûs est judicium practicum dictans convenire hîc, & nunc deputare impium ad pœnam æternam: & ex parte voluntatis est actus positivè excludens ipsum reprobum à gloria, & eum deputans ad pœnam. Patet ex dictis de prædestinatione supra *d. 2. à num. 75.* prædestinatio enim ex parte intellectûs consistit formaliter in judicio practico dictante convenire hîc, & nunc eligere talem hominem ad gloriam; & ex parte voluntatis in actu illum ad gloriam eligente. Idem, quod dicimus de reprobatione positivâ, dicendum est de negativa; quæ ex parte intellectus erit judicium practicum immediatè inserviens decreto negativo electionis efficacis ad gratiā, & ad gloriam; & ex parte voluntatis erit ipsum decretum negativum talis electionis.

25. Dico 2. Hujusmodi actus supponunt Scientiam Simplicis Intelligentiæ, imò & Scientiam Conditionatam de demeritis, & de pœna subeunda: itemque voluntatem permissivam peccati, & Scientiam visionis de demeritis. Patent hæc omnia ex supra dictis de prædestinatione, quæ hîc repetere opus non est. Vide *d. 2. à n. 129.*

26. Difficultas 4. Utrùm reprobatio sit pars providentiæ: & an detur reprobatio per modum intentionis distincta à reprobatione per modum executionis? Dico 1. Reprobatio est pars providentiæ. Ita *P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 2. n. 5. cum D. Thom. 1. p. q. 23. art. 3. P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 1. n. 5.* & alii. Probatur, quia ad bonum, & justum provisorem spectat, non solùm remunerare bonos, sed etiam punire malos; quorum primum est effectus prædestinationis; secundum autem reprobationis; ergo &c.

27. Dico 2. Reprobatio est pars providentiæ supernaturalis. Probatur primò, quia effectus reprobationis non pauci sunt entitativè supernaturales, licet reprobus eos convertat in occasiones graviùs peccandi, & longiùs recedendi à fine supernaturali; sed providentia causans effectus entitativè supernaturales, non potest non esse supernaturalis: ergo talis est reprobatio, prout est pars providentiæ.

28. Probatur secundò, quia reprobatio non sistit, tanquam in ultimo fine in punitione damnatorum, sed potius per prædestinationem ordinatur ad majorem gloriam prædestinatorū, & maximè Christi Domini, ut patet ex illo Rom. 9. 11. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti.* Et ex D. Aug. *lib. 11. de Gener. ad litter. cap. 7. Num quia præsciti sunt, ideò creari minimè debuerunt? Habent enim & ipsi locum suum, quem in rebus impleant pro utilitatibus Sanctorum*; hæc autem stare non possunt, quin ipsa reprobatio spectet ad providentiam supernaturalem; ergo &c.

29. Dico 3. Non datur reprobatio per modum intentionis distincta à reprobatione per modum executionis. Probatur primò ex supra dictis de prædestinatione *d. 2. à n. 166.* Probatur secundò à simili, quia idem actus, per quem Deus post prævisa demerita intendit ab æterno excludere reprobum à regno, & deputare ad pœnam æternam, potuit postea in tempore exequi applicando ad id Omnipotentiam propter rationes supra factas; ergo &c. Utrùm autem de possibili potuerint dari duo decreta distincta? Nulla est in hoc repugnantia, sicut diximus de prædestinatione *d. 2.*

30. Difficultas 5. Qualenam sit objectum reprobationis? Dico 1. Objectum formale reprobationis est ipse Deus in quantum est verus, & ratio formalis *sub quâ* est summa veritas. Probatur, quia reprobatio, ut diximus, saltem inadæquatè est actus Intellectûs divini; sed Intellectio, &

Judi-

Judicium divinum non potest habere aliud objectum formale præter ipsum Deum; ergo &c.

31. Dico 2. Objectum materiale reprobationis sunt homines, & Angeli damnandi, & omnes illorum qualitates, & circumstantiæ, sive naturales, sive supernaturales, quæ conducunt ad permittenda eorum peccata, eorum obdurationem finalem, & punitionem: imò & ipsa peccata, non ut causanda, sed ordinanda. Probatur, quia circa hæc omnia versatur reprobatio; ergo &c.

SECTIO III.

Qualis-nam sit Reprobationis divisio?

32. DIFFICULTAS 1. Utrùm Reprobatio optimè dividatur in negativam, & positivam? Affirmativè. Ita *Magist. in 1. dist. 41. D. Thom. 1. p. q. 23. a. 3. & ad 1. & 2. Richard. in 1. dist. 40. & 41. Scot. in 1. dist. 41. q. unica, §. Contra istud. & dist. 47. q. unica. Bassol. dist. 41. q. unica a. 4. Tartaret dist. 41. quæst. unica. Lychet. Major dist. 41. q. 4. Cordub. lib. quæst. 56. opinion. 5. P. Bellarm. lib. 2. de grat. cap. 16. P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 4. n. 4. & cap. 5. n. 5. P. Vasq. 1. p. d. 95. cap. 2. n. 7.* quos citat, & sequitur *P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 1. à num. 6.* Est Theologorum communis; communiter enim admittunt in Deo reprobationem negativam, quæ est negatio electionis ad gloriam; positivam autem, quæ est damnatio ad pœnam æternam, nullus dubitat dari in Deo, cùm sit de fide, ut supra probavimus à *n. 4.* de negativa verò sic:

33. Probatur, quia Deus in eo signo, quo prædestinatos elegit ad gloriam, neque habuit voluntatem efficacem eligendi alios, neque positivam excludendi illos à regno; ergo habuit negationem horum actuum; sed hæc est reprobatio negativa; ergo illam tunc habuit Deus. Confirmatur primò in Angelis, quia in eo priori, in quo Deus elegit Angelos salvandos, non habuit voluntatem positivam excludendi alios; siquidem adhuc non erant mali per peccatum; ergo habuit illam negationem, sive reprobationem negativam. Confirmatur secundò ex prædestinatione, quia, ut supra diximus, prædestinatio est simul dilectio, & electio præ aliis; sed talis electio aliquorum præ aliis involvit negationem electionis illorum, in qua consistit eorum reprobatio negativa; ergo &c.

34. Dices 1. Voluntas Divina non potuit manere suspensa sine aliquo actu circa aliquod objectum; siquidem hoc dicit imperfectionem, & indeliberationem, ut alibi demonstravimus; sed ita maneret, si haberet illam reprobationem negativam circa reprobos, & illos statim non excluderet per actum aliquem positivum; ergo &c. Respondeo majorem esse veram de durationе reali; nam Deus ab æterno omnia voluit, aut noluit actu positivo: aliter tamen dicendum si loquamur de aliquo signo rationis; nam in hoc potuit Misericordia antecedenter sine ulla imperfectione operari circa eligendos, adhuc nihil operante Justitia circa reprobos, quia adhuc non videbantur eorum demerita in esse absoluto. Ita *P. Soar. cit. cap. 4. n. 4.*

35. Dices 2. Reprobatio, cùm opponatur infallibili prædestinationi, ut infra dicemus, debet esse infallibilis; sed talis esse non potest negatio illa electionis; siquidem ut talis esset, deberet Deum obligare ad negandum auxilium congruum finale, permittendumque finale peccatum, cùm tamen ita non obliget; siquidem adhuc, illâ positâ, potuit Deus in secundo signo, quos vellet, efficaciter eligere; ergo &c. Respondeo ad majorem, debere quidem reprobationem esse infallibilem de lege ordinaria, & ita fuisse, ut ex infra dicendis constabit: quo tamen non obstante, potuit Deus de potentia absoluta in secundo signo eligere quos vellet ex reprobandis, quod tamen esset per speciale privilegium, saltem tacitè, ac virtute in primo signo involutum conditionatè.

36. Difficultas 2. Utrùm negatio illa, quam dicimus reprobationem negativam, fuerit in Deo pura suspensio actûs? Negativè. Ita *P. Soar. cit. cap. 4. n. 5. P. Vasq. 1. p. d. 95. cap. 2. n. 9. P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 1. n. 18.* & alii. Probatur primò, quia si esset pura suspensio actûs, solùm esset indirectè, virtute, & interpretativè voluntaria; siquidem cùm Deus haberet advertentiam, posset positivè velle ipsam negationem per voluntatem formalem, ac directam, quam tamen non ita vellet; sed voluntarium indirectum, & interpretativum, quando formale, & directum haberi potest, arguit imperfectionem in Deo non admittendam; ergo &c.

37. Probatur secundò, quia, ut aliqui dicunt, reprobatio divina includit voluntatem permissivam peccati, quæ positiva est; sed hoc non potest intelligi, nisi de reprobatione negativa; siquidem reprobatio positiva supponit peccatum, & ante illud supponit etiam ipsam permissionem peccati; ergo jam reprobatio negativa includit actum positivum; consequenterque non est pura suspensio actûs. Undè:

38. Advertes, Deum tunc ita se habere, ac si diceret: *Hos nolo modò eligere, neque reprobare positivè, sed volo suspendere actum circa illos*: quâ volitione positâ, adhuc, si vellet, posset postea in secundo signo eos eligere: tum quia illa volitio solùm eum obligabat ad non eligendum pro eo primo signo, & non pro secundo: tum etiam, quia talis volitio secum ferebat tacitam illam conditionem: *nisi in secundo signo velim eos eligere.*

39. Oppositum tenent aliqui dicentes, Deum in primo, & secundo signo, in quo voluit prædestinatis gloriam ut finem, & gratiam ut medium, habuisse se merè negativè circa reprobos, id est per puram actûs suspensionem, citantque pro hac parte *Scot. in 1. dist. 41. circa finem*, licet *P. Soar. & P. Tanner. cit.* illum dicant contrarium asserere in *1. dist. 47.* pro illis tamen. Argues 1. Si negatio illa secum ferret actum positivum, non benè diceretur reprobatio negativa: tùm quia denominatio sumitur à potiori parte, quæ esset actus positivus: tum etiam, quia cùm negatio sit malignantis naturæ, videtur negare omnem actum positivum; sed hoc est falsum, & contra id, quod asseruimus, illam enim diximus esse negativam; ergo &c.

40. Respondeo negando majorem, ad cujus probationes dicimus, reprobationem sumi directè in ordine ad reprobos, cùm autem circa illos nullus in eo signo detur actus positivus, sed mera negatio, ideo tota reprobatio dicitur negativa, ad quod parùm refert, quod ipsa negatio sit in se positivè volita, quia hoc non erat absolutè necessarium ad talem reprobationem, sed tantùm ex perfectione Dei operantis, ut diximus; sicque talis actus solummodò requiritur indirectè, & veluti per accidens in ordine ad effectum reprobandi secundùm se, & absolutè sumptum. Accedit, quod talis

talis reprobatio communiter dicitur negativa, quatenùs non est approbatio, sive prædestinatio positiva.

41. Instabis: Si reprobatio est negativa quatenùs non est prædestinatio positiva, etiam quatenùs non est reprobatio positiva, erit prædestinatio negativa; sed hoc non admittitur; ergo neque illud. Respondeo negando majorem; diversa ratio est, quia prædestinatio, cùm sit bonum, debet esse ex integra causa, nempè ex positiva electione; sicque non sufficit, quod non detur reprobatio positiva, ut dicamus dari prædestinationem negativam: at verò reprobatio cùm sit malum; malum autem sit ex quocumque defectu, sufficit quicumque defectus, nempè quod homo non sit electus. Accedit, quod illa non electio de lege ordinaria defert conjunctam negationem auxilii efficacis; siquidem Deus in eo signo jam videbat, se non daturum tale auxilium non electis; cum tali autem negatione benè stat reprobatio, saltem negativa; non ita tamen prædestinatio etiam negativa, quia ad hanc deberet Deus, saltem non habere positivam illam negationem dandi auxilium efficax, sed habere se ad minùs præcisivè.

42. Argues 2. Deus non poterat velle negationem auxilii congrui; siquidem hoc esset velle, quod ipsum auxilium non esset congruum, & cùm fiat congruum per cooperationem hominis, vellet etiam, quod homo non cooperaretur, & cùm non cooperari in rebus præceptis sit peccatum, vellet etiam ipsum peccatum; sed hoc repugnat Deo; ergo &c. Respondeo negando majorem, ad cujus probationem dicimus, aliud esse velle auxilium non congruum, & aliud velle auxilium non esse congruum; hoc secundum repugnat Deo, quia esset velle peccatum, ut probat argumentum; non ita tamen repugnat illud primum, quia solùm est velle auxilium, quod de se est sufficiens, licet Deus per Scientiam Mediam illud prævideat ut non congruum ex hominum malitiâ.

43. Difficultas 3. Utrùm ex reprobatione negativa sequatur infallibiliter reprobatio positiva? Affirmativè. Probatur, nam ex eo, quod Deus per actum positivum dicat: *Nolo eligere Judam ad gloriam*: saltem virtute dicit: *nolo Judæ dare auxilium congruum finale*; sed ex hac negatione sequitur infallibiliter demeritum, & ex demerito infallibiliter sequitur reprobatio positiva; ergo &c. Confirmatur, quia ex electione efficaci ad gloriam sequitur infallibiliter positiva executio ipsius gloriæ; siquidem sequitur donatio auxiliorum efficacium, per quæ ipsa gloria infallibiliter obtinetur; ergo similiter ex illa negatione electionis efficacis ad gloriam infallibiliter sequetur reprobatio positiva; siquidem ex illa negatione auxiliorum efficacium sequuntur infallibiliter demerita, per quæ ponitur reprobatio positiva.

44. Difficultas 4. Qualis nam actus sit reprobatio positiva, & negativa, & qualiter inter se conveniant, & prædestinationi opponantur? Dico 1. Reprobatio positiva est actus Justitiæ punitivæ; negativa autem non ita, sed occulti Judicii Dei, & inscrutabilis Providentiæ. Est communis Doctorum cum D. Aug. *lib. de corrept. & grat. cap. 13.* Probatur, quia reprobatio positiva, cùm fiat ob demerita reprobi, ad illam spectat illatio vindictæ, seu pœnæ pro peccatis infligendæ, quæ est in Deo actio Justitiæ vindicativæ: negativa autem reprobatio, cùm non habeat causam ex parte reprobi, fit ex arbitratu Dei, non injusto quidem, sed occulto judicio; ergo &c.

45. Dico 2. Reprobatio positiva, & negativa non conveniunt univocè. Probatur primò, quia ad ens, & negationem entis nihil datur univocum; sed reprobatio positiva est ens; negativa autem est negatio entis, ut patet ex dictis; ergo &c Secundò, quia ad simpliciter, & secundùm quid non datur univocum; sed reprobatio positiva est reprobatio simpliciter; negativa autem reprobatio à gloria est tantùm secundùm quid; siquidem adhuc ea supposita, est locus prædestinationi pro secundo signo, ut supra diximus; ergo &c.

46. Dico 3. Reprobatio positiva opponitur prædestinationi oppositione contrariâ; negativa autem oppositione contradictoriâ. Ita *P. Soar. P. Vasq.* quos citat, & sequitur *P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 1. num. 1.* Probatur prima pars, quia prædestinatio declaratur per actum intellectûs, quo Deus ab æterno efficaciter decrevit aliquibus conferre gloriam, & per actum voluntatis, quo aliquibus sic voluit gloriam, & gratiam conferre: reprobatio autem positiva è contrario; siquidem ex parte voluntatis est actus, quo Deus dicit: *Nolo hunc, aut illum admittere ad gloriam, aut gratiam congruam*: & ex parte intellectûs est actus, quo dicit: *Decerno, & statuo, ut hic non admittatur ad gloriam, aut ad gratiam congruam*; sed inter hos actus solùm datur oppositio contraria, ut patet, cùm sit inter entitates positivas; ergo &c. Probatur secunda pars, quia reprobatio negativa per se, & formaliter solùm est negatio actûs prælectionis, seu prædestinationis divinæ, tum ad gloriam, tum ad gratiam; ergo non potest aliter prædestinationi opponi, quàm contradictoriè, cùm sit oppositio inter negationem, & formam negatam.

SECTIO IV.

Qualiter fuerit in Deo Reprobatio positiva?

47. Dico 1. Deus ante Scientiam Conditionatam demeritorum non potuit aliquem reprobare positivâ reprobatione. Probatur ex supra dictis de prædestinatione *d. 2. à n. 131.* Siquidem tolleretur omninò libertas ad non amittendam gloriam, & ad non subeundas pœnas, ut pœnas; cùm tamen id Deus posuerit in potestate liberi arbitrii; ergo &c. Dixi *pœnas, ut pœnas*, quia dolores illi, quatenùs non sunt ad puniendum peccatum, sed ob alios fines, in multorum opinione benè poterant à Deo amari, & intendi ante omnem scientiam etiam conditionatam demeritorum; quia, ut dicunt, nulla in hoc apparet implicantia. De hoc tamen jam supra diximus, & alibi dicemus.

48. Dico 2. Positâ solâ scientiâ conditionatâ demeritorum, benè poterat dari Voluntas Dei efficax excludens à regno, & deputans ad pœnam æternam, si non repugnaret Bonitati Divinæ. Probatur prima pars primò ex supra dictis de prædestinatione *d. 2. à num. 242.* Secundò, Ideò Deus non posset, prout sic excludere à regno, & deputare ad pœnam, quia tolleretur libertas, & ratio pœnæ in aliquo sensu; sed neque illa, neque ista tolleretur; ergo &c. Probatur minor quoad primam partem, quia Deus absque læsione libertatis, ut diximus, potuit intendere efficaciter gloriam, & postea præparare auxilia, quę per Scientiam Mediam prævidebantur efficacia, ut illa in effectu obtineretur: ergo etiam poterat in proposito eventu intendere

efficaciter reprobationem, & postea præparare auxilia, quæ per Scientiam Mediam prævidebantur solùm sufficientia, ut illa in effectu sequeretur, quin tolleret libertatem, aut vellet positivè ipsum peccatum, ut supra diximus de prædefinitione pœnitentiæ.

49. Probatur minor quoad secundam partem, quia sicut Deus, ut diximus, potuit intendere præmium ante absolutam præscientiam meritorum, tradendum tamen per merita; ita etiam poterat amare pœnam ante absolutam præscientiam demeritorum, exequendam tamen per demerita; sed illic ex parte actûs fuit Misericordia Dei, & ex parte objecti fuit venditio virtualis ipsius præmii, nempè gloriæ tendens ad venditionem formalem post merita; ergo etiam hîc ex parte actûs esset ostensio libertatis, aut Dominii divini, & ex parte objecti esset punitio virtualis tendens ad punitionem formalem post demerita, quatenùs Deus intenderet non exequi, nisi post demerita; consequenterque non tolleretur ratio pœnæ.

50. Probatur secunda pars cùm *P. Arriaga d. 39. sect. 2. subsect. 1. n. 9.* quia id esset alienum ab infinita Dei bonitate, & Misericordia; siquidem Deus ex se moveatur ad benefaciendum, & non ad puniendum antecedenter ad nostra peccata, quasi nos ad talem finem crearet, & exequendi occasiones quæreret; ergo &c. Addit P. Arriaga probabile sibi videri, non posse Deum, etiam de potentia absoluta deputare hominem æternis cruciatibus sine ulla illius culpa, solo titulo supremi dominii, etiam excludendo rationem pœnæ; siquidem id videretur habere multum crudelitatis. Et probat exemplo in eo, qui ut suum ostenderet dominium in canem, illum vellet quotidie semi urere igne; de hoc tamen alibi.

51. Dico 3. Deus de facto neminem voluit positivè excludere à regno, & ad pœnam æternam deputare ante absolutam præscientiam peccati finalis. Ita *P. Soar lib. 5. cap. 3. n. 6. P. Vasq. d. 95. cap. 4. n. 17. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 3. n. 27. P. Arriaga d. 39. sect. 2. subsect. 3. per totam. P. Amicus d. 16. sect. 2. n. 43.* & alii infrà citandi *n. 107.* Probatur 1. ex illo Sapient. 1. ibi: *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum*; sed si Deus damnaret homines ante eorum demerita absolutè prævisa, meritò dici posset, fecisse mortem, & delectari in eorum perditione; ergo &c.

52. Probatur secundò ex Conciliis Valentin. *cap. 3.* ibi: *In electione tamen salvandorum Misericordiam Dei præcedere meritum, in damnatione verò meritum malum præcedere justum judicium Dei.* Trid. *Sess. 6. cap. 13.* ex D. Aug. *lib. de natur. & grat. cap. 26. & lib. de bono perseve. cap. 6.* ibi: *Voluntate suâ quisque deserit Deum, ut meritò deseratur à Deo.* Et D. Prosper. *ad 7. object. Vincent. Deus*, inquit, *priusquam deseratur, neminem deserit.* Et D. Bern. *lib. de Anima cap. 7. Non deserit*, ait, *sperantem in se, nisi priùs ipse deseratur.* Idem habent *D. Cypria. de orat. Domin. D. Fulgen. lib. 1. ad Monim. cap. 13.* & alii Sancti Patres, ut infrà videbimus, cùm de causis reprobationis positivæ egerimus, ex quibus constat, Deum neminem positivè de facto reprobasse ante demerita absolutè prævisa.

53. Probatur tertiò rationibus: Prima, quia illa voluntas Dei generalis salvandi omnes, cùm sit quasi conditionalis, nisi per illos steterit, defert conjunctam negationem perdendi illos, dùm per illos non stat; sed per illos non stat, quamdiu non ponunt demerita in esse absoluto; siquidem demerita in esse conditionali non sunt digna supplicio, ut supra diximus; sicut etiam merita conditionata in ipso reprobo non sunt digna præmio; ergo quamdiu non ponuntur in esse absoluto ipsa demerita, non habet Deus voluntatem positivam damnandi illos; alioqui haberet duas volitiones contrarias, imò & contradictorias, quod non est dicendum; ergo neque quod Deus sic reprobaverit ante demerita.

54. Secunda, quia si Deus haberet illam voluntatem positivam excludendi aliquos à regno ante demerita; aut id vellet solâ potentiâ, sive jure dominii; aut ex justitiâ vindicativâ, & punitivâ: Non primum; alioqui quamvis homines non peccarent, adhuc à regno excluderentur, quod tamen repugnat divinæ Bonitati, & Misericordiæ: Non secundum; siquidem justitia punitiva postulat dignitatem ex parte objecti, sive hominis puniendi; homo autem non habet talem dignitatem ad punitionem, nisi per peccatum in esse absoluto; ergo &c.

55. Tertia, quia quando voluntas fertur in aliquod objectum, etiam per solum affectum simplicem, non potest circa illud elicere actum contrarium efficacem, nisi ei adveniat aliqua ratio motiva extrinseca; sic enim mercator, qui amat merces, ut eliciat voluntatem efficacem projiciendi illas in mare, debet priùs subire periculum vitæ, adveniente tempestate; sed Deus amabat omnium hominum salutem affectu simplici, ut supra diximus; ergo ut circa illos eliceret voluntatem efficacem perdendi eos, debebat aliquid de novo advenire; hoc erant eorum demerita; ergo illos non reprobavit efficaciter, sive positivè ante eorum demerita absolutè prævisa.

56. Oppositum tenent aliqui dicentes, Deum ex se ipso ante omnia demerita absolutè prævisa habuisse voluntatem perdendi aliquos per modum intentionis ad ostendendam suam Justitiam, ex qua intentione secuta fuit negatio auxiliorum efficacium: sicut habuit ex se intentionem salvandi alios ante omnia merita absolutè prævisa ad ostendendam suam Misericordiam, ex qua intentione secuta fuit donatio auxiliorum efficacium. Ita *Durand. in 1. dist. 40. q. 2. n. 6. Cordub. lib. 1. quæst. q. 56. notat. 2. opin. 5. Bannez 1. p. hîc art. 3. Zumel. ibid. d. 4. Alvarez de Auxil. d. 110.* & Recentiores Thomistæ; eamque sententiam maximè amplexi sunt hæretici hujus temporis, præsertim *Calvin. Beza Sirvand. Litbert.* contra quos infrà: pro illis nunc tamen:

57. Objicies 1. Sapient. 12. ibi: *Ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnas, & exterum æstimas à tua virtute*: ubi videtur loqui de condemnatione facta per modum intentionis ante demerita absolutè prævisa, cùm dicat, punire illum, qui non debet, id est, qui non meretur puniri; ergo &c. Respondeo cum P. Arriaga, locum illum fuisse vitiatum, ut constat ex codice emendato à Pio V. in quo nunc legimus: *Ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute*: secundùm quam veritatem potiùs facit pro nostra sententia. Addo, licet standum esset pro lectione antiqua, dicendum esse, ibi loqui de punitione, ac calamitate temporali, quâ Deus sæpiùs etiam justos affligit, ut postea magis remuneret; non autem de punitione æterna.

58. Objicies 2. Rom. 9. ibi: *Cùm non dum aliquid boni egissent, aut mali ..... Jacob dilexi, Esau autem odio habui*: ubi allegoricè de electione, & reprobatione sermo est, prout supra diximus; sed ex hoc loco collegimus, electionem fuisse factam

ante

ante merita absolutè prævisa; ergo etiam ex eodem colligitur, reprobationem fuisse factam ante demerita absolutè prævisa. Respondeo primò cum Lezana, & aliis, ibi non esse sermonem de reprobatione positivâ, sed tantùm negativâ, quæ fuit ante demerita. Undè nomine *odii* solùm ibi intelligitur de minore amore; sæpè enim in Scriptura *odium*, aut *odisse*, non significant actum positivum odii, sed negativum, sive minorem amorem, ut patet ex illo Luc. 14. *Et non odit patrem suum, &c.* quod idem valet, atque dicere, qui non minùs diligit patrem suum, quàm me; neque enim Christus Dominus præcepit odio habere patrem. De hac etiam reprobatione negativa intelligendi sunt Patres, quatenùs asserunt, non dari causam reprobationis ex parte reprobi, sed totam Deo tribui: de hoc tamen latiùs infrà.

59. Respondeo secundò cum P. Arriaga, & aliis, ibi non significari, Deum odio habuisse Esau positivè, sed non decrevisse dare ei auxilia congrua, sicut decrevit dare Jacob: sicut enim Deus ex se illa tribuit electis ante eorum merita, ita ex se illa negat reprobis ante eorum demerita; neque de hoc procedit quæstio, neque est difficultas, sed tantùm de reprobatione positiva, ac exclusione à regno, sive à gloria.

60. Objicies 3. Rom. 9. D. Paul. nomine Dei ibi loquens de Pharaone: *In hoc ipsum*, inquit, *excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam*: ubi videtur significare, se illum reprobasse veluti in intentione, non quia jam malè fuisset operatus, sed ut postea malè operando in executione, in illo Deus ostenderet potentiam suam; ergo &c. Respondeo hoc testimonium non convincere; siquidem non ostendit, iram Dei fuisse ante demerita, imò post illa, ut constat ex sequentibus verbis: *Sustinuit*, inquit, *in multa patientia vasa iræ, &c.*

61. Objicies 4. Primus actus prædestinationis fuit positiva electio ad gloriam ante prævisa merita; ergo etiam primus actus reprobationis erit exclusio positiva à gloria ante prævisa demerita. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia illa electio maximè decet Bonitatem, & Misericordiam divinam, ut supra diximus: at verò non ita decet, imò dedecet hæc exclusio, non solùm Bonitatem, & Misericordiam, sed etiam Justitiam divinam; nam sicut est laudabile punire in executione crimina jam commissa, & non ante; ita etiam laudabile non erit, imò indecorum intendere illa punire, antequam committantur, & videantur in esse absoluto.

62. Instabis: Prædestinatio, & reprobatio, cùm sint partes æquè subjectivæ divinæ providentiæ, debent æquè incipere; sed prædestinatio in prædestinato incipit à prima vocatione congrua connexa cum perseverantia; ergo etiam reprobatio in reprobo debet incipere à negatione primæ vocationis congruæ; sed hæc non habuit causam in reprobo; siquidem, si hanc haberet, esset peccatum; hoc autem non datur ante illam negationem, quia non datur ante primam permissionem, & prima permissio oritur ab illa negatione; ergo non habuit causam ex parte reprobi; consequenterque ejus reprobatio fuit ante prævisa demerita. Resp. negando primâ minorem; nam, ut supra diximus, prædestinatio incipit ab electione efficaci ad gloriam; & sic etiam incipit reprobatio ab ejus exclusione; ita tamen, ut electio illa non supponat merita absolutè prævisa; hæc tamen exclusio supponat demerita absolutè prævisa.

63. Urgebis: Permissio primi peccati est effectus reprobationis, sicque à Deo amabilis, & cùm ex se non sit amabilis, debuit ex aliquo fine amari; alius autem non apparet, nisi expulsio à regno ad ostendendam Justitiam; ideoque ejus electio ab intentione damnandi aliquos imperatur; ergo supponit ipsam reprobationem; sed illa in se non supponit causam in reprobo; siquidem ante permissionem primi peccati non datur demeritum, quia non datur peccatum; ergo neque illam habebit in reprobo ipsa reprobatio.

64. Resp. negando antecedens; neque enim permissio primi peccati est effectus reprobationis positivę, sed reprobationis à gratia cõgrua; nam ut esset effectus reprobationis positivæ debebat procedere ex intentione excludẽdi homines positivè à regno, quibus gratia congrua denegatur; Deus autem neque denegat gratiam congruam, neq; peccatũ permittit ex tali intentione, ut infrà dicemus, sed ob alios fines, quos ille certò scit, & quorum unum assignat *P. Vasq. ex D. Paul. & D. Aug.* nempè, ut ostendat *divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*; siquidem denegans vocationes congruas non prædestinatis, magis ostendit misericordiam suam in electos, quibus illas concedit. De hoc tamen infrà.

65. Objicies 5. Ex permissione peccati infallibiliter sequitur ipsum peccatum, & ex peccato privatio, sive exclusio à gloria; ergo hæc saltem virtute fuit intenta in ipsa permissione; siquidem in electione medii, ut medii, saltem virtute intenditur finis. Respondeo argumentum, si aliquid probat, probare Deum, saltem virtute velle peccatum; siquidem hoc immediatiùs sequitur ex ipsa permissione, quàm illa privatio gloriæ; cùm illud non probet, neque etiam hoc. Et ratio est, quia hæc non sequuntur per se, & ex natura rei ex auxilio sufficienti, ac permissione peccati, sed per accidens tantùm ex sola hominis malitia; undè in illa permissione solùm vult Deus ostendere, reliquisse hominem in manu consilii sui, ut liberè, quod voluerit, operetur.

SECTIO V.

An posito peccato originali antecedenter ad actualia, Deus aliquem positivè reprobaverit?

66. Advertes hîc cum *P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 3. num. 11.* peccatum originale dupliciter considerari posse: Primò præcisè solùm ut contractum: Secundò, prout prævisum durans usque ad mortem. Hoc posito. Dico 1. Deus propter peccatum originale prævisum durans usque ad mortem voluit multos excludere à regno. Ita *P. Soar. cit.* Probatur, quia Deus in tempore, supposito pacto cum Adamo, justissimè exequitur pœnam ipsam exclusionis à regno; sed nihil exequitur in tempore, quod non decrevisset ab æterno; ergo &c.

67. Dico 2. Deus in eo primo signo, in quo prævidit lapsum Adami, sive propter solùm prævisum originale præcisè ut contractum, & antequam prævideret merituros sine remedio, nullum reprobavit. Ita *P. Soar. cit. n. 11. P. Herice tract. 3. d. 33. cap. 4. n. 35. Lezana tract. 4. d. 12. q. 4. P. Arriaga d. 39. sect. 3. num. 31.* & alii. Probatur primò, quia Deus, ut patet ex dictis, & patebit ex infrà dicendis, nullum reprobat positivè, nisi jam prævisa ejus morte in peccato finali; sed pro eo

signo adhuc non prævidebatur alicujus mors in peccato finali, ut supponimus; ergo adhuc tunc Deus pro illo signo nullum reprobavit.

68. Probatur secundò, quia si Deus tunc propter originale sic prævisum aliquos reprobaret, cùm reprobatio secum deferat voluntatem puniendi pœnâ æternâ, sequeretur, quod omnes reprobi, quando postea in executione damnantur, etiam propter illud damnarentur; siquidem quod Deus ab æterno decrevit, non potest non fieri in tempore, sicut decrevit ab æterno; sed hoc est falsum; nam tale peccatum pluribus dimittitur in lege gratiæ per Baptismum, sicut in lege veteri dimittebatur per Circumcisionem, & peccatum semel dimissum non potest puniri pœnâ æternâ: tum quia hæc dimittitur simul cum peccato mortali: tum etiam, quia ita declarat Trid. *sess. 5. de Peccat. Orig.* ibi: *Nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptismum*; ergo &c.

69. Probatur tertiò, quia si Deus præcisè propter originale ita sumptum aliquos reprobaret, cùm hoc æqualiter sit in omnibus (exceptâ Virgine Sanctissimâ) omnes reprobarentur; alioqui illud non esset causa totalis ipsius reprobationis, sed aliqua adderetur, aut ex parte Dei, quod non est dicendum, aut ex parte hominum, quæ tamen pro tunc non datur; sed non omnes reprobantur; ergo nulli, cùm non detur major ratio de his, atque de aliis, & in omnibus sit eadem causa.

70. Probatur quartò, quia Deus post prævisum originale adhuc habuit voluntatem illam salvandi omnes per modum prosecutionis; siquidem ideò adhuc eis tribuit auxilia sufficientia, quia adhuc sic intendit eorum salutem ut finem; sed cum hac voluntate non potest stare illa alia efficax perdendi aliquos; siquidem duæ voluntates contrariæ, etiam si una sit efficax, & altera inefficax, non compatiuntur circa idem objectum, quando motivum est idem, sine aliqua alia cõditione, aut causâ prævisâ, quod hîc non accidit; cùm ex parte hominum sit idem originale, & ex parte Dei eadem sit Bonitas, & Misericordia; ergo &c.

71. Oppositum tenet *P. Vasq. 1. p. d. 95. cap. 6. n. 31.* dicens, aliquos parvulos, qui divinâ sic disponente Providentiâ, sufficienti remedio proximo carent, fuisse immediatè post peccatum Adami inefficaciter exclusos à Deo, à regno, ipso Deo statim displicente in eorum salute, & posteriùs naturâ contraxisse originale, statimque fuisse efficaciter exclusos à regno, & pœnæ damni adjudicatos: Pro quo:

72. Argues 1. Ideò Deus non statim hujusmodi infantes excluderet à regno post peccatum Adami prævisum, quia adhuc eis optaret salutem; sed non ita optabat; siquidem quando Deus optat, & intendit aliquem finem, adhibet media, saltem sufficientia ad illum assequendum; nullum autem adhibuit illis infantibus, cùm illos ita privaverit omni remedio, etiam sufficienti proximo, ut nullâ humanâ industriâ potuerit aliquod eis adhiberi; ergo non optabat, neque intendebat eis salutem; consequenterque statim eos exclusit à regno.

73. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem negamus etiam minorem, & ejus probationem; nam si Deus eos omni remedio positivè privaret, non possemus nos orare, ut Deus velit, eos exire vivos in mundum, & baptizari contra Apostolum pro omnibus, nullo excepto, orare jubentem. Undè *P. Soar. & P. Herice* dicunt, ultra remedium remotum, nempè Baptismum, aliud Deum disposuisse proximum, quatenùs parentibus eorum, qui in utero materno, aliave occasione sine Baptismo moriuntur, aliquas Deus tribuit cogitationes, & auxilia, quibus si responderent, aliter Deus res disposuisset, ita ut ipsi infantes sine Baptismo non decederent, qualia sunt parentibus inspirare, ut ab eo loco discederet mater, in quo eminebat periculum infanti, abstineret à tali cibo, consuleret Medicos, sicque de aliis, quæ nos ignoramus; ex quibus patet, Deum omnibus præparasse auxilia sufficientia, licet reliquerit causas secundas in sua libertate, & modo connaturali operandi.

Argues 2. Illa exclusio à regno, & illa alia voluntas salvandi omnes habent diversum motivum; siquidem hæc habet Bonitatem divinam; illa verò peccatum originale; ergo benè compatiuntur de eodem objecto. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, supponi falsum, Deum excludere positivè à regno, nisi propter peccatum finale prævisum absolutè, quale non est originale prout sic sumptum. Accedit primò, quod si Deus propter originale, ut contractum tantùm moveretur ad exclusionem à regno, cùm æquè ab hominibus omnibus contrahatur (unâ exceptâ Virgine Sanctissimâ) ad omnium exclusionem moveretur, quod non dicent. Secundò, quod si propter illud ut sic excluderet, etiam propter illud postea puniret in effectu reprobos illos, quibus per Baptismum fuit dimissum, quod etiam non dicent; sicque Deus ad utrumque affectum ex se tantùm movetur. 74.

Argues 3. Reprobatio omnium præscitorum facta fuit post originale; siquidem facta fuit post efficacè prædestinatorum electionem; hæc autem facta fuit post peccatum originale absolutè prævisum, ut supra diximus; sed ipsum originale est sufficiens causa exclusionis à regno; ergo propter illud fuerunt reprobi exclusi. Respondeo negando consequentiam, si loquamur de originali in suppositâ acceptione; nam licet originale absolutè, & ex se sit sufficiens causa ad illam exclusionem faciendam, de facto tamen ita non fuit in facta suppositione, ut patet ex dictis. 75.

Argues 4. Deus in pœnam peccati originalis negat reprobis auxilia efficacia; sed quibus Deus negat hujusmodi auxilia, reprobat; ergo propter originale eos reprobavit. Resp. negando majorem: multis enim reprobis dat Deus auxilia efficacia, quibus gratiam, licet non finalem consequuntur. Deinde multis per Baptismum dimittitur ipsum peccatum originale, & pœna eterna damni ei correspondens, sicque cum illis dimittetur etiam pœna ipsa carendi auxiliis efficacibus; ac proindè non erit id signum reprobationis æternæ. 76.

Argues 5. Si non daretur originale, nullus esset exclusus à regno; ergo signum est, tale peccatum fuisse principium, & causam talis exclusionis. Respondeo negando antecedens; sicut enim, non peccante Adamo, adhuc ejus filii possent peccare, cùm non nascerentur in gratia confirmati; ita etiam, illo non peccante, possent à Deo reprobari; & si de facto peccarent, de facto reprobarentur. Accedit, dato antecedente, ex illo solùm sequi, peccatum originale fuisse radicem, & ad plurimum veluti causam remotam reprobationis; quatenùs scilicet fuit occasio peccatorum actualium finalium, quæ sunt causa proxima reprobationis. 77.

Argues 6. Deus pluribus adultis negavit media sufficientia propter originale, ut constat: Primò ab Scriptura, Matth. 12. ibi: *Qui dixerit verbum* 78.

contra

contra Spiritum Sanctum non remittetur ei. Et 1. Joan. 1. ibi: *Est peccatum ad mortem.* Secundò ex Trid. sess. 6. cap. 11. ibi: *Deus suâ gratiâ justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur:* ubi verbum *nisi* idem valet, ac dicere, quod si deseratur, etiam deserat; firmat enim regulam in contrarium: Tertiò ratione, quia infideles nunquam vocati ad fidem, carent mediis sufficientibus; sed Deus illa media negavit ex aliquo fine; ergo cùm alius non appareat, ea negavit ex reprobatione positiva.

79. Respondeo negando majorem; Deus enim omnibus tribuit auxilia sufficientia, ut infra dicemus, & constat ex illo Joan. 1. *Illuminat omnem hominem, &c.* Et ad Rom. 2. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit; secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thezaurizas tibi iram.* Et D. Aug. de bono persever. cap. 6. *Voluntate suâ quisque deserit Deum, ut meritò deseratur à Deo;* ergo si in pœnam, quod Deum deserat, à Deo deseritur, & illum homo deseruit voluntate suâ per culpam, cùm hæc stare non possit sine auxilio sufficienti, hoc Deus omnibus præstat; non quidem pro singulis momentis, sed pro temporis, ac rerum opportunitate: imò etiam sæpiùs non oblatâ opportunitate juxta illud: *Ecce sto ad ostium, & pulso.* Unde:

80. Ad primam probationem dicimus in illis, & aliis similibus locis, solùm velle Scripturam significare, homines illos difficillimè converti, & ad pœnitentiam reduci; non quia Deus eos non vocet, & auxilia sufficientia non præstet, sed quia illi ex malitia sua non audiunt, & aures obturant.

81. Ad secundam probationem dicimus: Primò, Concil. ibi loqui tantùm de gratia concomitante, quam Deus nemini dat, nisi priùs acceptet gratiam vocantem; neque enim gratia adjuvans confertur ei, qui gratiæ vocanti resistit, in quo priùs Deum deserit, ut postea ab eo deseratur. Secundò particulam illam *nisi* solùm habere rationem conditionalis, & non exceptivæ, ex quo solùm colligitur, Deum deserere, si deseratur, non tamen quod semper deserat, eo ipso, quod deseratur: vel etiam deserere, non dando auxilia efficacia; nunquam tamen negando sufficientia; alioqui homines in non observandis præceptis non peccarent; siquidem in ipsis auxiliis carerent necessariis ad libertatem.

82. Ad tertiam dicimus, Deum etiam infidelibus præparasse media sufficientia, quæ si aliquando haberi non possunt viribus naturæ, ideò est, quia illi propriis peccatis ea impediunt; nam dum excitantur ad non peccandum contra legem naturalem, etiam excitantur, saltem remotè ad ulteriorem gratiam: neque tamen verum est, negationem talis culpæ esse dispositionem positivam ad habendam ipsam vocationem supernaturalem; sicut verum est, si ipsi per ipsam culpam non ponerent obicem, Deum ita res dispositurum, ut absque miraculo ad fidem vocarentur, aut interiùs per Angelos, aut exteriùs per homines juxta suavem operandi modum Providentiæ Divinæ.

SECTIO VI.

De Causis Reprobationis.

83. ADvertes primò, hîc excitari posse quæstionem de causis reprobationis, tam ex parte Dei, quàm ex parte ipsius reprobi, non tamen ex parte unius reprobi, aut alterius respectu alterius reprobi, sicut supra excitavimus de causis prædestinationis ex meritis unius hominis justi respectu alterius; licet enim merita unius possint aliis prodesse; non ita tamen possunt eis obesse aliorum demerita. Et ratio est, quia Deus faciliùs movetur ad præmiandum, quàm ad puniendum, ideòque ex fine præmiandi acceptat etiam aliena merita; non ita tamen aliena demerita ex fine puniendi.

84. Advertes secundò, nos hîc non inquirere de causis intrinsecis reprobationis formalis, neque de extrinsecis efficientibus; siquidem cùm reprobatio formalis consistat formaliter in actibus divinis Intellectûs & Voluntatis Divinæ, qui sunt idem cum ipso Deo, nullas propriè habet causas, neque materialem, neque formalem, neque efficientem, sicut illas non habet ipse Deus; omnia hæc patent ex supra dictis de prædestinatione *d. 3. à num.*

85. Advertes tertiò, causam finalem reprobationis formalis, quantùm est ex parte Dei, esse manifestationem Misericordiæ, & gratiæ electionis in prædestinatos, juxta illud ad Romanos 9. ibi: *Vt ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, &c.* Deindè ostensionem Omnipotentiæ suæ, ac supremi dominii, juxta illud ad Rom. 9. ibi: *Volens notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum.* Imò P. Alarcon addit, etiam esse ostensionem Justitiæ Divinæ punitivæ in ipsis reprobis, quod probat ex D. Aug. lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 23. *Deus,* inquit, *reddit mala pro malis, quia justus est: bona pro malis, quia bonus est: bona pro bonis, quia bonus, & justus est: solùm non reddit mala pro bonis, quia injustus non est.* Et idem habet *lib. 3. contra Julian. cap. 18. & lib. 1. Retract. cap. 9.*

86. Advertes quartò, solùm hîc excitari quæstionem de causa motiva, sive meritoria reprobationis formalis: cùm autem reprobatio sit, aut negativa, aut positiva, prout supra diximus, & infra dicemus, primò de causis reprobationis negativæ inquiremus; secundò de causis reprobationis positivæ discutiemus.

87. Advertes quintò, Manichæos, prout jam supra, & alibi diximus, existimasse, dari quoddam principium summè malum, & hoc fuisse totalem causam reprobationis hominum. Priscillianistæ judicarunt, fuisse fatum, & naturalem quandam necessitatem, & hinc ut ex causa procedere hominum reprobationem. Caluinus *lib. 1. instit. cap. 18. §. 4. & lib. 3. instit. cap. 21. §. 25. & cap. 22. §. 3. & cap. 23. §. 2. & 3. & cap. 24. §. 3.* & illius Sectatores dicunt, primam causam, & radicem totius culpæ, & perditionis reproborum fuisse Voluntatem Divinam, & ipsum Deum, quæ sententia planè crudelis, blasphema, & impia est, ut pluribus demonstrat *P. Bellarm. lib. 2. de statu peccati, & lib. 2. de grat.* damnaturque ut talis à Trid. sess. 6. can. 4. 5. & 6. ibi: *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Sap. 1. 13.* Hos, & similes hæreticorum errores jam supra refutavimus, &

plenius refutat *P. Soar. lib. 1. & 2. de Auxil.* His positis.

88. Difficultas 1. Utrùm detur aliqua causa reprobationis negativæ à gloria ex parte reprobi? Negativè. Ita *P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 5. n. 5. P. Herice tract. 3. d. 33. cap. 2. n. 11. Lezan. tract. 4. d. 12. q. 3. §. 1. P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 3. num. 24.* & alii apud cit. Probatur primò ex illo ad Rom. 9. ibi: *Cùm non dum aliquid boni egissent, aut mali, &c.* qui locus supra explicatus est de electione efficaci ad gloriam ante prævisa merita, & de reprobatione negativa ante prævisa demerita, sicque ad hanc nulla fuit causa ex parte reprobi; sicut ad illam nulla fuit causa ex parte prædestinati; cùm hujus electio, & illius reprobatio negativa fuerint in eodem signo. Confirmatur ex D. Aug. *tract. 26. in Joan. Cur hunc trahat*, inquit, *& illum non trahat, noli judicare*: Et *Epist. 165. Cur hunc liberet, & non illum*: & idem habet *lib. de corrept. & grat. cap. 8. & 13.* ex quibus constat nullam admittere causam reprobationis negativæ, sive non electionis ex parte reprobi.

89. Probatur secundò rationibus: Prima, quia si aliqua esset causa hujus reprobationis ex parte reprobi, essent illius mala opera prævisa; sed non ita fuerunt; siquidem facta fuit in eodem signo cum electione prædestinatorum; hæc autem facta fuit ante prævisionem omnium bonorum operum in esse absoluto, ut supra diximus; ergo etiam illa reprobatio facta fuit ante prævisionem malorum operum in esse absoluto; consequenterque hæc non fuerunt illius causa.

90. Secunda, quia in illo primo signo æquales erant inter se electi, & non electi, sive negativè reprobi; alioqui non esset speciale Dei beneficium illa prædestinatorum discretio, sive electio præ aliis; sed in illo signo electi nullam habebât causam, sive culpam, aliamvè rationem motivam, ob quam non eligerentur; ergo neque illam habuerunt ipsi reprobi, sive non electi. Confirmatur, quia in Angelis nulla præcessit culpa ante voluntatem divinam eos non eligentem efficaciter ad gloriam; ergo idem dicendum in hominibus.

91. Argues 1. Peccatum originale fuit causa illius reprobationis negativæ; ergo &c. Respondeo negando antecedens; licet enim potuerit sic esse, non ita tamen fuit de facto: Primò, quia hujusmodi reprobatio negativa fuit communis Angelis malis, & hominibus; sed in illis nõ habuit pro causa peccatum originale; ergo neq; in istis. Secũdò, quia originale fuit commune electis, & non electis, sive reprobatis negativè; sed non fuit causa electis non electionis; ergo neque ipsis reprobis. Tertio, quia si esset causa illius reprobationis, talis esset in omnibus reprobis; sed non ita est; siquidem in multis dimissum est, quo non obstante, si esset causa reprobationis eorum, eis daretur pœna damni tali peccato correspondens, quod tamen non est dicendum; siquidem licet peccatis dimissis possint correspondere pœnæ temporales, quales sunt dolores, infirmitates, mors, & similes, non ita possunt pœnæ æternæ; ergo cùm hi non fuerint negativè reprobati propter originale; neque sic fuerunt alii; consequenterque nulli. Undè Deus in ipsa reprobatione habuit se tantùm negativè ad tale peccatum, non attendendo ad illud.

92. Argues 2. Creaturæ illæ sic reprobatæ nullam habebant causam, ut à Deo eligerentur; sed hoc erat sufficiens causa, ut ab eo negativè reprobarentur; ergo habuerunt causam suæ reprobationis negativæ. Respondeo negando minorem, si sermo sit de causa morali, quæ addita ex parte creaturæ posset Deum movere ad habendam eam voluntatem non eligendi, de qua tantùm causâ motivâ hîc loquimur, & quam non probat argumentum, sed tantùm de ratione negativa, quæ non dicitur propriè causa; alioqui dicamus, etiam electos habuisse causam suæ electionis, quia non habuerunt causam expulsionis. Undè sicut ex parte electorum data non fuit capacitas aliqua naturalis ad electionem; ita neque ex parte reproborum ad eorum non electionem; siquidem, ut ait *P. Soar. cit. num. 6.* ubi affirmatio non est causa affirmationis, neque negatio opposita potest dici causa negationis.

93. Argues 3. Aliqui Patres dicunt, hominem apposuisse causam suæ non electionis, sic enim ait D. Prosper. *Respons. 3. ad Gallos*: ibi: *Non necessitatem puniendi habuerunt, quia prædestinati non sunt, sed ideò non prædestinati, (id est non electi,) quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt*; ergo &c. Resp. D. Prosper. sicut & alios Patres intelligendos esse de reprobatione positivâ, quæ aliquando significatur termino negativo, quatenùs semper adjunctam habet negationem electionis, sive prædestinationis.

94. Argues 4. Homines ante originale fuerunt electi inefficaciter ad gloriam, & ad sola auxilia sufficientia; ergo ante illud fuerunt prævisi incidere in aliqua peccata personalia; siquidem auxilium sufficiens connotat ipsa peccata; consequenterque ante prædestinationem Christi Domini jam aliqua prævidebantur in esse absoluto, propter quæ homines potuerunt esse non electi ex causa, quam habebant. Respondeo negando consequentiam; siquidem Deus in illis signis usque ad electionem efficacem nulla prævidit opera in esse absoluto, neque bona, neque mala; sicque auxilia illa sufficientia, & intentio illa gloriæ solùm erant inter divina decreta conditionatè, nempè si homines vellent pro signis sequentibus acceptare.

95. Difficultas 2. Utrùm detur aliqua causa reprobationis negativæ à gratiâ congruâ ex parte reprobi? Negativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 23. art. 3. Durand. in 1. dist. 41. q. 2. num. 4. Arriminens. ibid. q. 1. art. 2. Capreol. ibid. q. unica. Caiet. 1. p. q. 23. art. 5. Bannez ibid. Zumel. ibid. d. 4. P. Vasq. 1. p. d. 95. cap. 9. num. 56. P. Molin. 1. p. q. 5. d. 3.* quos citat, & sequitur *P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 3. num. 11. & 18. P. Rhodez tom. 1. d. 5. q. 2. sect. 2. §. 1.* & alii. Probatur primò in Angelis, & primis Parentibus ante commissum originale, (quod omnes concedunt,) quia si in illis daretur causa ad talem reprobationem, esset aliquod demeritum; sed illi hoc non habuerunt ante talem reprobationem; siquidem tale demeritum esset aliquod peccatum; illi autem nullum antecedenter habuerunt; cùm peccatum supponat permissionem; hæc autem supponat illam reprobationem, ut supra notavimus; ergo nullum habuerunt demeritum; consequenterque neque causam aliquam talis reprobationis à gratia congrua.

96. Probatur secundò de hominibus post commissum originale, quia si in illis daretur aliqua causa motiva talis reprobationis, esset ipsum originale; sed non ita fuit; ergo &c. Probatur minor, quia tale peccatum non fuit causa motiva reprobationis negativæ à gloria, ut diximus; ergo neque reprobationis negativæ à gratia congrua.

97. Confirmatur primò, quia, ut ait *P. Herice tr. 3. d. 33. cap. 2. n. 10.* reprobatio formalis à gratia congrua est logicè reprobatio virtualis à gloria; & è contra reprobatio formalis à gloria est logicè repro-

reprobatio virtualis à gratia cõgrua; nam sicut non potest intendi finis sine virtuali electione mediorum; neque possunt eligi media sine virtuali intentione finis; ita etiam non potest negari electio ad finem formaliter, quin virtualiter logicè negetur electio ad media; neque potest negari formaliter electio ad media, quin virtualiter logicè negetur intentio finis; sicut enim positio est causa positionis, ita etiam negatio est causa negationis; sed ut detur negatio electionis ad gloriam, sive reprobatio negativa à gloria quæ est finis, non fuit causa motiva ipsum originale; ergo neque sic erit, ut detur negatio electionis ad gratiam congruam, sive reprobatio negativa à gratia congrua, quæ est medium.

98. Confirmatur secundo, quia peccatum originale fuit æqualiter in omnibus hominibus, tam electis, quàm non electis, sive reprobis; sed in electis, imò & in reprobis, quibus fuit dimissum, non fuit causa istius reprobationis negativæ à gratia congrua, neque à gloria, ut patet ex supra dictis; ergo &c.

99. Oppositum tenent *P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 5. n. 9. Soto ad Rom. 9. Driedo de concord. liber. arbit. p. 1. cap. 4. memb. 1. P. Bellarm lib. 2. de grat. cap. 16. P. Valent. 1. p. q. 23. punct. 3.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 14. sect. 3. n. 23. P. Alarcon tract. 4. d. 5. cap. 3. n. 8. Lezana d. 12. q. 5.* & alii apud citatos: pro quibus: Objicies 1. D. Aug. loquens de Jacob, & Esau sic ait: *Esau Deus odio habuit propter originale peccatum*; ergo ponit causam reprobationis illius in ipso originali. Respondeo negando consequentiam: nam alibi inquirendo causam hujus reprobationis, ad solam Scientiam Divinam confugit dicens: *Si dicas, non nè erat melius ambos liberare? Dico ô homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Undè ibi non assignavit causam reprobationis negativæ Esau peccatum originale; alioqui cùm hoc esset utrique commune, uterque esset reprobatus, & non benè de solo Esau diceret: *Esau Deus odio habuit*; sed supposita hac reprobatione ex mera Dei voluntate, cùm Esau non esset electus ad gratiam, sicut Jacob, ideoque maneret in peccato, indè justè dixit, quod Deus eum odio habuisset.

100. Objicies 2. Peccatum originale de se erat sufficiens causa ad causandam illam reprobationem à gratia congrua; ergo ita fuit de facto. Respondeo ad antecedens, esse quidem causam sufficientem; non tamen necessariam, ut ipsi Adversarii fatentur, & patet ex prædestinatis, qui illud contraxerunt; & tamen non fuerunt reprobati à gratia congrua; sicque de facto talis causa non fuit, ut patet ex dictis.

101. Objicies 3. Peccatum est tantum malum, ut Deus illud non permitteret, nisi in pœnam alterius peccati; sed ante illud primum non apparet aliud actuale, ratione cujus Deus permitteret ipsum primum, & negaret gratiam congruam; ergo causa negationis gratiæ congruæ, sive reprobationis negativæ ab illa, fuit ipsum peccatum originale. Respondeo negando majorem; nam in Angelis non præcessit aliud peccatum, neque actuale, neque originale; neque etiam in primis parentibus, quando primum peccatum commiserunt; & tamen Deus permisit eorum peccata, negando eis illa auxilia congrua, sive non eligendo illos ad gratiam congruam; cùr ergo non ita faceret, etiam supposito originali? Præsertim, quia quando eos non elegit, adhuc non videbat illa opera bona in esse absoluto, per quæ aliquibus dimittendum erat originale, ut propter illa ex tali peccato hos non reprobaret à gratia congrua; illos autem maximè.

102. Objicies 4. Peccatum originale, adhuc dimissum, manet causa sufficiens pœnæ temporalis, nempè doloris, infirmitatis, mortis, & similium; sed inter has numeratur etiam illa non electio ad gratiam congruam; ergo tale peccatum omnibus non prædestinatis potuit esse causa illius non electionis. Respondeo negando minorem cum *P. Herice, P. Alarcon.* & aliis: Primò, quia si remisso illo peccato, adhuc homo propter illud maneret dignus ea reprobatione, adhuc ex illo remaneret, quod hominem retardaret ab ingressu Cœli; hoc autem est contra Trid. *sess. 5. de peccato origin.* ubi id omninò negat. Secundò, quia cùm per remissionem ipsius peccati infundatur gratia, & per hanc maneat homo dignus vitâ æternâ, consequenterque auxiliis efficacibus, quibus illa cõparatur, non potest adhuc per illud manere dignus reprobatione ab ipsis auxiliis; cùm hæ condignitates sint contrariæ. Ex quibus patet hujusmodi reprobationem non esse pœnam, neque inter illas pœnas numerari, sed provenire ex mera Dei libertate, & sine aliqua culpa, sive causa ex parte reprobi.

SECTIO VII.

Virùm præcesserit causa reprobationis positivæ ex parte reprobi?

103. Dico 1. Datur causa reprobationis positivæ ex parte reprobi: Ita Doctores supra citati *n. 51.* & infrà citandi *n. 107.* Probatur primò ex supra dictis *à n. 51.* & ex infrà dicendis *à n. 107.* Secundò, quia reprobatio positiva est actus quidam judicii per modum sententiæ prolatus; sententia autem, ut sit justa, qualis debet esse in Deo, nunquam profertur sine culpa; ergo &c.

104. Dico 2. Nullum peccatum, sive originale, sive personale, quod in mortis instanti est remissum, censetur causa reprobationis positivæ. Ita communiter Doctores. Probatur, quia quod est causa reprobationis positivæ, est etiam causa damnationis æternæ; siquidem reprobatio positiva præter exclusionem à regno defert ipsam damnationem: sed nullum peccatum, postquam est remissum, relinquit dignitatem pœnæ æternæ, ut definit Trid. *sess. 5. cit.* ergo neque est causa reprobationis positivæ.

105. Dico 3. Peccatum originale non est causa reprobationis positivæ in omnibus qui damnantur. Est etiam communis inter Doctores. Probatur primò, quia Angeli de facto fuerunt damnati; & tamen nullum habuerunt peccatum originale; ergo &c. Secundò, quia originale pluribus hominibus reprobis fuit dimissum; ergo neque partialiter, neque totaliter potuerunt esse reprobati propter illud; consequenterque originale non fuit causa eorum reprobationis positivæ. Neque obstat, quod originale fuerit fons, & radix peccatorum, & ut aliqui voluerunt, etiam negationis auxiliorum efficacium: non, inquam, obstat, ex hoc enim solùm colligitur, fuisse causam remotissimam, imò potiùs occasionem tantùm removentem prohibens.

Dico

106. Dico 4. Nullum peccatum, etiam actuale, quod non conjungitur cum morte hominis, est causa reprobationis positivæ illius. Ita Doctores citati, & infra citandi. Probatur primò, quia tunc censetur Deus habere voluntatem positivam reprobandi aliquem, quando cessat à voluntate illa generali salvandi illum; sed propter quodcumque peccatum prævisum ante mortem non cessat Deus ab illa voluntate; siquidem quandiu homo vivit semper ei dat auxilia sufficientia ad salutem; ergo non censetur habere voluntatem positivam reprobandi illum propter tale peccatum. Secundò, quia plures electi, quandiu vixerunt, plura commiserunt peccata non finalia; & tamen propter illa sic prævisa ante mortem non fuerunt positivè reprobati; alioqui non salvarentur, aut decretum Dei efficax frustraretur; ergo propter nullum peccatum prævisum ante mortem Deus positivè reprobat.

107. Dico 5. Peccatum, sive peccata finalia in adultis sunt causa reprobationis positivæ. Ita communiter Doctores. *P. Bellarm. lib. 2. de grat. & liber. arbit. cap. 16. & lib. 2. de amiss. grat. cap. 12. P. Soar. 1. p. lib. 5. de reprobat. cap. 3. & 6. n. 8. P. Vasq. 1. p. d. 95. cap. 5. P. Molin. in Concord. a. 5. d. 3. P. Valent. de Reprobat. punct. 3. P. Less. de Reprobat. sect. 6. assert. 6. P. Arrub. d. 88. cap. 2.* quos citat, & sequitur *P. Herice tract. 3. d. 33. cap. 3. n. 16.* ubi dicit hanc sententiam pro vitili defendere Scriptores nostros Societatis JESU; oppositamque dici à Catherin. lib. 2. de prædest. *horribilem, & piorum aures verberare, ipsumq; Augustinum eam detestari ut impiam:* & Adversariorum sententiam aliquas conclusiones habere cum doctrina Calviniana cõmunes, ut ibi ostendit ipse P. Herice loco citato. Videat ibi Lector, nos enim ab hujusmodi censuris abstinendum judicavimus, quamdiu videmus hanc sententiam tenere Doctores Catholicos, inter quos sunt Recentiores Thomistæ *Bannez 1. p. q. 23. a. 3. Zumel. ibid. d. 4. Alvarez de Auxil. d. 110.* & alii apud illos, quatenùs defendunt, Deum ante prævisionem ullius peccati, ex se voluntate sua antecedente decrevisse excludere rèprobos à regno Cœlorum ad ostensionem suæ Justitiæ Divinæ, contra quos jam supra egimus à *n. 51.*

108. Probatur primò ex supra dictis à *num. 51. cit.* Secundò, quia illud est causa reprobationis, quod est causa damnationis; sed causa damnationis sunt tantùm peccata, & sola finalia; sicut causa salutis sunt sola merita, & hæc finalia, ut constat ex Trid. apponente hanc conditionem ad salutem in effectu consequendam, nempè, *si in gratia decesserit*; ergo idem dicendum de demeritis, prout sunt causa reprobationis positivæ.

109. Dico 6. Peccatum originale in parvulis à Deo prævisum ut durans usque ad mortem fuit causa eorum reprobationis positivæ. Ita Doctores communiter. Probatur, quia eadem est causa reprobationis positivæ, atque damnationis æternæ; sed illud peccatum sic prævisum in parvulis est causa damnationis; ergo etiam reprobationis positivæ. Dixi *sic prævisum*, quia Deus non habuit voluntatem antecedentem damnandi ipsos parvulos, donec prævidit, quod per causas naturales eveniret, eos decessuros sine remedio, & in tali peccato.

SECTIO VIII.

De effectibus Reprobationis, & quæ conditiones requirantur, ut tales sint?

DIFFICULTAS 1. Quales conditiones requirantur, ut aliquid sit effectus reprobationis? Quinque requiruntur conditiones, ut aliquid sit reprobationis effectus. Patet, quia, ut supra diximus, quinque requiruntur conditiones, ut aliquid sit prædestinationis effectus; ergo etiam quinque requirentur, ut aliquid sit reprobationis effectus; oppositorum enim eadem est ratio: prædestinatio autem, & reprobatio opponuntur, prout supra diximus. Igitur: 110.

Prima conditio est, ut sit effectus Dei. Probatur, quia reprobatio, prout supra diximus, est actus Dei internus, & immanens, sicque idem cum ipso Deo; ergo quidquid est effectus reprobationis, est etiam effectus ipsius Dei, id est Omnipotentiæ illius imperatæ per talem actum, sive applicatæ. 111.

Secunda conditio est, ut actu conducat ad æternam damnationem, aut sit ipsa pœna æterna. Probatur, quia effectus reprobationis debet esse proprius reprobi, & minimè communis prædestinato; sed redditur proprius reprobi per id, quod aliquo modo conducat actu ad damnationem æternam; ergo &c. 112.

Tertia conditio est, ut procedat ex speciali Voluntate Dei puniendi, & excludendi reprobum à gratiâ, & à gloriâ. Probatur, quia reprobatio, si sit negativa, (ut multi judicant) est exclusio reprobi à gratia; & si sit positiva, est exclusio à gloria, & destinatio ad damnationem; ergo ut aliquid sit effectus reprobationis, debet procedere à tali voluntate speciali puniendi. 113.

Quarta conditio est, ut aliquo modo pertineat ad ordinem providentiæ supernaturalis. Probatur, quia similis conditio requiritur ad effectus prædestinationis, ut diximus; sed negatio, & forma negata videntur pertinere ad eundem ordinem; ergo sicut effectus prædestinationis, ut talis sit, debet sumi in ordine ad finem supernaturalem; ita etiam effectus reprobationis, ut talis sit, debet sumi in ordine ad exclusionem à tali fine supernaturali. 114.

Quinta conditio est, ut debeat respicere ipsum reprobum ut causam demeritoriam. Probatur, quia effectus prædestinationis, ut talis sit, respicit Christum Dominum, ut causam meritoriam; ergo similiter effectus reprobationis, ut talis sit, debet respicere aliquam causam demeritoriam; talis autem est ipse reprobus. Scio aliquos Doctores non omnes has conditiones admittere, sicut non omnes admittunt in effectibus prædestinationis, prout supra diximus; facilè tamen omnes admitti possunt, quia utrobique eadem est difficultas, & ratio. Vide supra Disp. 115.

Difficultas 2. Utrùm peccatum absolutè sit effectus reprobationis? Negativè. Ita communis Theologorum sententia. *P. Soar. P. Herice, P. Ruiz*, & alii. Probatur, quia effectus reprobationis, ut talis sit, debet esse effectus Dei, prout diximus; sed peccatum non est, neque potest esse effectus Dei; alioqui posset Deus esse causa 116.

peccati

peccati, quod est contra fidem; ergo peccatum non est effectus reprobationis.

117. Oppones 1. Meritum bonum est effectus prædestinationis; ergo etiam meritum malum, sive peccatum, erit effectus reprobationis; siquidem ita se habet meritum malum ad pœnam, atque bonum ad præmium, sive ad gloriam. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia meritum bonum est effectus Dei, & habet omnes alias conditiones requisitas, ut sit effectus prædestinationis: at verò meritum malum, (etiam si habeat alias conditiones, de quibus hîc non agimus) non est effectus Dei, ideòque non potest esse effectus reprobationis.

118. Oppones 2. Peccatum est medium actu conducens ad mortem æternam; sed quidquid ita conducit in reprobo, est effectus reprobationis; siquidem quidquid actu conducit ad vitam æternam in prædestinato, est effectus prædestinationis; contrariorum autem eadem est ratio; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem; quidquid ita conducit in reprobo, est effectus reprobationis, si sit effectus Dei; concedo minorem: si talis non sit; nego minorem: cùm autem peccatum, licet ita conducat actu ad mortem æternam, non sit effectus Dei, neque à Deo procedat speciali voluntate; maximè verò ita procedat, & sit effectus Dei, quidquid actu conducit ad vitam æternam in prædestinato, ideò hoc est effectus prædestinationis, & non ita est effectus reprobationis peccatum.

119. Oppones 3. Deus, ut docet D. Aug. *lib. de prædest. & liber. arbitr. cap. 2.* aliquando flectit corda hominum ad malum; sed hoc facit ex intentione excludendi illos à regno; ergo malum, sive peccatum est effectus talis exclusionis, sive reprobationis. Respondeo D. Aug. solùm velle, Deum flectere ad malum permissivè, & indirectè; non autem directè, & positivè, quod erat necessarium, ut malum, sive peccatum esset effectus reprobationis.

120. Difficultas 3. Utrùm materialitas peccati sit effectus reprobationis? Advertes, materialitatem peccati, prout jam supra diximus, considerari posse; aut ut exit à peccatore; aut ut exit à Deo, idque aut de facto, aut saltem de possibili. Hoc posito.

121. Dico 1. Materialitas peccati considerata prout exit à peccatore, nec de facto, nec de possibili est effectus reprobationis. Ita communiter Doctores. Probatur ex supra dictis pro effectibus prædestinationis, nam materialitas peccati ut sic est infecta malitiâ formali; ergo neque est, neque potest esse effectus Dei, neque à Deo volita speciali affectu; sed hæc requiruntur, ut sit effectus reprobationis; ergo &c.

122. Dico 2. Materialitas peccati, etiam prout exit à Deo, neque de facto, neque de possibili est effectus reprobationis tam negativæ, quàm positivæ. Ita communiter Doctores. Probatur prima pars, quia ad effectum reprobationis negativæ, aut positivæ de facto requiritur, quod procedat ex speciali, ac studiosâ Dei Voluntate; sed illa materialitas non sic procedit à Deo, imò potiùs ex voluntate permissivâ, & veluti coactâ; ergo &c.

123. Probatur secunda pars, quia materialitas peccati præter rationem assignatam, prout exit à Deo antecedit reprobationem positivam; ergo non potest esse illius effectus; alioqui effectus esset prior suâ causâ. Probatur antecedens, quia materialitas peccati, aut est simul cum ejus malitia formali, aut prior; siquidem cùm hæc sit forma, debet supponere materialitatem ut subjectum; sed formalitas peccati, nempè malitia est prior reprobatione positivâ, ut sit illius causa, ut diximus; ergo etiam ipsa materialitas erit prior reprobatione positivâ; ergo non potest esse illius effectus; alioqui idem posset esse prius, & posterius in genere effectivo morali, quod implicat, sicut implicat esse prius, & posterius in genere effectivo physico.

Difficultas 4. Utrùm formalis malitia peccati, saltem prout est pœna, sit effectus reprobationis? 124. Advertes hîc, præsentem difficultatem supponere cum aliquibus Theologis, peccatum habere posse rationem pœnæ, quando scilicet Deus in pœnam unius peccati ita deserit peccatorem, ut in aliud prolabatur. Imò nonnulli asserunt, peccati malitiæ adnexam esse rationem summæ pœnæ, quatenùs privat amicitiâ Dei, ejusque gratiâ: item quatenùs reddit peccatorem exhæredem Regni Cœlestis, mancipium diaboli, &c. Igitur hac facta suppositione.

Conclusio sit: Peccatum, neque ut est pœna, 125. potest esse effectus reprobationis. Ita *P. Soar. lib. 5. de prædest. cap. 7. num. 3.* & alii. Probatur, quia dato quod peccatum habeat rationem pœnæ (idemque dicendum de peccati duratione) talis pœna in particulari sumpta includeret rationem culpæ intrinsecè; sed hanc Deus nec velle, nec ordinare potest, ut sit; ergo admissâ tali ratione pœnæ in peccato, negandum est, Deum esse causam talis pœnæ; consequenterque talem pœnam esse effectũ Dei; sed ut esset effectus reprobationis, debebat esse effectus Dei, ut diximus; ergo &c.

Dixi, *dato, quod habeat rationem pœnæ*, quia peccatum (idemque de illius duratione) re vera illam 126. non habet respectu alterius peccati præcedentis, ut sentiunt alii cum P. Soar. cit. Patet, quia pœna in ratione pœnæ potest à Deo intendi, ut communiter dicitur, cùm sit bona; sed peccatum in ratione pœnæ semper includit malitiam, quam Deus nec velle, nec intendere potest; ergo non potest habere rationem pœnæ à Deo infligendæ in pœnam alterius peccati.

Advertes tamen primò, me non negare, permissionem peccati, & negationem auxilii efficacis 127. posse habere rationem pœnæ, sed tantùm id negare de ipso peccato ob assignatam rationem. Secundò etiam id non negare de permissione durationis peccati, neque de duratione auxilii congrui, quo peccator respiscat, has enim fatemur posse habere rationem pœnæ, quam tamen negamus habere ipsius peccati durationem; siquidem cùm sit intrinsecè mala, seu infecta malitiâ intrinsecâ, non potest à Deo intendi ut pœna, cùm tamen pœna, ut pœna bona sit.

Dices: Formalitas illa pœnæ est bona; siquidem bonum, imò optimum videtur esse, supposito quod 128. sit malitia, quod ipsa sit vindex, & ultrix sui ipsius; ergo potest ut sic à Deo intendi, & amari; consequenterque esse effectum reprobationis. Resp. primò negãdo antecedens; jam enim supra diximus, peccatum non habere rationem pœnæ; licet id concedamus de ejus permissione. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; dato enim quod habeat talem rationem pœnæ, non poterit ut sic à Deo amari, neque intendi; siquidem talis pœna ut sic includit etiam rationem culpæ, quam Deus neque intendere, neque amare potest, quod erat necessarium, ut esset reprobationis effectus, ut diximus.

Instabis: Permissio peccati ut sic potest habere 129. rationem pœnæ; ergo etiam peccatum, ut sic

talem rationem habere poterit. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia permissio peccati non includit intrinsecè malitiam culpæ, imò potiùs includit bonitatem intrinsecam, sive est bona secundùm quod habet intrinsecum, ideòque potest à Deo amari efficaciter, non efficacitate absolutâ, sed conditionatâ, sive ex suppositione, quod voluntas creata dissentiri velit auxilio sufficienti: at verò peccatum secundùm formale, & intrinsecum, quod includit est malum, cùm sit intrinsecè conjunctum cum malitia formali, à quâ non potest præscindere in ratione peccati; & in ratione talis pœnæ, sicque non potest amari à Deo, neque esse ejus effectus; consequenterque neque effectus reprobationis, ut diximus.

130. Difficultas 5. Utrùm permissio peccati sit effectus reprobationis negativæ? Advertes hujusmodi quæstionem posse procedere de permissione peccati non finalis, aut de permissione peccati finalis; sicque de hac duplici permissione duplicem conclusionem resolvemus: Sit igitur:

131. Conclusio prima: Nullà permissio peccati non finalis est effectus reprobationis negativæ. Ita cõmuniter Doctores. Probatur, quia nulla permissio peccati non finalis, sive originalis, sive personalis procedit ex reprobatione negativa, sed ex voluntate permittendi ipsum peccatum non finale; hæc autem voluntas non est reprobatio negativa; alioqui ex illa sequeretur infalllibiliter reprobatio positiva, prout supra diximus, quod est falsum, cùm Deus multa peccata non finaliapermittat in electis; atqui ut esset effectus reprobationis negativæ debebat ab illa procedere; omnis enim effectus debet procedere à sua causa; ergo &c.

132. Conclusio secunda: Omnis permissio peccati finalis, sive originalis, sive personalis, prout dicit negationem vocationis congruæ, est effectus reprobationis negativæ. Ita communiter Doctores *P. Soar. lib. 5. de reprobat. cap. 7. num. 14.* Probatur, quia talis permissio ut sic oritur ab illa non electione ad gloriam, quæ est reprobatio negativa, ita ut vera sit hæc causalis: *Deus permittit, hunc peccare finaliter, quia non elegit illum ad gloriam*, ut docet D. Aug. lib. de bono perfever. cap. 14, ubi dicit, non dari reprobo vocationem congruam: *quia non fuit altiori modo à massa perditionis discretus*; sed quæ sic oriuntur habent rationem effectus; ergo permissio illa est effectus illius reprobationis negativæ, eo modo, quo una negatio potest habere causam, & rationem effectus, non per influxum positivum, sed per ejus subtractionem.

133. Dixi *prout dicit negationem vocationis congruæ*, nam prout dicit concursum positivum, per quem Deus ut causa universalis paratus est concurrere ad actum peccati, si creatura velit illud committere, non potest esse effectus reprobationis negativæ; siquidem ex negatione non sequitur per se aliquid positivum; sicque solùm est effectus providentiæ generalis, quam Deus, ut causa prima, & gubernator generalis debet causis secundis.

134. Objicies 1. Illa prima negatio, quæ est reprobatio negativa, non habet rationem intentionis finis, imò potiùs est negatio ipsius intentionis, ut patet ex dictis; ergo non potest exercere causalitatem respectu secundæ negationis, qualis est permissio peccati finalis, prout dicit negationem vocationis congruæ Respondeo distinguendo consequens: non potest exercere causalitatem positivam; concedo consequentiam: negativam, & eo modo; quo negatio est causa negationis; nego consequentiam: sic enim eam causalitatem exercere poterit, quando affirmatio est causa affirmationis; nam sicut efficax intentio finis est ratio dandi media efficacia ad ipsum finem assequendum, ita etiam negatio electionis ad finem est suo modo ratio non dandi media efficacia ad ipsum finem.

135. Objicies 2. Permissio peccati originalis, ut est permissio peccati omnibus communis, est effectus reprobationis negativæ; & tamen in pluribus non conducit ad effectum reprobationis positivæ, quæ est una ex conditionibus supra requisitis ad effectum reprobationis; ergo non solæ permissiones, quæ ita conducunt sunt effectus reprobationis. Respondeo primò, argumentum jam non probare contra conclusionem, ut consideranti patebit. Respondeo secundò negando majorem, nam talis permissio antecedit ipsum peccatum, & peccatum absolutè sumptum antecedit, ut commune, ipsam reprobationem negativam; siquidem hæc fuit facta in eodem signo, quo fuit facta electio prædestinatorum; hæc autem electio fuit post peccatum commune absolutè prævisum, ut supra diximus; sicque post ejus permissionem; ac proinde hæc non potest esse effectus reprobationis negativæ; alioqui prior esset effectus, quàm ejus causa. Accedit, quod peccatum ipsum, cùm sit commune, & eodem modo in omnibus, non potest esse effectus reprobationis in aliquibus, nempè in reprobis, & non in aliis, nempè in electis, prout supra diximus.

136. Inferes: Ergo neque in parvulis, qui sine Baptismo decedunt, erit effectus reprobationis negativæ; hoc autem est contra superiùs dicta; siquidem in illis est permissio peccati finalis; ergo &c. Respondeo concedendo illationem, si sumatur ut est permissio peccati absolutè, & ut communis; aliter tamen, si sumatur ut est permissio peccati persistentis usque ad mortem, seu finalis; nam sicut prout sic, & non ita in illa prima consideratione, est causa reprobationis positivæ; ita etiam prout sic, & non in illa prima consideratione, est effectus reprobationis negativæ; & secundùm has diversas considerationes supra locuti sumus *Sect. 5. à num. 66.*

SECTIO IX.

Utrùm permissio peccati sit effectus Reprobationis positivæ?

137. Conclusio sit: Nulla permissio peccati, etiam finalis, & ultimi, est effectus reprobationis positivæ. Ita *P. Soa. hic lib. 5. cap. 7. n. 9. P. Amicus d. 16. sect. 3. num. 61.* & alii communiter. Probatur, quia nullus effectus est naturâ prior suâ causâ; sed omnis permissio peccati est naturâ prior reprobatione positivâ; ergo &c. Probatur minor, quia reprobatio positiva, ut diximus, fuit à Deo facta post præscientiam absolutam peccatorum finalium; ergo ipsa peccata finalia sunt naturâ priora reprobatione positivâ; sed omnis permissio est naturâ prior ipsis peccatis finalibus; siquidem ex permissione sequitur peccatum; ergo omnis permissio est prior naturâ reprobatione positivâ, consequenterque nulla potest esse illius effectus.

Hinc

138. Hinc colliges primò, permissionem peccatorum Angelorum non fuisse effectum reprobationis positivæ eorum; siquidem eorum reprobatio positiva supponebat ipsum eorum peccatum, & peccatum suam permissionem; illud autem, quod est prius, non potest esse effectus illius, quod est posterius. Secundò, etiam in parvulis permissionem durationis in peccato originali usque ad mortem, non fuisse effectum reprobationis positivæ eorum; siquidem hæc fuit etiam posterior ipso peccato ut sic durante; consequenterque posterior ipsa permissione talis durationis. Tertiò, permissiones peccatorum, quæ integrè; & omninò fuerunt remissa in hac vita, non fuisse in reprobis effectus reprobationis positivæ eorum. Patet primò, quia nulla permissio peccati, etiam finalis, & non remissi, est effectus reprobationis positivæ; ergo neque sic erit permissio peccati jam remissi. Secundò, quia hujusmodi permissiones plures fuerunt in electis, in quibus non fuerunt reprobationis effectus; ergo neque sic fuerunt in reprobis. Tertiò, quia hujusmodi permissiones non conducunt actu ad pœnam æternam; siquidem hæc cum ipsis peccatis remittitur; sicque autem semel remissa non reviviscit, sicut non reviviscunt ipsa peccata; sed ut essent effectus reprobationis positivæ, debebant sic actu conducere ad pœnam æternam, ut diximus; ergo &c.

139. Nihilominùs contra conclusionem appositam duæ adhuc sunt sententiæ: Prima asserit omnem permissionem peccati finalis, etiam originalis, & primi, esse effectum reprobationis positivæ: siquidem, ut ait, omnis permissio peccati finalis actu conducit ad damnationem æternam, & datur reprobo ex intentione excludendi illum à regno. Ita *P. Alarcon tract. 4. d. 5. cap. 5.* Non placet, primò ob rationes supra factas. Secundò, quia infrà probabimus, non dari in Deo talem intentionem excludendi à gloria.

140. Secunda sententia affirmat, permissionem, non quidem primi, sed secundi peccati finalis, & aliorum subsequentium, esse effectum reprobationis positivæ. Ita *P. Herice tract. 3. d. 34. cap. 3. à n. 9. P. Ruiz d. 38. sect. 7. à n. 11.* quorum sententia differt à prima in eo, quod prima admittat reprobationem positivam, seu intentionem excludendi reprobos à gloria ante prævisionem omnis peccati finalis, etiam primi; hæc autem secunda non ita; asserit tamen, Deum priùs permittere primum ex peccatis finalibus; deindè propter illud prævisum reprobare positivè; deincepsq; ex tali reprobatione sequi permissiones aliorum peccatorum, etiam finalium subsequentium; sicque concludit hæc sententia, permissionem primi peccati finalis non esse effectum reprobationis positivæ, cùm hanc antecedat; alias verò permissiones aliorum peccatorum finalium subsequentium, cùm jam ipsam reprobationem positivam supponant, posse esse illius effectus. Undè pro illis:

141. Argues 1. Omnis permissio peccati est effectus Providentiæ divinæ, prout supra diximus; sed non ipsius providentiæ, quatenùs est prædestinatio; ergo quatenùs est reprobatio; consequenterque omnis permissio peccati est effectus reprobationis. Respondeo permissiones peccatorum in reprobis posse esse effectus prædestinationis Sanctorum, prout supra diximus: aut etiam reprobationis negativæ ipsorum reproborum: aut si nullius ex his, erunt effectus providentiæ Dei generalis supernaturalis, quam Deus habet circa omnes homines in ordine ad salutem. Undè quatenùs effectus prædestinationis Sanctorum, habent pro fine eorum gloriam; quatenùs autem effectus providentiæ generalis, habent pro fine suavem liberi arbitrii dispositionem, ut homo suam agnoscat fragilitatem, & Deus suam ostendat potentiam, & dominium.

142. Argues 2. Permissio peccati est medium unicum per se requisitum ad finem reprobationis, ita ut, licet non sit illius causa per se, sicut talis non est ipsius peccati, sit saltem occasio removens id, quod potest impedire ipsum finem, qui illâ positâ, aut sublatâ, infallibiliter ponetur, aut auferetur; ergo erit illius effectus; sicut media ad finem prædestinationis sunt ejus effectus. Respondeo negando antecedens: ut enim esset medium, debebat esse volita ex talis finis intentione; non autem sic est, ut supra diximus: si autem est occasio, ex qua ipsa intentio finis sequitur per accidens, hinc potiùs arguitur pertinere ad causam, quàm ad effectus ipsius reprobationis, ut intendit argumentum.

143. Neque dicas in intentione finis contineri ut effectus virtute, non solùm media, sed etiam occasiones, quales sunt permissiones peccatorum. Non, inquam, hoc dicas, siquidem id solùm est verum de illis occasionibus, (sicut & mediis,) quæ sunt post ipsam intentionem finis; non autem de illis, quæ eam antecedunt; alioqui Deus volendo punitionem peccati post ipsum peccatum, diceretur velle etiam ipsum peccatum, quod est occasio, seu medium antecedens volitionem punitionis illius.

144. Argues 3. Permissiones peccatorum finalium subsequentium sunt effectus permissionis primi peccati finalis, ut intendit probare *P. Ruiz cit. ex D. Aug. in psal. 57. D. Greg. lib. 11. Moral. cap. 7.* & aliis; ergo sunt effectus reprobationis positivæ. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam; solùm enim ex antecedente infertur ad plurimum, permissiones peccatorum subsequentium esse effectus permissionis primi peccati finalis, quatenùs hæc est reprobatio negativa excludens à gratia; non tamen probat, quod sit reprobatio positiva excludens à gloria.

SECTIO X.

Aliqua enumerantur, de quibus dubitatur, an sint reprobationis effectus?

145. CUm varii sint effectus, de quibus hîc dubitari solet, sint-nè re vera effectus reprobationis, aut negativæ, aut positivæ, cujusmodi sunt negatio gratiæ finalis, & quæ ex illa sequuntur, ingenium pravum, mors temporalis, & similia, eaque tam respectu reprobationis negativæ, quàm positivæ, primùm de illis in ordine ad reprobationem negativam, postea in ordine ad positivam inquiremus: Sit igitur.

146. Difficultas prima: Qualesnam ex his sint effectus reprobationis negativæ? Dico 1. Negatio gratiæ finalis est effectus reprobationis negativæ. Est communis. Probatur, quia talis negatio procedit ex voluntate ponendi illam, sive non dandi gratiam finalem; sed voluntas ponendi negationem gratiæ finalis, sive non dandi gratiam finalem, coincidit cum reprobatione negativa, prout supra diximus; ergo &c.

147. Dico 2. Omnia, quæ sequuntur ex negatione gratiæ finalis actu conducentia ad pœnam æternam; imò & ipsa pœna æterna, sunt effectus reprobationis negativæ. Est etiam communis. Probatur, quia hæc omnia, ut supponimus, sequuntur ex negatione gratiæ finalis; sed hæc est veluti primarius effectus reprobationis negativæ, ut diximus; ergo etiam illa omnia, quæ ex illa sequuntur, erunt effectus ipsius reprobationis negativæ, saltem mediatè, & remotè: sicut enim quidquid est causa causæ est causa sui causati; ita etiam quidquid est effectus prioris effectûs, est etiam effectus illius causæ, quæ causat primum effectum.

148. Hinc colliges, obdurationem, & impœnitentiam, prout dicunt negationem gratiæ congruæ, quâ homo pœnitentiam ageret, si daretur: Deindè excæcationem, prout dicit negationem gratiæ illuminantis efficaciter, & similia, esse effectus reprobationis negativæ, saltem mediatè, & remotè; siquidem, cùm sint effectus negationis gratiæ finalis, & hęc sit effectus reprobationis negativæ, ut diximus, etiam illa manent ejus effectus mediatè, ac remotè.

149. Dico 3. Ingenium pravum, & ad virtutum opera rebelle, non est effectus reprobationis negativæ. Ita *P. Alarcon tract. 4. d. 5. cap. 7. n. 2.* & alii. Probatur, quia depravatio illa, aut est physica, & à naturâ insita propter pravum temperamentum; aut moralis, & acquisita per malos habitus: si prima, cùm antecedat cum ipso esse ipsius reprobi reprobationem negativam, non potest esse illius effectus: si secunda, cùm sit malum morale, cujus Deus non est causa, non potest esse effectus Dei; ergo neque reprobationis, cujus ut esset effectus, debebat esse effectus Dei, ut diximus.

150. Oppones 1. Bonum ingenium ad virtutem utile est effectus prædestinationis; ergo ingenium depravatum, & ad virtutem inutile, erit effectus reprobationis, saltem negativæ. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia bonum ingenium potuit postea causari à Deo per temperamenti mutationem, & dari prædestinato ex intentione salutis, sicque cùm supponat ipsam prædestinationem, & possit esse effectus Dei, etiam potest esse prædestinationis effectus: at verò malum ingenium, si tale sit physicè, cùm antecedat ipsam reprobationem, nõ potest esse illius effectus; si autem tale sit moraliter, cùm non possit esse effectus Dei, neque talis erit reprobationis.

151. Instabis: Ex eo, quod bonum ingenium potuerit præstari à Deo ex intentione salutis, est effectus prædestinationis; sed Deus potuit etiam reddere genium depravatum ex negatione eligendi ad regnum; ergo erit effectus talis non electionis, sive reprobationis negativæ. Respondeo ad minorem, dato quod Deus ita potuerit reddere, non constare de facto, ita factum fuisse: tùm ob rationem factam: tùm etiam, quia non est ita conforme Bonitati Divinæ reddere genium depravatum, sicut est reddere illud bonum.

152. Oppones 2. Ex Trid. *Sess. 3. de peccato Origin.* ingenium depravatum est effectus peccati originalis; sed peccatum originale ut finale quoad permissionem est effectus reprobationis negativæ; ergo etiam sic erit illud ingenium, saltem mediatè, & remotè; quidquid enim est causa causæ, est causa sui causati. Respondeo ingenium physicè depravatum esse quidem effectum peccati Adæ, quod in posterorum ingeniis punitur; non tamen esse effectum peccati originalis proprii, ac personalis cujusque filii reprobi; siquidem illud antecedit; nam cùm reprobus in utero matris concipitur, jam in ejus corpore præsupponuntur semina bonæ, aut malæ constitutionis, ac temperamenti.

153. Oppones 3. Ingenium depravatum, sive mala indoles, conducit actu ad pœnam æternam; sed quod ita conducit, est effectus reprobationis, ut diximus; ergo &c. Respondeo minorem esse veram, dummodò habeat alias conditiones requisitas, quarum prima est, quod sit effectus Dei; talis autem non est indoles moraliter depravata, ut diximus: depravata verò physicè antecedit ipsam reprobationem, ut etiam diximus, sicque nullo modo potest esse reprobationis effectus.

154. Difficultas secunda: Utrùm creatio, & mors sint effectus reprobationis negativæ? Dico 1. Creatio hominis non est effectus reprobationis illius. Ita *P. Ruiz d. 38. sect. 9. num. 4.* Probatur, quia decretum creationis est prius decreto reprobationis, tam negativæ, quàm positivæ; siquidem priùs est, esse Judam v. g. quàm illum non eligere, & positivè reprobare; ergo cùm illius creatio sit prior, quàm ejus reprobatio, non potest esse illius effectus. Confirmatur, quia creatio hominis prædestinati non est effectus prædestinationis illius, ut supra diximus; ergo neque creatio hominis reprobi erit effectus reprobationis illius.

155. Dices 1. Creatio hominis reprobi conducit actu ad finem reprobationis; ergo est illius effectus. Respondeo negando consequentiam: antecedens enim solùm probat, creationem fore reprobationis effectum, quando alia ratio non probaret, illam esse priorem ipsa reprobatione, ut vidimus; nullus autem effectus est prior suâ causâ.

156. Dices 2. Circumstantiæ, sub quibus creantur reprobi, sunt tales, ut Deus de illis præsciverit, damnandum fore hominem, si sub illis creetur; ergo potuit Deus ex efficaci intentione reprobandi moveri ad creandum sub talibus circumstantiis; consequenterque creatio talis hominis erit effectus reprobationis illius. Respondeo, Deum potuisse creare Judam v. g. sub his circumstantiis ex intentione efficaci reprobandi illum; de facto tamen non ita creasse, neque enim decrevit reprobare Judam, nisi post peccatum illius absolutè prævisum, quod cùm supponat ejus creationem, etiam hanc supponit ejus reprobatio, sicque creatio non est effectus reprobationis illius.

157. Dico 2. Mors temporalis considerata quoad substantiam, nempè quoad debitum, & exigentiam, non est effectus reprobationis negativæ. Ita *P. Soar. de Reprobat. cap. 7. n. 11. P. Herice tr. 3. d. 34. cap. 2. n. 6.* & alii. Probatur, quia mors temporalis ut sic considerata antecedit reprobationem negativam; siquidem quando reprobus in utero matris concipitur, jam in ipsius materia præsupponitur corruptionis semen, & mortis debitum, ac exigentia; ergo &c.

158. Dices: Mors temporalis ut sic considerata, est effectus peccati originalis, ut patet ex illo Rom. 5. ibi: *Per unum hominem mors*; sed peccatum originale est effectus reprobationis negativæ; ergo etiam talis erit mors ut sic considerata. Resp. mortem esse quidem effectum peccati originalis Adæ; non autem posterorum; siquidem antequam illud incurrant, jam in eorum corporibus præsupponuntur corruptionis semina, ac mortis debitum, & exigentia; & cùm mors, prout sic antecedat ipsum posterorum originale, & hoc antecedat ipsam reprobationem negativam, etiam illam antecedit

cedit ipsa mors, prout sic considerata, sicque non potest esse illius effectus.

159. Dico 3. Mors temporalis quoad aliquas circunstantias atroces aliquando est effectus reprobationis negativæ. Ita *P. Soar. P. Herice cit. P. Ruiz d. 38. sect. 9. num. 10.* & alii. Probatur primò ex variis locis, in quibus mors ex variis circunstantiis indicatur, esse signum, sive effectum reprobationis, ut patet ex illo Ecclesiast cap. 9. *Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, & aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cùm sis extemplò supervenerit.* Et Luc. 21. *Attendite autem vobis, nè fortè graventur corda vestra in crapulâ, & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa.* Et Sapient. cap. 4. *Confringentur* (id est morientur) *rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum.* Et Job. 22. *Sublati sunt ante tempus suum.* Et Ecclesiast. cap. 7. *Ne impiè agas multum; & noli esse stultus, nè moriaris in tempore non tuo.* Accedunt *D. Aug. lib. 1. de prædest. Sanctor. cap. 14. & lib. de corrept. & grat. cap. 8. D. Cyprian. lib. 3. ad Quirinum cap. 58. & lib. de mortalit. D. Greg. lib. 15. Moral. cap. 4. D. Bern. serm. de Innocentib.* & alii apud *P. Ruiz cit. d. 24. sect. 6. à n. 3.* qui sicut maturam mortem in justo tribuunt ejus prædestinationi, ita etiam immaturam in peccatore reducunt ad occulta judicia negatæ prædestinationis, sive reprobationis negativæ.

160. Probatur secundò ab exemplis: Primò ex illo eventu atrocissimo, in quo, ut constat. *Numer. 16.* terra devoravit Dathan, & Abiron: Secundò ex illo tremendo casu Ananiæ, & Saphiræ, de quo *Actor. 5.* quibus omnibus mors temporalis, & æterna per modum unius fuit inflicta in pœnam peccati finalis: mors autem temporalis sic continuata cum æternâ per modum unius, non solùm est effectus reprobationis negativæ, ut intendimus, sed etiam positivæ, ut infrà probabimus.

SECTIO XI.

Vtrum aliqui ex supra dictis sint effectus reprobationis positivæ?

161. DIco 1. Executio pœnæ æternæ, & omnia media ad illam in effectu infligendam, sive in Inferno, sive in Limbo, qualia sunt tormenta, & aliæ pœnæ sensûs in Inferno; tenebræ, & carceres in Limbo, aliæque negationes, & privationes, quæ ibi sunt à Deo reprobis ordinatæ, sunt effectus reprobationis positivæ. Ita *P. Herice tract. 3. d. 34. cap. 1. n. 4. P. Amicus cit. n. 61.* & alii. Probatur primò, quia hujusmodi effectus ita sunt proprii reproborum, ut aliis non competant; ergo eis proveniunt, quia reprobi, sive ex eorum reprobatione positiva. Secundò, quia gloria, & omnia media ad illam in effectu consequendam, & omnia post illam subsequentia, sunt prædestinationis effectus; ergo etiam non solùm executio pœnæ æternæ, sed etiam omnia, quæ ad illam inserviunt, & illam subsequuntur, erunt reprobationis effectus.

162. Utrùm autem mors temporalis, & alia mala pœnæ hujus vitæ sint effectus reprobationis positivæ? Negant plures, mala pœnæ, imò & bona hujus vitæ, non esse effectus reprobationis positivæ. Fundantur primò, quia à Deo specialiter dantur ad ostendendam Justitiam in reprobos, & Misericordiam in electos. Secundò, quia aliquo modo conducunt in eorum damnationem; nam sicut creatio in prædestinatis est necessaria, ut circa illos exerceatur Misericordia Divina; ita etiam necessaria est in reprobis, ut circa illos exerceatur Divina Justitia: & sicut prædestinatis omnia cooperantur in bonum; ita & reprobis omnia cooperantur in malum. Undè eximia naturæ pulchritudo, & aliorum bonorum affluentia, ita sunt reprobis occasio ruinæ, ut postea jam in Inferno damnati, de illis specialiter doleant, quod illis non benè usi fuerint.

Non placent, quia ut essent effectus reprobationis positivæ, debebant à Deo præstari ex intentione excludendi à regno, & puniendi pœnâ æternâ; sed non ita præstantur; siquidem præstantur in vita ante prævisa peccata finalia in morte; Deus autem non habuit talem intentionem ante prævisam mortem in ipso peccato finali; ergo illa non præstat ex tali intentione; consequenterque non sunt effectus reprobationis positivæ. Hinc inferes, effectus reprobationis positivę nõ incipere ab illis malis pœnæ, & à fortiori neque ab illis bonis, sed à voluntate puniendi pœnâ æternâ, quæ est voluntas purè vindicativa; mala autem pœnæ hujus vitæ à Deo inflicta, quâtùm est ex parte Dei, semper sunt medicinalia, si homo converti velit, & ad hunc finem à Deo infliguntur. 163.

Dices: Omnia hęc conducunt ad pœnã æternam; sed omnia, quæ ita conducunt, sunt effectus reprobationis; sicut omnia, quæ conducunt ad vitam æternam sunt effectus prædestinationis; ergo &c. Respondeo minorem esse veram, dummodò habeant omnes alias conditiones requisitas, quas supponimus habere omnia illa, quæ conducunt ad vitam æternam, & sunt prædestinationis effectus; non tamen habent hæc, de quibus nunc agimus, ut sint effectus reprobationis; siquidem non dantur à Deo ex intentione damnandi; neque enim Deus ante prævisa demerita finalia vult aliquem damnare; nam cùm reprobatio sit per modum sententiæ latæ, supponit culpam finalem, & cùm hæc finalis non sit, nisi in ipso mortis instanti, omnia, quæ ipsam mortem antecedunt, sicut antecedunt illa mala, & bona hujus vitæ, non possunt esse effectus reprobationis positivæ. 164.

Dico 2. Mors temporalis, quando ita conjuncta est cum morte æterna, ut per modum unius sumatur cum illa, est effectus reprobationis positivæ. Ita *P. Soar. lib. 5. de Reprobat. cap. 7. num. 11. P. Herice tract. 3. d. 34. cap. 2. n. 5.* & alii. Probatur primò ex locis Sacræ Scripturæ supra cit. *n. 159.* præsertim ex illo *Numer. 16.* ibi: *Dirupta est terra sub pedibus eorum ..... descenderuntq; vivi in infernum*: ubi loquitur de damnatione Dathan, & Abiron: quod etiam accidit Ananiæ, & Saphiræ, de quibus Actor. 5. hoc autem mortis genus, cùm ex speciali ordinatione, & causalitate Dei procedat, quatenùs in illa videatur Deus tradere eos dæmonibus, ut suæ Justitiæ ministris, ut illos violenter occidant, morte causas naturales præveniente, non potest non esse effectus reprobationis positivæ; ergo &c. 165.

Probatur secundò ratione, quia ille est effectus reprobationis positivæ, qui procedit ex sententia lata destinante reprobum ad pœnam æternam; siquidem sola hæc sententia est reprobatio positiva; sed mors illa in eo eventu procedit ex sententia lata destinante ad pœnam æternam, quatenùs conjungitur cum illa per modũ unius, & ab illa incipit ipsa pœna æterna; siquidem Deus prævidendo illa 166.

peccata finalia, potuit propter illa destinare hominem ad pœnam æternam incipiendo illum punire à tali mortis genere; ergo talis mors, prout sic est effectus reprobationis positivæ.

167. Dices: Homines illi in eo vitæ spatio, quod eis restabat post peccatum, poterant pœnitentiam agere; ergo adhuc tunc eorum peccatum non prævidebatur finale; consequenterque neque sententia reprobans; ergo talis mors non est effectus reprobationis positivæ. Respondeo negando antecedens, suppositâ Scientiâ, quam Deus habebat de illis pœnitentiam non acturis; sicque ab eo tempore poterat Deus proferre sententiam, & vindictam incipere. Additur, si illis reprobis, relicto causarum naturalium cursu, adhuc aliquot vitæ anni restarent, posse Deum eos vitæ annos ad breve spatium redigere, & ita de facto cum illis fecisse, inde incipiendo punitionem in vindictam ipsorum peccatorum, quæ ab eo prævidebantur finalia futura.

168. Dico 3. Mors temporalis, quando non continuatur cum æterna, ut regulariter non continuatur, non est effectus reprobationis positivæ. Ita *P. Soar. P. Herice cit.* & alii. Probatur, quia reprobatio positiva non fit à Deo propter quodlibet peccatum commissum, sed tantùm propter finale, quod ut finale prævidet; sed regulariter non illud prævidet ut finale, nisi post mortem prævisam, per quam redditur finale, & debet ut conditio præcedere, ut feratur illud judicium; ergo regulariter loquendo mors temporalis non est effectus reprobationis positivæ.

169. Dices: Si Deus videat mortem prædestinati in peccato mortali eminentem, eamque impediat, tale impedimentum erit effectus prædestinationis illius; ergo è contra, si videat reprobi mortem eminentem in peccato mortali, illamque non impediat, tale non impedimentum, & talis mors erit effectus reprobationis positivæ illius. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Deus in primo eventu operatur per speciale beneficium contra causarum secundarum exigentiam, idque ex salutis affectu; quod autem ita fit, est prædestinationis effectus: at verò in secundo eventu operatur Deus secundùm exigentiam causarum secundarũ sine ulla obligatione impediendi earum concursum naturalem, idque non ex affectu puniendi, sed ex aliis finibus, nempè ut ipse rerum naturalium cursus non invertatur; aut ut aliquis prædestinatus ob eam reprobi mortem resipiscat, & ad pœnitentiam redeat, & similibus; sicque talis mors non potest esse effectus reprobationis positivæ. Addo tamen, si accidat, quod Deus naturalem rerum ordinem invertat, & hominem morte intempestivâ occidat, idque ex affectu illum puniendi pœnâ æternâ, tunc mortem illam esse effectum reprobationis positivæ illius: attamen hoc jam procedit juxta superiùs dicta *num. 165.* hîc autem loquimur in alio sensu, ut patet, solùm enim hîc resolvimus de morte reproborum regulariter eveniente.

DISPUTATIO VI.

Comparantur Prædestinatio, & Reprobatio inter se.

SECTIO I.

Virùm in Deo detur voluntas generalis perdendi, sicut salvandi omnes?

ADVERTES in Deo duplicem posse considerari voluntatem, alteram simplicis complacentiæ, per quam Deus ita sibi complacet in objecto, ut nullo modo intendat illud fieri; alteram per modum intentionis, seu propositi, per quam Deus ita sibi complacet in ipso objecto, ut aliquo modo illud fieri intendat, & ad illud ponendum procuret, & adhibeat media. Hoc posito.

Difficultas 1. Utrùm in Deo detur voluntas generalis excludendi omnes à regno per modum simplicis complacentiæ? Affirmativè. Ita *P. Arrub. 1. p. d. 89. cap. 2. n. 4. P. Alarcon. 1. p. tract. 3. d. 6. cap. 4. n. 4.* & alii. Probatur, quia hujusmodi exclusio omnium à regno fuit possibilis & honesta: tum quia Deus potuit omnes creare, non ex motivo salvandi illos, sed ex aliquo alio honesto: tum quia postquam illos creavit ex motivo dandi gloriam, potuit non dare auxilia congrua ad illam in effectu consequendam, idque ad ostendendum perfectum dominium in creaturas, consequenterque non salvare, cùm de facto liberè salvet; sed Deus affectu simplicis complacentiæ amat omne possibile honestum, & in eo sibi complacet; ergo etiam ita sibi complacet in illa omnium exclusione à regno.

Objicies: Deus in nullius morte, & perditione sibi complacet, juxta illud Sapient. 1. ibi: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viventium*; ergò non habet eam complacentiam in exclusione omnium à regno. Resp. primò, in textu cit. nomine mortis, & perditionis *intelligi* peccata, in quibus Deus nullo modo sibi complacet, & de quibus non loquimur, sed de exclusione à regno, quæ est longè diversa à peccatis, & de qua ex motivo aliquo honesto potest Deus sibi complacere.

Resp. secundò distinguendo antecedens: Deus in nullius morte sibi complacet, quæ sit mors, & perditio actualis, & objectum voluntatis per modum intentionis, & propositi; concedo antecedens: quæ sit mors, & perditio possibilis, & objectum voluntatis per modum complacentiæ simplicis; nego antecedens: illud autem significatur in loco supra citato, ut indicat verbum *fecit*, quod significat actualitatem: non tamen probat non habere voluntatem simplicis complacentiæ, quæ tendit in omne possibile honestum, qualis est omnium exclusio à regno.

Difficultas

5 Difficultas 2. Utrùm Deus habuerit voluntatem generalem perdendi omnes per modum intentionis, & propositi? Ante resolutionem advertes, hujusmodi difficultatem posse in duplici sensu excitari: Primò: utrùm Deus habuerit prædictam voluntatem perdendi omnes per modum intentionis, & propositi ante prævisum peccatum Adæ? Secundò: An illam habuerit post ipsum peccatum prævisum? Hoc posito.

6 Dico 1. Deus non habuit voluntatem generalem excludendi omnes à regno per modum intentionis, & propositi ante prævisum peccatum Adæ. Ita *P. Soar. lib. 5. de Reprobat. cap. 3. num. 15.* & alii. Probatur primò ex illo Christi Domini Matt. 18. ibi: *Non est voluntas ante Patrem vestrum, ut pereat unus de pusillis istis*: ubi videtur loqui de voluntate per modum intentionis, & propositi; ergò &c.

7 Probatur secundò ratione, quia in Deo non sunt admittendæ voluntates contrariæ, & sibi adinvicem repugnantes; sed hujusmodi voluntas generalis perdendi omnes per modum intentionis, & propositi repugnat extremè cum illâ aliâ, quam Deus generaliter habet salvandi omnes, etiam per modum intentionis, & propositi; siquidem hæc, cùm rem aliquo modo fieri intendat, ponit media sufficientia; illa verò, cùm rem aliquo modo non fieri intendat, tollit ipsa media sufficientia; velle autem ex se, & intendere salvare, & ponere ad id media sufficientia; & nolle ex se, & non intendere salvare, & tollere ad id media sufficientia, sunt termini repugnantes; cùm idem valeant, atque velle, & nolle; intendere, & non intendere dare gloriam, & media sufficientia ad illam consequendam; ergo &c.

8 Confirmatur primò, quia voluntas generalis salvandi, licet sit inefficax quoad finem assequendum, est tamen efficax quoad collationem mediorum sufficientium; ergo etiam voluntas generalis non salvandi, licet sit inefficax quoad exclusionem, erit tamen efficax quoad negationem auxiliorum sufficientium; sed repugnat velle, & nolle dare auxilia sufficientia; ergo etiam repugnabit in Deo utraque illa voluntas generalis salvandi, & perdendi, sive salvandi, & non salvandi; perdendi, & non perdendi. Secundò, quia positâ tali voluntate, sequeretur, homines necessariò esse exclusos à regno; siquidem per illam tollerentur media sufficientia ad salutem; sed his sublatis, homo necessitaretur ad non assequendam salutem, seu ad illam amittendam, quatenùs sine illis non posset eam assequi; hoc autem non est admittendum; ergo &c.

9 Oppositum tenent aliqui: Pro quibus: Argues 1. In Deo potest stare voluntas excludendi omnes per modum complacentiæ cum voluntate salvandi omnes etiam per modum complacentiæ; siquidem utrumque objectum est possibile ex objecto honesto; Deus autem in omni objecto possibili sub motivo honesto sibi complacet; ergo etiam sic poterit stare voluntas generalis excludendi omnes per modum intentionis, & propositi cum illâ aliâ salvandi omnes etiam per modum intentionis & propositi. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia duæ illæ priores voluntates, cùm solùm sint per modum complacentiæ, & non per modum intentionis, & propositi, non ponunt contradictoria; maximè autem illa ponunt duæ istæ posteriores, ut patet ex dictis; siquidem velle, & non velle; intendere, & non intendere media sufficientia sunt cõtradictoria in Deo non admittenda.

10 Argues 2. In Deo cum voluntate salvandi omnes potest stare voluntas efficax excludendi aliquos à regno, nempè reprobos; ergo à fortiori cum eadem voluntate inefficaci salvandi omnes poterit stare illa alia etiam inefficax excludendi omnes à regno. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia voluntas efficax excludendi reprobos solùm tollit media efficacia ad salutem, non autem sufficientia, quæ ponit illa alia generalis inefficax salvandi omnes; sicque non habent inter se contradictionem: at verò illa voluntas inefficax excludendi omnes tollit media sufficientia, quæ ponit alia etiam inefficax salvandi omnes, ideòque pugnant inter se, & non sunt in Deo admittendæ.

11 Argues 3. Mercator naufragium subiturus habet simul voluntatem efficacem projiciendi merces, & inefficacem salvandi illas; ergo à fortiori in Deo poterit simul dari voluntas inefficax salvandi omnes cum alia inefficaci perdendi omnes; siquidem minùs pugnat voluntas inefficax cum aliâ inefficaci, quàm cum efficaci. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in Mercatore voluntas illa non projiciendi, cùm magis sit per modum complacentiæ, quàm per modum propositi, nihil ponit actu, & in effectu, quod tollat illa alia projiciendi, ideòque nullam habent repugnantiam: at verò voluntates illæ salvandi, & excludendi, cùm ambæ sint per modum intentionis, & propositi, & una ponat, quod alia tollit, nempè media sufficientia, ideò pugnant inter se, & non sunt in Deo admittendæ, licet sint inefficaces.

12 Dico 2. Deus etiam post prævisum peccatum Adami, non habuit eam voluntatem generalem excludendi eum, & posteros à regno. Ita *P. Soar. cit. P. Amicus*, & alii. Probatur, quia Deus adhuc tunc conservabat illam aliam voluntatem salvandi illos: tùm quia adhuc ad id eis præbebat auxilia sufficientia: tum etiam quia ex tali intentione decrevit mittere Filium suum in mundum; sed cum illa voluntate salvandi eos non potuit stare hæc voluntas excludendi illos à regno, ut patet ex dictis; ergo &c.

13 Dico 3. Deus etiam non habuit hujusmodi voluntatem generalem per modum intentionis excludendi omnes reprobos adultos. Probatur primò, quia Deus etiam erga illos habebat illam aliam voluntatem generalem salvandi eos, cum qua hæc pugnat, ut diximus, & probavimus. Secundò, quia si Deus haberet hanc voluntatem excludendi illos, intenderet eorum exclusionem, aut positivè, conferendo media necessaria ad illam habendam; & hoc non, alioqui cùm peccatum sit medium necessarium ad exclusionem positivam, si Deus ad talem exclusionem conferret tale medium, esset specialis causa, & author peccati: aut negativè, nempè negando auxilia sufficientia, & necessaria ad salutem; & hoc etiam non; siquidem Deus omnibus illa tribuit; ergo nullo modo habuit illam intentionem excludendi eos à regno.

14 Oppones: Ideò Deus non haberet hujusmodi voluntatem generalem excludendi à regno omnes reprobos adultos, quia hæc pugnaret cum illa alia salvandi illos, quatenùs hæc salvandi ponit media sufficientia ad salutem, quæ illa excludendi tolleret; sed voluntas illa salvandi reprobos non omnibus confert hujusmodi media; neq; enim illa confert peccatori obstinato, infideli, ad quem non pervenit Evangelium, infantibus, qui in peccato originali decedunt, perpetuò amentibus,

&

& similibus ; ergo &c. Respondeo negando minorem : nullus enim omninò est viator, cui Deus non conferat media sufficientia ad salutem ex vi voluntatis salvandi omnes, ut infra videbimus.

15. Instabis : Donum perseverantiæ est necessarium ad salutem : & tamen Deus illud negat reprobis ; ergo jam illis non tribuit omnia necessaria. Respondeo Deum, quantùm est ex se non denegare illud donum, ut constat ex Trid. sess. 6. cap. 13. ibi : *Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere* : Unde si ipsa perseverantia non obtinetur, ideò est, quia homines non cooperantur ex parte sua, sed desunt gratiæ Dei.

16. Hinc colliges : Deum etiam non habere illam voluntatem generalem excludendi aliquos adultos reprobos, ad quos scilicet non pervenit Evangelium, neque aliquos infantes, qui sine Baptismo decedunt ; siquidem erga illos conservat etiam voluntatem salvandi eos, ad quod eis confert media sufficientia, non solùm generalia, qualia sunt Redemptio, & Sacramenta, sed etiam specialia, prout supra jam tetigimus, & infra specialiter probabimus ; sicque non potuit habere voluntatem aliam generalem excludendi eos, idque ob rationes factas.

SECTIO II.

Vtrum Deus omnibus reprobis conferat auxilia sufficientia ; sicut prædestinatis omnibus confert efficacia ?

17. Vidnam sint auxilium sufficiens, & efficax, & à quo illud dicatur sufficiens, & hoc sumat efficaciam supponimus ex materia de auxiliis ; tùm quia ibi proprium habent locum ; tùm etiam quia de illis agere etiam incidenter nobis prohibitum est à Sum. Pontificibus, præsertim ab Urbano VIII. *anno 1643.* in Bulla, quæ incipit. *In eminenti* : Quamvis Fr. Philippus à Sanctissima Trinitate Carmelita discalceatus *tom. 2. in 1. 2.* D. Thom. dicat, hujusmodi prohibitionem jam expirasse, sic enim ibi scribit ad Lectorem : *Diu suspensus fui,* inquit, *circa impressionem hujus Tractatus de Gratia, quantùm attinet ad duas Disputationes de Auxilis Divinæ Gratiæ, ac eorum concordiâ cum libero arbitrio, cùm aliàs talis impressio fuerit prohibita per Summos Pontifices Paul. V. & Urban. VIII. Sed inquirens circa hoc, responsum fuit mihi à viris doctissimis, & religiosis, tùm in Gallia, tùm Romæ, undè nunc redeo, talem prohibitionem expirasse, & impressionem hujus materiæ nunc permissam à Summo Pontifice ; (dummodò à censura contrariæ partis abstineatur,) cùm ipso sciente, & prudente quotidie plures circa illam prodeant tractatus ; non enim solùm in defensionem, & impugnationem Jansenii repetitæ Apologiæ, sed etiam alia opera, ut Opus Suaris de Auxiliis prodierunt* ; ita cit. Author. in illo suo *tom. 2.* Lugduni Typis mandato anno 1653. quod si ita est, ut ille refert, aliqua, & si non tanta, quanta & ille, poteramus de hac materia prælibare, quia tamen non ita, sicut & ille Pontificiis prohibitionibus contravenire audemus, omnia hîc supponimus, non tractamus.

18. Præsens igitur quæstio est, (abstrahendo ab eo, quid sit auxilium sufficiens, & quid auxilium efficax :) Utrùm sicut nullus est prædestinatus, cui Deus non provideat auxilia efficacia ; ita etiam nullus sit reprobus, cui Deus non provideat sufficientia ? Et ratio dubitandi est, quia aliqui sunt reprobi, qui quidem videtur his auxiliis destituti, cujusmodi sunt infantes sine baptismo decedentes, perpetuò amentes, peccatores fideles, obdurati, infideles, Barbari, & similes, de quibus hîc speciali-ter agemus : Sit igitur :

Difficultas 1. Utrùm Deus omnibus justis conferat auxilia sufficientia, nè cadant ? Adverte, quæstionem non procedere de justis, qui non cadent ; siquidem his manifestum est, Deum conferre auxilia, non solùm sufficientia, sed etiam efficacia : solùm igitur procedere de justis, qui cadunt juxta illud : *Septies in die cadit justus.* Hoc posito.

Resolutio sit : Deus omnibus justis, etiam reprobis, dum sunt in gratia, confert auxilia sufficientia, nè cadant. Est certissima inter Theologos. Probatur primò ex Scriptura, ubi justi sæpè admonentur, nè cadant, ut patet 1. Cor. 8. ibi : *Qui se existimat stare, videat nè cadat.* Et ad Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli.* Et infrà : *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare* ; & sæpè alibi ; sed hæ, & similes admonitiones supponunt, justos posse non cadere ; alioqui frustra illis præcaveretur, nè caderent ; ut autem possent non cadere, deberent habere auxilia sufficientia ; ergo hæc illis providet Deus.

Probatur secundò authoritate Concilior. Milevitan. *cap. 3.* Arausi. *2. can. 25.* ibi : *Secundùm Fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, omnia, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant adimplere* ; sed ad salutem pertinet non cadere ; ergo possunt, & debent non cadere ; consequenterque ad non cadendum habent auxilia sufficientia ; alioqui neque possent, neque deberent non cadere. Item ex Trid. *Sess. 6. cap. 11.* ibi : *Qui sunt Filii Dei Christum diligunt, qui autem diligunt Deum, ut ipse testatur, servant sermonem ejus, quod utique cum divino auxilio possunt.* Et infrà : *Deus neminem deserit, nisi priùs deseratur ab ipso* ; ergo si neminem deserit, omnibus assistit, saltem cum auxiliis sufficientibus. Idem repetit *cap. 3.* & sub anathemate definit *can. 8. & 22.*

Probatur tertiò ratione, quia qui cadunt liberè cadunt ; alioqui caderent necessariò, sicque non peccarent, quando cadunt, quod est hæreticum ; ergo ad non cadendum habent auxilium sufficiens ; consequenterque hæreticum est dicere, justos non habere auxilia sufficientia ad non cadendum.

Dices : Donum perseverantiæ est necessarium ad non cadendum ; sed hujusmodi donum, ita est speciale, ut sit proprium prædestinatorum ; ergo non datur illis, qui licet de facto sint justi, cadent tamen, & peribunt. Respondeo distinguendo majorem : donum perseverantiæ est necessarium ad non cadendum actu ; concedo majorem : nam sine illo justus actu cadet : est necessarium ad non cadendum potentiâ, id est, ut possit non cadere ; nego majorem : nam sine illo potest non cadere, dummodò habeat, ut habet, auxilia sufficientia ; sicque de facto cadet, liberè tamen, cùm possit non cadere. Undè aliud est loqui de eo, quod requiritur, ut possit non cadere, ad quod non requiritur donum perseverantiæ ; & aliud loqui de eo, quod requiritur, ut actu non cadat, ad quod necessarium est illud donum perseverantiæ.

Hinc

24. Hinc inferes primò, donum perseverantiæ consistere in eo, quod Deus semper præveniat justum illis auxiliis, quæ prævidet futura esse efficacia, quibus præventus, nunquam cadet: quando verò prævenitur solis sufficientibus, potest quidem non cadere, sed actu cadet, quia ex defectu voluntatis nolentis conditionatè consentire, auxilia ipsa non fuerunt efficacia, licet fuerint sufficientia.

25. Secundò, sine dono perseverantiæ non posse quemlibet perseverare, sumptis auxiliis sufficientibus in sensu composito, id est, supposito quod voluntas cum illis conditionatè non est perseveratura, sed potiùs casura: posse tamen perseverare in sensu diviso, quia cum illis, licet non sit perseveratura, potest tamen perseverare.

26. Difficultas 2. Utrùm Deus omnibus peccatoribus fidelibus conferat auxilia sufficientia, ut resurgant? Advertes, quæstionem non procedere de peccatoribus, qui pœnitentiam agent, certum enim est, Deum omnibus his conferre auxilia, non solùm sufficientia, sed etiam efficacia; procedere tamen de illis, qui pœnitentiam non agunt, & in peccato suo morientur; de quibus duo hìc sunt inquirenda: Primum, an Deus his omnibus conferat auxilia sufficientia, ut resurgant? Secundum, an hujusmodi auxilia illis conferat pro semper, id est, omnibus diebus, horis, & momentis? Hoc posito.

27. Dico 1. Deus omnibus peccatoribus fidelibus confert auxilia sufficientia, ut pœnitentiam agant, & resipiscant. Ita *P. Bellarm. lib. 2. de grat. & liber. arbit cap. 1. 5. 6. & 7. P. Soar. hìc lib. 4. cap. 1. 2. & 3. & lib. 4. de grat. tom. 2. cap. 10. & tom. 4. in 3. p. d. 8. sect. 2. P. Vasq. 1. p. d. 97. cap. 3. P. Molin. in Concord. q. 14. art. 13. d. 10. P. Valent. 1. 2. d. 8. q. 3. punct. 4. & 2. secundæ q. 2. punct. 2. P. Less. de prædest. sect. 6. Assert. 1. & 2. P. Arrub. d. 90. cap. 2.* quos citat, & sequitur *P. Herice tract. 3. d. 34. cap. 4. n. 19 P. Ruiz d. 45. sect. 1. P. Alarcon tract. 4. d. 5. cap. 8. n. 2. P. Comptonus tom. 1. d. 38. sect. 4. num. 4.* & plures alii apud citatos.

28. Probatur primò authoritate Scripturæ Ezech 33. *Vivo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur à via sua, & vivat.* Et 2. Petr 3 *Patienter agit Deus propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Et ad Rom. 2. *Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adduxit.* Et Jerem. 3. *Revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Et Zachar. 4. *Convertimini ad me.* Et Ecclesiast. 5. *Ne tardes converti ad Dominum.* Et Psal. 49. *Hodie si vocem ejus audieritis,* & sæpè alibi, ex quibus, & aliis similibus locis apertè constat, Deum velle, ut omnes peccatores à peccato resurgant, & per pœnitentiam resipiscant: aut ergo illa voluntas Dei est absoluta, & dat auxilium efficax; aut est conditionata, seu antecedens, & dat auxilium, saltem sufficiens; ergo omnibus dat Deus auxilia sufficientia, ut resipiscant, & pœnitentiam agant; alioqui frustra Deus illos toties ad pœnitentiam hortaretur.

29. Probatur secundò authoritate Concilior. Trident. *Sess. 6. cap. 14 Qui*, inquit, *ab accepta justificationis gratia, per peccatum exciderunt, rursùs justificari poterunt, cùm, excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procurayerint.* Et ibid. *can. 29.* anathemate damnat: *Si quis dixerit, eum, qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere, &c. anathema sit.* Ex Lateran. *cap. Firmiter de Sum. Trinit. Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari.* Ubi notandum est illud *semper*, neque enim verificaretur, si peccator aliquando propter aliquod peccatum careret auxilio sufficienti, ut posset reparari, & resipiscere. Confirmatur, quiâ præscitorum omnium perditissimus, & divinis auxiliis indignissimus fuit Judas; & tamen illi Christus Dominus, non solùm sufficientia, sed etiam superabundantia contulit auxilia, ut patet ex *D. Amb. lib. de Paradiso cap. 8. D. Chrysost. hom. 83. in Matt. D. Leo Magn. serm. 7. de Passione cap. 2. D. Cyril. Alex. lib. 11. in Joan. cap. 21. & aliis apud P. Ruiz d. 20. de Volunt. Dei, sect. 9. à n. 1.* ergo &c.

Dico 2. Hæc auxilia non conferuntur omnibus peccatoribus fidelibus pro semper, id est, pro omnibus diebus, horis, & momentis actu, hoc est per actualem gratiam excitantem. Ita *P. Bellarm. lib. 2. de grat. & liber. arb. cap. 6. P. Mol. in concord. d. 9. & 10. P. Soar. tom. 2. de grat. lib. 4. cap. 10. n. 3.* & alii. Probatur, quia auxilium prærequisitum ad hoc, ut peccator resurgat, & per pœnitentiam resipiscat, consistit in gratia excitante; hæc autem consistit in actibus vitalibus intellectûs, & voluntatis, qualis est illuminatio, & inspiratio, ut constat ex Trid. *Sess. 6. cap. 14. & can 3.* sed hujusmodi gratia excitans non datur semper actu singulis horis, & momentis; siquidem non fit sine sensu, & cogitatione talium actuum; peccator autem non sentit, neque cogitat de talibus actibus, quando dormit, aut aliis occupationibus distrahitur; neque enim tunc illi venit in mentem suæ salutis negotium; ergo &c. 30.

Oppones: In pluribus Scripturæ locis hortamur ad agendum celeriter pœnitentiam, & illam sic agenti promittitur remissio, ut patet ex illo Ezech. 33. *In quacunque die.* Ecclesiast 5. *Ne tardes converti*; ergo supponitur peccatorem posse in quocumque tempore converti, habereque ad id auxilium sufficiens. Confirmatur primò ex Concil. Later. *cap. Firmiter*, proximè cit. ubi dicitur, peccatorem posse *semper* per pœnitentiam reparari; particula autem *semper* significat quâlibet horam, & momentum. Secundò ex Concil. Senon. *in decret. Fidei cap. 15.* ubi videtur docere contrariam sententiam: *Hæc tanta gratiæ necessitas libertati non repugnat, quia Deus semper in promptu est, & nec momentum præterit, in quo non stet ad ostium, & pulset.* Tertiò ex Cælestin. *Epist. 7. ad Episcopos Galliæ cap. 9.* ibi: *Quod ergo tempus intervenit, quo divinæ gratiæ non egeamus auxilio; in omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus adjutor, & protector orandus est Deus.* Quartò ex Paulo Orosio, D. Aug. coætaneo, ejusque doctrinæ acerrimo defensore *in Epist. pro arbitr. libert.* ante medium: *Divinum adjutorium*, inquit, *universis gentibus specialiter quotidie per tempora, per dies, per momenta singulis ministrari.* Quintò ex D. Hieron. *Epist. ad Cresiphont. Non mihi sufficit*, ait, *quod semel donavit, nisi semper donaverit*: ex quibus videtur constare, auxilia sufficientia omnibus peccatoribus fidelibus actu conferri à Deo pro semper, sive pro singulis diebus, horis, & momentis; ergo &c. 31.

Respondeo omnia hæc, & alia similia, si quæ fuerint testimonia, non esse intelligenda de omni tempore absolutè, sed de omni tempore opportuno, ita ut nullum prætereat momentum temporis opportuni, in quo Deus auxilia sufficientia non conferat, ut infrà dicemus. Et confirmatur, quia si citata loca, & testimonia deberent intelligi de omni tempore absolutè, deberent etiam intelligi de omni tempore somni, ebrietatis, & 32.

distractionis ad alia negotia, quod tamen est absonum.

33. Dico 3. Deus, quantùm est ex se, pro nullo temporis momento denegat peccatori auxilium sufficiens ad resurgendum, & pœnitentiam agendam, imò pro omni ex se est paratissimus, & est in promptu observando opportunitatem ad illud conferendum. *Ita P. Soar. cit. tom. 2. de grat. lib. 4. cap. 10. num. 5.* Probatur primò ex testimoniis proximè citatis, quæ hoc videntur expresè probare. Secundò Ecclesiast. 18. ibi: *Adimplevit propitiationem suam in illis, & ostendit eis viam æquitatis.* Ubi significat totum hujus vitæ tempus esse tempus propitiationis, Deumque esse paratum ad miserendum, quantùm est ex se. Confirmatur ex D. Prosper. *ad object. 6. Vincent. & ad 15. Nemini autem*, inquit, *Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.* Idem habet D. Aug. *lib. de natur. & grat. & lib. 3. de liber. arbitr. cap. 18.*

34. Probatur tertiò ratione, quia homo quandiu vivit, est in statu viæ, qui consistit in eo, quod possit consequi salutem; sed ad hoc, ut possit salutem consequi, requiritur, quod saltem ex parte Dei, semper ei pateat aditus ad ingrediendam viam salutis per pœnitentiam; alioqui non ei imputabitur, si pro singulis horis, & momentis non convertatur; siquidem non pro illo, sed pro ipso Deo staret, ut non converteretur; ergo Deus, quantùm est ex se, non ei denegat auxilia sufficientia pro semper, sive pro singulis horis, & momentis.

35. Dico 4. Deus actu confert auxilia sufficientia, & excitat ad pœnitentiam singulis momentis opportunis. Ita *P. Soar. proximè num. 6.* Probatur primò ex proximè dictis. Secundò, quia Deus de se paratus est semper ad dandam gratiam excitantem, ut diximus; sed non semper actu illam dat; ergo saltem actu dat tempore opportuno juxta illud Psalm. 9. 10. *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*: nempè quando instat occasio præcepti, tentatio vehemens, & aliud simile similibus aliis temporibus gerendum.

36. Dubium tamen hîc est: qualianam sint hæc opportuna tempora, quibus Deus actu excitat, & dat auxilia sufficientia ad pœnitentiam? *P. Soar. proximè cit. à num. 6.* asserit hujusmodi opportunitatem dupliciter parari: Primò externè, ut quando auditur Prædicatio Evangelica, legitur aliquis liber spiritualis, proponitur aliquod bonum exemplum, editur aliquod miraculum, advenit tribulatio, objicitur casus timorem incutiens, ut mors amici, & alia id generis. Probat, quia in his opportunitatibus imputatur homini, quod non convertatur, & pœnitentiam agat; ergo poterat converti, & pœnitentiam agere; sed non ita posset, si Deus ei actu non conferret auxilium sufficiens; ergo &c.

37. Secundò asserit idem P. Soar. parari internè, ut quando pœnitentia est necessaria absolutè ad æternam salutem, eo quod peccator periculum mortis incautus, & illius ignarus ingreditur; tunc enim credibile est, licet desint opportunitates externæ, Deum internè vocare, & excitare ad pœnitentiam; siquidem tunc talis excitatio est valdè necessaria, & non est aliud tempus opportunum. Deindè, aliis temporibus, quæ nobis sunt incerta, inquit idem P. Soar. Deus repentè absque alia opportunitate externa, illuminat, & excitat ad pœnitentiam, respiciendo ad aliqua ejus bona opera supernaturalia, & elicita per priorem gratiam, nempè ad orationes, eleëmosynas, & devotionem Beatæ Virginis, in quo sensu dicitur, eleëmosynam remittere peccatum, quatenùs scilicet Deus specialiter respicit ad illam, & propter illam dat frequentes illuminationes, quibus peccator convertitur. Ita P. Soar.

Quamvis hæc doctina P. Soar. sit bona, absolutè tamen non videtur satisfacere. Primò, quia 38
quæstio procedit, non solùm de horis, sed etiam de momentis opportunis; tempore autem prædicationis, sanctæ lectionis, aliarumvè rerum externarum non conferuntur illustrationes, & excitationes ad pœnitentiam singulis momentis; siquidem plura prætereunt, in quibus peccator non advertit ad pœnitentiam. Secundò, quia si loquamur de opportunitate interna, præter pericula mortis, aliosque casus assignatos, dantur plures illustrationes. Imò in illis à P. Soar. assignatis, etiam non dantur singulis momentis. Tertiò, quia quæ dantur propter eleëmosynas, & alia bona opera præterita, non est cur potiùs dentur in hoc momento, quàm in alio antecedente, aut subsequente; ergo non est cur hoc sit magis opportunum, quàm illud.

Meliùs igitur videtur dicendum, omnia illa, ac 39
sola momenta dici, & esse opportuna, quibus peccator advertit ad pœnitentiam, eique hac de re cogitare in mentem venit. Ita *Vega lib. 13. in Trid. cap. 12. & 13. P. Valent. q. 3. punct. 4. §. 4. P. Molin. in Concord. q. 14. a. 13. d. 10. Henriq. lib. 2. de Baptismo cap. 22. n. 3.* quos citat & sequitur *P. Tanner. d. 6. de grat. q. 2. dub. 2. n. 36.* Probatur, quia verum est dicere, quod tunc solùm, ac semper possit homo agere pœnitentiam; ergo tunc solùm, ac semper conferuntur homini auxilia sufficientia. Probatur antecedens, quia singulis illis momentis, quibus homo advertit ad pœnitentiam; aut urget pœnitentiæ præceptum, si hæc est à longo tempore distracta; aut saltem instat consilium divinum de pœnitentia facienda; sed neque hoc instaret, neque illud urgeret, si peccator pœnitentiam, quæ urgeret, aut quæ præcipitur, aut quæ consulitur, non posset agere; posset autem, si ei conferrentur auxilia sufficientia; ergo &c.

Objicies 1. Aliqua prætereunt momenta, imò 40
& tempora opportuna, in quibus, & si peccator advertat ad pœnitentiam, non potest eam facere defectu gratiæ, quod ostenditur ex D. Aug. *lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. & 19.* ubi dicit divinam gratiam nobis aliquando abscondi, & latere. Et *cap. 37.* naturam humanam alloquens sic ait: *Neque tamen sine misericordiâ derelicta es, quia certis rerum, temporumq; momentis vagaris, ut redeas*; ergo &c. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, ex D. Aug. locis citatis non colligi, eam gratiæ interruptionem fieri tempore advertentiæ. Accedit D. Aug. solùm loqui de carentia auxiliorum efficacium, non verò negare dari auxilia sufficientia.

Oppones 2. D. Prosper lib. 2. de Vocat gent. 41
cap. 3. *Incognoscibiles sunt*, inquit, *illuminationum dilationes*, hoc est temporum intervallum, quo divinæ gratiæ auxiliis caremus; ergo &c. Respondeo primò, hunc locum etiam intelligendum esse de carentia auxiliorum efficacium, non autem sufficientium. Secundò, D. Prosper. solùm ibi loqui de Prædicatione fidei externa, quæ ad aliquas Nationes, & Provincias tardè pervenit ob occulta, & incomprehensibilia judicia Dei: nostra autem quæstio procedit de peccatoris jam fidelis vocatione ad pœnitentiam.

Objicies 3. Non semper cùm advertimus ad pœ- 42
nitentiam, sentimus illas illustrationes; ergo &c.

Resp.

Respondeo etiam si eas aliquando non sentiamus, id non provenire ex eo, quod nobis non dentur, sed quia super illas non reflectimus, aut quia sunt parùm intensæ, & contraria delectatio, cui voluntas adhæret, est major, ac magis sensibilis, aliqualis tamen est inspiratio, & explicatur per simplex, & inefficax desiderium, quo peccator desiderat suam salutem, & remissionem à peccato.

43. Objicies 4. Nemo potest velle, aut facere aliquid boni, nisi Deus faciat, ut homo velit, & faciat, ut patet ex illo Ezech. 36. 27. *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Et ad Phil. 2. 13. *Deus est, qui operatur in vobis, & velle, & perficere*; sed Deus non facit, ut præscitus aliquis velit, & faciat pœnitentiam ad salutem; ergo nullus præscitorum potest velle, aut facere, quæ ad salutem requiruntur; consequenterque non habent ad id auxilia sufficientia, quæ eis dant posse operari ad salutem. Resp. Deum velle, & facere quantùm est ex se, ut quilibet peccator etiam præscitus incipiat facere, quæ requiruntur ad salutem, ad quæ ei dat auxilia sufficientia; per liberam autem præsciti culpam stat, quod Deus hoc non faciat plenè, & ultimatè perficiendo.

44. Objicies 5. Ex illo Joan. 6. 37. *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet.* Et infra 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et infra 45. *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Et infra 66. *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Et 1. Cor. 4. *Quis enim te discernit*; sed ex his, & similibus locis videtur constare, nullum præscitorum habere in suâ potestate venire ad Christum, audire, & discere à Deo, & ut Deus eum discernat; ergo nullus habet in sua potestate, ut salutem consequatur per pœnitentiam; consequenterque non habet ad id auxilia sufficientia. Respondeo, quemlibet præscitorum Pater quantùm est ex se trahit, ut incipiat venire, ulteriùs attracturus, & adjuturus, si incipiat: quilibet potuit audire, & discere à Deo præstante doctrinam, quantùm ex se erat, sufficientem: & quilibet habet in sua potestate per Dei gratiam excitantem, & adjuvantem sibi oblatam, ut Deus primariò, & ipse secundariò se ipsum discernat; quod autem non veniat, non audiat, non discat, & se non discernat, non est ex parte Dei, qui dat omnia sufficientia auxilia, sed ex parte ipsius præsciti nolentis liberè cooperari.

SECTIO III.

Vtrùm Deus etiam peccatoribus obstinatis, & obduratis conferat auxilia sufficientia, ut resurgant per pœnitentiam?

45. Resolutio sit: Deus omnibus peccatoribus, etiam obstinatis, & obduratis confert auxilia sufficientia, ut pœniteant, & resipiscant. Ita *D. Thom. 1. p. q. 49. art. 2. & q. 23. a. 3. ad 3. & 1. 2. q. 98. fine. & q. 109. a. 4. & 6. ad 2. & 3. p. q. 52. a. 6. fine. & lib. 3. contr. gent. cap. 159. fine. & in 1. dist. 40. q. 4. a. 2.* & sæpè alibi. *D. Bonav. in 1. dist. 40. a. 4. q. 2. & dist. 46. q. 1. D. Antonin. 1. p. tit. 4. cap. 2. §. 6. Albert. Magn. 1. p. q. 63. memb. 3. Alexand. 1. p. q. 28. memb. 2 Altisiodor. lib. 3, tr. 5. cap. 5. q. 2. Ægid. in 2. dist. 5. q. 2. a. 1. & ad 1. Paludan. Capreol. Deza, Conrard. Ferrar. Cajet. Durand. in 1. dist. 39. quæst. 3. Scot. in 1. d. 46. ad 1. & in 2. dist. 37. Richard. Henricus, Gregor. Ocham. Gabr. Argent. Marsil. Major, Abul. Adrian. Rossens. Driedo, Ricard. Vega, Cavo, Sot. Viguer. Cordub. P. Turrian. dogm. de election. P. Tolet. in Joan. cap. 12. annot. 22. P. Salmer. tom. 2. tr. 22. P. Bellarm. lib. 2. de grat. & lib. arbitr. cap. 1. & sequent. P. Valenr. 1. p. d. 8. q. 3. pun. 4. & 2. 2. d. 1. q. 2. punct. 2. P. Soar. 1. p. lib. 4. hic cap. 3. n. 11. & lib. 3. de Auxil. cap. 6. n. 5. & tom. 2. de grat. lib. 4. cap. 10. n. 8. & 9. & tom. 4. in 3. p. d. 8. sect. 2. P. Vasq. 1. p. d. 97. cap. 5. P. Lorin. in Act. Apost. cap. 14.* quos omnes, & plures alios citat & sequitur *P. Ruiz hic d. 40. per totam, & d. 45. sect. 3. P. Herice tract. 3. d. 34. cap. 4. n. 19. P. Alarcon. tr. 4. d. 5. cap. 8. n. 1. P. Tanner. d. 6. de grat. q. 2. dub. 2. n. 31.* & alii apud citatos.

Probatur primò authoritate Scripturæ locis supra citatis *num. 28.* qui textus loquuntur generaliter de omnibus peccatoribus, nullo excepto, etiam obstinato, & obdurato; dicuntque omnes posse converti ad pœnitentiam; sed peccator etiam obduratus non potest sic ad pœnitentiam converti absque auxilio sufficienti; ergo Deus illi tale auxilium sufficiens non denegat, ut convertatur. Confirmatur primò ex illo ad Rom. 2. ibi: *Secundùm autem duritiem tuam, & impœnitens cor thezaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei*; si autem à Deo non reciperet auxilia sufficientia, ut posset converti, non ipse sibi thezaurizaret iram Dei. Secundò ex illo Exod. 8. 9. 10. & 11. ubi peccata Pharaonis ipsi, licet obdurato imputantur; non autem justè ei imputarentur, nisi haberet auxilia sufficientia ad illa non committenda; ergo &c. Tertiò ex Conciliis supra citatis *num. 29.* ubi nullus peccator, etsi obduratus excipitur, de quo dicatur non posse per pœnitentiam resipisci; non autem potest absque auxiliis sufficientibus; ergo &c. 46.

Probatur secundò rationibus: Prima, quia peccator, etiam obstinatus, & obduratus, non obstante ejus obstinatione, & obduratione, obligatur præcepto agendi pœnitentiam; ergo potest illam agere; siquidem nemo tenetur ad impossibile; sed absque aliquo auxilio sufficienti non potest quis agere pœnitentiam, ut habetur in Trid. *sess. 6. can. 3.* ergo &c. Secunda, quia peccator, etiam obstinatissimus, dum vivit, est in via; sed de ratione statûs viæ est, quod possit, si velit, accedere ad terminum, nempè ad gloriam; non autem sic posset, nisi per pœnitentiam, quam tamen non potest agere sine auxiliis sufficientibus; ergo illa habet peccator quandiu vivit ad agendum pœnitentiam; alioqui in tali statu nullum peccatum posset ei imputari, neque pro peccatis tunc in peccato commissis posset justè puniri. 47.

Oppositа sententia attribui solet *Abul. in Mat. cap. 4. q. 12. Ariminens. in 1. dist. 46. q. unica. Cajet. in Joan. cap. 19.* ad illa verba: *Non poterant credere. Rossens. contr. Lutherum. Ruard. a. 7. Henrice quodlib. 8. q. 5. Armacan. lib. 9. quæst. q. 27.* quos refert *P. Tanner. d. 6. de grat. q. 2. sub. 2. num. 26.* Pro quibus: Argues 1. Aliqui justi ita in gratiâ confirmantur, ut non possint amplius peccare; ergo etiam aliqui peccatores ita erunt in malum obstinati, ut non possint ampliùs rectè operari; consequenterque sint privati auxiliis sufficientibus ad benè operandum. Resp. primò negando consequentiam; diversa ratio est, quia per confirmationem illam in bonum, non tollitur potentia ad malum, quæ salvatur in sola natura liberi arbitrii; hæc autem non tollitur per confirmationem in bonum. 48.

at verò per subtractionem auxilii sufficientis tolleretur potentia ad bonum; siquidem cum sola natura liberi arbitrii, & sine auxilio divino, non potest homo, neque habet potentiam ad eliciendos actus supernaturales.

49. Respondeo secundò, argumentum non valere; siquidem confirmari in gratia ex communi Theologorum, nihil aliud est, quàm præparari à Deo semper auxilia illa, quæ prævidentur congrua. Undè ut prædictum argumentum rectè procederet, debebat sit inferre; ergo etiam alicui peccatori ob altissima Dei judicia, & in pœnam præcedentium delictorum poterunt semper à Deo conferri auxilia illa, quæ prævidentur incongrua: quod quidem concedimus; non autem quod nulla omninò auxilia sufficientia ei conferantur, ut intendit probare argumentum; siquidem id videtur valdè indignum clementiæ divinæ, quæ quantùm est ex se, & ex parte sua nunquam deest peccatoribus etiam obstinatissimis cum auxiliis sufficientibus, ut resipiscant.

50. Argues 2. Peccator obstinatus, qui peccat contra Spiritum Sanctum, manet irremediabilis; siquidem tale peccatum non remittitur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, ut patet ex illo Christi Domini. Matth. 12. 32. ibi: *Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*; ergo ad pœnitendum de tali peccato nulla dantur auxilia sufficientia. Respondeo primò ex D. Aug. *lib. 4. contra Cresconium cap. 8.* peccatum contra Spiritum Sanctum ibi esse finalem impœnitentiam, ideoque dici peccatum irremissibile, quia extenditur ultra statum viæ, in quo de lege ordinaria non fit remissio.

51. Respondeo secundò, peccatum contra Spiritum Sanctum esse peccatum ex malitia, sive quia committitur contra Spiritum Sanctum; sive quia fit ex speciali obstinatione cordis cum desperatione veniæ, & ex proposito non pœnitendi, ut est commune Theologorum; & prout sic idem est, tale peccatum non remitti, atque difficilè remitti, quia talis peccator directè resistit inspirationi Spiritûs Sancti; & quia peccatum ex malitia cum desperatione veniæ est difficilis retractationis. Undè argumentum non probat, quod tali peccatori non conferat Deus auxilia sufficientia, saltem physicè, licet debilia, & quibus ipse difficiliùs convertetur ad pœnitentiam.

52. Argues 3. Ex 1. Joan. 5. 16. datur peccatum ad mortem, pro quo non est orandum: *Est peccatum*, inquit, *ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*: non autem id diceret, si peccator in tali peccato constitutus haberet auxilia sufficientia, ut resipisceret; ergo &c. Respondeo per peccatum ad mortem posse ibi significari aliquod peccatum enorme, & gravissimum in statu viæ commissum, pro quo tamen Apostolus non prohibet absolutè orare, ut ait D. Amb. *lib. 2. de Pœnit. cap. 8.* sed solùm jubet, ut non quicumque de vulgo pro illo oret, sed aliquis alius egregiæ Sanctitatis Vir; siquidem quò gravior est culpa, eò majora, & validiora Sanctorum suffragia, & orationes sunt quærenda.

53. Argues 4. Ex illo ad Rom. 2. ibi: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut facerent ea, quæ non conveniunt*. Et ex illo Antiochi 2. Machab. 9. 13. *Orabat hic sceleſtus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus*. Ex illo Esau ad Hebr. 12. 17. *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam*: ex quibus locis videtur inferri, hos, & similes peccatores obstinatos carere auxiliis sufficientibus ad pœnitendum, etiam si velint pœnitere.

54. Respondeo D. Paulum solùm velle, tradi homines in reprobum sensum permissivè, hoc est permittendo Deus, illos labi in peccata, nunquam tamen illos destituendo auxiliis sufficientibus, ut resurgant. Et hoc eodem modo explicanda sunt alia quæcumque loca Sacræ Scripturæ, in quibus dicitur, Deum excæcare, obdurare, & ingravare peccatorem; subintelligendum enim est permissivè. Ad loca illa Antiochi, & Esau, dicimus, nullum ex illis egisse veram pœnitentiam: non Antiochus, quia solùm petebat corporis Sanitatem: non Esau, qui non culpas, sed hæreditatis, sive benedictionis amissionem deflebat; nam eodem tempore, quo flebat, occisionem fratris meditabatur. Gen. 27. 41. sicque non benè infertur, illos non habuisse auxilia sufficientia, ut verè pœnitent.

55. Argues 5. Ex D. August. in expositione quarumdam propositionum ad Rom. cap. 26. ubi loquens de Pharaone: *Non ergo*, inquit, *illi imputatur, quod non obtemperaverit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia talem se præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate*. Et *lib. de natur. & grat. cap. 67. Illa*, ait, *peccati pœna justissima, ut amittat quisque, quo benè uti noluit, cùm sine ulla posset difficultate uti, si vellet; id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire, quod rectum est, & qui rectum facere, cùm posset, noluit, amittat posse, cùm velit*. Et confirmatur authoritate D. Isidor. *lib. 2. de sum. bon. cap. 15.* ibi: *Nonnulli ita despiciuntur à Deo, ut non possint mala plangere, etiam si velint*; ergo &c.

56. Respondeo primò cum *P. Molin. in Concord. q. 14. art. 13. d. 10. P. Valent. q. 3. punct. 4. §. 1. & P. Tanner. d. 5. de grat. q. 2. dub. 2. n. 29.* D. August. aliquamdiu in ea fuisse sententia, sed postea retractasse *lib. 3. de liber. arbitr. cap. 18. 19. & 22. & contra Faustum cap. 44. & contra Julian. cap. 5. & lib. de prædest. & grat. cap. 14.* & eodem lib. expositione quarumdam propositionum cap. 62. ibi: *Sicut illa misericordia præcedenti fidei tribuitur merito, & ista induratio præcedenti impietati; cùm tamen homini non auferatur liberum arbitrium voluntatis, sive ad credendum Deo, sive ad impietatem, ut consequatur nos judicium*.

57. Respondeo secundò, & meliùs, D. August. solùm velle, peccata Pharaonis illi non imputari quoad potentiam moralem; siquidem moraliter non poterat ea non patrare ratione suæ obstinationis; imputari tamen quoad potentiam physicam; siquidem physicè poterat ea non committere, utpotè qui habebat auxilia sufficientia physicè, licet non moraliter; sicque peccavit, quod etiam ipsæ sacræ litteræ testantur in eo, quod populum non dimiserit, Deo jubente; hoc enim sæpius ei tribuitur vitio; ergo illud potuit facere, & peccavit non faciendo. Accedit, quod Deus per Moysen ei præcepit, ut populum dimitteret; ergo id facere poterat; nam frustrà, imò & imprudenter præcipitur id, quod præstari non potest; perindè enim est, ac si quis eum juberet loqui, qui linguâ caret. Eadem solutio applicanda est secundo textui D. Aug. & authoritati D. Isidor. hujusmodi enim Patres, (& si qui sunt alii) solùm volunt, aliquos peccatores non posse pœnitere moraliter, sive potentiâ morali; non autem physicè, sive potentiâ physicâ; siquidem omnes habent auxilia, licet adeò debilia, ut non possint moraliter, semper tamen possint physicè.

SECTIO

SECTIO IV.

Virùm omnibus infidelibus conferat Deus auxilia sufficientia?

58. ADVERTES, quæstionem non procedere de infidelibus, qui nunquam de fide audierunt, quia de his Sectione sequenti; neque de infidelibus, qui de fide audierunt, & convertuntur, quia hi clarum est, quod habeant auxilia non solùm sufficientia, sed etiam efficacia, ut actu ad fidem convertantur; alioqui non sic actu converterentur; sed solùm hîc inquirere de omnibus illis infidelibus, qui cùm audierint de Fide, non tamen convertuntur: Utrùm scilicet his omnibus, prout sunt in statu infidelitatis conferat Deus auxilia sufficientia?

59. Resolutio affirmativa tenenda est cum *P. Soar. tom. 2. de gratia lib. 4. cap. 11. P. Bellarm. P. Tanner, P. Valent. P. Ruiz* & aliis supra citatis. Probatur, primò authoritate Scripturæ Joan. 1. ibi: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: qui locus licet ab aliquibus explicetur de illustratione proveniente à lumine naturæ, re tamen vera de lumine gratiæ, & fidei intelligendus est, ut communiter intelligunt Interpretes. Et Matth. 5. *Qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super justos, & injustos*: quod D. Amb. intelligit de Sole justitiæ, & pluviâ gratiæ. Et Matth. 11. *Venite ad me omnes.* Et 2. Cor 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Et 1. Tim. 6. *Speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium, maximè fidelium.* Ubi particula *maximè fidelium* satis denotat, omnes etiam infideles sub illa Universali *omnium* comprehendi; ergo &c.

60. Probatur secundò authoritate Patrum ex D. Prosper. *lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 25.* ubi loquens de gratia sufficienti: *Deo autem*, inquit, *placuit hanc*, id est efficacem, *multis tribuere, & illam*, id est sufficientem, *nemini denegare.* Et ex D. Dionys. *de Cœlest. Hierarch. cap. 9.* ubi dicit, radium divini luminis paratum semper esse, & omnibus patere ad participandum, & ad cœcitatem erroris expellendam. Et ex D. Thom. *1. 2. q. 89. art. 6.* ubi ait, & docet, omnem hominem pervenientem ad usum rationis teneri converti ad Deum, per quam conversionem homo consequitur gratiam, & per illam peccati originalis remissionem; sed homo per vires naturales non potest consequi gratiam remissivam peccati, ut definit Trid. *Sess. 6. cap. 3.* & docet idem D. Thom. *1. 2. q. 112. art. 2. & 3.* ergo talis homo ad id indiget auxilio, quod à Deo præstari debet; alioqui non teneretur converti, aut disponi ad conversionem.

61. Probatur tertiò rationibus: Prima, quia Christus Dominus pro omnibus, etiã infidelibus mortuus est; ergo etiam illis omnibus meruit auxilia sufficientia, ut possint salvari, quæ Deus illis contulit. Secunda, quia Deus, ut ait Apostolus, vult omnes homines salvos fieri; sed hæc voluntas, cùm sit generalissima, debet extendi ad omnes, etiam infideles; ergo his omnibus confert media, sive auxilia sufficientia, ut possint salvari.

62. Objicies 1. Licet prædicta doctrina vera sit, si sermo sit de infidelibus, ad quos notitia Christi pervenit; non ita tamen, si loquamur de illis infidelibus, & barbaris in sylvis educatis, qui nunquam de Christo, & ejus fide audierunt, de quibus videtur loqui Apostolus ad Rom. 10. *Quomodo credent in quem non audierunt? quòmodò autem audient sine prædicante*; ergo saltem his non confert Deus auxilia sufficientia. Respondeo negando consequentiam, ut infra dicemus, & patet ex testimoniis supra citatis, quæ cùm sint universalia; omnes infideles comprehendunt. Ad illud D. Pauli dicimus, ex illo solùm probari, hujusmodi infideles non habere potentiam proximam ad credendum, non tamen non habere remotam, quam certè habent; quatenùs habent auxilia ad opera honesta ordinis naturalis, & ad faciendum; quod in se est; & si hoc faciant, absque dubio eis dabitur potentia proxima, & immediata ad credendum; nam facienti, quod in se est, Deus non denegat auxilium, sive gratiam, ut est celebre affatum, de quo alibi.

63. Instabis: Deus non confert hujusmodi infidelibus auxilia sufficientia, ut veniant ad fidem, nisi mediante prædicatione ipsius fidei; siquidem quando vult attrahere ad fidem mittit Prædicatores, illos autem non mittit, quando non vult attrahere: Sic enim quando voluit attrahere ad fidem Cornelium, misit ad illum D. Petrum Actor. 10. & quando voluit attrahere Eunuchum Reginæ Candacis, misit Philippum ad illum baptizandum Actor. 16. quando autem non vult attrahere, neque mittit, neque permittit, imò vetat ad illos ire Prædicatores, ut constat Actor. 16. ibi: *Vetiti sunt ab Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia; & cùm tentassent ire in Bithiniam; non permisit eos Spiritus Sanctus*; sed hujusmodi infidelibus barbaris non mittuntur Prædicatores; ut supponimus; ergo his non conferuntur auxilia sufficientia.

64. Respondeo primò instantiam non valere; siquidem solùm procedit de infidelibus, quos Deus proximè, & immediatè vult, aut non vult attrahere: nos autem loquimur de omnibus absolutè, quos dicimus, Deum velle vocare, saltem remotè prout diximus. Respondeo secundò, licet ad hos barbaros non mittantur Prædicatores Evangelici, adhuc suos habere Prædicatores Deum quodam modo eis prædicantes, in quibus habent auxilia sufficientia, & notitiam quodam modo sufficientem ad salutem; quatenùs scilicet ipsa externa mundi species, eximiaque Universi pulchritudo, & ordinatissima rerum omnium varietas illis prædicat, eosque erudit; Cæli siquidem enarrant gloriam Dei, clarissimâque, & nunquam intermissâ voce (*Concentum quippe Cæli quis dormire faciet* Job. 36.) denotant dari unum omnium Creatorem, & administratorem, quem venerari, & colere, ejusque opem implorare debeant, cui voci si aures non occluderent, magis, majorque lux ipsis paulatim suboriretur, Deique, & rerum ad salutem spectantium notitia magis ipsis in dies, ac magis illucesceret, vitamque honestè instituentes juxta rectæ rationis normam, Deo illis manum auxiliatricem porrigente, tandem ad beatitudinem pertingerent.

65. Objicies 2. Multi ex his infidelibus, præsertim barbaris, habẽt ignorantiam invincibilem de Deo; ergo non habent auxiliũ sufficiens ad credendum; cùm objectum, nempè Deus, in quem credant, non sufficienter, imò illis omninò non proponatur. Confirmatur, quia hujusmodi barbari non peccant nõ credendo; siquidem nemo peccat circa materiã, de qua habet ignorantiam invincibilem; ergo non habent auxilium sufficiens, ut possint credere; alioqui si illud haberent, possent etiam credere, & peccarent non credendo, quod est contra suppositionem; ergo &c.

66. Respondeo primò negando absolutè antecedens; in nullo enim, nisi ad breve tempus, potest dari de Deo ignorantia invincibilis. Et ratio à priori est, quia cùm Deus sit finis, & quasi centrum hominis, recta ordinatio postulat, ut quemadmodum res aliæ naturalē sibi habent inclinationem, & propensionem ab Authore naturæ inditam ad sua centra, ita etiam homo ab eodem sibi habeat inditam propensionem ad suum; & sicut illæ aliæ materiali, & naturali quadam vi, & impetu ad suos quæque fines feruntur; ita etiam homo, cùm sit rationalis, rationali hujusmodi impulsu ad Deum finem suum ferri debet: Unde sicut esset gravis inordinatio, si non cognosceret principia juris naturæ, qualia sunt, *Bonum esse faciendum, & malum fugiendum*, ita etiam talis esset, si Deum non cognosceret.

67. Dices 1. cum *P. Arriaga 1. p. d. 2. de Deo sect. 3. num. 17.* Cognitio Dei non potest acquiri, nisi per discursum; sed hic est maximè difficilis barbaris, rudibus, ac bardis hominibus, quales v. g. erant Brasilienses ante adventum Lusitanorum: imò & plures de facto sunt gentiles, qui plures Deos colunt; hi autem Deum ignorant; nam qui plures, quàm unum Deum statuit, nullum statuit; ergo &c. Confirmatur, quia aliqui de facto Deum negarunt, unde illud Psalm. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Et Pharao Exod. cap. 5. 2. *Nescio*, inquit, *Dominum.* Et D. Aug. tract. 106. in Joan. sic ait: *Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur authorem*; ergo cùm D. Aug. paucos aliquos excipiat, hi sunt barbari illi, qui Deum penitus ignorant invincibiliter.

68. Respondeo, licet sit difficile rudibus, ac bardis hominibus habere Dei notitiam claram, evidentem, ac demonstrativam; difficile tamen non esse habere aliquod dubium, & suspicionem Numinis; hoc enim dubium congenitum est creaturæ rationali ex instinctu illi ab Authore naturæ indito, ex quo instinctu excitatur Dei species ad eum utcumque cognoscendum. Imò ad hoc dubium de illo habendum satis est rerum creatarum, Universique, Cœli præsertim, astrorumque aspectus, qui veluti naturæ vox identidem omnium auribus insonat, neque à quoquam, nisi ultrò aures occludat (quod facit ignorantiam jam vincibilem) aliquo saltem modo audiri nequit: siquidem: *Nulla gens est*, inquit Tullius lib. 1. de legib. *neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ licet nesciat qualem Deum habere deceat, habendum tamen ignoret.* Undè licet aliqui certum de Deo judicium non formaverint, nullus tamen unquam fuit, cui dubium saltem aliquod hac de re in mentem non venerit, quod de Brasilienſibus affirmat *P. Granad. 1. p. tr. 1. d. 1. sect. 3.*

69. Ad confirmationem dicimus, illos, qui plures Deos colunt, Numen aliquod, saltem confusè cognoscere, imò supremi alicujus Numinis notitiam aliquando habere, quod in primis indicat altare illud Athenis erectum *Ignoto Deo.* Deindè Gentiles passim Jovi primas deferebant tanquam Deorum supremo. Ad illud psal. 13. *Dixit insipiens, &c.* dicimus communiter explicari de homine scelerato, qui culpabiliter Deum ignorat; vel potiùs omnem de Deo cogitationem abjicit, ut liberiùs peccet. Neque etiam Pharao Numen aliquod penitùs negavit, sed solùm Deum Hebræorum noluit pro vero Deo agnoscere. Præterea D. Aug. apertè indicat illorum paucorum ignorantiam non fuisse invincibilem, sed vincibilem, & culpabilem, quippè qui vitiis dediti, cogitationes de authore naturæ, quæ ex Universi fabrica in illis excitabantur, aut à Deo immittebantur, abjiciebant. Imò idem D. August. *tract. 106. cit.* ad illa verba *Joan. 17. Pater manifestavi nomen tuum hominibus*; asserit nullam esse creaturam ratione præditam, quę Deum penitùs ignoret: *Hæc est*, inquit, *vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omninò, ac penitùs possit abscondi.* Quid clarius?

70. Dices 2. cùm eodem *P. Arriaga cit. num. 21.* Licet omnibus sit insitum de Deo dubium, sicque in nullo sit ignorantia invincibilis, hæc tamen ignorantia vincibilis non est culpabilis; sic enim si cui dubium incidat, quo pacto arbores crescant, non peccat, de hac re ulteriùs non inquirendo; ergo &c. Respondeo negando antecedens: illa enim ignorantia, cùm sit vincibilis, est culpabilis; nam cùm primùm homo format de Deo aliquale dubium, tenetur ulteriùs inquirere, quia tenetur vitam rectè instituere, ad quod maximè confert Dei cognitio, tanquam humanarum actionum finis, quod nisi faciat, peccat: at verò notitia de arborum augmento nihil omninò conducit ad vitam rectè instituendam, ideoq; licet homo de illo ulteriùs non inquirat, non peccat, quamvis de hoc habeat ignorantiam vincibilem. Hæc ita juxta probabilem sententiam.

71. Resp. tamen secundò, & meliùs juxta alia à nobis alibi dicta in Philosophia *tom. 3. tract. 1. d. 3. à n. 59.* concesso antecedente argumenti supra apposiii *num. 65.* & distinguendo consequens: non habent auxilium sufficiens ad credendum proximè, & immediatè; concedo consequentiam: remotè, & mediatè, quatenùs illud habent ad alia opera honesta naturalia, cui si assentirentur, eis etiam daretur auxilium sufficiens ad credendum; nego consequentiam: Undè hujusmodi infideles non credendo non peccant, neque fidei carentia eis imputatur proximè; imputatur tamen remotè, & mediatè, quatenùs committunt alia peccata, & non faciunt, quod in se est; nam si hoc facerent, darentur eis proximè, & immediatè auxilia sufficientia ad fidem. In quo sensu verificatur illud Apostoli *ad Rom. 1.* ubi dicit, gentes esse inexcusabiles. Undè dicendum est hujusmodi infideles non esse condemnandos propter peccatum infidelitatis; siquidem ab illo eos excusat ignorantia invincibilis; condemnandos tamen esse propter alia peccata, quæ si non commisissent, conferrentur eis auxilia necessaria, & sufficientia ad fidem.

72. Objicies 3. Hujusmodi auxilia sufficientia his infidelibus collata, aut essent tantùm externa, & generalia; aut etiam interna, & specialia; aut simul generalia, & specialia; ac externa, & interna; sed neutra ex his confert illis Deus; ergo &c. Respondeo hoc argumentum postulare specialem Sectionem: Sit igitur.

SECTIO

SECTIO V.

Vtrùm Deus omnibus infidelibus, qui nunquam de fide audierunt, conferat auxilia sufficientia, tum externa, & generalia; tum etiam interna, & specialia?

73. DIFFICULTAS 1. Utrùm Deus omnibus infidelibus, etiam barbaris, & qui nunquam de fide audierunt, conferat auxilia sufficientia? Affirmativè. Ita *P. Soar. tom. 2. de grat. lib. 4. cap. 11. num. 5. & lib. 4. de provid. circa reprob. cap. 3. n. 11. P. Ruiz d. 46. sect. 2.* & alii supra cit. Probatur primò ex supra dictis *à n. 59.* quæ omnia, cùm sint generalia, etiam de his infidelibus sunt intelligenda; ergo &c.

74. Probatur secundò ex illo ad Rom. 1. ubi Apostolus loquens de omni creatura rationali sic ait: *Invisibilia ipsius, à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut sint inexcusabiles*; sed si non haberent auxilia sufficientia, essent excusabiles; ergo &c. Tertiò ex illo Sapient. 13. *A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri; sed tamen adhuc in his minor est querela*: ubi illud *Minor est querela*, supponit esse querelam de Barbaris, & rudibus hominibus, licet major sit de aliis; non autem sic haberet querelam, nisi eis præstaret auxilia sufficientia; ergo &c. Quartò, quia Deus cuilibet homini etiam barbaro, & maximè rudi assignavit suum specialem Angelum custodem, ut patet ex illo Deuter. 32. *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël*: ubi Septuag. legunt: *Juxta numerum Angelorum Dei*: Et D. Greg. *lib. 17. Moral. cap. 8. Certa*, ait, *Angelorum ministeria dispensandi singulis quibusq; gentibus esse prælata*; sed Angeli custodes non ad alium finem mittuntur, nisi ad procurandam hominum salutem; non autem sic procurarent in gentibus, si illis Deus non contulisset auxilia sufficientia, ut possent ad cultum Dei verum, & utilem venire; ergo &c.

75. Argues 1. Ex illo Actor 14. ibi: *Deus in præteritis generationibus, dimisit gentes ingredi vias suas.* Et cap. 17. *Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus: dimittere* autem, & *despicere* in sacris litteris est auxilio destituere, ideoque frequenter in Psalmis oramus, nè à Deo despiciamur; ergo &c. Respondeo verba illa *dimittere*, & *despicere*, si eo loco accipiantur pro destitutione auxilii, intelligenda esse de auxilio efficaci, & abundanti, non autem sufficienti.

76. Argues 2. Matth. 11. legimus, Tyrios, & Sidonios pœnitentiam fuisse acturos, si Dominus apud eos prædicasset, aut miracula facere voluisset; & tamen non ita pœnitentiam egerunt, quia hoc auxilio fuerunt destituti; ergo &c. Respondeo argumentum solùm probare, Deum pro sua libera voluntate congruum, & abundans auxilium negare quibus vult: non tamen indè colligi, Tyrios, & Sidonios destitutos fuisse auxilio sufficiente.

77. Argues 3. Si omnes barbari haberent auxilia sufficientia, sequeretur, quod omnis, qui non convertitur, resistit Deo supernaturaliter vocanti ad fidem, aut ad pœnitentiam; consequenterque peccare peccato infidelitatis, aut impœnitentiæ; siquidem omnis homo tenetur recipere fidem, cùm potest; potest autem si habet auxilium; sequela autem videtur falsa, ut patet ex illo Joan. 15. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*: ubi D. Thom. *2. 2. q. 10. art. 1.* probat, infidelitatem non habere rationem peccati, sed puram negationem fidei in iis, qui nihil audierunt de fide; ergo &c. Respondeo, barbaros non peccare peccato infidelitatis, sed ab eo excusari per ignorantiam invincibilem, prout supra diximus; siquidem auxilia, quæ accipiunt, non excitant immediatè, & proximè ad credenda mysteria supernaturalia; neque immediatè, & proximè conferunt potentiam sciendi, atque credendi supernaturalia, sed tantùm remotè quatenùs illis tenebantur cooperari, nè suam salutem impedirent.

78. Argues 4. Infidelibus habentibus copiam doctrinæ; imò & fidelibus, aliquando deficit gratia excitans ad salutem, quando scilicet deficit hujus excitationis opportunitas, prout supra diximus; sed barbaris invincibiliter ignorantibus omnia supernaturalia semper deficit hujusmodi opportunitas; ergo etiam ipsa gratia excitans. Respondeo negando minorem: licet enim quamdiu sic ignorant eis deficiat opportunitas gratiæ, quæ immediatè, & proximè excitet ad credendum formaliter, & explicitè; non ita semper deficit, quæ immediatè, & proximè excitet ad credendum, & amandum aliquod bonum, quod explicitè sit naturale, virtute tamen, & implicitè contineat aliquod supernaturale, ad quod saltem remotè etiam excitat, ut diximus.

79. Argues 5. Si omnibus barbaris daretur gratia sufficiens, aliquis ex tanta eorum multitudine cooperaretur, & consentiret; consequenterque perveniret ad fidem, & salutem; sed experientia docere videtur, neminem ex illis obtinuisse fidem, & salutem; ergo &c. Respondeo primò cum *P. Ruiz d. 46. sect. 8. n. 28.* verisimilius esse quibusdam barbaris, specialiter à Deo dilectis, clariores, & fortiores illustrationes, & inspirationes infundi cum circumstantiis opportunis, ut assensum præbeant, & ad salutè perveniant. Neque ex eo, quod eos ignoremus, probatur, nunquam aliquos fuisse, cùm id scire sit impossibile in regionibus adeò vastissimis, & vitiorum caligine obrutis. Respondeo secundò, argumentum solùm probare, hujusmodi barbaros non posse, prout sic pervenire ad salutem moraliter; non tamen probare, non potuisse physicè; habent enim ad id potentiam physicam, licet non habeant moralem.

80. Difficultas 2. Utrùm Deus hujusmodi infidelibus conferat auxilia sufficientia, tùm externa, & generalia; tùm specialia, & interna? Advertes auxilia sufficientia externa, & generalia esse v. g. institutionem Ecclesiæ, & Sacramentorum; item & prædicationem Evangelii, quæ de se pro omnibus instituta est, licet per accidens ad aliquos non pervenerit; & quod Deus hujusmodi auxilia omnibus contulerit, non est dubium: auxilia verò sufficientia interna, & specialia sunt illustrationes, & inspirationes internæ, quibus Deus internè, & specialiter vocat, de quibus est præsens difficultas: pro qua:

81. Resolutio sit: Deus hujusmodi infidelibus confert auxilia sufficientia, etiam specialia, & interna. Ita communiter Doctores. *P. Soar. P. Vasq. P. Granad. P. Valent.* & alii, quos citant, & sequuntur *P. Amicus d. 28. num. 123. & P. Ripal. d. 20. sect. 22.*

Pro-

Probatur primò, quia hujusmodi infideles tenentur venire ad Christum, ut patet ex illo ad *Rom. 1.* ubi dicit Apostolus, ut vidimus, gentes fuisse inexcusabiles, & thesaurizare sibi iram in die judicii; non autem sic essent inexcusabiles, nisi vocarentur specialiter, & internè, ipsis tamen internis vocationibus non responderent; sed non ita tenerentur venire, nisi vocarentur internè illustrationibus, & inspirationibus, ut patet ex illo Joan. 6. ibi: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*; ergo &c.

82. Probatur secundò, quia Deus, ut supra diximus, vult omnes homines salvos fieri; ergo etiam hujusmodi infideles, non obstante peccato originali; imò & ab hoc vult eos liberare propter Christi merita adhibendo aliquod remedium; sed media generalia prædicationis, institutionis Ecclesiæ, & Sacramentorum, quæ aliis conferuntur, non sunt hujusmodi infidelibus sufficientia; siquidem, ut supponimus, nihil de his audierunt; ergo dicendum est illis à Deo conferri alia specialia, & interna, quales sunt illustrationes, & inspirationes internæ.

83. Probatur tertiò ex illo Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: qui textus de illuminationibus internis per gratiam intelligitur; sed hujusmodi infideles comprehenduntur sub numero illo universali: *omnem hominem*; ergo &c. Confirmatur ex illo Apoc 7. *Ecce sto ad ostium, & pulso*: quæ verba intelliguntur de omnibus hominibus sine acceptione personarum, & in illis præter media generalia, significatur modus specialis pulsandi internè per illustrationes, & inspirationes.

84. Probatur quartò ex Sanctis Patribus D. Prosper. *lib. 2. de vocat. gent. cap. 4.* ubi loquens de reprobis sic ait: *Qui quidem in comparatione electorum videntur abjecti, sed nunquam sunt manifestis, occultisq; beneficiis abdicati*: Et *cap. 5.* loquens de distributione auxiliorum: *Quæ*, inquit, *& si parcior antea, atque occultior fuit, nullis tamen seculis se negavit, virtute una, quantitate diversa, consilio incommutabili, opere multiformis.* Et *Cap. 23.* docet præter illam generalem gratiam datam, parciùs & occultiùs Deum specialiter omnium hominum corda pulsare: ibi: *Circa majorem*, inquit, *prater generalem gratiam, parciùs, atque occultiùs omnium hominum corda pulsantem.* Et eodem *cap. 23.* cùm descripsisset externas, & internas gratias, quibus Deus homines vocat, addit: *Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos omnibus adhibetur, & quòd à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ: quod autem à multis suscipitur, gratiæ est divinæ, & voluntatis humanæ.* Et eodem *cap. 23.* loquens de parvulis ait, *Ad aliam pertinere gratiæ partem, quæ universis semper est impensa nationibus*: & addit: *quâ utiq; si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur*; ergo supponit adultis parentibus in se ipsis datam esse gratiam sufficientem, quâ bene uti potuissent, per eamq; non solùm propriæ, sed etiam infantium saluti providere. Hanc eandem sententiam affirmant *D. Dionys. de Cæles. Hierarch. cap. 9. D. Irenæus lib. 4. cap. 71.* & alii.

85. Oppositam sententiam tenent *Scot. Ocham. Gregor. in 1. dist. 46. q. 1. ad 3.* apud *P. Soar. tom. 2. de grat. lib. 4. cap. 11. n. 6.* quatenùs affirmant his infidelibus non conferri auxilia sufficientia interna, sed illis satis provisum esse per auxilia sufficientia generalia, & externa, nempè per institutionem Ecclesiæ, & Sacramentorum, & per prædicationem Evangelii, quæ de se pro omnibus instituta est; & licet non sint auxilia actualia, sunt tamen organa, quibus ipsa actualia communicantur: quod si aliquando contingat, ut prædicatio Evangelica, ac fidei notitia ad hujusmodi infideles non perveniat, id erit per accidens, & quia in pœnam peccati originalis Deus id permisit, quam tamen pœnam Deus misericorditer non omnibus, sed aliquibus imponit.

Nec talis permissio, inquiunt, est injusta; neque contra voluntatem illam generalem antecedentem salvandi omnes; neque contra debitam, & sapientem Dei providentiam: Non primum, quia Deus nulli debet majora auxilia: Non secundum: quia ex parte Dei omnibus parata est salus, quod solùm ad illam voluntatem pertinet: Non tertium, quia Deus non tenetur mutare, aut agere contra communem cursum causarum secundarum generalium in uno quoque ordine, ne in illo aliqua monstra, aut defectus sequantur: Pro hac tamen sententia. 86.

Argues 1. authoritate Scripturæ: Primò ex illo Actor. 17. ubi de antiquis gentibus, quæ veræ fidei notitiam non habuerunt, sic ait: *Tempora hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus.* Secundò ex illo Actor. 14. ibi: *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas*: in quibus locis significatur, gentes illas non accepisse speciales illustrationes, & internas vocationes, sed tantùm auxilia illa generalia de se omnibus communia, quibus tamen aliquando per accidens fuerunt privati in pœnam peccati originalis. Tertiò ex illo ad Rom. 10. ubi loquens Apostolus de sufficientia auxiliorum, quibus Deus omnes vocat ad fidem, solius prædicationis Evangelicæ facit mentionem: *In omnem terram*, ait, *exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: quæ si ad aliquos non pervenit, id fuit per accidens; nam Christus Dominus pro illis etiam, sicut pro aliis prædicationem, Ecclesiam, & Sacramenta instituit, in quibus sufficienter omnibus provisit; ergo &c. 87.

Respondeo hæc omnia testimonia solùm probare, Deum hujusmodi infidelibus non conferre auxilia proxima, & immediata ad fidem; non tamen probare, non eis conferre auxilia proxima, & immediata ad rectè, honestèque vivendum, & ad servandam legem naturalem, prout servare poterant, quod si fecissent, & obicem non posuissent, sine dubio illis conferret Deus auxilia proxima, & immediata ad credendum, ad quod, si aliud remedium non suppeteret, (quia in sylvis, & in regionibus adeò semotis educati,) mitteret Deus miraculosè Angelum aliquem, aut Prædicatorem, qui eos doceret, & instrueret, ut constat accidisse Lusitano illi Thaumaturgo, (ut appellatur à populo) Patri Josepho de Anchieta, quem Sanctorum catalogo adscribi speramus; hunc enim (ut refert P. Sebastianus Veretarius, & ex illo transcripsit *P. Herice tract. 3. d. 34. cap. 8.*) Deus cælitùs misit ad instruendum, & baptizandum cælestem illum infidelem Brasilienſem in sylvis ad ultimam usque senectutem educatum, qui legem naturalem observaverat, & illud ultimum, & primum salutis remedium expectabat, ut per portam salutis ad æternam salutem ingrederetur: & si hujus doctrinæ veritas non satis hujus testimonii veritate firmaretur, testimonio D. Dionysii maximè stabilitur, qui lib. de Cæles. Hierarch. cap. 9. sic ait: *Non rectè imputatur gubernatoribus Angelis, si gentes aliæ ad falsorum Deorum cultum devolutæ sunt; sed illis ipsis, qui motibus propriis à recto calle, quo ad Deum ascendere possent, sua sponte deviarunt*: ex 88.

ex quibus verbis constat, nisi obicem, nempè peccata, posuissent, per Angelos Custodes instructum iri, licet in sylvis fuissent perpetuò educati.

89. Argues 2. Non apparet quando, & quomodò hujusmodi auxilia sufficientia infidelibus sic enutritis conferantur; ergo omnes similibus auxiliis destituuntur. Ante argumenti solutionem: Advertes cum *P. Soar. cit. num. 2.* infideles hîc posse esse in triplici genere: Primò, qui fidem habuerunt, & postea illam deserentes, fiunt apostatæ, & hæretici. Secundò, qui quidem de fide audierunt, illam tamen recipere noluerunt. Tertiò, qui nunquam de fide audierunt, nullaque prædicatio, aut Evangelii notitia ad illos pervenit. Hoc posito.

90. Respondeo ad argumentum negando antecedens quoad omnia hæc infidelium genera; nam infidelibus primi, & secundi generis, prout supra diximus, toties dätur auxilia sufficientia, ut redeant & veniant ad fidem, quoties recordantur veræ fidei, quam aliquando habuerunt, aut de qua audierunt. Patet, quia tunc tenentur quærere veram fidem; siquidem eis imputatur, si non quærant; non autem imputaretur, si non tenerentur quærere; sed non ita tenerentur quærere, si non possent; nemo enim tenetur ad impossibile; ergo tunc habent posse, sive auxilia sufficientia, quæ dant posse, ut quærant: Confirmatur, quia peccatores fideles tunc habent auxilia sufficientia, ad pœnitentiam, quando ad illam advertunt, ut supra diximus; ergo etiam hujusmodi infideles tunc habebunt auxilia sufficientia, quando adverterint ad veram fidem, aut ad falsitatem suæ sectæ.

91. Quoad infideles tertii generis, de quibus in præsenti, tunc illis conferuntur auxilia sufficientia interna, & specialia, nempe illustrationes, & inspirationes, quando illis in mentem venit verus Deus, de quo habent notitiam sufficientem, aut saltem aliquod dubium, & vehementem suspicionem, prout supra diximus; aut quando advertunt ad incertitudinem suæ sectæ, si quam habent. Patet, quia hæc sola tempora, vel momenta, non verò alia, quibus distrahuntur, & occupationibus implicantur, videntur illis opportuna pro habendis his auxiliis, ut supra diximus de tempore, quo peccatoribus fidelibus dantur auxilia sufficientia ad pœnitentiam.

92. Argues 3. Peccatores perpetuò amentes nõ sunt capaces inspirationis, & illustrationis internæ; sicque illis specialibus auxiliis destituuntur, & solùm habent externa & generalia, quibus etiam per accidens destituuntur; ergo idem dicendum de illis infidelibus. Respondeo hos peccatores, sive sint fideles, sive infideles, aut incidisse in amentiam perpetuam: aut fuisse perpetuò amentes, & nunquam usum rationis habentes: Si primum, & sint fideles, Deus illis contulit auxilia sufficientia interna ne peccarent, antequam in amentiam inciderent, sicque ipsis imputabitur, quod peccent, & non salventur: Si sint infideles, etiam antequam inciderent in amentiam, illis contulit Deus auxilia interna ad faciendum, quod in se erat, & si fecissent, sine dubio eis cõferrentur auxilia proxima ad baptismum, & fidem suscipiendam, prout diximus. Si secundum, adhuc Deus illos non destituit auxiliis necessariis remotis, proximè tamen collatis eorum parentibus, qui si illis benè uterentur, vitarent peccata, propter quæ puniuntur in filiorum amentiâ, sicque de his idem, quod de infantibus, qui sine baptismo decedunt, dicendum est: pro quibus sit:

SECTIO VI.

Vtrùm infantibus non baptizatis conferat Deus auxilia sufficientia ad salutem?

HActenùs de adultis, tùm justis, tùm peccatoribus; tùm fidelibus, tùm infidelibus, locuti sumus; nunc autem dicendum nobis est de parvulis, sive infantibus, qui sine baptismo, & originalis remedio decedunt, ita ut penè vivere desinant, quàm incipiant. Maxima de hac re suborta est controversia inter *P. Soar. & P. Vasquez*, postea à Magistris Recentioribus agitata, & locupletata; quid de illa sentiamus, breviter jam dicimus: Sit igitur: 93.

Assertio 1. Infantibus, qui vel in utero matrum, aut defectu materiæ, aut ministri sine baptismo decedunt, confert Deus auxilia sufficientia specialia, saltem remotè, & mediatè, quatenùs proximè, & immediatè illa confert eorum parentibus, quibus si benè uterentur, certè peccata non committerent, propter quæ Deus eos punit, permittendo eorũ filios ita miserè, & immaturè decedere, & qui si in abortu ad Deum efficaciter recurrerent, aut ad aliquem Virum Sanctum, nunquam ita punirentur, ut eorum infantes sine remedio baptismi decederent. Ita *D. Thom. Scot. P. Bellarm. lib. 2. de grat. & liber. arbitr. cap. 5. Vega lib. 5. in Trid. cap. 6. P. Less. de prædest. sect. 6. assert. 1. P. Arrubal. 1. p. d. 91. cap. 3. P. Herice tr. 3. d. 35. cap. 2. P. Valent. 1. 2. d. 8. q. 3. punct. 4. P. Amicus de grat. d. 28. n. 107. P. Compton. tom. 1. d. 38. sect. 8. n. 4.* & maximè *P. Soar. lib. 4. hic cap. 4. per totum*, & alii apud citatos. 94.

Probatur primò ex D. Prospero *lib. 2. de Vocat. gent. cap. 23.* ubi loquens de his infantibus ita ait: *Sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis, nisi per alios consuli potest, & consequens est, illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto, vel pravo aguntur affectu; sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate, aut dissimulatione non credunt*; ergo &c. Secundò ratione, quia infantes sunt incapaces suscipiendi proximè, & immediatè auxilia specialia interna, nempè illustrationes, & inspirationes; ergo illa recipiunt remotè, & mediatè, quatenùs Deus illa confert eorum parentibus proximè, & immediatè, prout diximus. 95.

Assertio 2. Deus hujusmodi infantibus etiam confert auxilia sufficientia externa, & generalia in ipsa institutione Sacramentorum dependenter ab eorum parentibus, aliisque causis secundis. Ita Doctores supra citati. Probatur primò authoritate Scripturæ: Primò 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: sed sub hac universali comprehenduntur, non solùm adulti, sed etiam parvuli, tam enim homines sunt isti, quàm illi, ut ait D. August. apud P. Soar. cit. *Nunquid*, inquit, *parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est, vult omnes homines salvos fieri*; ergo utrisque providit Deus auxilia sufficientia ad salutem. 96.

Secundò ex illo 1. Joan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Et 2. Cor. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus.* Et infrà: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Et ex Trident. *Sess. 6. cap. 2.* ubi de- 97.

finit Christum missum, *Ut omnes adoptionem filiorum reciperent*: ex quibus, & aliis locis constat, Christum fuisse omnium redemptorem; sed fuit redemptor adultorum; ergo etiam parvulorum; alioqui non esset omnium redemptor. Confirmatur ex D. Prosper. *lib. 2. de Vocat. gent. cap. 2. Non irreligiosè*, inquit, *arbitror credi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis impensa est nationibus, quâ utique si bene uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur*; ergo &c.

98. Probatur secundò ratione, quia Deus decrevit Sacramentorum institutionem, etiam pro hujusmodi infantibus; ergo eis provisit in eorum institutione, quantùm est ex parte sua; ergo licet non sortiantur effectum, aut ex malitia parentum, aut ex aliqua alia occasione, & concursu causarum secundarum, id erit per accidens, & minimè spectans ad simplicem affectum, quo Deus voluit hos pueros, sicut & reliquos homines salvos fieri, omnibusque auxilia sufficientia providere, quin ex tali affectu teneretur malitiam parentum impedire, aut alias quascumque causas quocumque modo impedituras applicationem Sacramentorum, ut benè notat *P. Soar. cit.* siquidem sub hac conditione voluntatis alienæ, & concursûs aliarum causarum secundarum, provisit illis Deus prædicta remedia ex simplici affectu salvandi illos.

99. Oppositum tenent *Greg. in 1. dist. 46. q. 1. Ricard. art. 7. Gabr. in 4. dist. 4. q. 2. art. 3, dub. 2. D. Thom. in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. ad 1. Driedo tract. 5. cap. 3. Sot. de Natur. & grat. cap. 10.* quos citat, & sequitur *P. Vasq. 1. p. d. 96. cap. 2. n. 4. P. Ruiz d. 49. sect. 2. n. 1.* licet *num. 3.* in aliquo sensu nostram etiam sententiam sequi videatur. *P. Alarcon tract. 4. d. 5. cap. 9. n. 7.* & alii asserentes hujusmodi infantes, ut dicantur habere media, sive auxilia sufficientia ad salutem à Deo provisa, debere poni in illis circumstantiis, in quibus homines adulti possint eis succurrere, si velint, eosque Sacramento salutis abluere, quod fieri nequit, si in utero materno moriantur; aut statim morituri, in eo loco nascantur, ubi aqua non est ad baptismum requisita. Pro hac sententia minùs dignè de Deo, ejusque bonitate sentiente:

100. Argues 1. Ideò hujusmodi infantes haberent media, sive auxilia generalia sufficientia, quia Deus, ut diximus cum Apostolo, vult omnes homines salvos facere; sed hæc verba non intelliguntur de his infantibus; siquidem Apostolus eodem loco etiam dicit, Deum velle, eos *ad agnitionem veritatis venire*, quæ verba de solis adultis intelliguntur, non autem de infantibus, qui pro eo statu ad agnitionem veritatis nec veniunt, neque possunt venire; ergo &c. Respondeo cum D. August. *lib. 4. contr. Julianum*, etiam parvulos, qui justificantur, & salvantur, *Venire*, ait, *in Regnum Dei, ubi certa est veritatis agnitio.* Et aliis in locis (ut refert *P. Soar. cit. num. 5.*) sæpè docet, parvulos baptizatos *credere habitu*, licet non credant actu; sicque eodem modo potest dici venire ad agnitionem veritatis.

101. Instabis: Verbum *venire* videtur significare voluntariam fidei susceptionem; sed hanc non habent parvuli pro eo statu; ergo &c. Respondeo parvulos pro eo statu habere voluntariam fidei susceptionem, non propriam, sed parentum, per quorum voluntatem dicuntur venire juxta morem Ecclesiæ; sicque per hæc posteriora verba: *Ad agnitionem veritatis venire*; non limitantur ad solos adultos illa priora: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ut aliqui volunt, cùm sint universalia, & ut talia debeant extendi ad omnes homines; homines autem sunt etiam parvuli, ut supra diximus cum D. Aug. pro quibus etiam D. Paul. dicit esse orandum, & Christum fuisse eorum redemptorem, cùm dixerit pro omnibus orandum, & Christum pro omnibus fuisse mortuum.

102. Argues 2. Ideò hujusmodi parvuli haberent media sufficientia, saltem generalia ad salutem, quia Christus Dominus, cùm pro omnibus mortuus fuerit, fuit etiam eorum Redemptor; sed hæc ratio non obstat; siquidem solùm dicitur eorum Redemptor, aut quia talis fuit quoad sufficientiam, quatenùs ejus mors, & passio fuerunt in actu primo valoris sufficientis ad eos redimendos; aut quia parvulorum causa fuit cum cæteris adultis communis; ergo &c.

103. Respondeo negando minorem, & ejus probationem, nam ut Christus Dominus dicatur parvulorum Redemptor, non sufficit, quod ejus mors, & passio sit sufficiens pretium ad eorum redemptionem, sed requiritur, quod saltem aliquo modo suam passionem eis applicaverit, & media quædam in eorum subsidium applicaverit; quid enim interest ad captivi redemptionem, quod pretium sit sufficiens, si pro eo redimendo non offeratur? alioqui dicetur Christum Dominum fuisse etiam dæmonum Redemptorem, quia ejus sanguis sufficiens fuit ad illos redimendos, qui tamen de facto non fuit, quia pretium pro illis redimendis non obtulit: sic etiam ad rationem Redemptoris parvulorum parùm referret, eorum, & adultorum causam esse communem, nisi etiam oblatio pretii esset omnibus communis.

104. Argues 3. Deus decrevit hunc rerum ordinem, in quo prævidit causas secundas impedituras esse applicationem Sacramentorum his parvulis, quas tamen non impedivit; ergo eis non provisit sufficienter. Respondeo negando consequentiam: primò, quia Deus non tenetur impedire naturalem cursum causarum secundarum, sub cujus conditione illis provisit media sufficientia. Secundò, quia talia impedimenta, non per se, sed solùm per accidens sequuntur ex tali causarum ordine à Deo decreto. Tertiò, quia talia impedimenta non fuerunt à Deo per se volita, sed tantùm permissa ob altissimos fines nobis penitùs ignotos.

105. Argues 4. Deus interdùm matri gravidæ aliquid inspirat quod dum facit, est in causa, ut infans sine baptismo decedat; ut cùm matri inspirat audire concionem, quam dùm audit, ruit templum, eamque simul cum prole obruit; ergo in hoc, & alio simili casu, videtur Deus *nolle hujus* parvuli salutem, & media necessaria ad illam consequendam, ei denegasse. Respondeo negando consequentiam; Deus enim adhuc in eo casu vult parvuli salutem, & media sufficientia ei providit, quantùm est ex se, licet per accidens hîc, & nunc effectus non sequatur, quod est præter intentionem Dei, qui ex primaria, & antecedente voluntate, licet inefficaci, voluit ut media non frustrarentur. Neque in hoc, & alio simili eventu vult Deus directè matris mortem, sed tantùm ipsius animæ bonum, sicque per accidens est Deo, quod illa dùm animæ suæ bonum intendit, & curat, simul cum prole opprimatur. Addo etiam si Deus matrem vellet ob sua peccata interfici, non ideò directè sequitur velle infantem interfici, & multò minùs salutem non assequi per baptismum; siquidem effectus secutus ex una actione non est agenti volun-

voluntarius, nisi quando est ab eo intentus, aut agens tenetur impedire, quod nullum hîc datur respectu Dei, ut patet ex dictis.

106. Instabis: Deus in prædicto eventu ita disposuit causas secundas, ut parvulus priùs moreretur, quàm baptismum susciperet; ergo noluit, ut illum susciperet; alioqui res, & causas aliter disponeret. Respondeo Deum ex primaria intentione non sic disposuisse causas secundas, ut parvulus destitueretur auxiliis sufficientibus, sed ob alios fines nobis ignotos; quod autem ex hac occasione contingat mors parvuli immatura, est per accidens, & præter intentionem Dei, qui quantùm est ex se diuturniorem vitam, & auxilia sufficientia ei volebat. Neque tamen diffiteor, dici posse, Deum velle, quod hujusmodi parvulus non baptizetur, sed ita vult indirectè, quatenùs non vult sistere causarum naturalium cursum, illarumque ordinem mutare, cùm ad id non teneatur.

107. Argues 5. Ut adultus dicatur habere auxilia sufficientia parata ad salutem, debet poni in talibus circumstantiis, ut sit in ejus potestate, & arbitrio, si velit, uti talibus auxiliis; sed quamdiu puer est in utero matris, neque in illius, neque in parentum potestate est, quominùs ei baptismus applicetur; ergo non est ei sufficienter provisum. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia causæ naturales, & rerum naturalium dispositio non obstant, quominùs gratia adultis infundatur, neque Deus miraculosè operatur, dùm illos, saltem aliquo modo illuminat, quod si hujusmodi lumen eis aliquando non infundat, non quidem faciet, quantùm ex se erat, sicque non illis sufficienter provideret: at verò in parvulis aliter se res habet, quibus sæpè sæpiùs succurri non potest, nisi miraculosè impediendo causas naturales, earumque ordinem invertendo, ad quod Deus non tenetur; præsertim quamdiu totum, quod in hoc genere ad ipsum ut authorem gratiæ spectabat, adimpleverit, parando media generalia in institutione Sactamentorum pro illis, sicut & pro adultis; sicque adulto non est alius modus dandi gratiam, nisi illam ei infundendo: at verò parvulo dat gratiam, sive baptismum eo ipso, quod illum etiam pro eo instituit. Fateor quidem adultorum gratiæ magis propriè spectare denominationem auxilii sufficientis, illisque perfectiori modo parari, quàm parvulis, quibus minùs propriè per analogiam ad auxilium sufficiens adultorum datum est hujusmodi auxilium sufficiens, ut ait *P. Ruiz d. 49. sect. 2. n. 3.* & solùm probat argumentum, nec ego improbo.

108. Argues 6. ex Magistro *Bannez 1. p. q. 23. art. 3. dub. 3. conclus. 5.* ubi asserit, licet huju modi parvulis fuerint præparata auxilia sufficientia, non fuisse tamen præparata in eorum parentibus, neque in immediata Sacramentorum institutione, sed in communi parente Adamo, in quo tanquam in capite præparata fuerunt auxilia sufficientia pro omnibus ejus posteris, quod sic ostenditur: Deus contulit Adamo Justitiam originalem transfundendam omnibus posteris, si non peccasset; ergo omnibus in Adamo præparavit media, & auxilia sufficientia.

109. Respondeo negando consequentiam; neque enim Magister Bannez hac in re est admittendus, utpotè qui non salvat, quod Deus post peccatum originale habeat voluntatem salvandi hos parvulos, quod probo; nam eo ipso, quod per peccatum ablata fuit Adamo justitia originalis, illisque trãsfusio in posteros, etiam his pueris fuerunt in eo ablata prædicta remedia sufficientia; ergo si Deus post originale alia remedia illis non provisit, non potest dici, quod post originale voluit illos salvos fieri; alioqui vellet id, ad quod negaret media sufficientia, ut obtineretur. Addo ex hoc sequi (juxta probabiliorem sententiam, quæ tenet; justitiam originalem fuisse Adamo collatam independenter ex meritis Christi, de quo jam supra,) Christum Dominum non fuisse horum infantium Redemptorem. Patet, quia infantes juxta hanc sententiam nullum haberent præparatum remedium ad salutem ex meritis Christi; ergo non fuisset eorum Redemptor; hoc autem non est dicendum, prout supra diximus; neque sequitur ex nostra sententia, siquidem dicimus, etiam post provisum originale, Deum illis præparasse prædicta remedia sufficientia ex meritis Christi Domini.

Ex hactenùs dictis præcedentibus Sectionibus 110. colliges, omnibus hominibus, tùm justis, tùm peccatoribus, tùm fidelibus, tùm infidelibus, tùm adultis, tùm infantibus, tùm prædestinatis, tùm reprobis, contulisse Deum auxilia sufficientia ad salutem, in quo maximè relucet Bonitas, & Misericordia Divina, quatenùs nulli defuit, quantùm in se erat, ut posset summam illam consequi felicitatem.

SECTIO VII.

Vtrùm major sit prædestinatorum, quàm reproborum numerus?

ADVERTES 1. cum *P. Soar. lib. 6. de prædest. cap. 1. à n. 1.* abundantiora gratiæ dona, 111. tam actualis, quàm habitualis, fuisse à Deo communicata aliquibus reprobis, quàm aliis prædestinatis; siquidem in majori gratia fuit creatus Lucifer, quàm alius Sanctorum Angelorum. Deindè adultus pro tota vita benè operans, & postea in peccato finali moriens, majora gratiæ dona accepit, quàm infans cum solo baptismo decedens; aut quàm adultus ad finem vitæ conversus, vel cum sola contritione, vel cum sola attritione & Sacramento moriens. Et ratio est, quia neque illa abundantiora dona sunt necessaria ad salutem; neque sola illa sufficiunt sine dono perseverantiæ. Undè cum illis potest reprobus non salvari, & sine illis potest salvari electus; semper tamen electus excedit reprobum in justificatione cum auxiliis, & dono perseverantiæ, quæ cùm ei in effectu præstent salutem, semper majorem Dei amorem ostendunt, & in ratione doni sunt longè excellentiora.

Advertes secundò, licet certò de prædestinato- 112. rum, & reproborum numero judicare non possimus, ex multis tamen conjecturis deprehendi posse, & cum aliquali fundamento tùm rationis, tùm authoritatis ostendi probabiliter; nam certò, & determinatè solus Deus id cognoscit, ut constat ex illo 2. ad Tim. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, novit Dominus, qui sunt ejus.* Et ex illo Ecclesiæ in quadam Oratione: *Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in æterna felicitate locandus*: eademque ratio est de reproborum numero; siquidem Scientia Dei, cùm sit æterna, omnia, sive bona, sive mala, quæ in tempore sunt eventura, illi sunt ab æterno certa.

Advertes tertiò, ut aliquid de prædestinatorum 113. numero conjectari, seu potius suspicari possimus, aut loqui posse de prædestinatis, nulla facta cum repro-

reprobis comparatione; aut illâ factâ, quæ tamen multipliciter fieri potest: Primò potest fieri comparatio generalissima inter omnes prædestinatos, & reprobos, tùm Angelos, tùm homines. Secundò inter solos Angelos. Tertiò inter Angelos, & homines prædestinatos. Quartò inter Angelos, & homines reprobos. Quintò inter ipsos solos homines absolutè. Sextò inter solos Christianos. Septimò inter solos adultos. Octavò inter solos adultos catholicos. Nonò inter catholicos viros, & fœminas. His positis.

114. Dico 1. Numerus prædestinatorum, nulla facta comparatione cum reprobis, est copiosissimus. Probatur primò ex illo Apoc. 7. ubi Joannes post centum quadraginta quatuor millia signatos vidit *Turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Secundò ex illo Matth. 8. *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cœlorum*: Quæ loca ponderans D. August. *serm. 32. de Verb. Domin.* *Multi certè*, inquit, *& pauci, ipsi pauci, qui multi, pauci in comparatione multorum perditorum, multi in societate Angelorum.* Idem habet *lib. 3. contr. Crescon. cap. 66. & lib. 4. cap. 53.* Tertiò ex illo Psal. 138. *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* ubi D. Aug. & D. Prosper. observant, multitudinem esse tantam, quantam solus Deus numerare possit. Quartò ex illo Jerem. 33. *Sicut dinumerari non possunt stellæ Cœli, & metiri arena maris, sic multiplicabo semen David servi mei, & Levitas ministros meos*, quod videtur intelligendum de his, qui perseveranter, & in æternum Deo ministrant.

115. Dico 2. Si fiat comparatio absolutissima inter omnes prædestinatos, & reprobos tùm Angelos, tùm homines, probabile est, majorem esse numerum prædestinatorum, quàm reproborum. Ita multi Recentiores Theologi. Probatur, quia Angeli sunt in numero longè majori, quàm homines; sed ex Angelis multò plures sunt prædestinati, quàm reprobi; siquidem horum sola fuit tertia pars, ut constat ex illo Apoc. 12. 4. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum*; ergo Angeli, & homines prædestinati simul majorem efficiunt numerum, quàm sit reproborum numerus ex Angelis, & hominibus. Dixi probabile est, quia *P. Soar. lib. 6. de præd. cap. 3. n. 7.* dicit, se ad hoc affirmandũ, vel negandum, nullum neq; in Scriptura, neque in Sanctis Patribus reperisse fundamentum, omnesque conjecturas ad id probandum esse infirmas.

116. Dico 3. Si comparatio fiat inter solos Angelos, major est numerus prædestinatorum, quàm reproborum. Ita communiter Doctores cum *D. Thom. 1. p. q. 63. art. 9. ad 1. P. Soar. proximè num. 1. P. Granad. P. Alarcon.* & alii. Probatur ex illo Apoc. 12. 4. ibi: *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum*: id est Angelorum; ergo cùm soli sequaces Luciferi fuerint reprobati, & hi fuerint tantùm tertia pars, pauciores fuerunt reprobi, quàm electi.

117. Dico 4. Si comparatio fiat inter Angelos, & homines prædestinatos, plures sunt prædestinati Angeli, quàm homines. Ita judicant Doctores, præsertim Dionys. Carthusian. qui ex revelationibus factis Beatæ Birgittæ dicunt, adeò plures esse Angelos beatos, quàm homines, ut unicuique homini possent assignari decem Angeli custodes; quod intelligitur, non solùm de hominibus prædestinatis, & pro tunc existentibus, sed de omnibus absolutè, quotquot erant producti, aut producendi à Deo, ut judicant optimi Recentiores.

118. Dico 5. Si comparatio fiat inter homines, & Angelos reprobos, plures sunt homines prædestinati, quàm Angeli reprobi. Ita *P. Ruiz d. 52. n. 13. P. Alarcon tract. 4. d. 6. cap. 2. num. 3.* & alii. Probatur primò authoritate Sanctorum Patrum ex D. Aug. *lib. 22. de Civit. cap. 1.* *Instaurat*, inquit, *partem, quæ lapsa est, Angelorum, ac si superna Civitas non fraudatur suorum numero civium, quin etiam fortasis uberiori lætatur.* Et *in Enchirid. cap. 29. Superna civitas nulla civium numerositate fraudabitur, sed uberiore etiam copia fortasse regnabit.* Et D. Gregor. *hom. 34. in Evangel. Tanta*, inquit, *ascensura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit Angelorum*: remansit autem major, quàm multitudo Angelorum, qui ceciderunt; ergo &c. Hoc idem probant *D. Ansel. lib. 1. Cur Deus homo cap. 18. D. Bern. serm. 68. in Cant. & Magist. in 2. dist. 9. cap. penul.*

119. Probatur secundò rationibus: Prima, quia Deus naturam humanam potiùs, quàm Angelorum evexit ad unionem Hypostaticam; ergo Deus homines ut Christi Domini fratres elegit per se primò non minùs, quàm Angelos, nec in minori numero. Secunda, quia Deus, ut suam maximam ostenderet Misericordiam, elegit ad gloriam; sed naturalis imperfectio generis humani, & generalis illius corruptio per peccatum, magis in ejus prædestinatione commendat Misericordiam Divinam, quam naturalis perfectio Angelorum; ergo plures saltem, quàm fuerunt Angeli reprobi, fuerunt homines prædestinati.

120. Dico 6. Si comparatio fiat inter solos homines, ipsosque omnes quotquot fuerunt, sunt, & erunt usque ad finem mundi, plures sunt reprobi, quàm prædestinati. Ita *P. Soar. lib. 6. de prædest. cap. 3 num. 2. P. Ruiz d. 54. sect. 1. num. 3. P. Alarcon tract. 4. d. 6. cap. 2. n. 2.* qui addit, esse de fide. Probatur primò authoritate Scripturæ Matth. 7. 13. *Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Et Matth. 22. 14. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Et ad Rom. 9. 27. *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient.* Et cap. 11. 5. *Reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* Et Isai. 24. 13. *Quomodò si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea, & racemi, cùm fuerit finita vindemia*: ubi electi quasi reliquiis frugum, aut botrorum ex messe, aut vindemia relectis comparantur. Et Psal. 16. 14. *A paucis de terra divide eos.* Et Ecclesiast. 7. 34. *De negligentia tua purga te cum paucis*: & sæpè alibi, ex quibus satis constat quàm pauciores sint electi comparatione reproborum.

121. Probatur secundò ex Sanctis Patribus, ex D. Aug. *lib. de corrept. & grat. cap. 10. Quod pauci*, inquit, *in comparatione pereuntium, in suo verò numero liberantur multi, gratiâ fit, gratis fit, gratiæ sunt agendæ, quia fit.* Et *lib. 21. de Civit. Dei cap. 12. In severitate ultionis*, ait, *multò plures sunt, quàm in gratia redimentis, ut sic ostendatur, quid omnibus deberetur.* Et *lib. 3. contr. Crescon. cap. 66. Ipsi boni*, ait, *verique Christiani, qui per se ipsos multi sunt, cõparatione malorum, falsorumq; pauci sunt.* Idemque habet variis in locis, & habent *D. Nazianz. orat. 33. D. Ansel. in Elucidar. D. Greg. hom. 19. in Evang.* & alii.

122. Probatur tertiò inductione, nam si considerentur homines in eo statu ante Christi Domini adventum, rara erat Dei cognitio juxta illud Psalm. *Notus in Judæa Deus*: & rara sanctificatio, sine qua

non

non datur prædestinatio: si verò post ejus adventum, innumeræ nationes, aut non audierunt Evangelium, aut si audierunt, non crediderunt, & adhuc ex ipsis, qui crediderunt, magna pars damnatur; ergo &c. Cur autem Deus permittat tantam multitudinem interire, & tam paucos salvari? Ratio ex parte Dei est profundum ejus consilium, & inscrutabilia Judicia ejus, quia abyssus multa; ex parte autem hominum est depravatio appetitûs ab originali orta, & difficultas mediorum, quæ necessaria sunt ad finem supernaturalem assequendum.

123. Dico 7. Si comparatio fiat inter solos homines Christianos, ita ut includantur in illis tum parvuli, tum hæretici, tum Schismatici, tum veri Catholici, major videtur esse numerus prædestinatorum, quàm reproborum. Ita *P. Soar. P. Ruiz. P. Granad. P. Alarcon. cit.* & alii communiter. Probatur primò ex aliquibus locis tum Scripturæ, tum Sanctorum Patrum apud Doctores citatos. Secundò, quia id suadet divina Misericordia, & summa Dei bonitas, qui (ut canit Ecclesia) *Omnipotentiam suam parcendo maximè, & miserando manifestat.* Tertiò, quia facta diligentia (ut inquit P. Ruiz) per Parochias in mortuorum libris, major est numerus puerorum decedentium cum baptismo ante usum rationis, quàm adultorum; sed qui cum solo Baptismo decedunt sunt prædestinati, & ex adultis etiam magna saltem pars erit de numero prædestinatorum; ergo &c.

124. Oppositum tenent aliqui, & probabilius judicat *P. Soar. cit. n. 5. & 6.* cum D. Aug. & D. Greg. ex illo præcipuè fundamento, quod Christus Dominus dicat Matt. 22. 14. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Responderi tamen potest, hæc verba, & hos Doctores intelligendos esse, aut facta comparatione inter omnes homines tum fideles, tum infideles, de quo supra: aut facta comparatione inter solos fideles Catholicos adultos, de quo statim; licet *P. Vasq. & P. Herice* nihil de hac re deliberent, quippe qui judicent hujus comparationis excessum soli Deo esse notum, ejusque judicio reservatum.

125. Dico 8. Si comparatio fiat inter solos Christianos adultos, comprehendendo etiam hæreticos, & Schismaticos, major est numerus reproborum, quàm prædestinatorum. Ita *P. Soar. cit. n. 6. cum D. Aug. D. Greg. P. Ruiz d. 54. sect. 1. num. 16.* & apud illum *Cajet. Carthusian. Lyran. P. Lorin. in psal. 138. 14. P. Maldonat. in Matt. 22. 14. P. Molin. 1. p. quæst. 23. art. 7. conclus. 3.* Probatur primò ex illo proximè cit. Matt. 22. 14. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Et ex parabola seminis Luc. 8. cujus sola quarta pars fructum attulit. Et ex parabola tritici, & paleæ; nam per aream intelligitur Ecclesia, per paleam reprobi, & per triticum electi; sicut autem paleæ excedunt triticum, sic reprobi prædestinatos. Et ex parabola de Virginibus, ex qua probat Cajetan. etiam ex illis, qui in Ecclesia mediocriter vivunt, dimidiam partem damnari præter alios, qui laxè vivunt, & dimidiæ illi parti adjuncti, bonos, & electos sine dubio excedunt; ergo &c.

126. Probatur secundò ex testimoniis supra cit. *n. 120.* quæ omnia probant præsentem conclusionem. Probatur tertiò, quia Hæretici, Schismatici, & Apostatæ semper fuerunt in magno numero præter alios malos Catholicos malè morientes; ergo omnes hi simul sumpti videntur excedere numerum benè morientium, sive prædestinatorum. Confirmatur primò ex propensione hominum ad malum, & ex difficultate ad bonum; facilius enim cadunt per peccatum, quàm resurgant per pœnitentiam; ergo &c. Secundò, quia quilibet peccator moriens sine vera pœnitentia, reprobatur, ut est de fide; sed ex hujusmodi fidelibus Christianis multò plures sunt peccatores morientes sine vera pœnitentia; ergo ex his Christianis multò plures reprobantur, quàm salvantur. Minorē, quæ sola videtur indigere probatione, latè, & eruditè ostendit per singulas partes, & calus, quibus è vita decedunt homines *P. Ruiz cit.* ego autem solùm illam probo ex eo, quod multò plures, cùm malè vivant, ad ultimum vitæ finem pœnitentiam reservant, quorum pœnitentia quàm sit falsa, sine aliis Patribus apud P. Ruiz cit. sic testatur D. Hieron. jam morti vicinus, ut refert Euseb. *Epist. ad Damasum. Vix*, ait, *de centum millibus hominum, quorum mala fuit semper vita, meretur à Deo habere indulgentiam unus.*

127. Dico 9. Si comparatio fiat inter solos adultos verè Catholicos, sive qui intra veram, & Catholicā Ecclesiam moriuntur, plures sunt prædestinati, quàm reprobi. Ita *P. Soar. cit. num. 6. P. Alarcon. tr. 4. d. 6. cap. 2. n. 4.* & alii communiter. Probatur primò, quia licet major pars horum hominum sæpiùs mortaliter peccent, etiam sæpius resipiscunt, ficque cadendo, & resipiscendo vitam transeunt, & ad infinitam Dei pietatem pertinet fortia auxilia eis tribuere in extrema necessitate, undè pendet æterna vita; ergo cùm Deus majora tunc auxilia eis tribuat, idque ex sua Misericordia, & hæc magis reluceat in multitudine prædestinatorum, major erit illorum numerus, quàm numerus reproborum.

128. Probatur secundò, quia ex his hominibus, licet sæpiùs cadant, pauci sunt qui ad finem vitæ per Sacramenta non præparentur ad vitam æternam, & de commissis non doleant, saltem per veram attritionem; sed hoc sufficit, ut eo temporis justificentur, & post hujusmodi justificationem, cùm breve sit sæpiùs intervallum, solent facilè perseverare absque ullo peccato mortali; præsertim, cùm videant mortem instare, & Confessorum adstantium monitiones spirituales de æternitate, & de peccatorum contritione audiant; ergo &c. Confirmatur primò, quia morte instante, ut sæpiùs videmus, etiam sceleratissimorum hominum corda emolliuntur, & in lacrymas pro commissis erumpunt; ergo &c. Secundò ut constat Matt. 22. ex tanta multitudine vocatorum ad nuptias, unus tantùm fuit ejectus. Et ex tribus servis, quibus Deus talenta sua tradidit, unus tantùm missus est ad tenebras exteriores; ergo &c.

129. Neque dicas cum P. Ruiz, plures Christianorum non obedire divinis inspirationibus, sicque non salvari. Non, inquam hoc dicas: primò quia hoc solùm verum est de aliis adultis Christianis, Hæreticis, Schismaticis, & apostatis, inter quos si simul cum veris Catholicis fiat comparatio, fatemur, majorem esse reproborum, quàm electorum numerum. Secundò, id solùm habere locum in inspirationibus non finalibus, aut ad majorem perfectionem procurandam; non autem de finalibus, & de illis, quæ necessariæ videntur ad salutem æternam consequendam. Et in hoc sensu intelligendi sunt Sancti Patres, si qui asserunt, plures Christianorum non obedire divinis inspirationibus, ut ait *P. Ruiz.*

130. Dico 10. Si comparatio fiat inter Catholicos viros, & fœminas, plures fœminæ salvantur, quàm viri. Ita tenet ut probabilius *P. Ruiz d. 54. sect. 6.*

num.4 & aliqui Recentiores. Probatur primò, quia plures ex viris moriuntur sine Sacramentis in bello, in naufragiis, inter latrones, rixas, & similes occasiones. Secundò, quia fœminæ à pluribus corriguntur, ne vivant effrænatè, nempè à maritis, à parentibus, à fratribus, & consanguineis; sæpiùs à maritis quoddam genus martyrii patiuntur; faciliùs adducuntur, ut doleant, si peccant; Sacramenta, Conciones, & Sacrificia magis frequentant; eleëmosynas majori cum pietate faciunt; & Misericordiam Divinam magis commovent, quia sunt objectum majoris compassionis propter dolores in pariendis filiis, propter ærumnas, & vexationes, quas patiuntur; & tandem, cùm sint ordinariò domi, remotiores sunt ab occasionibus peccandi.

131. Nihilominùs æqualem futurum esse numerum virorum, ac fœminarum in prædestinatione, & reprobatione tenuit *Marsil. lib.2. sent. quæst. 13. dub. 4.* in quam sententiam inclinat *D. Thom. quodlib.3.q.11.a.25.* illam etiam tangunt, nihil tamen decernunt *Alexand. 2.p.q.95. memb.4. Scot. 2. dist.20.q.2. Gabr. ibid.a.3.dub.1. P. Alarcon. tr.4.d.6.cap.2.* Probant primò, quia licet fœminæ pietate præstent, viri tamen sunt constantiores in bono. Sed contra, quia licet viri constantiâ excellant, habent tamen frequentiores & vehementiores peccandi occasiones, in quibus plura, & majora peccata committunt, & de quibus postea difficiliùs dolent.

132. Probant secundò, quia in statu innocentiæ æqualis esset numerus virorum, & fœminarum, qui salutem consequerentur; siquidem par numerus nasceretur, omnes autem qui nascerentur, essent prædestinati, & nullus reprobaretur; ergo &c. Sed contra, quia dato quod in eo statu par numerus utriusque sexûs nasceretur, de quo *P. Ruiz d.13. sect.4.* dona etiam essent paria, sicque æqualiter operarentur, & salvarentur: at verò in statu naturæ lapsæ cætera non sunt paria, ut patet ex supra dictis.

133. Probatur tertiò, quia sexus virilis perfectior, & similior est Christo Domino; ergo non debuit minor ejus numerus prædestinari, quàm fœminarum; sed contra, quia licet sexus virilis sit physicè perfectior, non inde colligitur, quod sit etiam perfectior moraliter, imò contrarium, ut suadent rationes supra factæ; cùm autem prædestinatorum numerus morali perfectioni, non verò physicæ respondeat; major videtur esse in prædestinatione numerus fœminarum, quàm virorum. Qualisnam sententia sit verisimilior, sententiam proferat Lector. Interim sit.

SECTIO VIII.

De certitudine Prædestinationis, & Reprobationis.

134. ADVERTES præsentem difficultatem posse in multiplici sensu agitari: Primò absolutè de certitudine, & infallibilitate prædestinationis & reprobationis. Secundò de certitudine numeri formalis, id est quoad certum, & determinatum numerum, v. g. viginti, aut decem millia. Tertiò, de certitudine numeri materialis, id est non solùm quoad certam quantitatem personarum, sed etiam quoad certas, & determinatas personas, nempè Petrum, Paulum, &c. Quartò de certitudine, quam quisque in hac vita habere potest de sua prædestinatione, aut reprobatione. Quintò de certitudine morali, quam quisque per aliquot signa habere potest de sua prædestinatione, aut reprobatione. Hoc posito.

Difficultas 1. Utrùm prædestinatio & reprobatio habeant certitudinem infallibilem, sivè sint infallibiter certæ? Duo sunt errores, qui directè pugnant cum certitudine, & infallibilitate prædestinationis, & reprobationis absolutè: Primus tribuitur Ægyptiis, quatenùs divinam ordinationem, quam fatum appellabant, aliquibus sacrificiis, & orationibus impediri posse dicebant. Idem tribuitur Stoïcis; & idem quasi fuit error Avicennæ *in Met.* ut refert *D. Thom. de Verit. q.6. art. ult.* Secundus fuit Massilienſium Semipelagianorum, qui contendebant prædestinatorum & reproborum numerum non esse certum, sed posse augeri, vel minui, ne libertati necessitas inferatur, ut refert *D. Prosper epist. ad Augustinum.* & *D. Hilar.* etiam *epist. ad Augustinum.* 135.

Nihilominus prædestinatio, & reprobatio habent certitudinē infallibilem. Est certa & ab omni incertitudine prorsus aliena. Ita *P. Ruiz d.53. sect.1. n.4. P. Tanner. d.3.q.6.dub.1.n.1.* cum D. Thom. apud illum variis in locis. *Magister in 1. dist 40.* & cum eo omnes Theologi, & quoad prædestinationem ait hîc *Lezana q.7.* esse de fide. Probatur primò authoritate Scripturæ. Numer. 23. ibi: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo & non faciet? Locutus est, & non implebit?* Et 1. Reg. 15. *Triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur. Nec enim homo est, ut agat pœnitentiam.* Et Malach. 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Et Isai. 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et ad Heb. 6. *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles* (id est consilium & juramentum) *quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium haberemus.* Et ad Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei*: id est sine mutatione stabiliter fixa, & sæpè alibi; ergo &c. 136.

Probatur secundò ex Concil. Valent. sub Leone IV. *cap.3.* ibi: *Apud Deum, ut Sanctus Augustinus ait, de omnibus omninò rebus, tam fixa sententia, quàm certa præscientia.* Et infrà: *De hac immobilitate præscientiæ, & prædestinationis Dei, per quam apud eum futura jam facta sunt, apud Ecclesiastem benè intelligitur dictum: Cognovi, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum.* Et D. Aug. *lib. de bono persever. cap.14.* sic definiens prædestinationem: *Prædestinatio*, inquit, *est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Et cap.17. *In sua, quæ falli, mutarique non potest præscientia, opera futura disponere, id omninò, nec aliud quidquam est, nisi prædestinare.* Et D. Prosper. *ad 12. Object. Vincent. Prædestinatio*, inquit, *& si apud nos, dùm in præsentis vitæ periculis versamur, incerta est; apud illum tamen, qui fecit ventura, incommutabilis permanet.* Et D. Fulgent. *lib. de Fide ad Petr. Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, omnes, quos vasa misericordiæ gratuitâ bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi, in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo; neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad regnum cœlorum; nec quemquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari.* Idem habet *lib.1. ad Monim. cap.12. & D. Isidor. lib.1. sentent. de sum. bono cap.18.* & alii. 137.

Probatur tertiò ratione, quia tam prædestinatio, quàm 138.

quàm reprobatio includunt formaliter, prout supra diximus, scientiam, & voluntatem divinam efficacem; sed utraque est certa, & infallibilis; alioqui cognitio divina posset falli, & voluntas divina efficax mutari; ergo &c.

139. Objicies 1. Ex illo Apoc. 3. ibi: *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*: ex quo videtur, illum, qui prædestinatus est ad coronam, posse eam amittere, sicque reprobari. Respondeo locum illum non intelligi de corona gloriæ, sed aut de aliqua dignitate temporali, nempè de Episcopatu, principatu, & similibus: aut de propriis meritis, ac si diceret, tene opus bonum, quod habes, nè aliquis alius habeat opera bona, consequenterque merita, quæ tu habere poteras, & accipiat coronam, ad quam prædestinatus es per opera bona consequendam.

140. Objicies 2. Certitudo prædestinationis desumitur à Voluntate Divina prædestinante, sicut certitudo reprobationis à Voluntate Divina reprobante; sed Voluntas Divina, cùm sit libera, potest revocari; imò de facto constat, aliquas voluntates revocasse, nempè illam de subversione Ninivitarum. *Jon. 3.* & illam de morte Ezechiæ; *Isai. 38.* quibus additur illud *Jerem. 18.* ibi: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super quod cogitavi, ut facerem ei.* Respondeo minorem esse veram, si Voluntas divina sit conditionata, & conditio revocatur ex parte objecti, ut factum fuit à Ninivitis, & ab Ezechia, & poterat revocari ab illis, de quibus agitur loco cit. Jerem. at verò voluntates prædestinationis, & reprobationis sunt absolutæ, & efficaces, sicque non possunt revocari. Imò si aliquando sint conditionatæ, cùm supponant Scientiam Mediam, supponunt etiam conditionem infallibiliter futuram, sicque non possunt non esse infallibiles.

141. Hinc sequitur primò, ut ait *P. Tanner. cit. n. 3.* hanc: *impossibile est prædestinatum damnari, aut reprobum salvari*; quâ etiam utitur D. Aug. & alii Patres, esse planè veram, & admittendam, non solùm abhibita limitatione in sensu composito, sed etiam absolutè; siquidem ex se, & ex ipsis terminis habet sensum compositum. Secundò non rectè absolutè dici: *Deum posse prædestinare, quem non prædestinavit: aut posse non prædestinare, quem prædestinavit*: siquidem tales propositiones faciunt sensum compositum, sicut hæc: *Possibile est, ut sit prædestinatus ille, qui non est prædestinatus*: quæ absolutè est falsa, licet rectè dici possit: *Deus poterat hunc, nempè Petrum prædestinare, aut non prædestinare*: siquidem hic sumitur in sensu diviso.

142. Difficultas 2. Utrùm formalis prædestinatorum & reproborum numerus, nempè quod sint in tanta quantitate, nec plures, nec pauciores, etiam habeat certitudinem infallibilem? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 23. art. 7. P. Tanner. d. 3. q. 6. dub. 1. n. 5. P. Ruiz d. 53. sect. 2. n. 4.* dicitq; nullum Catholicũ de hac conclusione posse dubitare. Probatur primò authoritate Scripturæ Joan. 13. 18. ibi: *Scio, quos elegerim.* Et 2. ad Tim. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, cognovit Dominus, qui sunt ejus.* Et Joan. 10. *Bonus pastor proprias oves vocat nominatim.* Et infrà: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me*; & sæpè alibi.

143. Probatur secundò ex Sanctis Patribus D. Aug. *Epist. 106. ad Bonif. Certus est*, inquit, *Dei præscientiæ definitus numerus, & multitudo Sanctorum.* Et *lib. de corrept. & grat. cap. 13. Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, ut nec addatur ei quidquam, nec minuatur ex eis.* Et D. Prosper. *Epist. de liber. arbitr. ad Rufin. Cùm certus*, inquit, *apud Deum, definitusq; sit numerus prædestinati in vitam æternam populi, & secundùm propositum Dei vocantis electi. Quod quidem tam impium est negare, quàm ipsi gratiæ contraire.* Et idem habet *lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 29.*

144. Probatur tertiò ratione, quia Deus tam circa prædestinatos, quàm circa reprobos quoad numerum habet scientiam infallibilem, & voluntatem efficacem; sed talis scientia, & voluntas non possunt ferri in incertum; ergo habent certitudinem quoad numerum formalem.

145. Dices: Numerus prædestinatorum formalis potest addi, & minui, ut patet ex illo Deuteron. 1. ibi: *Addat Dominus Deus ad hunc numerum multa millia, & benedicat vobis*; ergo non est certus quoad quantitatem determinatam. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus cum D. Thom. locum illum debere intelligi de numero electorum, non ad gloriam, sed ad gratiam secundùm præsentis temporis differentiam, cui possunt addi, & de facto superaddenda sunt plura millia pro tempore futuro.

146. Hinc rejiciendus est Catherinus. *lib. 1. de prædest. cap. ult.* (quem etiam aliquando secutus est Sixtus Senensis, ut ipse fatetur *lib. 6. Biblioth. annot. 248.*) quatenùs distinguens inter prædestinatos, & salvandos duo asserit: Primum non omnes, qui salvantur, esse prædestinatos. Secundum, numerum quidem prædestinatorum esse certum, non autem salvandorum, sed hunc augeri, & minui posse. Quem Catherinum quasi re ipsa lapsum gravissimè reprehendunt *Soto. Bamez. 1. p. q. 23. art. 7.* aliique Thomistæ Recentiores, quos sequitur *P. Valent. 1 p. q. 23. punct. 3.* & quidem meritò; nam periculosus loquendi modus est, inquit *P. Ruiz cit. n. 7.* inter ordinem prædestinatorum, & ordinem reproborum, tertium quemdam constituere hominum, ex quo non nulli, licet non sint prædestinati, salvantur; alii verò damnantur, licet non sint reprobati. Patet ex supra dictis, & infrà dicendis, tùm Sacræ Scripturæ, tùm Sanctorum Patrum, tùm omnium aliorum Theologorum, ex quibus omnibus duos tantùm ordines legimus, prædestinatorum scilicet, qui salvantur, & reproborum, qui damnantur.

147. Difficultas 3. Numerus materialis prædestinatorum, & reproborum, id est quoad certas ac determinatas personas, habet etiam infallibilitatem, non solùm ratione cognitionis, sed etiam electionis. Ita *D. Thom. 1. q. q. 23. art. 7. & de Verit. q. 6. & in 1. dist. 40 q. 3. art. unico. Albert. 1 p. quæst. 63. memb. 2. Durand. in 1. dist. 40. q. 1. art. 3. & dist. 41. q. 1. art. 8. Greg. dist. 40. q. unica art. 3. Major. Marsil. Carthus. Ricard. Capreol. Cajet. P. Valent. 1. p. q. 23. punct. 6. P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 10. num. 4. & lib. 6. cap. 2. n. 6. P. Mol. hic art. 4. d. 1. memb. 11. & art. 7.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 53. sect. 2. num. 10. & 11. P. Tanner. 1. p. d. 3. q. 6. dub. 1. n. 5.* & alii. Probatur primò ex Scriptura 2. Tim. 2. ibi: *Novit Dominus, qui sunt ejus.* Et Joan 10. *Bonus pastor proprias oves vocat nominatim.* Et infrà: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.* Et ad Rom. 9. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; ergo &c.

148. Probatur secundò ex Sanctis Patribus D. Aug. tract. 8. in Joan. ibi *De ovibus istis, id est prædestinatis, nec lupus rapit, nec latro interficit. Securus est de numero earum, qui pro eis novit, quod dedit.* Et D. Prosper. lib. 2. de Vocat. gent. cap. 29. *Quod*

Pater

Pater Filio dedit, Filius non amittit, nec quisquam poteſt de manu ejus rapere, quod accepit. Firmum fundamentum Dei ſtat, & manſuri in æternum templi ædificatio non vacillat. Et D. Aug. tr. 45. in Joan. *Quis alius oves proprias vocat nominatim, & educit eas hinc ad vitam æternam, niſi qui novit nomina prædeſtinatorum?* Idem habet lib 5. de Baptiſmo cont. Donatiſt. cap. 27.

149. Probatur tertiò rationibus: Prima, quia ſi Deus ſingulos homines in particulari non deligeret ad numerum electorum, ſequeretur, aliquos ſe ipſos diſcernere tranſeuntes à numero reproborum ad numerum electorum; ſed hoc eſt contra illud 1. Cor. 4. *Quis enim te diſcernit?* ergo &c. Secunda, quia Deus non poteſt creare, quin decernat ſingulas res in particulari, quæ ſunt creandæ; ergo neque prædeſtinare, quin decernat ſingulas perſonas in particulari, quæ ſunt prædeſtinandæ. Tertia, quia figulus determinat quamlibet partem luti in ſingulari, ut faciat vas in honorem, aut in contumeliam; ſed Deus in prædeſtinatione, & reprobatione habet ſe adinſtar figuli eligentis ex eadem maſſa hanc luti partem, ut faciat vas in honorem, illam autem, ut faciat vas in contumeliam juxta illud ad Rom. 9. *An non habet poteſtatem figulus. &c.* de quo jam ſupra; ergo &c. Quarta, quia Jacob, & Eſau proponuntur in exemplum prædeſtinatorum, & reproborum; ſed Deus determinatè elegit Jacob, & reprobavit Eſau; ergo &c. Quinta, quia prædeſtinatio, & reprobatio, prout ſupra diximus includũt formaliter actus ſcientię, & voluntatis divinæ; ſed hujuſmodi actus nõ ſunt in Deo vagi, & confuſi, ſed determinati, & diſtinctiſſimi; ut autem ſint tales debent attingere, non ſolùm numerum formalẽ, ſed etiam materialẽ, nempè ipſa individua prædeſtinanda, aut reprobanda; ergo &c.

150. Oppones 1. Si numerus materialis eſſet infallibiliter certus, ſequeretur, neque Paulum poſſe damnari, neque Judam ſalvari; ſed Paulus potuit damnari, ut ipſe dixit: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne cùm aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar*: & Judas potuit ſalvari; ſiquidem liberè ſe perdidit; ergo &c. Reſpondeo Paulum, & quemlibet alium prædeſtinatum poſſe damnari; & Judam, ac quemlibet alium reprobatum poſſe ſalvari in ſenſu diviſo, & ſpecificativè; non autem in ſenſu compoſito, & reduplicativè cum prædeſtinatione, & reprobatione, id eſt ex ſuppoſitione ſcientiæ, & decreti divini efficacis eligentis, aut reprobantis.

151. Oppones 2. Quod in noſtra poteſtate eſt facere, aut non facere certum, non eſt ſimpliciter, & abſolutè certum; ſed in noſtra poteſtate eſt facere, aut non facere certam noſtram prædeſtinationem, juxta illud 2. Petr. 1. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*; ergo &c. Reſpondeo ad minorem, in noſtra poteſtate eſſe facere, aut non facere certam noſtram electionem ſpecificativè, & in ſenſu diviſo; non autem reduplicativè, & in ſenſu compoſito. Unde ex ſuppoſitione ſcientię, & decreti divini eligentis, aut reprobantis, non manet in noſtra poteſtate facere, aut non facere certam noſtram electionem.

152. Inferes: Ergo hæ, quæ nobis objiciuntur ab hæreticis, & referuntur à D. Aug. *lib. de bono perſever. cap. 15.* erunt veræ: *Aut ſum prædeſtinatus, aut non ſum prædeſtinatus: ſi ſum prædeſtinatus, quidquid egero ſalvabor: ſi non ſum prædeſtinatus, quidquid egero non ſalvabor.* Reſpondeo negando illationem: Prima enim, *quidquid egero ſalvabor*, eſt falſa; ſiquidem, cùm gloria detur ut corona, non datur, niſi ei, qui legitimè certaverit, ſicque benè operantibus: Secunda, *quidquid egero, non ſalvabor*, etiam eſt falſa; ſiquidem, cùm pœna non detur, niſi propter demerita, non datur benè, ſed malè operantibus. Undè ſi benè egero ſalvabor, & dabitur mihi corona juſtitiæ; ſi malè egero non ſalvabor, & dabitur mihi tormentum malitiæ; factâ tamen ſuppoſitione prædeſtinationis, ex hac ſuppoſitione neceſſariò benè agam, & ſalvabor, quia Deus me prævidens benè operaturum prædeſtinavit: & factâ ſuppoſitione reprobationis, ex hac ſuppoſitione neceſſariò non benè agam, & non ſalvabor, quia Deus me prævidens malè operaturum reprobavit.

SECTIO IX.

Vtrum alicui certa ſit ſua, aut aliorum prædeſtinatio?

153. DE hac re duo ſunt errores Sectariorum hujus temporis; Primus eſt, quemlibet Chriſtianum poſſe ac debere eadem certitudine fidei, qua credit Chriſtum Hominem, ac Deum eſſe, credere etiam ſe habiturum vitam æternam. Ita *Calvin lib. 3 inſt. cap. 2. §. 16. Bucer. in Colloquio Ratiſpon. Kemnitius in Exam. Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 12.* Secundus error eſt, ex ipſo ſtatu præſentis gratiæ, aut ejus carentiâ ſumi poſſe certum, ac infallibile argumentum, aliquem eſſe prædeſtinatum, aut reprobum; ſiquidem prædeſtinatus, aut univerſim, ut putavit Wicleffus; aut ſaltem ex quo ſemel eſt juſtificatus, ut ait *Calvin. cit. §. 11. & 12.* neceſſariò ſemper eſt in gratia: reprobus autem in perpetuo odio Dei, ut dixit Wicleffus.

154. Hujuſmodi errores ut potè fidei repugnantes damnavit Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 12. ibi: *Nemo quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædeſtinationis myſterio, uſque adeò præſumere debet, ut certò ſtatuat ſe omninò eſſe in numero prædeſtinatorum: quaſi verum eſſet, quod juſtificatus aut amplius peccare non poſſit; aut ſi peccaverit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat: viam niſi ex ſpeciali revelatione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit.* Et can. 15 *Si quis dixerit hominem renatum, & juſtificatum teneri ex fide ad credendum, ſe certò eſſe in numero prædeſtinatorum, anathema ſit.* Et idem habet *can. 16. & 17.* contra quos errores fuſiùs *Vega lib. 11. in Concil. Trid. à cap. 1. & P. Bellarm. lib. 3. de juſtificat. cap. 14. & 15.* Sit igitur.

155. Concluſio prima: Nullus, ſeclusâ revelatione divinâ, poteſt eſſe certus in hac vita de ſua propria prædeſtinatione, aut reprobatione. Ita omnes Doctores Catholici. Probatur primò, quia nullus eſt prædeſtinatus, niſi qui tempore mortis habet gratiam juſtificantem finalem; ſed nullus certò ſcit, aut ſcire poteſt, ſeclusâ revelatione divinâ, an habeat, aut habiturus ſit, & multò minùs an perſeveraturus ſit in gratia; ergo nullus certò ſcit, aut ſcire poteſt, ſe eſſe prædeſtinatum. Major eſt certa de fide; conſequentia optimè infertur; Minor ſic per partes probatur.

156. Probatur prima pars, quod ſcilicet nullus certò ſciat, an habeat præſenti tempore gratiam: Primò ex illo Eccleſiaſt. 9. *Neſcit homo, utrùm odio, vel amore dignus ſit, ſed omnia in futurum reſervantur incerta.* Secundò ex illo Proverb. 20. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Et Job. cap. 9. *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit.*

condemnabit me. Tertiò ex illo Psal.18. *Delicta quis intelligit ? Ab occultis meis munda me Domine.* Et 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

157. Probatur secunda pars, quod scilicet nullus certò sciat, an habiturus sit gratiam tempore futuro : Primò ex illo Ecclesiast.5. *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum.* Et infra. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem ; subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Secundò ex illo Ecclesiast. 9. *Nescit homo finem suum ; sed sicut pisces capiuntur hamo, & aves laqueo comprehenduntur ; sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò supervenerit.* Tertiò, quia in pœnam præsumptuosæ temeritatis differendi pœnitentiam, sæpè Deus permittit, ut homines sine vera pœnitentia decedant.

158. Probatur tertia pars, quod scilicet nullus certò scit, aut potest scire, an sit perseveraturus in gratiâ : Primò ex illo Prov. 27. *Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superventura pariat dies.* Secundò ex illo Ecclesiast. cap. 11. *Ante mortem ne laudes quemquã ; id est, ne beatum dixeris.* Et ad Rom.11. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time.* Et ad Philipp.2. *Cum timore, & tremore vestram salutem operamini.* Et 1. Cor. 10. *Qui stat videat, ne cadat,* Tertiò ex illo psalm. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Et 2.Petr.1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Et Apoc. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* : & sæpe alibi.

159. Probatur secundò authoritate Patrum. Ex D. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 13. *Quis,* inquit, *ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat.* Et cap. 15. *Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri.* Et lib. de bono persev. cap. 13. *Ad hanc vocationem pertinere nullus est homo ab hominibus certâ asseveratione dicendus, nisi cùm de hoc sæculo exierit.* Idem habet *Epist. 121 ad Probam, & lib. 83. quæst. q. 65. & lib. 11. de Civit. cap. 12.* Idem etiam habent *Euseb. lib. 6. de præparat. Evang. cap. 9. D. Chrysost. hom. 11. ad Philipp. D. Hieron. lib. 2. adversùs Pelagian. D. Prosper. lib. 2. de vocat. gent. cap. 36. & 37. D. Greg. lib. 21. Moral. cap. 18. D. Isidor. lib. 2. sent. de sum. bono cap. 6. D. Bernar. tract. de grat. & liber. arbitr.* & alii.

160. Probatur tertiò rationibus : Prima, quia prædestinatio, & reprobatio pendent ex voluntate Dei libera eligente, aut non eligente ad gloriam ; siquidem Deus cui vult miseretur, & quem vult indurat ; sed liberam Dei voluntatem de futuris eventibus nemo scire potest absque speciali Dei revelatione ; ergo &c. Secunda, quia prædestinatio, & reprobatio, ut supra diximus, consistunt formaliter in actibus divinis ; sed hi non possunt naturaliter sciri in hac vita ; ergo neque sic potest sciri propria cujusque prædestinatio, aut reprobatio.

161. Objicies 1. In 1.Joan.5. *Hæc,* inquit, *scribo vobis, ut sciatis, quia vitam habetis, qui creditis in nomine Filii Dei.* Et ad Rom. 8. omnium prædestinatorum nomine sic ait Apostolus : *Quis nos separabit à charitate Christi ?..... Certus sum enim, quod neque mors, neque vita ..... poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo JESU ;* ergo &c. Respondeo primum locum intelligi de scientiâ conditionatâ, quasi dicat, si habetis fidem vivam, & in illa perseveraveritis usque ad mortem, certi estote, vos esse in gratia, & beatitudinem assecuturos ; cum hac tamen scientiâ conditionatâ universaliter certâ stare potest ignorantia, & incertitudo particularis, an hic, aut ille habeat, aut habiturus sit fidem vivam cum perseverantiâ finali. Ad secundum locum dicimus, D. Paulum loqui ibi, aut de certitudine morali, ut indicat D.Bern. *Serm.2. in octav. Paschæ* : aut de certitudine per revelationem sibi factam de se ipso, ut docet D. Aug *lib. de grat. & liber. arbitr.* sicut facta fuit Beatæ Virgini, ut constat *Luc. 1.* & pluribus aliis, de quibus *P. Tanner. d. 3. q. 6. dub. 4. n. 9.*

162. Objicies 2. ex illo ad Rom. 8. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus ; si autem filii, & hæredes ;* ergo &c. Respondeo cum *P.Tanner.* proximè *n. 11.* hoc testimonium spectare ad omnes justos adultos, quibus licet Spiritus per internum solatium, & mentis illustrationem testimonium reddat, quod sint filii Dei, consequenterque hæredes regni, saltem secundùm præsentem justitiam, id tamen eis non præstat infallibilem certitudinem ; non quia testimonium Spiritûs Sancti sit, aut possit esse incertum, sed quia ipsi infallibiliter non sciant, testimonium, aut inspirationem illam esse ab Spiritu Sancto, cùm & Satanas transformare se soleat in Angelum lucis. Ex dictis.

163. Colliges primò, prædicta Scripturæ, & Sanctorum Patrum testimonia probare rejiciendam esse quamlibet certitudinem, cui non possit subesse falsum, & reddat omninò securum animum à formidine deceptionis, & ab omni dubitatione de propriâ prædestinatione. Secundò, non solùm excludere certitudinem fidei divinæ, sed etiam metaphysicam, qualis est de primis principiis, aut de conclusionibus evidenter illatis : imò etiam certitudinem moralem omninò tutam, & indubitabilem, qualis est, quâ certi sumus Indorum esse regiones, aliasque multas, quas solâ famâ cognoscimus. Nihilominùs sit :

164. Conclusio secunda : Post mortem alicujus infantis, quem ego baptizavi, possum habere certitudinem de ejus prædestinatione. Ita *P. Alarcon. tract. 4. d. 6. cap. 2. n. 6.* Probatur, quia de fide habemus, ritè baptizatum accipere gratiam, & eum, qui accipit gratiam, & in gratia moritur, esse prædestinatum ; sed ego certus sum, talem infantem fuisse ritè baptizatum ; siquidem certus sum me adhibuisse materiam, & formam certam, & voluisse efficere, quod Christus instituit, & intendit Ecclesia ; ergo possum certò asserere, talem infantem esse prædestinatum.

165. Conclusio tertia : Dum aliquis vivit, sive infans, sive adultus, non possum certò scire moraliter, esse de numero prædestinatorum. Ita *P. Ruiz. d. 56. sect. 3. n. 4. P. Alarcon. cit. num. 6.* Probatur, quia cùm ego non ita certus sim de mea prædestinatione, à fortiori minùs certus ero de aliena, & illius, cujus conscientia, virtus, puritas, aut vitia mihi magis ignota sunt ; ergo &c. Neque obstat quod mihi aliquando constet, eum esse in gratiâ, ut potest constare de puero à me ritè baptizato. Non, inquam, obstat, quia mihi non constat, an in illa sit perseveraturus usque ad mortem ; sine hac verò perseverantiâ non est certitudo de prædestinatione.

166. Conclusio quarta : Post mortem alicujus adulti potest dari viventibus certitudo moralis, (non tamen excludens formidinẽ oppositi,) de illius prædestinatione. Ita *P. Ruiz cit. n. 2.* Probatur primò,

quia Scriptura, & Sancti Patres totam formidinem referunt ad tempus hujus vitæ, concedentes laudare post mortem eos, qui bonis operibus diem clauserint; ergo &c. Secundò, quia extant plures orationes panegyricæ habitæ à Sanctis Patribus post obitum aliquorum virorum, & fœminarum pietate, ac virtutibus insignium; quas tamen non habuissent, nisi eis constaret, saltem certitudine morali, eos in gratia decessisse, fuisseque prædestinatos; ergo &c. Tertiò, quia possunt concurrere, & intervenire aliqua signa, quæ nos vehementer suadeant, & efficiant moralem certitudinem de alicujus prædestinatione; ergo &c.

167. Quæres hîc, qualianam sint hujusmodi signa prædestinationis, aut reprobationis? *P. Tanner. d. 3. q. 6. dub. 4. à n. 12. P. Ruiz d. 56. sect. 3. à n. 8.* & alii varia assignant prædestinationis, & reprobationis signa, & inprimis cum D. Laurent. Justinian. *lib. de Disciplin. & perfect. Monastica cap. 7.* docent, ingressum religionis, & perseverantiam in illa, esse magnum signum prædestinationis; expulsionem verò ab illa, esse magnum reprobationis signum. Et *lib. de fasciculo amoris cap. 11.* docet, quod nos oderint homines, esse prædestinationis signum. Et *lib. de casto connubio cap. 6.* idem docet de adversitatibus, & flagellis; quæ tamen vera sunt, ut ait *P. Ruiz cit. n. 12.* quatenùs hæc juvant, & exercent observantiam præceptorum, quæ est maximum indicium prædestinationis juxta illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: & Matt. 10. & 24. *Qui autem perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.*


168. Alii cum Vega *lib. 12. in Trid. à cap. 12.* assignant octo beatitudines, & dicunt, esse signum prædestinationis, quatenùs omnibus, & singulis promittitur regnum cœlorum; addit tamen *P. Ruiz cit.* omnes illas promissiones includere tacitam conditionem, si non violaveris alia præcepta. Alii cum D. Bern. *serm. 1. in Septuag.* docent, esse signa prædestinationis audire conciones, ut sibi dictas ad executionem: Deindè pœnitere de peccatis præteritis, cavere à futuris, studere virtutibus; idem dicendum de fide, de fiduciâ in Deum, de oratione, de voto, de eleëmosynâ, de jejunio, de mortificatione, de temperantiâ, sobrietate, voluntariâ castitate, paupertate, obedientiâ, de vigilantiâ, silentio, solitudine, sui displicentiâ, odio evangelico, patientiâ, constantiâ, fortitudine, veracitate, justitiâ, prudentiâ, cæterisque virtutibus, quæ omnes quantò plures simul concurrunt, & à longiori tempore, tantò probabilius signum sunt prædestinationis.

169. Alii etiam assignant in signum prædestinationis testificationem, non solùm divinam, sed etiam virorum sapientum, & sanctitate præditorum de alicujus salute, educationem, aut nativitatem in tali loco, à talibus parentibus, cum talibus miraculis ut de S. Joan. Baptista, S. Nicolao, S. Dominico, utroque S. Francisco Assisiensi, & de Paula, S. Ignatio parente meo, aliisque Sanctis sæpè accidit. Item signa sunt specialissima prædestinationis, ut ait *P. Tanner. cit. n. 14.* flagrans, & firmatus in Deum amor, desiderium ardens patiendi multa pro Christi nomine, miracula, donum prophetiæ, aliæque gratiæ gratis datæ, si cum pietate vitæ conjungantur, qualia indicia eluxerunt in S. August. S. Francisco, S. Dominico, S. Ignatio, S. Francisco Xaverio, aliisque Sanctis, qui de se dicere poterant cum Apostolo: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Item *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Item illud Davidicum: *Quid mihi est in Cœlo, & à te quid volui super terram.* Item illud cum S. Ignatio parente meo. *Hen! quàm sordet terra, cùm Cœlum aspicio.*

170. Alii etiam assignant in prædestinationis signum devotionem erga Virginem Sanctissimam, frequentiam Sacramentorum, conversationem, & familiaritatem cum amicis timoratis, & hominibus religiosis, affectum ad res supernaturales, & ad vitam æternam conducentes. Deindè, omnia his omnibus contraria esse signũ reprobationis. Adverte tamen hujusmodi signa, sive adsint, sive absint, nulli mortalium salutis spem, aut conferre, aut auferre posse, tùm quia multi possunt habere hujusmodi signa, imò ferè omnes aliqua habent; & tamen si in fine corrumpantur, & peccent, nihil illis proderunt ipsa signa: tùm etiam quia licet aliqua, imò omnia eis deficiant; possunt tamen in fine pœnitere, & Cœlum cum latrone furari, ut de illo dixit D. Chrysost. *tom. 3. hom. 2. de Cruce, & latrone.*

SECTIO X.

Quomodò concordet libertas cum Prædestinatione, & Reprobatione?



171. Quamvis præsentis Sectionis materia sparsim, & ubertim tractata sit per totũ hunc Tractatum, illam nihilominùs specialiter sub hac speciali Sectione juvat tractare, sicut specialiter tractant Authores de hac materia tractantes: pro illa igitur sit:

Difficultas 1. Utrùm prædestinatio divina concordet cùm libertate creata? Sive: Utrùm per certitudinem infallibilem prædestinationis divinæ lædatur libertas creata? Et ratio dubitandi est, quia cùm libertas creata consistat in indifferentia ad operandum, vel non operandum, cum certitudine autem infallibili operationis, aut non operationis stare non possit indifferentia, indè oritur, quod cum infallibili certitudine prædestinationis videatur, non posse stare libertatem creatam. Nihilominùs, variis relictis sententiis de modo concordandi, & defendendi libertatem creatam, suppositâ prædestinatione divinâ, de quibus *P. Soar. lib. 3. de Prædest. cap. 9. P. Tanner. d. 3. q. 6. dub. 3. P. Ruiz d. 55. per totam.*

172. Conclusio sit: Prædestinatio divina optimè concordat, sive non offendit libertatem creatam. Est de fide ut docent communiter omnes Theologi. Probatur primò ex definitione Ecclesiæ in *Epist. Leon. IX. ad Petrum Antiochen.* quæ habetur *tom. 4. Concil.* Secundò ex supra dictis de electione efficaci ad gloriam, & prædefinitione mediorum. Tertiò, quia Deus vult efficaciter, non solùm quod prædestinatus assequatur gloriam, sed etiam, quod eam liberè assequatur, ut benè notat *Lezana hic d. 9. q. 8.* atqui, si eam non assequeretur, frustraretur efficax Dei decretum; ergo etiam sic frustraretur, si illam liberè non assequeretur; sed talis frustratio decreti Dei efficacis non est admittenda; ergo &c.

173. Probatur quartò efficaciter, quia prædestinatio, aut consistit in electione ad gratiam, seu vocationem congruam, ut est aliquorum sententia; aut in electione ad gloriam, prout supra diximus; sed neque electio ad gratiam, seu vocationem congruam; neque electio efficax ad gloriam offendunt liber-

libertatem creatam ; ergo &c. Major , & consequentia rectè se habent.

174. Probatur minor quoad primam partem , quia totum prædestinationis negotium , prout consistit in electione ad gratiam , seu vocationem congruam , fit hoc modo. Vidit Deus per Scientiam conditionatam , hoc auxilium finale esse efficax, id est infallibilitatem habiturum , sive infallibilem effectum , supposito consensu conditionatè determinatè futuro : Deindè per eandemmet Scientiam vidit illud auxilium finale esse inefficax , id est infallibiliter non habiturum effectum , suppositâ negatione consensûs determinatè futurâ. His positis , & prævisis , eligit statim Deus ob suam Misericordiam Petro v. g. hoc potiùs auxilium , quod prævidet efficax , & non illud, quod prævidet inefficax, & in hac prima electione auxilii efficacis ad gratiam finalem consistit prædestinatio Petri: Similiter propter altissima Dei Judicia, eligit Deus Judæ v. g. illud auxilium finale, quod prævidet inefficax, negando ei efficax, & in hac electione auxilii inefficacis , & negatione efficacis consistit reprobatio negativa Judæ. Postea in alio signo, postquam per Scientiam absolutam vidit Deus consensum absolutum finalem , sive merita Petri absolutè existentia , pro illo instanti finali , illum elegit ad gloriam propter merita : similiter postquam per scientiam absolutam vidit dissensum Judæ absolutum, sive ejus demerita absolutè existentia pro instanti finali, illum propter ipsa demerita reprobavit positivè. Hoc ita posito.

175. Argumentor sic : Auxilium efficax ad gratiam finalem non lædit libertatem creatam ; siquidem non inducit necessitatem antecedentem ; ergo neque electio talis auxilii illam lædet ; (quod idem dicendum de auxilio inefficaci, ejusque electione.) Probatur consequentia , quia electio talis auxilii ad nihil amplius dirigit Omnipotentiam in statu absoluto , quàm ad positionem ipsiusmet auxilii præsi in statu conditionato , ut connexi cum consensu determinatè futuro ; sed auxilium ita prævisum non infert necessitatem antecedentem, ideoque non lædit libertatem ; ergo etiam electio talis auxilii non inferet necessitatem antecedentem, neque libertatem lædet.

176. Confirmatur, quia illud, quod prævisum in statu conditionato , non tollit libertatem , non illam tollit postea in statu absoluto ; sed Deus in statu conditionato prævidebat , electionem conditionatam hujusmodi auxilii stare cum libertate creata ; siquidem prævidebat, quod si eligeret , & conferret hujusmodi auxilium , voluntas ei liberè esset consensura ; ergo postea in statu absoluto , posità jam ipsâ electione , seu collatione talis auxilii efficacis finalis , voluntas ei liberè consentit ; consequenterque non læditur ejus libertas. Hoc idem cum proportione dicendum de electione auxilii inefficacis , sive negatione auxilii efficacis , in qua consistit reprobatio. Hæc ita juxta sententiam asserentem , prædestinationem consistere in hac electione ad gratiam finalem , quam tenent aliqui.

177. Probatur eadem Minor quoad secundam partem , quia totum prædestinationis negotium, prout cõsistit in electione efficaci ad gloriam, juxta ea, quæ supra diximus, fit hoc modo. Vidit Deus per Scientiam Conditionatam hoc auxilium finale respectu Petri esse efficax , id est , infallibiliter habiturum effectum, supposito consensu conditionato libero determinatè futuro , sicque fore aptum ad gloriam obtinendam , si Deus ad illam velit eum eligere : vidit etiam per eandem Scientiam illud aliud auxilium finale respectu Judæ esse inefficax , id est , infallibiliter non habiturum effectum, suppositâ liberâ negatione consensûs determinatè futurâ ; sicque non fore aptum ad gloriam consequendam. His ita prævisis, (in hoc discordemus à præcedente sententiâ,) elegit Deus statim efficaciter, & absolutè dare gloriam Petro, respectu cujus præviderat auxilia fore efficacia , & in hac primâ Petri electione absolutâ, & efficaci ad gloriam consistit formaliter ejus prædestinatio, prout supra diximus. Postea in alio signo ex vi hujus primæ electionis ad gloriam, eligit auxilia, quæ etiam præviderat efficacia, tanquam media infallibilia ad illum finem, nempè ad gloriam consequendam ; sed hujusmodi electio ad gloriam, licet sit efficax, & absoluta, non inducit necessitatem antecedentem; siquidem præsupponit Scientiam Conditionatam, & consensum conditionatum determinatè futurum , à quo tota necessitas , & infallibilitas inducitur ; ergo non tollit libertatem ; consequenterque neque illam tollit prædestinatio , quæ in ipsa electione ad gloriam formaliter consistit.

178. Confirmatur , quia hujusmodi electio efficax ad gloriam ad nihil aliud dirigit , & applicat Omnipotentiam , nisi ad ponenda media , sive auxilia illa, quæ Deus per Scientiam Conditionatam prævidebat , fore efficacia ad gloriam consequendam, si darentur ; sed in statu conditionato hujusmodi media , & auxilia prævidebantur ut efficacia ad gloriam liberè obtinendam , si darentur ; ergo per talem electionem nihil inducitur destructivum libertatis ; consequenterque prædestinatio non destruit libertatem creatam.

179. Hinc colliges , hanc electionem efficacem ad gloriam, prout supra diximus, includere virtualiter illa media , sive auxilia efficacia ex liberâ determinatione voluntatis humanæ conditionaliter prævisâ. Neque dicas, talem electionem includentem necessariò respectum ad illa media , quorum efficacia pendebat à libero arbitrio , includere semper hanc conditionem, *si homo consentiat, si cooperetur auxilio* ; sicque non esse absolutam , sed conditionatam. Non inquam , hoc dicas, quia talis electio includit cõditionem illam jam purificatam per suppositionem consensûs conditionati determinatè futuri, ac prævisi per Scientiam Mediam ; non autem illam includit nondùm purificatam ; ut autem electio non sit absoluta , sed conditionata , opus est , quod conditio nullatenùs præsupponatur purificata , ut hîc præsupponitur. Ita *P. Soar. tom. 2. de grat. lib. 4. cap. 32. n. 29.*

180. Difficultas 2. Utrùm reprobatio divina concordet cum libertate creata ? sive , Utrùm infallibilitas reprobationis divinæ offendat libertatem creatam? Hæc quæstio potest dupliciter excitari ; Primò de reprobatione divinâ negativâ. Secundò de reprobatione divinâ positivâ. Hoc posito.

181. Dico primò : Reprobatio divina negativa non lædit libertatem creatam. Probatur primò, qui reprobatio negativa consistit , aut in negatione vocationis congruæ finalis ; aut in negatione electionis efficacis ad gloriam ; aut saltem in actu positivo , quo Deus vult talem negationem electionis efficacis ad gloriam , prout supra diximus ; sed neque negatio vocationis congruæ ; neque negatio electionis efficacis ad gloriam ; neque actus positivus, quo Deus vult negationem talis electionis , offendit libertatem creatam , ut patet ex dictis ; ergo &c. Secundò, quia homo per talem reprobationem negativam

non privatur auxiliis sufficientibus adbenè, aut malè operandum, ut supra diximus; deinde per illam (etiamsi consistat in illo actu positivo) nihil positivum ponitur à Deo in voluntate creatâ, per quod immutetur ejus naturalis modus operandi; sed ejus connaturalis modus operandi erat ad operandum liberè, & sine ulla necessitate; ergo nullam necessitatem ei inducit reprobatio negativa. Tertiò, quia majorem vim videntur inferre electio, aut vocatio efficax, quàm electio, aut vocatio inefficax, sive negatio electionis, aut vocationis efficacis; sed neque electio, neque vocatio efficax offendunt libertatem creatam, ut supra diximus; ergo neque sic illam offendet earum negatio, sive reprobatio negativa.

182. Dico secundò: Reprobatio divina positiva etiam non lædit libertatem creatam. Probatur facilè, quia reprobatio positiva, ut diximus, & dicunt omnes ferè Theologi, est Voluntas Dei deputans reprobum ad pœnam æternam; sed hæc voluntas, ut etiam diximus, & dicunt omnes ferè Theologi, datur post prævisa demerita finalia liberè ab ipso reprobo commissa; consequenterque post exercitam libertatem; ergo illam non impedit reprobatio; alioqui se ipsam impediret; siquidem dari non poterat sine demeritis, neque demerita sine usu & exercitio libertatis.

183. Difficultas 3. Utrùm prædestinatio sit in potestate prædestinati? Dico 1. Prædestinatio non est simpliciter, & absolutè in potestate prædestinati. Ita *P. Ruiz d. 55. sect. 2. à n. 1. P. Valent. 1. p. q. 23. pun. 4 §. 8. P. Molin. 1. p. q. 14. a. 13. d. 16. & q. 23. a. 4. & 5. d. 1. memb. 11. P. Vasq. d. 92. cap. 2. P. Tanner. d. 3. q. 6. dub. 3. n. 10. P. Alarcon. tr. 4. d. 4. cap. 7. n. 2.* & alii. Probatur primò authoritate Scripturæ Joan. 1. ibi: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ad quod D. Aug. lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap 3. *Datur ergo potestas*, inquit, *ut filii Dei fiant, qui credunt in eum, cùm hoc ipsum datur, ut credant in eum: quæ potestas, nisi detur à Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio.* Et lib. de bono persever. cap. 8. *Non itaq;*, ait, *in hominum, sed in Dei potestate est, ut habeant homines potestatem filios Dei fieri. Ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias.* Et ex illo ad Rom. 9. *An non habet potestatem figulus luti, &c.* Et Matth. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Et 2. Cor. 9. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in nobis.* Et ad Rom. 14. *Potens est enim Deus statuere illum*: Ex quibus, & pluribus aliis locis supra citatis constat, in solâ Dei potestate, & non in potestate nostrâ, nostram esse prædestinationem.

184. Probatur secundò rationibus: Prima, quia quod est simpliciter in potestate Dei, non est simpliciter in potestate liberi arbitrii; alioqui posset à libero arbitrio impediri, & jam non esset simpliciter in potestate Dei; sed prædestinatio est simpliciter in potestate Dei, ut patet ex proximè dictis; ergo non est in potestate liberi arbitrii simpliciter. Secunda, quia prædestinatio creata non est in ejus potestate, in cujus potestate non sunt omnes prædestinationis effectus; sed hi non sunt in potestate prædestinati, sed Dei; alioqui in potestate prædestinati esset præparatio Dei, ut concurrat cum illo, vocatio, seu gratia præveniens, donum perseverantiæ, brevitas, aut longitudo vitæ, congruitas indolis, ingenii, & alii prædestinationis effectus; de quibus supra; ergo &c.

185. Tertia, quia illud est in potestate hominis, quod potest facere, aut nonfacere, si velit; sed prædestinatus non potest sic facere, aut non facere suam prædestinationem, etiam si velit; siquidem cùm ejus prædestinatio sint actus Dei æterni, increati, immanentes, & liberi Intellectûs, & voluntatis divinæ, ut supra diximus, à solo Intellectu, & voluntate Divina fieri, & poni possunt; ergo &c. Quarta, quia ex Aristot. *lib. 9. Met. cap. 5. text. 10.* Et D. Thom. ibi *lect. 4. §. 2.* in definitione potestatis continetur, non solùm res, quæ est possibilis, sed etiam tempus, locus, modus, instrumenta, & quæcumque alia, quæ fuerint ad esse necessaria; sed prædestinatus non habet in sua potestate hæc, quæ sunt necessaria ad prædestinationem; alioqui haberet in sua potestate habere vocationem, cogitationem intellectûs, delectationem voluntatis, tempus, locum, & modum adhibendi hæc, & alia auxilia divina; ergo neque in sua habet potestate prædestinationem.

Argues 1. ex 2. Petr. 2. *Satagite*, ait, *ut per bona* 186.
opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Ubi cùm ibi loquatur de electione, in qua cõsistit prædestinatio, & apponat verbum *faciatis*, videtur significare, quod sit in potestate prædestinati, se facere prædestinatum; ergo &c. Respondeo primò, Apostolum, si ibi loquitur de electione ad gloriam, dicere esse in potestate prædestinati, non simpliciter, sed secundùm quid, prout infra dicemus. Secundò, Apostolum solùm ibi velle, quod reddamus nostram electionem, non simpliciter certam, hoc enim est à Deo, sed magis certam quoad nostram securitatem, & fiduciam, aut quoad proximorum notitiam. Ita *P. Ruiz cit. sect. 3. num. 12. & 13.*

Argues 2. Ex illo vulgari proloquio, quod 187.
D. Aug tribuitur: *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris:* Est ex Author. *Hypognosticon. lib. 6.* ibi: *Pro invicem oremus, in conspectu Dei nos humiliemus, dicentes: Fiat voluntas tua; Ipsius erit potestatis, judicium in nobis debitum mutare damnationis, & gratiam prædestinationis indebitam prærogare:* Ex quibus videtur, posse hominem, etiam reprobum se facere prædestinatum, & efficere, quod Deus damnationis sententiam mutet. Respondeo proloquium illud (licet falsò tribuatur D. Aug. neque enim apud illum reperitur, ut ait *P. Soar. hic lib. 3. cap. 8. n. 5.*) posse verificari prout sic: *Si non dum fecisti opera, quæ requiruntur ad vitam æternam, fac illa, ut salvus sis, unde sequetur te esse prædestinatum.* In quo sensu potest etiam verificari, quod Author Hypognosticon dixit, judicium mutare damnationis, judicando scilicet, quòd in sequenti tempore non est damnatione dignus, qui talis erat tempore præcedente.

Argues 3. Causa, quæ habet in sua potestate rem 188.
unam, etiam habet alteram necessariò cum illa connexam; sed prædestinatio adultorum est necessariò connexa cum perseverantia in gratia, ita ut hac positâ, ponatur illa; perseverantia autem in gratia est in potestate hominis; alioqui neque præciperetur à Christo Domino Joan. 15, *Manete in me, & ego in vobis*: neque toties ad illam exhortaremur; ergo etiam in potestate hominis est ejus prædestinatio. Respondeo perseverantiam ita esse in potestate hominis, ut sit specialiter à Deo, prout supra diximus, quatenus præsupponit gratiam prævenientem, & adjuvantem; quando autem causa ita habet in sua potestate rem unam, ut dependeat tanquam à conditione à voluntate alterius, non dicitur habere illam in sua potestate simpliciter, & absolutè, sed ad plurimùm secundùm quid, & ita habet homo perseverantiam in gratiâ,

&

& potest dici, habere suam prædestinationem, prout infra dicemus.

189. Argues 4. Nemo fuit prædestinatus, nisi Deo vocanti consentiens; sed in potestate hominis est consentire, ut definitum est in Trid. sess. 6 cap. 5. & can. 4. ibi: *Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum aliquid cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, & posse dissentire, si velit*; ergo etiam in potestate hominis est se prædestinare. Respondeo in potestate hominis esse consentire in sensu diviso, & præscindendo à præscientiâ, quâ Deus certissimè novit, fuisse consensurum, si ei talis vocatio cum talibus circumstantiis tribueretur; non autem in sensu composito, præsupposita Dei præscientia, sic enim non potest non consentire, neque in sua est potestate, ut non sit prædestinatus, cùm ejus prædestinatio supponat illam præscientiam, quam homo non potest tollere, neque impedire, ne Deus utatur illâ scientiâ.

190. Argues 5. Positis, aut sublatis effectibus prædestinationis, ponitur, aut tollitur prædestinatio; sed in hominis potestate, suppositâ divinâ gratiâ, sunt plurimi prædestinationis effectus; siquidem in ejus potestate sunt omnia pietatis opera præcedentia, aut subsequentia justificationem; ergo etiam in ejus potestate, suppositâ divinâ gratiâ, est ipsa illius prædestinatio. Respondeo negando consequentiam juxta ea, quæ supra diximus *num. 188.* nam cùm ipsi effectus sint in potestate hominis dependenter ab alienâ potestate, nempè Dei, qui potest illum inclinare, ut liberè cooperetur ad illos, aut permittere, ut non cooperetur, non dicuntur esse in potestate hominis simpliciter, & absolutè, sed ad plurimum secundùm quid; & sic etiam est in ejus potestate ipsa prædestinatio.

191. Argues 6. Omnis, & solus homo, qui salvatur, est prædestinatus; sed quilibet homo baptizatus habet in sua potestate salvari; ergo etiam prædestinari. Respondeo minorem esse veram, suppositâ Dei gratiâ præveniente, & adjuvante: ut autem prædestinatio sit in potestate hominis, non potest supponere hujusmodi gratiam, cùm hæc debeat supponere ipsam prædestinationem, cujus est effectus; sicque consequentia argumenti non benè infertur, quia non potest in ea poni hujusmodi limitatio.

192. Dico 2. Prædestinatio est in potestate prædestinati secundùm quid, & impropriè loquendo. Ita *P. Ruiz*, *P. Alarcon.* supra cit. & alii. Probatur primò ex dictis præcedente conclusione, quæ hanc videntur probare. Secundò, ex illo Ecclesiast. 15. ibi: *Apposui tibi aquam & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors; bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi*: Undè Sancti Patres inferunt, esse in libera hominis potestate obtinere salutem; non simpliciter, & absolutè, ut supra probavimus; ergo secundùm quid, & impropriè.

193. Probatur tertiò authoritate Sanctorum Patrum, ex Clemente Romano Epist. 3. de Officio Sacerd. *Ab initio*, ait, *duo regna statuit Deus, & potestatem dedit unicuiq; hominum, ut illius regni fiat portio, cui se ad obediendum ipse subjecerit.* Et D. Chrysostom. hom. 19. in Gen. *Necessitatem*, inquit, *non imponit, sed congruis remediis appositis, totum in ægrotantis sententiâ situm esse permittit.* Et hom 22. in Gen. docet. *In nostra potestate totum post gratiâ Dei esse relictum.* Et D. Justin. Martyr *q. 9. In nostra*, inquit, *potestate est esse castos, aut scortatores.....* *Ad agendum dedit nobis Deus vires, sed eas subjecit potestati propositi.* Et D. Prosper. in Sentent. ex Aug. senten. 205. *Potest*, inquit, *homo invitus amittere temporalia, nunquam verò, nisi volens, perdit æterna.* Ex quibus constat esse in potestate hominis prædestinari, sive salvari; non simpliciter, & absolutè, ut probavimus; ergo secundùm quid, & impropriè, ut intendimus.

Probatur quartò ratione, quia perseverantia in gratia ita reciprocatur cum prædestinatione, ut illâ positâ, aut sublatâ, ponatur, aut tollatur prædestinatio; sed illa perseverantia est in potestate hominis, saltem secundùm quid, ut patet ex illo ad Rom. 11. *Vide ergo bonitatem, & severitatem Dei; in eos, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate; alioquin & tu excideris.* Unde D. Aug. lib. contr. Adimantum cap. 27. *In nostra*, intulit, *potestate esse, ut vel inseri bonitati ipsius, vel excidi severitate mereamur*; ergo etiam sic est in hominis potestate ejus prædestinatio. 194.

SECTIO XI.

Utrùm in potestate reprobi sit non prædestinari, aut reprobari?

DICO 1. Non est in potestate reprobi non prædestinari, sive sermo sit de negatione prædestinationis ad gratiam, sive de negatione prædestinationis ad gloriam. Ita *P. Ruiz d. 55. sect. 4. n. 3.* & alii. Probatur primò, quia in potestate prædestinati non est prædestinari, ut diximus; ergo neque in potestate reprobi erit non prædestinari, cùm sint immediatè oppositæ; oppositorum autem eadem est ratio, ut patet ex Aristot. lib. 3. Ethicor. cap. 5. ibi: *Quibus in rebus nostra in potestate situm est agere, in iis & non agere: & in quibus non agere, in iis & agere.* 195.

Probatur secundò, quia in potestate reprobi non est impedire Deum, ne illi tribuat vocationem congruam ad pœnitentiam, & ad perseverantiâ in gratia, quâ Deus faciat, ut liberè velit & operetur quidquid requiritur ad suam prædestinationem: neque determinare Deum, ut permittat illius peccata, & obstinationem in illis, quibus impediatur ejus salus, & prædestinatio; ergo non est in illius potestate non prædestinari. 196.

Probatur tertiò, quia prædestinare est in solâ potestate Dei simpliciter, & absolutè; ergo etiam non prædestinare; siquidem utriusque oppositi potestas eodem modo tribuitur Deo. Rom. 9. ibi: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massâ facere aliud vas in honorem, aliud autem in contumeliam?* Confirmatur, quia in potestate reprobi non est impedire Deum, ne ei tribuat prædestinationis effectus, nempè talem vitæ longitudinem, aut brevitatem, talem indolem, ingenium, doctrinam, magistros, reliquaque adjutoria, sive naturalia, sive supernaturalia, quæ sunt prædestinationis effectus; ergo etiam in potestate reprobi non est impedire suam prædestinationem, sive non prædestinari. 197.

Dico 2. In potestate reprobi est magis secundùm quid, ut non prædestinetur, quàm est in potestate prædestinati secundùm quid, ut prædestinetur. Ita *P. Ruiz d. 55. sect. 4. n. 6.* Probatur, quia operationes liberæ, quibus adultus impedit suam prædestinationem, qualia sunt peccata, sunt ab eo 198.

totaliter; siquidem Deus non est author, neque causa peccati, etiam quoad ejus materialitatem, ad quam concurrit quasi coactus ex munere causæ Universalis, prout supra diximus: operationes autem liberæ, quibus adultus suam prædestinationem promovet, sunt ab ipso prædestinato, & simul à Deo ut à causa principali; ergo magis est in potestate reprobi secundùm quid, ut non prædestinetur, quàm in potestate prædestinati, ut prædestinetur.

199. Dico 3. In potestate reprobi non est reprobatio negativa. Ita *P. Ruiz* proximè *n. 7.* Probatur primò ex hactenùs dictis in hac Sectione. Secundò, quia reprobatio negativa, prout supra diximus, nihil aliud est, quàm negatio prædestinationis; sed hujusmodi negatio prædestinationis, sive non prædestinari, non est in potestate reprobi, ut diximus; ergo neque in ejus potestate est reprobatio negativa. Adverte tamen, si dicamus, hujusmodi reprobationem negativam, sive non electionem, deferre secùm vocationem non congruam; tunc talis reprobatio est in manu ipsius reprobi; siquidem cùm sit in illius manu facere eam vocationem non congruam, etiam in illius manu est ipsa reprobatio negativa.

200. Dico 4. In potestate reprobi est sua reprobatio positiva. Ita *P. Ruiz.* proximè, & alii. Probatur, quia reprobatio positiva est decretum puniendi; sed hoc provocare, aut impedire est in potestate reprobi; siquidem tale decretum à Deo non ponitur, nisi post prævisa peccata absolutè futura; in potestate autem reprobi stat ponere peccata, sive demerita; ergo etiam in ejus potestate est ejus reprobatio positiva.

201. Quæres tamen hîc primò: Utrùm possint absolutè proferri hujusmodi propositiones: *Prædestinatus potest damnari*: *Reprobus potest salvari*? Affirmativè. Ita *P. Tanner. d. 3. q. 6. dub. 3. n. 6. P. Ruiz d. 55. sect. 5. à n. 4* & alii. Probatur, quia in propositionibus absolutè prolatis, subjectum supponit tantùm pro significato materiali specificativè sumpto, nempè pro Petro sustentante formam, & non pro illo cum ipsa forma reduplicativè; sed de eodem homine sic materialiter, & specificativè sumpto potest verificari, aut prædestinatio, aut reprobatio, cùm ad quamlibet earum sit liber; ergo &c. Probatur minor, quia illa: *Prædestinatus potest damnari*: efficit hunc sensum: qui prædestinatus est, si consideretur secundùm se, non attendendo ad prædestinationem, potest damnari: & illa: *Reprobus potest salvari*: efficit hunc sensum: qui reprobus est, si consideretur secundùm se, non attendendo ad reprobationem, potest salvari; sed in his sensibus non possunt non esse veræ; siquidem sumuntur in sensu diviso à prædestinatione, & reprobatione, quatenùs solùm loquimur de homine specificativè præscindendo ab ejus prædestinatione, aut reprobatione: non autem in sensu composito, ac reduplicativè, quatenùs loquamur de ipso homine quà prædestinato, aut reprobo; ergo &c.

202. Dices: D. Fulgent. *lib. de Fide ad Petr. cap. 35.* absolutè dicit: *Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, nec perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad regnum cœlorum, neque quemquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, nulla posse ratione salvari.* Et D. Aug. *in Enchirid. cap. 103. Necesse est*, inquit, *salvum fieri, si voluerit Deus.* Idem habet *D. Greg. in 1. Regum lib. 5. cap. 4. & D. Ambros. ad Rom. 9.* ex quibus, & aliis testimonis Sanctorũ Patrum videtur constare, prædestinatum non posse damnari, neque reprobum salvari. Respondeo hos, sicut & alios Patres, locutos fuisse in sensu composito, sive de necessitate consequente, aut de infallibilitate: non autem in sensu diviso, & de necessitate antecedente; licet enim in illis acceptionibus, neque prædestinatus possit damnari, neque reprobus salvari; possunt tamen in istis, ut diximus, idque sine læsione libertatis, cùm tales suppositiones supponant ipsam libertatem, & solùm sint consequentes.

203. Quæres secundò, qualisnam sit ordo decretorum Dei circa prædestinationem, & reprobationem? Advertes primò ad meliùs distinguendos ordines prædestinationis, ac reprobationis divinæ, necessarium esse quædam rationis signa ordinare inter ipsa decreta divina, quæ tam ad prædestinationem, quàm ad reprobationem spectant; non quod hujusmodi decreta talem ordinem habeant inter se, cùm omnia sint in Deo ab æterno; inter illa autem, quæ sunt ab æterno, nullus datur ordo prioritatis, aut posterioritatis, cùm sint simul; sed quia talem ordinem desumunt quoad nos ab objectis; sicut enim ipsa decreta, licet in se sint idem à parte rei, attamen quoad nos sumunt ab objectis pluralitatem: ita etiam, licet à parte rei sint simul, attamen quod nos ratione objectorum possunt considerari per priùs, & posteriùs.

204. Advertes secundò, diversas esse de hac re Doctorum sententias, prout de ordine, & processu prædestinationis, & reprobationis varii variè sentiunt juxta ea, quæ hactenùs diximus toto hoc tractatu. *P. Vasq. d. 49. num. 43.* juxta suam sententiam constituentem prædestinationem ad gloriam post prævisa merita, alium signorum ordinem constituit. Alium similiter constituunt alii, inter quos est *P. Less. de perfect. Divin. lib. 14. cap. 2. n. 49.* utrumque tamen rejicit *P. Tanner. d. 3. q. 5. dub. 10. à n. 5.* & alium sibi assignat signorum ordinem circa prædestinationis decreta loco cit. *n. 11.* Sicut etiam rejecto signorun ordine circa reprobationis decreta, quem sibi assignat *P. Molin. hic q. 23. art. 5. d. 3.* alium sibi approbat *P. Tanner. d. 3. q. 7. dub. 4. à n. 7.* His tamen omissis, quæ videri possunt apud P. Tanner. cit. hunc signorum ordinem, tam circa prædestinationis, quàm reprobationis decreta statuimus.

205. Vidit Deus in Æternitate per Scientiam Mediam hunc mundum in esse conditionato secùm dicens: Si creavero mundum, & in eo Angelos, & homines ordinatos ad gloriam, peccabunt aliqui ex Angelis, & eorum suasione peccabit Adamus, & in illo omnes ejus posteri, & ego Misericordiâ motus mittam Filium meum hominem factum in remedium generis humani, in cujus Filii sui Incarnatione ita complacuit, non per modum propositi, sed simplici complacentiâ, ut ex tali complacentiâ se determinaverit ad ponendum ipsum mundum in esse absoluto per decreta efficacia dicens: *Volo creare mundum*: & sic incepit per hujusmodi signa.

206. In primo signo efficaciter intendit ut finem gloriam suam accidentalem per creationem ipsius mundi consequendam juxta illud: *Universa propter semet ipsum operatus est Dominus.* In secundo signo elegit, ut medium ad ipsam gloriam consequendam, creare ipsum mundum, in eo Angelos, & homines ad gloriam ordinatos; volendo voluntate generali inefficaci, omnes illos salvos fieri; deditque Angelis efficaciter gratiam in sua creatione: imò & Adamo constituendo illum caput

omnium

omnium aliorum hominum morale ad tranfundendam in eos ipsam gratiam originalem, si servasset præceptum, quod ei imponebat; aut eam sibi, & aliis amittendam, si illud violasset: dedit tamen hanc primam gratiæ collationem, non ex illa intentione gloriæ inefficaci, sed ex efficaci intentione suæ gloriæ accidentalis, aliisque finibus, quos ipse scit, & nos ignoramus.

207. In tertio signo elegit Angelos bonos efficaciter ad gloriam in effectu consequendam per merita Christi Domini jam tunc prævisa in esse conditionato, dando eis auxilia congrua ad perseverandum in gratia: & reprobavit negativè Angelos malos, negando eis auxilia congrua, & permittendo eorum peccata; hoc autem fecit in hoc tertio signo, quia cùm sit promptior ad miserendum, quàm ad deserendum, priùs debebat supponere ipsos Angelos malos in eo secundo signo electos cum bonis, saltem inefficaciter ad gloriam, quàm illos in hoc tertio signo desereret, reprobando eos negativè.

208. In quarto signo vidit ipsorum Angelorum malorum peccata jam in esse absoluto, permisitque, quod illi ex hominis invidiâ, & odio ipsiusmet Dei, tentarent Adamum, & ejus peccatum permisit. In quinto signo vidit ipsum peccatum Adami jam in esse absoluto, & efficaciter intendit quantùm est ex se, licet solùm inefficaciter, quantùm est ex parte hominum, eorum, totiusque generis humani redemptionem, & universalem omnium salutem.

209. In sexto signo decrevit Christum venturum, (per unam tamen actionem præternaturalem independenter à Matre,) ut omnium hominum redemptotem, & salvatorem, omniumque caput morale: imò & Angelorum quoad illustrationes, illuminationes, imperium circa hominum custodiam, & similia, revelando tam Angelis in via, quàm primis parentibus ante peccatum, ipsius Christi adventum; ac tandem efficaciter intendit gloriam accidentalem ipsiusmet Christi ex illa hominum redemptione, hanc applicando ad illam in effectu consequendam.

210. In septimo signo ex meritis Christi jam prævisis in esse absoluto, & ab ipso Christo specialiter applicatis, elegit efficaciter ad gloriam omnes homines prædestinatos simul cum primis parentibus, & Virgine Sanctissima, dedit Angelis bonis auxilia congrua, ut perseverarent in gratia, & illam per fidem, actus amoris, obedientiæ, ac similes augerent; tandem eos constituit gloriæ possessores, rejiciendo in posterioritate Angelos malos, eosque propter eorum peccata detrudendo ad inferos.

211. In octavo signo ex ipsis Christi meritis decrevit anticipationem Incarnationis, postea in effectu per merita Virginis Sanctissimæ, & Sanctorum Patrum consequendam, statuens quod Christus infans nasceretur ex Matre, eligendo Virginem Sanctissimam ad hanc Maternitatem per sua merita in effectu consequendam, & liberando illam à macula, imò & à debito proximo peccati originalis secundùm diversas sententias assignantes diversum modum pacti cum Adamo celebrati, prout alibi diximus in Metaphysica, & suo loco dicemus; dando ipsi Virgini Sanctissimæ gratias, & alia dona juxta dignitatem, & excellentiam tantæ Matris; & simul omnibus aliis electis auxilia efficacia ad gloriam in effectu per sua propria merita consequendam, id petente Christo Domino, & sua merita applicante. Elegit tamen Virginem Sanctissimam ad Maternitatem ante ejus, & aliorum prædestinatorum electionem ad gratias congruas, & merita. Et ratio est, quia cùm Maternitas esset finis medius, debebat statim intendi post electionem ad finem ultimum creatum, nempè ad gloriam, & ante media, id est ante merita; & cùm homines non deberent priùs eligi ad ipsa media, quàm Virgo Sanctissima, hæc fuit etiam electa ad Maternitatem ante electionem aliorum prædestinatorum ad ipsa media.

212. In nono signo prævisis in esse absoluto peccatis finalibus omnium reproborum protulit sententiam finalem excludendo eos positivè à regno, & detrudendo illos ad inferos. Hæc omnia sic fuerunt ab æterno decreta, & sic postea in tempore executioni mandata, applicantibus suo ordine singulis illis decretis Omnipotentiam Divinam, utpotè quæ omnia fuerunt efficacia. Advertes tamen hæc esse præcipua signorum signa, quæ adhuc in se sunt divisibilia, & continent alias dispositiones divinas, juxta quas possent in alia signa dividi; quorum divisiones omitto, nè infinitus sim, & quia hæc sufficiunt ad ea, quæ hactenùs diximus, intelligenda, sicque in mente retinenda, ut faciliùs intelligantur.

SECTIO XII.

De Libro Vitæ.

213. CUM in Scriptura variis in locis mentio fiat de Libro Vitæ, sitque res maximè affinis prædestinationi, ideò D. Thom. hîc *q. 24.* quæstionem de illo specialem instituit tanquam prædestinationis materiæ appendicem. Disputant igitur de libro Vitæ Expositores positivi, quia præcipuè ad positivam Theologiam pertinet hujus quæstionis expositio, ideoq; à pluribus Scholasticis prætermittitur ut ab *Scot. Henrico. Gregor. Gabr. Marsil.* & aliis; accuratè tamen tractatur à Theologis positivis ad libros *Exod. 32. Daniel. 12. Luc. 10. Apoc. 3. & 17.* præsertim à *P. Ribera Apoc. 3. P. Pererio in Daniel. lib. 15. & ad Rom. d. 4. & Apoc. 3. d. 7. 8. & 9. L. Lorin. in Psal. 68. vers. 29.*

214. De libro Vitæ agunt etiam ex Scholasticis *Alex. 1. p. q. 33. Albert. 1. p. q. 69. D. Thom. hic loco cit. & de Verit. q. 7. art. 5. 6. & 7. & in 1. dist. 40. q. 1. & in 3. dist. 31. q. 1. art. 2. D. Bonav. in 4. dist. 43. art. 2. Durand. in 1. dist. 40. q. 1. Major, dist. 41. q. 2. Ricard. in 3. dist. 31. art. 2. P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 20 P. Vasq. 1. p. q. 24. in comment. P. Ruiz d. 60. per totam. P. Præposit. 1. p. q. 24. P. Valent. 1. p. q. 24. punct. 1. 2. & 3. P. Alarcon tr. 4. d. 6. cap. 3. P. Compton. tom. 1. d. 46. sect. 1.* & alii. Sit igitur.

215. Difficultas 1. Quid hîc significet liber vitæ? Advertes primò, librum Vitæ, scribi, aut deleri de libro Vitæ, sumendum esse metaphoricè, sive in sensu metaphorico; siquidem liber propriè, & sine metaphora dictus, est quid corporeum, & artefactum quoddam characteribus ad placitum significantibus exaratum ad memoriam refricandam, quæ omnia repugnant divinæ Notitiæ, & Præscientiæ, quæ est in præsenti liber Vitæ, ut infrà dicemus.

216. Advertes secundò, hoc nomen *liber* etiam metaphoricè sumptum aliquando poni in Scriptura absolutè, & sine addito, ut Daniel. 12. ibi: *In illo tempore salvabitur populus tuus, qui inventus fuerit*

in

in libro. Et Exod. 32. *Si non facis, dele me de libro, quem scripsisti.* Aliquando poni adjuncto verbo *vitæ*, ut Apoc. 20. *Quicumq; non est inventus in libro vitæ scriptus, &c.* Aliquando duplicem addi determinationem, ut Apoc. 21. *Non intrabit in eam, nisi qui scriptus est in libro vitæ Agni.* Aliquando dici *librum justorum*, ut Josue 10. Aliquando poni hanc vocem in singulari, ut patet locis citatis; aliquando verò in plurali, absolutè tamen, & sine determinatione, ut constat *Dan. 7. & Apoc. 20.* Cùm autem de hoc libro vitæ ita variè loquatur Sacra Scriptura, quid sub hac metaphora intelligendum sit variè varii exponunt.

217. Prima sententia asserit per libros in die Judicii aperiendos intelligi libros Sacræ Scripturæ; siquidem tunc patebit verissima esse, quæ de illo die Scripturæ docuerant. Ita *Beda in Apoc. 20. cit.* Non placet, licet enim in supremo Judicio revocanda sint in hominum memoriam, quæ illis tradita, & præcepta erant in Sacris Scripturis, ut verificetur, quod subditur: *Et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libro secundùm opera ipsorum*: Non videntur judicandi ex his tantùm, quæ scripta sunt in Sacra Scriptura, quia neque ibi scripta sunt omnium judicandorum opera, neque pœnæ, & coronæ singulis operibus respondentes; utrumque autem est scriptum in mente Dei; sicque de hac Dei præscientia intelligendi sunt libri illi aperiendi.

218. Secunda Sententia existimat ibi esse sermonem de libro, non metaphoricè, sed propriè, id est, de quodam libro, in quo scribebantur insignia facta virorum insignium populi Israël. Ita *Burgens. in Exod. 32.* cui videntur favere *D. Hilar. & D. Hieron. in psal. 68.* ad illud: *Deleatur de libro viventium.* Et hunc putant aliqui, esse librum justorum, de quo fit mentio Josue, & lib. Regum.

219. Non placet, primò, quia ibi dicitur, *de libro quem scripsisti*; ille autem liber Virorum illustrium non videtur fuisse à Deo peculiariter scriptus: tum quia nullus adhuc erat materialis liber singulariter à Deo scriptus; nõ dum enim erant Scripturę: tum etiam quia id fuit singulare legis privilegium, quod ejus tabulæ fuissent digito Dei scriptæ. Secundò, quia statim Deus subjungit: *qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo*: ubi particula *meo* indicat altiorem esse librum, & peculiari modo divinum, & quasi per antonomasiam appellatum librum Dei, quæ omnia non possunt accommodari libro materiali, sed menti, & præscientiæ divinæ, in qua Deus scriptos retinet justos, & peccatores.

220. Tertia Sententia, & communis, quam sequimur, affirmat librum vitæ in præsenti esse præscientiam, quam Deus habet de omnibus, qui vitam æternam consecuturi sunt. Ita *P. Soar. cit. n. 15. P. Ruiz cit. sect. 2. n. 1. P. Præposit. cit.* & alii. Probatur primò authoritate Patrum, D. Aug. lib. 20 de Civit. cap. 15. *Non Deum*, inquit, *liber iste commemorat* (id est admonet) *ne oblivione fallatur, sed prædestinationem significat eorum, quibus æterna dabitur vita. Nec enim nescit eos Deus, & in hoc libro legit, ut sciat; sed potiùs ipsa ejus præscientia de illis, quæ falli non potest, liber est vitæ, in quo sunt scripti, id est præcogniti.* Idem habet in Psalm. 68. ad illud: *Deleantur de libro viventium.*

221. Secundò ex D. Anselm. in Apoc. 3. *Liber vitæ*, inquit, *præscientia dicitur divina.* Et ad Philipp. 4. *Quis est liber vitæ*, ait, *nisi memoria Dei, in qua sunt illi, qui vivunt in æternum.* Et Ricard. Victor. p. 2. lib. 1. cap. 9. in Apoc. *Liber vitæ*, ait, *est sapientia Dei, in qua omnes electi rectè dicuntur scripti, & ad vitam æternam sunt prædestinati.* Et D. Basil. in psal. 138. ad illud. *In libro tuo omnes scribentur. Hæc*, inquit, *non ideò dicit, quod liber quisquam sit in cœlis, sed ut libri mentione exactam scientiam significet.* Idem habent *D. Chrysost. ad Philip. hom. 13. D. Cyrill. lib. 1. orat. 3. D. Hieron. Isai. 4. & in psalm. 68.* & alii.

222. Tertiò ratione, quia quod firmiter retinetur, non solùm in memoria, sed etiam in decreto efficaci, dicitur metaphoricè scriptum in corde, aut in mente juxta illud Jerem 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Et Proverb. 3. *Describe illa in tabulis cordis tui*; sed Deus firmissimè retinet, non solùm memoriâ, sed etiam in decreto efficaci nomina prædestinatorum, ut patet ex illo 2. Tim. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, novit Dominus qui sunt ejus*; ergo electi sunt in notitiâ, sive præscientiâ Dei, tanquam in libro vitæ scripti.

223. Difficultas 2. Utrùm gratia, & bona opera dicantur etiam *liber vitæ?* Dico 1. Gratia, & merita prædestinatorum pertinent ad librum vitæ simpliciter dictum: non tamen primariò, neque simpliciter, neque propriè, sed solùm secundariò, & secundùm quid. Ita *D. Thom. hic q. 24. a. 2. & in dist. 40. q. 1. a. 2. ad 5. & q. 3. ad 3. & de verit. q. a. 5. 6. & 7. P. Soar. cit. n. 20. P. Ruiz cit. sect. 3. n. 5.* & alii. Probatur, quia *liber vitæ* simpliciter dictus est solius vitæ gloriæ; siquidem liber importat conscriptionem quandam electorum; sed nemo conscribitur ad media, sed ad finem; sicut non eligitur ad media, sed ad finem; neque enim miles eligitur, & conscribitur, ut armetur, sed ut vincat; ergo propriè ac simpliciter nemo conscribitur nisi ad vitam gloriæ, quæ est finis; ad gratiam autem, quæ est medium, solùm secundariò, & secundùm quid conscribitur; ergo vita gratiæ, & bonorum operum prædestinatorum solùm pertinet ad librum vitæ secundariò, & secundùm quid.

224. Dico 2. gratia, & merita, quibus pro præsenti statu florent aliqui præsciti, non pertinent ad librum vitæ, nisi ad plurimùm indirectè, quatenùs juvant prædestinatos. Ita *D. Thom. P. Ruiz cit. n. 3.* Probatur, quia liber vitæ principaliter, & simpliciter, est æternæ vitæ; sed hæc solis prædestinatis conceditur; ergo nihil, quod ad reprobos pertinet, ad hunc librum per se, ac directè, sed ut plurimùm indirectè, revocatur.

225. Dices: Vita gratiæ, etiam in reprobis, est supernaturalis; sicut & eorum opera in gratia facta, & Deus illos ad ea prædestinat; ergo eorum præscientia erit liber vitæ. Resp. illa omnia esse vitam secundùm quid, & prędestinationem ad *illa* esse etiá talem secundùm quid, & non simpliciter; ideoque eorum præscientiam non esse librum vitæ simpliciter dictum; siquidem hic est liber vitæ solius gloriæ, ad quem illi non sunt prædestinati, neque conscripti: posset tamen appellari liber vitæ secundùm quid, quatenùs secundùm quid eliguntur ad gratiam non perseveraturi.

226. Difficultas 3. Utrùm saltem per attributionem ad primarium analogatum res aliæ dicantur liber vitæ? Advertes Sanctos Patres asserentes, res alias distinctas à præscientia divina, esse librum vitæ, non ideò contradicere primariæ significationi libri vitæ, prout supra diximus *num. 220.* siquidem id dicunt per attributionem ad primarium librum vitæ, qualis est præscientia divina: sic enim non contradicunt primariæ significationi sanitatis, qui per attributionem ad illam dicunt cibum, aërem, aut

aut pulsum esse sanum. Qualesnam sint hujusmodi res, quæ per analogiam ad primarium analogatum dicuntur liber vitæ à Sanctis Patribus? Per sequentes quæstiones jam dicimus.

227. Quæstio 1. Utrùm Christus Dominus sit dicendus *liber vitæ*, de quo intelligenda sint verba illa Apoc. 20. 12. *Libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris?* Videtur affirmare D. Greg. *lib. 14. Moral. cap. 6.* quatenùs sic exponit citatum locum. *Liber namq; vitæ*, ait, *est ipsa visio advenientis Judicis. In quo quasi scriptum est omne mandatum, quia quisquis eum viderit, mox, teste conscientiâ, quidquid non fecit, intelligit*: Cùm autem Judex videri non possit à transgressoribus secundùm divinitatem, sequitur, D Gregor. hoc loco librum vitæ intellexisse Christum Dominum secundùm humanitatem. Imò idem D. Greg. eodem loco insinuat, etiam Sanctos esse libros aperiendos in die Judicii. Quod etiam scripserat D. Aug. lib. 20. de Civit. cap. 14. ibi: *Illi libri, quos priori loco posuit* (Apoc. 20.) *intelligendi sunt Sancti, & veteres, & novi, ut in illis ostenderetur, quæ Deus fieri sua mandata jussisset.* Utramque hanc expositionem recipiunt *Glossa D. Thom. in 3. dist. 31, q. 1. a. 1. Alexan. 1. p. q. 33. memb. 1. Albert. 1. p q. 69. memb. 1. D. Bonavent. in 4. dist. 43. a. 2. q. 1. Ricard. in 3. dist. 31. q. 1. a. 2. ad 2.*

228. Nihilominùs prædictæ acceptiones, ut ait *P. Ruiz cit. sect. 4. n. 3.* non videntur, neque litterales, neque undique quadrantes ad citatum locum Apoc. 20. Patet, quia liber vitæ, ut patet ex dictis, repræsentat peculiariter vitam, & merita prædestinatorum; & alii libri, qui etiam sunt aperiendi, repræsentant etiam particulariter vitam & demerita reproborum; liquidem omnes *mortui judicati sunt ex his, quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum*; Sed Christus Dominus, (& multò minùs alii Sancti,) licet sit universalissimum sanctitatis exemplar, non ita particulariter repræsentat vitam cujuslibet; ergo &c.

229. Quæstio 2. Utrùm *liber vitæ* sit vis quædam divina, quâ cujuslibet conscientiæ nota, & manifesta fient sua, aut aliorum facta? Ita docet D. August. lib. 20. de Civit. cap. 14. *Et alius*, inquit, *liber apertus est. Quædam igitur vis est intelligenda divina, quâ fiet, ut cuiq; opera sua, vel bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur, &c.* Recipitur à *D. Thom. hîc q. 24. a. 1. ad 2. & de Verit. q. 7. art. 1. Albert. Alexand. D. Bonavent. Ricard.* & alii. Nihilominùs, ut ait *P. Ruiz cit. num. 5.* hujusmodi acceptio non quadrat ex omni parte. Patet, quia complectitur indifferenter tam prædestinatos, quàm reprobos; cùm tamen liber vitæ solos prædestinatos contineat, ut constat ex supra dictis, & ex illo Daniel. 12. *Salvabitur omnis, qui inventus fuerit in libro.* Et Apoc. 13. 17. & 20. *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.*

230. Quæstio 3. Utrùm nomine librorum (Apoc. 26.) significentur singulorum conscientiæ? Ita exponit D. Hieron. in Daniel. 7. & Psal. 81. *Putat aliquis*, inquit, *libros esse in cælo, ubi scribantur peccata? Ego libros puto conscientias nostras, quæ tunc aperientur, & videbit unusquisq;, quod fecit.* Confirmari potest ex illo ad Rom. 2. ibi: *Testimonium illis reddente conscientiâ ipsorum.* Idem sequuntur *Ricard. Victor. Argent.* & alii. Nihilominùs, licet illam admittat *P. Ruiz* ut minùs à textu discrepantem, eam tamen impugnat: Primò, quia in eo die non aperientur conscientiæ priùs scriptæ, sed de novo conscribentur per illam vim divinam, de qua D. Aug. supra. Secundò, quia mortui *judicati sunt ex his, quæ scripta erant in libris*; Deus autem judicat potissimùm ex suo libro, & præscientiâ, tanquam ex instrumento originali ipsius litis continente omnium acta, ex quo tanquam primo, & unico originali singula singulis reis danda transcribuntur exemplaria, quibus agnoscant, nullam sibi suppetere defensionem.

SECTIO XIII.

Vtrùm detur etiam liber mortis? & aliquis deleatur de libro vitæ?

SUPPONENDUM est primò, in Deo esse 231.
verè, ac realiter id, quod potest significari hoc nomine *liber mortis*, sive *liber mortuorum*. Patet, quia Deus non minùs habet æternam, & incommutabilem præscientiam eorum qui sunt æternâ morte plectendi, quàm eorum, qui sunt in cælis coronandi; ergo sicut quatenùs habet præscientiam vivorum, habet id, quod significatur hoc nomine *liber vitæ*, etiam quatenùs habet præscientiam mortuorum, verè, ac realiter habet id, quod potest significari hoc nomine *liber mortis*.

Supponendum Secundò, hoc complexum, *liber* 232.
mortis, nullibi scriptum esse in sacris Litteris, ex quo oritur prælens difficultas, nempè: utrùm consentaneum sit Sacris, & Theologicis Locutionibus admittere librum mortis, sicut expresè legimus in Sacris Litteris librum vitæ? Hoc posito.

Dico 1. Appellatio *libri mortis* potest admitti in 233.
Deo. Ita *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 20. num. 8. P. Ruiz cit. sect. 5. n. 2. P. Præposit. cit. n. 2.* & alii. Probatur primò ex Scriptura, quæ variis in locis (licet non ita expresè, sicut de libro vitæ,) videtur loqui de libro mortis. Ut Judæ *Epistol. Qui olim*, ait, *præscripti sunt in hoc judicium, impii*: quidquid autem scribitur, in libro scribitur; ergo est liber mortuorum, seu impiorum. Et Apoc. 20 *Libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex his, quæ erant in libris secundùm opera ipsorum*: Ubi reproborum opera leguntur scripta in prioribus libris. Et Daniel. 7. *Judicium sedit, & libri aperti sunt*: nempè in quibus scripta erant singulorum opera, & vivorum, & mortuorum. Et Jerem. 17. ubi hujusmodi liber designatur nomine terræ, & per unguem adamantinum: ibi: *Recedentes à te in terra scribentur*: &, *peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino*; ergo sicut dicitur, dari in Deo librum vitæ, potest simpliciter dici, dari etiam librum mortis.

Probatur secundò ex Sanctis Patribus, D. Basil. 234.
Isai. 4. ubi cùm dixisset, esse in cœlesti Hierusalem librum, in quo electi scribuntur, adducens illud: Jerem. 17. *Recedentes à te in terra scribentur*; addit: *Juxta hunc igitur sensum duæ intelligi debent descriptiones. Una quidem est eorum, qui ad vitam, altera autem eorum est, qui scribuntur ad perditionem.* Et Euthym. ad illud Psal. 68. *Cum justis non scribantur. Est*, inquit, *alius liber, in quo peccatores scribuntur. Judicium enim sedit, & libri aperti sunt.* Idem habet *Nazianz. orat. 9. ad Julian. D. Hieron. Isai. 34. & Daniel. 7.*

Probatur tertiò ratione, quia, ut diximus, non 235.
est dubium, quod reprobi sint præsciti, sive quod

sint in præscientia divina; ergo non est cur eorum præscientia, & clara notitia, non rectè per metaphoram liber appelletur; sed non liber vitæ; siquidem, qui in eo sunt scripti, non nisi ad mortem sunt scripti; ergo liber mortis.

236. Dico 2. Stando usu, & modo loquendi Scripturæ, convenientiùs, magisque congruentiùs est non dicere *librum mortis*. Ita *D. Thom. hîc q. 24. art. 1. ad 3. & in 3. dist 31. q. 1. art. 2. & q. 2. & de Verit. q. 7. art. 8. P. Soar. cit. n. 9. P. Ruiz cit. n. 7.* Probatur primò, quia reprobi dicuntur excluſi, rejecti, deleti, repudiati, &c. sed non benè secundùm consuetudinem dicuntur conscribi, qui excluduntur, rejiciuntur, & repudiantur à muneribus, & dignitatibus, sed tantùm illi, qui ad dignitates, & munera eliguntur; ergo &c.

237. Dices 1. Consuetum etiam est conscribi eos, qui sunt puniendi; ergo &c. Respondeo si omnes, qui in hominum republica repudiantur, & excluduntur à muneribus honoris, forent capitali pœnâ digni, opus non fore eorum catalogum conscribere; siquidem ex electorum catalogo satis constaret, illos esse morte plectendos, quatenùs non essent in eo scripti.

238. Dices 2. Opus est conscribere reproborum scelera, & eorum gravitatem; ergo ad hoc dicemus dari librum mortis. Respondeo ex antecedente solùm probari, in Scriptura Sacra dari librum scelerum, & peccatorum, ut vidimus, & libenter admittimus ex locis Apoc. Daniel. & Sanctor. Patrum: non tamen dari librum mortis, quem solùm negamus.

239. Probatur secundò, quia ex libro vitæ indirectè, & illativè constat, quinam sint filii mortis, ut patet ex illo Apoc. 20. *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*, id est eo ipso, quod non est in libro vitæ, missus est; ergo superfluus est liber mortis, cùm satis sit, ut mittantur in stagnum ignis, consulere librum vitæ, in quo non inveniuntur scripti.

240. Probatur tertiò, quia liber vitæ dicitur talis, non solùm ob certitudinem scientiæ futurorum, aut præteritorum, sed etiam ob causalitatem exemplarem, & efficientem, quatenùs Deus ex eo novit quid, quomodò, & quibus in hominibus sit operaturus; sed hæc ratio cessat circa mortem, cujus Deus non est author, neque exemplar; ergo etiam cessat ratio admittendi librum mortis.

241. Probatur quartò, quia liber scribitur, ut versetur ante oculos illius, qui eum scribit, & ad perpetuam rei scriptæ memoriam; sed hæc solis justis, qui sunt in libro vitæ debentur; siquidem soli justi sunt ante oculos Dei juxta illud Matt. 18. 10. *Semper vident faciem Patris mei*: & in illius memoria juxta illud. Psal. 111. *In memoria æterna erit justus*: ab iniquis autem Deus oculos avertit juxta illud Psal. 10. 11. *Avertit faciem suam, nè videat in finem*: & Psal. 103. 29. *Avertente autem te faciem, turbabuntur*: & eorum obliviscitur juxta illud. Oseæ 1. *Oblivione obliviscar eorum*; ergo solus est liber vitæ, non autem mortis.

242. Probatur quintò, quia mos est in Scriptura dicere, ea tantùm scire Deum, quæ probat; ea verò nescire, quæ reprobat; ergo licet sit liber vitæ, quo Deus sciat ea, quæ probat, nullus erit liber mortis, ut Deus sciat ea, quæ reprobat. Advertes hîc, particulam illam *vitæ* non significare chartam, aut materiam, in qua scriptio illius libri facta sit, sed objectum, sive terminum scriptionis talis libri, ita ut non dicatur liber vitæ, quia in ipsa vita per essentiam scriptus est; alioqui etiam reprobi dicerentur scripti in libro vitæ, quia etiam sunt in ipsa vita per essentiam; sed dicatur liber vitæ per ordinem ad objectum, sive terminum, nempè in ordine ad illos, qui vitam, & salutem consequentur, quorum sola nomina sunt scripta in libro vitæ. Nunc autem:

243. Difficultas est: Utrùm aliquis deleatur de libro vitæ? Ratio præsentis difficultatis excitandæ pro parte affirmativa est modus loquendi Sacræ Scripturæ Exod. 32. *Dele me de libro tuo*. Psal. 68. *Deleantur de libro viventium*. Apoc. 3. *Qui vicerit ..... non delebo nomen ejus de libro vitæ*; ergo videtur delendus, qui non vicerit. Pro parte negativa stat immutabilitas præscientiæ divinæ.

244. Dico 1. Certum, & indubitabile est, re ipsa, neminem priùs scriptum in libro vitæ, sive prædestinationis, postea deleri de ipso libro, quasi Deus postea sciat non esse prædestinatum eum, quem priùs sciebat prædestinatum. Probatur primò ex supra dictis *à n. 136.* ubi ostendimus prædestinationem esse omnino certam, & infallibilem, non solùm quoad formalem, sed etiam quoad materialem prædestinatorum, imò & reproborum numerum, ex quo manifestè sequitur, nullum prædestinatorum posse deleri, & nullum reproborum conscribi in libro vitæ. Confirmatur ex D. Aug. ad Psal. 68. cit. *Non sic accipere debemus*, inquit, *quod quemquam Deus scribat in libro vitæ, & deleat illum: si homo dixit, quod scripsi, scripsi.*

245. Probatur secundò, quia liber vitæ per metaphoram, ut patet ex dictis, est ipsamet notitia, & præscientia divina, quam Deus habet, & quâ firmiter, ut ait D. Thom. Deus retinet, & cognoscit, se aliquos prædestinasse ad vitam æternam, mediis auxiliis, & perseverantiâ in gratia usque ad mortem; sed hujusmodi cognitio, & præscientia divina est omninò infallibilis, invariabilis, & indelebilis; nam quem Deus aliquando cognovit esse prædestinatum, non potest non esse prædestinatus; ergo qui semel fuit scriptus in libro vitæ, non potest de illo deleri.

246. Dico 2. Cùm dicitur aliquis deleri de libro vitæ, intelligendum esse, non de illis, qui scripti sunt in libro vitæ simpliciter, quales sunt prædestinati, de quibus proximè, sed de illis, qui scripti sunt in libro vitæ secundùm quid, id est secundùm præsentem justitiam, quales sunt aliqui reprobi, quatenùs per gratiam, quam actualiter habent ordinantur ad gloriam, possuntque dici scripti in libro vitæ secundùm quid, à quo tamen sunt delendi, quia actualiter, & in re gloriam, & vitam non assequentur, cùm non sint in gratia finaliter perseveraturi. Ita *D. Thom. hîc art. 3. & in 1. dist. 40. q. 1. art. 2. ad 5. Alexand. 1. p. q. 33. memb. 3. art. 3. ad 1. Albert. Ricard. Durand. in 1. dist. 40. q. 1. Major. Caiet. Pererius. Apoc. 3. q. 9. P. Soar. hîc lib. 1. cap. 20. n. 21. P. Ruiz d. 60. sect. 6. n. 6. P. Alarcon tract. 4. d. 6. cap. 3.*

SECTIO

SECTIO XIV.

Quid petierit Apostolus dicens: *Optabam ego ipse anathema esse:* & quid Moyses dicens: *Dele me de libro tuo?*

247. VARIÆ sunt ad citata loca Sanctorum Patrum expositiones, quibus priùs adductis, postea Conclusionem nostram statuemus. Inprimis de D. Paulo inquit D. Chrysost. desiderasse pro fratribus æterna felicitate privari, æternisque cruciatibus mancipari, ut constat ex hom. 1. *de laudib. Paul.* ubi ait, voluisse *de gloriæ æternitate decidere.* Et hom 2. dicit, *se ipsum à cœlorum gloria cupiebat excludi.* Et iterùm, *se ipsum perire.* Et hom. 79. *ad Popul. æternâ gloriâ excidere.* Et *lib. 3. de Provident. Optabilius,* inquit, *mihi erat, in gehennam incidere, quàm Israëlitas infideles, & incredulos videre.* Et *lib. contra gentil. Ut aliis,* inquit, *benè esset, sibi ipse excidium imprecabatur.* Item *lib. 1. de compunct. cordis & hom. 16. ad Rom. 9.* Idem habet Theodoret. *in cõmentar.* & Theophyl. dicens optasse *separari à cœtu eorum, qui cum Christo æternum vivent.* Idem Theonas. apud Cassian. *collat. 23. cap. 6.* & Ricard. Victor. *de gradib. violent. Charit. Cupit,* inquit, *à Christo separari pro fratribus.* Idem habent *D. Hieron. Michææ 2. Beda, D. Basil. D. Bernard. epist. 78. ad Suggerium. Sot. Catherin. P. Salmeron. D. Thom. ad Rom. 9. lect. 1.* quamvis disjunctivè ponat D. Paulum optasse, *vel simpliciter, vel ad tempus à Christo separari.*

248. Alii tamen hanc Pauli à Christo separationem ad tempus limitant, ut D. Nazianz. *Orat. 44. in Pentecost. Anathema,* inquit, *à Christo esse, ac non nihil, ut damnatus perpeti.* Et *orat 1. n. 95. Tanquam impius aliquid perpeti non recusat, modò ipsi salutem consequantur.* Et D. Ansel. *in comment.* dicit, *voluisse perire, non in perpetuum, sed in præsentiarum in carne, ut alii salventur in Spiritu.* Idem habent *Nicetas, Oecumenius. Petr. Lombard. in commentar. D. Thom. 2. 2. q. 27. art. 8. ad 1. Ad tempus,* ait, *privari fruitione divina,* & idem habet *q. 182. art. 2. D. Bonav. in 3. dist. 29. art. unico, quæst. 3.* & alii.

249. Quid autem de Moyse loco citato Exod. 32. sentiant Sancti Patres? desideraſſe visione Dei æternâ carere, & addici æternis cruciatibus pro populi salute, docent *D. Chrysost. hom. 79. ad Popul. & hom. 1. de laudib. Paul. & lib. contra Gentil. D. Bern. serm. 12, in Cant. & epist. 78. ad Suggerium. Ricard. Victorin. lib. de gradib. violent. charit.* Idem videtur sentire D. August. *lib. quæst. in Exod. q. 147. & in psal. 77.* ad illud: *Et non accendit omnem iram suam: Paratior,* inquit, *deleri pro ipsis, quàm ipsos, sciens apud misericordem se id agere, qui quoniam nullo modo deleret ipsum, etiam illis parceret propter ipsum.* Idem sequitur *Beda, D. Hieron. Jonæ 1. D. Paulin. epist. 20. ad Amandum. D. Basil. Sot. ad Rom. 9. P. Salmeron. P. Cornel.* & alii.

250. Verumtamen, non in perpetuum, sed tantùm in præsentiarum in carne perire voluisse Moysem existimat D. Ansel. *ad Rom. 9.* Idem sequitur Eucherius *in quæstion. Novi Testam. in Epist. ad Rom.* Significat Cassian. *Collat. 17. cap. 26.* clariùs dicit Nicetas *in orat. 44. Nazianz. n. 12.* ubi de Moyse, sicut de Paulo dicit: *Non nihil ut damnatus perpeti:* & alii. Nihilominùs,

Conclusio sit: D. Paulus ad Rom. 9. & Moyses Exod 32. optabant, (dummodò sine proprio pecto contingeret,) Dei præsentiâ, & visione carere in æternum, si opus foret ad spiritualem salutẽ sui populi. Videtur probabilius. Ita Sancti Patres, & Doctores citati *n. 247. P. Ruiz d. 60. sect. 7. n. 9. P. Præposit. hic q. 24. n. 2. P. Alarcon. tr. 4. d. 6. cap. 3. n. 4. P. Cornel.* ad cit. locum Exod. & alii. Probatur primò authoritate Sanctorum Patrum, *n. 247.* cit. qui id constanter, & absque ulla dubitatione affirmant, præsertim D. Chrysostomus, qui toties idem repetit. 251.

Probatur secundò, quia tale desiderium est supremus gradus charitatis, ideòque dignus Paulo, & Moyse; deinde non habebat aliquid inordinatum, sive contra charitatis ordinem; ergo non est cur in Paulo, & Moyse non admittatur. 252.

Probatur tertiò, quia major Dei gloria laudabiliter præfertur minori Dei gloriæ; sed ex salute tantæ multitudinis major Deo gloria resultabat, quàm ex æterna beatitudine unius tantùm Pauli, & Moysis (licet ad gradum altissimum foret perventura;) ergo secundùm rectum ordinem charitatis laudabiliter Paulus, & Moyses potuerunt suæ æternæ beatitudini æternam salutem tantæ multitudinis pereuntis præferre. Confirmatur, quia commune bonum, utpote dignius, laudabiliter præfertur bono privato; sed salus totius populi erat bonum maximè commune; beatitudo autem unius Pauli, aut Moysis erat bonum privatum; ergo laudabiliter Paulus, & Moyses potuerunt bonum illud commune suo proprio privato anteponere. 253.

Probatur quartò, quia licet amicitia maximè desideret perpetuam conjunctionem cum amico, per visionem, ejusque fruitionem; magis tamen amat quidquid amico magis placet, eique magis gloriosum est; sed ex suo genere, & objecto magis Deo placet, & ei magis gloriosa est salus cujusdam magnæ multitudinis, quàm unius tantùm Pauli, aut Moysis juxta illud Proverb. 14. *In multitudine populi dignitas Regis*; ergo major fuit amicitia in Paulo, & Moyse in præferenda salute totius populi suæ propriæ beatitudini, sive visioni Dei æternæ; consequenterque in tali actu nulla fuit charitatis inordinatio. 254.

Argues 1. Si hoc esset verum, sequeretur, D. Paulum, & Moysem habuisse majorem charitatem, quàm est illa charitas, quâ quis oppeteret mortem pro salute proximorum; sed hoc non est admittendum, utpotè contrarium verbis Christi Domini Joan. 15. *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam* (id est vitam) *ponat quis pro amicis suis*; ergo &c. Respondeo quantùm ad affectum absolutum, & efficacem, qui possit sortiri effectum, non esse possibilem majorem charitatem, quàm illam, de qua locutus est Christus Dominus: at verò quantùm ad affectum inefficacem, ac velleitatem conditionalem, quæ non possit effectum sortiri, majorem charitatem fuisse optare, quod Paulus, & Moyses optarunt, de qua charitate non est locutus Christus Dominus loco illo citato. 255.

Argues 2. Christus Dominus per voluntatem humanam, & charitatem infusam valdè superabat charitatem Pauli, & Moysis; & tamen non optabat pro salute totius mundi separari neque à Visione Dei, neque à Persona Verbi, solutâ unione Hypostaticâ; ergo talis affectus non pertinet ad perfectionem charitatis, imò potiùs ab illa deficit; 256.

alioqui Christus Dominus non haberet perfectionem charitatem.

257. Respondeo primò cum *P. Ruiz. cit. n 15.* assignando diversam rationem, quia Humanitas à Verbo assumpta in Unitatem personæ, digna est, ut à voluntate propriâ, & à quacumque aliâ creatâ, diligatur appretiativè magis, quàm omnes creaturæ simul sumptæ: deinde sola gloria humanitatis Christi Domini majorem gloriam Deo afferebat, quàm salus totius mundi, secundùm illam mensuram gloriæ, quam de lege ordinaria communicat Deus puris creaturis; quæ cùm ita sint, ideò Voluntas humana Christi Domini secundùm rectum charitatis ordinem præferebat suam Unionem cum Deo, & quoad Hypostasim, & quoad Visionem spirituali saluti totius Universi: at verò in Paulo, & Moyse aliter se res habebat, ut consideranti patebit.

258. Respondeo secundò cum eodem *P. Ruiz cit. num. 16.* per charitatem infusam, & creatam, saltem virtualiter, paratum esse Christum Dominum, ut toleraret æternam carentiam Visionis beatificæ, cum quolibet alio malo tristi, si hoc expediret ad majorem gloriam Patris, & illa resultaret ex remedio, sive salute totius humani generis. Ex quo potiùs confirmatur nostra doctrina, ut consideranti patebit; sicut etiam patet quid in simili dicendum sit de præparatione Beatissimæ Virginis, sive in via, sive in patria, & de quibuslibet Beatis.

259. Argues 3. D. Paulus, & Moyses optabant rem impossibilem; siquidem impossibile est, aliquem scriptum in libro vitæ, ex illo deleri; ergo &c. Resp. optare rem impossibilem in sensu composito; non autem in sensu diviso; prout supra diximus. Accedit, quod argumentum solùm probat, affectum illum Pauli, & Moysis non fuisse absolutum, & efficacem, utpotè qui nunquam sortiretur effectum, prout jam diximus.

260. Argues 4. Hoc votum, sive desiderium Pauli, & Moysis videtur inordinatum, & imprudens; siquidem privatio suæ Beatitudinis non erat medium ordinatum ad remissionem peccati, & salutem populi; ergo &c. Respondeo D. Paulum, & Moysem solùm considerasse naturam rei, sive medii, quatenùs ex illo resultaret major gloria Deo in salute populi; non autem, an illud medium esset, aut non esset congruum, & aptum secundùm ordinem & dispositionem jam à Deo constitutam ad salutem populi: undè sub illâ, non verò sub istâ consideratione illud amavit, & potuit ob rationes assignatas.

261. Argues 5. Sequeretur D. Paulum, & Moysem desiderasse carere Dei gratiâ, fide, spe, & charitate, cunctisq; habitibus supernaturalibus, si talis privatio conduceret ad universalem salutē populi, nullo tamen interveniente peccato; sed consequens est falsum, ut potest probari ex *D. Bonavent. in 3. dist. 29. a. unico, q. 3.* ibi: *Sicut essentiale est naturæ appetere esse, sic essentiale est gratiæ appetere Deo placere, & Deo adhærere: ideò Deus nunquam illud à nobis exigit*; ergo desiderare separationem à gratiâ, sive carere gratiâ non potest stare sine peccato; consequenterque D. Paulus, & Moyses non potuerunt hanc carentiam gratiæ desiderare pro salute totius mundi.

262. Respondeo cum *P. Ruiz cit. sect. 8. n. 3.* verisimile esse, conditionale Moysis, & Apostoli desiderium fuisse ampliatum ad omnimodam separationem à Deo (præciso peccato,) ita ut desiderarent carere gratiâ, fide, spe, & charitate, aliisque habitibus supernaturalibus: tum quia ita significant *D. Chrysostom. Theodoret. Theophylact.* locis cit. quatenùs dicunt, generaliter desiderasse separari ab amicitiâ Dei: tum quia id clariùs dicit *D. Basil. in regul. fusius disputat. interrogat. 3.* ibi: *Dei gratiam abjecisset*: tum etiam, quia generale nomen separationis à Christo, quam significat *anathema*, hæc omnia complectitur: tum denique, quia id ipsum videntur probare rationes supra adductæ. Hanc ferè sententiam tenet *Capreol. in 3. dist. 27. q. unic. ad argument.*

Instabis 1. cum *P. Valent. tom. 3. d. 3. q. 4. pun. 3* 263
Hoc videtur non posse stare cum illo Christi Domini Matt. 16. ibi: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*; ergo &c. Respondeo primò, hoc idem detrimentum in amissione visionis beatificæ, quam pro salute totius populi diximus, & probavimus potuisse Moysem, & D. Paulum desiderasse præferendo majorem Dei gloriam, & commune bonum, suæ gloriæ, & emolumento privato. Respondeo secundò, Christum Dominum voluisse tantùm peccati detrimentū nullo totius mundi lucro recompensari, tunc maximè, cùm fides coram tyranno negatur; exhortabatur enim hîc Christus Dominus ad tolerantiam Crucis per amissionem vitæ, & Martyrium: at verò desiderium illud Pauli, & Moysis de amissione gratiæ esset propter majorem Dei gloriam, & commune bonum, præcilo peccato.

Instabis 2. Charitas, cùm habeat essentialiter 264
amare se ipsam, consequenter affert essentialiter conservare se ipsam; ergo impossibile est inclinare ad desiderium carendi se ipsa. Respondeo absolutè loquendo, & nullâ factâ suppositione impossibili, impossibile esse, charitatem inclinare ad desiderium carendi se ipsâ, in quo sensu intelligendus est etiam D. Bonaven. supra cit. posse tamen inclinare ad hoc desiderium, factâ hypothesi, sive suppositione impossibili, quod privatio charitatis cedet in majorem Dei gloriam; aut in salutem, & charitatem plurimorum, qui Deum diligerent.

Patet, quia charitas essentialiter habet plus amare gloriam Dei, quàm se ipsam, & plus amare bonum universale, quàm privatum; ergo potest inclinare ad desiderium carendi se ipsâ, factâ suppositione, quod inde resultaret major gloria Dei, & bonum universale. Confirmatur, quia charitas non amat sui conservationem, nisi propter Deum; ergo si major Dei gloria redundaret ex sui destructione, magis inclinaret ad sui destructionem appetendam; in quo etiam magis amaret se ipsam; siquidem tunc talis appetitus esset summum charitatis exercitium. 265

Inferes: Ergo charitas amaret simul sui conser- 266
vationem, quatenùs id habet essentialiter, & sui destructionem, quatenùs ex illa redundaret major gloria Dei, & bonum universale. Respondeo concedendo illationem; neque enim est mirum, quod factâ hypothesi impossibili, charitas ita simul amet sui conservationem, atque destructionem; nam ex impossibili admisso sequuntur plures contradictiones. Ex dictis.

Colliges primò, credibile esse de charitate 267
Moysis, & Pauli, desiderasse æternos cruciatus sub eadem conditione. Patet, quia quilibet cruciatus est minus malum, & minus separans à Deo, consequenterque minùs repugnans charitati, quàm æterna privatio charitatis, aut visionis beatæ; sed Paulus, & Moyses libentiùs tolerarent hanc charitatis, & visionis beatæ privationem, quàm amissionem

sionem majoris gloriæ Dei in salute totius populi, & perditionem ipsius populi; ergo etiam libentiùs tolerarent quoslibet æternos cruciatus. Ita *Theonas. apud Cassian. collat. 23. cap. 6. D. Chrysost. lib. 3. de Provident. & lib. 1. de compunct. cordis*, quos citat, & sequitur *P. Ruiz cit. sect. 8. n. 6.*

268. Colliges secundò, D. Paulum, & Moysem non desiderasse simul cum pereuntibus Israëlitis perire, & æternam vitâ non obtinere, si ipsi Israëlitæ damnarentur, ut per excessum dixerunt *D. Chrysost. hom. 79. ad popul. & hom. 1. de laudib. Paul. & lib. cont. gent. & D. Bernard. serm. 12. in Cant.* Siquidem hoc foret charitati contrarium. Patet, quia tunc inde non sequeretur, neque major Dei gloria, neque major utilitas proximorum; ergo simpliciter melius esset, & cadens sub intrinseca obligatione charitatis, velle propriam felicitatem, & suam æternam conjunctionem cum summo bono, licet alii perirent, & damnarentur, quàm velle simul cum illis perire, & damnari. Ita *P. Ruiz cit. num. 7.*

269. Colliges tertiò valde probabilem esse expositionem dicentem, Apostolum, & Moysem non desiderasse separari à Christo Domino separatione spirituali, sed tantùm subire mortem temporalem cum summo dedecore, quasi sceleratissimos à Christo alienatos, & abjectos adinstar ipsius Christi Domini, qui peccatorum personam suscepit, quasi leprosus, à Deo percussus, & humiliatus, Isai 53. quam expositionem tenuerunt *Origen. ad Rom. 9. Nazian. orat. 1. n. 95. D. Hieron. epist. 150. ad Hedibiam, q. 10. & epist. 151. ad Algasiam, & ad Galat. 1. D. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 7. aliàs cap. 4. & lib. 20. cap. 8. aliàs 6. & magis illustrant P. Pererius ad Rom. 9. disp. 1. 2. & 3. & P. Justinian. ibid.*

270. Colliges quartò, minùs probabilem esse expositionem, quæ hujusmodi desiderium Apostoli refert ad illud tempus, de quo audivit Christum Dominum sibi dicentem: *Saule, Saule quid me persequeris?* quam tenuerunt *Cajet. P. Tolet. & D. Thom. 2. 2. q. 27. a. 8. ad 1.* sub disjunctione tamen, & cum aliqua explicatione, licet illam reprobet *ad Rom. 9.* magis autem illam probat *P. Vasq. 1. p. q. 24. a. 3. in comment. n. 19.*

271. Colliges quintò, suam habere probabilitatem expositionem D. Hieron. in psalm. 68. ad illud: *deleantur de libro viventium*: ubi per hunc librum intelligit librum, in quo ante Adventum Christi Domini erant scripti Prophetæ, & Patriarchæ, & de quo Moyses deleri postulabat: *Ille liber*, inquit, *est viventium, in quo ante adventum Dei Prophetæ, & Patriarchæ scripti sunt. De quo Moyses ait: Si non dimittis eis noxam, dele me de libro, quem scripsisti.* Similiter probabilem esse expositionem, quam tenuit Cajet. in Exod. 32. quatenùs existimat, Moysem solummodo postulasse deleri de principatu, & regimine, quam expositionem judicat satis probabilem *P. Soar. lib. 1. de prædest. cap. 20. num. 5.*

272. Colliges sextò, similiter probabilem esse expositionem, quæ judicat, verba Moysis fuisse hyperbolicè, & per exaggerationem dicta, ut docuerunt *Abul. quæst. 44. in Exod. P. Molin. 1. p. q. 24.* & accipit *P. Soar. loco cit. n. 5. ex D. Aug. q. 247. in Exod.* quamvis *P. Ruiz cit. sect. 8. num. 12.* dicat videri alienam, & indignam, quatenùs res tam seria, præsertim agendo cum Deo, non patiebatur hyperbolicas rationes, sive locutiones. Cùm tamen tot, & tales habeat patronos, quos ipse citat, non debebat ita illam alienam, & indignam dicere.

SECTIO XV.

De remedio tentationis circa reprobationem: & totius tractatûs Synopsis.

QUIA aliquæ personæ salutis suæ studiosæ angi solent, & maximè tristari, 273.
sint ne de prædestinatorum numero? Contra hujusmodi tristitiam, & anxietatem unum, vel alterum remedium adhibere statui: Primum, & nullum melius remedium invenitur, quàm eo ipso tempore, quo sic tristatur, ad Deum in oratione recurrere, & quanto potuerit gaudio ei gratulari, quod sua, & omnium prædestinatio à libera Dei voluntate per merita Christi Domini dependeat: deindè eodem tempore ferventiores fidei, spei, charitatis, & humilitatis actus excitet, quibus in oratione factis, qui sic tentatur, novum aliquod indicium suæ prædestinationis habebit; cùm sit valdè probabile prædictam tristitiam, & anxietatem esse prædestinationis effectum, quando sic mentem ad Deum revocat, & ad media prædestinationis inclinat, qualia sunt hujusmodi actus exercere, propter quos dæmon victus recedet, timebitque iterùm accedere tentator, ne eidem personæ, quam in desperationem adducere intendebat, occasionem præbeat cooperandi suæ prædestinationi. Hoc remedium erit magis necessarium, & accommodatum personis, quæ non potuerint capere rationes majoris gaudii, sive non ita in rebus spiritualibus exercitatis, pro his enim sit:

Secundum remedium pro personis, quæ jam in 274.
exercitationibus spiritualibus, & perfectione sunt provectæ, apponit D. Bonav. in *opuscul.* cui titulus est: *Remedium defectuum Religiosi, 4. p. cap. ult.* cujus satis sunt verba transcribere. *Si de prædestinatione*, inquit Doctor Seraphicus, *aut præscientiâ Dei diabolus tibi aliquam tentationem immiserit, sic ei respondeas: quidquid sit de me, certum est, te esse damnatum, si autem & ego damnabor, & post hanc vitam Deum meum habere non debeo, habebo per totum tempus vitæ præsentis, & tanto ardentiùs, quanto breviùs novero me habiturum. Momentum igitur temporis non omittam, quin secundùm posse meum totaliter fruar ipso, & semper in ipso delectabor, ex quo in futuro suâ præsentiâ privabor: & tu diabole, si tecum esse oportet, scias quod tamdiu in Dei servitio perseverabo corde, ore, opere omni membro, omni momento, quamdiu possum.*

Quod si quis sic Deo adhæreret, cæteras consola- 275.
tiones reputarett absynthium. His ergo præmissis, inferas, te non damnari, quia omninò tua judicia contrariantur damnationi, ut patet in omnibus regulis Sancti Evangelii. Observatis enim prædictis, impossibile est me damnari. Aut certè ibo ad Matrem, & Magistram misericordiæ Virginem Mariam, quæ non misereri non potest, & petam ab ea, ut Filium inclinet ad parcendum peccatis meis. Nam ipsa propter peccatores Mater Dei effecta, & ipse Filius Dei propter redimendos voluit esse Filius hominis. Unde proprium est amborum misereri, & parcere, nec propter me tam nobiles proprietates derelinquunt.

Quod si prædestinatus sum, & æternam vitam cum 276.
Angelis possidere debeo, ex nunc Angelicam vitam ducam, & cantabo: Pars mea Dominus, propterea expectabo eum. Hæc enim pars dignissima perditur per unum vilissimum peccatum mortale, ideò fortissimo

studio hæc sunt custodienda. Sic ergo conclude Diabolo. Quidquid futurum est, non desistam à Dei servitio, & væ tibi, qui non vis tanto Domino ministrare. Hucusque Seraphicus Doctor.

277. Hoc ita ad tentationem responso dato, potest sic cum eodem Seraphico Doctore perorare *cap. 11. Domine JESU-Christe meum cor vulneribus tuis saucia, & tuo sanguine inebria mentem meam, ut quocumque me vertam, semper te videam Crucifixum, & quidquid aspexero, mihi appareat sanguine rubricatum, ut sic totus intendens, nihil præter te valeam invenire, nihil nisi tua vulnera valeam intueri. Hæc sit mihi consolatio Domine mi, tecum mori, & tibi compati: hæc intima mea affectio continuè meditetur. Non quiescat cor meum, nisi in te bone JESU, quia mihi semper mala erunt sine te, tu enim es virtus Omnipotentis.*

278. Addere deinde potest cum doctissimo, piissimoque viro illo Joanne Gerson satis, sive nunquam satis commendato ex libello illo suo aureo de Imitatione Christi, qui sui solandi causâ dialogum conscripsit de consolatione Theologiæ, in quo sic Deum alloquitur ad rem præsentem: *Scio*, inquit, *æquissime Judex, quoniam damnati in inferno te odiunt, te injustum, te invidum, te crudelissimum judicant, te blasphemant, tibi, Sanctisq; omnibus ore rabido maledicunt. Scio, quod illic constitutus (heu me miserum!) sic agerem. At verò dùm interim affectibus tam efferis, & blasphemis careo, amo te, qui solus es amabilis; te justissimum, te amantissimum, te clementissimum dijudico; te collaudo, tibi, Sanctisq; omnibus tuis ore pio benedico: quidquid postremò de me futurum ordinaverit voluntas tua; credo, & ore profiteor, quoniam nulla est iniquitas apud te, qui Sanctus es in omnibus operibus tuis.*

279. Totius hujusce Tractatûs de hoc profundissimo Divinæ Prædestinationis mysterio sit jam Synopsis brevissima. Inprimis est planè in Deo prædestinatio, quâ certissimè liberantur, id est salvantur, quicumque liberantur, ut cum D. Augustino sæpè diximus. Secundò, est reprobatio, quâ certissimè damnantur, quicumque damnantur. Tertiò, illa est actus undequaque gratuitus divinæ Bonitatis, & Misericordiæ; hæc est actus divinæ Justitiæ. Quartò, illa fons est, & origo totius boni salutaris, & ad vitam æternam nobis profuturi; hæc causa est, non peccati, sed pœnæ, & damnationis æternæ. Quintò, non ergo bonum aliquod nostrum simul, aut prius est divinâ Prædestinatione, sed posterius. Sextò, culpa tamen, & peccatum nostrum priùs est, quàm decretum pœnæ, & damnationis. Septimò, sic *perditio tua Israël, tantummodò in Deo auxilium tuum.*

280. Octavò, poterat Deus omnes; aut non hos, sed alios pari conditione, & jure prædestinare; sed non voluit: illud, quia minùs conveniebat; hoc, quia ita placuit. Nonò, in pari conditione assumpsit, quos voluit; deseruit, quos noluit: utrumque sine injuriâ. Decimò, non hi digniores erant, aut magis dispositi, ut prædestinarentur; sed Deus, quos voluit elegit; alios reliquit, utrosque sine prævisis meritis. Undecimò, sic & gratiam congruam prædestinatorum propriam illis selegit; istis non item; utrisque sine meritis. Duodecimò, gratiam tamen sufficientem largitur omnibus, nec vel in prædestinatis, vel in reprobis usum liberi arbitrii intervertit. Decimo-tertiò, vult seriò, hortatur, præcipit, minatur, allicit, ut omnes salventur; atque ideò benè operentur, ac in finem perseverent, uti possunt.

281. Decimò-quartò, neq; verò aut illos sine prævisis meritis usque ad finem perdurantibus salvat; neque istos sine demeritis damnat. Decimo-quintò, corona ergò ex meritis confertur; quæ gratis prædestinatur: pœna, & damnatio sine prævisis meritis, sive demeritis nec infligitur, nec destinatur. Decimò-sextò, eò majus beneficium est Dei prædestinatio, quò minùs ex debito est impensum. Decimò-septimò, tantò magis agnoscitur hoc beneficium Dei, quantò pauciori-bus est elargitum. Decimò-octavò, nemo ergo de bono efferri debet, quia si verè bonum, & ad vitam æternam conducibile est, ex abysso gratuitæ miserationis, & prædestinationis Dei est depromptum. Decimo-nonò, hæc est abyssus misericordiæ Dei, quod in pari causa damnationis, quibus voluit, est misertus. Vigesimò, hæc abyssus divinæ Justitiæ, quod in pari occasione miserendi, quos voluit, damnavit.

282. Vigesimo-primò, hæc est abyssus humanæ miseriæ, quod solam miserendi materiam exhibere potest, non causam. Vigesimo-secundò, non priùs, non simul, sed omni modo posterius est miseratione, quidquid in nobis ad miserendum movere poterat misericordem Deum, præter miseriam. Vigesimo-tertiò, hæc nostra miseria divinam exaltat misericordiam; & divina Misericordia nostram detegit miseriam. Ita abyssus miseriæ abyssum invocat Misericordiæ, ne ab abysso Justitiæ absorbeatur. Vigesimo-quartò, sed nec lege ordinariâ infallibiliter quisquam scit, prædestinatus ne sit, an reprobus, sed omnia in futurum servantur incerta. Vigesimò-quintò, omnes tamen benè sperare possumus, & debemus, nec desperare de quoquam, dum vivimus.

283. Vigesimo-sextò, multò minùs contemnere quemquam; aut superbè efferri contra quemquam; quia nescimus, an ille fortè prædestinatus sit, nos reprobi. Vigesimo-septimò, multi enim hodie vivunt justi, & sunt reprobi; multi vivunt peccatores, & sunt prædestinati. Vigesimo-octavò, inter spem ergo, & metum, dum tempus habemus, cum divinæ gratiæ auxilio omnibus parato, operemur bonum ad omnes. Vigesimo-nonò, certi enim sumus, nos salvandos, si usque in finem, uti possumus, in bono opere perseveremus; nec aliter: certi, nos damnandos, si culpâ nostrâ in bono deficiamus; nec aliter. Trigesimò, humiliemur denique subpotenti manu Dei; & occultis quidem, sed justis tamè judiciis ejus acquiescamus: ut nec in se glorietur omnis caro, nec de Deo desperet ulla caro, sed Deū piè glorificemus omnes, dum vivimus, beati planè futuri, si ita vixerimus, qualis enim vita, finis ita.

284. Totis igitur animi viribus, Amice Lector, omniq́ue contentione desiderii ad Authorem Prædestinationis clamemus, ut nobis, quâ potest, invincibili potentiâ, ineffabiliq́ue Misericordiâ, constantem inspiret mandatorum obedientiam, laborum tolerantiam, & bonorum operum concedat perseverantiam, quibuscum imagini Filii sui conformes efficiamur: Ad hoc nostros omnes conatus, omnesq́ue curas convertamus, nec aliter de libro vitæ curemus, certi quod Deus certissimè scribet indelebiliter ad æterna tabernacula, quos ita ad mortem usque constanter vixisse invenerit, sicut promisit: *Quicumque perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Matth. 10.* Suis enim non stare promissis, est impossibile. *Cælum, & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt. Matt. 24.* cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

TRAC-

TRACTATUS III.
DE
SANCTISSIMO
TRINITATIS
MYSTERIO.
PROOEMIUM.

HACTENÙS quoad potuimus humano ingenio inscrutabile, beatis mentibus venerandum, soli Deo notum prædestinationis, & reprobationis negotium abditissimum explicavimus: nunc jam Augustissimæ Trinitatis Mysterium, fidei nostræ caput, teste D. Nazianz. in *Apologet.* aggredimur explicandum. Calamum dirigat ipsa Sancta, atque individua Trinitas, nè in Mysterio objecti sublimitate præstantissimo, obscuritate recondito, intelligentiâ difficillimo, & affatu quidem prorsùs inexplicabili, à vero fidei, ac Sanctorum Patrum sensu, vel leviter deviare contingat; ea enim est hujus Mysterii obscuritas, sublimitas, & necessitas, ut meritò eleganter dixerit D. August. *lib. 1. de Trinit. cap. 3. Nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid invenitur*: exiguam igitur, ac prorsùs hebetem, & caligantem ingenii nostri aciem ad inaccessum tanti luminis lumen ingenuè profitentes, ita Sanctorum Patrum, ac Doctorum vestigiis inhærebimus, ut fidei, eorumque aureo quodammodò filo ducti, sacrum, verum, ac inextricabilem hujuscè Mysterii labyrinthum feliciter ingredi possimus, & egredi.

De hoc Sacrosanctæ Trinitatis Mysterio copiosissimè disputarunt antiqui Patres: Ex Græcis *D. Athanas. D. Nazianz. in quatuor orat. de Theologia D. Greg. Nyssen. D. Chrysost. D. Basil. lib. contr. Eunom. D. Damascen. lib. 1. de Fide.* Ex Latinis *D. Aug. libris 15. de Trinit. Tertul. contr. Praxeam. D. Hilar. libris 12. de Trinit. & lib. de Synodis. D. Fulgent. lib. de objection. Arianor. Richard. de S. Victor. lib. de Trinit.* Disputarunt etiam Scholastici cum *Magistr. in 1. per dist. 35. & cum D. Thom. 1. p. à q. 27. usque ad* 43. inter quos *P. Soar. hîc 1. p. per lib. 12. P. Vasq. 1. p. tom. à d. 108. P. Tanner. 1. p. d. 4. per totam. P. Valent. 1. p. à d. 2. P. Molin. 1. p. q. 27. & sequent. P. Arrub. 1. p. à d. 93. P. Ruiz tom. integro.*

integro. P. Granad. tom. 3. P. Alarcon. 1. p. tract. 5. per totum. P. Arriaga 1. p. à d. 41. P. Amicus 1. p. à d. 18. P. Martinon. à d. 23. P. Compton. tom. 1. à d. 48. P. Rhodez tom. 1. à d. 6. P. Præpoſit. 1. p. à q. 27. & alii apud citatos.

Totum hunc de hoc Sacroſancto Myſterio Tractatum in novem Diſputationes dividemus: Quarum *prima* aget de exiſtentia, & cognoſcibilitate hujus Myſterii. *Secunda* de Proceſſionibus Divinis. *Tertia* de illarum principio, & termino. *Quarta* de Relationibus Divinis. *Quinta* de Perſonis divinis quoad rationem Perſonæ in communi. *Sexta* de prima Perſona, qui eſt Pater. *Septima* de ſecunda Perſona, qui eſt Filius. *Octava* de tertia Perſona, qui eſt Spiritus Sanctus. *Nona* de omnibus his Perſonis comparatis inter ſe, quibus omnibus totum hunc, qualem ſumimus, laborem ſiſtimus, & in majorem earum gloriam cadere volumus. Sit igitur.

DISPUTATIO I.

De exiſtentia, & Cognoſcibilitate hujus Myſterii.

SECTIO I.

Exponitur Fides Catholica, & errores contrarii refutantur.

1. QUAMVIS ex dicendis in progreſſu hujus Tractatûs pleniùs conſtabit, quod circa Trinitatis Myſterium fides docet, indeque multi errores venient confutandi, quia tamen doctrinæ ordo poſtulat, aut ſupponi, aut probari ſubjectum, de quo agendum eſt, aliqua de fide circa hoc Trinitatis Sacroſanctæ Myſterium præmittere neceſſum erit, præcipuosque de illo errores breviter apponere, relictis aliis, omnium enim longior Tractatus ad Controvertiſtas ſpectat, ad Catholicos enim ſcholaſticè ſcribimus Scholaſtici. Hoc poſito.

2. Difficultas 1. Quid hoc nomen *Trinitas* ſignificet? Ita ſumus ab hujus myſterii cognoſcibilitate ſemoti, ut non ſolùm de re ipſa, ſed etiam de vocibus, quibus in illius explicatione utimur, ſit controverſia, quam inter Controvertiſtas primus apprimè, ut aſſolet, exponit P. Bellarm. *tom. 1. lib. 2. de Chriſto cap. 5.* dicens, vocem *Trinitas*, (quæ licet in Scripturis non exprimatur, ab illis tamen deducitur, ut patet ex 1. Joan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus,*) non ſignificare trium Unitatem, ut putavit Valentinus gentilis, & nominis etymologia, atque communis loquendi uſus inter fideles indicare videtur, ſed ſimpliciter ternarium perſonarum.

3. Probatur primò, tùm ex voce græca *Trias*: tùm ex Symbolo D. Athan. *Trinitatem in Unitate veneremur*: abſurdè autem diceremus: *Trium unitatem in unitate veneremur*; ergo *Trinitas* non ſignificat Trium Unitatem. Secundò, quia ſi vox *Trinitas* ſignificaret expreſsè unitatem, reprehendi deberent Patres, qui unitatem opponunt Trinitati, ac dicunt in Eſſentia unitatem, in Perſonis Trinitatem conſiderari: ſimiliter in Trinitate numerum cerni, in Eſſentia quid numeratum ſit non inveniri, quorum unus eſt D. Fulgent. *de Fide ad Petrum, cap. 1. Trinitas*, inquit, *ad Perſonas refertur, Unitas ad Naturam.* Concil. Toletan. 11. cap. 1 *In relationibus Perſonarum numerus cernitur, in Divinitatis verò ſubſtantia quid enumeratum ſit non comprehenditur*: quorum neutrum dicerent, ſi Trinitas, ſicut ternarium Perſonarum ſignificat, ſimul etiam Unitatem Eſſentiæ ſignificaret; ergo &c.

4. Difficultas 2. Quid circa hoc Myſterium fides teneat? Hujuſcè myſterii ſummam definitivè tradit Concil. Later. ſub Innocent. III. *cap. Firmiter de ſum. Trinit.* ibi: *Unus ſolus, & verus Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem Perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu Natura, ſimplex omninò non multiplicata.* Concil. Nicæn. Concil. Rom. Concil. Epheſin. Concil. Conſtantinopol. & alia tùm generalia, tùm Provincialia Concilia, ex quibus omnibus, & ex Apoſtolorum Symbolo juxtaſirmam Eccleſiæ traditionem nobis dato habemus de fide quæ ſubſequuntur.

5. Primò de fide eſt, unum tantùm eſſe Deum. Conſtat ex illo Deuter 6. 4. *Dominus Deus noſter Dominus unus eſt* Et 1. Cor. 8. 4. *Nullus eſt Deus, niſi unus.* Et infrà. *Nobis tamen Unus Deus*: idque lumine naturali eſt evidens, ut alibi oſtendimus in *Met. tract. 1. d. 3. à n. 113.* Secundò de fide eſt, in Deo eſſe tres Perſonas, nempè Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: conſtat ex illo 1. Joan. 5. ibi: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Et ex illo Matth. 28. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Hanc eandem veritatem colligunt Sancti Patres, & Scholaſtici ex illo Gen. 1. 26 *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: ubi apertè ſupponitur pluralitas Perſonarum. Et ex illo Gen. 18. ubi D. Auguſt. *lib. 2. de Trinit. cap. 11.* docet in illis tribus viris, qui Abrahamo apparuerunt repræſentari Trinitatem in Uno Deo: *Cùm tres viri*, inquit, *viſi ſunt, nec quiſquam in eis, vel formâ, vel ætate, vel poteſtate major cæteris dictus eſt, cur non hìc accipiamus viſibiliter inſinuatam per creaturam viſibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus Perſonis unam, eandemque ſubſtantiam?* Et ex illo Iſai. 6. ubi Seraphim clamabant *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus*, ad innuendam Trinitatem Perſonarum in Uno Deo, ut communis Patrum, & Eccleſiæ ſenſus declarat.

6. Quamvis autem in veteri Teſtamento non ſit adeò expreſſa Trinitatis expreſſio, ut convincat obcœcatos Judeos; ante eorum tamen obduratio-

nem,

nem, & incredulitatem ita ex locis citatis, & pluribus aliis colligebant illustriores, & peritiores Rabbini, quorum expressa testimonia refert *P. Vasq. hic* 1. *p.* 108. *cap.* 2. *&* 3. ex Galatino qui illa se legisse testatur in vetustissimis eorum codicibus; & hoc idem probat ex ipso nomine Dei ineffabili *Jehovah*, quo passim Scriptura utitur, & explicatur per hoc nomen duodecim litterarum *Semhammephoras*, quod Latinâ linguâ significat *Pater, Filius, Spiritus Sanctus*; & per aliud quadraginta duarum litterarum, quod nostrâ linguâ sonat: *Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus, Trinitas in unitate, & Unitas in Trinitate*: & hanc fuisse sententiam Rabbenu Hacados, id est, Magistri nostri sancti, dicit ex *Galatin. lib.* 2. *cap.* 10. *P. Vasq. cit. n.* 18.

7. Tertiò de fide est, has Personas esse inter se realiter distinctas. Patet 1. ex locis citatis, in quibus absoluta distributio Personarum innuit verum, & realem numerum; nam si non essent realiter distinctæ, non possent absolutâ appellatione dici, *Tres sunt, qui testimonium dant, &c.* Secundò ex illo Christi Domini Joan 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis Spiritum veritatis.* quem locum contra Gregales Sabellii sic urget D. Athan. orat. *Cùm de se*, ait, *Filius loquitur, Ego, inquit; cùm de Patre, ille, dicit; cùm de Spiritu Sancto, alium, subjungit. Cur non igitur manifestæ defectionis, & apostasiæ crimen sit negare tria, & illum, qui ista locutus est, unum solum esse dicere?* Tertiò, quia multis in locis utriusque Testamenti dicitur, Patrem mittere Filium; Filium mittere Spiritum Sanctum: Item Filium procedere à Patre; Spiritum Sanctum procedere à Patre, & à Filio; nemo autem dicitur mittere se ipsum, aut à se ipso procedere.

8. Quartò de fide est, Patrem esse Deum, Filium esse Deum, & Spiritum Sanctum esse Deum. De Patre constat ex illo Joan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundũ, ut filium suum unigenitum daret.* Et 1. Petr. 1. *Præscientiam Dei Patris.* & sæpè alibi. De Filio, qui & Verbum, quia per veram intelligentiam gignitur, & JESUS, & Christus dicitur propter assumptam humanitatem, patet Joan 1. *Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et 1. Joan. 5. *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus Deum verum, & simus in vero Filio ejus, hic est verus Deus.* De Spiritu Sancto constat Actor. 5. ubi D. Petrus ad Ananiam: *Cur*, inquit, *tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.*

9. Quintò de fide est, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse idem in Natura, sive in Essentia individua Deitatis. Patet ex illo 1. Joan 5. *Hi tres unum sunt.* Et Joan. 10. 30. *Ego & Pater unum sumus*: eademque ratio est de Spiritu Sancto. Confirmatur ex locis supra adductis pro unitate Dei.

10. Sextò de Fide est, Patrem à nullo procedere, Filium procedere à Patre, & Spiritum Sanctum procedere à Patre, & à Filio. De Patre est evidens; siquidem est prima Persona, sicque non potest ab alia procedere: alioqui jam non esset prima. De Filio præter loca, in quibus agitur de ejus generatione, Joan. 8. 42. *Ego enim*, inquit Christus, *ex Deo processi.* Et de Spiritu Sancto Joan. 15. 26. *Paraclitus, qui à Patre procedit.* Et quod procedat à Filio idem Christus Joan. 16. 14. *Ille*, inquit, *de meo accipiet.*

11. Hæc sunt generalia principia fidei circa hoc Trinitatis mysterium, quibus alia plura sunt annexa, quæ simul cum his continentur in Symbolo D. Athan. & passim in Conciliis, Sanctis Patribus; totâque Ecclesiâ sunt explicata, & nos per totum hunc Tractatum sumus explicaturi, ideòque hîc simplici tantùm authoritate Scripturæ probata supponimus, ut illis suppositis, quæ in hoc Tractatu, aut ut certa, aut ut theologicè controversa discutienda sunt pleniùs innotescant: nunc qualesnam fuerint in hac materia errores jam videamus: Sit igitur:

12. Difficultas 3. Qualiter circa hoc mysterium erraverint hæretici? Diabolus, ut caput omnium mysteriorum nostræ fidei peteret, plures circa Trinitatis mysterium errores suscitavit, ut verâ notitiâ præcipui objecti nostræ fidei deletâ, ipsa vera fides, sine qua impossibile est Deo placere, paulatim extingueretur. Non agemus hîc de errore Atheistarum nullum Deum agnoscentium, juxta illud Psal. 13. 1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*: contra quos eruditè agit *P.* Possevin. libello illo suo aureo de *Atheismis hæreticor.* neque de errore eorum, qui inanem Deorum pluralitatem fingunt: tum quia lumine naturali evidens est, Deum esse contra Atheistas, & hunc non posse non esse unum, ut jam alibi demonstravimus in *Met. tract.* 1. *d.* 3. *à n.* 55. tum etiam quia hîc agimus de erroribus, qui immediatè opponuntur mysterio Trinitatis: Igitur

13. Primus error est Judæorum, qui contendunt in Deo unicam esse Personam æquè, ac unicam Essentiam. Hic Judæorum error confutatur à Sanctis Patribus, & Theologis: Primò ex omnibus illis locis veteris Testamenti, quæ intelligi non possunt absque pluralitate Personarum in Deo, quorum aliqua adduximus supra *n.* 5. *et* 6. & plura videri possunt apud *P. Ruiz, P. Martinon d.* 23. *& P. Vasq. d.* 108. *cap.* 2. additâ ibi Rabbinorum intelligentiâ. Secundò ex locis, in quibus promittitur Messias ut verus Filius Dei juxta eorum intelligentiam; Filius autem est alius à Patre. Tertiò ex illis, quibus ostenditur Christum Dominum esse illum Messiam à Deo promissum, & in eo convenire omnia, quæ à Deo de illo per Prophetas fuerant prædicta, ut ostendi solet in materia de Incarnatione, ubi *P. Soar. d.* 1. *&* 2. cùm enim ejus miracula eò contenderent, ut testificarentur, se esse à Patre missum, se Patrem habere Deum, & se esse Deum, omniaque, quæ in novo Testamento continentur, evidens fit, ejus doctrinã de Trinitate in novo Testamento expressam habere omnimodã veritatem, & credibilitatem. Hîc locum habẽt argumenta notę fidei, quibus tamen supersedeo, quia ad Controvertistas spectant, & quia in materia de fide priùs apponi solent.

14. Dicent primò: In pluribus Scripturæ locis, in quibus de Deo loquitur, solùm Dei Unitas inculcatur; ergo &c. Respondeo ubicumque inculcatur Dei Unitas, solùm agi de Deo quoad Essentiam, secundùm quam tres divinę Personæ sunt idem numero Deus: non autem de Deo quoad diversitatẽ Personarum, quæ sunt tres realiter distinctæ.

15. Dicent secundò: Licet Messias promissus in veteri Testamento appelletur Deus, sive Filius Dei, non ideò hoc intelligendum est de vera Divinitate: tum quia promittitur futurus ex ipsâ gente Hebraïcâ, & similis Moysi. Deuter. 18. 18. ibi: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui*: tum etiam quia Angeli nomine Dei loquentes, imò & homines justi, aliquando Dii appellantur, juxta illud psal. 81. 6. *Dii estis, & filii excelsi omnes*; ergo &c.

16. Respondeo quando promittitur futurus ex gente Hebraïca

Hebraica, & similis Moysi, solùm ibi affirmari futurum verum hominem, & veram humanitatem assumpturum: Quando autem Angeli nomine Dei loquentes appellantur Dii, planum esse, non ex propria persona loqui, sed Dei, quem repræsentant; sicque nullus Angelus, aut homo ex propria persona dicitur Deus, sicut dicitur Messias promissus, de quo plura pluribus in locis dicuntur, quæ non nisi de vero Deo affirmari possunt, cujusmodi sunt sedere ad dexteram Dei Patris, id-est habere æqualem honorem & potestatem; quod ipse Deus veniret, qui antea per Prophetas, & Angelos loquebatur; quod nobis daretur Filius: *Filius datus est nobis.* Isai. 9. 6. quod esset *Deus fortis.* ibid. quæ omnia, & similia de vero Deo sunt intelligenda.

17. Dicent tertiò: Trinitas Personarum non est expressè proposita populo credenda in veteri Testamento; ergo &c. Respondeo præterquam quod homines illustriores virtute ac scientiâ Dei in illo populo Trinitatem expressè agnoverunt, ut ostendit ex *Galatin. P. Vasq. cit. cap. 2.* Deum non omnia mysteria supernaturalia illi populo expressè proposuisse: tum ob ejus ruditatem, & pravam inclinationem idololatriæ assuetam: tum etiam quia consuevit Deus decursu temporis paulatim mysteria revelare; præsertim difficiliora; sic enim non omnia in lege naturæ explicuit, sed aliqua, & quidem per figuras ad legem scriptam; potiora autem, & eorum realitatem ad legem gratiæ reservavit.

18. Secundus error Unicam in Deo asserit esse Personam, quæ tamen sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ita ut quatenùs est author creaturarum, dicatur Pater; quatenùs humanitatem assumpsit, dicatur Filius; & quatenùs creaturas sanctificat, dicatur Spiritus Sanctus. Ita docuit Sabellius, à quo hæresis dicta est Sabelliana, non quod ab eo exordia sumpserit, sed quod sub illo majora cæperit incrementa: priùs enim illam tradiderant Praxeas, & Hermogenes, ut ait D. Aug. *hæresi 41.* & quidam Noëtus, à quo Sabellius ejus discipulus eam hausit. Hi Sabelliani à Sabellio dicti, sunt etiam dicti *Patripassiani*, eoquod Patrem dicerent passum. Hanc eandem hæresim docuerunt *Paulus Samosatenus, Photinus,* & suscitavit *Michaël Servetus*, quem multi in Polonia, & Transylvania sequuntur. Vide *P. Bellarm. tom. 1. præfat. ad lib. de Christo, & lib. 1. de Christo cap. 1. P. Mol. 1. p. hic d. 1. P. Vasq. 1. part. d. 108. cap. 1. P. Valent. d. 2. q. 1. pun. 1* §. 2. Hujus erroris fundamenta ex infra dicendis solvenda sunt. Interim:

19. Hic error damnatur à Conciliis, & Sanctis Patribus, & ex ipsa Scriptura convincitur, ubi Filius dicitur genitus, & missus à Patre; & Spiritus Sanctus dicitur procedere à Patre, & à Filio; idem autem non potest generari, mitti, & procedere à se ipso. Deindè cùm in Scriptura dicatur, *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbũ, & Spiritus Sanctus*, quis audebit dicere non esse tres in re, & simpliciter, ut ait D. Athan. cit. n. 7. Vide *P. Becan. de Trinit. cap. 3. q. 1.*

20. Tertius error est Arianorum, qui ex Evangelio Trinitatem agnoscentes, dicunt Patrem esse quidem verum Deum, & ad id probandũ adducunt illud Christi Domini ad Patrem loquentis Joan. 17. 3. *Ut cognoscant*, inquit, *te solum Deum verum.* Et ex hoc, aliisque locis, in quibus de Christo Domino, & Spiritu Sancto aliqua dicuntur, quæ non videntur Deo convenire, colligunt, & asserunt, Filium non esse Deum, & Patri consubstantialem, sed creaturam Dei perfectam ex nihilo in tempore à Patre genitam, ante sæcula tamen creatam: & per hunc Filium productum esse Spiritum Sãctum. Hunc etiam errorem secuti sunt Eunomius, Aëtius, illumq; Origeni attribuũt varii. Vide *P. Ruiz. hic d. 20. sect. 4.* Tenuerunt etiam *Lutherus, Calvinus, Gentilis, & Erasmus*, ut ait *P. Bellarm. cit.*

21. Hujusmodi error damnatus est in Concil. Nicen. 1. & à Sanctis Patribus, totaque Ecclesia cõmuni consensu explosus. Convincitur, tum ex locis supra citatis de vera Divinitate Filii, & Spiritus Sancti, quæ videri etiam possunt cum aliis pluribus apud *P. Ruiz, P. Martinon. & P. Becan.* tum ex infra dicendis pro veritate hujus mysterii stabilienda.

22. Dicent: Christus Dominus solum Patrem vocat Deum Joan. 17. 3. *Ut cognoscant te solum Deum verum*: De Christo dicitur, quod sit minor Patre Joan. 14. *Pater major me est*: de Spiritu Sancto, quod postulet pro nobis gemitibus, ad Rom. 8. *Postulat pro nobis gemitibus. &c.* Aliqua negantur Filio, & Spiritui Sancto, quæ Deo conveniunt, ut quod de die, & hora Judici nemo sciat, neque Filius, nisi solus Pater, ut dicitur *Matt. 13. 31. & 24. 36.* ergo &c.

23. Respondeo ad primum, particulam *solum* referri, non ad Personas, sed ad Naturam, quæ in omnibus est una sola, & eadem. Ad secundum, Christum dici minorem Patre secundùm naturam humanam. Ad tertium, sensum esse, Spiritum Sanctum postulare, & gemere causaliter, quatenùs ex illius inspirationibus proveniunt in nobis orationes, & gemitus. Ad quartum, ubi *dicitur nisi solus Pater*, particulam exclusivam *solus* non excludere Filium, neque Spiritum Sanctum; siquidem particula *nemo* refertur ad creaturas: sic enim quando dicitur Matt. 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater*: non ideò negatur, quod Filius se ipsum cognoscat: neque etiam quod Pater se ipsum cognoscat, cùm dicitur: *Neque Patrem quis novit, nisi Filius.* Ad illud quod additur, *neque Filius*, dicimus intelligi de scientia, quam Christus Dominus habebat communicandam ut Doctor; neque enim sciebat horam, ut illam communicaret: sic enim quando dixit: *Omnia, quæcumque audivi à Patre, nota feci vobis*: sensus est, omnia, quæ accepi communicanda; nam multa alia sciebat, quæ non ipse, sed Spiritus Sanctus Apostolos erat edocturus.

24. Advertes primò, licet Ariani in variis differant à Sabellianis; in præcipuo tamen cum illis convenire; & utrique cum Judæis, & Philosophis gentilibus; nam si Filius sit creatura Patris, & Spiritus Sanctus creatura Filii, ut dicunt *Ariani*, necessariò dicendum est, neutrum esse Deum præter solum Patrem; consequenterque unicam in Deo esse Personam, atque adeò naturam divinam in unica persona subsistere, quod agnoscunt Judæi, & docent Philosophi gentiles, qui lumine naturali ulteriùs progredi non potuerunt.

25. Advertes secundò, licet Arius senserit, Filium in tempore ex nihilo creatum, ut patet ex pluribus locis, & impugnatur à Patribus; aliquos tamen Arianos sensisse productum ab æterno; aliquos etiam docuisse productum ex Patris substantia, per quamdam scilicet decisionem: in quo etiam turpiter errarunt; siquidem lumine naturæ constat, Naturam divinam non esse partibilem, neque esse communicabilem per sui decisionem.

26. Quartus error est Macedonii Episcopi Constantinopolitani docentis, Filium quidem esse consubstan-

consubstantialem Patri; asserentis tamen Spiritum Sanctum esse creaturam, ut refert *D. Aug. hæresi 52.* Undè Macedoniani sunt appellati Semiariani: licet varii asserant, illum etiam malè sensisse de Filio, & negasse, eum esse Patri consubstantialem, ut ait *Sozomen. lib. 7. historiæ cap. 2. Theodoret. lib. 4. hæreticar. fabular. de Macedonian. & lib. 2. histor. Ecclesiast. cap. 6.* & alii.

27. Quintus error est Tritheistarum, quorum primus fuit Valentinus Gentilis Italus de quo *P. Bellarm. in præfat. ad lib. de Christo tom. 1.* & quem postea hujus farinæ alii secuti sunt negantes unitatem numericam Naturæ divinæ, & asserentes, tres Personas divinas esse tres Deos numero distinctos. Verùm hic error damnatus fuit in Concil. Nicæno, & Lateran. *cap. Firmiter, & cap. damnamus, de Sum. Trinit* ut apertè repugnans Scripturæ unicum esse Deum attestanti, ut supra diximus, & infrà dicemus: imò & rationi naturali, secundùm quam evidens est, non posse esse, nisi unum tantùm Deum, ut alibi demonstravimus in *Met. tract. 1. d 3. à n. 113.*

28. Dicent: Sicut 1. Joan. 5. 7. dicitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*: ita etiam dicitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, & aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt*; sed hi tres non sunt unum unitate simplici naturæ; ergo neque sic erunt illi tres. Respondeo primò in citato loco non dici, quod sicut Spiritus, aqua, & sanguis sunt unum, ita sint unum Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, sed aliter hi, & aliter illi sunt unum. Secundò ex illo loco non probari efficaciter unitatem Personarum in una Essentia, sed aliundè ut patet ex illo: *Dominus Deus noster, Deus unus est*: & ex aliis infra citandis. Tertiò, quia ut notavit *P. Vasq. d. 109. cap. 2 n. 12.* illud: *& hi tres unum sunt*: cùm sermo est de Spiritu, aqua, & sanguine, in multis vulgatis codicibus non haberi. Quia tamen in græcis omnibus, & communiter in latinis vulgatis reperitur, dicendum aliter haberi, cùm de Spiritu, aqua, & sanguine dicitur, nam in græco legitur sic: *& hi tres unum sunt*; id est in unum testimonium: at verò de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto dixit: *Et hi tres unum sunt*: ut indicaret, tres illos in terra esse tantùm unum testimonio; hos autem tres in cœlo esse unum, non solùm testimonio, sed etiam naturâ, & essentiâ.

29. Sextus error est Anastasii Imperatoris asserentis in Deo esse quaternitatem Personarum, qui cùm hunc errorem populis credendum imperaverit, fulgure de cœlo tactus interiit. Est autem hic error expressè contra Scripturam, Concilia, & Sanctos Patres; siquidem quatenùs definiunt, esse tantùm tres Personas, à Trinitate excludunt evidenter quaternitatem, ut benè ostendit, & eruditè *P. Ruiz d. 31.* Hi sunt præcipui, & capitales errores in hac materia, qui ex infrà dicendis pleniùs refutabuntur. De aliis, qui his sunt annexi, nempè quod Filius non sit Verbum: quod ejus generatio non sit vera generatio: quod Spiritus Sanctus non procedat à Filio, ut olim dicebant Græci, & similes, suis in locis commodiùs agendum erit. Nunc sit:

SECTIO II.

Quid cum Fide tenendum stabilitur, & firmatur.

30. UAMVIS jam, & si breviter, dixerimus, quid de hoc Mysterio fides doceat, contra hos tamen errores fides nostra de eodem mysterio longiori calamo stabilietur, ut longè certior videatur. Cùm autem in hoc mysterio doceat fides unum Deum, & tres Personas realiter distinctas, quarum quælibet sit unus, & idem Deus, in hac, & sequentibus Sectionibus de Unitate Naturæ, & Personarum Divinitate; de earum autem numero, ac distinctione aliqua hîc dicemus, reliqua verò ad sua loca reservabimus. Igitur:

31. Dico 1. Deus, sive Natura divina est una numero, & planè indivisa. Est de fide contra Peratas, Philoponum, Joachimum, & hujus temporis Tritheitas, ut habetur in Concil. Nicæceno Lateran. in *cap. damnamus*, & in symbolo D. Athanasii. Probatur primò ex Scripturis Deuter. 4. ibi: *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter unum.* Et cap. 6. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Et cap. 32. *Videte, quod ego sim solus, & non est alius præter me*; falsò autem diceret se esse unum, & solum Deum, & præter se non esse alium; si alia individua invenirentur ejusdem speciei; ergo &c.

32. Probatur secundò ex eadem Scriptura 1. Reg. 2. *Non est sanctus, ut est Dominus, neque enim est alius extra te.* Et 3. Reg. 8. *Deus Israël, non est similis tui Deus in cœlo desuper, neque in terra deorsum*; si autem essent duæ naturæ sub eadem specie, Deus haberet alium similem. Et psal. 17. *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum.* Et psal. 82. *Tu solus altissimus in omni terra.* Et psal. 85. *Tu es Deus solus.* Et Isai. 43. *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit, Ego sum: ego sum Dominus, & absque me nō est Deus.* Et cap. 45. *Ego Dominus, & non est amplius, extra me non est Deus.* Et infra: *Deus justus, & salvans non est præter me.* Et Sapient. 12. *Non enim est alius Deus, quàm tu.* Et Eccles. 1. *Unus est altissimus.* Et Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et Marc. 12. *Unus est Deus, & non est alius præter eum.* Et Joan. 17. *Ut cognoscant te solum verum Deum.* Et 1. Cor. 8. *Scimus quod nullus est Deus, nisi unus.* Et ad Galat. 3. *Deus autem unus est.* Et Ephes. 4. *Unus Deus, & Pater omnium.* Et 1. Tim. 2. *Unus Deus, unus & Mediator Dei, & hominum.* Et 1. Tim. 6. *Qui solus est potens Rex Regum, & Dominus dominantium*, & sæpè alibi: ex quibus omnibus, & singulis locis apertè colligitur, unum numero, non autem specie esse verum Deum.

33. Confirmatur primò, quia de uno aliquo homine non rectè dicimus, *Iste est solus homo: iste solus est verus homo: præter istum nullus est homo: iste homo, & nemo alius*; sed ideò sic non rectè dicimus, quia natura humana non est in uno solo individuo, sed in multis; ergo quia id de Deo rectè dicimus, Natura divina est una numero, & individua. Secundò, quia de Sole, cui una tantùm natura individua est, rectissimè dicimus: *Iste solus est verus Sol: unus est in mundo Sol: præter eum non est alius Sol*; ergo quia ita de Deo dicimus, rectè colligitur, eum habere Naturam Unam numero singularem, & individuam.

34. Probatur tertiò ex Sanctis Patribus ex D. Athan. *in Symbol. Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus; & tamen non tres Dii, sed unus est Deus.* Et D. Cyril. *lib. 9. in Joan. cap. 30. Eadem substantia Deitatis est, quare non tres, sed unum Deum prædicamus.* Et D. Aug. *lib. 2. contra Maximin. cap. 1. Tene*, inquit, *cum catholica fide, Patrem quidem non esse, qui Filius est; & Filium non esse, qui Pater est. At Deum esse Patrem, & Deum esse Filium; verumtamen ambos simul, non duos Deos esse, sed unum.* Et D. Ambros. *lib. 1. de fide cap. 2. Deus in Deo est, sed non duo Dii.* Et D. Nazian. *orat. 3. de Theolog. Tria hæc*, inquit, *unum, si divinitatem spectes: & unum tria, si proprietatum rationem habeas.* Et D. Nyssen. *lib. de Trinit. ad Eucharistium. In multitudinem*, ait, *extendere numerum Deitatum, eorum dumtaxat est, qui laborant errore multitudinis Deorum.* Et Concil. Toletan. 11. cap. 1. *In relationibus personarum numerus cernitur; in Divinitatis verò Substantia, quid enumeratum sit, non comprehenditur.* Idem habent *Hormisda in Epist. ad Justin. cap. 2. Anastasius Antiochen. lib. 1. de rect. dogmat. D. Justin. lib. de Monarch. Dei. Athenagor. Apolog. pro Christo. D. August. lib. 7. de Trinit. cap. ult. D. Basil. orat. contr. Sabellium. D. Irenæus lib. 2. cap. 5. Tertul. in Apolog. cap. 17. D. Cyprian. tr. 4. de vanit. idolor. Arnob. lib. 2. & 3. contr. gent. D. Lactant. lib. 1. cap. 3. Euseb. lib. 11. præparat. cap. 9. Theodoret. lib. 2. de curan. græc. affect.* quorum plures hoc idem probant ex gentilibus Philosophis, & Poëtis, qui etiam unum solum Deum agnoverunt, & coluerunt.

35. Probatur quartò rationibus: Prima, quia Deus est summum ens, ut patet Exod. 3. *Ego sum, qui sum*; sed *unum* est passio entis, & quò aliquid est magis ens, est etiam magis unum; ergo Deus, cùm sit summum ens, est etiam summè unus. Confirmatur, quia quò aliquid perfectius habet esse, eò longiùs abest à non esse; consequenterque à divisione, quæ est via ad non esse; ergo Deus est unus unitate numericâ, cùm hæc sit maxima, & ulteriùs non divisibilis.

36. Secunda, quia Deus est suum esse, ut patet, tùm ex illo: *Ego sum, qui sum*: tùm quia Deus communi omnium consensu caret compositione, sive partibus, ex quibus sit, & componatur; sed esse proprium unius non potest ullo modo dividi, ut pluribus conveniat; ergo cùm esse hujus Dei sit ipsa essentia Dei; illud autem non sit divisibile, neque sic divisibilis est ipsa essentia Dei in plures; consequenterque Deus est unus in essentiâ indivisibili, sive numericè.

37. Tertia, quia Deus est altissimus juxta illud psal. 82. *Tu solus altissimus*; ergo unus tantùm; alioqui si plures, aut essent æquè alti; & tunc nullus esset supra omnes: aut unus altior cæteris; & tunc solus ille esset unus Deus verus, quia solus altissimus.

38. Quarta, quia Deus est ultimus finis omnium rerum Prov. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Et Apoc. 1. 8. & 22. 13. *Ego sum principium, & finis*; ergo unus tantùm est Deus; alioqui si plures, aut omnes referrentur ad unum, & tunc ille tantùm esset verus Deus: aut non, & tunc nullus esset omnium ultimus finis; consequenterque neque verus Deus.

39. Quinta, quia Deus est infinitus in essentiâ, potentiâ, sapientiâ, &c. ergo unus numero, cùm infinitum omnia comprehendat juxta illud psal. 144. *Et magnitudinis ejus non est numerus.* Confirmatur, quia si Natura divina posset multiplicari, & communicari pluribus; aut sic communicaretur liberè; aut necessariò: Si primum; ergo illa individua liberè existerent, possentque non existere, & haberent esse ab alio, illudque contingens, quod Deo repugnat; consequenterque nullum esset Deus: Si secundum; ergo essent infiniti Dii; cùm enim communicaretur necessariò, & non sit assignabilis certus numerus individuorum, quibus solùm communicaretur, necessariò communicaretur in infinitum, sicque infiniti essent Dii, quod non est dicendum. Neque dicas communicari tantùm uni, aut duobus; de hoc enim quæritur ratio, & nulla est, cur potiùs his, quàm aliis communicetur, cùm omnibus necessariò communicanda esset, ut supponimus.

40. Sexta, quia si essent plures Dii; aut omnes sine principio; aut unus ab alio: Non primum; alioqui jam essent plura principia prima, quod est impossibile, ut alibi demonstravimus; & cùm essent disparata, in varias partes mundum distraherent, neque enim necessariò convenirent in una, & eâdem voluntate, sed posset unus unum, & alius aliud velle: Si secundum, aut esset ab alio per creationem; & tunc jam esset creatura, & non Deus: aut per generationem, & tunc, aut dedit totam substantiam, aut partem; si partem; ergo partibilis Deus: Si totum; ergo non habet eandem deitatem numero.

41. Septima, quia Deus est Rector Mundi Sapient. 14. *Tua autem, Pater, providentia cuncta gubernat*; sed simplex Monarchia est optimum regimen, quando inveniri potest Princeps bonus, sapiens, & justus, qualis est Deus; ut patet omnium consensu, & docent plures tùm Christiani, ut *D. Justin. D. Cyprian. D. Chrysost. & D. Greg.* tùm Judæi, ut *Philo.* tùm etiam Gentiles, ut *Plato, Aristot. Plutarch. Homer.* & alii; ergo Deus Monarcha est, id est unus, & solus summus Princeps omnium rerum creatarum; consequenterque unus, & solus verus Deus. Vide *in Met. tract. 1. d. 3. à n. 113.* ubi de hoc egimus, & lumine etiam naturali demonstravimus, Deum esse unum, & aliqua apposuimus argumenta in contrarium, quæ hîc non sunt repetenda.

42. Dico 2. Filius in divinis est verus Deus, & ejusdem numero naturæ, ac essentiæ cum Patre. Est de fide definita conclusio in pluribus Conciliis, in Concil. Nicæno 1. Constantinopolit. 1. Ephesin. 1. *in Epist. ad Nestorium.* Chalcedon. *act. 2.* in Synod. 5. *cap. 1.* Synod. 6. *act. 17.* Synod. 7. *act. 7.* Synod. 8. *act. ult.* Concil. Lateran. *sub Innocent. III.* & habetur in cap. *Firmiter, de Sum. Trinit.* Concil. Viennens. Undè extat Clement. *unica de Sum. Trinit.* Concil. Florent. *sess. ult.* & Trident. *Sess. 3.* definita etiam fuit ante exortam Arii hæresim à pluribus Pontificibus, nempè ab Anacleto *Epist. 2. ad Episcopos Italiæ.* Sixto I. *Epist. ad Universf. Christi fideles.* Higinio *Epist. ad omnes Christ. fideles*; & Marcellino *Epist. ad Salomon. Episcopum.* Et de fide illam tenent Sancti Patres, ex quibus infrà probanda est.

43. Probatur primò ex variis locis tùm veteris, tùm novi Testamenti; Primus locus psal. 2. ibi: *Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ex quo sic argumentor: Dominus, de quo agit Psalmista, est verus Deus; sed hic Deus habens unam numero naturam, & essentiam, ut probavimus, in die æternitatis genuit Filium, ut ibi dicitur; Filius autem debet esse ejusdem naturæ cum generante; ergo Filius à Deo genitus debet esse ejusdem naturæ cum Deo generante; ergo Filius est verus Deus, & habet eandem naturam cum Patre.

Secundus

44. Secundus locus Isai. 48. ibi: *Ex tempore antequam fierent, ibi eram; & nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus*; hic autem missus non est Pater: tum quia Pater non habet, à quo mitti possit; & idem non mittitur à se ipso: tum quia Filius testatur, se esse missum à Patre *Joan. 8.* & ab Spiritu Sancto. *Luc. 4.* Sed de hoc Filio misso à Patre dicitur eodem loco: *Ego ipse, & ego primus, & ego novissimus; manus quoque mea fundavit terram, dextera mea mensa est cælos*: hæc autem de solo vero Deo dicuntur; ergo Filius est verus Deus.

45. Dicent cum Francisco David Hæretico *disput. Alban. 5.* verba illa: *Et nunc Dominus Deus misit me*: dicta esse ab ipso Propheta de se ipso: Primò, quia si loqueretur de Christo, Christus fuisset ante Incarnationem; cùm tamen 1. Joan. 4. Spiritum Antichristi esse dicatur, qui asserit, Christum fuisse extra, & ante carnem. Secundò, quia Paul. ad Hebr. 1. dicit, Deum novissimè locutum in Filio; ergo in isto loco non est Christus, qui loquitur, cum dicat, se à principio locutum esse. Tertiò, quia illud *ibi eram*, solet exponi à Catholicis *ibi*: id est in monte Syna; at lex dicitur data in monte Syna per Angelos, & non per Christum, ut patet ad Galat. 3.

46. Respondeo prædictas rationes nihil probare. Ad primam enim dicimus, Joannem non dixisse, Christum non fuisse ante carnem, sed Antichristum esse, qui negat Christi Incarnationem, ut eo tempore negabant Ebion, & Cherinthus: *Omnis Spiritus*, inquit, Joan. *qui confitetur JESUM Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis Spiritus, qui solvit JESUM, ex Deo non est, & hic est Antichristus*: quid est autem solvere JESUM, nisi dividere Verbum à carne, & dicere Filium Dei non esse factum verè filium hominis? Ad secundam, D. Paulus non negat, Dei Verbum locutum ante Incarnationem, sed solùm dicit ultimo tempore Deum locutum ore corporali, & voce per Filium Incarnatum, qui olim loquebatur per ora Prophetarum. Ad tertiam dicimus legem datam in Syna à Deo Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, sed ministerio Angelorum.

47. Tertius locus ex psalm. 44. ubi de Filio dicitur: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi*: hîc enim dicitur Deus, non quomodocumque, sed tanquam ille, cui debetur thronus in omnem æternitatem; cui non ita deberetur, nisi esset verus Deus, & ejusdem naturæ, majestatis, & excellentiæ cum Patre.

48. Quartus locus ex psal. 109. *Tecum principium (idest principatus) in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te*: ubi loquitur Deus per essentiam, & dicit, se genuisse Filium ante omne tempus; ergo ab æterno; consequenterque Deum; cùm nulla creatura, saltem de facto, sit ab æterno.

49. Probatur secundò ex pluribus aliis locis. Isai. 9. *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis..... & vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, &c.* Matt. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et Joan 3. dicitur Christus *Filius Unigenitus.* Rom. 8. *Filius proprius.* 1. Joan. 5. *Filius verus.* Coloss. 1. & Hebr. 1. *Filius Naturalis*, quatenùs dicitur imago Patris, quod non convenit adoptivis. Et Joan. 10. *Ego, & Pater unum sumus.* Joan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Et Joan. 16. *Omnia, quæ Pater habet, mea sunt.* Et Joan. 20. *Dominus meus, & Deus meus.* Et ad Rom. 9. *Ex quibus Christus est secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Et 1. Joan. 5. *Ut simus in vero Filio ejus, hic est verus Deus; & vita æterna.* Et Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Item: *Omnia per ipsum facta sunt*: & sæpè alibi, ex quibus omnibus satis constat, Filium esse Deum verum, & ejusdem numero naturæ cum Patre.

50. Probatur tertiò ex nominibus veri Dei, quia de quo affirmantur nomina veri Dei, est etiam verus Deus; sed ita affirmantur de Filio; ergo Filius est verus Deus. Probatur minor, quia de vero Deo affirmantur nomina *Deus, altissimus, invisibilis, Deus gloriæ, Rex Regum, Dominus Dominantium*; siquidem de solo vero Deo dicitur quod sit *Deus* absolutè, ut ait D. Iræneus lib. 3. cap. 6. ibi: *Neque Apostoli eum, qui non esset Deus, definitivè, & absolutè Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus*: quod sit altissimus psal. 82. *Tu solus altissimus*: quod sit invisibilis 2. Tim. 1. *Invisibili soli Deo honor, & gloria*: quod sit Deus gloriæ. Actor. 7. *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ*: quod sit Rex Regum, & Dominus dominantium. 1. Tim. 6. *Qui solus est potens Rex Regum, & Dominus dominantium*; sed hæc omnia nomina dicuntur de Filio; siquidem de illo dicitur quod sit Deus. Joan. 20. *Dominus meus, & Deus meus*: quod sit Altissimus. Psal. 86. *Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus*: Et Luc. 1. *Tu Puer Propheta Altissimi vocaberis*: quod sit invisibilis: Matt. 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater*: quod sit Rex Regum, & Dominus dominantium: 1. Cor. 8. *Nobis est unus Dominus JESVS Christus.* Et Apoc. 17. *Agnus vincet illos, quoniam Rex Regum est, & Dominus dominantium*; ergo &c.

51. Probatur quartò ex attributis, qui Æternitas, Immensitas, Omnipotentia, Sapientia, Bonitas, & Majestas adoranda sunt attributa propria solius veri Dei, ut jam alibi ostendimus in *Met. tr. 1. d. 3.* sed hæc omnia Filio tribuuntur; ergo Filius est verus Deus. Probatur minor, quia de Filio dicitur, quod sit Æternus. Hebr. 7. *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* Et cap. 13. *Christus heri, & hodie, & in sæcula*: quod sit Immensus Baruch. 3. *Magnus est, & non habens finem, excelsus, & immensus*: Et infra. *In terris visus est, & cum hominibus conversatus est*: quod sit Omnipotens Apoc. 11. *Gratias tibi agimus Domine Deus Omnipotens, qui es, qui eras, & qui venturus es*: quod sit Sapiens 1. Cor. 1. *Christum Dei sapientiam*: quod sit Bonus Matt. 20. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum*: quod habeat Majestatem adorandam Hebr. 1. *Et adorent eum omnes Angeli ejus*; ergo &c.

52. Probatur quintò ex operibus, quia Creatio, Conservatio, Salvatio, Prædictio futurorum, & patratio miraculorum sunt opera propria solius veri Dei; sed hæc omnia tribuuntur Filio; ergo Filius est verus Deus. Probatur minor, quia de Filio dicitur creare Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*: conservare Actor. 7. *In ipso vivimus, movemur, & sumus*: Et Hebr. 1. *Qui portat omnia verbo virtutis suæ*: salvare Isai 35. *Deus ipse veniet, & salvabit nos.* Et Matt. 1. *Ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum*: prædicere futura Ioan. 13. *Hodiè dixi vobis, priusquam fiat, ut cùm factum fuerit, credatis, quia ego sum*: patrare miracula propriâ virtute, & authoritate Marc. 8. *Dixit mari, tace, obmutesce*: & idem habet cap. 9. ergo &c.

53. Probatur sextò ex Patribus, D. Clement. lib. 8. constitut. cap. 18. *Tibi*, inquit, *omnis gloria, & honor, & adoratio Patri, & semper Filio, & Spiritui Sancto, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum.* Et D. Dionys. lib. de divin. nomin. cap. 1. *In omni fermè Theologica tractatione summam divinitatem sanctè*

celebrari vidimus, ut singularem quidem, atque Unicam propter simplicitatẽ, & unitatem illam impartibilem, ut Trinitatem verò propter supereſſentialis fœcunditatis in ſuppoſitis tribus expreßionẽ. Et D. Ignat. epi. ad Antiochen. *Omnis*, ait, *qui annuntiat unum ſolum Deum, & tollit Chriſti divinitatem, is diabolus eſt, & hoſtis omnis juſtitiæ.* Idem habent *D. Juſtin. lib. de recta fidei explicat. in Apolog. ad Senatum. & in Apolog. ad Anton. D. Irenæus lib. 3. cap. 6. 8. 12. 16. & 20. Orig. lib. 7. epiſt. ad Rom. cap. 9. Tertul. lib. 4. in Marcionem, & lib. contra Praxeam, D. Cyprian. tract. de Idolor. vanit. & lib. 2. ad Quirinum cap. 6. D. Athan. D. Baſil. D. Nazian. D. Nyſſen. D. Cyril. Hieroſolymit. D. Hilar. D. Ambr. Theodoret. D. Gaudent. D. Hieron. D. Aug. D. Proſper. D. Leo.* & alii plures, qui videri poſſunt apud *P. Bellarm. lib. 1. de Chriſto cap. 10. per totum.*

SECTIO III.

Proponuntur, & ſolvuntur argumenta contra Filii divinitatem.

54. ARGUITUR 1. ex Sacra Pagina, Chriſtus Dominus cuidam interroganti, Luc. 18. *Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poßidebo*: reſpondit: *Quid me dicis bonum, nemo bonus, niſi ſolus Deus*; ergo videtur indicare, ſe non eſſe Deum; conſequenterque Filium Dei nõ eſſe verum Deum. Reſpondeo negando conſequentiam; ſolùm enim declaravit opinionem Phariſæi interrogantis, qui illum exiſtimabat ſolum hominem, quaſi dicat, cùm nihil in me ſupra hominem agnoſcas, non potes meritò me bonum appellare, cùm nemo bonus præter Deum; quod autem id non dixiſſet ex propria ſententia patet Joan. 10. ubi dicit: *Ego ſum Paſtor bonus.*

55. Arguitur 2. Ioan. 1. dicitur: *Omnia per ipſum facta ſunt*; ubi videtur ſignificari, Deum omnia feciſſe per Filium, tanquam per inſtrumentum; ſiquidem particula *per* deſignat cauſam inſtrumentalem; ſed inſtrumentum non eſt æquale ei, cujus eſt inſtrumentum; ergo Filius non eſt ejuſdem potentiæ, & naturæ cum Patre; conſequenterque neque verus Deus. Reſpondeo negando majorem, & ejus probationem, quæ univerſaliter non eſt vera, ut patet ad Rom. 11. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Ad Galat. 4. *Si Filius, & hæres per Deum.* Et 1. Cor. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus*: Quibus, & pluribus aliis locis particula *per* nullo modo ſignificat cauſam inſtrumentalem; imò neque ſoli Filio, ſed etiam Patri tribuitur, ut patet loco citato ad Corinthios; ſicque ex eo, quod omnia dicantur facta per Filium, non licet colligere, eum aut eſſe Patris inſtrumentum, aut Patre inferiorem.

56. Dices Ioan. 5. 19. dicitur: *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem*; ergo videtur Filius virtute Patris operari, ut ejus inſtrumentum. Reſpondeo negando conſequentiam: non enim id dicitur, quia Filius ſit Patre potentiâ inferior, ſed ut inſinuet Chriſtus ſuam originem, & potentiam habere à Patre communicatam; ſic enim dicitur de Spiritu Sancto Ioan. 16. *Non enim loquetur à ſemet ipſo, ſed quæcumque audiet loquetur*: nam id dicitur, quia per æternam proceſſionem accepit, quidquid loquitur. Neque obſtat, quod dicatur de futuro, *quæcumq; audiet*; ſic enim dicitur, tum ut ſermo ſit accommodatus ad verbum *loquetur*, ſicque futurum futuro reſpondeat: tùm etiam, ut oſtendatur proceſſionem Spiritus Sancti non ita finiri, ut ullo unquam tempore concipiatur finita.

57. Arguitur 3. Ioan. 17. dicitur: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum*; ergo videtur inſinuare, ſe Filium non eſſe verum Deum. Reſpondeo negando conſequentiam; particula enim excluſiva *ſolum* non excludit alias Perſonas, ſed tantùm creaturas, quaſi dicat, hæc eſt vita æterna, id eſt ratio ad vitam æternam perveniendi, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, id eſt, qui ſolus habes veram divinitatem; alii enim, qui fingi poſſunt Dii non habent veram deitatem. Patet, quia quando in divinis aliquod prædicatum eſſentiale tribuitur uni Perſonæ, non excluduntur aliæ, ſic enim cùm de Patre dicitur *qui ſolus habet immortalitatem*, non excluduntur aliæ Perſonæ, ſed ſolùm creaturæ.

58. Arguitur 4. Chriſtus Dominus dicit Ioan. 14. *Pater major me eſt.* Et 1. Cor. 15. *Cùm autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia*; ergo cùm dicat ſe minorem, & ſubjectum Patri, non eſt ei æqualis; conſequenterque neque verus Deus. Reſpondeo negando conſequentiam; hæ enim & ſimiles ſententiæ intelliguntur de Chriſto ſecundùm humanitatem, ſecundùm quam eſt minor Patre, & ei ſubjectus.

59. Arguitur 5. Variis Scripturæ locis Filius dicitur miſſus à Patre: qui autem mittitur inferior eſt illo, à quo mittitur; ergo &c. Reſpondeo Filium dici miſſum à Patre, & illo inferiorem ſecundùm humanitatem, ſecundùm quam & à Patre, & à ſe ipſo, & ab Spiritu Sancto miſſus eſt. Accedit, quod licet intelligatur de miſſione ſecundùm Naturam divinam, non ideò arguitur inæqualitas in Filio reſpectu Patris, cùm non ſit per imperium, ut ſuperior mittit inferiorem, ſed ratione originis, ſecundùm quam Perſona procedens dicitur productam mittere, de quo infra.

60. Arguitur 6. Joan. 1. dicitur: *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt*; Ubi dicitur, Filium Dei eſſe factum; ergo eſt creatura, quæ ſolùm facta dicitur; conſequenterque non eſt verus Deus. Reſpondeo negando antecedens; neque enim ex prædicta ſententia colligitur, Filium Dei eſſe factum, ſed tantùm Chriſtum Ioanni eſſe prælatum, quod Ioannes, cuius eſt ſententia, intendebat, quaſi diceret, poſt me veniet, qui mihi præferetur, imò qui jam à Deo mihi eſt prælatus, cujus ego tantùm ſum præcurſor; cùm enim ſit Meſſias, & Deus, meritò mihi præfertur, quia prior me erat ab æterno apud Patrem exiſtens. Idem dicendum ad illud Hebr. 1. 4. *Tantò melior Angelis effectus*, ſi ad Chriſtum hominem referamus.

61. Arguitur 7. Proverb. 8. ubi nos habemus: *Dominus poſſedit me*: Septuaginta vertunt: *Dominus creavit me*; ergo Sapientia divina, ſive Filius Dei, de quo hîc eſt ſermo, eſt quid creatum; conſequenterque non eſt verus Deus. Reſpondeo in Hebræo non haberi *creavit*, ſed *poſſedit*, quod interdum ſignificat gignere, ut patet Gen. 4. *Poſſedi hominem per Deum.* Et adhuc retentâ lectione Septuaginta, non conficitur, Filium eſſe creaturam propriè dictam; ſiquidem verbum *creare* poteſt ſignificare *gignere*; ſic enim parens dicitur prolem procreare, id eſt gignere; & ſic dicendum, Septuaginta ibi uſurpaſſe *creavit* pro *genuit*, quaſi Sapientia divina genita voluerit ſignificare: me tanquam Filium procreavit, id eſt genuit, ex eo tanquam primogenitus prodiviante omnem creaturam.

Arguitur

62. Arguitur 8. D. Paulus Hebr. 3. dicit: *Considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ* JESUM, *qui fidelis est ei, qui fecit illum*; ergo si factus, non est Deus; cùm Deus non possit dici factus. Respondeo Apostolum ibi solùm velle factum Pontificem, quod est verum; licet enim Filius ab æterno fuerit, non tamen fuit ab æterno Pontifex, sed in tempore factus est Pontifex.

63. Arguitur 9. Apoc. 3. dicitur: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem*; ergo si accepit, ab alio accepit; si ab alio, non ex se habet, ut habet Deus; consequenterque non est verus Deus. Respondeo ex eodem textu constare eum, de quo est sermo, esse verum Deum, solùmque ibi velle Scripturam, non quod Christus non fuisset ab initio Deus, sed quod per passionem meruerit, ut ejus divinitas, quam habuit ab æterno, hominibus manifestaretur in tempore, sive quod homines cognoscerent, illum esse Deum.

64. Opponitur 1. ex Sanctis Patribus. D. Ignat. *Epist. ad Magnesianos. Unum*, inquit, *& solum verum Deum Patrem suum annuntiavit*; ergo solus Pater est verus Deus. Respondeo nihil indè concludi; nam si Pater, & Deus; ergo habet Filium, & Deum, & ejusdem naturæ cum Patre; siquidem cùm non possit multiplicari, necessariò communicatur eadem numero. Accedit, quod D. Ignatius nihil aliud dixit, quàm Christus Patri suo dixerat Joan. 17. *Ut cognoscant te solum verum Deum*; de quo jam supra *n.* 57.

65. Opponitur 2. ex eodem D. Ignatio *Epist. ad Tarsenses*, ubi dicit, Christum esse Filium Creatoris, nec esse illum, qui est super omnia Deus, sed Filium ejus; ergo videtur significare, Filium non esse verum Deum. Respondeo Christum ita esse Filium Creatoris, ut sit etiam ille idem Creator: tùm quia ita dicit idem D. Ignatius *Epist. ad Philippenses*: tùm quia Pater gignendo totam suam essentiam Filio communicat, consequenterque totam potentiam, qua mundus creatur: dicitur autem Pater ab Ignatio super omnia Deus ratione principii, sive originis, non verò propter Naturæ diversitatem.

66. Opponitur 3. ex eodem D. Ignatio *Epist. ad Philipp.* ubi de Patre exponit illud. Deuter. 6. *Dominus Deus tuus, Dominus unus est*; ergo si unus, Filius non est Deus. Et *Epist. eâdem* inducens Christum loquentem ad Satanam: *Novi unum, scio solum, non sum Deo adversus, confiteor excellentiam.* Et *Epist. ad Antiochenos. Valete Deo, & Christo.* Et *Epist. ad Ephesios*: *Medicus autem noster est solus verus Deus ingenitus, & invisibilis*: ex quibus videtur significare, Christum, sive Filium Dei non esse verum Deum cum Patre.

67. Respondeo cum *P. Bellarm. tom. 1. lib. 1. de Christo cap. 10.* Ad primum, D. Ignatium ex illo loco Deuter. solùm probare velle, unum esse Patrem, & non plures Patres; sicut infrà docet, unum esse Filium, & non plures. Ad secundum dicimus, Filium confiteri excellentiam Patris, aut ratione originis, aut prout est homo. Ad tertium, D. Ignatium ibi distinguere Christum à Deo ratione humanitatis; alioqui non ibi vocaret diabolum illũ, qui prætextu unius Dei, negaret Christi divinitatem. Ad quartum dicimus, D. Ignatium (dato quod ipsa sint ipsius verba; aliter enim legit Theodoret. & aliter D. Athan. apud P. Bellarm. cit.) post citata verba subjungere: *Habemus autem etiam medicum JESUM-Christum ante sæcula unigenitum Verbum*: ex quo patet, per illam exclusivam *solus* non excluisse Filium Dei, sed res creatas, quæ non sunt ejusdem essentiæ cum vero Deo ingenito, prout supra in simili diximus.

68. Opponitur 4. ex Tertul. *lib. contr. Hermogenem*: *Nam*, ait, *nec Pater esse potuit ante Filium, nec judex ante delictum. Fuit autem tempus, cùm & delictum, & Filius non fuit, quod judicem, & qui Patrem Dominum faceret*: ex quo videtur indicare, Patrem fuisse ante Filium, seu non semper fuisse Patrem, quia non semper fuit Filius; ergo si non semper Filius; neque verus Deus. Respondeo cum P. Bellarm. cit. verba ista malè sonare, sicque usurpanda non esse; non tamen apud Tertul. significare, Filium Dei, ut Deum, non semper fuisse; siquidem contrarium dicit *lib. contr. Praxeam*; neque Filium, de quo loquitur, esse Verbum Dei, sed filium per adoptionem, id est quemvis hominem sanctum, aut Angelum; neque enim hîc de Christo agitur, sed de creatura rationis participe, quæ extrinsecùs accessit, & Deum ex tempore Patrem denominavit. Additur, quod si Filius ille sit Verbum Dei, per tempus, quo non erat, non intelligitur verum tempus, sed prioritas originis.

69. Opponitur 5. ex eodem Tertul. *lib. contr. Praxeam*: ibi: *Dum Filium cognosco, secundum à Patre defendo*; ergo si secundus, non simul cum Patre, consequenterque neque verus Deus. Respondeo secundum vocare Filium, sicut & Spiritum Sanctum tertium ratione originis, non propter diversos gradus essentiæ; cum *lib. contr. Hermogenem* sic dicat: *Divinitas gradus non habet, utpotè unica.* Undè quando eodem *lib.* dicit, Filium distingui à Patre, non statu, sed gradu, per gradum intelligit ordinem Personarum, qui stare potest cum simultate, & unitate in essentia.

70. Opponitur 6. ex eodem Tertul. *lib. contr. Praxeam. Pater tota substantia est*; *Filius verò derivatio totius, & portio.* Et eodem loco: ibi: *Consequens erit, ut invisibilem Patrem intelligamus pro plenitudine majestatis, visibilem verò Filium agnoscamus pro modulo derivationis*: ubi videtur significare, Filium non habere eandem naturam cum Patre; ergo si non eandem naturam, non est verus Deus. Respondeo cum *P. Bellarm. cit.* ad primum, vocare Filium portionem, & Patrem totam substantiam, quatenùs Pater est fons, & principium aliarum Personarum, & in ea ratione quandam habet majoritatem, prout ipse Tertul. explicat eodem loco. Ad secundum vocare Patrem invisibilem, quatenùs nunquam apparuit in forma corporea: Filium autem vocat visibilem, non quia talis sit ejus Natura, sed quia apparuit in forma visibili multoties in veteri Testamento assumens ad tempus formas visibiles, & postea in novo assumens humanitatem, secundùm quam dicit esse à Patre pro modulo derivationis.

71. Opponitur 7. ex eodem Tertul. *lib. de Trinit.* ubi dicit, unum Deum Judæorum esse Patrem Christi, & Deo Patri nihil posse comparari, & Filium non eripere Patri illud, quod unus est Deus; ergo &c. Respondeo cum P. Bellarm. cit. primò, librum illum non esse Tertuliani: tùm quia in eo refelluntur Sabelliani, qui eo tempore non dum erant orti: tùm etiam, quia D. Hieron. illum tribuit Novatiano. Secundò, loca illa non esse contra nos; verè enim unus Deus Judæorum est Pater Christi; neque Christus eripuit Patri, ut sit unus Deus, quia Christus non est alius secundus Deus, sed idem Deus cum Patre. Neque Patri quidquam potest comparari, si originem spectes,

ſpectes, cùm ille ſit principium aliarum Perſonarum, non contra, cum quo ſtare poteſt æqualitas in ſubſtantia trium Perſonarum.

72. Opponitur 8. ex D. Cypriano *lib. 2. cap. 6.* in explicatione Symboli ubi dicitur Creator Deus Pater Chriſti, & unum eſſe Deum Patrem, unum Dominum JESUM-CHRISTUM, unum Spiritum Sanctum, ex quo videtur ſignificari, ſolum Patrem, qui eſt Creator, eſſe Deum, Chriſtum autem eſſe creaturam; ergo &c. Reſpondeo cum P. Bellarm. cit. hanc Symboli explicationem non eſſe D. Cypriani, ſed Ruffini; ſiquidem ibi nominatim refelluntur Arius, Eunomius, & Photinus, qui tempore Cypriani non dum nati erant. Additur, Chriſtum eſſe quidem Filium Creatoris, ideoque ipſum eſſe etiam Creatorem, & eundem cum Patre, quia totam Patris eſſentiam naſcendo accepit. Neque obſtat, quod Pater vocetur unus Deus, neque enim ideò negatur, Filium eſſe Deum; nam etiam Filius dicitur unus Dominus; & tamen non ideò negatur de Patre, quod ſit etiam Dominus.

73. Opponitur 9. ex D. Hilar. *lib. 9. de Trinit.* ubi dicit, ſolum Patrem eſſe unum verum Deum, licet etiam Chriſtus ſit Deus. Et D. Ambroſ. 1. Tim. 1. ubi de ſolo Patre explicat verba illa: *Regi ſæculorum immortali, inviſibili, ſoli Deo.* Et illud: *Nemo bonus, niſi ſolus Deus:* Et illud: *Qui ſolus eſt potens Rex regum, & Dominus Dominantium.* Reſpondeo D Hilarium dicere, ſolum Patrem eſſe verum Deum, ita tamen, ut id non neget de Filio, quia in Patre intelligitur Filius, cùm ſit ejusdem eſſentiæ cum Patre. Ad illa commentaria D. Ambroſ. (ſi fortè ſunt D. Amb. ut ait P. Bellarm cit.) dicimus *lib. 2. de Fide cap. 1. & 3. & lib. 3. cap. 2.* contendere, omnia illa epitheta etiam Filio, & non ſoli Patri convenire: aut ſi ſoli Patri, non quia ſolus illa habeat, ſed quia ſolus habet à ſe; Filius autem à Patre cõmunicata.

74. Opponitur 10. ex D. Chryſoſt. 1. Tim. 1. ubi illud: *Regi ſæculorum immortali, &c.* accommodat Patri, dicitque illa epitheta habere Patrem per ſe; Filium autem à Patre. Et D. Cyrill. *lib. 10. Theſaur. cap. 4.* exponit de Patre, & non de Trinitate illud Iſai. 44. *Ego primus, & ego noviſſimus*; ergo D. Chryſoſt. videtur ſentire, Filium dono gratiæ factum eſſe Deum, immortalem, & inviſibilem; & D. Cyril. ſolum Patrem eſſe Deum, quia ſolus Pater eſt primum principium, & ultimus omnium finis, qu alis eſt ſolus Deus.

75. Reſpondeo D. Chryſoſt. contrarium ibi aſſerere, dum ait: *Ipſe Pater hanc per naturam habet, nos autem per gratiam: Nunquid ita & Filius? minimè verò: verum & ipſe hanc per naturam habet.* Et infra. *Cùm audio Patrem Regem ſæculorum, non à Filio dominatum tollo; communia enim iſta ſunt, & Patris & Filii.* Ad illud D. Cyril. dicimus, licet exponat illa verba de Patre, non ideò negare, quod etiam conveniant Filio, imò id de Filio etiam intelligit dum ſic ibidem ait cap. 6. *Non ad dejectionem Filii hæc à Patre dicuntur..... ſed ad dejectionem falſorum Deorum primum, poſtremumq, hoc eſt, ſempiternum ſe Pater Deum appellat, ſecumq, Filium neceſſariò intelligit.*

76. Opponitur 11. ex D. Hieron. quem dicunt Hæretici Tranſylvani diu veritati reluctantem, claritate tamen Scripturæ victum, confeſſum eſſe unum Deum eſſe Patrem, dum ad Epheſ. 4. illud, *Unus Deus, & Pater omnium*, dicit de Deo Patre eſſe intelligendum. Et D. Aug. *lib. 6. de Trinit. cap. 9.* ubi videtur dicere, nos cogi ad aſſentiendum, ſolum Patrem eſſe Deum verum, dum dicit: ibi: *Patri enim dicebat, & Patrem nominaverat, ad quem loquebatur, cùm dixit: Hæc autem eſt vita æterna, ut cognoſcant te Unum verum Deum. Uidendum eſt, an intelligere cogamur, tanquam hoc inſinuare voluerit, quia ſolus Pater Deus verus eſt: ne non intelligeremus Deum, niſi ipſa tria ſimul.* Ex quo Tranſylvani exultantes dicunt, D. Aug. contradicendo huic veritati, illam corroborare.

Reſpondeo cum P. Bellarm. ſupra cit. D. Hieron. loco citato calumniam illam refellere, cùm 77.
dicat, non excludi Filium, cùm dicitur Pater Unus Deus; ſicut non excluditur Pater, cùm dicitur Filius Unus Dominus. Vide ibi. Ad illud D. Aug. dicendum, propoſitionem hanc; *Solus Pater eſt verus Deus*; poſſe habere duplicẽ ſenſum: primum, *Solus Pater eſt verus Deus*, id eſt, nulla Perſona eſt verus Deus præter Patrem; & hic ſenſus eſt Arianus, quem arripuerunt Tranſylvani: Secundum, *Solus Pater eſt verus Deus*, id eſt Pater etiam ſeorſim, & ſolus conſideratus, adhuc eſt verus Deus; & hic eſt Catholicus, & à D. Aug. intentus, ne putaremus, nomen *Deus* non convenire, niſi tribus ſimul, id-eſt, non poſſe ſingulis Perſonis ſeorſim tribui; quod eſt aliud ab Arianis, quos ibidem nominatim excludit, ſic concludens: *Nunc æqualitas Trinitatis, una, eademq, ſubſtantia, quantum brevitèr potuimus, demonſtrata eſt.*

Opponitur 12. Concil. quoddam Antiochenum, 78.
in quo negatur, Filium eſſe *homouſion*, id eſt ejusdem ſubſtantiæ cum Patre; ergo ſi non ejuſdem ſubſtantiæ, neque verus Deus. Reſpondeo Concil. Antiochenum non negare, quod in Concil. Nicæno definitur; in hoc autem definitum eſt, Filium eſſe Patri conſubſtantialem, eandem numero naturam à Patre recipiendo. Unde Concil. Antiochen. ſolùm negat, Filium eſſe *homouſion* Patri juxta ſenſum Pauli Samoſateni, qui per hanc unius eſſentiæ nuncupationem ſolitarium, atque unicum ſibi eſſe Patrem, & Filium aſſerebat, id eſt unicam in Deo eſſe Perſonam, ut ex *D. Hilar. lib. de Synodo*, dicit *P. Præpoſit. 1. p. q. 27. dub. 1. §. 4.*

Objicitur 1. ex ratione: Deus eſt ens à ſe; ſi- 79.
quidem Aſeitas eſt ratio conſtitutiva, & diſtinctiva divinitatis, prout alibi diximus, & infra dicemus; ſed Filius non eſt à ſe, cùm ſit à Patre, à quo procedit; ergo non eſt Deus. Reſpondeo Aſeitatem eſſe quidem rationem conſtitutivam, & diſtinctivam divinitatis, cum quâ ſtare poteſt, quod Filius ſit ab alio, nempe à Patre, cùm ſit ab alio diverſo quoad ſuppoſitum, non tamen quoad naturam, quæ eſt eadem in Patre, & in Filio; & cùm in Patre ſit à ſe, etiam à ſe eſt in Filio, & uterque Deus, & à ſe ſaltem identicè, quatenùs ſunt idem cum natura, quæ eſt à ſe formaliter. Ideò poſſunt dici à ſe formaliter in certo genere, cùm Aſeitas conſtitutiva divinitatis ſit in omni, & non tantùm in certo genere.

Objicitur 2. Si Filius eſſet Deus, & à Patre pro- 80.
cederet (idem eſt de Spiritu Sancto,) aut eſſet ex nihilo productus, aut ex ſubſtantia divina: Non primum; alioqui jam eſſet creatura, & non Deus: Non ſecundum; alioqui jam ſubſtantia divina eſſet in potentia ad aliquid, quod eſt ex ea per generationem; utrumque autem repugnat; ergo non eſt ſimpliciter admittenda alia Perſona diſtincta à Patre, quæ ſit Deus. Reſpondeo Filium, licet formaliter, ut eſt Deus ſit à ſe negativè, ſicque careat omni principio, quà tamen Filius eſt, habere principium, non cauſalitatis, ſed originis. Unde poteſt dici eſſe ex nihilo termini, id eſt ex nullo præſuppoſito; non tamen ex nihilo, prout eſſe ex nihilo dicit eſſe ex nihilo termini, ſive actualis, quaſi aliquando

non

non fuerit, sive virtualis, quasi aliquando potuerit non esse, quo pacto sunt, quæ creantur, & habent pro termino illud nihilum termini. Potest etiam dici esse ex substantia divina, virtualiter quidem, & non realiter, cùm proprietates in divinis non distinguantur realiter à natura, quæ tamen nunquam dicetur in potentia secundùm se, & à parte rei, imò neque quoad nos ad proprietates, prout alibi diximus; siquidé natura non recipit relationes, sed cum illis identificatur; neque per illas determinatur ut materia per formam, sed ut natura per terminos substantiales.

81. Objicitur 3. Filius Dei est mediator Dei, & hominum juxta illud 1. Tim. 2. *Unus Deus, unus & mediator Dei, & hominum*; sed si foret Deus jam non foret mediator; alioqui esset mediator ad se ipsum; ergo Filius Dei non est Deus. Respondeo Christum Dominum esse mediatorem nostrum secundùm naturam humanam, secundùm quam fuit etiam Redemptor. Unde per illum secundùm naturam humanam invocamus, non solum Patrem, ut volunt hæretici, sed totam ipsam Trinitatem, cùm enim Christus sit Mediator ut homo, non ut Deus, talis est, non solùm Patris, sed etiam Spiritûs Sancti, & sui ipsius, quatenùs ipse est etiam Deus. Imò etiam per ipsum Filium invocamus ipsam Trinitatem, licet enim non sit Mediator secundùm Naturam divinam, ut tamen sit perfectus Mediator, debet habere naturam utriusque partis conciliandæ, nempè Dei, & hominum, inter quos est Mediator, ut notavit D. August. *lib. 9. de Civit. cap. 15.*

82. Instabis: Christus non docuit invocare Trinitatem, sed Patrem suum: & orationes Ecclesiæ olim omnes dirigebantur ad Patrem, de quo extat decretum Concil. Carthaginensis III. sed non ex alia causa, nisi quia solus Pater habet Mediatorem, & est Deus; ergo &c. Respondeo falsum esse, Christum Dominum solum Patrem invocari voluisse, cùm ipse dicat Joan. 14. *Si quid petieritis in nomine meo.* Et baptizari jubens omnes gentes jubet invocari Trinitatem, dicens Matt. ultim. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* De usu precandi dicimus, orationes Ecclesiæ ut plurimùm dirigi ad Patrem, quia sic commodiùs terminatur, *Per JESUM-Christum Filium tuum*, cùm tamen in Patre invocemus omnes tres Personas, ut docet Tertul. *lib. de orat.* & patet ex conclusione orationis, cùm dicimus, *Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus.*

83. Urgebis: Christus est Filius unicus veri Dei; ergo qui non habet Christum Filium, non est verus Deus: sed Trinitas non habet Christum Filium; ergo Trinitas, sive Filius non est verus Deus. Respondeo negando primam consequentiam, quæ nihil colligit, sicut non colligit hæc: *Petrus est filius unius veri hominis; ergo qui non habet Petrum filium, non est verus homo*: licet enim Deitas non sit quid universale, ut est humanitas, est tamen communis pluribus suppositis, ideoque habet vim Universalis.

84. Objicitur 4. Si Filius esset Deus, & secunda Persona à Patre, esset infinitus; siquidem talis est Deus; sed non est infinitus; siquidem Personæ, cùm sint plures, non possunt esse in se infinitæ; alioqui jam non essent plures; nam ex eo, quod Deus sit infinitus, est Unus, ut alibi demonstravimus; ergo &c. Respondeo esse diversam rationem de Deo, atque de Personis; nam pluralitas Dei non potest stare sine pluralitate naturæ; pluralitas autem naturæ non potest stare cum infinitate perfectionis, siquidem cùm inter se differrent, differentia autem sit perfectio, quilibet Deus haberet perfectionem, quam alius non haberet; sicque neuter esset infinitè perfectus: at verò pluralitas Personarum potest stare cum identitate naturæ; sicq; licet ratione personalitatis una non includat perfectionem alterius, quæ tantùm est infinita in certo genere, cùm tamen quælibet includat naturam, quæ est infinita simpliciter, & in omni genere, quælibet includit omnem perfectionem, aut formaliter, aut eminenter, sicque quælibet est simpliciter infinita.

Instabis: Neque Pater includit Filiationem, neque Filius Paternitatem, cùm tamen Paternitas, & Filiatio sint perfectiones; ergo nullus includit omnem perfectionem; consequenterque nullus est infinitus, neque Deus. Respondeo Paternitatem, & Filiationem, cùm non sint perfectiones simpliciter simplices, non esse de ratione formali entis simpliciter infiniti, sicque sufficere, quod illas includat aut formaliter, aut eminenter, aut æquivalenter; sic autem Pater (idemque de Filio) continet formaliter naturam, & Paternitatem, & cùm natura sit idem cum Filiatione, & Paternitas sit æquè perfecta, atque Filiatio, illique æquivalens formaliter, Pater etiam continet Filiationem identicè, & æquivalenter. 85.

Inferes: Ergo si Pater, saltè ratione naturæ, quam formaliter includit, includit etiam saltem identicè Filiationem, poterit dici Filius, quod non admittitur; licet enim Filius sit quod Pater, non tamen est Pater, ut loquitur D. Nazian. *orat. 5. de Theologia* apud *P. Tanner. d. 4. q. 1. dub. 4. n. 10.* Respondeo negando illationem, quia Pater distinguitur realiter à Filio, habetque cum illo oppositionem; quæ autem in divinis sic opponuntur, non affirmantur ad invicem: poterit tamen Essentia dici Filius, saltem identicè. 86.

Objicitur 5. Si Filius esset idem Deus cum Patre, & à Patre genitus, cùm Pater sit ingenitus, & Filius à Patre genitus, idem Deus diceretur genitus, & ingenitus; sed implicat, quod idem Deus dicatur genitus, & ingenitus; ergo Filius non est idem Deus cum Patre; consequenterque neque Deus, cùm non possit esse alius Deus; alioqui essent plures Dii, quod multò magis implicat. Respondeo Patrem, & Filium ita esse unum Deum, ut sint duo suppositа realiter distincta, de quibus ut sic possunt sine ulla repugnantia verificari prædicata contradictoria. Addo propositiones illas: *Deus est genitus: Deus est ingenitus*: non esse contradictorias, si utraque sit affirmativa; siquidem prædicatum affirmativum determinat subjectum, ut stet sub ratione illa, sub quâ de illo potest verificari ipsum prædicatum; ubi prædicatum affirmatur, & verificatur secundùm diversas rationes, ut sit in prædictis propositionibus, nulla datur contradictio. 87.

Instabis: Generabile, & ingenerabile differunt plusquam numero; sed ita differt Filius à Patre; ergo idem non potest esse genitum, & ingenitum. Respondeo generabile, & ingenerabile differre quidem genere, quando generabile tale est per motum, & per productionem de non esse ad esse, sive de uno esse ad aliud, ut sit in creatis: non autem quando generabile tale est per solam communicationem ejusdem naturæ, ut sit in divinis. 88.

Urgebis: Filius producitur à Patre per veram generationem; ergo per veram mutationem; sed hæc repugnat Deo; ergo Filius non est Deus. Respondeo licet generatio physica, de qua alibi diximus, involvat mutationem de non esse ad esse, 89.

hujusmodi tamen mutationem non esse de ratione intrinseca generationis, sed solùm, quod sit processio viventis à vivente, ut à principio conjuncto in similitudine naturæ; cùm autem sic procedat Filius à Patre, à quo personaliter distinguitur, ab illo verè dicitur generari, ut infra dicemus, neque enim ad veram generationem requiritur, ut id, quod generatur, priùs non fuerit.

90. Replicabis: Ideo aliquid generatur, quia ante non erat; ergo si Filius generatur, quia ante non erat, non est Deus; tum quia jam non esset ab æterno; tum quia produceretur per mutationem. Respondeo negando antecedens: neque enim quod generatur, generatur quia ante non erat, sed ut sit; cùm autem Filius generetur ut sit, & semper fuerit, sit, & semper erit, ab æterno generatur sine mutatione.

91. Inferes: Ergo si Filius ab æterno generatur; aut semper generatur, & sic semper est in fieri; aut semper est genitus, & sic semper est terminus sine via; aut modò non generatur, & sic datur mutatio in Deo; hæc autem omnia repugnant; ergo &c. Respondeo Filium semper generari, & esse genitum, quin illud fieri, sive generari semper, involvat aliquam imperfectionem, aut defectum in termino; siquidem includit perfectionem termini, & viæ, sicque semper, & in omni instanti reali existit perfectus, & perfectè genitus, ad cujus perfectionem geniti denotandam dicitur semper natus.

92. Objicitur 6. Actor. 20. dicitur: *Beatiùs est magis dare, quàm accipere*: Et ratio adhuc est, quia dare est divitis, & perfecti; accipere autem est indigentis, & imperfecti; sed Pater dat, & Filius recipit ut patet ex illo Matt. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*: & idem constat *Matt. ult. Joan. 5. & 13. & 15.* ergo Pater, & Filius non sunt æquales; consequenterque neque unus Deus. Resp. primò cum aliquibus, Patrem dare quidem omnia Filio, sed necessariò, & naturaliter, non verò liberè, & gratuitò: solùm autem tunc est beatiùs dare, quàm accipere, quando quis liberè dat. Non placent, nam etiam qui naturaliter dat, est perfectior eo, qui recipit, ut patet in materia, & forma, & similibus.

93. Respondeo secundò, tunc solùm beatiùs esse dare, quàm accipere, quando qui accipit est in potentia ad accipiendum, sicque est indigens, & imperfectus: at verò Filius Dei non accipit vitam, potentiam, & sapientiam à Patre, de quibus loquitur locis citatis, sicut neque aliud quodcumque ex illis, quæ à Patre accipit, ita ut sit in potentia ad illa accipienda; siquidem hæc omnia accepit nascendo ab æterno, ab æterno autem illa accipiens, non potest in potentia unquam esse ad accipiendum; alioqui jam illa ab æterno non acciperet.

SECTIO IV.

Demonstratur Divinitas Spiritus Sancti: & Unitas Essentiæ cum pluralitate Personarum.

94. DIco 1. Spiritus Sanctus est verus Deus. Est de Fide definitum in Concil. Constantinopol. 1. in Ephesin. Chalcedon. *act. 5.* Lateran. *sub Innocent. III. cap. Firmiter, de sum. Trinit.* in Florent. *in decret. de Proces. Spir. Sanct.* in Toletan. 11. *in Confessione Fidei.* Idem docent Sancti Patres, *D. Ignat. D. Justin. supra citati, D. Athan. epist. ad Serapionem, D. Basil. lib. 3. & 5. ad Eunomium, & lib. de Spir. Sancto ad Amphilochium, D. Nazian. lib. 5. de Theolog. D. Nyssen. lib. ad Eustachium, D. Epiphan. hæresi 74. D. Chrysost. hom. aliquot de Spir. Sancto. D. Hilar. lib. 12. Trinit. D. Ambr. lib. 3. de Spirit. Sancto, D. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 6. & lib. 1. contra Maximinum, D. Thom. lib. 4. contr. gent. cap. 16. & 17. D. Cyril. Alexand. lib. 7. de Trinit. & lib. 10. in Joan.* ibi: *cap. 3. Libenter*, inquit, *interrogaverim eos, qui adversùs gloriam Spiritûs linguam impiè armant, quomodo si Spiritus creatura est, & à substantia Dei (ut illi dicunt) alienus, per ipsum in nobis Deus habitet? Nam si possibile aliquo modo est, ut per creaturam Deo participemus, quid prohibebit, non per Spiritum, sed per aliam creaturam nos sanctificari, quod quia impossibile est omninò (Dei enim particeps effici nemo potest, nisi per Spiritum,) Deus omninò, & ex Deo Spiritus est, nec ullo modo est inter creaturas connumerabilis.*

Probatur primò ex Scriptura Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: remittere autè peccata authoritivè est solius Dei. Et ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*: esse autem causa principalis, (ut hîc insinuat Apostolus) charitatis soli Deo competit. Et Actor. 5. *Anania cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? ..... Non es mentitus hominibus, sed Deo*: ergo si mentiri Spiritui Sancto est Deo mentiri, Spiritus Sanctus est Deus. 95

Probatur secundò rationibus: Prima ex attributis, quia de solo Deo dicitur, quod sit immensus, & ubique. Omnipotens, cognoscens se ipsum perfectè, bonus, & habens templum; sed hæc omnia dicuntur de Spiritu Sancto; ergo Spiritus Sanctus est Deus. Probatur minor, quia de Spiritu Sancto dicitur quod sit immensus, & ubique, psal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo.* Et Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*: Quod sit omnipotens, Sap. 7. *Omnem habens virtutem*: Cognoscens se ipsum perfectè, 1. Cor. 2. *Nemo scit, quid sit in Deo, nisi Spiritus Dei.* Et rursum: *Spiritus omnia scrutatur, etiâ profunda Dei*: quod sit bonus, psal. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectâ*: quod habeat templum, 1. Cor. 6. *Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti*: ad quem locum D. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 6. *Non est*, inquit, *creatura Spiritus Sanctus, quia cui corpus nostrum templum exhibemus, necesse est huic eam servitutem debeamus, qua non nisi Deo serviendum est*; ergo &c. 96

Secunda ex operibus, quia creare, conservare, justificare, futura prædicere, miracula facere, & Ecclesiam regere sunt propria solius Dei; sed hæc omnia efficit Spiritus Sanctus; ergo est verus Deus. Probatur minor, quia de Spiritu dicitur creare, Job. 33. *Spiritus Dei fecit me.* Et psal. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*: Et psal. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*: dicitur conservare Sapient. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, &c.* dicitur justificare 1. Cor. 6. *Justificati estis in nomine Domini JESV-Christi, & in Spiritu Dei nostri*: dicitur futura prædicere 2. Petr. 1. *Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines.* Et Actor. 20. *Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur dicens, quoniam vincula, & tribulationes Jerosolymis me manent*: dicitur miracula facere, Matt. 12.

Matt. 12. *Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmones*: dicitur Ecclesiam regere. Act. 10. *dixit Spiritus Petro, vade ad eos, nihil hæsitans, quia ego misi eos*: idemque habetur Actor. 13. & 15. & 16. & 20. ergo &c.

98. Arguitur 1. Joan. 1. dicitur: *Omnia per ipsum* (nempè Verbum) *facta sunt*; ergo Spiritus Sanctus per Verbum factus est, alioqui jam per Verbum non omnia fierent; ergo Spiritus Sanctus non est Deus; Deus enim non est factus. Respondeo cum D. Chrysost. ibi *hom. 4.* Evangelistam ideò statim addidisse: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est*: ut excluderet objectionem Arianorum, & intelligeremus facta esse per Verbum, non omnia omninò, quæ sunt; alioqui Pater, qui etiam est, deberet esse factum per Verbum, quod negabunt Ariani, sed solùm fieri, quæ facta sunt; ex dictis autem constat, Spiritum Sanctum non esse de numero factibilium.

99. Arguitur 2 Ad Rom. 8. dicitur: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; sed id dici nequit de Spiritu Sancto ratione naturæ assumptæ, utpotè quam non assumpsit; ergo ratione propriæ naturæ; ergo non est Deus; neque enim suppositum Naturæ divinæ potest sic in ipsa natura postulare, & gemere. Idem argumentum fit ex illo ad Galat. 4. *Misit Deus Spiritum Filii sui clamantem Abba Pater.* Respondeo Spiritum Sanctum dici postulare, gemere, & clamare, quatenùs hos effectus in nobis causat, & præstat, prout supra diximus, & dicit D. Aug. *lib. contra Maximinum*, & D. Chrysost *ad Rom. hom. 14.*

100. Arguitur 3. Joëlis 2. dicitur: *Effundam de Spiritu meo.* Et Joan. 15. *Cùm venerit Spiritus veritatis, quem ego mittam vobis à Patre*; effundi autem, & mitti minoritatem significat; ergo Spiritus est minor, quàm Pater, & Filius; consequenterque non est Deus. Respondeo minorem esse veram de missione secundùm imperium, prout supra diximus; at verò Spiritus Sanctus (sicut & Filius) non dicuntur missi secundùm imperium, sed quatenùs Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & à Filio procedunt: aut quia in tempore manifestati modo visibili in creaturis, Filius in carne, & Spiritus Sanctus in specie columbæ, & igneis linguis.

101. Arguitur 4. ex illo Amos 4. *Ego firmans tonitru, & creans Spiritum*; ergo si Spiritus creatur, non est Deus. Respondeo cum D. Basil. *lib. 3. ad Eunomium*, ventum ibi vocatum esse Spiritum, non autem sermonem esse de Spiritu Sancto. Patet, tùm quia ibi conjungit Spiritum cum tonitru, cui adjungitur ventus: tùm quia ventus etiam vocatur Spiritus psal. 148. *Spiritus procellarum*: tùm quia sic etiam locum illum D. Hieron. Theodoret. & Rupert. explicant.

102. Arguitur 5. D. Nazianz. *Orat. 5. de Theologia.* videtur dubitare de divinitate Spiritus Sancti: *Nostræ ætatis Sapientes*, inquit, *partim vim quandam, & facultatem Spiritum Sanctum existimant; partim creaturam; partim Deum; partim vero potiùs nomine vocandus esset, minimè certum, atque exploratum habuerunt*; ergo &c. Respondeo D. Nazianz. per nostros sapientes in genere intelligere eos, qui aliquam Dei cognitionem habent etiam si sint hæretici, illos condistinguendo ab Ethnicis.

103. Arguitur 6. Duo sunt modi agendi, aut per naturam, & sic gignuntur Filii; aut per artem, & sic efficiuntur opificia; sed solum Verbum productum est à Deo per modum naturæ, cùm sit Filius Unigenitus; ergo Spiritus Sanctus ex arte processit; consequenterque est opificium, & non Deus. Respondeo modum agendi per naturam in rebus, quæ mente, ac intelligentiâ sunt præditæ, esse duplicem; alterum per intellectum, qui naturaliter producit notionem; & alterum per voluntatem, quæ etiam naturaliter producit amorem; hæ autem productiones dantur in Deo, & in creaturis rationalibus, cum hac tamen diversitate, quod Deus intelligendo, & amando substantiam producit, creaturæ verò accidentia, ex quo fit, ut Verbum, quod procedit per Intellectum, & Spiritus Sanctus, qui procedit per voluntatem, sint veræ hypostases, & non ita sint verbum, & amor in creatis.

Dico 2. In Deo est unitas Essentiæ, & Personarum pluralitas. Est de fide. Probatur primò ex supra dictis. Secundò ex Symbolo D. Athanasii, Tertiò ex D. Nazianz. orat. 5. de Theologia ibi: *Quod genitus non sit, & quod genitus, & quod procedat, hoc effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus appelletur, atque ita inconfusa trium personarum distinctio in una Divinitatis natura, & dignitate conservetur; neque enim Filius est Pater (unus enim est Pater,) sed quod Pater: Nec Spiritus Sanctus est Filius, quia ex Deo est (unus enim unigenitus,) sed quod Filius. Tria hæc unum, si divinitatem spectes, & unum tria, si proprietatum rationem habeas, ut nec unum Sabellio faveat, nec tria pestiferæ divisioni, quæ hac tempestate viget.* Confirmatur ex D. Athan. *Orat. contra Gregales Sabellii*, prout supra diximus *num. 7.* Et ex D. Basil. *serm. contr. Sabellium: Nonnè*, inquit, *palam impudens es, cùm audis* Ego *de Filio*, Ille *de Patre*, Alius *de Spiritu Sancto, & omnia misces, & omnia confundis, & uni rei omnes appellationes attribuis?* loquitur ad illud Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, &c.* 104.

Probatur quartò rationibus: Prima, quia qui accipit esse ab alio, necessariò ab eo re ipsa distinguitur; siquidem idem non potest se ipsum producere; sed Filius accipit esse à Patre, ut patet ex pluribus locis supra citatis, & ex illo Proverb. 8. *Dominus possedit me*, id est acquisivit per æternam generationem: Et Spiritus Sanctus procedit ab utroque, ut patet ex illo Joan 15. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum Veritatis, qui à Patre procedit*; ergo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus re ipsa inter se distinguuntur. Confirmatur, quia in Deo nihil potest fingi inhærens, sive non subsistens; siquidem in Deo nullum est accidens, nullaque compositio, utpotè quæ repugnant cum ejus immutabilitate, & simplicitate; ergo cùm hæc tria sint re ipsâ distincta, sunt re ipsâ tria subsistentia; consequenterque tres hypostases, sive personæ. 105.

Dicent verba illa, *Dominus possedit me*, intelligenda esse de Christo Domino ut homine in prædestinatione, sive prævisione generato ante colles: sicut etiam de Christo homine intelligenda sunt illa. Joan. 5. *Dedit Filio vitam habere in semet ipso.* Sed contra, quia illud primum non est ita intelligendum de Christo homine præviso; siquidem additur: *Cum eo eram cuncta componens*; quod de Christo sic præviso non potest intelligi; nam qui solùm habebat esse in prædestinatione, non poterat cum Patre mundum creare; siquidem quod solùm est in prædestinatione, non est, sed erit; quod autem non est, non potest operari, quia operatio subsequitur existentiam actualem rei operantis. Deindè illud secundum etiam non potest intelligi de Christo homine; siquidem ibi dicitur vitam datam esse Filio, sicut illam habet Pater: *Sicut Pater* 106.

habet vitam in semet ipso, sic dedit & Filio; Patet autem in semet ipso non habet vitam Filii ut homo, sed Filii ut Deus; ergo hanc ibi dedit Filio.

107. Secunda, quia Scriptura vocat Patrem alium à Filio. Joan. 5. *Alius est*, (inquit Filius de Patre,) *qui testimonium perhibet de me*: & Spiritum Sanctum dicit alium ab utroque: Joan. 14. *Alium Paraclitum dabit vobis*; sed *alius*, *alius*, & *alius* indicat distinctionem personarum; neque enim de una, & eadem persona dicimus alius est *Marcus*, alius *Tullius*, & alius *Cicero*; ergo &c. Confirmatur ex D. Fulgent. *lib. de objection. Arianor.* ubi dicit Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum dici *alium, alium, & alium*; non tamen *aliud, aliud, & aliud*; sed ideò est, quia *alius, alius, & alius* denotat multiplicitatem, & distinctionem Personarum, quam affirmamus: *aliud* autem, & *aliud, & aliud* denotat multiplicitatem, & diversitatem Naturæ, quam negamus; ergo &c.

108. Tertia, quia Scriptura loquens de tribus divinis Personis utitur his particulis *Cum*, *Apud*, *In*, *Et*, *Ad*, ut patet Prov. 8. Cum *eo eram cuncta componens*. Joan. 1. *Et Verbum erat apud Deum*. Joan. 14. *Ego sum* in *Patre*, & *Pater* in *me est*. Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ephes. 2. *Per ipsum* (Filium) *habemus accessum* ad *Patrem in uno Spiritu*; sed hujusmodi particulæ denotant diversitatem Personarum; neque enim quis diceret Marcus erat *cum* Tullio, aut *apud* Tullium, aut *in* Tullio, aut Marcus, & Tullius hoc fecerunt, aut per Marcum habemus accessum *ad* Tullium in Cicerone; ergo &c.

109. Quarta, quia Scriptura loquens de Deo, aliquando illum inducit loquentem in numero multitudinis, ut *Gen. 1. & 3.* aliquando de illo loquitur tanquam qui loquitur de tertia persona, ut *Gen. 11. & 19. & Oseæ 3. & Zachar. 3.* aliquando loquens de illo utitur numero ternario, ut *Exod. 3. Numer. 6. Deuter. 6. Psal. 66. & 135. & Isai 6. & 1. Joan. 5.* & sæpè alibi; sed hæc indicant distinctionem personarum; ergo &c.

110. Arguitur 1. Qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, non est verus Deus; sed unus Deus in essentia nec gignit, nec gignitur, nec procedit; ergo unus Deus in essentia non est verus Deus; sed Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt verus Deus, ut fatemur; ergo non sunt unus Deus in essentia. Resp. si terminus *Deus* accipiatur pro Persona divina, majorem esse veram; nam qui non gignit, neq; gignitur, neque procedit, non est persona divina: minorem verò tunc esse falsam; nam tunc unus Deus in essentia est Pater, qui gignit, est Filius, qui gignitur, & est Spiritus, qui procedit: Si autem terminus *Deus* sumatur pro essentia, tunc minorem esse veram, ex quo solùm concluditur essentiam non esse Personam divinam formaliter; non autem non esse verum Deum: majorem verò esse falsam, quia licet essentia divina, ut individuum est, neque gignat, neque gignatur, neque procedat, est quidem verus Deus, licet non sit suppositum. Undè notandum est sophisma à Persona ad essentiam: quod etiam apparet in hoc argumento, de quo jam supra: *Unus, & verus Deus est Pater Christi; sed Trinitas Personarum non est Pater Christi; ergo Trinitas Personarum non est unus, & verus Deus*: in quo terminus *Deus* in majori supponit pro prima Persona determinatè; in consequentia autem pro essentia nullam determinando personam, sicque non valet argumentum. Vide *P. Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 7.*

Arguitur 2. Si tres Personæ sunt unum in essentia, erit in Deo quaternitas, & non Trinitas; siquidem essentia, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt quatuor nomina, & non sunt synomyma; ergo significant quatuor res, daturque in Deo quaternitas. Respondeo negando antecedens, nulla enim datur in Deo quaternitas, licet dentur quatuor illa nomina, & non sint synonyma; non enim significant quatuor res, sed unam tantùm, si sermo sit de re absoluta; aut tres tantùm, si de relativis, quod indicare videtur D. August. *lib. 1. de doct. Christ. cap 5. Res*, ait, *quibus fruendum est, Pater, & Filius, & Spiritus est, eademq; Trinitas una quædam summa res.* III.

Instabis 1. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres; sed essentia nihil horum est; siquidem non est Pater, quia non gignit, neque Filius, quia non gignitur, neque Spiritus Sanctus, quia non procedit; ergo est aliquid quartum; consequenterque in Deo datur quaternitas. Respondeo negando minorem, & ejus probationem; essentia enim est illa tria, & illa tria sunt essentia, licet hæc non generet, & Pater generet (idemque de aliis) hoc enim non arguit distinctionem realem, sed rationis, prout alibi diximus in Metaphysica, & infrà dicemus. Patet, nam etiam homo, & humanitas sunt una res; & tamen homo generat, humanitas non generat. III.

Instabis 2. Essentia est fons Personarum; siquidem ab illa emanant relationes, consequenterque Personæ, quæ relationibus constituuntur; sed fons, & rivuli realiter distinguuntur; ergo etiam sic distinguitur essentia à Personis; consequenterque cum illis efficit numerum quaternarium. Respondeo negando majorem; neque enim essentia est fons personarum, cùm hæ à Personis producantur; neque relationum, cùm hæ non producantur, ut relationes sunt, sed per se consequuntur ad productionem suppositorum. Hæc interim cum *P. Bellarm. cit. cap. 8. D. Thom. 1. p. q. 40. art. 4. & in 1. dist. 27. q 2. art. 3.* apud eundem. IV.

Instabis 3. Catholici in Symbolo post illa verba, *Credo in unum Deum*, apponunt *virgulam*, nè cogantur legere, *Credo in unum Deum Patrem*, sicque fateantur, solum Patrem esse unum Deum; ergo distinguunt Deum à Patre; sed infrà etiam distinguunt Patrē à Filio, & Filium ab Spiritu Sancto; ergo sunt quatuor, efficiuntque quaternarium. Respondeo negando antecedens; neque enim Catechismi catholici talem virgulam apponunt, & Patres veteres semper legerunt sine virgula, *Credo in unum Deum Patrem*, ut legerunt *D. Iræneus lib. 1. cap. 2. D. Cyril. Catech. 7. & Ruffin. in explicat Symboli*: illam tātùm non apposuit Benedict. Aret. Zwinglianus, cùm nesciret respondere ad argumentum Gentilis hæretici, qui probat hoc argumento, solum Patrem esse unum Deum. IV.

Instabis 4. Catholici dicunt, tres Personas in uno Deo residere, & unum Deum in tribus Personis se manifestare; sed non apparet quis sit ille Deus; neque enim est Pater, neque Filius, neque Spiritus sanctus; siquidem nullus horum se in tribus Personis manifestavit; neque in ullo horum tres Personæ residunt; ergo est quartus quidam Deus; ac proindè datur numerus quaternarius. Respondeo cùm dicimus, tres Personas in uno Deo residere, nihil aliud velle significare, quàm tres Personas esse unius Deitatis, essentiæ, & naturæ: & cùm dicimus, unum Deum in tribus Personis se manifestare, velle significare, Deum esse tres Personas, & hoc nobis esse manifestatum, sive revela- IV.

revelatum divinitùs; sicque quando petitur, quisnam sit ille Deus? an Pater? an Filius? rectè respondebitur, est divinitas, sive est Trinitas, sive est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Ita *P. Bellarm. cit.*

116. Arguitur 3. Generare est summa perfectio in vivente; sed hanc perfectionem habet Pater, & non Filius, neque Spiritus Sanctus; ergo Filius, & Spiritus Sanctus non sunt æquales Patri in perfectione, neque ejusdem naturæ cum Patre; consequenterq; non sunt plures personæ ejusdem essentiæ in Deo. Respondeo negando minorem quoad secundam partem: in Filio enim, (idemque de Spiritu Sancto,) est omnis perfectio generationis activæ, licet ipsa generatio activa in Filio non sit, quia opus non est. Patet, quia omnis perfectio, quam habet generatio, est ab essentia; sed Filius, & Spiritus Sanctus habent totam essentiam; ergo habent totam perfectionem generationis activæ. Confirmatur, quia sicut principium *quo* generationis activæ est Essentia divina, prout infrà dicemus, ideoque generatio activa est infinitæ perfectionis: ita terminus *quo* generationis passivæ est eadem essentia divina, ideoque illa est etiam infinitæ, imò ejusdem infinitæ perfectionis; ergo in Filio est tota perfectio generationis activæ; consequenterque est æqualis perfectionis cum Patre.

117. Inferes: Ergo si terminus *quo* generationis divinæ est essentia, hæc dicetur generari, saltem per accidens, ut dicitur in creatis. Respondeo negando illationem; diversa ratio est, quia in creatis natura, quæ est terminus *quo*, per accidens generatur, quia non eadem, sed diversa numero communicatur filio, quæ nisi producatur, non est, ideò enim producitur, ut sit, & possit communicari: at verò in divinis essentia, sive natura est eadem numero in Patre, & in Filio, cui communicatur, ideoque per generationem minimè producitur: de hoc tamen infrà.

118. Instabis: Productum dicit intrinsecè dependentiam, (& posterioritatem, saltem naturâ) ab eo, à quo dependet; sed verus Deus est ens à se, & independens, ac necessarium, & nulla re posteriùs; ergo Filius non est verus Deus, cùm sit à Patre productus, & à Patre in suo esse dependeat. Respondeo majorem esse veram in creatis, ubi Filius accipit aliam naturam numero diversam à Patre: non ita verò in divinis, ubi eadem numero natura, quæ est in Patre, communicatur Filio, idque naturaliter, & necessariò sine ulla dependentia, aut posterioritate naturæ, quæ solùm requiruntur in productionibus creatis, ubi diversa numero natura ex non esse deducitur ad esse.

119. Arguitur 4. Quando Filius genitus est, aut erat, aut non erat: Si erat, quare genitus est? si non erat; ergo aliquando non fuit; ergo non est verus Deus; neque sunt plures Personæ ejusdem naturæ, & essentiæ. Respondeo cùm *D. Basil. lib. 2. ad Eunomium*, Filium non esse antequam generetur, fuisse tamen cùm generatur, quin indè sequatur frustrà genitum esse; nam id frustra fieret, (imò non posset fieri,) quod esset, antequam fieret; quod autem est dùm fit, non frustra fit; sic enim in rebus creatis momenta temporis, & sunt cùm fiunt, & fiunt cùm sunt. Neque etiam indè sequitur Filium non semper fuisse, licet non fuerit antequam gigneretur; cùm enim semper genitus fuerit, semper
120. etiam fuit. Vide supra *à n. 90.*

Arguitur 5 Aut Persona in Deo est infinita; aut finita: Si primum; ergo est una tantùm; alioqui jam non esset infinita; Si secundum; ergo personæ debent esse infinitæ, ut respondeant infinitati essentiæ. Respondeo Personam divinam ut talem esse infinitam; quælibet tamen in suo genere, ex quo non colligitur, non esse plures, imò esse plures, cùm quælibet sit tantùm infinita in certo genere, nempè Paternitas in genere Paternitatis in Patre, sicque de aliis. Vide supra *num. 84.*

Arguitur 6. Multiplicatio suppositorum aut est necessaria ad conservationem speciei; aut ut unum suppositum perficiatur ex altero; sed Deus, cùm sit æternus, non eget conservatione; neque perfectione, cùm sit perfectissimus; ergo &c. Respondeo Supposita in divinis multiplicari, non ad conservationem speciei, neque ad perficiendum unum ex alio; sed quia id postulat natura rei intelligentis, & rationalis, qualis est Deus; omnis enim natura rationalis habet duos modos producendi aliquid intra se ipsam, nempè cognitionem, & amorem, ut quid accidentale, si sit in creatis, & ut quid substantiale, si sit in divinis, in quibus non datur aliquid accidentale, quia mutaretur Deus: cùm autem Deus habeat hos duos modos producendi ad intra, ex illis colligimus, tres esse personas, nec plures, nec pauciores; siquidem una debet esse producens, & non producta, & est *Prima*; alia producta per cognitionem, & est *Secunda*, alia producta per amorem, & est *Tertia.* 121.

Arguitur 7. Intellectus, & Voluntas divina sunt idem, & idem etiam sunt Intellectio, & Volitio divina; ergo etiam idem sunt Verbum, & amor, sive Filius, & Spiritus Sanctus; siquidem ab uno non procedit, nisi unum. Respondeo negando consequentiam, ad cujus probationem dicimus, minorem distinctionem requiri in principiis producentibus, quàm in terminis productis; sic enim unus, & idem Deus tot rerum genera, & species producit: idem intellectus creatus tot conceptus: & unus truncus tot ramos producit: Undè fit, ut satis sit distinctio illa rationis, (de qua alibi) inter Intellectum, & Voluntatem divinam, ut habeant terminos realiter distinctos. 122.

Instabis: Intelligens, & intellectio in Deo sunt idem; idemque sunt in Deo amans, & amor; ergo neque Pater distinguitur à Filio; neque Pater, & Filius à Spiritu Sancto. Respondeo negando consequentiam; ex antecedente enim solùm probatur, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse unum in essentia; siquidem in Deo intelligens, seu potiùs dicens, & Verbum, idem sunt, excepta relatione producentis, & producti: & amans, & amor etiam sunt idem, excepta relatione producentis amorem, & amoris producti. 123.

Urgebis: Aut Filius intelligit, aut non: Si primum; ergo producit notitiam, seu Verbum: Si secundum; ergo non est Deus; neque enim potest esse Deus, qui nihil intelligit: Similiter, aut Spiritus Sanctus amat, aut non: si amat, producit amorem; ergo aut se, aut alium: si non amat; ergo non est Deus; neque enim Deus potest carere actu voluntatis. Respondeo cum *P. Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 12.* Filium quidem intelligere, & tamen non producere notitiam, seu Verbum; & Spiritum Sanctum amare, & tamen non producere amorem: pro quo: 124.

Advertendum est intelligere, & producere notitiam, sicut amare, & producere amorem esse idem re, distingui tamen ratione; siquidem intelligere, & amare dicunt ordinem ad objectum, id est ad rem, quæ intelligitur, & amatur: at verò producere notitiam, & amorem dicit ordinem ad 125.

rem, quæ producitur, id est ad ipsam notitiam, & amorem; sicque notitia & verbum sunt idem, sed distinguuntur ratione, quatenùs illa dicit ordinem ad objectum, verbum autem ad dicentem: Undè est, quod Pater est intelligens cum utroque ordine, ideòque est etiam producens; Filius autem est intelligens, sed cum primo ordine, & non cum secundo, quia habet oppositum ordinis, ideoque ipse non est dicens, seu producens Verbum. Pari ratione Pater est notitia, sed non Verbum; Filius est notitia, & Verbum, quia habet ordinem producti, quem non habet Pater. Similiter Spiritus Sanctus intelligit, & est ipsa notitia, sed sine relationibus producentis, aut producti; sicque neque est dicens, neque Verbum. Idem dicendum de amore; siquidem Pater, & Filius amant cum relatione producentis amorem; Spiritus Sanctus amat, sed cum relatione amoris producti. Hęc interim cum P. Bellarm. infra enim de hoc dicemus.

126. Arguitur 8. In Deo nihil est, nisi Essentia, & relatio; sed neutrum generat, aut generatur; ergo nihil in Deo generat, aut generatur; consequenterq; in Deo non sunt plures Personæ. Resp. neque essentiam, neque relationem seorsim sumptas gignere, aut gigni, sed constitutum ex utraque, ut infra dicemus, nempè constitutum ex essentia, & Paternitate gignit, & constitutum ex essentia, & Filiatione gignitur; qualiter autem id fiat, infra dicemus.

127. Dices: Filius debet produci similis generanti; sed Verbum non est simile genetanti, sed objecto; ergo Verbum non est verus Filius Dei; consequenterque neque ejusdem essentiæ cum Deo. Respondeo Deum intelligendo se ipsum, producere Verbum, proindèque rem intellectam, cui cùm Verbum sit simile, & res ipsa intellecta sit ipse Deus, Verbum est ipse Deus, qui producit Verbum.

128. Urgebis: Verbum non est simile Deo, ut intelligenti, sed ut intellecto; atqui Deus non gignit ut intellectus, sed ut intelligens; ergo Verbum non est simile gignenti; ac proinde neque Filius. Respondeo Patrem debere producere Filium sibi similem in essentia, sive naturâ, & non in relatione producentis; siquidem non producit Patrem suum, sed Filium suum, qui talis est ratione essentiæ communicatæ; ideoque Verbum non debet esse simile Patri, ut Pater est dicens, sed ut Pater habet talem naturam, quæ dicendo exprimitur, & cùm ita sit ei simile, est ejus Filius.

129. Replicabis: Filius aut est similis Patri in essentia, aut in proprietate: non primum; siquidem in essentia est idem; idem autem non dicitur sibi simile, sed alteri: non secundum; siquidem in proprietate est dissimilis; ergo nullo modo est similis. Respondeo Filium in essentia esse eundem, & esse similem; nam quatenùs uterque habet illam essentiam sunt idem in essentia: quatenùs tamen ipsi sunt duo distincti, & conveniunt in illa essentia, sunt similes in essentia.

130. Arguitur 9. Spiritus Sanctus aut producitur similis Deo Patri in essentia; aut dissimilis: Non primum, alioqui esset Filius, & tunc jam Verbum non esset Unigenitus Filius Dei: Si secundum; ergo non est verus Deus; consequenterque non sunt tres Personæ unus verus Deus. Respondeo Spiritum Sanctum produci quidem similem in essentia Patri, & Filio, nec tamen esse Filium: cur autem solum Verbum dicatur Filius, & non ita dicatur Spiritus Sanctus? hujus rei causa non est usque adeò certa; Scriptura siquidem rem docuit, causam tacuit, non solùm in hac re, sed in multis etiam aliis, ut semper nos exerceat, & humilès discipulos reddat; licet tamen infra de hoc dicendum, interim:

Respondeo primò cum *D. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 14.* ideò Spiritum Sanctum non esse Filium, quia non procedit quomodo *natus*, sed quomodo *datus*. Secundò cum eodem *D. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 26.* ideò Spiritum Sanctum non posse vocari Filium, quia procedit ex duobus, qui nec duo Patres dici possunt, nec alter pater, alter mater. Tertiò, & clariùs cum *D. Thom. 1. p. q. 27. a. 4. & in quæst. de potent. q. 10. a. 2. ad 22.* Verbum Dei dici, & esse Filium Dei, quia cùm procedat per actum intellectûs, procedit ut similitudo quædam, & imago producentis, idque ex vi ipsius productionis: at verò Spiritus Sanctus, cùm procedat per actum amoris, licet sit similis Patri, & Filio, non est Filius, quia amor non est ex naturâ suâ similitudo rei amatæ, sed impulsus quidam in rem amatam; sicque ex vi suæ processionis non procedit similis, proindeque neque ut Filius. 131.

Arguitur 10. Aut subsistentia est de intrinseca ratione essentiæ, aut non: Si primum, aut tunc essentia communicatur, aut non: si communicatur, etiam communicabitur illius subsistentia, cùm sit de illius ratione intrinseca; hoc autem implicat: tum cum ratione subsistentiæ, quæ cùm sit incommunicabilitas formalis, non potest communicari: tum quia aut Personæ tunc præter istam subsistentiam, quam accipiunt cum essentia, habent aliam propriam, sicque erunt quatuor subsistentiæ, proindeque quatuor Personæ; aut non habent aliam, sed solùm istam, sique cùm sit una tantùm subsistentia, una tantùm erit persona: si essentia non communicatur; ergo neutra Persona est Deus; cùm neutra habeat essentiam Dei: Si secundum, nempè subsistentia non est de intrinseca ratione essentiæ; ergo essentia non est infinita simpliciter, cùm non contineat omnem perfectionem; & deinde Personæ divinæ erunt compositæ ex essentia, & subsistentia, quod non est dicendum; ergo &c. Respondeo hîc tangi difficultatem illam: Utrùm scilicet in Deo detur subsistentia absoluta? de quo jam latè egimus *in Met. tract. 2. d. 3. sect. 12. per totam*, & infra suo loco dicemus. 132.

Arguitur 11. Relatio distinguit Personas, prout distinguitur ab essentia; sed prout distinguitur ab essentia, non est in re, sed tantùm in mente; siquidem Relatio supra essentiam non addit rem, sed rationem tantùm; alioqui esset in Deo aliquid ab essentia realiter distinctum; ergo Personæ, non re, sed ratione tantùm distinguuntur. Respondeo respectum, quem relatio superaddit ad essentiam, distinguere quidem personas, ipsum tamen respectum non esse tantùm in mente, sed etiam in re, & ut est in re distinguere; siquidem Personæ realiter distinguuntur, etiamsi cesset omnis operatio intellectûs distinguentis. Undè Personæ non distinguuntur relationibus, quatenùs ipsæ relationes distinguuntur ab essentia quomodocumque, sed quatenùs sunt reales relationes, sive ut sunt idem re cum essentia, & ab illa distinguuntur ratione. 133.

Instabis: Aut tota realitas, quæ est in Patre, est in Filio, aut non: Si primum; ergo Pater, & Filius non distinguuntur: Si secundum; ergo aliqua res est in Patre, quæ non est in Filio; & cum res, unum, verum, & bonum convertantur, aliqua unitas, veritas, & bonitas erit in Patre, quæ non sit in Filio; hæc autem non sunt dicenda; ergo &c. Respondeo in Patre, Filio, & Spiritu Sancto esse totam realitatem absolutam, non tamen relativam; sicque 134.

sicque Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tria entia realia, sed relativa, quæ tria entia sunt etiam tria vera, & tria bona, non substantivè, sed adjectivè sumpta, id est tria habentia veritatem, & bonitatem, quod stare potest cum eo, quod sint una veritas, & bonitas substantivè, quatenùs accipiuntur pro absoluto, nempè pro natura, quæ est una; de quo jam alibi, & iterùm infra dicemus.

Arguitur 12. Actiones intellectûs, & voluntatis, 135. cùm sint immanentes, sunt steriles, ut ait Philosophus. *lib. 9. Met. text. 16.* sicque nihil producunt; atqui si Filius, & Spiritus Sanctus non producuntur per intellectum, & voluntatem, nullo modo producuntur; siquidem non potest facilè explicari, quo alio modo producantur: cur duæ tantùm Personæ producantur: & cur una Verbum, & altera Amor dici soleat; ergo &c. Respondeo actiones immanentes, & actus intellectûs, & voluntatis, quos intellectionem, & dilectionem possumus appellare, nihil quidem producere, quod maneat post actionem eo modo, quo per actiones transeuntes producitur opus aliquod re distinctum ab actione, & quod perseverat post actionem, in quo sensu intelligendus est Philosophus; aliquid tamen producere intimum ipsi actioni, & quod nomine ipso actionis appellari potest eo modo, quo calefactionem actionem vocamus, cùm tamen illa non sit simplex actio de prædicamento actionis, sed includat etiam calorem aliquem acquisitum de genere qualitatis, qui est ejus terminus; & sic per intellectionem producitur Verbum, & per dilectionem Amor, ita tamen, ut in nobis sint accidentia, in Deo autem substantia, cùm in Deo intelligere sit ipsum esse Dei, non autem ita sit in nobis.

136. Arguitur 13. Hoc Mysterium destruit principia naturaliter nota, quorum unum est illud: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: quod hîc locum non habet; siquidem Personæ sunt eædem in una essentia, & tamen non sunt eædem inter se, imò sunt realiter distinctæ; ergo cùm hoc mysterium videatur esse contra principia naturalia, consequenterque contra rationem, non videtur admittendum. Respondeo hoc mysterium, neque destruere principia naturalia, neque esse contra rationem naturalem, ut jam dicimus: pro quo sit:

SECTIO V.

Virùm Mysterium Trinitatis sit contra rationem, seu lumen naturale?

137. ADvertes, rem aliter dici contra, & aliter esse supra rationem, seu lumen naturale; illud enim dicitur supra rationem naturalem, quod naturaliter cognosci non potest; illud autem dicitur contra rationem, seu lumen naturale, quod repugnat principiis naturaliter evidentibus. De hoc secundo in præsenti Sectione; de illo autem primo in sequenti dicendum est: Igitur:

138. Conclusio sit: Mysterium Trinitatis non est contra rationem, seu lumen naturale. Est omninò certa. Ita *P. Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Christo, cap. 6. & 18. P. Becan. de Trinit. cap. 3. q. 4. P. Soar. hîc lib. 1. cap. 11. n. 18. & lib. 4. cap. 3. P. Vasq. d. 123. cap. 1. P. Molin. 1. p. q. 28. a. 3. P. Ruiz d. 15. sect. 3. P. Alarcon. hîc tr. 5. d. 1. cap. 6. n. 3. P. Arriaga d. 43. sect. 3. n. 12. P. Martinon. d. 23. sect. 4. P. Compton. tom. 1. d. 51. sect. 1. n. 9.* & alii. Probatur primò ex Concil. Lateran. apud Doctores citatos, ubi definitur, multa esse in nostra fide supra, nihil tamen contra naturam; ergo &c. Secundò, quia una veritas non est alteri veritati contraria; sed ratio naturalis, si non erret, non ostendit, nisi veritatem; nam si errat, jam non est ratio, sed deceptio; mysterium autem Trinitatis est maximè verum; ergo ratio, seu lumen naturale non potest ostendere veritatem contrariam huic mysterio; consequenterque non contrariantur.

Probatur tertiò, quia illud est contra lumen na- 139. turale, quod potest ostendi, aut mediatè, aut immediatè involvere contradictionem; sed hæc non potest ostendi de mysterio Trinitatis; licet enim lumen naturale ostendat, Deum esse Unum in essentia, non potest ostendere esse Unum in Persona, aut implicare esse Trinum in Personis; ergo &c. Confirmatur, quia cùm Deus sit infinitus simpliciter, & incomprehensibilis, idque lumine naturali demonstretur, ut alibi diximus, est etiam supra captum intellectûs finiti, ac creati; ergo licet aliquod principium naturale videatur esse contra mysterium Trinitatis, potest intellectus creatus supponere, tale principium speciali modo esse verum in tali mysterio, atque est in rebus creatis, sicque tale mysterium non esse contra, sed supra evidentiam naturalem.

Probatur quartò ex aliquibus congruentiis na- 140. turalibus, quæ suppositâ fide, ostendunt, hoc mysterium non esse contra rationem: Prima est, quia summi, & infiniti boni est, se summè, & infinitè communicare; sed Deus in productione creaturarum non se communicavit summo, & infinito modo; ergo sic debuit se communicare Personis Divinis. Secunda, quia perfecta beatitudo, qualis est divina, comprehendit omnia bona; sed unum, & quidem insigne bonum est cõsortium æqualium personarum; ergo &c. Tertia, quia generare sibi simile est perfectio; sed Deus est summè perfectus; ergo debuit hanc habere perfectionem. Quarta, quia melius est, Deum ab æterno aliquid produxisse, quàm otiosũ fuisse; sed non produxit aliquid creatum, cùm nihil creatum sit de facto ab æterno; ergo aliquid divinum. Quinta, quia invenitur una natura in una hypostasi, ut in quolibet Angelo; plures in pluribus, ut in multis Angelis; plures in una, ut in homine, ubi duæ naturæ, nempè anima, & caro in unam hypostasim humanam conveniunt; ergo credibile est, esse quoque unam naturam, nempè divinam in pluribus hypostasibus, id est, in Patre, Filio, & Spiritu Sancto.

Probatur quintò ex rebus ipsis naturalibus, quæ 141. ita affectant numerum ternarium, ut planè omnia clamare videantur, Authorem suum esse Trinitatem: Primò ex passionibus rebus omnibus communibus, quæ sunt tantùm tres, unum, verum, bonum. Secundò ex tota rerum universitate, quæ in tres partes distribuitur; quidquid enim est, aut est spirituale, aut corporale, aut mixtum ex utroque. Tertiò ex rebus spiritualibus, quæ in tres Hierarchias dividuntur. Quarto ex quolibet ente spirituali, quod tribus præditum est facultatibus, nempè memoriâ, intellectu, & voluntate, ita tamen ut in eis ex intellectu notitia, & ex voluntate amor procedat; sicque de aliis, in quibus penè innumerabilia reperiuntur vestigia Trinitatis, quæ persequi nimis longum, minimèque necessarium esse videtur, præsertim cùm de illis fusè agat

D. Aug.

D. Aug. *à lib. 9. de Trinit. usque ad 15.*

142. Objicies 1. Principium illud: *Quæ sunt eadem in uno tertio, sunt eadem inter se*: est secundùm rationem, & lumen naturale; sed Mysterium Trinitatis est contra hoc principium; siquidem in Trinitate Personæ divinæ sunt idem in uno tertio, nempè in eâdem numero naturâ singulari, & tamen non sunt idem inter se, imò sunt realiter distinctæ; ergo hoc Mysterium non est secundùm, imò contra rationem, seu lumen naturale.

143. Hæretici, qui propter illud principium: *Quæ sunt eadem in uno tertio, sunt eadem inter se*, negant in re Mysterium Trinitatis, prout illud fides docet, consequenter ad suam doctrinam nullam agnoscunt difficultatem in conciliando tali Mysterio, cum tali principio; nam Ariani cùm diversam dicant naturam Filii, & Spiritûs Sancti à natura Patris, non ponunt diversas Personas esse idem in uno tertio, quia illas non ponunt idem in una natura. Et Sabelliani cùm non ponant, neque distinguant in re Personas, etiam non ponunt eandem essentiam realiter identificatam cum tribus realiter distinctis. Similiter Tritheitæ cùm inducant tres Personas esse tres Deos, non minùs diversitatem in natura, quàm in Personis agnoscunt. His tamen erroribus omissis, utpotè jam supra ex fide refutatis.

144. Respondeo primò cum aliquibus apud *P. Ruiz d. 22. sect. 1. & P. Arriagam. d. 41. sect. 2. num. 13.* Mysterium Trinitatis, ut possit stare cum illo principio, sic esse intelligendum, ut à parte rei Deus adæquatè sumptus sit tres res, sive tres Personæ, & quælibet res, sive Persona sit Deus inadæquatè sumptus, ideoque dicantur habere eandem naturam, quatenùs necessariò habent idem sapere, posse, & velle, quod per modum alicujus prædicati communis tribus necessariò conveniat. Undè prout sic tres Personæ sunt unus Deus, & unus Deus tres Personæ, ita tamen, ut singulæ Personæ adæquatè distinguantur, & Pater (idemque de Filio, & Spiritu Sancto inter se) nihil habeat à parte rei etiam indistinctum, quod à parte rei non distinguatur à Filio, in hoc enim sensu, & explicatione verum est, ut dicunt, quod Christus ait: *Ego, & Pater unum sumus*: & illud: *Hi tres unum sunt*, quatenùs scilicet illud unũ nihil aliud est, quàm tres Personæ, & tres Personę nihil aliud sunt, quàm illud unum, quamvis neque solus Pater, neq; solus Filius, neque solus Spiritus sanctus sit illud unum, quia adæquatè sunt ad invicem res diversæ, sicque nunquam sequitur, quod res realiter distinctæ sint realiter idem uni tertio à singulis indistincto.

145. Hæc tamen explicatio est evidenter contra fidem, ut ostendit *P. Ruiz, & P. Arriaga cit.* sicque: Rejicitur primò, quia juxta hanc Trinitatis explicationem Deus non esset unus, nisi per aggregationem plurium eo modo, quo exercitus dicitur unus, & Respublica dicitur una per aggregationem plurium adæquatè distinctorum, quod est hæreticum; & alioqui quilibet homo esset magis unus, quàm Deus; siquidem multæ partes inter se unitæ constituunt unum, & eundem hominem; Deum autem constituerent unum multæ partes absque unione.

146. Rejicitur secundò, quia ex hoc sequeretur, neque Patrem, neque Filium esse Deum. Patet, quia Deus juxta illam explicationem nihil aliud est formaliter, quàm Trinitas, sive tres Personæ, & Trinitas nihil aliud est, quàm Deus ex tribus constans, sicut constat homo v. g. ex materia, forma, & unione; sed Pater (idemque de Filio, & Spiritu Sancto,) non est Trinitas, sicut neque materia, neque forma, neque unio est homo; ergo neque Pater, neque Filius, neque Spiritus est Deus, quod est contra fidem.

147. Dicent, Patrem (idemque de Filio, & Spiritu Sancto) esse Deum inadæquatè, quatenùs cum aliis Personis constituit eundem Deum adæquatè. Sed contra primò, quia esse Deum inadæquatè, ut explicant, nihil aliud est, quàm esse aliquid Dei, sive aliquam partem Dei adæquatè sumpti; sed pars Dei non esset Deus; sicut pars hominis non est homo; ergo Pater non esset Deus. Secundò, quia ut explicant, tres Personæ essent tres Dii inadæquati; nam si diversitas adæquata inter Personas non tollit, quominùs quælibet Persona dicatur Deus inadæquatè sumptus, sequitur, quod tres Personæ seorsim sumptæ sint, & dicantur tres Dii inadæquatè, quod est erroneum; siquidem, ut ait D. Athan. *Universa plenitudo Deitatis est Pater, ut Pater: Universa item plenitudo Deitatis est Filius, ut Filius, quandoquidem amborum una forma intelligitur, quâ integrè se in utroque communicat.* Tertiò, quia si, ut explicant, idem esset unus Deus adæquatè sumptus, atque tres res adæquatè distinctæ; eâdem etiam ratione erit in Deo una tantùm Persona adæquatè sumpta constans ex tribus rebus, sive Personis inadæquatis, quod est contra fidem.

148. Rejicitur tertiò, quia ut explicant, non minùs realis separatio fit in natura, quàm in Personis; sed hoc est expresè contra fidem, ut constat ex Symbolo D. Athan. ibi: *Neque confundentes Personæ, neque substantiam separantes, alia est enim Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti, sed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una est divinitas, &c.*

149. Rejicitur quartò, quia sequeretur, tres Personas divinas esse tres Deos adæquatè, & realiter distinctos, non minùs, quàm Petrus, Paulus, & Joannes sunt tres homines. Patet, quia aut tres Personæ, prout sic habent eandem numero Omnipotentiam, intellectum, & voluntatem; aut non: Primum non admittunt; siquidem vitare intendunt identitatem trium realiter distinctorum in uno tertio indivisibili; ergo dicent secundum; sed diversa numero potentia, intellectus, & voluntas, cùm sint potentiæ adæquatæ, diversam numero naturam adæquatè supponunt; ergo tres Personæ essent tres Dii adæquatè, & realiter distincti, quod est contra fidem.

150. Dicent, Omnipotentiam adæquatam (idemque de intellectu, & voluntate) eodem modo constitui ex potentia Patris, Filii, & Spiritus Sancti, sicut divinitas constituitur ex deitate Patris, Filii, & Spiritus Sancti, sicq; non probari, eam Omnipotentiam esse in singulis adæquatam, neque tres esse naturas adæquatas, neque tres Omnipotentias adæquatas. Sed contra, quia aut potentia, quæ est in Patre est productiva omnium, quorum est productiva potentia Filii, & Spiritus Sancti; aut non: Hoc secundum non dicent, alioqui non esset Omnipotentia, neque Pater esset Omnipotens, quod est contra fidem: Si primum dicant; ergo talis potentia habet adæquatũ objectum potentiæ divinæ productivę; consequenterque est adæquata. Similiter aut Intellectus, qui est in Patre (idemque de voluntate) cognoscit quidquid cognoscit Filius, & Spiritus Sanctus; aut non: Hoc secundum non dicent: tùm quia jam diversi essent Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus in cognitione, quod est contra fidem: tùm etiam quia non est major ratio, cur Pater aliqua cognoscat, & non omnia, idemque

idemque de Filio, & Spiritu Sancto: Si primum dicant; ergo scientia Patris habet objectum adæquatum Scientiæ divinæ; consequenterque est adæquatè in singulis Personis.

151. Rejicitur quintò, quia sequeretur, nullam Personam divinam esse liberam, aut posse esse discordes in actibus liberis v. g. de creando, aut non creando mundum, cùm tamen utrumque sit hæreticum. Patet, quia, ut explicant, Personæ divinæ ideò dicuntur habere eandem naturam, quia habent necessariò idem sapere, & velle; ergo ut omnes idem velint, opus est, ut in omnibus necessariò detur actus voluntatis, ita ut nulla Persona repugnare possit; aut si aliqua potest liberè velle, possit alia è contrario nolle, cùm etiam sit libera, sicq; dabitur discordia voluntatum, ex quo etiam sequuntur omnia inconvenientia, quæ contra multitudinem Deorum apponi solent. Contra hunc errorem vide plura apud P. Ruiz, & P. Arriaga cit. Igitur ad argumentum:

152. Respondeo secundò cum Durando *in 1. dist. 2. q. 4.* asserente, relationes, seu Personalitates divinas distingui à parte rei modaliter ab Essentia; sicq; non esse idem à parte rei in uno tertio, nempè in essentia; consequenterque non repugnare illi principio: *quæ sunt eadem in uno tertio, sunt eadem inter se.* Durando videntur consentire Ocham. & Gabr. apud *P. Ruiz. d. 11. sect 2.*

153. Non placet, quia hæc sententia Durandi videtur coincidere cum errore Gilberti damnati in Concil. Rhemens. sub Eugenio III. de quo jam alibi, & infra etiam dicemus. Et sanè licet Durandus minorē aliquam distinctionem admittat, quàm Gilbert, quatenùs ille solam modalem, hic autem realem rei à re admittit, ab omnibus tamen Catholicis Doctoribus exploditur. Neque Durandus, prout sic præsenti difficultati satisfacit. Patet, quia illud principium, si quid evidenter probat, probat etiam non posse duo inter se magis distingui, quàm distinguuntur ab uno tertio; sed Personæ divinæ, ut supponit Durandus, distinguuntur modaliter ab uno tertio, nempe ab essentia; ergo sic modaliter distinguerentur inter se, quod est falsum; distinguuntur enim realiter; sicque magis distinguuntur inter se, quàm distinguuntur ab uno tertio, quod est etiam contra illud principium. Neque obstat, quod una Persona non sit modus alterius, sint autem modi respectu Essentiæ: Non, inquam, obstat; siquidem hoc non facit, quod magis distinguantur inter se, nempè realiter, quàm distinguuntur ab uno tertio, nempè ab essentia, à quâ, ut dicit, distinguuntur modaliter; nam unum attributum non est modus alterius; & tamen eodem modo sunt idem inter se, quo sunt idem in Essentia.

154. Respondeo tertiò cum Scot. *in 1. dist. 2. q. 4.* docente, Personalitates divinas distingui à naturâ à parte rei formaliter, sicque quæ sunt eadem in uno tertio, à quo formaliter distinguuntur, posse esse realiter distincta inter se, siquidē per hoc solùm arguitur, esse formaliter distincta. Sed contra, quia per hanc distinctionem formalem, aut intelligit Scot. veram distinctionem actualem à parte rei inter diversas formalitates, quarum una à parte rei est res diversa ab alia, ut multi Scotorum explicant, & prout sic incidit in opinionem Durandi, ac errorem Gilberti: aut intelligit distinctionē virtualem, secundùm quam eadem entitas capax est à parte rei, ut formaliter per rationem dividatur in plures formalitates ob diversas definitiones, ut ipse Scot. explicasse videtur apud *P. Ruiz d. 11. sect. 3.* & prout sic non evacuat difficultatem. Patet; quia ex fide certum est, majorem distinctionem; nempè realem dari inter Personas divinas, quàm inter Personalitates, & Essentiam; sed non ita esset; si principium illud aliquid probaret in divinis, facta illâ distinctione; siquidem probaret solùm distingui inter se formaliter, quia sic formaliter tantùm distinguerentur ab uno tertio, nempè ab Essentiâ, quod tamen non dicent; ergo &c.

155. Respondeo quartò cum D. Thom. *1. p. quæst. 28. a. 3. ad 1.* tunc ea, quæ sunt eadem in uno tertio esse idem inter se, quando sunt idem in uno tertio & re, & ratione; secùs autem si solùm sint idem re in uno tertio, distinguantur autem ratione ab ipso tertio: tunc enim possunt esse distincta inter se. Patet in actione, & passione, quæ sunt idem re cum motu, quia tamen ab illo ratione distinguuntur, non sunt idem, imò sunt distinctæ inter se.

156. Rejicitur communiter: Primò, quia distinctio rationis ab uno tertio non excludit identitatem realem, sed solam identitatem rationis; ergo si principium illud aliquid probat, probat etiam, non posse duo magis distingui inter se, nempe realiter, quàm distinguuntur ab uno tertio, nempe ratione; quod tamen in divinis est falsum, ut patet. Secundò, exemplum enim actionis, & passionis est impertinens ad rem præsentem; alioqui in creatis haberemus exemplum Trinitatis. Tertiò, quia aut actio, & passio distinguuntur realiter à motu, aut non: Si primum; ergo nihil mirum, quod inter se realiter distinguantur: Si secundum; ergo ideò sunt idem realiter inter se, & sola ratione logicè, seu metaphysicè distinguuntur. Additur D. Thom. *lib. 2. contr. gent. cap. 9.* arguere identitatem attributorum inter se, quia sunt idem in essentia; & tamen ab essentia ratione distinguuntur; ergo &c.

157. Dicent, D. Thom. ita benè arguere, quia id in absolutis arguebat, in quibus nulla datur oppositio; secus verò dicendum in relativis, quæ inter se opponuntur; nam quando duo ita se habent, ut non opponantur uni tertio, opponantur tamen inter se, possunt esse idem re illi tertio, à quo ratione tantùm distinguuntur, & non esse idem realiter inter se. Non placent quia hoc difficultatem principii non minuit; nam si quid ostendit, ostendit etiam, ea, quæ sunt idem realiter uni tertio, non posse inter se realiter opponi, quia tunc idem esset sibi realiter oppositum, quod repugnat conceptui identitatis, & oppositionis.

158. Respondeo quintò cum eodem D. Thom. *in 1. dist. 23. art. 1. ad 1.* ea, quæ sunt eadem uni tertio, esse eadem inter se, non simpliciter, sed in illo tertio; hoc est, convenire in hoc, quod sint idem in illo tertio, quamvis inter se realiter distinguantur. Non placent, quia hæc responsio reddit idem per idem, & facit nugatorium tale principium; siquidem convenire in hoc, quod sint idem in uno tertio, nihil aliud est formalissimè, quàm utrumque esse idem in uno tertio; hoc autem supponitur in illo principio, & inde aliquid ampliùs infertur, nempè identitas eorum inter se; quatenùs scilicet videtur repugnare esse idem in uno tertio, & non esse idem inter se.

159. Respondeo sextò cum Capreolo, & aliis, ea, quæ sunt eadem uni tertio adæquatè esse eadem inter se; secus verò, si sint eadem inadæquatè uni tertio: Undè cùm una relatio divina ita sit idem cum essentia divina, ut non adæquatè ei identificetur, id est non sola, potest ipsa essentia sibi aliam identificare, quæ ab altera relatione sit realiter distincta. Sed contra, quia aut terminus *adæquatè* idem est,

atque solùm: aut idem est, atque secundùm omnem suam perfectionem: Si hoc secundum, quælibet relatio divina est idem cum essentia adæquatè; siquidem tota essentia secundùm omnem sui perfectionem identificatur cum qualibet relatione, & quælibet relatio secundùm se totam identificatur cum essentia; alioqui Personæ divinæ non essent æqualiter perfectè Deus: Si primum, verum est, quod non solùm una relatio, sed etiam aliæ identificantur naturæ, sed in hoc ipso est difficultas, quæ videtur repugnare illi principio; nam dicere, duo identificari uni tertio inadæquatè, idem est, ac dicere, identificari illi tertio, & non identificari inter se, quod est reddere idem per idem, sicque semper manet eadem difficultas, quâ scilicet ratione possint esse idem illi tertio, & tamen inter se realiter distingui.

160. Resp. septimò cum cõmuni, ea, quæ sunt eadem in uno tertio, esse eadem inter se, quãdo illud tertium est singulare, & incommunicabile: non autem si sit communicabile; cùm verò essentia divina sit communicabilis tribus Personis, possunt hæ esse idem in illa, & tamen inter se realiter distingui. Patet in Petro, & Paulo, qui sunt idem in homine; & tamẽ non sunt idem, imò realiter distinguuntur, quia sunt idem in uno tertio communicabili pluribus. Sed contra, quia esse communicabile, aut est idem, atque esse quid commune, & multiplicabile in pluribus, ut est homo; aut est idem, atque eandem numero formam indivisibilem, & inmultiplicabilem reperiri in pluribus realiter distinctis, ac multiplicatis: Si primum, Natura divina non est prout sic communicabilis, ut fides docet: Si secundum, licet id doceat fides, est reddere idem per idem; siquidem esse prout sic idem in uno tertio communicabili, idem valet, atque esse idem cum illo, ex cujus identitate non sequitur identitas inter se; & illud prout sic esse communicabile, quod realiter, & indivisibiliter identificatur rebus inter se realiter distinctis; quod quidem videtur per se immediatè opponi illi principio, de quo agimus, & ad quod hominis exemplum est impertinens, cùm homo non sit aliquid singulare indivisibiliter, imò divisibiliter communicatum pluribus. Undè:

161. Respondeo octavò cum P. Soar. hîc *lib. 4. cap. 3. num. 7.* illud principium quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se, si spectetur in tota latitudine, & abstractione entis creati, & increati, esse falsum; siquidem, ait, collectum fuit à Philosophis ex creaturis, sicque in solis rebus creatis posse verificari, non autem in divinis; alioqui ex purè particularibus argueretur ad aliquid universalius, & à rebus finitis ad ens simpliciter infinitum, quod videtur esse contra lumen naturale. Non placet omninò, nam cùm in illo principio fundetur tota vis Syllogistica, quæ etiam in Deo locum habet (alioqui destrueretur vis arguendi contra hæreticos, & ethnicos in rebus divinis, quod non est dicendum,) videtur illud principium etiam in tota abstractione esse ratione aliqua verum, quamvis diverso modo applicandum sit rebus creatis, atque applicandum est divinis, in quo sensu verum est, quod dicit *P. Soar.* si dicat, illud principium esse falsum, si nimirùm applicetur eodem modo rebus divinis, quo applicatur rebus creatis, prout ex dicendis constabit.

SECTIO VI.

Vera responsio assignatur, & reliqua argumenta solvuntur.

ADvertes primò totam difficultatem illius principii, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, reduci ad rationem verificandi prædicata contradictoria à parte rei de eadem indivisibili entitate, quod apud Philosophos non admittitur. Patet, ideò enim necessum est, quæ sunt eadem in uno tertio, esse idem inter se, quia aliter essent idem, & non essent idem; essent idem, quia unum extremum sumptum cum illo tertio esset illud idem, quod est aliud extremum sumptum cum eodem tertio, cum quo etiam est idem; non essent idem, quia haberent realem distinctionem, & diversitatem; esse autem idem, & non esse idem sunt contradictoria. Et declaratur, quia omnia contradictoria ideò pugnant, quia repugnant illi principio, *Impossibile est idem simul esse, & non esse*; sed non minùs contradictoriè opponuntur esse idem, & non esse idem, quàm absolutè esse, & non esse; ergo tota difficultas illius principii reducitur ad oppositionem contradictoriam. 162.

Advertes secundò in divinis inter aliqua prædicata, ut sunt Intellectio, & Volitio, Essentia, & Relationes, dari, prout diximus in *Met. tract. 1. d. 3. sect. 19. & 20.* à parte rei distinctionem virtualem, seu eminentialem, & per æquipollentiam, qua scilicet Deus ob infinitatem subjecti est capax admittendi prædicata, quæ in creatis ob limitationem creaturæ non possunt à parte rei verificari absque distinctione reali, cujusmodi sunt *produci*, & *non produci*, *communicari*, & *non communicari*; nam eidem entitati quatenùs est Relatio convenit produci, & quatenùs est Natura convenit non produci; ut est Natura communicatur, & ut Relatio est non communicatur. Idem est de illis contradictoriis *generari, & non generari*, prout diximus loco proximè citato, & infrà dicemus. Undè Deus ob suam infinitudinem in ordine ad prædicata cõtradictoria à parte rei, continet æquipollenter distinctionem realem, seu capacitatem, quam ob suam limitationem, seu capacitatem limitatam non continet ens creatum, ideoque hanc capacitatem per æquipollentiam appellamus distinctionem virtualem intrinsecam, quia virtute æquipollet distinctioni reali, prout diximus loco citato. 163.

Advertes tertiò, singulare, seu particulare, licet opponatur Universali, non opponi communicabili; siquidem idem subjectum singulare potest communicari pluribus formis ab eo realiter distinctis & inter se, ut idem lapis pluribus accidentibus: & eadem forma pluribus subjectis, ut eadem anima pluribus partibus materiæ, & eadem albedo divinitùs pluribus subjectis; quia tamen data distinctione reali plurium ab uno tertio, ut datur in exemplis adductis, facilè intelligitur, quomodo illud tertium communicetur pluribus realiter distinctis; tota difficultas illius principii in Mysterio Trinitatis in eo consistit, quod Relationes non sic distinguantur realiter ab essentia, & tamen inter se realiter distinguuntur. His positis. 164.

Respondeo cum *P. Arriaga d. 43. sect. 3. à n. 12.* & apud illum ex parte *P. Vasq. & P. Valent.* illud principium: *quæ sunt eadem in uno tertio, sunt eadem* 165.

inter

inter se: sumptum in tota sua latitudine, & abstractione entis creati, & Increati, esse verum absolutè loquendo; neque enim indè sequitur, Personas divinas esse idem realiter inter se; siquidem cùm distinctio illa eminentialis, quæ datur inter Personalitates, & Naturam, sit virtute, & æquipollenter realis, facit in Deo à parte rei, quod efficeret distinctio realis, si ibi daretur, sicut datur in creatis; nam si Relationes divinæ sic realiter distinguerentur à Natura, benè intelligeretur, quomodò inter se realiter distinguerentur sine contradictione; sed distinctio illa virtualis ex natura rei, quæ datur inter Relationes, & Naturam eminentiori modo æquipollet distinctioni reali propter infinitatem subjecti; ergo tollit à parte rei eam contradictionem, cùm ut distinguantur inter se realiter, perindè sit distingui à Natura virtute, ac distingui realiter. Undè illud principium ita commodiùs distinguendum est: quæ sunt eadem in uno tertio, tam realiter, quàm virtualiter; tam formaliter, quàm æquipollenter, sunt eadem inter se; concedo: quæ sunt eadem in uno tertio realiter, à quo tamen virtualiter intrinsecè, & per æquipollentiam realiter distinguuntur, sunt eadem inter se; nego: Et in hoc secundo intelligendus est *P. Soar. cit.* quatenùs dicit principium hoc in tota sua latitudine esse falsum.

166. Adverte hîc juxta hanc explicationem, facilè applicari posse communem solutionem de qua supra *n. 160.* quatenùs dicitur, quæ sunt eadem in uno tertio, esse eadem inter se, si illud tertium sit incommunicabile, aliter verò si sit communicabile. Nam si urgeas id ipsum repugnare, quod scilicet eadem res singularis, & indivisibilis à parte rei per identitatem communicetur pluribus realiter distinctis: Respondeo id verum esse, quando id, quod communicatur non distinguitur ex natura rei æquipollenter ab illis pluribus realiter distinctis; nam si propter suam infinitam capacitatem habeat illam æquipollentiam, perindè se habet distingui virtute æquipollenter, ac distingui realiter; cùm autem distinctio realis faciat, ut aliquid tertium possit, licet singulare, communicari pluribus inter se realiter distinctis, id ipsum poterit efficere distinctio virtualis intrinseca, cùm sit æquipollenter realis.

167. Instabis 1. Per hunc explicandi modũ nihil aliud videtur dici, quàm quod illud principium non habeat locum in divinis, prout dixit *P. Soar. cit.* ergo &c. Respondeo negando antecedens, ut patet ex dictis: licet enim non habeat locum in divinis in sensu determinato ad ens creatum, illum tamen habet in sensu indeterminato, prout præscindit ab identitate tam reali, quàm virtuali, aut determinato ad ens divinum, prout in hoc cum identitate reali reperitur distinctio virtualis intrinseca, quæ æquipollet reali.

168. Instabis 2. Illud principium, si quid evidenter ostendit, ostendit utique, non posse plura magis distingui inter se, quàm distinguũtur ab uno tertio; sed hoc non ostendit in divinis; siquidem Personæ magis distinguuntur inter se, nempè realiter, quàm ab uno tertio, nempè ab Essentia, à qua solùm virtualiter distinguuntur; ergo per hanc explicationem non vitatur difficultas. Respondeo distinguendo majorem: ostendit nòn posse plura magis distingui inter se, quàm distinguuntur ab uno tertio, vel actu, & formaliter, vel virtute, & æquipollenter; concedo majorem: semper actu, & formaliter; nego majorem: in ordine autem ad vincendam contradictionem à parte rei, in qua est tota difficultas illius principii, ut diximus, perindè est in Deo distinctio illa eminentialis, ac si esset realis.

169. Inferes: Ergo sicut illa distinctio virtualis per æquipollentiam sufficit, ut contradictio illa tollatur; ita etiam sufficiet similis distinctio inter Personas, ut à parte rei dicantur plures Personæ, quin necessariò ad id admittamus distinctionem actu realem; hoc autem est contra fidem; ergo &c. Respondeo negando illationem: hæc enim distinctio non est admittenda ubi oppositum habemus ex fide, & communi sensu Ecclesiæ, sed ubi necessaria est ad explicandas res fidei; cùm autem hæc teneat inter Personas divinas dari distinctionem actu realem, quam tamen non admittit inter Personas, & Naturam, & alioqui de Natura, & Personis verificentur prædicata contradictoria, quæ verificari non possunt à parte rei sine distinctione aliquo modo reali, ideò hanc virtualem per æquipollentiam admittimus inter Naturam, & Personalitates, quia hæc sufficit, & necessaria est: illam verò actu, & formaliter realem damus inter Personas, quia illam admittere docet Fides. Et ratio est, quia Personalitates exercent inter se oppositionem originis, quam non exercent cum Natura; Concilia autem, & Sancti Patres constanter docent in divinis omnia esse idem, ubi non datur oppositio.

170. Instabis 3. Si propter infinitatem entis Increati admittitur hujusmodi distinctio inter Relationes, & Naturam, etiam admittetur inter Essentiam, & Attributa, cùm hæc participent eandem infinitatem; sed hoc dici non potest; alioqui sequeretur Attributa esse inter se realiter distincta, sicut realiter distinctæ sunt ipsæ Relationes: aut si non, neque etiam sufficiet illa distinctio, ut Relationes inter se distinguantur realiter; utrumque autem est contra fidem; ergo &c. Respondeo primò cum aliquibus juxta alibi dicta, concessâ majori, & negando minorem, ac ejus probationem; neque enim (dicunt) admissâ tali distinctione inter Essentiam, & Attributa, sequitur, quod Attributa distinguantur inter se realiter, sicut distinguuntur Relationes; siquidem distinctio realis non inducitur à distinctione eminentiali ab uno tertio inter extrema, nisi hæc aliundè opponantur; non autem sic inter se opponuntur Attributa, sed solæ Relationes.

171. Respondeo secundò, & meliùs negando majorem, quia distinctio illa eminentialis solùm est admittenda, ubi fides cogit ad verificanda prædicata à parte rei, & physicè contradictoria, quæ opus non est verificari de Natura, & Attributis, nisi ad plurimum intentionaliter, & quoad nos, ad quod sufficit distinctio virtualis quoad nos. Neque ratio infinitatis obstat; siquidem hæc solùm inducit talem capacitatem, sive distinctionem, ubi illa ex natura rei necessaria est juxta exigentiam prædicatorum.

172. Objicies secundò contra supra positam conclusionem: Una numero essentia unius rei est essentia & non plurium; sed in Trinitate ponitur una numero essentia plurium Personarum; ergo hoc Mysterium videtur esse contra rationem. Respondeo majorem esse veram, quando essentia est una incommunicabilis pluribus, & ab eis etiam virtualiter indistincta: non ita verò quando est communicabilis, & ob suam infinitatem ita se habet, ac si ab ipsis pluribus distingueretur; sic enim homo, quia est una natura in specie Petro, & Paulo communicabilis, in utroque est una,

una, & eadem essentia in specie; & sic Essentia divina, quia est communicabilis eadem numero pluribus Personis, Personæ unam, & eandem numero Essentiam habent. Patet in anima rationali, quæ quia distinguitur realiter à diversis partibus materiæ eadem numero omnibus illis communicatur.

173. Objicies tertiò: Duo contradictoria realia, & physica non possunt esse simul vera; sed in Trinitate reperiuntur duo contradictoria simul vera; siquidem verum est Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse tres res realiter propter tres Personalitates, & non esse tres res realiter propter eandem essentiam: Item verum est Patrem communicari Filio realiter, & non communicari realiter Paternitatem, quæ est idem realiter cum Natura; esse autem duo contradictoria simul vera est contra rationem naturalem; ergo &c.

174. Respondeo majorem esse veram, ubi contradictoria affirmantur de eodem, quod tam actu, & formaliter, quàm virtute, & æquipollenter est idem: at verò non ita, quando ob suam infinitatem est æquipollenter diversum: Personæ autem Divinæ sunt idem in natura, & diversæ in Personis, quæ cùm à natura virtute, & æquipollenter distinguantur, ideò in Personis sunt tres res, & non sunt tres res in natura. Similiter in Patre natura communicatur realiter, & non ita realiter communicatur Paternitas, quia Paternitas, & Natura modo eminentiori distinguuntur.

175. Objicies quartò: quia evidens est, formam syllogisticam concludere in omni materia; sed non ita concludit in Trinitate; ergo mysterium Trinitatis videtur esse contra rationem naturalem. Probatur minor, primò in Syllogismo expositorio, quia in divinis non concludit: *Hæc Essentia divina est Pater: hæc Essentia divina est Filius; ergo Pater est Filius.* Secundò, in syllogismo in *Darii* non valet; *Omnis Essentia divina est Pater: Filius est Essentia divina; ergo Filius est Pater.* Tertiò etiam non valet: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt alius, & alius, & alius; sed Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt Deus; ergo sunt alius, & alius, & alius Deus:* Quartò similiter non valet: *Deus est Pater Christi; Trinitas non est Pater Christi; ergo Trinitas non est Deus;* ergo &c.

176. Respondeo primò cum *P. Vasq. d. 123. n. 6.* formam syllogisticam non fundari in illo principio: *Quæ sunt eadem in uno tertio, sunt eadem inter se;* sed in illo alio *dici de omni, & dici de nullo.* Non placet, nam illud principium *dici de omni,* ut benè ostendit *P. Arriaga d. 43. sect. 2.* reducitur ad illud: *quæ sunt eadem in uno tertio, &c.* nam ideò quod dicitur de aliquo dicitur de omni sub illo contento, quia ea, quæ sub illo continentur, sunt in illo aliquo modo idem, & semper in omni forma syllogistica, sive syllogismo formaliter constituto, debent duo extrema uniri in eodem medio termino, tanquam in uno tertio.

177. Respondeo secundò cum aliis, formam syllogisticam non habere locum in divinis. Non placent, quia alioqui non haberemus formam arguendi contra hæreticos, quod est absurdum; & posset dici, mysteria divina esse contra rationem naturalem; siquidem essent contra formam syllogisticam, quâ evidenter, & secundùm rationem naturalem aliquid concluditur.

178. Respondeo tertiò, formam syllogisticam etiam in mysterio Trinitatis habere locum juxta capacitatem subjecti, si ibi rectè applicetur: Ad primam tamen probationem minoris dicimus, illum syllogismum non esse expositorium, nam licet essentia divina sit singularis, est tamen pluribus communicabilis: at verò in syllogismo expositorio, prout alibi diximus, medius terminus debet esse, non solùm singularis, sed etiam incommunicabilis. Undè similiter non valet: *Aliquis homo est Socrates; aliquis homo est Plato; ergo Socrates est Plato:* quia terminus *aliquis homo*, licet sit singularis, est tamen communicabilis, licet vagè, & indeterminatè. In divinis autem valeret sic: *Hæc Persona est Pater; hæc Persona est generans; ergo Pater est generans.*

Ad secundam dicimus inprimis, illum syllogismum non esse constitutum in *darii*, quia ejus major non est universalis. Secundò non esse expositorium juxta proximè dicta. Tertiò non valere, tum quia ejus terminus singularis notatur signo universali *omnis*: tum etiam quia mutatur terminorum suppositio, nam in majori *Essentia divina* sumitur pro natura determinata ad Personam Patris, quam non includit ut est in Filio; & in minori sumitur pro natura determinata ad Personam Filii, quam non includit ut est in Patre. 179.

Ad tertiam dicimus, illum syllogismum non valere, quia mutatur suppositio, nam in majori terminus *alius, & alius, & alius* supponit pro diversitate Personarum; in minori terminus *Deus* supponit pro identitate naturæ; & in conclusione terminus *alius* infert diversitatem naturæ. Ad quartam idem dicimus, nam in majori terminus *Deus* supponit pro natura determinata ad Personam Patris; & in consequenti supponit pro naturâ sumptâ in tota latitudine, prout subsistit in tribus Personis, nullam determinando. Aliæ similes propositiones videri possunt apud Doctores supra citatos *n. 138.* præsertim apud *P. Ruiz, P. Alarcon, & P. Arriag.* in quibus semper advertendum est ad modum distribuendi, & applicandi medium terminum; plerumque enim non valent, quia mutatur suppositio. 180.

SECTIO VII.

Vtrùm, & quomodo Mysterium Trinitatis sit supra lumen naturale?

HActenùs ostendimus, Mysterium Trinitatis non esse contra lumen naturale; nunc an, & quomodo sit supra illud, dicemus. Advertes tamen, lumen naturale posse dupliciter considerari: Primò, præcisâ revelatione naturæ indebitâ: Secundò suppositâ, & factâ revelatione, quâ præmissâ firmatus intellectus aliquas rationes scrutatur, aut evidentes, aut probabiles alicujus mysterii revelati. Hoc posito. 181.

Difficultas 1. Utrum Mysterium Trinitatis, præcisâ revelatione, possit lumine naturali cognosci? Dico 1. Mysterium Trinitatis, præcisâ revelatione, non potest lumine naturali cognosci evidenter quoad *quid est?* Est certa apud omnes Doctores Catholicos. Ita *P. Soar. lib. 1. cap. 11. n. 5. cum D. Thom. 1. p. q. 32. a. 1. P. Vasq. 1. p. d. 113. cap. 1. P. Becanus de Trinit. cap. 3. q. 3. P. Granad. tract. 6. d. 1. sect. 1. P. Vasq. 1. p. d. 133. cap. 2. P. Tanner. d. 4. q. 1. dub. 2. n. 3. P. Arrub. d. 115. cap. 2. P. Præpositt. 1. p. q. 27. dub. 2. P. Valent. 1. p. d. 2. q. 6. pun. 1. P. Alarcon. 1. p. tr. 5. d. 1. cap. 3. num. 7. P. Arriaga d. 43. sect. 4. P. Compton. tom. 1. d. 51. sect. 1.* 182.

sect. 1. n. 1. P. Rhodez. tom. 1. d. 6. q. 1. sect. 2. §. 1. & alii. Probatur primò ex illo Matt. 11. ibi: *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et Matt. 16. *Caro, & sanguis non revelavit tibi.* Et Joan. 10. *Deum nemo vidit unquam.* Et Proverb. 30. *Quod est nomen ejus, & quod nomen Filii, si nosti?* Ubi D. Hieron. *De Dei Patris*, inquit, *& Filii nomine dicit, cujus mysterium sacularis sapientia scire non potest, quamvis unum esse Deum..... intelligere potest*; ex quibus docemur, hoc mysterium solâ revelatione cognosci; ergo &c.

183. Confirmatur primò, quia Sancti Patres censent, generationem Verbi Divini esse supra omnem captum, etiam Angelorum, ut patet ex D. Ambr. lib. 1. de Fide cap. 5. *Mihi impossibile est*, ait, *generationis* (nempè Filii Dei) *nosse secretum. Vox silet, mens deficit, non tantùm mea, sed etiam Angelorum: supra Potestates, supra Angelos, supra Cherubim, supra Seraphim, supra omnem sensum est*; ergo &c. Secundò, quia mysterium Incarnationis non potest probari rationibus naturalibus, etiam quod sit possibile, ideo enim illud vocat abscondi-tum D. Paulus 1. Cor. 2. ibi: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.. .... quam nemo Principum hujus seculi cognovit*; sed mysterium Trinitatis non est minùs sublime, quàm sit Incarnationis mysterium ergo &c.

184. Probatur secundò ratione, quia cognitio quidditativa hujus mysterii, ut talis esset, deberet attingere clarè, & distinctè quidditatem, sive Essentiam Dei in hoc mysterio; siquidem quærentes quid est rei? quærimus illius definitionem, ut notavit *P. Recupit. lib. 2. q. 4. n. 2.* definitio autem est conceptus distinctus rei definitæ; sed in via non possumus efformare conceptum distinctum, sive distinctè repræsentantem hujus mysterii quidditatem, seclusâ revelatione; siquidem non possumus sic attingere, quod Personæ sint tantùm tres, nec plures, nec pauciores; quod communicent in eadem numero natura; quod prima ab alia non procedat; secunda procedat à prima; tertia procedat à prima, & secunda; quod secunda procedat per veram generationem, non ita verò tertia, quæ omnia sunt de quidditate hujus mysterii, & lumen naturale intellectûs excedunt; ergo &c.

185. Dices: Intellectus creatus potest naturaliter attingere Essentiam Dei singularissimam, quatenùs potest naturali lumine demonstrare, Deum esse unum in essentia, prout alibi diximus; sed in Mysterio Trinitatis est unus Deus in essentia; ergo intellectus creatus naturali lumine attingit hoc mysterium quoad *quid est*. Respondeo negando consequentiam: nam cognitio attingens aliquid essentiale objecti non dicitur illius quidditativa, sed quidditatis, sic enim cognitio animalis dicitur cognitio quidditatis, non autem quidditativa hominis: licet igitur intellectus creatus possit attingere naturaliter essentiam Dei singularissimam, talis cognitio solùm dicetur quidditatis, non autem quidditativa mysterii; siquidem non attingit totam essentiam mysterii, prout diximus. Accedit dato, quod essentia esset tota essentia mysterii, adhuc talis cognitio non esset illius quidditativa, cùm adhuc non esset clara, & distincta, quod ad cognitionem quidditativam requiritur, prout patet ex proximè dictis.

186. Dico 2. Intellectus creatus non potest naturaliter cognoscere hoc mysterium quoad *an est* evidenter, seclusâ revelatione. Ita Doctores citati. Probatur primò ex iisdem Scripturæ testimoniis. Secundò, quia cognitio creata evidens debet esse, aut immediatè ex propriis terminis, aut mediatè, idque aut à priori per causam; aut à posteriori per effectum; sed Mysterium Trinitatis nullo ex his modis potest evidenter cognosci ab intellectu creato lumine naturali, etiam quoad *an est*; ergo &c. Probatur minor, quia cùm termini in hoc mysterio sint valdè reconditi, non potest ex terminis immediatè cognosci: & cùm nulla detur causa hujus mysterii, non potest per illam mediatè cognosci à priori: similiter cùm nullus detur effectus proprius Trinitatis; siquidem omnes creaturæ ita sunt ab Omnipotentia, ut eodem modo essent ab illa, etiam si per impossibile non esset Trinitas, non potest per effectum à posteriori cognosci; ergo cùm nullum sit medium creatum respectu hujus Mysterii, non potest evidenter cognosci ab intellectu creato naturaliter, neque quoad *an est*.

Difficultas 2. Utrùm lumine naturali dari possit 187.
de hoc mysterio assensus, sive cognitio saltem probabilis? Negativè. Ita *P. Soar. cit. num. 10. P. Vasq. P. Granad. P. Præposit.* & alii. Probatur primò, quia ex pluribus locis Scripturæ, & Sanctorum Patrum apud Doctores citatos, constat hoc mysterium esse naturaliter investigabile; sed id non potest intelligi de sola cognitione evidenti; siquidem quæ probabiliter cognoscimus non sunt absolutè supra cognitionem, & investigationem naturalem; sic enim multa naturalia, & creata cognoscimus, imò plerumque non nisi probabiliter; ergo loquuntur de cognitione naturali, etiam probabili; consequenterque mysterium Trinitatis, neque prout sic potest naturaliter cognosci.

Probatur secundò, quia nullum datur medium 188.
sufficiens ad talem assensum probabilem, etiam cum formidine præstandum, neque à priori, neque à posteriori, ut diximus; ergo &c. Confirmatur, quia licet talis mysterii apprehensio aliqua occurrat, statim etiam occurrit illud principium: *quæ sunt eadem in uno tertio, sunt eadem inter se*, quod naturaliter videtur destruere omnem assensum etiam probabilem in contrarium; ergo &c.

Argues 1. Philosophi antiqui, ut Plato, & alii 189.
apud *P. Soar. cit. n. 12.* cognoverunt mysterium Trinitatis; & tamen fuerunt lumine supernaturali, & omni revelatione destituti; ergo &c. Respondeo Philosophos antiquos, qualemcunque habuerint Trinitatis notitiam, illam hausisse, tum ex sacris Libris: tum ex aliqua traditione ab Adamo: tum ex Sybillis, quibus Deus illud mysterium, sicut & alia revelavit; ac proindè id ortũ habuisse ex aliqua revelatione, saltem remotè. Addo, eos Philosophos, ut optimè notat *P. Soar.* non rectè, & sine errore sensisse de hoc mysterio; siquidem aut inæquales dicebant Personas, aut diversitatem naturæ apponebant.

Argues 2. In homine est imago Trinitatis juxta 190.
illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; sed imago naturaliter cognita est medium cognoscendi illud, cujus est imago; ergo &c. Respondeo hominem esse quidem, & dici imaginem Trinitatis, valdè tamen obscuram & imperfectam, quatenùs ut creatura rationalis participat vim intelligendi, & amandi, quæ cùm in Deo communis sit toti Trinitati, pertinet ad unitatem Dei in essentia, non autem ad diversitatem Personarum; sicque homo non potest esse medium ad cognitionem mysterii Trinitatis.

Argues 3. Plures videntur posse assignari ra- 191.
tiones, quæ licet non evidenter, saltem probabiliter suadeant, possibilitatem hujus Mysterii; sic

enim naturaliter cognoscimus, Deum esse Omnipotentem; ad Omnipotentiam autem spectat producere terminum ejusdem perfectionis secum; ergo &c. Resp. negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, licet cognoscamus Deum esse Omnipotentem, statim nobis occurri, non pertinere ad illam producere terminum ejusdem perfectionis cum Deo; alioqui produceretur alius Deus, quod repugnat lumini naturali.

192. Argues 4. Naturaliter cognoscimus, Deum esse intelligentem, & amantem: Similiter cognoscimus naturaliter, intelligere, & velle esse actiones, quæ important principia, & terminos realiter distinctos; ergo naturaliter sit cognoscibile esse in Deo Verbum, & amorem productum; non accidentalem; ergo substantialem, & ejusdem naturæ cum principio. Respondeo esse intelligentem, & amantem, aut naturali lumine cognosci in Deo esse per essentiam, & non importare actionem, & terminum distinctum propter immutabilitatem: aut si importet, non esse terminum substantialem: aut si talis sit, non esse æqualem, & multò minùs ejusdem individuæ Naturæ, quæ omnia sunt contra Mysterium Trinitatis.

193. Argues 5. Naturaliter cognoscimus quidquid perfectionis est in creaturis, debere dari in Deo, seclusis imperfectionibus; sed esse fœcundam, & generare sibi similem est perfectio creaturæ cum imperfectione multiplicitatis in natura; ergo naturaliter cognoscimus esse in Deo illam perfectionem sine hac imperfectione. Respondeo licet cognoscamus naturaliter, quod in Deo sit omnis perfecti› simpliciter, sive omnis perfectio creaturæ, seclusis imperfectionibus, multa tamen esse in creaturis, quæ ex suo conceptu non possunt exuere imperfectionem, ut esse corporeum, & similia; & hujus generis esse statim occurrit illud esse fœcundum, & generare sibi simile; siquidem hoc non potest naturaliter intelligi sine diversitate in natura, quod destruit Mysterium Trinitatis.

194. Argues 6. Naturali lumine cognoscimus, bonum esse communicativum sui; sed etiam sic cognoscimus, Deum esse infinitum bonum; ergo etiam sic cognoscemus se infinitè communicare; non *ad extra* producendo creaturas; ergo *ad intra* producendo personam infinitam, cùm Essentia produci nequeat. Respondeo negando minorem probationis; Deus enim infinitè se communicat *ad extra*: tùm quia creaturas potest magis, ac magis in infinitum producere: tùm etiam quia illas deducit, & extrahit per creationem ex nihilo, quod postulat potentiam infinitam.

195. Argues 7. Producere actu est perfectio; sed cognoscimus, Deum non producere actu ab æterno *ad extra*; ergo naturaliter possumus cognoscere produxisse ab æterno *ad intra* Personam divinam, ne dicamus fuisse ab æterno absque illa perfectione producendi, & generandi. Respondeo commmunicare se per productionem actualem non esse perfectionem boni; siquidem productio actualis, cùm absolutè loquendo, saltem in creatis, identificetur cum termino producto, & non cum producente, nullam dicit perfectionem in ipso producente. Undè ratio naturalis quando intelligeret, Deum non producere ab æterno, non intelligeret, eum carere aliqua perfectione: imò cùm non intelligeret productionem, & generationem absque diversitate, & multiplicatione naturæ productæ, diceret non posse aliquid divinum produci, & generari.

196. Argues 8. Sine consortio non est perfecta felicitas; sed Deus est perfectissimè beatus; ergo necessariò debet habere societatem, & consortium Personarum. Respondeo intellectum potiùs assentiri, bonum infinitum non indigere consortio alterius ad sui felicitatem, quàm habere consortium Personarum: tùm quia jam non esset bonum infinitum, cùm non esset sibi sufficiens: tùm quia consortium personarum videretur destruere singularitatem, & unitatem Dei: tùm etiam quia si adstrueret consortium personarum, eâdem suasione adstrueret etiam multiplicitatem naturæ, quæ destruit Mysterium Trinitatis. Undè argumentum solùm potest locum habere in creatis ob suam limitationem.

197. Argues 9. Philosophi naturaliter cognoscunt, animam rationalem esse totam simul in pluribus partibus materiæ realiter distinctis; ergo indè saltem probabiliter possunt cognoscere, non repugnare, eandem naturam esse totam in pluribus Personis realiter distinctis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia benè intelligitur quomodo anima rationalis possit tota correspondere pluribus partibus materiæ realiter distinctis, à quibus ipsa etiam realiter distinguitur; ex hoc enim non sequitur, aliqua inter se realiter distincta esse idem in uno tertio indistincto: at verò non intelligitur quomodò eadem indivisibilis natura sit idem realiter cum Personis, quæ realiter non sint idē inter se, in quo consistit Mysterium Trinitatis.

198. Argues 10. Naturaliter cognoscimus, hoc Mysterium non posse demonstrari impossibile; siquidem cùm sit verum in se, verum autem non contradicat vero, non potest impossibile demonstrari; ergo naturaliter cognoscimus posse demonstrari possibile; siquidem inter possibile, & impossibile, cùm sint contradictoria, non datur medium. Respondeo negando antecedens; cùm enim ante revelationem non cognoscamus hoc Mysterium, non implicat, quod judicemus, licet falsò, posse illud demonstrari impossibile; imò ratio naturalis ita judicabit, quatenùs intellectus, dùm experitur in creatis non posse stare unitatem naturæ cùm pluralitate personarum, sibi relictus judicabit id esse in Deo impossibile; siquidem nteretur in illo principio: *Quæ sunt eadem in uno tertio, sunt eadem inter se*; quod verum experitur in creatis.

199. Advertes tamen, tale Mysterium non posse quidem impossibile demonstrari, si loquamur de demonstratione rigorosa, quæ debet esse vera, ut probat argumentum; ex hoc tamen non benè infertur posse demonstrari possibile; nam licet possibile, & impossibile sint contradictoria, quorum unum sequitur necessariò ex negatione alterius; tamen non posse demonstrari impossibile, & posse demonstrari possibile, non sunt contradictoria, quia non cadunt supra idem prædicatum, quod erat necessarium, ut essent contradictoria, ficque non sequitur unum ex negatione alterius; neque ex eo, quod non possimus demonstrare impossibile hoc Mysterium sequitur, posse illud demonstrare possibile; siquidem cùm desintad utrumque media sufficientia, neutrum potest demonstrari. Undè quando D. Thom. hîc docet, posse nos cognoscere, & defendere, hoc Mysterium non esse impossibile, loquitur, posita revelatione, quâ suppositâ, etiam hæretici naturaliter cognoscunt Trinitatem.

200. Argues 11. Ex eo, quod actus liberi dicant perfectionem, illos naturaliter cognoscimus in Deo, semotâ imperfectione mutationis, & distinctionis,

quæ

quæ reperitur in actibus liberis creatis; sed communicatio naturæ est perfectio; ergo illam naturaliter cognoscemus, in Deo, semota imperfectione multiplicationis, & distinctionis naturæ, quæ reperitur in creatis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia ratio naturalis cogit admittere in Deo libertatē, ne dicamus, Deum necessariò operari; & cùm naturali etiam ratione constet, Deum esse immutabilem, & simplicissimum, ideò sine imperfectione mutationis, & distinctionis naturaliter ei concedimus actus liberos: at verò ut Deo concedamus cōmunicationem naturæ pluribus realiter distinctis sine ejus divisione, & multiplicitate, nulla ratio naturalis cogit, imò contrarium videtur ex creaturis probari, ut patet ex dictis.

201. Argues 12. Mysterium Trinitatis potest apprehendi, dubitando, an sit probabile; siquidem impossibilia sæpè apprehendimus, de quibus disputamus; sicque à fortiori poterimus apprehendere possibilia, quale est hoc mysterium, imò de facto datur; ergo positâ hujusmodi apprehensione possumus per illam mysterium Trinitatis attingere. Respondeo primò cum *P. Soar. cit. n. 11.* seclusâ omni revelatione, non posse talem apprehensionem in cor hominis ascendere; siquidem nullum est objectum naturale, quod illam, aut mediatè, aut immediatè possit excitare, sicut potest nos excitare ad aliqua etiam impossibilia apprehendenda. Respondeo secundò, dato antecedente (neque enim procedit quæstio de cognitione apprehensiva, sed judicativa,) negando consequentiam; nam licet intellectus apprehenderet hoc mysterium, dubitando, an esset possibile, statim etiam appareret impossibile, ut constat ex dictis propter illud principium: *quæ sunt eadem in uno tertio, &c.* sicque aut unam tantùm Personam, sicut unam naturam, aut diversas naturas, sicut Personas judicaret.

202. Argues 13. Multa entia supernaturalia possumus, saltem probabiliter cognoscere lumine naturali; ergo etiam sic poterimus cognoscere hoc mysterium, licet sit supernaturale. Respondeo dato antecedente, de quo jam alibi; negando consequentiam; diversa ratio est, quia hoc mysterium non est supra cognitionem, etiam probabilem luminis naturalis, ex eo præcisè, quod sit supernaturale, sed ex eo, quod tantæ sit excellentiæ, ut nullum habeat principium in natura suæ cognoscibilitatis, imò potiùs in contrarium maximæ sint difficultates naturaliter cognoscibiles: at verò aliqua entia supernaturalia possunt habere principia suæ cognitionis probabilis, & eas difficultates ex opposito non inducunt ex suo conceptu.

203. Difficultas 3. Utrùm saltem ex aliquo auxilio gratiæ ordinis naturalis possit haberi assensus evidens, aut saltem probabilis hujus mysterii Trinitatis? Negativè. Ita *P. Soar. P. Vasq. P. Ruiz. P. Martinon.* & alii supra citati. Probatur primò ex illo 1. Cor. 2. 11. ibi: *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*, ubi illuminatio Spiritus Sancti, quæ semper est gratia supernaturalis requiritur ad hujusmodi cognitionem; ergo &c.

204. Probatur secundò, quia posito hujusmodi auxilio ordinis naturalis, aut Deus concurreret ad talem cognitionem cum intellectu creato ei infundendo speciem sui propriam: aut ei proponendo aliquod medium naturale, ex quo eliceret talem cognitionem: Non primum, nulla enim datur species naturalis, & debita alicui intellectui naturali de mysterio Trinitatis, cùm sit objectum supernaturale: Non secundum; tale enim medium debebat esse aliquis effectus; nullus autem datur effectus proprius Trinitatis; siquidem Deus ut Unus, & non ut Trinus operatur *ad extra*; ergo &c.

Oppositum tenent *Scot. in 2. dist. 3. q. 9. & in 4. dist. 49. q. 11. Major in 2. dist. 3. q. 5. conclus. 5. & q. 3. prolog. Bassol. q. 1. prolog. a. 2. Ocham. q. 1. prolog. a. 5. concl. 2. 3. & 4.* & alii asserentes posse Angelo infundi species proportionatas ejus virtuti naturali intelligendi, & inservientes ad actum merè naturalem hujus mysterii, quæ quidem species solùm erunt supernaturales, quatenùs à Deo sunt infusæ, naturales tamen, quia ad eliciendum actum ordinis naturalis inservirent. Quoad cognitionem mediatam per alienas species evidentem de hoc mysterio videntur etiam tenere *Henricus, Cajet. & Durand.* Quoad cognitionem verò probabilem, supposito auxilio ordinis naturalis, affirmat *P. Alarcon. tract. 5. d. 1. cap. 3. num. 10.* pro omnibus: 205.

Objicies 1. In tali cognitione per hujusmodi speciem à Deo infusam nulla apparet repugnantia; ergo &c. Respondeo negando antecedens: talis enim species esset, & non esset supernaturalis: esset utpotè supra exigentiam totius naturæ, seu intellectûs naturalis: non esset, tum quia ita supponitur: tum quia inserviret virtuti naturali intellectûs naturaliter operantis; hæc autem implicant. 206.

Objicies 2. Ideò non posset, prout sic attingi mysterium Trinitatis, quia cùm sit objectum supernaturale, non potest de illo dari species naturalis; sed hæc potest dari de objecto supernaturali, ut patet in specie memorativa relicta ab actu supernaturali; ergo &c. Respondeo primò cum aliquibus, actum supernaturalem nullam relinquere speciem memorativam, quod probant exemplo Visionis beatæ. Non placent, quia eadem est ratio de actibus naturalibus, atque de supernaturalibus; sed illi relinquunt species sui memorativas; ergo etiam isti. Neque obstat exemplum Visionis Beatæ; siquidem hæc, cùm de se sit perpetua, & indelebilis, non curat relinquere speciem sui vicariam, & memorativam. 207.

Respondeo secundò negando absolutè minorem, & ejus probationem; species enim memorativa actûs supernaturalis est etiam supernaturalis, ut tenent *P. Soar. P. Arrub. P. Turrian. P. Alarcon. & P. Tellez d. 70. sect. 5. num. 14.* Nec obstat, quod hæreticus recordetur actûs fidei præteriti; siquidem talis recordatio provenit ab specie memorativâ naturali relictâ ab actu fidei, non supernaturali, sed naturali, qui simul cum supernaturali elicitur, ut multi docent. 208.

Objicies 3. Trinitas non est magis supernaturalis, quàm Deus; sed Deus potest evidenter cognosci per alienas species; ergo etiam Trinitas. Respondeo primò, argumentum, si valeret, etiam probare, posse Trinitatem cognosci sine auxilio gratiæ ordinis naturalis; siquidem sic cognoscitur Deus, & ejus Omnipotētia, quod tamen repugnat. Respondeo secundò negando majorem: nam in ratione objecti magis supernaturalis est Trinitas, quàm Deus; siquidem ad cognoscendum Deum dantur media, nempè effectus naturales; non ita verò ad cognoscendam Trinitatem, ut diximus. 209.

Instabis: Omnipotentia, & Providentia divina possunt cognosci per effectus; sed illæ connectuntur essentialiter cum Trinitate; ergo hæc ex auxilio gratiæ ordinis naturalis poterit evidenter cognosci. Respondeo negando consequentiam; neque enim sufficit illa connexio, ut cognitâ Omnipotentiâ 210.

potentiâ, naturaliter possit cognosci Trinitas evidenter; siquidem illa connexio est identica, & materialis, non autem formalis; & cognitio illa Omnipotentiæ est naturalis, & imperfecta, & quoad *an est*, neque est illi adæquata in ratione objecti.

211. Objicies 4. Ex D. Athan. *Orat. 2. & 3. contr. Arianos*, ubi docet, Philosophos fuisse inexcusabiles, qui nullam cognitionem hujus Mysterii voluerunt admittere; sed non ita fuissent inexcusabiles, si saltem probabiliter non potuissent illud attingere; ergo &c. Respondeo Philosophos dici inexcusabiles, aut quia noluerunt admittere cognitionem Trinitatis ab Scripturis, vel traditione inculcatam: aut quia si facerent, quod in se erat, Deus illos circa tale Mysterium illustraret, ut illud agnoscerent: quo sensu sunt etiam inexcusabiles quoad alia fidei mysteria.

212. Objicies 5. Rationes, & similitudines supra adductæ, si ex auxilio speciali ordinis naturalis perfectè penetrentur, videntur sufficere ad inducendum, saltem Angelum ad assensum probabilem hujus Mysterii; ergo &c. Respondeo negando antecedens; rationes enim, & similitudines non inducunt ad cognitionem Trinitatis absque errore ex quocumque auxilio speciali ordinis naturalis; siquidem nunquam potest vincere illam difficultatem illius principii: *Quæ sunt eadem in uno tertio, &c.* Ex dictis.

213. Colliges primò, quæ hactenùs dicta sunt, procedere tam de intellectu humano, quàm Angelico; siquidem etiam Angelus non potest divina cognoscere naturaliter, nisi per effectus naturales; hi autem solùm ostendunt Deum ut unum, non verò ut Trinum in Personis. Secundò præcedentem doctrinam præscindere ab eo, quod sit possibilis substantia creata supernaturalis intellectiva, de quâ jam alibi in Metaphysica; nam si hæc admittatur possibilis, (quod nos cum probabiliori sententia negavimus in *Met. tract. 2. d. 5. sect. 12. à num. 425.*) jam ejus lumen intellectuale non erit naturale, sed supernaturale, respectu cujus aliquod medium supernaturale, nempe actus fidei, aut Visio Beata poterit esse medium ad cognitionem hujus Mysterii.

SECTIO VIII.

Vtrùm, suppositâ revelatione Divinâ, possit naturali lumine cognosci Mysterium Trinitatis?

214. ADvertes primò, hanc revelationem dupliciter fieri posse, aut obscurè, prout fit in via; aut evidenter, prout fit in Patria. De hac posteriori nulla est quæstio; siquidem certum est in Patria revelari hoc Mysterium Beatis revelatione clarâ, & evidenti, nempè per manifestam visionem, quâ videtur Deus, sicuti est. De revelatione autem viæ obscurâ, & inevidenti procedit quæstio.

215. Advertes secundò, non procedere quæstionem de cognitione fundatâ in revelatione divinâ absque discursu, qui sit ratio assentiendi objecto revelato; talis enim cognitio est fides supernaturalis: non etiam procedere de cognitione habita ex discursu, in quo ponitur aliqua propositio revelata; talis enim cognitio est assensus Theologicus: sed solùm procedere de cognitione merè naturali, quæ tamen supponat revelationem divinam, non ut causam, sed ut removentem impedimenta ad hoc, ut intellectus possit invenire rationes naturales, quibus hoc Mysterium evidenter, aut saltem probabiliter demonstretur. His positis.

Difficultas 1. Utrùm, suppositâ revelatione Divinâ, possit intellectus creatus naturaliter demonstrare cognitione evidenti Mysterium Trinitatis? Negativè. Ita *P. Soar. hîc lib. 1. cap. 12. num. 8. P. Vasq. d. 133. cap. 2. P. Valent hîc q. 6. punct. 1. P. Molin. Caiet. Bannez. Zumel. D. Bonav. in 1. dist. 3. art. 1. q. 4. Scot. quodlib. 14. Durand. q. 3. prolog.* quos citat, & sequitur *P. Granad. tract. 6. sect. 1. P. Arrub. d. 115. cap. 2. num. 7. P. Tanner. d. 4. q. 1. dub. 2. num. 3. P. Arriaga d. 43. sect. 4. P. Becan. P. Ruiz d. 43. sect. 2. P. Alarcon. tract. 5. d. 1. cap. 4. n. 2.* & alii. Probatur primò, quia secluså revelatione, non potest naturaliter demonstrari evidenter hoc Mysterium; siquidem nulla res naturalis ex se habet proportionem, & connexionem necessariam cum illo, ut patet ex dictis; sed revelatio illam non confert; ergo etiam, posita revelatione, non potest de illo dari demonstratio evidens naturalis. 216.

Probatur secundò, quia talis evidentia, aut considerari potest in eo, qui habet fidem; aut in illo, qui eam non habet, neque credit: Non primum; siquidem fides, cùm sit inevidens, non inducit evidentiam in objectum, quod de se illam non habet: Non secundum, & quidem à fortiori; alioqui non posset evidentiæ refragari, & priùs assentiretur, quàm crederet; neque in eo necessaria esset pia affectio, quod est falsum; ergo &c. 217.

Oppositum tenent *Raymund. Lullus*, de quo latè *P. Granad. cit. Durand. in 1. dist. 2. q. 4. Richard. de S. Victor. lib. 1. de Trinit. cap. 4. & lib. 3. cap. 5. & lib. 9. cap. 1. Henricus quodlib. 8. q. 14. & quodlib. 12. q. 2. apud P. Soar. cit.* pro quibus: Objicies 1. Mysterium Trinitatis non potest demonstrari impossibile, cùm sit verum; verum autem non potest esse evidenter falsum; ergo potest demonstrari possibile: tùm quia inter possibile, & impossibile non datur medium: tùm etiam, quia ex negativa de prædicato finito, qualis est hæc: *Mysterium Trinitatis non potest demonstrari impossibile*: rectè sequitur affirmativa de prædicato infinito, qualis est hæc: *ergo potest demonstrari non impossibile*: non impossibile autem, & possibile idem sunt; ergo &c. 218.

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam, & ad primam ejus probationem dicimus, inter possibile, & impossibile secundùm se non dari medium; dari tamen quoad cognitionem; potest enim intellectus ex defectu mediorum negativè se habere non cognoscendo evidenter ejus possibilitatem, aut impossibilitatem. Ad secundam neganda est sequela; *ergo potest demonstrari non impossibile*; sequitur enim hæc; *ergo potest non demonstrari impossibile*, quæ est vera; siquidem negatio debet afficere totum prædicatum, nempè *demonstrari impossibile*. 219.

Objicies 2. ex doctrina Raymundi Lullii intendentis probare evidenter, suppositâ fide, esse in Deo pluralitatem Personarum. Non est minoris actualitatis, potestatis, & nobilitatis bonitas infinita, quàm finita; sed hæc est ratio ob quam bonum finitum producat de se, & naturaliter bonum finitum; ergo etiam illa, quam Deus habet, erit ratio producendi naturaliter, & ex se bonum infinitum; sed hoc non potest esse, nisi Deus; ergo Deus naturaliter producit alium Deum, non distinctum in natura, cùm sit impossibile; ergo in 220.

Per-

persona; siquidem inter producens, & productum debet dari aliqua distinctio realis.

221. Respondeo non semper ex bonitate inferri in creaturis communicationem, ita ut quo major est, eo magis se communicet producendo; siquidem substantiæ Angelicæ inter res creatas majorem habent bonitatem; & tamen non nisi accidentia producunt, nempè suos actus intellectûs, & voluntatis, & motum. Unde ad bonitatem infinitam non requiritur, quod se naturaliter communicet producendo actu aliquid infinitum, sed quod possit se in infinitum cõmunicare producendo in infinitum creaturas ex nihilo, in quo satis excedit bonitatem, & communicationem totius creaturæ.

222. Objicies 3. Quod est purus actus, æternus, & infinitus, agit æternè, & infinitè, producendo aliquid æternum, & infinitum; sed Deus est purus actus, æternus, & infinitus; ergo agit producendo aliquid æternum, & infinitum, nempè Deum: non distinctum in natura; ergo in persona. Confirmatur, quia proprium Deo est operari magna; sed nihil est simpliciter magnum, nisi Deus; ergo Deus producit Deum.

223. Respondeo negando majorem, si sermo sit de productione propria, jam enim esset potentia, & non purus actus; secùs verò de productione impropriâ, metaphoricâ, & grammaticali, qualis est productio actuum intelligendi, & volendi, qui solùm ratione distinguuntur à Deo, & ab ejus facultatibus quasi producuntur. Ad confirmationem dicimus, magnitudinem Dei ex eo commendari, quod ab alio produci nequeat, & omnia infra ipsum, licet magna sint, ab ipso producantur.

224. Objicies 4. Idem est in Deo existere, & agere; sed Deus est Deus in existendo; ergo & in agendo; ergo agit, & producit Deum; alioqui non esset Deus in agendo, sicut est in existendo. Respondeo illud agere, aut dici *ad intra*, aut *ad extra*: Si primum, vera est major; falsum tamen, quod ratio naturalis cognoscat in Deo proprium, & rigorosum agere *ad intra*, cùm Deum cognoscat improductum: Si secundum, falsa est major; siquidem agere actuale *ad extra* non est ipse Deus, cùm sit quid creatum identificatum cum effectu. Neque ut Deus sit Deus in agendo necesse est, quod producat alium Deum, sed quod possit ex nihilo agere quæcumque voluerit independenter à quovis alio.

225. Objicies 5. Essentia, & Potentia Dei, cùm sint infinitæ, distant infinitè à nihilo; sed non ita distarent, si de se, & naturaliter non producerent aliquid: siquidem tunc sibi annexum haberent ipsum nihil, si nihil producerent; ergo aliquid sic producunt; non finitum, cùm potentia sit infinita, simplex, & indivisibilis; ergo infinitum; consequenterq; Deum. Respondeo producere finitum *ad extra*; neque enim apparet cur illud, quod producit, debeat esse infinitũ, ex eo quod ejus potentia sit infinita, simplex, & indivisibilis in se, cùm multa finita videamus producta; neque enim potentia, licet sit infinita, producit modo infinito, sed finito.

226. Objicies 6. Nobilius est ens, quod, cùm sit infinitum, & æternum, infinitum, & æternum facit, quàm illud, quod non facit; alioqui melior esset potentia, & privatio actûs, quàm ipse actus; sed Deus est ens nobilissimum, infinitum, & æternum; ergo producit aliquid infinitum, & æternum; consequenterque Deum. Respondeo majorem esse falsam; nam si infinitum, & æternum Deus produceret; aut esset idem Deus, qui ipse; aut alius: Non primum, id enim ratio naturalis credit impossibile; siquidem idem numero Deus non potest esse productus, & improductus: Non secundum; nam etiam ratio naturalis judicat id impossibile, cùm unus tantùm Deus demonstretur possibilis.

227. Instabis: Quamdiu Deus infinitus non producit terminum infinitum, non videtur produxisse aliquid adæquatum suæ bonitati; ac proindè se communicasse quantùm postulat; ergo &c. Respondeo eam esse Dei excellentiam, ut nihil sibi adæquatum possit producere, sed omnia ab ipso distent infinitè, & sint in infinitum producibilia.

228. Objicies 7. ex eodem Lullio contendente demonstrare, unam Personam esse Patrem, & aliam Filium: Quod producitur ab alio secundùm naturæ operationem, & principalem modum, & ordinem producendi, estque in eadem natura cum producente, est Filius, & qui illum producit, est Pater; sed ita se habent in Deo producens, & productus; ergo in Deo est Pater, & Filius. Respondeo hanc non esse demonstrationem: tum quia minor non demonstratur, ut patet ex dictis: tum etiam, quia productiones divinæ debent esse per intellectum, & voluntatem, sicque ex vi productionis solùm fit, ut communicentur intellectio, & amor terminis productis, non autem demonstratur evidenter, esse Filium, cui ex vi productionis communicatur solus actus intellectûs, licet identicè communicentur cœtera.

229. Objicies 8. ex eodem Lullio intendente demonstrare in Deo esse tertiam Personam. In Deo debet necessariò esse amor, quo Pater, & Filius se diligant; ergo in Deo est tertia Persona, quæ sit amor; alioqui si amor in Deo non esset aliqua peculiaris persona, foret quid accidentale; cùm tamen sit evidens non esse in Deo accidens. Respondeo amorem, quo Deus se diligit, esse actum essentialem indistinctum ab aliis Personis, & non esse personam formaliter loquendo, licet sit substantialis, utpotè essentialis tribus Personis.

230. Objicies 9. Inter Patrem, & Filium debet esse summa concordia; sed hæc non reperietur, nisi amor sit Persona, in cujus productione Pater, & Filius æqualiter concordent, quantùm ad omnes rationes, & dignitates; ergo &c. Respondeo primò cum *P. Soar.* negando majorem: concordia enim propriè requirit distinctionem, non tam in personis, quàm in voluntatibus, cùm sit diversorum cordium, seu voluntatum unus simul consensus, ut dicit *D. Thom. 2. 2. quæst. 29. art. 1.* cùm autem in Deo unum tantùm sit velle, potiùs in eo est unitas, quàm concordia. Patet in Christo Domino, in quo datur concordia ratione voluntatis humanæ, & divinæ; cùm tamen sit unum tantùm supposítum. Secundò, ad summam concordiam sufficere amorem infinitum, licet non distingueretur, nec realiter produceretur à Patre, & Filio.

231. Objicies 10. Si in Deo ponantur tres Personæ, omnes ejus dignitates, & perfectiones habebunt suos actus intrinsecos, & perfectos secundùm suas proprias rationes, sicque bonitas habebit bonificativum, bonificabile, & bonificare; magnitudo magnificativum, magnificabile, & magnificare; sicque de aliis; si autem in Deo non ponatur pluralitas, nulla dignitas, & perfectio divina habebit suum actum naturalem sibi proprium, & intrinsecum, imò omnes erunt otiosæ, & carentes naturali perfectione, & fœcunditate; ergo &c.

232. Respondeo primò, Deum esse purissimum

actum in se ipso, nec posse habere alium actum, qui sit operatio præter intellectionem, & amorem, qui ab ipso Deo non distinguuntur, nisi tantùm ratione, & quoad nos. Respondeo secundò, proportionem illam bonificativi, bonificabilis, & bonificandi, sicq; de aliis, multipliciter redolere falsitatem; nam si sensus sit intra ipsum Deum produci aliquid mediâ bonitate formaliter loquendo, est falsum, & plusquam temerarium; siquidem Processiones divinæ solùm sunt per intellectum, & voluntatem. Accedit, quod bonificativum in hoc modo loquendi non potest esse alia Persona, nisi Pater, sicut bonificabile erit Filius, & bonificare Spiritus Sanctus; talis autem modus nominandi, & declarandi Personas divinas, est novus, nec legitur apud Sanctos Patres, & Doctores qui tanto studio, ac religione mysterium Trinitatis declarant, & nomina ad declarandum usurpant.

233. Hactenùs Raymundus Lullius homo natione Catalaunus, qui cùm juvenis mercaturam exercuisset, postea in solitudinem se recepit, ubi cùm nec Latinam linguam, ne dùm abstrusas scientias didicisset, patrio sermone 20. libros conscripsit, in quibus tam de divinis, quàm de humanis novâ quâdam, & multis admirabili arte conscripsit, cujus tamen opera adhuc sub Judice sunt, licet ipse, qui anno 1301. obiit, præfatam doctrinam divinitùs acceptam testetur à Christo Domino, qui sub imagine Cruci affixâ ei objectus est, ut refert *Joan. Mariana lib. 15. de rebus Hispaniæ cap. 4.* additq; authorem istum esse sine dubio laudandum, quod studio religionis Catholicæ propagandæ in Africam profectus sit, ubi cùm prædicandi, monendi, castigandique finem non faceret, lapidibus obrutus est; & corpus ejus in Balearem majorem translatum in maxima populorum veneratione habitum est.

234. Contrarium tamen sentiunt alii, nam in *2. part.* Directorii quæsitorum fidei *pag. 189.* dicitur, illum, qui Raymundo crucifixus apparuit, credi fuisse dæmonem, non Christum Dominum, diligentiâq; Nicolai Zymerici ex præcepto *Gregor. XI.* fuisse doctrinam Raymundi à 20. Theologiæ Magistris examinatam, & in ea inventos 500. errores à prædicto *Gregor. XI.* damnatos in bulla speciali; ex quibus 100. referuntur à Petro Episcopo Tarraconensi in prædicto Directorio, ubi *pag. 196.* recensentur 12. errores Lullistarum, quorum ultimus est: quod Raymundus est in Cælis Beatus, & pro tali habendus à suis Sectatoribus, & nominandus.

235. Attamen *P. Uasq. d. 133. cap. 4.* ubi de censura doctinæ Raymundi agit, dicit Romæ anno 1590. dum ipse ibi moraretur, fuisse de hac re celebrem disputationem, multaque esse inventa in defensionem Raymundi; siquidem neque Bulla illa *Gregor. XI.* invenitur, & nonnulli putant fuisse confictam ab Eymerico. Additque P. Vasquez non obscurè ostendi à doctissimo Ludovico de Paramo Inquisitore Siciliæ, Opera Raymundi non esse prohibita, & concludit Raymundum in multis habuisse Spiritum Dei, ut ejus scripta indicant, licet aliqua ex proprio cerebro depromere potuerit, quæ etsi catholica, & vera essent, duriùs tamen, quàm par erat ab eo dicerentur, & explicarentur. Vide *P. Vasq. cit. & P. Soar.*

§.

Quid autem ego sentiam, quænam fides adhibenda sit prædicto Nicolao Eymerici, & quâ in veneratione habendus sit prædictus Raymundus Lullius tertii Ordinis S. Francisci Seraphici satis constabit ex Sententia definitiva, quæ in venerationem, & defensionem prædicti Raymundi prolata fuit, & ex publico Edicto, quod adversus prædictum Nicolaum evulgari jussit Joannes Aragoniæ Rex, quod quidem Edictum, & definitiva Sententia videri possunt in 4. parte Chronicæ hujus præclarissimæ & religiosissimæ, ac de Ecclesiâ emeritæ familiæ, quæ morum integritate, vitæ exemplo, & doctrinæ splendore, depravatos adjuvat, ut resipiscant, incorruptos ædificat, ut crescant, cœcos illuminat, ut videant, ibi enim *lib. 4. cap. 4.* ubi inter illustres sanctitatis Viros, & præclarissimos Ecclesiæ Martyres prædictum Raymundum enumerat, quæ subsequuntur apponit.

Sententia Definitiva.

PRo tanto nos Bernardus Episcopus, & Commissarius prædictus authoritate Apostolicâ nobis in hac Parte commissâ, dicimus, volumus, & decernimus, & pronuntiamus, quod quidquid inveniatur quomodocumq;, & qualitercumq; enarratum, mandatum, comminatum, processum, factum occasione, auctoritate, seu ratione dictæ subreptitiæ, ac obreptitiæ Bullæ, & de falsitate evidenti nimis suspectæ, teneatur pro vano, cassso, irrito, & nullo, & pro infecto, seu non facto à omnibus reputetur: sicut & nos ex potestate nobis attributa superiùs, qua ex nostro Officio nobili utimur, & uti volumus, prædictis attentis, cassamus, irritamus, annullamus, seu ad nihilum reducimus, reducentes etiam authoritate Apostolicâ ipsum Doctorem Raymundum Lull. & omnia dicta, scripta, & opera sua, & omnia alia ratione prædicta quomodocumq;, & qualitercumq;, & per quemcumq;, & contra quoscumq;, & coram quibuscumque processa, & actitata ad statum pristinum, & primarium, ac si in contrarium eorum, nil unquam fuisset dictum, scriptum, vel aliàs quomodolibet enarratũ. Reservantes & submittentes correctionem, determinationẽ, aut authorisationem doctrinæ dicti Doctoris, Sedi Apostolicæ, cujus est de talibus cognoscere, & ordinare, sicut ipsemet Doctor, utpotè Catholicus, expresè submittit. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præmissorum præsentes nostras litteras, seu præsens publicum instrumentum per Notarium publicum infrascriptum fieri, & publicari mandavimus, nostriq; sigilli appensione muniri. Datum, & actum Barcinone, sub anno à Nativitate Domini, millesimo, quadringentesimo, decimonono, die vigesima quarta mensis Martii.

Edictum.

JOANNES Dei gratiâ Rex Aragonum, Valentiæ, Majoricarum, &c. dilectis, & fidelibus nostris, &c. Salutem, & dilectionem. Vobis notum facimus per præsentes, quod nos dudum contra illum hominem pestilentem Patrem Nicolaum Eymerici, nostri, & nostrorum subditorum publicum inimicum, suis detestabilibus, & depravatis actibus exigentibus provisiones fecimus subsequentes.

JOANNES Dei gratiâ Rex Aragonum, &c. Universis, &c. Salutem, & dilectionem. Culpis gravibus contra nostram Regiam Majestatẽ, & quod multò magis nos aggravat, in divinam commissis per illum nequam hominem Patrem Nicolaum Eymerici de Ordine Prædicatorum, colore Officii Inquisitionis hæreticæ pravitatis, cui nunc usque, in Regnis, & terris nostris damnatissimè præfuit, multipliciter exigentibus, quas pro nunc ex quadem urbanitatis modestia, & ne ipsius licet, pessimi veruntamen naturalis Imperii, nostri unde omnes appetimus, tam in fama, quàm in moribus esse cæteris meliores, rea nimis infamia sigillatim in aures

veniat

veniat populorum, omittimus, eundem Patrem Nicolaum nostræ reverentiæ, & honori, ac etiam fidei orthodoxæ suspectum, nostrum quoq; & nostrarum gentium notorium inimicum, præsentis, & alterius nostræ sibi directæ patentis literæ serie universis vobis, & singulis nuntiamus, vobis aut nostris Officialibus, & veltrùm cuilibet injungentes expressè sub pœnâ corporum & bonorum, quatenùs litteram ipsam ille ex vobis cui priùs præsentabitur, præsentet eidem, & ex tunc lapso termino decem dierum à præsentatione ipsius litteræ computandorum, infra quem ab omnibus Regnis, & terris nostris eum exire jubemus, ubicumque infra cõmissos vobis districtus ipsum iniquitatis filium, immò potius venenosam viperam reperire poteritis, capiatis, & sub vinculis, fidisq; custodibus destinetis ad nos, ut tot malorum desinat pœnas dignas, ubi autem fortè in aliquâ Baroniâ sit, aut fuerit receptatus; receptatores, quivis fuerint, requiratis cum publico instrumento, ut ipsum scandalosum hominem vobis reddant, vel saltem effectualiter à suis mox terminis favoribusq; repellant: & si hæc facere non curaverint, quod non credimus, procedatis contra eos, & alios inobedientes sic fortiter, tam per receptiones potestatum eorum, quæ pro nobis tenent in feudum, quàm aliàs quod discant de cætero inimicos nostros persequi, non fovere. Nihilominùs vos prædicti officiales præmissa faciatis in districtibus vestris voce præconia publicari, ut singulis innotescat. Datum Valentiæ sub nostro Sigillo secreto, nono die Aprilis, anno subscripto.

Rex Joannes.

236. Difficultas 2. Utrùm suppositâ revelatione, possit hoc mysterium probabiliter cognosci lumine naturali? Dico 1. Suppositâ revelatione, potest hoc mysterium lumine naturali probabiliter cognosci ex authoritate creata. Ita *P. Soar. lib. 1. cap. 12. n. 7. P. Arrub. d. 115. n. 10.* & alii. Probatur, quia supposito, quod quis habeat fidem hujus mysterii, potest illud alteri inculcare, qui ductus authoritate dicentis illi assentiatur; sed ad hujusmodi assensum solùm requiritur lumen naturale; ergo &c. Confirmatur primò, quia aliqui Philosophi, quorum scripta obtestantur hoc mysterium, legentes illud in Scripturis, cognoscentesque lumine naturali non repugnare in divinis, quæ aliundè in creatis non sunt admittenda, tanto mysterio fidem fecerunt; non supernaturalem; ergo naturalem. Secundò, quia hæreticus negans aliqua mysteria, & credens Trinitatem, illam non credit fide divina, & supernaturali; ergo naturali, & humanâ.

237. Dices 1. Revelatio, aut fides non immutat principia naturalia, neque auget eorum connexionem cum Mysterio Trinitatis; sed secluso lumine fidei, non potest lumen naturale assentiri probabiliter huic Mysterio, ut supra diximus; ergo neque sic poterit, positâ revelatione, & fide. Respondeo distinguendo majorem: non auget eorum connexionem intrinsecè, & ex parte objecti; concedo majorem: extrinsecè, & ex parte intellectûs, quatenùs scilicet tollit impedimentum assentiendi; nego majorem: excluso enim per fidem, aut per judicium credibilitatis assensu contrario, manet intellectus expeditior ad assensum probabilem.

238. Dices 2. Assensus probabilis non potest contradicere alicui principio naturali evidenti; sed talis assensus contradiceret illi principio: *Quæ sunt eadem in uno tertio, sunt eadem inter se*: quod naturaliter est evidens; ergo &c. Respondeo illud principium non esse naturaliter evidens in sensu, quo assumitur respectu intellectûs habentis fidem, aut judicium credibilitatis; siquidem aliundè jam certus est, aut cognoscit modo speciali debere intelligi in divinis; respectu autem aliorum solùm videtur evidens ex siniſtrâ intelligentiâ rerum divinarum.

Inferes: Ergo etiam secluſa fide, sive revela- 239.
tione, poterit haberi talis assensus, quia etiam secluſa fide, illud principium non contradicit Mysterio Trinitatis. Respondeo negando illationem; nam intelligentia principii est adeò difficilis, ut licet non sit evidens, nisi ex deceptione, nullum tamen habemus firmum principium, ut assentiamur etiam probabiliter, non procedere in divinis in eodem sensu, in quo procedit in creatis, ex quibus naturaliter fuit collectum.

Dico 2. Suppositâ revelatione, & fide, potest 240.
congruentia, & convenientia hujus Mysterii naturalibus quibusdam rationibus verisimiliter suaderi. Ita cum *D. Thom. hic q. 32. art. 1. ad 2. P. Tanner. d. 4. q. 1. dub. 2. num. 10. P. Arrub. d. 115. cap. 3. n. 10.* & alii. Probatur, quia ad hoc Mysterium ita suadendum, suppositâ fide, dantur aliquæ rationes congruentes; ergo ex illis poterit ita suaderi. Probatur antecedens: primò, quia creatura potest progenerare sibi simile in natura; ergo etiam Deus. Secundò, quia in homine est quædam Trinitatis imago, quatenùs in eo invenitur præter intellectum, verbum conceptum, & amor procedens; ergo sic erit in Deo Pater, Verbum, & Amor. Tertiò, quia in omnibus rebus invenitur quoddam vestigium Trinitatis, ut docet *D. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 10.* In omnibus relucet potentia, sapientia, & bonitas divina. Item in omnibus cernitur unitas, species, & ordo: numerus, pondus, & mensura: esse, posse, & operari. Hinc etiam trina Philosophia rationalis, moralis, & naturalis: tres abstractiones: tres modi differendi: tres operationes intellectûs: tres termini, & figuræ syllogismorum: tria præcognita: tria principia naturalia: tres motus simplices: tria genera animarum; tres potentiæ animæ, vegetativa, sensitiva, & rationalis: tres passiones entis: & omnia constituuntur principio, medio, & fine; ergo &c.

SECTIO IX.

Utrùm positâ revelatione Divina, possint naturali lumine solvi argumenta facta contra hoc Mysterium?

ADvertes primò, præsentem quæstionem universalem esse ad omnia mysteria fidei apud *D. Thom. 1. p. q. 1. art. 8.* specialiter tamen tractari circa hoc Mysterium, utpotè magis reconditum. Secundò, quæstionem posse esse de solubilitate evidenti, aut probabili tantùm: de solubilitate signatè tantùm, aut exercitè: de positiva, aut negativa. Solubilitas evidens tunc datur, quando evidens est, argumenta facta non convincere: probabilis autem, quando solùm probabiliter id affirmatur. Solubilitas signatè tunc datur, quando cognosco, rationes aliquas esse solubiles: exercitè autem, quando actu illas solvo. Solubilitas positiva tunc datur, quando rationibus, aut aliunde evidentibus, aut probabilibus convinco falsitatem opponentis: negativa autem, quando per solam negationem eorum, quæ opponuntur ab Adversario, susceptam propositionem defendo; dummodò apponam ra- 241.

tiones aliquas, aut evidentes, aut probabiles, extrinsecas tamē, quibus prudenter me gerere in tali negatione ostendā. Undè solubilitas positiva potest dici intrinseca, quatenùs aut ex ipsis terminis, aut ex rationibus deprehendo falsitatem propositionis: negativa autem potest dici extrinseca, quatenùs cognosco falsitatem propositionis ex mediis extrinsecis. Tertiò, argumenta aut posse peccare in forma, aut in materia, & hoc vel respectu luminis naturalis, vel respectu luminis fidei. His positis.

242. Dico 1. Argumenta contra Mysterium Trinitatis (idemq; de aliis) quæ peccant contra regulas dialecticas, aut in materia contra lumen naturale, possunt naturaliter solvi evidenter, etiam in actu exercito. Hæc à nullo negari potest. Ita *P. Valent. 1. p. d. 1. q. 1. punct. 5. §. 3. P. Tanner. d. 1. q. 5. dub. 5. num. 1.* Probatur, quia error similium argumentorum est contra lumen naturale; ergo per lumen naturale poterit demonstrari ab illo, qui novit formam dialecticam, & materiam, in qua peccat talis argumentatio. Major difficultas est circa argumenta, quæ peccant contra lumen fidei, aut ratione formæ, aut ratione materiæ, quale est hoc: *Hæc essentia Divina est Pater: hæc essentia Divina est Filius; ergo Pater est Filius*: pro quo.

243. Dico 2. Argumenta, quæ peccant contra mysteria, quæ solo fidei lumine cognoscuntur, sunt evidenter solubilia negativè, tam signatè, quàm exercitè. Ita *P. Valent. P. Tanner. cit. Cajet. 1. p. q. 1. art. 8. P. Vasq. 1. p. d. 11.* Probatur, quia tunc aliquod argumentum solvitur evidenter negativè, quando respondens negat propositionem sibi adversantem, non cum evidentiâ falsitatis cognitæ in se, (tunc enim foret positiva,) sed cum evidentiâ, quod hîc, & nunc habenda sit ut falsa talis propositio; siquidem adversatur fidei, quod judicium est evidens; sic enim qui facit eleëmosynam pauperi, non cognoscit evidenter esse pauperem, cùm sæpè contingat talem non esse; evidenter tamen cognoscit, se hîc, & nunc prudenter facere dando eleëmosynam; sed id præstat fidelis, cùm propositionem sibi oppositam negat adducendo motiva extrinseca, quibus mysteria fidei fiunt evidenter credibilia, & propositiones oppositæ cognoscuntur prudenter incredibiles; ergo argumenta sibi opposita evidenter solvit negativè.

244. Probatur major, quia mysteria fidei sunt evidenter credibilia evidentiâ negativâ, & extrinsecâ, quatenùs scilicet adducuntur rationes extrinsecæ, quæ faciunt judicium evidens, quo quis prudenter, & rationabiliter operetur assentiendo illis mysteriis, ut ostendit *P. Soar. de Fide d. 4. sect. 3.* ergo evidens est propositiones oppositas prudenter negari; non quia earum falsitas sit evidens; sicut neque est evidens veritas opposita, sed quia hîc, & nunc evidens est, prudenter facere, qui tales propositiones negat, cùm sint oppositæ illis, quibus assentiendo evidens est, prudenter operari: sicque evidentia non cadit immediatè supra falsitatem propositionis negatæ, sed supra prudentiam, quâ negatur talis propositio.

245. Dico 3. Argumenta, quæ peccant tam in materia, quàm in forma contra lumen fidei, non possunt solvi evidenter positivè lumine naturali, etiam suppositâ fide. Ita *P. Tanner. cit.* & alii. Probatur prima pars, quia tunc aliquod argumentum solvitur evidenter positivè, quando respondens adducit rationes intrinsecas evidentes, quibus facit evidentem falsitatem sibi oppositam; sed lumine naturali non possunt inveniri rationes intrinsecæ evidentes, quæ manifestam faciant falsitatem oppositam mysteriis sola fide creditis; alioqui hæc jam possent ratione naturali demonstrari; siquidem ratio, quæ probat falsitatem oppositam, etiam probat veritatem contrariam; ergo argumenta contra Mysterium Trinitatis non possunt solvi evidenter positivè.

Probatur secunda pars, quia in hoc: *Hæc essentia divina est Filius: hæc essentia divina est Pater;* 246.
ergo Pater est Filius: non valet consequentia, quia terminus *essentia* non rectè applicatur; siquidem applicatur ut singularis, & incommunicabilis, sic dictante lumine naturali, cùm tamen sit communicabilis, & singularis, quod sola fide cognoscitur; ergo per solam fidem potest positivè convinci falsitas illius syllogismi; posita verò fide potest talis syllogismus negari evidentia negativa, sive extrinseca. Hinc.

Dico 4. Argumenta contra Mysterium Tri- 247.
nitatis, licet soli lumini fidei contrarientur, possunt solvi evidenter evidentiâ extrinsecâ, sive negativâ, non solùm signatè, sed etiam exercitè. Probatur, quia evidentiâ extrinsecâ cognoscimus hanc propositionem: *Deus est Trinus, & unus*: esse, non quovis modo, sed certò, & infallibiliter credibilem supra omne creatum; ergo eâdem evidentiâ possumus solvere argumenta facta contra talem propositionem, etiam in actu exercito; nam si exercitè cognosco hanc veritatem, etiam exercitè cognosco falsitatem ei oppositam.

Probatur antecedens, quia licet non cognos- 248.
cam evidenter positivè, & per rationes intrinsecas, illam veritatem esse revelatam, cognosco tamen evidenter, me rectè, ac prudenter facere habendo illam pro revelata propter motiva credibilitatis fidei, quæ ita sunt efficacia, ut evidens sit, me prudenter illis acquiescere; siquidem cognosco evidenter, hoc Mysterium contineri inter reliqua, quæ ab Ecclesia proponuntur. Deindè accedunt motiva credibilitatis, quæ licet non faciant evidenter verum id, quod creditur, neque evidenter falsum, quod fidei contradicit, faciunt tamen evidentem obligationem assentiendi illi mysterio sic proposito, & negandi quidquid illi contradicit; quæ quidem evidentia, ut patet, non terminatur ad connexionem terminorum, sed ad obligationem assentiendi, quæ proindè extrinseca est; ergo &c.

Oppositum tenet *P. Gil. lib. 1. tract. 4.* ubi plu- 249.
ra dicit de hac re, & *cap. 10. n. 10.* docet non esse evidens, argumenta contra mysteria, quæ credimus, esse solubilia. Et *cap. 11. n. 3.* Nullo modo, inquit, est dicendum, Thologum solvere evidenter, vel scire negativè esse solubilia argumenta contra mysteria, quæ ex sola revelatione innotescunt. Verumtamen omnia, quæ adducit P. Gil. solùm probant de evidentiâ positivâ, & per rationes intrinsecas, quibus sanè non potest convinci veritas propositionis de fide, sicut neque falsitas ei oppositæ; alioqui jam talis veritas non foret ex fide: nihil tamen faciunt contra evidentiam negativam, & extrinsecam habitam per motiva credibilitatis nostræ fidei, quibus evidens est illa mysteria esse credibilia, & prudenter habenda pro veris, & omnia, quæ illis repugnant, prudenter reputanda falsa, & ut talia negari debere; non ex eo, quod evidenter attingatur disjunctio inter extrema, sed ex eo, quod evidenter cognoscatur, hîc, & nunc non esse prudenter acquiescendum tali propositioni

Infero:

250. Infertur: Ergo qui resistunt mysteriis fidei, resistunt veritati evidenti; & qui negant argumenta facta contra fidem, opponuntur falsitati evidenti. Respondeo primò concedendo totum in iis, quæ sunt evidentia lumine naturali, qualis est hæc veritas: *Deus est*. Respondeo secundò negando illationem in aliis mysteriis, quæ solâ fide cognoscuntur; nam ex appositâ doctrinâ solùm sequitur, resistentes Mysteriis fidei resistere prudentiæ evidenti, quæ, suppositâ fide, dictat veritatem obscuram sic & sic propositam credendam esse certò, & infallibiliter: sicque omnis, qui penetrat motiva nostræ fidei, evidenter tenet, mysteria fidei esse prudenter credibilia, & omnia illis contraria prudenter esse neganda. Undè si fidei mysteriis non acquiescunt, provenit, aut ex pravo eorum affectu, sicut in iis, qui ex malitia peccant: aut quia non perveniunt ad evidentiam credibilitatis.

251. Dices: Sequitur ex hoc, quod mysterium Trinitatis, suppositâ fide, cognoscatur evidenter naturaliter, saltem negativè; sed hoc non videtur dicendum; ergo &c. Respondeo concedendo sequelam; neque enim id est inconveniens; siquidem cognosci prout sic negativè, nihil aliud est, quàm non admittere rationem aliquam positivam, quæ suppositâ fide demonstret, hoc mysterium esse impossibile.

SECTIO X.

Utrùm, & quâ ratione cognoscatur hoc Mysterium lumine supernaturali?

252. SUppono primò ut certum, Viatores lumine fidei cognoscere certò, licet obscurè Mysterium Trinitatis, quod Comprehensores in Patria per visionem claram intuentur, de quo non est controversia, ut patet ex illo 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Undè controversia præsens solùm est, utrùm extra fidem, & Visionem beatâ, possit lumine supernaturali cognosci hoc mysterium certò, & evidenter? Quæ controversia multiplicem habet sensum, ut ex dicendis constabit.

253. Suppono secundò ex alibi dictis *in Logica tr. 6. d. 4. à n. 1.* Notitiam quidditativam esse claram, & distinctam notitiam rei, ut in se est secundùm omnia prædicata essentialia, quibus constituitur. Undè licet quando inquirimus: *An Deus sit?* Necessariò præsupponatur conceptus: *Quid sit?* Siquidem nemo inquirit, quod ignorat, cùm tamen talis conceptus sit confusus, non dicitur quidditativus, licet terminetur ad quidditatem: sicut etiam non dicitur quidditativus conceptus, qui non attingit omnia, sed aliqua prædicata essentialia; talis enim conceptus dicitur ad plurimùm quidditatis, ut diximus loco proximè citato. Et ratio est, quia quærenti, *quid rei sit?* Rectè respondemus definitione essentiali ipsius rei; definitio autem essentialis est conceptus distinctus explicans totam essentiam rei; ergo notitia quidditativa debet esse cognitio distincta omnium essentialium. Non tamen requiritur ad notitiam quidditativam, quod semper habeatur per propriam speciem, ut etiam diximus loco cit. siquidem cognitio, quæ ex proprietatibus infert essentiam rei, nempè ex risibili animal rationale, est quidditativa; & tamen non habetur per propriam speciem.

254. Suppono tertiò ex dictis etiam *in Logica tract. 6. d. 3. à n. 1.* notitiam intuitivam esse cognitionem immediatam rei præsentis, ut præsens est. Unde particula *immediata* excludit, non speciem, sed medium quodvis priùs cognitum, licet non incognitum; siquidem quoties notitia habetur ex medio priùs cognito, jam non est intuitiva; imò etiam non omnis, quæ habetur ex medio incognito, est intuitiva; ut enim talis sit debet medium esse incognitum, non solùm *ut quod*, sed etiam *ut quo*, ut patet in notitia, quæ determinat potentiam ad aliam secundam; hæc enim secunda est abstractiva, utpote quæ habetur ex medio cognito saltem *ut quo*. Et ratio est, quia cùm cognitio intuitiva sit solius rei existentis, quando talis res cognoscitur, non in se, sed in medio, debet medium esse talis naturæ, ut supponat existentiam rei cognoscendæ, ut de facto supponit species; sed cognitio de se non supponit existentiam rei; ergo licet sit medium incognitum, non infervit ad notitiam intuitivam. De aliis conditionibus requisitis ad notitiam intuitivam vide loco cit.

255. Suppono quartò notitiam intuitivam non distingui ab abstractiva ex eo solùm, quod hæc non attingat existentiam objecti; siquidem cognitio causæ per effectum est abstractiva; & tamen est cognitio causæ existentis; sed solùm distingui in eo, quod abstractivæ deficiat aliqua conditio ex requisitis ad notitiam intuitivam, ut patet ex dictis locis citatis. His positis.

256. Difficultas 1. Utrùm mysterium Trinitatis possit cognosci lumine supernaturali immediatè in se ipso aut per propriam speciem evidenter quidditativè non intuitivè? Negativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 56. a. 3. Durand. q. 3. prolog. Capreol. in 2. d. 3. q. 2. a. 3. ad 2. P. Vasq. 1. p. d. 134. cap. 2. P. Soar. de Angel. lib. 2. cap. 17. & lib. 1. de Trinit. cap. 11. num. 16. P. Tanner. d. 2. q. 6. dub. 2. n. 16. P. Recupit. lib. 2. q. 5. P. Arrub. d. 116. cap. 1. n 3.* & alii. Probatur, quia notitia quidditativa Trinitatis prout sic habita habet omnia requisita, ut sit intuitiva; siquidem attingit objectum immediatè in se sub ratione existentiæ exercitæ; cùm enim hæc sit de illius essentia, debet necessariò attingi per ejus notitiam quidditativam, quæ est cognitio essentiæ; ergo talis notitia quidditativa est etiam intuitiva.

257. Oppositum tenent *Scot. in 2. dist. 3. q. 9. & in 4. dist. 49. q. 11. Ocham. Gabr. q. 1. prolog. Major. q. 3. Bassol. q. 1. a. 2. P. Mol. 1. p. q. 1. a. 2. d. 4. & q. 56. a. 3. concluf. 1. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 3. sect. 7. n. 32. & d. 5. sect. 2. n. 30. Ægid. Lusit. lib. 4. q. 9. a. 2. § 2. P. Granad. tom. 1. tract. 7. d. 3. num. 3.* & alii. Pro quibus: Argues 1. Quod non repugnat, non est Deo denegandum; sed nulla apparet repugnantia in eo, quod admittatur notitia Dei quidditativa non intuitiva, quæ non sit ex medio priùs cognito; ergo &c. Respondeo negando minorem: talis enim notitia esset, & non esset intuitiva: non esset, ut supponitur: esset, quia foret immediata per se, & directè tendens in objectum existens sub ratione existentiæ, quæ sunt conditiones requisitæ ad notitiam intuitivam; esse autem, & non esse intuitiva involvit contradictionem.

258. Dices: Licet talis Notitia sit immediata respectu medii creati, utpotè quæ non eliceretur ex aliquo medio creato priùs cognito; non est tamen immediata respectu medii increati priùs cogniti, quale est Essentia Divina, ex cujus penetratione cognoscitur existentia divina; ergo talis Notitia, cùm sit mediata, non est intuitiva, sed abstrac-

tiva. Respondeo primò negando antecedens quoad secundam partem; falsò enim supponitur in argumento, existentiam divinam non esse de conceptu quidditativo essentiæ; alioqui admitteremus in Deo potentialitatem ad existendum, quod jam alibi negavimus: cùm igitur existentia sit de conceptu quidditativo essentiæ, & hæc immediatè attingatur, etiam in illa immediatè attingitur ipsa existentia; alioqui essentia non attingeretur quidditativè; ac proindè talis Notitia erit intuitiva.

259. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; neque enim ad formalem rationem notitiæ intuitivæ requiritur, quod terminetur immediatè ad existentiam, ut patet in visione corporea; sed satis est, quod immediatè terminetur ad objectum existens, sive sub esse existentiæ, qua ratione non potest non terminari ad Deum Notitia quidditativa ipsius Dei, ut diximus. Respondeo tertiò, quæstionem solùm procedere de cognitione Trinitatis in se ipsa, non autem in alio, qualis foret, quæ haberetur in essentia prout distingueretur ab existentia.

260. Argues 2. Objectum cognitionis intuitivæ non solùm debet esse terminativum illius se ipso, sed etiam motivum, sive concurrens ad illam; atqui Deus, quando videretur extra Visionem Beatam quidditativè, licet se ipso terminaret talem cognitionem, non tamen moveret, sive concurreret effectivè ad illam; ergo talis Notitia non foret intuitiva, sed foret quidditativa; ergo possibilis est Notitia quidditativa non intuitiva Trinitatis. Respondeo negando majorem: satis enim est, quod objectum se ipso terminet Notitiam, ut hæc dicatur intuitiva, dummodò habeat, ut in præsenti haberet alias conditiones requisitas, nempè existentiam objecti, & immediationem cognitionis, licet aliundè objectum, neque mediatè, neque immediatè influat, seu moveat se ipso. Patet in cognitione Angelica, quæ est intuitiva respectu rerum, quas cognoscit; cùm tamen ipsæ non influant in sui cognitionem per species à se ipsis emissas, utpotè quas Angeli habent à Deo infusas.

261. Argues 3. Existentia rei benè potest cognosci abstractivè; siquidem ut benè probat *P. Gil. 2. p.* non dùm excusâ *tract. 2. cap. 2.* quidquid attingitur ut objectum *quod* per notitiam intuitivam, attingi potest per abstractivam; ergo licet existentia sit de quidditate Dei, benè poterit Deus cognosci quidditativè non intuitivè, sed abstractivè. Respondeo existentiam rei in actu signato posse quidem cognosci abstractivè; imò idem dicimus de existentia in actu exercito, per medium tamen priùs cognitum: cùm verò quæstio procedat de cognitione immediata, & quidditativa Dei, quæ necessariò debet attingere illius existentiam exercitam, utpotè quæ prout sic est de illius quidditate, implicat, quod talis cognitio sit quidditativa, & non intuitiva, quidquid in creatis contingat.

262. Argues 4. Ab actu ad potentiam benè valet argumentum; sed Angelus de facto per speciem sibi infusam cognoscit Deum quidditativè abstractivè; ergo possibilis est Notitia Dei quidditativa non intuitiva. Probatur Minor, quia cognitio abstractiva non includit intuitivam, saltem quando illius principium, sive species à Deo infunditur, ut sit in Angelis: Deindè talis modus cognoscendi Deum non excedit vires naturæ; sola enim Visio intuitiva Dei illas excedit; ergo concedendum est Angelis principium ad talem cognitionem; aliquid enim majus dandum est Angelis, quàm hominibus.

Respondeo negando minorem: Primò, quia 263.
probabilis est sententia asserens neque de possibili admittendam esse speciem impressam Dei, ut patet ex supra dictis, *tract. 1. d. 2. à n. 82.* licet contrarium dixerimus *in Log. tract. 3. d. 3. à num. 60.* Secundò, quia admissâ tali specie, necessariò debet esse intuitiva; siquidem repræsentaret objectum existens, & præsens, cùm utrumque sit de quidditate Dei; ac proindè talis species, & modus cognoscendi per illam excederet perfectionem Angelorum; quibus majus aliquid, quàm hominibus concedendum est, sed non ita aliquid, quod illorum naturam excedat. Neque sustineri potest, (ut supra jam diximus) quod docet *Scot. in 4. dist. 49. q. 11.* illam scilicet speciem fore supernaturalem, quatenùs Deus illam liberè donaret; modum autem cognoscendi fore naturalem; nam si lumen Angelicum est proportionatum, etiam talis erit species, cùm sit ejus complementum, consequenterque naturalis, ut dicimus de omnibus aliis speciebus Angelo infusis.

Instabis: D. August. *lib. 4. de Gen. ad litter.* 264.
cap. 21. tribuit omnibus Angelis ante lapsum cognitionem matutinam rerum creatarum in Verbo; sed hujusmodi cognitio non potuit esse absque cognitione Dei abstractiva, habita tamen per propriam speciem; neque enim fuerunt consecuti cognitionem Dei intuitivam ante lapsum; ergo &c. Respondeo primò cum *P. Martinon. d. 39. num. 16.* interpretationem illam, in qua D. Aug. explicat singulos ex primis illis sex diebus per duplicem cognitionem Angelicam, matutinam scilicet, & Vespertinam, non esse litteralem, nec communiter admitti, ut testatur *P. Soar. lib. 1. de oper. sex dier. cap. 11. n. 33.*

Respondeo secundò, etiam admissâ eâ explica- 265.
tione, nunquam concedendam esse Angelis ante lapsum cognitionem matutinam, utpotè quæ recurrit cum Beata, & dicitur Visio creaturarum in verbo, fuitque posterior visione vespertinâ, idest, cognitione creaturarum in proprio genere. Neque Sanctus Doctor unquam dixit, cognitionem vespertinam relatam ad Deum fieri matutinam, sivè lucescere, & manè fieri, sed per relationem talis cognitionis ad Deum, veluti per meritum, lucescere, id est, oriri manè in mente Angeli, id est, Angelum cognoscere in Verbo, & sic diem consummari.

Urgebis: Non solùm Angeli boni, sed omnes 266.
in primo instanti retulerunt in Deum suam cognitionem vespertinam; ergo omnibus luxit mane; consequenterque notitia matutina, sive hæc sit eadem cum vespertinâ, sive diversa. Respondeo negando consequentiam; nam illa prima relatio fuit veluti naturalis, magisque à creatore, quàm à creatura: at verò relatio facta in secundo instanti, cùm fuerit plenè deliberata, & illâ boni Angeli suum meritum consummaverint, fuit veluti dispositio ad cognitionem matutinam, quæ ideò solis bonis Angelis concedenda est.

Difficultas 2. Utrùm Visio Beata possit esse 267.
principium incognitum determinans intellectum ad cognitionem quidditativam non intuitivam Trinitatis in proprio genere? Negativè. Probatur primò, quia quælibet cognitio quidditativa Trinitatis habita per medium incognitum attingeret immediatè Trinitatem sub ratione existentiæ, cùm hæc sit de essentia Dei; alioqui non esset quidditativa Trinitatis; sed hoc solùm requiritur, & sufficit ad Notitiam intuitivam, ut hactenùs diximus,

diximus; ergo talis erit illa habita per Visionem Beatam, tanquam per medium incognitum.

268. Probatur secundò, quia talis cognitio, quam dicunt in proprio genere, non esset naturalis; implicat enim cognitio naturalis immediatè attingens Deum quidditativè; ergo esset supernaturalis; sed non esset supernaturalis scientiæ per se infusæ; cùm terminaretur immediatè ad Deum: non fidei divinæ; cùm hæc sit obscura, illa autem esset clara; & deindè fides divina, saltem de potentia ordinaria non compatitur cum Visione Beata; non apparet alia, cujus rationem habeat; ergo esset quidditativa intuitiva.

269. Oppositum tenent *Scot. P. Mol.* & alii supra cit. *num. 257.* quatenùs simpliciter admittunt Notitiam Dei quidditativam, & abstractivam. Pro quibus; Objicies 1. Visio Beata est immediatum principium elicitivum cognitionis eorum, quæ in ipsa repræsentantur, idque in proprio genere; sed quando quis media Visione Beata eliceret in proprio genere cognitionem Trinitatis, talis cognitio foret ex medio incognito secundùm se, & foret quidditativa, utpotè repræsentans quidquid repræsentatur in Visione Beata; hæc autem repræsentat quidditatem Dei; & deindè foret abstractiva, utpotè quæ non foret beatifica; ergo foret quidditativa abstractiva, sive non intuitiva.

270. Respondeo Visionem Beatam dupliciter posse esse principium ad eliciendam cognitionem in proprio genere de Trinitate; aut ut medium priùs cognitum; & sic, ut infrà dicemus, potest inservire ad cognitionem quidditativam non intuitivam: aut ut medium incognitum, ut ordinariò accidit in specie naturali respectu apprehensionis, & in apprehensione respectu judicii; & sic dicimus non posse concurrere immediatè ad cognitionem quidditativam Trinitatis, & non intuitivam ob rationes factas. Neque obstat quod cognitio illa non sit beatifica, ut supponit argumentum, ut dicamus non fore intuitivam; foret enim, & non foret beatifica: foret, quia Deum immediatè in se ipso attingeret quidditativè, sicque intuitivè, ut patet ex dictis, quod sufficit ut esset Visio Beata; non foret, quia ut supponitur, esset cognitio in proprio genere; cùm autem hoc implicet, ideò dicimus implicare talem cognitionem.

271. Objicies 2. Ut illa cognitio habita immediatè ex Visione Beata, ut ex medio incognito, esset intuitiva, deberet attingere immediatè existentiam Dei exercitè; sed non ita attingit; ad hoc enim debebat Deus in illam influere effectivè, cùm tamen non ita influat; ergo &c. Respondeo negando minorem, ut patet ex dictis; ad cujus probationem dicimus non postulari, neque requiri talem influxum, sed sufficere, quod Deus illam terminet immediatè, ut existens; sicut diximus de cognitione Angelica *n. 260.*

272. Objicies 3. Angeli superiores illuminant inferiores circa ea, quæ in Verbo cognoscunt, ut ait *P. Soar. lib. 6. de Angel. cap. 14. num. 5.* sed non id præstant per ipsam Visionem Beatam; alioqui omnia, quæ vident in Deo, aliis manifestarent; ergo per cognitiones in proprio genere elicitas immediatè ex beatifica, quæ sint abstractivæ, & non intuitivæ. Respondeo dato, quod Angeli superiores illuminent prout sic inferiores, quod non negamus, solùm sequi, posse Beatos ex Visione Beata elicere alias cognitiones aliarum rerum quidditativas non intuitivas; non autem quidditativam Dei immediatè cogniti, & non intuitivam; siquidem talis Notitia implicat; ut diximus, utpotè quæ semper attingeret existentiam Dei, cùm sit ei essentialis, & non ita sit essentialis aliis rebus earum existentia, sicque possunt attingi per cognitionem in proprio genere quidditativam non intuitivam ex Visione Beata, ut ex medio incognito sine ulla implicantia.

Difficultas 2. Utrùm Mysterium Trinitatis possit cognosci quidditativè non intuitivè per speciem memorativam relictam ex Visione Beata? Negativè. Probatur, quia talis species, aut non admittitur, aut si admitteretur, foret intuitiva; ergo &c. Probatur antecedens quoad primam partem, quia species datur ad supplendum defectum actûs, à quo producitur, & quem simul cum objecto repræsentat; sed Visio Beata, cùm sit naturâ suâ incorruptibilis, & perpetua, non potest deficere; ergo nunquam potest relinquere speciem sui memorativam; consequenterque hæc est impossibilis. Probatur quoad secundam partem, quia admissâ tali specie, esset propria respectu Dei cogniti Visione Beata, quam simul cum ipso Deo repræsentaret sub esse existentiæ, ut ipsum repræsentabat Visio Beata, cujus esset species; ergo foret intuitiva Dei. 273.

Oppones 1. D. Paulus (ut est probabilis opinio) vidit Essentiam Divinam, & postea recordabatur eorum, quæ viderat, quod tamen non poterat stare absque specie memorativa relicta à tali Visione: sed hæc non erat intuitiva, ut patet; ergo abstractiva. Respondeo admissâ eâ sententiâ, (quam multi negant) non produci speciem quidditativam Dei à Visione Beata; quia impossibilis est species, quæ non sit in ordine ad potentiam illâ utentem; sed intellectus D. Pauli absque lumine gloriæ non posset uti tali specie ad cognitionem Dei quidditativam eliciendam; ergo implicat omninò conservari in eo speciem quidditativam productam à tali Visione. 274.

Instabis: D. Paulus recordabatur eorum, quæ contigerant; sed non poterat ita recordari sine specie ab aliquo productâ; ergo productâ ab ipsa Visione Beata. Respondeo D. Paulum ita recordari, sed confusè, & cognitione dependente à phantasia; ut accidit in illis, qui è morte surrexerunt; narrant enim, quæ in statu separationis viderant, per species tamen rerum materialium, dicentes se vidisse Juvenes pulcherrimos, ut Angelos exprimant. 275.

Oppones 2. De objectis materialibus intuitivè visis datur recordatio, quæ cadit immediatè supra visionem, & objectum visum, sitque intuitiva; ergo etiam dabitur recordatio de Deo intuitivè viso per Visionem Beatam; quæ cadat immediatè supra Deum, & ipsam visionem, quæ etiam sit intuitiva. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia cùm visio materialis sit defectibilis, & potentia se ipsâ sit capax talis speciei, possibilis est talis species, quæ immediatè cadat, & supra visionem objecti, & supra ipsum objectum, sitque illius intuitiva: at verò cùm intellectus creatus absque lumine gloriæ non sit capax speciei repræsentantis Deum, & Visio Beata non sit defectibilis, neque hæc potest producere speciem, licet intuitivam Dei, sui memorativam, neque si illam produceret, immediatè caderet supra illam, & objectum, sed supra solam visionem, mediatè verò, & confusè supra Deum, qui est terminus talis actûs; essetque, & non esset intuitiva Dei, quod implicat. 276.

Difficultas 4. Utrùm ex Visione Beata priùs cog- 277.

cognita possit haberi notitia evidens quidditativa non intuitiva mysterii Trinitatis? Affirmativè. Probatur quia quælibet Visio beata de facto repræsentat quidditativè hoc mysterium; ergo si perfectè per scientiam per se infusam cognoscatur, ducet in cognitionem quidditativam hujus mysterii; sed non intuitivam, utpotè ex medio priùs cognito; ergo abstractivam. Dixi *Visio Beata de facto*, nam de possibili, an scilicet possibilis sit visio, quæ sit Beata, attingens Essentiam sine Personis? Diximus jam aliquid *in Logica tr. 6. d. 3. à n. 181.* Et latiùs diximus suo loco supra *tract. 1. d. 6. à n. 30.*

278. Objicies 1. Ad cognitionem quidditativam objecti requiritur, quod habeatur per medium magis, aut saltem æquè nobile, ac ipsum objectum; sed non ita est Visio beata respectu Dei; ergo &c. Respondeo negando majorem: sufficit enim, quod ejus quidditatem clarè, & distinctè repræsentet, ut se habet visio beata respectu Trinitatis, cujus est perfecta imago intentionalis, licet sit ignobilior.

279. Objicies 2. Imago non potest esse medium ad cognitionem quidditativam illius, cujus est imago; alioqui imago Cæsaris posset esse medium ad illius cognitionem quidditativam; sed Visio beata est imago; ergo non potest esse medium ad cognitionem quidditativam. Respondeo majorem esse veram de imagine imperfectâ & obscurâ, qualis est imago Cæsaris, quæ illius quidditatem non repræsentat: aliter verò de imagine perfectâ, & clarissimâ, qualis est Visio beata, quæ clarissimè quidditatem Dei repræsentat.

280. Objicies 3. Hujusmodi notitia, cùm esset quidditativa Mysterii, attingeret illius existentiam, utpotè de illius essentia, quam debet attingere notitia quidditativa, ut talis sit; sed notitia attingens rem sub existentia est intuitiva, & non abstractiva; ergo &c. Respondeo ad minorem, esse intuitivam, si sit immediatè in se, & non ex medio priùs cognito, ut esset hæc de qua est quæstio.

281. Objicies 4. Hujusmodi notitia, ut supponitur, esset evidens; sed claritas hujus mysterii habita per notitiam abstractivam non potest esse tanta, ut extinguat difficultatem de illius impossibilitate; ergo talis notitia, aut non est evidens, si abstractiva; aut est intuitiva, si evidens. Respondeo negando minorem: nam lumen scientiæ per se infusæ est adeò clarum, & perfectum, ut possit inclinare ad cognitionem claram Trinitatis repræsentatæ in Visione beata, & extinguere omnem formidinem de tali mysterio.

SECTIO XI.

Vtrum per medium supernaturale evidenter cognitum haberi possit notitia evidens Mysterii Trinitatis?

282. CUm plura sint media supernaturalia, quæ possunt in quæstionem venire, pluribus resolutionibus præsens difficultas resolvenda est; ita tamen ut priùs dicamus de medio Increato, qualis est Essentia Divina: postea verò de mediis creatis, quales sunt Revelatio Divina; Actus supernaturales, tam intellectûs, quàm voluntatis ad Trinitatem terminati; Habitus etiam supernaturales, qui Deum habent pro objecto; Unio hypostatica; Effectus, si qui effectivè à Trinitate producuntur; & Visio beata, de quibus omnibus per sequentes Conclusiones: Sit igitur:

Conclusio 1 Ex Essentiâ Divinâ evidenter, & quidditativè cognitâ potest intellectus duci in cognitionem evidentem Trinitatis quoad *an est*; non tamen sequitur necessariò. 283.

Probatur 1. pars, quia omnis proprietas, & passio subjecti habet necessariam connexionem cum illius quidditate, sive essentia; sed quæ habent necessariam connexionem in suo esse, possunt illam habere in suo cognosci; ergo cùm fœcunditas, & communicabilitas Essentiæ divinæ, in qua consistit mysterium Trinitatis, sit veluti passio illius, cognitâ evidenter, & quidditativè Essentiâ, benè potest ex illa cognosci ipsa fœcunditas; consequenterque Mysterium Trinitatis.

Probatur 2. pars, quia licet Essentia divina sit formaliter indivisibilis, est tamen virtute divisibilis; ergo benè potest cognosci quidditativè, quin tamen cognoscantur infinitæ illius virtualitates, alioqui idem foret cognosci quidditativè, ac comprehensivè; ergo cùm secundùm unam virtualitatem sit radix fœcunditatis, secundùm aliam Omnipotentiæ, aliarumque perfectionum absolutarum, ex cognitione quidditativa Essentiæ non sequitur necessariò cognitio fœcunditatis, neque Trinitatis. 284.

Conclusio 2. Ex revelatione divinâ evidenter cognitâ, (quæ dicitur evidentia in attestante, daturque quando per propriam speciem cognoscitur evidenter testimonium Dei,) potest evidenter cognosci mysterium Trinitatis quoad *an est*. Desumitur ex *P. Soar. d. 3. de Fide sect. 8. n. 15.* ubi docet ex evidentiâ testimonii divini necessariò sequi evidentiam rei testificatæ; citatque pro hac sententia *Alens. 3. p. q. 67. memb. 68. a. 2. Scot. in 3. dist. 24. Gabr. ibi concluf. 7. Cajet. 2. 2. q. 5. a. 1. P. Vasq. 1. p. d. 135. cap. 3. P. Valent. tom. 3. d. 1. punct. 4. §. Possit ne Fides. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 40. Vega in Trid. lib. 8. cap. 30. Zumel. 1. p. q. 12. a. 2. d. 2. & q. 62. a. 3.* desumitur etiam ex eodem *P. Soar. tom. 1. in 3. p. d. 27. sect. 5. §. Tertius ergo modus.* ubi tenet. Animam Christi Domini cognoscendo scientiâ per se infusâ clarè, & distinctè revelationem hujus mysterii, cognoscere illud evidenter: tenet etiam hîc *P. Arriaga d. 43. sect. 6. n. 21.* & alii. 285.

Probatur, quia veracitas divina est adeò evidens, ut non possit cognosci testimonium Dei evidenter, quin etiam evidenter cognoscatur divina veracitas, ut docet *P. Soa. cit. de fide n. 24.* ergo si quis evidenter cognoscat, Deum dixisse, se esse Trinum, & illius testimonium esse verum, evidenter cognoscet, Deum esse Trinum; siquidem ex præmissis evidenter cognitis benè sequitur conclusio evidenter cognita; maximè cùm testimonium divinum habeat infallibilem connexionem cum veritate objecti testificati fundatam in veritate ipsius testimonii. 286.

Objicies 1. Talis cognitio est Fidei: tum quia habet motivum proprium fidei, nempè testimonium Dei dicentis: tùm etiam, quia procedit ab eodem habitu, seu lumine Fidei; neque enim apparet aliud principium, à quo procedat; sed Fidei repugnat evidentia; ergo &c. Respondeo negando majorem, & ejus primam probationem; motivum enim Fidei est quidem testimonium Dei dicentis, inevidenter tamen propositum, non autem evidenter cognitum, ut supponimus in præsenti. Ad secundam probationem dicimus, illum assensum procedere, aut à lumine prophetico, aut ab habitu scientiæ per se infusæ, quæ sunt diversæ rationes ab habitu 287.

habitu fidei, & non concurrunt, nisi ad actus evidentes.

288. Objicies 2. Motivum extrinsecum non ostendit evidenter objectum conclusionis; sed authoritas, & testimonium divinium sunt motivum extrinsecum; ergo &c. Respondeo negando majorem; nam non minùs extrinsecus est effectus suæ causæ, & causa suo effectui, quàm est revelatio mysterio revelato; & tamen ab evidenti existentiâ effectûs cognoscitur evidenter existentia causæ; & ex virtute causæ cognoscitur effectus possibilis; ergo etiam ad evidentiam conclusionis sufficiet motivum extrinsecum, dummodò intrinseca sit connexio medii cum conclusione, qualis datur in testimonio divino cum mysterio revelato.

289. Conclusio 3. Ex assensu Fidei supernaturalis (idem est de omnibus aliis actibus supernaturalibus terminatis ad hoc mysterium) de Trinitate, si evidenter, & quidditativè cognoscatur, potest cognosci mysterium Trinitatis evidenter quoad *an est*. Ita *P. Soar. tom. 1. in 3. p. d. 27. sect. 5. P. Arriaga d. 43. sect. 6. P. Alarcon. tract. 5. d. 1. cap. 5. n. 5. P. Arrub. 1. p. d. 116. cap. 3.* & alii. Probatur, quia talis assensus, cùm sit actus supernaturalis, ad quem Deus concurrit ut causa specialis, & principalis, nequit esse falsus; alioqui Deus esset causa falsitatis; ergo si affirmet dari hoc mysterium, necessariò existet; ergo qui cognoverit evidenter, & quidditativè talem actum, etiam evidenter cognoscet Trinitatem quoad *an est*; siquidem actus, cùm sit respectus transcendens ad suum objectum, nequit esse sine illo.

290. Objicies 1. Actus Fidei est inevidens, & inevidenter attingit suum objectum; ergo non potest etiam evidenter cognitus esse medium ad cognitionem evidentem sui objecti. Propter hoc argumentum impugnat Marchin. *d. 26. §. Cæterùm*, P. Soarium, cùm tamen ipse §. sequenti, jam sui immemor dicat, valdè plausibilem sibi videri explicationem Theologorum dicentium, dona supernaturalia (inter quæ Fidem annumerat,) nos ducere ad Deum Trinum; ac proinde ex illorum cognitione evidenter cognosci Trinitatem. Igitur ad argumentum:

291. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est; quia actus fidei nititur authoritate dicentis, quæ cùm sit medium inevidens gignit assensum obscurum: at verò actus, qui ex assensu fidei argueret existentiam objecti illius, niteretur in connexione essentiali, & naturali, quam quilibet actus, etiam fidei, habet cum suo proprio objecto, quæ si evidenter cognoscatur, ut supponimus cognosci, gignit notitiam evidentem sui objecti quoad *an est*.

292. Objicies 2. Actus supernaturales voluntatis aliquando terminantur ad objectum, repræsentatum quidem secundùm regulas prudentiæ, quod tamen tale non est à parte rei; ut patet in eo, qui dat eleemosynam pauperi ficto, putato vero; exercet enim misericordiam supernaturalem; ergo ex actu supernaturali terminato ad Trinitatem cognito evidenter, & quidditativè, non benè colligitur notitia evidens Trinitatis, etiam quoad *an est*. Respondeo primò, conclusionem procedere tam de actibus intellectûs, quàm voluntatis, qui regulantur per actus intellectûs tendentes in objectum, prout est à parte rei, qualis est Fides divina, & Visio beata; non tamen de illis, qui regulantur per actus non tendentes in objectum, ut est in se, qualis est ille in argumento positus; nam actus voluntatis primi generis, cùm tendat in objectum, ut in se est à parte rei; sic enim repræsentatur ab intellectu; cognitus evidenter ducet in cognitionem evidentem objecti; non ita tamen actus secundi generis ob contrariam rationem.

293. Respondeo secundò negando consequentiam; nam cùm actus supernaturales sint respectus transcendentes ad suum objectum, ad quod eorum essentia ordinatur, implicat quod talis essentia evidenter cognoscatur, & non ita evidenter cognoscatur ejus objectum quoad *an est*. Neque obstat, quod objectum non sit tale à parte rei; nam voluntas non fertur in objectum, ut est à parte rei; sed ut repræsentatur per cognitionem; sicque immediatè talis actus solùm nos ducet in cognitionem objecti repræsentati; mediatè verò cognitione, sive apprehensivâ, sive judicativâ, ducet nos in cognitionem objecti, ut est. Vide *P. Ripal. lib. 3. d. 62.*

294. Conclusio 4. Habitus supernaturales, sive Fidei, sive cujusvis alterius virtutis, etiam evidenter cogniti, non sunt medium, ex quo colligi possit cognitio evidens Trinitatis, etiam quoad *an est*. Probatur, quia habitus, cùm dent simpliciter *posse*, vendicant rationem potentiæ, suntque rationes quædam universales, tendentes quidem in objectum, non sub ratione singulari, sed specifica, & communi; sicut enim potentia intelligendi tendit in objectum, nempè in hominem, non quà homo est, sed quà intelligibilis est; ita habitus fidei tendit in objectum sub ratione credibilitatis ex authoritate Divinâ, & non quà tale objectum est; sed quando unum non est tendentia essentialis ad aliquam rem in particulari, licet talis sit ad rationem communem, non potest inservire pro medio ad cognitionem evidentem rei singularis; ergo ex cognitione evidenti habitus fidei (idemque de aliis,) non benè arguitur cognitio evidens Trinitatis, aut cujusvis alterius mysterii in singulari, etiam quoad *an est*.

295. Conclusio 5. Si Personæ Divinæ ad sui cognitionem concurrunt, vel possunt concurrere effectivè per proprias species, tales species (idemque de Visione beata) evidenter, & quidditativè cognitæ possunt ducere in cognitionem evidentem Trinitatis quoad *an est*. Probatur, quia tales species sunt respectus transcendentes, & repræsentativæ hujus mysterii; ergo si illarum respectus, & repræsentatio quidditativè, & evidenter cognoscantur, ducent in cognitionem evidentem hujus mysterii quoad *an est*.

296. Conclusio 6. Si tres Personæ Divinæ tres assumerent humanitates, quisquis evidenter, & quidditativè cognosceret istas tres Uniones Hypostaticas, etiam evidenter cognosceret tres Divinas Personas quoad *an est*. Probatur, quia Unio, cùm specificetur per extrema, non potest ejus quidditas evidenter cognosci, quin etiam evidenter cognoscantur illius extrema, saltem quoad *an est*; ergo cognitis evidenter illis diversis Unionibus cum diversâ quidditate inter se distinctâ; essent enim inter se realiter, imò & specie, seu quasi specie distinctæ; debent etiam evidenter cognosci Personæ divinæ, ut quidditates inter se distinctæ; licet non cognoscatur esse tantùm tres, neque esse identificatas cum eâdem Naturâ Divinâ, ut statim dicemus. Pro sequenti tamen conclusione.

297. Advertes primò, licet in causa perfectè, & adæquatè continente effectum, possint omnes formalitates ipsius effectus quidditativè cognosci, v. g. creaturæ in Deo; in effectu tamen imperfectiori non posse cognosci quidditativè omnes formalitates

tates causæ, v. g. Dei in creatura; siquidem cùm medium imperfectum non contineat in se omnes formalitates termini, non potest omnes illas distinctè manifestare.

298. Advertes secundò, si una res ita habet connexionem necessariam cum entitate adæquatâ alterius, ut magis determinatè, & directè aliquam ejus formalitatem respiciat, posse, comprehensivè cognita, ducere in cognitionem illius formalitatis, & non aliarum. Patet in Leone, licet enim habeat connexionem cum tota omnipotentia, si tamen comprehensivè cognoscatur, ducet in cognitionem omnipotentiæ solùm secundùm formalitatem illius productivam, quam magis determinatè respicit, & non secundùm formalitatem hominis, &c. His positis: sit:

299. Conclusio 7. Ex triplici Unione Hypostaticâ ad tres Divinas Personas comprehensivè cognitâ potest distinctè, & evidenter cognosci dari Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: Filium esse productum à Patre, & Spiritum Sanctum productum à Patre, & à Filio: non tamen non dari alias Personas præter istas: neque primam esse improductam: neque tertiam non producere: neque istas tres esse identificatas cum eâdem Naturâ. Probatur primò ex dictis, quia hujusmodi Uniones habent determinatam connexionem cum illis formalitatibus, quas determinatè respiciunt, non tamen cum istis, ut consideranti patebit; ergo &c.

300. Probatur secundò à simili, quia licet creaturæ dicant ordinem ad Deum, qui est Trinus, tamen cùm respectu productionis creaturarum per accidens sit, quod sit Trinus, necessarium non est, quod comprehensâ creaturâ, in illa cognoscatur Deus esse Trinus, sed esse Omnipotens, secundùm quam formalitatem solùm respicitur à creatura determinatè, & directè; producit enim ut Omnipotens, & non ut Trinus; sed sicut Trinitas habet se concomitanter, & veluti per accidens ad productionem creaturæ, ita concomitanter, & veluti per accidens se habent respectu unionum improducibilitas primæ Personæ, identificabilitas cum natura, sicque de aliis; ergo &c.

301. Dices: Hujusmodi Uniones solùm respicerent Personas ut incommunicabiles ulteriori termino, & non sub ratione Patris, Filii, & Spiritus Sancti; ergo ex earum cognitione comprehensiva non cognosceretur evidenter dari Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Respondeo negando antecedens; tales enim uniones formaliter respicerent Personam Patris sub ratione Paternitatis, & Filii Filiationis, sicque de Spiritu Sancto; siquidem per has rationes specificarentur, & ab illis sumerent suam differentiam specificam; sicque cognitio illas comprehendens, etiam ipsas Personas quà tales attingeret.

302. Hinc colliges primò ex comprehensione harum trium Unionum ad tres Divinas Personas non posse cognosci mysterium Trinitatis quoad quidditatem adæquatam. Probatur, quia quidditas adæquata hujus mysterii non consistit in eo tantùm, quod sint tres Personæ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quod Filius producatur à Patre, & Spiritus Sanctus ab utroque; sed etiam quod non sint plures, quàm tres, quod sint realiter distinctæ inter se, identificatæ cum eadem natura, quod prima producat, & non producatur, quod secunda producatur, & producat, quod tertia non producat, & producatur; sed hæc omnia non cognoscuntur ex comprehensione illarum Unionum; licet enim per impossibile omnes has formalitates non haberent, adhuc eodem modo illas Uniones terminarent; ergo &c.

303. Colliges secundò ex comprehensione Unionis Hypostaticæ, quæ de facto datur ad Personam Filii, posse cognosci Personam Patris, non tamen Spiritûs Sancti. Probatur, quia cognosceretur Filius ut Filius; sed Filius ut Filius determinatè, & expressè dicit Patrem; & non ita expressè dicit Spiritum Sanctum, quidquid sit implicitè, & secundariò; ergo ex comprehensione Unionis ad Filium potest cognosci Persona Patris, & non Spiritûs Sancti.

304. Dices: Ex Visione beatâ, quæ de facto datur cognoscitur adæquata quidditas Trinitatis; ergo etiam sic cognoscetur ex Unione Hypostatica, quæ de facto datur. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia Visio beata, utpote actus intentionalis, repræsentat clarè & expressè omnes formalitates mysterii, sicque ex illa poterit cognosci ejus quidditas adæquata: at verò Unio, cùm sit actus physicus terminatus solùm ad Personam Filii secundùm formalitatem Filiationis, solam illam quasi repræsentat, & in illius tantùm cognitionem ducet. Confirmatur primò, quia ex triplici unione ad tres Personas non cognoscitur Trinitatis quidditas adæquata, ut diximus; ergo à fortiori non cognoscetur ex unica unione ad Personam Filii. Secundò, quia illa Visio beata repræsentans totam Omnipotentiam, etiam si cognoscatur, non ducet in cognitionem omnium eminentiarum, cùm tamen sint idem cum ipsa Omnipotentia; ergo à fortiori unio terminata ad solam Personam *Filii*, etiam si cognoscatur, non ducet in cognitionem aliarum Personarum, quæ realiter à Filiatione distinguuntur.

DISPUTATIO II.

De Processionibus Divinis.

SECTIO I.

De existentiâ, & numero Processionum Divinarum ad intra.

CUM ex Fide constet, ut infra dicemus, secundam, & tertiam Personam non esse improductas, necessariò fatendum est dari in Divinis emanationes, sive processiones, sive origines, sive productiones, sive actus notionales; omnia enim hæc nomina idem habent significatum, & pro eodem sæpè sumuntur; sicque eadem est doctrina de emanationibus, ac de processionibus, sicque de aliis; ideòque his nominibus promiscuè aliquando utemur. Non procedit hîc quæstio de emanationibus *ad extra*; siquidem ex fide, & naturali ratione constat, ut alibi jam probavimus, creaturas omnes à Deo procedere per veras productiones transeuntes. Non procedit etiâ de immanentibus etiam *ad intra* absolutè; siquidem pro ut sic aliquæ sunt materiales, quales reperiuntur

riuntur in phantasia, aliisque potentiis corporeis, quæ tamen non reperiuntur in Deo, cùm sit ens spirituale. Procedit igitur quæstio de productionibus, sive processionibus *ad intra* spiritualibus, vitalibus, & immanentibus. Hoc posito.

2. Difficultas 1. Utrùm in Deo ponenda sit realis processio *ad intra*? Affirmativè: Est de fide. Ita *D. Thom. hic q. 27. art. 1. Magist. in 1. di. 13. P. Soar. lib. 1. cap. 4. num. 19. P. Valent. 1. p. d. 2. q. 1. punct. 1. §. 27. P. Granad. tract. 2. d. 1. P. Tanner. 1. p. d. 4. q. 2. dub. 1. n. 4. P. Præposit. 1. p. q. 27. a. 1. P. Martinon. d. 24. n. 1. P. Vasq. 1. p. q. 27. art. 1. P. Arrub. d 95. cap. 2. P. Arriaga d. 44. sect. 1.* & alii. Probatur primò ex Scriptura Joan. 8. *Ego ex Deo processi, & veni.* Et Eccles. 24. 5. *Ego ex ore Altissimi prodivi.* Et Joan. 15. 26. *Paraclitus, qui à Patre procedit.* Secundò, ex definitione Ecclesiæ, tùm in Concil. Nicæno. Constantinopol. 1. tùm ex utroque Symbolo, ubi Filius dicitur, *Deus de Deo, lumen de lumine, genitus, &c.* & Spiritus Sanctus: *Qui ex Patre, Filioq; procedit.* Tertiò ex Sanctis Patribus *D. Hilar. lib. 4. de Trinit. & lib. de Synodis explicat. 4. D. Athan. contr. Gregales Sabel. D. Fulgent. lib. ad Objct. Arianor.* & aliis docentibus, unam tantùm in Deo esse Personam productam, reliquas verò productas, quod sine productionibus, sive processionibus stare non potest; ergo &c.

3. Probatur quartò rationibus: Prima, quia ubi datur producens, & productum, necessariò datur productio, & processio; sed in Deo datur Persona producens, & producta; ergo datur productio, & processio. Secunda, quia in Deo dantur tres Personæ realiter distinctæ, ut est de fide, & supra probavimus; sed in Deo nulla datur distinctio realis, nisi fundetur in origine, & processione reali; ergo &c. Tertia, quia processio realis nullam arguit imperfectionem, imò maximam fœcunditatem Naturæ, quæ est perfectio. sed in Deo datur omnis perfectio, quæ imperfectionem non arguit; ergo &c. Quarta, quia in Deo dantur tres Personæ; ergo necessariò debet una ab alia procedere; alioqui non apparet ratio, cur plures non admittantur; siquidem in iis, quæ sunt improducta, aut absque ordine procedunt. quivis numerus est per accidens, ut cernitur in effectibus ab eadem causa procedentibus. Quinta, quia nomina Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quibus in Scripturis significantur Personæ Divinæ, satis indicant processiones; ergo &c. Sexta, quia natura rationalis intelligendo, & amando producit aliquid intra se per actiones immanentes; sed Deus intelligit, & amat; ergo producit etiam aliquid *ad intra*, quod stare non potest sine processionibus.

4. Contra hanc fidei veritatem stant Hæretici, præsertim asserentes non dari realem multiplicitatem Personarum divinarum quales sunt Sabelliani, Ariani, atque Judæi, contra quos jam supra *d. 1. à n. 104.* Objiciunt 1. Multa sunt in Scriptura, quæ non possunt de Deo dici, nisi metaphoricè, ut est illud Psal. 109. *Ex utero ante luciferum genui te.* Et illud Ecclesiast. 2. *Ego ex ore Altissimi prodivi*; cùm enim Deus nõ sit corporeus, non habet neque uterum, neque verum os, sicque debent de eo intelligi metaphoricè: ergo idem dicendum de aliis supra citatis. Respondeo primò optimam Scripturarum interpretationem esse solam Ecclesiam Dei, quæ ob Spiritûs Sancti assistentiam errare non potest; illa autem in omnibus Conciliis, & Symbolis Fidei de vera, & reali processione loca illa intelligit.

5. Respondeo secundò, divinam Scripturam deberi interpretari in proprio, & rigoroso sensu; quando ex opposito non obstat eadem Fides; aut sequitur manifesta implicatio; Fides autem, & ratio convincit, Deum non esse corporeum, neque habere proprium os, & uterum: at verò eadem Fides docet, dari in Deo processiones reales; & præterea ex aliis principiis de fide per evidentiam ostenditur, aliter esse non posse, ut ex dicendis constabit; sicque in vero, & proprio sensu accipienda sunt citata loca.

6. Objiciunt 2, Omnis processio est motus; sed in divinis non est motus; ergo neque processio. Respondeo processionem ex sua primæva impositione significare quidem motum progressivum animalium: ex usu tamen, & communi Scholasticorum acceptione extendi ad significandam quamlibet emanationem unius ab alio, ut à principio: licet igitur in Deo non detur motus localis, cùm sit Immensus; neque mutatio, cùm sit immutabilis, datur tamen emanatio, sive processio, quæ non recurrit cum motu, latiùs enim patet processio, quàm motus.

7. Objiciunt 3. Processio propriè dicta importat egressum extra principium, à quo progreditur; sed nihil divinum potest egredi extra Deum; ergo in Deo non datur processio. Respondeo majorem esse veram de processione transeunte; non autem immanente, quales sunt processiones divinæ, ut infrà dicemus.

8. Objiciunt 4. Quidquid procedit, est diversum ab eo, à quo procedit, sive à suo principio; alioqui idem posset à se ipso procedere; sed in Deo non potest esse diversitas, cùm sit summa unitas; ergo neque processio. Respondeo id, quod procedit in creatis, esse diversum à suo principio, quia ob suam limitationem accipit naturam diversam: at verò in divinis, cùm ob infinitatem communicetur eadem numero Natura divina, id, quod procedit, non potest esse diversum in Natura, licet tale sit in Persona.

9. Objiciunt 5. Quælibet Persona divina, cùm sit Deus, est perfectissimè ens à se, & primum principium; sed ens à se, sive primum principium non potest habere principium, & ab alio procedere; alioqui jam non esset à se, neque primum principium; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: non potest habere principium *ad extra* à quo accipiat naturam diversam; concedo minorem: *ad intra* ejusdem individuæ naturæ; nego minorem. Et ratio diversa est, quia ens à se formaliter solùm excludit causalitatem; non autem processionem in eadem natura; nam cùm processiones divinæ tam necessariæ sint in Deo, atque est ipse Deus, cum ratione procedẽdi in diversitate Personę stat eadem divinitas communicata, & idem perfectissimè primum principium *ad extra*.

10. Objiciunt 6. Si in Deo daretur processio unius Personæ ab alia, Persona producens esset causa Personæ productæ; sed in divinis non est admittenda ratio causæ, cùm non sit admittenda causalitas, sive dependentia; ergo &c. Respondeo negando majorem; causa enim communiter definitur: *Principium per se influens esse in aliud*: ubi particula *aliud* in genere neutro significat diversitatem in natura: Persona autem producens in divinis non influit diversam Naturam in Personam productam, sed eandem communicat; ideoque licet Pater dicatur *alius* à Filio, & Filius *alius* à Patre, & Spiritu Sancto, quatenùs *alius* in masculino supponit pro Persona, quæ sunt diversæ: non ta-

men possunt dici aliud, & aliud, & aliud, quia *aliud* supponit pro Natura, quæ est eadem.

11. Instabis: Si idem se ipsum divinitùs reproducat, erit vera causa, saltem instrumentalis sui ipsius; & tamen non producit diversam naturam; ergo hoc non requiritur ad rationem causæ. Respondeo primò cum *P. Arriaga d. 44. sect. 1. subsect. 3. n. 17.* in definitione causæ ponendam esse particulam *influens esse in naturam*, nè definitio causæ competat Personis divinis *ad intra*; tunc enim instrumentum se ipsum reproducens habet rationem causæ, quia influit in naturam, licet non diversam; non ita verò Persona producens, quia in Naturam non influit. Cùm tamen hoc sit contra definitionem causæ communiter ab omnibus Philosophis receptam.

12. Respondeo secundò, particulam *in aliud* aut habere eundem sensum, quem P. Arriaga intendit; aut comparari in proposito eventu ad agens principale, & adæquatè sumptum; cùm autem idem non possit se ipsum reproducere, ut causa principalis, & adæquata, sed simul cum Deo elevante, & conflatum ex Deo, & instrumento sit diversum ab effectu reproducto, benè sequitur influere esse in aliud secundùm naturam à se diversam, & in illo habere locum communis definitio causæ, non ita verò in Deo. Respondeo tertiò, supponi falsum, posse idem se ipsum divinitùs reproducere, prout diximus in *Phys. tract. 2. d. 4. à n. 57.* sicque corruit argumentum.

13. Objiciunt 7. Si aliqua processio admitteretur in Deo, aliqua in Deo daretur imperfectio; siquidem id, à quo aliquid procedit, caret perfectione ejus, quod ab ipso procedit; sed in Deo nulla est admittenda imperfectio; ergo neque processio. Respondeo cum *P. Valent. d. 2. q. 1. punct. 1. § 18.* negando majorem, & ejus probationem si sermo sit in divinis; nam cùm Natura divina sit eadem in producente, & producto, & hæc aut formaliter, aut eminenter contineat omnem perfectionem, nihil est in producto, quod non sit in producente, aut formaliter, aut eminenter, sicque nulla caret perfectione.

14. Difficultas 2. Utrùm ex principiis fidei per evidentem consequentiam ostendatur vera processio in divinis? Affirmativè. Ita cum D. Thom. communis Theologorum Sententia. Probatur primò, quia de Fide est, Verbum divinum esse verè Filium Æterni Patris, & Patrem esse verè Patrem; sed Filius non est, nisi per generationem, quæ est vera, & realis processio, ut per se notum est; ergo sequitur in divinis esse veram, & realem processionem.

15. Probatur secundò, quia de fide est, dari in Deo plures Personas realiter distinctas; sed in Deo non potest dari distinctio realis, nisi ubi datur oppositio; distinctio autem realis, & oppositio non potest esse in divinis absque processione, ut constat ex eadem Fide apud Concilia, & Sanctos Patres constanter asserentes in divinis omnia esse unum, ubi non obstat Relationis, & processionis oppositio; ergo &c.

16. Probatur tertiò, quia si in Deo essent plures Personæ, (ut ex Fide sunt,) absque reali processione unius ab alia, aut tales Personæ essent absolutæ: aut una absoluta, & altera Relativa: aut utraque Relativa: Non primum, nam quidquid est absolutum in Deo, cùm non dicat oppositionem, est perfectio simpliciter, sicque communicabilis; alioqui aliqua perfectio absoluta esset in una Persona, quæ non esset in alia, quod non est dicendum: Non secundum, alioqui quæ esset absoluta non distingueretur realiter à Relativa; neque enim in divinis sic distinguuntur absoluta, & relativa, cùm illa sint communicabilia. Non tertium, aut enim tales Relationes absque processione fundarentur in unitate; aut in mensura; aut in mensurato; hæc autem non possunt esse in Deo, tùm propter suam infinitatem; tùm quia supponunt, & non faciunt distinctionem; ergo sola manet Relatio originis, quæ non supponit, sed facit distinctionem ob formalem oppositionem.

17. Difficultas 3. Utrùm Processiones divinæ dicendæ sint rigorosæ actiones, & passiones. Negativè. Ita *D. Thom. 1. q. q. 41. art. 1. ad argum. P. Soa. lib. 1. cap. 8. n. 5.* & alii. Probatur, quia actio, & passio rigorosæ semper dicunt dependentiam unius ab alio tanquam à causa sive efficiente, sive materiali; sed in Deo *ad intra* nulla est admittenda ratio dependentiæ, & causalitatis, neque efficientis, neque materialis; ergo neque ratio actionis, & passionis rigorosæ; licet tales dici possint lato modo per similitudinem, & demptis imperfectionibus, prout sunt viæ, & formales productiones habentes se ex parte principii producentis, & ex parte termini producti.

18. Oppones 1. Processiones divinæ aliæ dicuntur activæ, & aliæ passivæ; ergo videntur coincidere cum actione, & passione. Respondeo negando consequentiam: solùm enim dicuntur activæ, & passivæ lato modo, & ad distinguendam emanationem, quæ manet in producente ab illa, quæ datur in Persona producta; & non ad significandam dependentiam, aut causalitatem, quam dicunt actio, & passio rigorosa, & solùm datur in creatis, non autem in divinis; alioqui sicut in creatis actio identificatur cum termino producto, ita emanatio activa identificaretur cum Persona producta.

19. Oppones 2. Deus producens actus essentiales intelligendi, & amandi, id efficit per rigorosas actiones virtuales; ergo producens Personas realiter distinctas, id efficiet per actiones rigorosas reales. Respondeo negando antecedens: Deus enim producit actus essentiales, (dato quod à potentiis distinguatur quoad nos cum fundamento) per quasdam emanationes virtuales, quæ etiam lato modo possunt dici actiones virtuales, demptis imperfectionibus dependentiæ, & causalitatis; quod etiam cum proportione dicimus de actionibus Notionalibus realibus; sicque nihil contra nos.

20. Hinc colliges primò, processiones divinas non posse dici causalitates, sicut neque dependentias, quidquid in contrarium sentiat *P. Arriaga d. 44. sect. 1. subsect. 3. n. 17.* siquidem conceptus dependentiæ de se dicit defectibilitatem rei dependentis, in Deo autem non est admittenda defectibilitas, sicque in divinis procedere unam Personam ab alia potiùs dicit necessitatem producentis, & producti, quàm indigentiam, aut defectibilitatem; quo sensu etiam Deus habet necessitatem essendi, quia non potest esse sine se ipso. Secundò, processiones divinas posse dici Origines, tam activas, quàm passivas: item productiones; quasi actiones, & passiones; vias, & emanationes; actus notionales, per quos scilicet Personæ distinguuntur; processionem Filii appellari dictionem, & processionem Spiritus Sancti Spirationem, ut tenet communis Theologorum sensus.

SECTIO

SECTIO II.

De numero Processionum Divinarum.

21. SUPPONENDUM est, Processiones Divinas dupliciter considerari posse: Primò in ordine ad principium, & prout sic dicuntur activæ, & tenent se ex parte Personæ producentis. Secundò in ordine ad terminum, & prout sic dicuntur passivæ, & tenent se ex parte Personæ productæ, quæ ex dicendis constabunt. Patet exemplo productionis creatæ, quæ in ordine ad agens dicitur activa, seu actio, & in ordine ad terminum dicitur passiva, sive passio. Hoc supposito.

22. Difficultas 1. Quot sint in Deo Processiones? Dico 1. Duæ sunt in Deo processiones passivæ, nec plures, nec pauciores. Ita *D. Thom. hic q. 27. a. 5. Cajet. ibid. Ægid. in 1. dist. 13. q. 3. Henricus quodlib. 6. q. 1. Adam. in 1. dist. 6. q. 1. P. Mol. 1. p. q. 27. a. 5. d. 1. P. Soar. lib. 1. cap. 9. P. Vasq. d 133. cap. 1. P. Tanner. 1. p. d. 4. q. 2. dub. 1. n. 21. P. Arriaga d. 44. sect. 1. n. 7. P. Martinon. d. 24. sect. 1. P. Ruiz, P. Amicus, P. Præposit. 1. p. q. 27. art. 5. P. Arrub. d. 95. cap. 2. P. Compton. tom. 1. d. 50. sect. 6. n. 3.* & alii. Probatur primò, quia duæ sunt tantùm Personæ productæ, nempè Filius, & Spiritus Sanctus; nam Pater à nullo procedit; non enim procedit à Filio, neque à Spiritu Sancto, qui illum supponunt ut principium; non etiam ab alio, alioqui jam essent quatuor Personæ, & non tantùm tres; sed processiones passivæ per terminos productos numerantur; ergo &c. Secundò, quia in Deo tot sunt processiones *ad intra*, quot sunt operationes immanentes; sed operationes immanentes in Deo sunt tantùm duæ, nempè intelligere, & velle; ergo &c.

23. Argues 1. Intellectio, & volitio in Deo est una, & eadem realis actio; ergo processio realis in Deo erit una tantùm. Respondeo negando consequentiam; licet enim intellectio, & volitio divina sint idem realiter, ita tamen distinguuntur virtualiter propter suam infinitam perfectionem, ut possint illi actioni respondere plures processiones reales, & realiter distinctæ, ac si intellectio, & volitio actu distinguerentur realiter.

24. Argues 2. Una, & eadem cognitio potest repræsentare plures terminos: una, & eadem relatio respicere plures terminos: & una ac eadem actio producere plures terminos; ergo etiam sic poterit producere in Divinis. Respondeo primò negando consequentiam, dato antecedente quoad primas duas partes; diversa ratio est, quia cognitio est extrinseca, & intentionalis repræsentatio objecti: item relatio identificatur cum fundamento; sicque illa potest plura objecta repræsentare, & hæc respicere plures terminos veluti extrinsecè sub aliqua ratione formali: at verò actio est intrinseca termino, cum quo identificatur, illumque attingit ut physicè diversum, sicque non potest non esse diversa, si termini sint diversi, idque tam in creatis, quàm in divinis. Respondeo secundò, (dato quod sit possibilis talis actio, ut aliqui admittunt, si se habeat ex parte principii, & sit distincta realiter à terminis) esse diversam rationem in divinis; siquidem ibi processio habet se ex parte Personæ productæ, & constituit formaliter terminum, qui non potest esse diversus, si ipsa processio non fuerit diversa.

25. Argues 3. In Deo una tantùm datur actio immanens, quæ sit intellectio, & volitio essentialis; ergo etiam una tantùm dabitur actio notionalis. Resp. negâdo consequentiam; diversa ratio est, quia termini notionales à parte rei multiplicantur, & nō ita à parte rei multiplicantur termini essentiales; ideoq; à parte rei debent multiplicari actiones notionales, non ita verò essentialis. Accedit, quod etiā cum aliquali distinctione secundùm majorem expressionem conceptūs dicunt aliqui multiplicari actionem essentialem; ergo sic cum proportione dicemus multiplicari notionalem à parte rei.

26. Argues 4. Terminus formalis processionis Divinæ est unus tantum, nempè eadem Natura Divina, quæ per illam communicatur; ergo etiam ipsa processio erit una tantùm. Respondeo terminum formalem processionis communicatum esse unum tantùm; non ita verò terminum formaliter productum; licet enim eadem sit Natura communicata, non cōmunicatur tamen, nisi per relationē productivam personalitatis; quæ cùm sint diversi termini producti, diversæ etiam sunt productiones.

27. Argues 5. Quælibet Processio Divina, cùm sit infinita, debet producere terminum adæquatum fœcunditati divinæ; sed terminus adæquatus non est solus Filius, sed etiam Spiritus Sanctus; ergo una, & eadem erit actio, sive processio ad utrumque terminum, cùm uterque efficiat unum terminum adæquatum. Respondeo quamcumque Processionem Divinam, cùm sit infinita, debere producere terminum adæquatum fœcunditati Divinæ intensivè, non autem extensivè: at verò quælibet Persona Divina, licet sit terminus adæquatus intensivè propter identitatem cum naturâ, non ita tamen est adæquatus extensivè propter oppositionem relationum.

28. Inferes: Ergo si productio divina non adæquat virtutem extensivam alterius, sequitur, posse dari plura Verba Divina, & Amores Notionales in Deo, nempè plures Filios, & plures Spiritus Sanctos; sicut plures dantur actus intellectûs, & voluntatis in creatis ex eo, quod quilibet adæquet virtutem intensivam, non tamen extensivam intellectûs & voluntatis. Respondeo negando sequelam; diversa ratio est, quia Verbum Notionale (idemque de Amore,) cùm sit in suo genere infinitum, debet in suo genere includere omnem perfectionem, & adæquare virtutem intellectivam divinam, tam intensivè, quàm extensivè in suo genere, licet non includat perfectionem Amoris Notionalis, & illius virtutem volitivam extensivè adæquet, id enim non requiritur, cùm sit in alio genere: at verò in intellectu, & voluntate creata aliter se res habet, quilibet enim actus est finitus, sicq; non adæquat virtutem intellectivam, aut volitivam, neque intensivè, neque extensivè, ac proindè possunt, & debent esse plures.

29. Urgebis: Aut per unam processionem potest procedere quidquid in divinis procedit; aut non: Si primum; ergo de facto ita fit; siquidem Deus, cùm sit ens necessarium, & infinitum, quidquid in eo potest esse, actu est: Si secundum; ergo processio divina est imperfecta; siquidem per illam non potest procedere, quidquid in divinis procedit, quod repugnat: tum quia processio divina *ad intra* est infinita, sicque adæquata virtuti Dei infinitæ: tùm etiam quia Deus per illam communicatur quantùm potest; ergo &c. Respondeo per unam processionem procedere quidquid in divinis procedit in certo genere, non tamen in omni genere; neque ideò processio divina in suo

genere est imperfecta ; nam cùm terminus productus per utramque emanationem sit æquè perfectus, utraque emanatio est æquè perfecta intensivè, licet non ita sit extensivè, prout diximus. Addo etiam si talis actio utrumque terminum produceret, non ideo dicendam fore perfectiorem se ipsâ terminatâ ad unam tantùm Personam, saltem intensivè, ut patet ex dictis ; sicque processio Filii dicitur infinita, & adæquata virtuti Dei, intensivè quidem, non tamen extensivè.

30. Argues 6. Paternitas, prout est specialis proprietas Patris, etiam emanat à Natura ; ergo præter processiones Filii, & Spiritûs Sancti datur etiam processio Paternitatis ; consequenterque non sunt tantùm duæ. Respondeo Paternitatem dici emanare à Natura virtualiter, & quoad nos ; non autem realiter, cùm sit indistincta à Natura : at verò nos loquimur de vera, ac reali processione Personæ realiter distinctæ.

31. Argues 7. Non minùs fœcundæ sunt Bonitas, & Omnipotentia divina, quàm Intellectus, & Voluntas ; sed ab Intellectu, & Voluntate emanant processiones divinæ ; ergo etiam aliæ emanabunt à Bonitate, & Omnipotentia. Respondeo negando majorem : fœcunditas enim divina est per ordinem ad emanationem veluti effectivam *ad intra*, quod solùm competit Intellectui, & Voluntati, nam Bonitas divina non habet rationem principii effectivi, sed finalis : Omnipotentia verò, prout distinguitur ab Intellectu, & Voluntate, habet quidem rationem principii effectivi, sed *ad extra*, non verò *ad intra*.

32. Argues 8. Intellectus, & Voluntas divina sunt potentiæ fœcundissimæ ; ergo ab Intellectu poterunt generari plures Filii, & à voluntate plures Spiritus Sancti. Confirmatur, quia licet Intellectus, & voluntas sint realiter idem, ab illis tamen sunt processiones diversæ ; ergo etiam licet Cognitio Divina (idem est de Amore,) prout est cognitio de Deo, & prout est cognitio de creaturis sit idem, habebunt emanationes diversas, diversosque Filios generabunt. Respondeo negando consequentiam : nam ad fœcunditatem divinam solùm spectat producere terminum infinitum : cùm autem Deus propter suam perfectionem unico actu intelligit omnia, & unico amore se ipsum, & omnia amat, ideo unica processione infinitum Filium generat ; & unica processione infinitum Spiritum Sanctum spirat.

33. Inferes : Ergo unica processione producet tam Filium, quàm Spiritum Sanctum ; siquidem unicus realiter est actus Intellectûs, & Voluntatis. Resp. negando illationem : tùm quia Intellectus, & voluntas sunt principia diversi ordinis, & processio voluntatis suâptè naturâ supponit processionem per Intellectum, sicque non possunt non esse diversæ : tùm quia virtualiter intrinsecè distinguuntur, ut supra diximus, & infrà dicemus : tùm etiam quia ex Fide constat, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & à Filio ; Filium autem à solo Patre ; sicque non potest processio Spiritus Sancti esse eadem cum processione Filii ; alioqui non supponeret Filium, consequenterque neque suum principium, aut non esset à Filio, sed à solo Patre, quod est contra Fidem.

34. Ad confirmationem argumenti patet solutio ex dictis, dicendum enim est, Intellectum, & voluntatem, licet sint realiter idem, esse tamen virtute, & æquipollenter diversos, quod opus non est admittere inter cognitionem, & amorem, prout attingunt Deum, & creaturas, cum ad id Fides non urgeat, urgeat tamen ad distinguendas processiones divinas per Intellectum, & voluntatem, quarum principia sunt naturâ suâ Intellectus, & voluntas.

Argues 9. In Deo admittitur una processio per modum Naturæ, qualis est processio Filii, & alia per modum voluntatis, qualis est processio Spiritus Sancti ; ergo etiam admittenda erit alia per modum artis. Respondeo negando consequentiam : nam per artem nihil producitur necessariò, sed liberè ; productio autem *ad intra* est necessaria, prout infrà dicemus ; sicque Ars Divina solùm producit creaturas *ad extra*. 35.

Dico 2. In Deo duæ admittendæ sunt emanationes, sive processiones activæ *ad intra*. Ita cum *D. Thom. hic q. 27. art. 5.* Doctores supra citati. Probatur primò, quia in Deo *ad intra* duæ dantur processiones passivæ ut diximus ; ergo etiam duæ erunt processiones activæ, quibus passivæ correspondent. Confirmatur, ideò dantur duæ processiones passivæ, quia duo dantur termini producti, cum quibus identificantur, nempe Filius, & Spiritus Sanctus ; sed etiam duo dantur principia activa, cum quibus processiones activæ identificantur, qualis est Pater respectu Filii, & Pater cum Filio respectu Spiritûs Sancti ; ergo duæ etiam processiones activæ. Secundò, quia in divinis quatuor dantur relationes, ut infrà dicemus, licet non omnes constituant Personam, nec eodem modo distinguantur ; ergo quatuor debent dari origines, sive processiones, quæ sunt veluti fundamenta proxima, per quæ relationes multiplicantur. 36.

Difficultas 2. Utrùm processiones, seu productiones in Divinis sint ex nihilo ? Negativè. Est de Fide ex Concil. Nicæno *contra Arium*, Concil. Toletan. 1. & 11. *in Confes. Fidei*, Concil. Florent. *sess. 18. & 19. & cap. damnamus, de Sum. Trinit.* Probatur primò ex illo Psalm. 109. *Ex utero ante Luciferum genui te.* Et Joan. 16. *De meo accipiet.* Et infra. *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt ; propterea dixi, quia de meo accipiet.* Idem habet D. Aug. *lib. 18. de Trinit. cap. 19.* 37.

Probatur secundò, quia si processiones divinæ essent ex nihilo, neque essent immanentes, cùm tamen tales sint, ut infra dicemus ; neque essent processiones Personarum Divinarum ; siquidem quod ex nihilo est, aliquando non fuit ; quod autem aliquando non fuit, non est quid divinum ; cùm tamen quod est divinum semper fuerit ; ergo &c. 38.

Probatur tertiò, quia quod procedit, ut Filius per propriam nativitatem, debet produci de substantia producentis ; sed secunda Persona producitur, ut Filius per propriam nativitatem ; ergo producitur de substantia Patris producentis, & non ex nihilo, 39.

Probatur quartò, quia licet possint esse plures Personæ, non ita tamen plures Naturæ ; siquidem omnes debent necessariò participare eandem Naturam, ut supra diximus ; ergo omnes, quæ procedunt à primâ, debent habere illius naturam, quæ jam intelligitur esse in Personâ producente ; sed hoc est personas produci ex substantia, quæ est in Persona producente, & non ex nihilo ; ergo Filius producitur ex substantia Patris, & Spiritus de substantia Patris, & Filii, non autem ex nihilo. 40.

SECTIO

SECTIO III.

Vtrùm possit demonstrari, dari in Deo Processiones Divinas ad intra?

41. DIco 1. Positâ revelatione de Processionibus Divinis *ad intra*, quæ nihil aliud exprimat, non potest naturaliter demonstrari esse duas, nec plures, nec pauciores. Ita *Gabr. in 1. dist. 10. q. 9. a. 2. conclus. 2. P. Arriaga d. 44. sect. 1. subsect. 2. n. 9.* Advertes tamen ante probationem, quæstionem non procedere, si ex fide supponatur, processiones esse tantùm duas activas, & duas passivas; siquidem tunc, cùm fides doceat verum, doceatq; esse tãtùm duas, necessario infertur, non posse esse plures, nec pauciores. Undè solùm procedit quæstio, positâ revelatione absolutè, & indeterminatè, solùmque exprimente, dari processiones divinas. Hoc posito.

42. Probatur, quia intellectus creatus tunc cognoscens dari in Deo *ad intra* aliquam processionem absolutè, & indeterminatè, judicaret esse necessariam, & infinitam, utpotè divina, & adæquare Naturam, & Essentiam Divinam, à quâ judicaret procedere; cùm non haberet principium, ex quo colligeret illam processionem realem esse per intellectum, & voluntatem, utpotè quas solùm cognoscit esse potentias intentionaliter operantes, & tendentes in objectum; ergo judicaret processionem esse unam tantùm, quia una tantùm est Natura Divina.

43. Dices: In anima rationali datur duplex processio immanens per intellectum, & per voluntatem *ad intra*; ergo posito quod in divinis cognoscamus de fide, dari processiones immanentes *ad intra*, benè arguimus esse duas, alteram per intellectum, & alteram per voluntatem. Resp. negando consequentiam: Primò, quia hoc solùm est mera conjectura, & non demonstratio, imò neque argumentum probabile; hoc enim nonbenè fit à creatis ad divina; alioqui ex eo, quod intellectus, & voluntas creata habeant operationes realiter distinctas *ad intra*, ita argueremus esse in Deo, quod est falsum. Secundò, quia in creaturis possunt etiam concipi aliæ potentiæ operantes immanenter *ad intra*; ergo multò magis in Deo, qui longè excedit perfectiones creaturarum; ergo non ostenditur non esse in Deo alias processiones *ad intra* non provenientes ab intellectu, & voluntate, consequenterque non esse plures, quàm duas.

44. Dico 2. Positâ revelatione divinâ de processione *ad intra* procedente absolutè, non à natura immediatè, sed indeterminatè ab aliqua veluti potentia, nempè ab intellectu, aut voluntate, adhuc non potest naturaliter ostendi dari plures processiones, imò potiùs unam tantùm. Probatur quia intellectus creatus naturali lumine judicaret intellectum, & voluntatem divinam esse unam, & indivisibilem entitatem à parte rei, sive in actu, sive in potentia sumantur, & processionem divinam ab illis procedentem fore perfectissimam, & adæquatam principio, à quo procedit; siquidem cùm hoc sit necessarium, producit quantùm potest; ergo judicaret in eo eventu unam indivisibilem processionem realem ab illis oriri, & non plures.

45. Dico 3. Positâ revelatione divinâ de processione *ad intra* per intellectum adæquatè, intellectus creatus, etiam naturali lumine evidenter inferet dari alteram processionem per voluntatem. Ita *P. Granad. tr. 2. d. 6. n. 4.* Probatur, quia utraque facultas est productiva termini, utraque in Deo est infinita, & æquè perfecta; ergo si conceditur processio per intellectum completa, & adæquata, non est major ratio, cur etiam non concedatur altera completa, & adæquata per voluntatem.

Dices: Intellectus sibi relictus adhuc in eo eventu cognosceret intellectum, & voluntatem divinam solùm virtute distingui, sicque esse unicam facultatem realem; ergo naturaliter cognosceret unam tantùm processionem ab illis emanare. Respondeo negando consequentiam; nam intellectus creatus cognosceret illas duas facultates, licet virtute tantùm distinctas, esse tamen subordinatas in operando, sicque cognosceret, Personam productam per voluntatem supponere Personam productam per intellectum, ex quo benè sequitur, Personas distingui inter se; ergo benè inferret processiones distingui etiam inter se, quidquid sit de principio. 46.

Dico 4. Positâ revelatione, quod dentur in Deo plures processiones, non tamen quot sint, non potest naturaliter ostendi, etiam probabiliter, esse tantùm duas quasi specie distinctas. Probatur primò, quia licet cognoscamus esse processiones divinas *ad intra*, & per actiones immanentes; non tamen cognoscimus, neque possumus etiam probabiliter cognoscere fore impossibilem in Deo processionem immediatè à Naturâ Divinâ, vel etiam à quovis alio principio *ad intra* præter intellectum, & voluntatem; nam si in creatis non convincitur esse impossibiles alias potentias operantes *ad intra* præter intellectum & voluntatem, multò minùs convincetur in Deo, cùm excedat creaturas; sed illæ processiones forent specie diversæ; siquidem procederent à diversis principiis, & tenderent ad diversos terminos; ergo &c. 47.

Probatur secundò, quia Cognitio Dei, & creaturarum; Amor Dei, & creaturarum, sunt actus inter se specie diversi; sed cognitio, & amor, quia inter se differunt specie, producunt duas Personas, cùm tamen conveniant in ratione veluti generica actus vitalis, spiritualis, & immanentis; ergo etiam cognitio (idemque de amore,) quæ terminatur ad Deum, & quæ terminatur ad creaturas, producent alias duas Personas; ergo hoc posito, benè intellectus creatus lumine naturali posset inferre possibiles esse plures processiones specie diversas; ac proindè non ita posse probari esse tantùm duas. Neque dicas, cognitionem (idemque de amore,) prout terminatur ad creaturas, non esse æquè necessariam, atque est, prout terminatur ad Deum: Non, inquam, hoc dicas, probabile enim est, Verbum Divinum procedere etiam necessariò ex cognitione, & Spiritum Sanctum ex amore possibilium. 48.

Dico 5. Positâ revelatione, quod dentur plures processiones divinæ, naturaliter potest ostendi non esse plures sub eadem specie, id est, solo numero distinctas. Ita communiter Doctores cum *D. Thom. 1. p. q. 41. a. 6. & quodlib. q. 2. a. 2.* Probatur primò, quia processio divina *ad intra* necessariò est infinita, sicque adæquata suo principio; sed si essent plures ejusdem speciei, nulla adæquaret virtutem sui principii, ut patet in creatis; ergo evidenter cognoscitur, implicare multiplicitatem numericam in processionibus divinis. 49.

Probatur secundò ex Sect. quia quod in divinis non potest ex se determinari ad certum numerum, 50.

non

non potest pluralificari; siquidem in Deo quidquid potest esse, actu est, quia necessariò est; ergo si possunt esse infinitæ Personæ (ut possunt, si admittamus pluralitatem numericam; siquidem non apparet principium determinans ad hunc, aut illum numerum, cùm necessariò essent,) de facto dabuntur infiniti Filii, & infiniti Spiritus Sancti; sed repugnat quod de facto admittantur infiniti Filii, aut Spiritus Sancti; ergo etiam quod admittantur plures sub eadem specie.

51. Probatur tertiò, quia si forent possibiles plures Filii numero diversi, sicque plures processiones numero diversæ, aut omnes producerentur à Patre, & ab illo tantùm distinguerentur realiter, non autem inter se; siquidem cum solo Patre, à quo procedunt, haberent oppositionem; in divinis autem solùm datur realis distinctio, ubi datur oppositio, & hæc ubi datur productio: aut procederet unus ab alio, & tunc non distinguerentut à Patre, à quo non procederent; ergo jam non forent plures Personæ realiter distinctæ, quod etiam ratio naturalis assequitur.

SECTIO IV.

Qualisnam sit quidditas, sive ratio formalis processionum Divinarum ad intra?

52. SUpponendum est primò cum communi Theologorum, (quod infrà contra Durandum probabimus,) principium formale, per quod producuntur Personæ divinæ, & à quo exeunt processiones divinæ activæ, non esse substantiam divinam, sed esse intellectum, & Voluntatem divinam, sicque processiones divinas necessariò debere esse actiones Intellectûs, & Voluntatis.

53. Supponendum secundò, controversiam nunc in præsenti esse; utrùm hujusmodi processiones formaliter sint Intellectio, & Volitio: an verò aliquid procedens ab Intellectu, & voluntate, quod tamen non sit formaliter Intellectio, & Volitio? Triplex est in hac re sententia: Prima tenet, solam intellectionem, & volitionem esse activas processiones formaliter. Ita *P. Vasq. d. 112. cap. 3. P. Tannerus d. 4. q. 2. dub. 4. n. 3.* & apud illum. *Magist. in 1. dist. 26. Richard. in 1. dist. 27. art. 1. Hispal. dist. 3. art. 3. Capreol. dist. 9. q. 1. Caiet. hic q. 27. art. 5. P. Valent. hic q. 1. punct. 3 P. Molin. hic q. 27. art. 1. d. 8. memb. 4. ad 4.* & alii. Secunda sententia asserit, Intellectionem, & volitionem simul cum Relationibus esse processiones activas *ad intra*, ita tamen, ut actus notionalis in recto sit Intellectio, aut volitio, connotans in obliquo relationem. Ita *P. Arrub. 1. p. d. 97. cap. 3. n. 8. & d. 140. cap. 2.* ubi dicit, actus notionales, non solùm connotare, sed etiam includere in recto relationes, quatenùs illæ possunt considerari in via, & in fieri, citatque pro hac sententia *D. Thom. Magist. Scot. quodlib. 4. art. 3. Durand. in 1. dist. 26. q. 1. n. 18. Hispal. dist. 13. art. 1. Canar. Caiet. Bannez, P. Mol. P. Valent.* & alios, tenent etiam hanc sententiam *P. Granad. 1. p. tract. 2. d. 3. sect. 3. n. 12. P. Ruiz d. 59. sect. 4. & 5.* & alii apud citatos.

54. Tertia sententia, quam sequimur, affirmat, solam relationem Personæ producentis esse formaliter totam processionem activam, sive actionem totam, quæ producit. Ita *P. Soar. lib. 6. de Trinit. cap. 1. n. 5.* dicens esse communem Theologorum, citatque pro ea *D. Thom. 1. p. q. 41. a. 1. ad 2. Magist. in 1. dist. 26. D. Bonav. dist. 26. Durand. q. 2. & dist. 13. q. 2. & ibid. Ægid. Capreol. Gabr. Scot. dist. 28. q. 2. Argent. dist. 27. q. 1. Ferrar. 4. contr. gent. cap. 26. Caiet. Torrez,* tenent etiam *P. Valent. 1. p. hic q. 1. punct. 3. P. Zuniga d. 2. dub. 2. P. Arriaga hic d. 46. sect. 2. n. 16. P. Rhodez tom. 1. d. 6. q. 2. sect. 2. §. 3.* & alii.

Probatur primò, quia processio activa in Patre respectu Filii non est sola intellectio (idem est cùm proportione de volitione,) ut ait prima sententia: Non est intellectio simul cum relatione, aut illam connotans, ut tenet secunda sententia; ergo est sola relatio, sive Paternitas. Probatur antecedens quoad primam partem: Primò, quia quod est principium, & terminus processionis, non est processio activa; sed Intellectio est principium, & terminus processionis; siquidem est principium productivum Filii, & Filio communicatur; ergo Intellectio Patris non est ipsa processio. Secundò, quia processio activa Patris generantis non communicatur Filio producto; alioqui etiam Filius generaret; sed Intellectio communicatur termino producto; ergo Intellectio non est processio. Tertiò, quia processio activa est aliquid ratione posteriùs, quàm principium productivum; sed Intellectio non est aliquid posterius principio productivo; nam principium productivum formaliter, aut est ipsa Intellectio, & sic non est prior processione, cùm hæc sit ipsa etiam Intellectio, ut dicunt: aut est Paternitas, & tunc si Intellectio sit formaliter processio, erit prior suo principio, cùm sit prior Paternitate, quæ ab ipsa Intellectione tanquam à principio virtuali emanat; ergo &c. 55.

Probatur antecedens quoad secundam partem: Primò, quia processio debet aliquo modo egredi à principio, à quo est; sed sola relatio egreditur ab Intellectione, & à volitione, quæ sunt principia producentia; ergo sola relatio est processio activa. Secundò, quia in creatis actio productiva verbi non est intellectio, neque actio productiva amoris est volitio; siquidem intellectio, si non adæquatè, ut alibi diximus, saltem inadæquatè in ipso verbo consistit, cujus actio productiva propriè vocatur *dictio*, non intellectio; ergo etiam in divinis actio productiva Verbi non erit Intellectio, sed *dictio*, quæ formaliter est relatio. 56.

Probatur secundò, quia sicut Persona producta, ut infrà dicemus, constituitur, & distinguitur realiter per processionem passivam, ita etiam Persona producens constituitur, & distinguitur realiter per processionem activam; sed processio passiva sic constituens, & distinguens Personam productam est formaliter ipsa relatio Personæ productæ; ergo etiam processio activa sic constituens, & distinguens Personam producentem erit formaliter ipsa relatio Personæ producentis. 57.

Probatur tertiò, quia actio semper est magis determinativa, quàm principium; ergo cùm Intellectio sit quid commune omnibus Personis, quæ non operantur, Paternitas verò sit propria solius Personæ producentis, meliùs dicitur, Paternitatem esse actionem determinantem intellectionem, & hanc esse principium proximum Filii, quàm si ipsa intellectio dicatur activa productio. Ita *P. Arriaga cit. num. 19.* Confirmatur primò, quia Intellectio est principium virtuale Paternitatis; ergo non potest esse actio, per quam ipsa Paternitas producat Filium; alioqui actio esset principium suæ causæ, ut supra diximus *n. 55.* Secundò, 58.

quia

quia Paternitati, ut est via, nihil deest, ut sit formalis productio adæquata Filii; ergo &c.

59. Probatur quartò, quia communicatio Naturæ divinæ sit formalissimè producendo Filiationem identificatam cum illa, sicut fit formalissimè communicatio animæ rationalis materiæ producendo illius unionem ad materiam; sed communicatio animæ rationalis non ingreditur rationem formalem generationis hominis; ergo etiam communicatio Naturæ, sive Intellectionis Divinæ non ingredietur formalem generationem Verbi Divini.

60. Argues 1. Sancti Patres dicunt, Filium procedere per cognitionem; ergo cognitio, sive intellectio est illius productio. Item Patrem omnia scire in Filio, & utrumque omnia amare in Spiritu Sancto; sed non ut formâ intellectionis, & volitionis; ergo ut earum termino; consequenterque intellectio est formalis productio Verbi, & volitio est formalis productio Spiritûs Sancti. Respondeo negando utramque consequentiam: benè enim salvantur Patres, etiam si non dicamus intellectionem, & volitionem esse actiones, sive productiones formales, dummodo sint principium *quo* ipsarum productionum; sic enim optimè dicitur Verbum (idemque cum proportione de Spiritu Sancto) procedere per intellectionem, & esse illius terminum, quatenùs illam habet pro principio *quo*, licet illam non habeat pro actione, sive productione formali.

61. Argues 2. Omnis actio debet proportionari suo principio, & esse aliquid illius; sed sola intellectio, & non Paternitas, est aliquid intellectûs, & ei proportionatur; ergo sola intellectio est actio, & productio formalis intellectûs producentis Verbum. Respondeo negando minorem quoad secundam partem; Paternitas enim est proportionata intellectui, & est aliquid illius, utpotè quæ emanat ab essentia, non absolutè sumptâ, sed ut intellectiva est, quod sufficit, ut sit, & dicatur actio intellectûs productiva Verbi, quod non est intellectio formaliter, sed tantùm terminativè. Patet in Aseitate, quæ licet non sit formaliter intellectio, est tamen differentia proportionata substantiæ divinæ intellectivæ.

62. Argues 3. Omnis productio dicitur terminus *in fieri*; sic enim productio caloris est calor *in fieri*; sed Paternitas non potest dici Verbum *in fieri*, seu fieri Verbi; siquidem Verbum est Intellectio, sive Sapientia genita, qualis non est Paternitas; ergo Paternitas non est productio, sive processio activa Verbi. Respondeo primò negando minorem; licet enim Verbum sit Intellectio, & Sapientia genita, qualis non est Paternitas; cùm tamen non sit Intellectio, sive Sapientia formaliter, sed tantùm terminativè, prout est terminus intellectionis, & hæc ut principium producat ipsum Verbum mediante Paternitate, tanquam productione formali, ipsa Paternitas dicitur illius *fieri*, sive Verbum *in fieri*, quatenùs per illam fit, sive producitur.

63. Respondeo secundò, data majori, & minori, negando consequentiam; nam licet in creatis productio termini dicatur terminus *in fieri*, sive fieri termini, non ita dicitur in Divinis; diversa ratio est, quia in creatis productio habet se ex parte termini, & cum illo identificatur, pertinetque ad illius rationem, sicque bene potest dici terminus, saltem *in fieri*: at verò in divinis productio non se habet ex parte termini, neque ad illius rationem pertinet, sed habet se ex parte principii, cum quo identificatur, & ad cujus rationem pertinet, sicque non mirum est, quod non dicatur terminus *in fieri*. Accedit, quod ipsi Adversarii dicunt, Paternitatem esse productionem Verbi, saltem inadæquatè; ergo tenentur dicere, & concedere esse Verbum *in fieri* etiam inadæquatè.

64. Argues 4. Verbum creatum procedit immediatè per actionem intelligendi; ergo etiam sic procedet Verbum Divinum. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est primò, quia verbum creatum est intellectio formaliter, sicque debet produci per actionem intellectivam: at verò Verbum Increatum non est intellectio formaliter, sed terminativè, sicque requirit aliquid distinctum ab ipsâ intellectione, per quod producatur, ut per actionem, sive productionem; hoc autem distinctum est Paternitas. Secundò, quia in creatis actio physica distinguitur à parte rei à verbo producto: at verò non ita distinguitur à Verbo Divino Intellectio, sed sola Paternitas. Tertiò, quia verbum in creatis producitur ex indigentia: at verò in divinis producitur ex fœcunditate, sicque debet jam supponere intellectionem. Accedit, quod sicut actio intelligendi est productio adæquata verbi creati, ita etiam intellectio divina esset productio adæquata Verbi Increati, quod non admittent.

65. Argues 5. Paternitas est relatio prædicamentalis; ergo non est productio; siquidem hæc ut talis, est transcendentalis relatio. Respondeo negando consequentiam; licet enim Paternitas sit sub aliqua expressione relatio prædicamentalis, benè potest sub conceptu productionis esse transcendentalis.

66. Argues 6. Ideò verbum externum in nobis non est formaliter repræsentativum, quia non procedit à cognitione ut ab actione, sed ut à causa; atqui Verbum divinum est formaliter representativum; ergo ideò tale est, quia procedit per intellectionem, ut per actionem. Respondeo negando antecedens: tum quia species memorativa sic procedit à cognitione, ut à causa, & principio; & tamen in multorum sententia est formaliter repræsentativa: tùm etiam, quia licet verbum externum procederet per cognitionem, ut per actionem, adhuc non esset formaliter repræsentativum, quia non esset cognitio: sic enim in sententia asserente, intellectionem consistere in sola actione, qualitas per illam, ut per actionem producta, non esset formaliter repræsentativa, quia non esset cognitio. Undè Verbum Divinum ideò est formaliter repræsentativum, non quia procedit per intellectionem ut per actionem, sed quia ex vi suæ processionis procedit formaliter per cognitionem, ut per principium, & illam habet communicatam à Patre, per illamque intelligit, quod non cernitur in nostro verbo externo.

67. Argues 7. D. Aug. & D. Ansel. docent, idem esse in divinis intelligere, ac dicere; sed dictio est productio; ergo & intellectio; consequenterque productio formaliter includit intellectionem. Respondeo primò Sanctos Patres, quando dixerunt, idem esse dictionem, & intellectionem, locutos fuisse de dictione impropriè, & lato modo, quo etiam sensu cognitio creata dicitur locutio, & dictio, prout nobiscum loquimur, & dicimus. Secundò, locutos fuisse de dictione terminativè, pro ut supra diximus.

68. Argues 8. Processio Filii est simul productio relationis, & communicatio naturæ; ergo licet quatenùs productio dicat Paternitatem, quatenùs tamen communicatio dicet intellectionem; conse-

quenterque utramque includit. Respondeo negando consequentiam: nam communicatio Naturæ formalissimè sit producendo Filiationem cum illa identificatam eo modo, quo communicatio animæ rationalis formalissimè sit materiæ producendo unionem ad illam; ergo sicut generatio formaliter consistit in sola actione productiva unionis (dato quod hæc à generante producatur,) licet consequatur communicatio animæ, ita etiam generatio Verbi Divini formaliter consistet in sola actione productiva Filiationis, licet sequatur communicatio naturæ per modum intellectionis.

69. Instabis: Terminus processionis divinæ in facto esse includit formaliter naturam communicatam, & relationem productam; ergo etiam illius actualis productio, quæ est terminus in fieri, includet formaliter & naturam, sive intellectionem communicandam, & relationem productivam. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia processio, cùm sit realis productio, requirit distinctionem realem inter principium, & terminum productum; hæc autem in sola relatione reperitur, ideoque sola relatio est formaliter, & adæquatè processio: at verò terminus formalis est ille, ratione cujus terminus adæquatus, & totalis, talis dicitur; cùm autem Natura illum denominet totalem communicatum, & relatio totalem productum, ideò illa est terminus formalis communicationis, & hæc productionis; sicque utramque formaliter includit.

70. Argues 9. Principium *quo* productivum est absolutum; ergo etiam productio. Respondeo primò cum *P. Arriaga cit. n. 15.* negando antecedens, si sermo sit de principio totali; hoc enim est Pater, qui est essentialiter relativus. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam: Primò, quia in divinis productio realis est inter relativa; ergo aut principium, aut productio ex parte producentis debet esse aliquid relativum; sed tale non est principium, ut supponit argumentum; ergo erit ipsa productio. Secundò, quia de ratione principii *quo* non est distingui realiter à termino, ut patet in eo, qui se ipsum divinitùs reproduceret (quod aliqui affirmant non repugnare,) sed sufficit continere in sua virtute ipsum terminum, & in eo ipsum principium *quod* assimilet sibi productum, quod totum reperitur in Natura Divina: at verò de ratione productionis realis actualis est distingui realiter à termino; hoc autem in sola relatione reperitur; sicque sola relatio est productio realis actualis.

71. Argues 10. In nobis non datur actio, seu productio immanens, nisi per intellectionem, & volitionem; ergo etiam in divinis. Respondeo primò negando antecedens; nam productio habitûs est immanens, & *ad intra* in nobis; & tamen non per intellectionem, neque per volitionem, tanquam per actionem, sed tanquam per principium producuntur; & sic proportione habitâ in divinis. Secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est: primò, quia ab humanis ad divina non valet argumentum. Secundò, quia in nobis productio immanens per virtutem intellectivam est ex indigentia intelligendi per terminum productum: at verò in divinis non ita, sed ex fœcunditate, prout supra diximus *num. 64.* Ex dictis.

72. Colliges primò, processionem, sive productionem passivam Filii formaliter, (idem cum proportione de Spiratione passiva respectu Spiritus Sancti,) esse solam Filiationem, quatenus via habens se ex parte Filii, illumque denominans formaliter productum. Secundò, aliam esse dictionem virtualem, quâ scilicet à nobis concipitur emanare Verbum, sive conceptum essentialem ab Intellectu Divino, quæ est communis toti Trinitati; aliam verò esse dictionem realem, & notionalem, quâ scilicet solus Pater realiter producit Filium, seu Verbum notionale, & quæ soli Patri activè, & soli Filio passivè competit; (idem dicendum cum proportione de dilectione.) Tertiò, dictionem, & verbum propriè, & simpliciter solùm dici notionaliter; sicut & spirationem, & spiratum; siquidem hæc simpliciter important processionem, & distinctionem realem, quæ solùm reperiuntur inter notionalia.

73. Quartò, Verbum, & amorem creatum habere, in quo conveniunt, & in quo differunt à Verbo, & Amore Increato tam essentiali, quàm notionali; nam verbum, & amor creatus habent duo: Primum, quod reddant hominem formaliter intelligentem, & amantem; & in hoc conveniunt cum Verbo & Amore essentiali, & differunt à Verbo & Amore notionali: Secundum, quod producantur realiter, & in hoc conveniunt cum Verbo, & Amore notionali, & differunt à Verbo, & Amore essentiali. Hinc fit primò, quod in nobis verbum, & amor procedunt ex necessitate intelligendi, & amandi; & nō ita verbum, & amor notionalia in divinis, sed ex fœcunditate tantùm intelligendi, & amandi. Secundò, quod processio Verbi Divini magis assimiletur productioni habitûs, aut verbi externi; siquidem tam habitus, quàm verbum externum supponunt, & non faciunt hominem intelligentem; verbum autem internum, sive conceptus reddit formaliter intelligentem. Tertio, quod Pater per Verbum notionale non loquitur sibi, neque sibi aliquid de novo manifestat, sed potiùs Filio, ei communicando per se primò suam cognitionem, illum realiter producendo.

74. Colliges quintò, licet vera sit hæc: *Pater dicit se, & omnia Verbo*: non esse veram hanc: *Pater producit, aut generat se, & omnia Verbo*: quia in prima *dicere* sumitur per respectum ad objectum, quod dictio supponit cognitum: in secunda verò per respectum ad terminum productum, qui est solus Filius. Similiter posse dici: *Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto*: non autem: *Spirant se Spiritu Sancto*: quia in prima sensus est: Pater, & Filius sunt objectum amoris, qui includitur in Spiritu Sancto ex vi suæ processionis, sicque importat respectum ad objectum amatum: in secunda autem importat solum respectū ad terminum productum, seu spiratum, qui est solus Spiritus Sanctus.

75. Colliges sexto, Intellectionem, & Volitionem, prout dicuntur notionales, non addere supra Intellectionem, & Volitionem essentiales aliquid per modum differentiæ intra rationem Intellectionis, & Volitionis, ut aliqui existimant, sed solùm addere conjunctionem relationum, prout hæ sumuntur in fieri productivo, & sunt aliquid extra rationem Intellectionis, & Volitionis. Patet primò, quia cùm differentia in proprio genere Intellectionis, & Volitionis sit etiam Intellectio, & Volitio, si illam adderent, prout dicuntur notionales, aliquid in ratione intelligendi, & amandi daretur in una persona, quod non daretur in alia; hoc autem est falsum; ergo &c. Secundò, quia per differentias proprias, & in proprio genere multiplicant intellectio, & amor totam rationem communem; ergo si intellectio, & volitio, prout dicuntur notionales adderent supra essentiales hujusmodi differentias, sicut notionalia Personarum sunt realiter

realiter distincta, etiam distinctæ essent in Personis intellectiones, & volitiones in ratione intellectionis, & volitionis, quod est hæreticum, & contra singularitatem cujusque prædicati absoluti.

SECTIO V.

Vtrùm processiones Divinæ ad intra sint substantiales, immanentes, & vitales?

76. Dico 1. Processiones divinæ *ad intra* sunt substantiales. Est de fide. Probatur primò, quia tam principia, quàm termini sunt perfectissima substantia; siquidem Pater, qui est Deus, producit Filium sibi consubstantialem, & verum Deum: Item Pater, & Filius, qui sunt idem Deus, producunt Spiritum Sanctum sibi consubstantialem, & verum Deum; ergo eorum processiones, tam activæ, quàm passivæ, debent esse substantiales. Secundò, quia processiones divinæ, tam activæ, quàm passivæ, sunt aliquid intra Deum reale, & physicum, & idem à parte rei cum ipso Deo; sed quidquid est reale, physicum, & idem cum Deo, est Deus; consequenterque substantiale; ergo &c. Tertiò, quia non sunt accidentales, cùm sint *ad intra*; Deus autem *ad intra* nihil habet accidentale; alioqui esset capax mutationis, posseréque de novo perfici; ergo sunt substantiales; sunt enim substantia, & accidens membra adæquatè dividentia *Ens*.

77. Dico 2. Processiones divinæ *ad intra* sunt etiam immanentes. Est etiam de fide. Ita *D. Thom. 1. p. q. 27. art. 1. 3. & 5. Caiet. ibid. D. Damascen. lib. 1. cap. 6.* quatenùs dicit Patrem producere Verbum in se ipso immanens. *P. Tanner. d. 4. q. 2. dub. 1. n. 20. P. Arrub. d. 96. cap. 1. n. 3. P. Granad. tract. 2. d. 1. n. 2.* & alii. Probatur primò ex illo Joan. 1. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris.* Et Joan. 14. *An nescis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Ergo Pater producit personam in ipso manentem; hoc autem est, productionem esse immanentem.

78. Probatur secundò, quia omnes Divinæ personæ, quæ procedunt, producuntur subsistentes in eadem natura Personæ producentis, quæ natura non distinguitur realiter à Persona producente; ergo Personæ productæ debent produci manentes in producente; ac proindè per productiones immanentes. Confirmatur, quia actio, sive productio dicitur immanens, aut quia secundùm se est in Persona producente; aut quia est Origo ad terminum manentem in producente; sed processiones divinæ activè sumptæ secundùm se manent in Persona producente, & cum illa identificantur, & sunt Origines ad personas subsistentes in eadem substantia producentis, cum qua etiam identificantur; ergo debent dici immanentes.

79. Objicies 1. Filiatio, quæ à Patre producitur, non manet in Patre, sed in Filio, quem constituit; ergo ejus processio, sive productio non est immanens. Respondeo negando antecedens: Filius enim manet in Patre per identitatem in Natura, quæ in utroque est eadem, quod sufficit ad immanentiam.

80. Objicies 2. Omnia principia creata perficiuntur per actiones immanentes; sed Pater non ita perficitur per istam identitatem Naturæ, secundùm quam productio Filii à Patre dicitur immanens; ergo &c. Respondeo Patrem non ita perfici intensivè; perfectio enim intensiva solùm advenit principiis finitis, qualia sunt creata; non autem principio simpliciter infinito, qualis est Pater: Undè solùm dicetur perfici extensivè.

81. Objicies 3. Processio, sive operatio immanens importat causalitatem, sive receptionem passivam; sed in Deo non est admittenda receptio, sive causalitas passiva; ergo neque operatio, sive processio immanens. Respondeo distinguendo majorem: importat causalitatem, sive receptionem passivam, si sit operatio immanens per unionem; concedo majorem: si sit immanens per identitatem; nego majorem: processiones autem in Deo *ad intra* non sunt immanentes per unionem, sed per summam, & perfectissimam identitatem, ideoque non sunt causalitates in genere passionis, sicut etiam tales non sunt in genere actionis. Et ratio adhuc est, quia sicut causalitas in ratione producti dicit contingentiam termini in natura, quantùm est ex vi actionis, quæ ad naturam terminatur; hoc autem non reperitur in Deo; siquidem par est necessitas Personæ productæ, & producentis in eadem natura, quæ non terminat productionem: ita etiam causalitas in ratione recipientis dicit contingentiam formæ receptæ secundùm materiam; hoc autem etiam non reperitur in Deo; siquidem pari necessitate Persona producta, & producens sunt idem Deus in Natura, in qua identificantur processiones divinæ; ergo sicut in Deo *ad intra* non sunt causalitates in genere actionis, ita neque in genere passionis.

82. Dico 3. Processiones divinæ *ad intra*, tam activæ, quàm passivæ sunt vitales. Ita *Quiroz de Trinit. d. 34. n. 17.* & alii. Ante probationem tamen advertes, vitam prout alibi diximus in *Phys. tr. 10. d. 10. n. 124.* communiter definiri: *Principium motûs per se immanentis ab intrinseco.* Dicitur *per se immanentis*, ut rejiciantur motus transeuntes, & per accidens immanentes, qualis est aggeneratio ignis, qui per alium, aut per subministrationem pabuli accrescit; pars enim ignis advenientis non postulat per se manere in generante. Dicitur *ab intrinseco*, ut rejiciantur emanationes immediatæ à natura per modum naturæ, & non mediante aliquâ potentiâ; siquidem tales emanationes tribuuntur externo agenti generanti, quod ut naturæ principium, censetur per suam virtutem, & instrumentum esse etiam principium talium emanationum, ut accidit in emanationibus proprietatum à sua natura. Hoc posito,

83. Probatur conclusio primò, quia tales processiones postulant manere in eadem natura, à qua ut à principio intrinseco procedunt; sed hæc est propria ratio vitæ, ut patet ex dictis; ergo sunt vitales. Secundò, quia earum termini, & principia sunt vitales, ut est de fide, & patet ex illo *Joan. 1.* ubi de Verbo divino dicitur: *Quod factum est in ipso vita erat:* (quod idem dicendum de Spiritu Sancto;) sed actiones desumunt suam quidditatem à principio, & à terminis; ergo cùm hæc in divinis sint vitalia, etiam vitales erunt eorum Origines, & processiones. Tertiò, quia actiones, quibus verbum, & amor creatus producuntur, sunt vitales; ergo etiam tales erunt actiones, sive processiones, quibus producuntur Verbum, & Amor in divinis.

84. Argues 1. Vita, prout supra diximus, dicitur principium *motûs*; sed in Deo, cùm sit immobilis, nullus datur motus; ergo neque ratio vitæ; consequen-

sequenterque processiones in Deo non sunt vitales. Respondeo in Deo, licet sit immobilis, non implicari motum, qui tantùm sit operatio immanens, ut datur in Intellectu, & Voluntate Divina, tam in ordine ad actus essentiales, quàm notionales; sed implicari motum, qui inducat mutationem de non esse ad esse.

85. Argues 2. Processio activa pertinet ad constitutionem Personæ producentis; ergo non est vitalis; siquidem actio vitalis supponit personam constitutam, in quo distinguitur ab emanatione proprietatum, quæ ideò non dicitur vitalis, licet sit immanens. Respondeo dato antecedente, de quo infra, & jam supra, negando consequentiam, & ejus probationem; neque enim ut actio sit vitalis debet supponere personam constitutam in suo esse, & in ratione personæ; alioqui actiones animæ separatæ, & ejus intellectio, ac volitio; imò & operationes naturæ spoliatæ omni subsistentiâ, non essent vitales; sicque licet processiones non supponant, sed constituant personam, adhuc possunt esse vitales; & si tales non sunt emanationes proprietatum, non ideò est, quia pertinent ad constitutionem personæ, cùm tamen sint immanentes, sed quia non sunt per se immanentes ab intrinseco, cum tribuantur externo agenti. Accedit, processionem non constituere personam sub hac expressione processionis, sed sub alia ratione formali personalitatis.

86. Argues 3. Terminus actionis vitalis, cùm sit motus immanens ab intrinseco, debet manere in suo principio: imò & ipsum principium sic vitaliter operans debet in se perfici per talem operationem; sed neutrum reperitur in divinis processionibus: Non primum, quia Verbum realiter distinguitur à Patre: Non secundum, quia Pater supponitur perfectissimè constitutus ad Filium; ergo processiones divinæ non sunt vitales. Respondeo Verbum manere in Patre per identitatem Naturæ, quod satis est ad actionem immanentem, ut diximus; imò & ut dicamus, Patrem perfici, saltem extensivè, non solùm per originem activam cum illo identificatam, sed etiam per passivam identificatam cum Filio, imò & per ipsum Filium juxta illud D. Cyril. 2. *Thesaur. cap. 1. Non potest*, inquit, *esse perfecta Deitas, nisi Filium habeat, & fructum ex se pariat.* Nam si in creatis pater gignendo filium vivit, & perficitur, cùm tamen nihil in se recipiat, à fortiori id erit in divinis.

87. Argues 4. Processio passiva non est vitalis, neque Patri, cùm in illo non sit, neque Filio, cùm ab illo non sit; ergo saltem processiones passivæ non sunt vitales. Respondeo negando antecedens: Pater enim vivit per originem passivam, ut principium illius in quo manet per identitatem naturæ; & Filius etiam ut illius terminus, cum quo identificatur. Patet in actione productiva verbi, sive conceptûs creati, cum quo ipsa identificatur, & est vitalis, tam respectu illius, quàm respectu principii, sive intellectûs.

88. Argues 5. Ignis constitutus in esse sibi connaturaliter operatur immanenter, augmentando se per aggenerationem; & tamen talis augmentatio non dicitur vitalis; ergo neque vitales dicentur processiones Divinæ, licet sint immanentes. Respondeo aggenerationem ignis non dici vitalem, quia licet sit immanens, talis non est per se, sed per accidens, cùm sit ejusdem rationis cum generatione alterius ignis, qui ab illo igne, aut ab alio produceretur in subjecto realiter distincto. Imò si Deus impediret unionem inter ignem producentem, & productum, jam talis actio non foret immanens, cùm tamen perseveraret eadem, sicque solùm est per accidens immanens, ideoque non vitalis: at verò processiones Divinæ sunt per se, & ab intrinseco immanentes, sicque vitales. Ex dictis.

89. Colliges primò, productionem habitûs supernaturalis non esse vitalem; siquidem tribuitur externo agenti, non tanquam partis naturæ, ut tribuuntur potentiæ naturales immanentes, ideoque sunt vitales, licet etiam externo agenti tribuantur; sed ut aliquid naturæ omninò indebitum, ideoque licet productio talis habitûs sit immanens, non est tamen vitalis. Secundò, productionem speciei memorativæ, & intelligibilis esse vitalem; non ita verò productionem speciei sensibilis; hæc enim tribuitur externo agenti, nempè objecto; non ita tamen illa; siquidem productio speciei memorativæ tribuitur actui intellectûs patientis; & productio speciei intelligibilis tribuitur intellectui agenti à quibus producuntur, ideoque sunt vitales.

SECTIO VI.

Vtrùm, & quomodò processiones Divinæ sint liberæ, & voluntariæ?

DIFFICULTAS 1. Utrùm processiones Divinæ sint liberæ? Advertes triplicem dari necessitatem: Prima dicitur necessitas indigentiæ, quâ una res alii indiget ut sit, ut creaturæ indigent Deo, & opponitur independentiæ, quo sensu substantia v. g. dicitur necessaria ad existentiam, aut sustentationem accidentis. Secunda dicitur necessitas coactionis, & violentiæ, quâ res ab alia cogitur ad agendum, ut captivus cogitur ad remigandum, & opponitur spontaneo. Tertia dicitur necessitas essendi, quâ res ita est, ut non possit non esse, & opponitur contingentiæ, sic Deus necessariò est, quia non potest non esse. Ex quo fit, ut triplex etiam distingui possit libertas: Prima dicitur libertas ab indigentiâ, sive dependentiâ: Secunda libertas à coactione: Tertia libertas à necessitate. His positis.

90. Dico 1. Processiones Divinæ non sunt necessariæ necessitate indigentiæ, seu coactionis, sicque dici possunt liberæ libertate ab indigentiâ, seu coactione. Est certa apud omnes Theologos. Probatur, quia Deus nullius indiget, & à nullo cogi potest; hoc enim ex suo conceptu dicit imperfectionem, ac dependentiam, cujus Ens Divinum, quales sunt processiones Divinæ, non est capax; ergo &c.

Hinc colliges, quo sensu intelligendi sint *Scot. Henricus, & Cajet.* apud Authores infra citandos, dum dicunt, processiones divinas dicendas esse liberas; intelligendi enim sunt de libertate ab indigentia, & coactione; alioqui docerent aliquid contra fidem; siquidem necessitas essendi divinarum processionum semper definita est contra Arianos.

91. Dico 2. Processiones divinæ sunt necessariæ necessitate essendi, sive prout necessitas opponitur contingentiæ. Est de fide. Ita cum *D. Thom. hic q. 41. art. 2. D. Hilar. lib. de Synod. D. Athan. orat. 4. contr. Arium. P. Soar. lib. 6. cap. 3. n. 1. P. Vasq. 1. p. d. 160. & 161. P. Ruiz d. 92. P. Molin. P. Valent. P. Arriaga d. 46. sect. 5. n. 33. P. Arrub. d. 142.*

142. cap. 2. & alii. Probatur primò; quia de generatione Filii esse necessariam, & non liberam definitum fuit contra Eunomium, & Arium in *lib. de Synodis* apud D. Hilar. *Si quis*, ait, *Voluntate Dei, tanquam unum aliquid de creaturis, Filium factum dicat: anathema sit*: Non voluntate; ergo non liberè, ut dicebant Ariani inferentes, indè Verbum esse creaturam, sed necessariò. Confirmatur primò ex D. Hieron. adversùs prædictum errorem ad illud, *qui prædestinavit nos.* Ephes. 1. *De Filio vero*, inquit, *hoc est, de Domino nostro Jesu Christo in alio loco scriptum est, quod semper cum Patre fuit, & numquam eum, ut esset, paterna voluntas præcesserit*; ergo cùm nulla sit libertas, nisi à voluntate, si hæc generationem Filii non præcessit, generatio non fuit libera, sed necessaria. Secundò ex D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 20.* ubi de Verbo: *Esse*, inquit, *Filium naturæ, non voluntatis.* Et idem docet de Spiritu Sancto. D. Cyril. Alexan. *lib. 13. cap. 2. Ex ipsa*, ait, *Essentia Deitatis naturaliter emissum*; ergo &c.

94 Probatur secundò rationibus: Prima, quia fide credimus, Personas Divinas esse Deum, & ex illis duas esse productas; sed Deus non liberè, id est contingenter, sed necessariò, id est naturaliter est; siquidem impossibile est, Deum non esse; ergo cùm personæ Divinæ productæ non possint esse sine processionibus, credendum est, ipsas processiones esse necessarias, & non liberas. Secunda, quia si processiones divinæ essent liberæ, possent non esse absolutè; siquidem quod liberum est, potest esse, & non esse; sed hoc non est dicendum; alioqui Pater posset non generare Filium, & Pater, ac Filius possent non spirare Spiritum Sanctum; consequenterque Filius, & Spiritus Sanctus possent non esse, quod est contra fidem; ergo &c. Tertia, quia Filius procedit ex cognitione comprehensiva Dei, & Spiritus Sanctus ex illius amore; sed hi actus sunt in Deo necessarii, & non liberi; ergo etiam tales erunt processiones divinæ. Quarta, quia omne, quod est in Deo, est æternum, immutabile, & non potest non esse; sed processiones divinæ sunt in Deo; ergo non contingenter, sive liberè, sed necessariò necessitate excludente indifferentiam, sive contingentiam ad essendum, aut non essendum; consequenterque processiones sunt actus naturales; siquidem hi sunt, qui procedunt ex principio determinato ad unum; sic autem se habet processio Verbi Divini, & Spiritûs Sancti.

95. Objicies 1. Concil. Syrmiens. *can. 25.* ex D. Hilar. *lib. de Synodis* ubi dicit: *Non enim coactus Pater, vel naturali necessitate ductus genuit Filium, sed mox ut voluit.* Et Concil. Tolet. 11. dicens: *Patrem nec voluntate, nec necessitate Filium genuisse.* Quod idem infertur ex D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 2.* & D. Hilar. *lib. de Synodis* post confessionem Concil. Sardicens. quod approbat, dicit: *Nativitatem Filii adeò esse perfectam, ut qui ex substantia natus est, etiam ex Consilio ac voluntate nascatur.* Et D. Clement. *lib. 8. Constit. Apostol. cap. 12.* ubi etiam dicit, *Patrem generasse Filium voluntate, potentia, & bonitate*; ergo &c.

96. Respondeo cum *P. Vasq. cit. cap. 4. P. Arrub. cit. cap. 2.* Concil. illud Syrmiense non fuisse legitimè congregatum, sed Arianum. Dato tamen quod aliquam haberet authoritatem, adhuc posse intelligi de voluntate concomitante, quâ Pater approbat, & sibi complacet in generatione Filii, non autem de voluntate libera, & contingenti essendi, aut non essendi generationis. Et in hoc eodem sensu intelligendi sunt *D. Hilar. & D. Clement.* Ad Concil. Tolet. & D. Aug. cit. dicimus, intelligendos esse de necessitate indigentiæ, aut coactionis, quam inferebant Ariani ex eo, quod Catholici negarent, Verbum procedere liberè: non autem negabant Patres necessitatem perfectionis, quæ consistit in eo, quod res ita sit, ut non possit non esse; sed necessitatem imperfectionis, qualis est, quæ dicit coactionem, sive indigentiam.

Objicies 2. In Deo circa perfectissimum objectum, qualis est Deus, sive Personæ Divinæ, debet admitti perfectissima operatio; sed talis est operatio libera; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: talis est operatio libera, si sit circa objectum liberum; concedo minorem: circa objectum necessarium, & infinitum; nego minorem: Neque enim est imperfectio; imò maxima perfectio non posse Deum liberè carere aliquo infinito, & sibi adæquatè intrinseco, quales sunt Personæ Divinæ. 97.

Instabis: Etiam actus liberi divini (dantur enim in Deo,) sunt aliquid perfectionis divinæ; & tamen sunt perfectè liberi libertate contingentiæ; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem: sunt aliquid perfectionis divinæ, quoad suum esse intrinsecum, & formale; concedo majorem; quoad extrinsecum, & eminenter contentum; nego majorem: quoad intrinsecum autem sunt aliquid necessarium, cùm sint ipse Deus, qui est maximè necessarius; licet quoad extrinsecum, & objectum connotatum sint aliquid contingens, cùm sint aliquid creatum, ut jam alibi diximus. 98.

Urgebis: Idem actus potest simul esse liber, & necessarius, ut patet in amore beatifico, qui respectu Dei est necessarius, & respectu creaturarum liber; ergo tales erunt processiones divinæ. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia amor beatificus versatur circa objecta, quorum unum est necessarium, nempè Deus, & alterum contingens, nempè creaturæ: at verò actus notionales, sive processiones divinæ versantur circa idem objectum necessarium, qualis est Deus. 99.

Objicies 3. Licet processio Verbi sit naturalis, talis non est processio Spiritûs Sancti; siquidem processio naturalis est per se primò ad communicandam naturam, ideoque dicitur generatio; processio autem Spiritûs Sancti non est per se primò ad communicandam naturam; neque Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis procedit formaliter similis in natura; ergo &c. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, processionem Spiritûs Sancti non dici naturalem in eo sensu, in quo naturalis dicitur processio Verbi; sicut etiam non dicitur generatio: dici tamen naturalem, quia est à principio intrinseco necessario, & determinato ad unum, qui est propius modus agendi naturæ, prout hæc opponitur voluntati liberæ, cujus proprius modus operandi de se non dicit determinationem ad unum, imò indifferentiam ad unum, aut ad aliud. 100.

Instabis: Patres dicunt, Filium procedere per modum naturæ, & Spiritum Sanctum per modum voluntatis; sed quod est per modum voluntatis, non dicitur naturale; ergo saltem processio Spiritûs Sancti non erit naturalis. Respondeo Sanctos Patres, quando dicunt, Spiritum Sanctum procedere per voluntatem, non sumere voluntatem, prout involvit indifferentiam, sive contingentiam; alioqui dicerent, Spiritum Sanctum posse non esse, quod est contra fidem, sed sumere 101.

voluntatem, prout distinguitur ab intellectu, qui dicit modum operandi in similitudinem naturæ, quem non dicit voluntas.

102. Difficultas 2. Utrùm Processiones Divinæ, licet non sint liberæ, sint saltem voluntariæ? Advertes primò, licet omne liberum propriè sumptum sit voluntarium, non tamen omne voluntarium esse liberum; siquidem liberum dicit contingentiam; voluntarium autem solùm dicit ordinem ad voluntatem, licet ab ea necessariò procedat, & ametur. Secundò, voluntarium dividi in objectivum, quale est objectum voluntatis, quod magis propriè dicitur volitum; & in causale, quale est, quod à voluntate causatur; sive sit intrinsecũ, qualis est actus à voluntate elicitus; sivé sit extrinsecum, qualis est actus ab ipsa voluntate imperatus. Hoc posito.

103. Dico 1. Processiones Divinæ sunt voluntariæ objectivè concomitanter. Probatur, quia sunt bonum necessarium, & infinitum in Deo, ut patet ex dictis; ergo Voluntas Divina non potest non complacere in illis. Dico 2. Processio Verbi Divini non est causaliter voluntaria intrinsecè: talis tamen est processio Spiritûs Sancti Probatur, quia generatio Verbi non est actus elicitus à voluntate formaliter quà tali; maximè verò processio Spiritus Sancti; ergo &c. Dixi *formaliter quà tali*, quia identicè, aut formaliter confusè (ut aliqui dicunt, de quo alibi,) etiam Verbum est à voluntate: non potest tamen dici generari per voluntatem; siquidem tales propositiones absolutè prolatæ semper sumuntur in sensu formali, in quo sunt falsæ.

104. Dico 3. Processio Verbi non est voluntaria extrinsecè, id est à voluntate imperante. Probatur, quia actus naturalis potentiæ divinæ à voluntate non potest ab illa imperari; siquidem quando potentia est ad unum determinata, ut se habent omnes ad suos actus naturales ut sic, non habet locum determinatio ab imperante; sed generatio Verbi est actus naturalis intellectûs ut diversi à voluntate; ergo &c. Advertes cum *P. Soar. lib. 6. cap. 4. n. 9.* processionem Spiritûs Sancti non esse voluntariam solùm *ut quo*, sed *ut quod*, non per modum objecti directi, in quod directè tendat, sed per modum actus, qui cùm sit divinus reflectit supra se ipsum, ut objectum primarium, & ut *quod* amoris divini.

105. Difficultas 2. Utrùm processio Verbi sit voluntaria voluntate antecedente, an solùm concomitante, vel consequente? Sive quod idem est: Utrùm voluntas generandi sit prior prioritate virtuali, sive rationis generatione Filii? Negativè. Ita *D. Thom. q. 2. de potent. a. 3. ad 2. Henricus in sum. a. 58. q. 2. & quodlib. 5. q. 4. Goffred. quodlib. 5. q. 5. P. Molin. 1. p. q. 41. a. 2. d. 2. P. Soar. lib. 6. cap. 4. n. 3. P. Vasq. 1. p. d. 160. cap. 3. P. Tanner. d. 4. q. 2. dub. 6. n. 12. P. Valent. q. 15. punct. 4. P. Arrub. d. 142. cap. 4. n. 13. P. Arriaga 1. p. d. 46. sect. 5. subsect. 2. à n. 35. P. Ruiz d. 64. sect. 2.* & alii. Probatur primò ex Concil. & Sanctis Patribus, quatenùs docent, Patrem Naturâ, & non Voluntate generare, ut patet ex dictis: Item generationem non præcedi à voluntate, ut docet D. Aug. *dialog. 65. quæst. q. 7.* ubi probat Filium non generari à voluntate, quia *Sapientia voluntatem prævenit, & prius est rationabiliter intelligere, quàm rationabiliter velle*: quæ verba in eodem sensu sumpsit Concil. Tolet. 11. in Confess. Fidei. *Neque*, inquit *voluntas sapientiam præcessit*: idemque docet D. Hieron. ad illud, *qui prædestinavit nos*, ad Ephes. 1. *Nunquam*, ait, *Filium, ut esset, paterna voluntas præcessit*; ergo &c.

106. Dicent Concil. & Sanctos Patres loqui de Voluntate libera, & priori prioritate reali contra Arianos asserentes Filium fuisse factum voluntate Patris, sicut factæ sunt creaturæ: non autem de voluntate necessaria, & priori prioritate virtuali, ac rationis, de qua est sermo. Sed contra, quia licet Concil. & Patres primò, & per se loquantur in primo sensu; inde tamen optimum sit argumentum: tum quia generaliter loquuntur: tum etiam, quia volunt, generationem non dicere ordinem, aut dependentiam à voluntate, per quod tollitur fundamentum ad statuendam illam prioritatem tam realem, quàm rationis.

107. Probatur secundò, quia non intelligitur volitio alicujus objecti, quin præcedat illius cognitio juxta illud: *Nihil volitum, quin præcognitum*; ergo volitio generationis supponit necessario illius cognitionem; sed posita cognitione generationis, cùm sit perfectissimè comprehensiva Dei, statim intelligitur ipsa generatio ante illius expressam volitionem; siquidem Pater cognoscendo generat; est enim Verbum terminus intrinsecus Cognitionis divinæ; ergo cùm prior sit cognitio, quàm volitio, prior erit generatio, quàm ipsius volitio.

108. Dicent, argumentum solùm probare de intellectione divina essentiali, cujus terminus intrinsecus non est Verbum. Sed contra, quia ubi primum intelligitur intelligere divinum essentiale, antequam intelligatur volitio, seu amor *essentialis*, intelligitur Natura Divina completa *in* ratione principii *quo* productivi Verbi Divini. Undè sicut in creaturis ubi intelligitur natura completa, resultat subsistentia ante amorem: ita in divinis resultat subsistentia Patris, consequenterque intellegere notionale, quod est principium generationis, ante volitionem; sicque generatio est illâ prior.

109. Oppositum tenent *Scot. in 1. dist. 6. q. 1. Caiet. 1. p. q. 41. a. 2.* Pro quibus: Argues 1. Ex Concil. Laodicens. apud D. Hilar. *lib. de Synodis*, dicente, Patrem consilio, & voluntate genuisse Filium; ergo sicut consilium, ita & voluntas præcedit generationem. Respondeo Concil. loqui de voluntate concomitante, aut subsequente, quâ Pater sibi complacet in generatione Filii existente: non autem de voluntate antecedente; solùm enim vult, Patrem non coactum, nec invitum genuisse Filium, In quo sensu dixit etiam *D. Thom. q. 37. a. 2.* Patrem velle generationem Filii eo modo, quo quilibet homo vult se esse hominem, quæ voluntas est solùm concomitans, & impertinens ad rationem essendi in homine, imò est ipso homine posterior.

110. Argues 2. Pater vult generationem Filii; sed talis voluntas antecedit generationem; siquidem volitio est prædicatum absolutum, & essentiale; generatio autem est prædicatum relativum, & notionale; absoluta verò, & essentialia in Deo sunt priora relativis, & notionalibus; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem distinguenda est minor: absoluta, & essentialia sunt priora relativis, & notionalibus prioritate veluti communitatis, & in Deo prout præscindit à Personis; concedo minorem: prioritate ordinis in procedendo, & prout concipiuntur in Personis; nego minorem: undè licet sint priora prioritate communitatis, & in Deo, quia sunt communiora, & terminus *Deus* est communicabilis tribus Personis; non sunt tamen priora ordine procedendi, &

& in Personis, nam prout constituunt Personas sunt omninò simul, & non omnia habent rationem principii, sicut non habet in Patre voluntas generandi respectu generationis, respectu cujus solùm se habet materialiter, & concomitanter, ideòque non est prior, imò posterior ipsâ generatione ordine procedendi. Hinc est, quod ratione communicabilitatis benè infertur: *Hæc Persona generat; ergo vult generationem*: ratione tamen ordinis in procedendo non valet: *hæc Persona vult generationem; ergo generat*: siquidem omnes Personæ volunt generationem, solus tamen Pater generat.

111. Argues 3. Quidquid est absolutum est veluti ratio generica; relativum autem est veluti ratio specifica; sed in qualibet specie, nempè in homine, prior est ratio generica, nempè animal, quàm specifica, nempè rationale; ergo in Patre prior est voluntas generandi, quæ est quid absolutum, & veluti genericum, quàm ipsa generatio, quæ est quid relativum, & veluti specificum. Respondeo distinguendo minorem: prior est ratio generica, quàm specifica ordine communicabilitatis, & prout præscindit ab specifica; concedo minorem: ordine existendi & procedendi, & prout includitur in specifica; nego minorem: undè voluntas generandi ordine processionis, & ut est in Patre non est prior, imò est posterior generatione, ut patet ex dictis.

112. Inferes: Ergo neque intellectio erit prior respectu generationis, & spirationis; siquidè omnia absoluta, qualis est etiam intellectio sunt simul cum relativis, prout concipiuntur in Personis. Resp. negando illationem: nam intellectio etiam prout concepta in Patre habet rationem principii, & radicis respectu generationis, quia connotando Paternitatem est principium generativum, & respectu spirationis, quia nihil volitum, quin præcognitum.

113. Argues 4. Pater priùs ratione, quàm generet intelligitur Deus, & perfectè beatus; sed beatitudo perfecta includit actum intellectûs, & voluntatis; ergo uterque est prior generatione, ergo &c. Respondeo supponi falsum, Patrem intelligi Patrem, antequam generet; licet enim Deus, & illius perfecta beatitudo intelligatur priùs, quàm Pater, & priùs, quàm aliæ Personæ, saltem prioritate communicabilitatis: Pater tamen quà Pater non intelligitur ante generationem; & sic Pater non intelligitur Deus, neque perfectè beatus ante generationem, sed omninò simul.

114. Inferes 1. Ergo neque Pater erit prior Filio, ejusque generatione, quod tamen repugnat, cùm sit principium Filii. Respondeo distinguendo illationem: neque Pater erit prior Filio, ejusque generatione prioritate *in quo*; concedo illationem: prioritate à *quo*; nego illationem.

115. Inferes 2. Ergo etiam volitio, prout est in Patre erit prior generatione prioritate à *quo*. Respondeo negando illationem: nam cùm volitio non sit principium, aut requisitum aliquod necessarium ad generationem, non consideratur in Patre pro eo priori; siquidem pro eo non concipitur Pater ut volens, neque ut nolens positivè, sed præcisivè, atque adeò volitio habet se pro eo priori solùm materialiter, concomitanter, & impertinenter ad generationem Filii.

116. Argues 5. Volitio essentialis communicatur à Patre Filio per generationem; sed quidquid sic communicatur à Patre Filio est prius ipsâ generatione; ergo sic prior est ipsa volitio. Respondeo distinguendo majorem: communicatur à Patre Filio per generationẽ secundariò, concomitanter, & ut actus voluntatis Divinæ; concedo majorem: primariò, formaliter, & ut actus voluntatis Patris; nego majorem: quidquid autem hoc modo communicatur à Patre Filio est prius generatione; non autem quidquid communicatur illo modo, & sic communicatur volitio.

Inferes: Ergo priùs intelligitur Pater, & Filius, quàm uterq; intelligatur volens; ac proindè volitio non cõmunicatur à Patre Filio, sed Filio constituto resultat; hoc autem non videtur dicendũ; ergo &c. Resp. concedendo illationẽ: nam pro eo priori, quo intelliguntur Pater, & Filius formaliter, præscinditur à volitione, quæ in illis nõ intelligitur, nisi prout constituunt unum Spiratorem. Neq; inde sequitur, volitionem non communicari à Patre Filio; communicatur enim concomitanter, identicè, & secundariò, licet non primariò, & formaliter. 117.

Argues 6. In prioritate rationis Pater ut ingenitus cognovit Filium ut futurum pro posteriori signo virtuali; consequenterque pro eodem signo concipitur Filius ut virtualiter absens; ergo tunc amatur à Patre amore desiderii; consequenterque talis amor, sive volitio est prior ipsâ generatione Filii. Confirmatur ex D. Athan. *art. 4. contra Arian.* ubi Patrem appellat cupitorem Filii; cupido autem nihil aliud est, quàm desiderium antecedens, ut patet; ergo &c. Respondeo primò cum aliquibus, concesso antecedente, negando consequentiam quoad ultimam partem; dicunt enim talem voluntatem per modum desiderii non præcedere generationem; siquidem omnis actus voluntatis solùm se habet ad generationem concomitanter. 118.

Non placent primò, quia futurum importat essentialiter absentiam, sive negationem existentiæ actualis, realem si sit futurum reale, virtualem si sit futurum virtuale; negatio autem existentiæ actualis pro nullo priori potest convenire enti divino, ut diximus in *Logica tract. 4. d. 3. àn. 163.* tum quia hoc ex suo conceptu dicit imperfectionem: tum etiam quia existẽtia actualis est de essentia cujusque prædicati divini; nihil autem potest concipi sine sua essentia, & in potentia ad illam. Secundò, quia admissâ semel existentiâ Patris in aliquo priori sine existentia Filii, non potest pro eo priori negari de Patre voluntas antecedens generandi Filium; sicut enim Filius pro eo priori cognoscitur, ita pro eo priori amatur. 119.

Instabis: Pater pro eo priori cognoscit Filium ut possibilem; ergo etiam ut futurum. Respondeo distinguendo antecedens: cognoscit Filium ut possibilem negativè, id est, non repugnantem; concedo antecedens: positivè, quasi priùs sit possibilis, quàm existens; nego antecedens: illa autem possibilitas negativa non excludit existentiam actualem, sicut illam excludit possibilitas positiva, & futuritio. 120.

Urgebis: Deus cognoscit sua decreta libera priùs ut futura futuritione virtuali, quàm ut existentia; & tamen sunt ab æterno, sicut est generatio Filii; ergo &c. Respondeo datâ majori, de quâ jam alibi loco proximè citato, negando consequentiam; diversa ratio est, quia decreta Dei libera non sunt simpliciter necessaria, sed terminativè involuunt aliquid extrinsecum, ratione cujus, sicut possunt simpliciter non esse, ita possunt cum fundamento concipi priùs ut futura, quàm ut existentia: at verò in Filio, ejusque generatione aliter se res habet; siquidem est ens simpliciter, & adæquatè necessarium, & divinum; sicque non potest 121.

concipi

concipi sine actuali existentia, ut diximus; ac proinde neque ut futurum. Undè ad argumentum meliùs.

122. Respondeo secundò negando antecedens: neque enim Pater pro aliquo priori cognoscit Filium ut futurum, ut diximus in *Log. tract. 4. d. 3. à n. 171.* tùm ob rationes factas: tùm etiam quia prioritas illa est originis, & *à quo*, quæ non excludit simultaneam existentiam, sed tantùm dicit ordinem procedendi: non autem est prioritas durationis, & *in quo*, quæ denotat, unum esse sine alio in aliquo priori, quod requiritur ad futuritionem. Ad illud D. Athan. dicimus, ideò appellare Patrem cupitorem Filii, quia illum amat amore concomitante, & in eo ut existente sibi complacet.

123. Argues 7. Filius procedit formaliter ex cognitione quidditativa amoris paterni; sed talis cognitio supponit ipsum amorem existentem; siquidem existentia est de quidditate talis amoris, ut patet ex dictis; ergo cùm Filius supponat cognitionem, etiam supponit ipsum amorem; consequenterque ipse amor, sive volitio est prior Filio, ejusque generatione. Respondeo primò hanc argumenti difficultatem & nobis, & Adversariis esse communem, nam etiam contra illos sic potest argui: Filius procedit formaliter ex cognitione quidditativa, & comprehensiva Spiritus Sancti; sed cognitio quidditativa Spiritûs Sancti supponit Spiritum Sanctum existentem; siquidem existentia est de illius quidditate; ergo Filius supponit Spiritum Sanctum: hoc autem est apertè falsum; ergo sicut hîc non valet consequentia, ita neque valebit in argumento.

124. Respondeo secundò concessa majori, distinguendo minorem: talis cognitio supponit amorem existentem in ratione objecti; concedo minorem: in ratione principii; nego minorem: suppositio autem in ratione objecti, cùm sit purè intentionalis, non tollit prioritatem principii simpliciter, quæ spectatur penes ordinem procedendi; alioqui etiam ipsa generatio esset prior se ipsâ; siquidem etiam procedit ex cognitione sui ipsius. Et ratio adhuc est, quia cùm prioritas illa, de qua agimus, non sit durationis, sed ordinis, & originis, Pater cognoscendo voluntatem suam, illam pro eo priori cognoscit ut subsequentem generationem, non verò ut antecedentem: sicut pro eo priori cognoscit Spiritum Sanctum, non ut antecedentem, hoc est, habentem rationem principii, sed ut subsequentem ad generationem Filii. Addo neque in ratione objecti volitionem esse priorem generatione; quia etiam in ratione objecti cognitionis paternæ sunt simul, & ex utriusque cognitione procedit Filius.

SECTIO VII.

Virùm, & quomodò distinguantur inter se Processiones Divinæ?

125. DIFFICULTAS 1. Utrùm processiones Divinæ distinguantur essentialiter? Dico 1. Processiones, sive Origines Divinæ, tam activæ, quàm passivæ inter se comparatæ, distinguuntur essentialiter, & quasi specificè. Ita *P. Soar. lib. 1. cap. 9. n. 3. P. Arriaga d. 46. sect. 3. num. 20. P. Amicus d. 18. sect. 3.* & alii. Probatur, quia processiones Divinæ tam activæ, quàm passivæ inter se comparatæ, habent suum specialem modum respiciendi principium, & terminum essentialiter, & quasi specificè diversum; siquidem processio Verbi respicit Intellectionem ut principium, & Filiationem ut terminum formalem productionis; & processio Spiritus Sancti respicit volitionem ut principium, & Spirationem passivam ut terminum: processio Verbi est generatio, & non ita processio Spiritus Sancti; sed actiones, & passiones, quibus processiones Divinæ correspondent, distinguuntur inter se essentialiter ex diverso modo respiciendi sua principia, & terminos essentialiter, & specificè diversos; ergo etiam sic distinguentur processiones Divinæ.

126. Dico 2. Processiones Divinæ activæ distinguuntur etiam essentialiter à passivis. Ita Doctores cit. Probatur, quia processiones, sive Origines activæ habent se per modum actionis, & passivæ per modum passionis; sed actio, & passio in creatis distinguuntur essentialiter, imò differunt genere; ergo etiam in divinis generatio, & spiratio activæ distinguentur à passivis essentialiter, & quasi specificè. Dixi *quasi specificè*, quia in prædicatis divinis, cùm sint essentialiter singularissima, nulla datur differentia specifica, ex qua & ex aliqua ratione generica fiat compositio metaphysica.

127. Difficultas 2. Utrùm processiones divinæ distinguantur inter se realiter? Dico 1. Processio activa, nempè generatio in Patre distinguitur realiter à passiva sibi correspondente in Filio: & etiam Spiratio activa in Patre, & Filio ab Spiratione passiva in Spiritu Sancto. Ita *Magist. in 1. dist. 26. D. Thom. 1. p. q. 41. art. 1. ad 2. D. Bonav. dist. 26. q. 3. Durand. q. 2. & dist. 13. q. 2. & ibid. Ægid. Gabr. Capreol. Scot. dist. 28. q. 2. Argentin. Ferrar. Caiet. Torres*, quos citat, & sequitur *P. Soar. lib. 6. cap. 1. n. 5. P. Vasq. 1 p. d. 148. cap. 2. P. Ruiz. P. Amicus d. 18. num. 28. P. Arriaga d. 46. sect. 1.* & alii. Probatur primò, quia Origo, sive processio activa est perfectio intrinseca propria Personæ producentis, & processio passiva Personæ productæ; perfectio autem intrinseca debet esse intrinsecè in re, cujus est perfectio; alioqui solùm erit extrinsecè, & extrinsecè denominabit, sicut actio extrinsecè denominat agens, quod in processionibus divinis non est dicendum; sed Persona producens, & producta realiter distinguuntur; ergo etiam sic distinguentur earum productiones activa, & passiva, quæ in illis sunt intrinsecè.

128. Probatur secundò, quia processio activa, & passiva, aut sunt relationes producentis, & producti, prout supra diximus, aut illas formaliter, aut saltem connotativè includunt; sed relationes producentis, & producti distinguuntur realiter; ergo etiam sic distinguentur processiones activæ, & passivæ. Confirmatur primò, quia quælibet origo est idem adæquatè cum relatione, cujus est fundamentum, nempè origo activa cum Paternitate, & passiva, sive nativitas cum Filiatione; sed Paternitas, & Filiatio distinguuntur realiter; ergo etiam generatio, & nativitas. Secundò, quia hujusmodi Origines, saltem fundamentaliter sunt realiter oppositæ; sed oppositio realis debet dari inter res realiter distinctas; ergo &c.

129. Argues 1. In creatis actio, & passio non distinguuntur realiter; ergo neque sic distinguentur in divinis origo activa, & passiva. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est primò, quia actio in creatis, cùm semper sit dependentia, dependentia autem ponatur ex parte rei dependentis

pendentis, qualis est effectus, semper ex parte illius ponitur, & cum illo identificatur, cum quo etiam identificatur passio, sicque sunt eadem entitas à parte rei cum diversâ formalitate; neque enim multiplicandæ sunt entitates absque necessitate: at verò in Divinis, cùm nulla detur dependentia, neque terminus dependens, origo activa ponitur ex parte Personæ producentis, & passiva ex parte Personæ productæ; cùm autem Personæ realiter distinguantur, sic etiam distinguuntur earum origines. Secundò, quia actio in creatis, cùm solùm extrinsecè perficiat, & denominet agens, potest esse intrinsecè in effectu, ibique solùm virtualiter distingui à passione, & extrinsecè agens denominare: at verò in Divinis Persona producens perficitur intrinsecè per originem activam, sicut producta per passivam; sicque debent esse in illis intrinsecè; cùm autem ipsæ Personæ realiter distinguantur, etiam sic distinguentur earum perfectiones intrinsecæ, sive origines.

130. Instabis: Idem est formalissimè, causam producere effectum, atque effectum produci à causa: & idem est, me videre albedinem, atque albedinem videri à me; ergo etiam idem est formaliter, Patrem producere Filium, atque Filium produci à Patre; consequenterque origo activa, & passiva in divinis non distinguuntur realiter. Respondeo negando antecedens quoad utramq; partem; nam causam producere effectum est denominatio extrinseca proveniens ab actione causam extrinsecè denominante; produci verò à causa est denominatio intrinseca proveniens ab ipsa actione intrinsecè identificata cum effectu, illumque reddente intrinsecè dependentem: Similiter videre albedinem est denominatio intrinseca proveniens à visione intrinsecâ potentiæ; & albedinem videri est denominatio extrinseca proveniens ab ipsa visione extrinsecè terminata ad ipsam albedinem; sicq; sunt denominationes saltem virtualiter, & quoad nos distinctæ: at verò in divinis, cùm origo activa sit intrinsecè in persona producente, & passiva in persona producta, ipsæ autem personæ realiter distinguantur, sic etiam distinguuntur earum Origines.

131. Urgebis: Eadem actio in creatis denominat extrinsecè causam producentem, & intrinsecè effectum productum; ergo etiam in divinis eadem origo passiva denominabit intrinsecè Personam productam, & extrinsecè producentem. Respondeo concedendo totum; licet enim nullum sit inconveniens, quod origo passiva ita denominet Personam producentem extrinsecè, ut tenet *P. Arriaga cit. n. 8.* ex hoc tamen non probatur, non dari aliam originem activam in persona producente, quæ illam denominet intrinsecè producẽtem, & sit realiter distincta ab ipsa origine passiva.

132. Replicabis: In causa creata producente præter illam actionem, per quam denominatur extrinsecè producens, non datur alia, per quam sic denominetur intrinsecè; ergo idem in divinis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia causa in creatis, imò & in divinis, non perficitur quà talis intrinsecè producendo effectum, sed tantùm extrinsecè, ut patet in ipso Deo producente *ad extra*: at verò Persona producens in divinis intrinsecè perficitur producendo; sicque debet habere intrinsecè illam actualem productionem, per quam intrinsecè perficiatur; licet illam non habeat intrinsecè causa creata, imò neque divina, sed solùm extrinsecè.

133. Argues 2. Eadem indivisibilis unio, licet cum uno tantùm extremo identificetur, utrumque tamen denominat intrinsecè unitum; ergo etiam eadem productio in divinis denominabit intrinsecè, & personam producentem, & productam, licet cum unâ tantùm identificetur. Respondeo primò cum aliquibus negando antecedens; admittunt enim ob rationem factam duplicem unionem partialem in composito physico, ex quo potiùs confirmatur, quàm infirmatur præsens doctrina, ut consideranti patebit.

Resp. secundò, dato antecedente, negando 134.
consequentiam; diversa ratio est, quia unio, cùm sit physicè, & realiter vinculum duorum, & hoc habeat essentialiter, intelligi nequit, quin utrumque extremum realiter, & physicè intrinsecè uniat, licet cum uno tantùm identificetur: at verò productio, sicut & cognitio, cùm sint tantùm uniones metaphoricè, & per analogiam, non ita intrinsecè afficiunt utrumque extremum; alioqui cognitio denominaret objectum intrinsecè cognitum: cùm igitur in divinis tam Persona producens, quàm producta afficiantur intrinsecè, necessaria est origo activa, quâ Persona producens talis denominetur intrinsecè; & origo passiva, quâ Persona producta talis etiam denominetur intrinsecè, quæ non possunt non esse realiter distinctæ, cùm sic realiter distinguantur ipsæ Personæ, cum quibus sunt intrinsecè idem.

Instabis: Natura Divina identificatur cum Pa- 135.
ternitate, & Filiatione; & tamen licet Paternitas, & Filiatio distinguantur realiter, non ita realiter distinguitur Natura in Patre, & in Filio; ergo idem dicendum de origine activa, & passiva. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Natura Divina ita identificatur cum Paternitate (idemque de aliis relationibus,) ut non sit illius tantùm propria, & cum illâ tantùm identificetur; alioqui aliis Personis non communicaretur; ideoq; mirum non est, si earum distinctionem non sequatur: at verò generatio activa ita adæquatè, & convertibiliter identificatur cum Paternitate, & passiva cum Filiatione, ut sint illarum propriæ, & speciales, sicque debent eodem modo distingui ab omni eo, à quo ipsa Paternitas, & Filiatio distinguuntur.

Dico 2. Processiones, sive Origines passivæ dis- 136.
tinguuntur inter se realiter. Ita *P. Soar. lib. 1. cap. 9. n. 3. P. Vasq. 1. p. d. 148. P. Arriaga d. 46. num. 10.* & alii. Probatur primò, quia generatio passiva est relatio Filii in *fieri*, seu viâ passivâ; & Spiratio passiva est relatio Spiritus Sancti in *fieri* seu viâ etiam passivâ; sed hæ relationes realiter distinguuntur, ut est de fide; ergo &c. Secundò, quia termini, cum quibus tales origines identificantur adæquatè, sunt Filius, & Spiritus Sanctus; sed hi realiter distinguuntur; ergo etiam sic distinguentur ipsæ origines.

Objicies 1. In divinis non datur distinctio rea- 137.
lis, nisi ubi datur oppositio relativa; sed hæc non datur inter origines passivas, solùm enim datur inter activas & passivas; ergo inter solas passivas non datur distinctio realis. Respondeo distinguendo majorem: nisi ubi datur oppositio relativa, aut immediata, aut mediata; concedo majorem: solùm immediata; nego majorem: licet autem inter origines passivas non detur oppositio relativa immediata, & formalis, sicut datur inter activas, & passivas, datur tamen mediata, & consecutiva, quatenùs scilicet generatio passiva conjungitur cum Spiratione activâ, quæ formaliter opponitur Spirationi passivæ, & ratione cujus ipsa generatio passiva, saltem mediatè opponitur Spi-

Spirationi etiam passivæ, quod sufficit ad distinctionem realem.

138. Instabis: Natura Divina conjungitur in Patre cum Paternitate, quæ immediatè, & formaliter opponitur Filiationi, & ab illa realiter distinguitur; & tamen Natura Divina, neque mediatè opponitur Filiationi, neque ab illa realiter distinguitur; ergo &c. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Natura Divina conjungitur cum Filiatione ut quid absolutum, & commune omnibus Personis: at verò generatio passiva conjungitur cum Spiratione activâ ut quid relativum, & proprium Personæ spirantis, ideoque saltem mediatè opponitur, & potest distingui realiter ab Spiratione passivâ, licet ab illa non ita distinguatur, neque ei opponatur Natura Divina.

139. Objicies 2. Licet Origines passivæ sub conceptu relationis opponantur formaliter, sicque distinguantur realiter, non ita opponuntur sub conceptu originis; ergo sub conceptu originis non distinguentur realiter. Respondeo distinguendo antecedens: non ita opponuntur sub conceptu originis formaliter; concedo antecedens: fundamentaliter; nego antecedens: opponuntur enim fundamentaliter, quatenùs scilicet sunt fundamenta relationum, quæ formaliter opponuntur, quod sufficit ad distinctionem realem; ut patet in fundamentis relationum creatarum, quæ sic fundamentaliter opponuntur, & realiter distinguuntur.

140. Objicies 3. Intellectus, & voluntas non distinguuntur realiter in Deo; & tamen sunt principia istarum processionum; ergo neque sic realiter distinguentur ipsæ processiones. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Intellectus, & Voluntas in Deo sunt perfectiones absolutæ, inter quas nulla datur oppositio, sicque neque distinctio: at verò processiones, cùm sint relativæ, sunt etiam oppositæ inter se; consequenterque realiter distinctæ.

141. Instabis: Implicat quod à principiis virtualiter tantùm distinctis procedant termini inter se realiter distincti; sed principia, nempè Intellectus, & voluntas solùm virtualiter distinguuntur; ergo solùm sic distinguentur eorum termini, sive processiones. Respondeo negando majorem: nam ab eadem indivisibili Omnipotentia procedunt termini, nempè creaturæ realiter distinctæ; & ab uno, & eodem intellectu creato procedunt conceptus realiter distincti.

142. Dico 3. Processiones, seu Origines activæ non distinguuntur inter se realiter. Ita *P. Soar. lib. 6. cap. 1. n. 6.* cum aliis, quos citat *num. 5.* Probatur, quia in divinis solùm datur distinctio realis, ubi reperitur oppositio realis, aut formalis, & immediata; aut mediata, & consecutiva, prout supra diximus; sed harum nulla datur inter generationem activam, & spirationem activam; siquidem idem Pater generat Filium, & cum Filio spirat Spiritum Sanctum; ergo &c. Confirmatur, quia id, quod est communicabile pluribus Personis, neutri opponitur; sed processio, sive spiratio activa est communicabilis Patri, & Filio; ergo sicut non opponitur generationi passivæ in Filio, neque sic opponetur generationi activæ in Patre; consequenterque ab illa non distinguitur realiter.

143. Oppones 1. Spiratio activa conjungitur, & est idem cum generatione passivâ, quæ opponitur, & distinguitur realiter à generatione activâ, ut supra diximus; ergo saltem mediatè opponitur, & distinguitur ab ipsa generatione activâ; sic enim supra diximus generationem passivam opponi saltem mediatè, & distingui realiter ab spiratione passiva, quia conjungitur cum spiratione activâ, quæ ei opponitur, & à qua realiter distinguitur. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Spiratio activa identificatur, & conjungitur cum generatione passivâ, non ut aliquid proprium alicujus Personæ, ut supra diximus conjungi generationem passivam cum ipsa spiratione activa, ideoque opponi saltem mediatè spirationi passivæ, ab illaque realiter distingui; sed conjungi cum generatione passivâ ut aliquid communicabile duabus Personis, ut etiam supra diximus de Natura Divina communicabili omnibus Personis, quæ cùm ex eo nulli opponatur, & à nulla realiter distinguatur, licet omnibus conjungatur, & identificetur, idem etiam dicendum est de spiratione, & generatione activâ.

Oppones 2. Generatio activa dicit solam Paternitatem; & Spiratio activa dicit Paternitatem, & Filiationem; sed Filiatio distinguitur realiter à Paternitate; ergo etiam sic distinguetur spiratio activa distinctione includentis ab incluso, eo modo, quo compositum physicum distinguitur à qualibet parte sigillatim sumpta. Hoc argumentum tangit quæstionem infrà decidendam; interim tamen. Respondeo Spirationem activam, aut esse quandam formalitatem perfectè distinctam à Paternitate, & Filiatione, utrique tamen communis, ut Essentia Personis: aut esse ipsam Paternitatem, & Filiationem, non materialiter sumptas, sic enim sunt realiter distinctæ, sed formaliter sub quadam expressione Spiratoris, quo pacto sunt unum: aut aliquid includens formaliter ipsam Paternitatem, & Filiationem: Si primum, & secundum, non distinguitur realiter à generatione activa; ut patet ex dictis: Si tertium, sumpta adæquatè distinguitur quidem realiter à generatione activa distinctione includentis ab incluso, sed non loquimur in hoc sensu, ut constabit ex infrà dicendis.

Quæres tamen hîc: Utrùm processiones Divinæ conveniant inter se univocè? Negativè. Probatur, quia inter prædicata divina, sive sint absoluta, sive relativa, nulla datur ratio universalitatis; siquidem sunt essentialiter singularia; singularitas autem repugnat universalitati; ergo &c. Vide de hac re quæ diximus in *Log. tract. 2. d. 2. à num. 38.*

SECTIO VIII.

Vtrùm, & quomodò Processiones distinguantur à Relationibus Divinis; & de illis, ac de Deo affirmentur?

DIFFICULTAS 1. Quomodò processiones distinguantur à Relationibus Divinis? Dico 1. Processiones Divinæ, tam activæ, quàm passivæ distinguuntur à Relationibus virtualiter imperfectè secundùm majorem, vel minorem expressionem conceptuum. Probatur, quia tunc datur hujusmodi distinctio, quando conceptus exprimens unam formalitatem

tem, aliam tamen non exprimit, licèt confusè sint idem, ut alibi diximus de substantia, & ente; sed ita se habent processio, & Relatio in divinis; siquidem conceptus exprimens processionem, non exprimit Relationem, licet confusè sint idem; ergo &c. Confirmatur, quia Paternitas, ut origo est, habet se per modum viæ, seu *fieri*; est prior Filio, utpotè illius productio activa; & correspondet actioni creatæ: at verò ut Relatio habet se in *facto esse*; est posterior Filio, utpotè resultans illo producto; & correspondet relationi creatæ; sed hæc arguunt diversos conceptus, & diversis conceptibus exprimuntur; ergo &c.

147. Objicies 1. Processio Divina neque est aliquid formaliter absolutum, cùm sit idem cum relatione; neq; est aliquid formaliter relativum, cùm non referat, sed producat; ergo est aliquid perfectè distinctum à relatione. Respondeo processionem esse aliquid relativum formaliter confusè, licet non ita sit expresè; expresè enim est origo imperfectè distincta à relatione, cum qua est idem, & dicit formaliter confusè; ut alibi diximus de Ente respectu substantiæ, & accidentis.

148. Objicies 2. Sancti Patres aliquibus in locis dicunt, relationes, & origines pro eodem esse accipiendas; idem autem non distinguitur à se ipso; ergo neque sic distinguuntur origines à relationibus. Respondeo, Sanctos Patres locutos fuisse de relationibus, & originibus secundùm conceptus confusos, non autem secundùm expressos, secundùm quos tantùm dicimus distingui, ut patet ex dictis.

149. Dico 2. Origo, sive processio passiva est idem realiter adæquatè, & convertibiliter cum relatione Personæ productæ, v. g. Nativitas cum Filiatione, & Spiratio passiva cum relatione Spiritus Sancti. Ita *P. Soar. lib. 6. cap. 1. n. 4.* dicens esse omnium. Advertes tamen ante probationem, tunc aliquid adæquatè, & convertibiliter cum alio identificari, quando ita est idem cum illo, ut etiam sit idem cum omnibus, cum quibus illud aliud est idem; & distinguitur ab omnibus, à quibus etiam illud aliud, cum quo est idem, distinguitur: tunc verò dari identificationem inadæquatam, & non convertibilem, quando unum ita est idem cum alio, ut tamen non sit idem cum omuibus, cum quibus illud aliud est idem, ut cernitur in Paternitate, quæ est idè cum Essentia, non tamen cum Filiatione, cum quâ ipsa essentia etiam est idem. Hoc posito.

150. Probatur conclusio primò ex proximè dictis, quæ ut consideranti patebit, militant in origine passiva, & relatione Personæ productæ. Secundò, quia ex Sanctis Patribus Filius distinguitur ab aliis Personis, quia genitus, & natus (eodemque modo loquuntur cum proportione de processione Spiritus Sancti;) sed hoc stare nequit sine identificatione adæquatâ inter origines, & relationes; siquidem solæ relationes sunt incommunicabiles, ideòque distinctivæ Personarum; ergo &c. Tertiò, quia origo passiva est propria, & specialis Personæ productæ; ergo est idem adæquatè cum relatione illius, cùm hæc sit propria, & constitutiva talis Personæ. Quartò, quia origo passiva in divinis est ipsamet existentia Personæ productæ, non in facto esse, sive in esse producto, sed in *fieri*, & in suo produci; sed existentia debet esse idem adæquatè cum re, cujus est existentia; ergo &c.

151. Dico 3. Origo activa etiam est idem adæquatè cum relatione Personæ producentis. Ita *Magist. in 1. dist. 26. D. Thom. 1. p. q. 41. a. 1. ad 2. D. Bonaven. dist. 26. q. 3. Durand, Scot. Cajet. Ægid. Gabr.* & alii, quos citat & sequitur *P. Soar. tib. 6. cap. 1. n. 5.* dicens esse Theologorum communem. Probatur primò, quia origo activa in divinis est perfectio intrinseca propria, & specialis Personæ producentis, sicut origo passiva talis est respectu Personæ productæ; ideòque Patres communiter dicunt, Personas distingui, & constitui relationibus, & originibus; ergo identificatur adæquatè cum Persona producente; alioqui non erit illius propria, & specialis. Secundò, quia origo activa Filii, aut identificatur adæquatè cum essentia; aut cum Filiatione; aut cum Paternitate: Non primum; alioqui erit idem cum Filiatione, & Spiratione passivâ, cum quibus Essentia est idem; hoc autem est falsum: Non secundum; ab illa enim realiter distinguitur, utpotè illi opposita: Si tertium; ergo habemus intentum.

152. Difficultas 2. Utrùm, & quomodò origines, sive processiones, tam activæ, quàm passivæ affirmentur de Personis, de Divina Essentia, & de Deo? Dico 1. Origenes, sive actus notionales non affirmantur verè de relationibus, sive proprietatibus sumptis in abstracto; sicque non rectè dicimus: *Paternitas generat: Filiatio generatur.* Ita *D. Thom. q. 32. a. 2. ad 2. & art. 3. ad 3. & ibidem Cajet. Torres. P. Soar. lib. 6. cap. 7. n. 3. P. Vasq. d. 136. cap. 3. & d. 138. cap. 3. P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 5. num. 18.* & alii. Probatur, quia actiones, & passiones, sive origines, quæ actionibus, & passionibus correspondent, sunt suppositorum, illisque tribuuntur; & de illis prædicantur; sed Relationes, sive proprietates Personarum sumptæ in abstracto non sunt suppositæ, neque principium formale productionis, sive originis *ad intra*, sicut est Omnipotentia *ad extra*; ergo de illis prout sic sumptis non possunt verè affirmari actus notionales, sive origines. Unde nihil valet hæc: *Paternitas est Pater: sed Pater generat; ergo Paternitas generat*: mutatur enim appellatio, sive sensus identicus in formalem.

153. Dico 2. Origines, sive actus notionales, tam activi, quàm passivi non rectè affirmantur de Deo in abstracto, nempè de Essentia, sive Deitate, neq; enim rectè dicitur: *Essentia, sive Deitas generat, aut generatur: spirat, aut spiratur: producit, aut producitur.* Ita de fide definitur in *cap. Damnamus de Sum. Trinit.* & tenent *D. Thom. q. 36. a. 5. D. Bonavent. Scot. in 1. dist. 5. Marsil. q. 9. P. Soar. lib. 6. cap. 7. num. 10.* & alii. Probatur, quia generare, & generari, cùm sit realis influxus actualis activus, vel passivus requirit distinctionem realem inter generantem, & genitum, ut patet in creatis, & etiam in divinis, ubi oppositio hanc distinctionem inducit; ergo si Essentia generaret, aut spiraret, produceret aliquid realiter à se distinctum, & hoc significaretur dicendo: *Essentia generat*; sed hoc est falsum, & repugnans Divinitati Personæ productæ, quæ est eadem cum Divinitate Personæ producentis, & idem cum omnibus Personalitatibus; ergo &c. Confirmatur, quia actiones sunt suppositorum, & non naturarum; sed hæc nomina abstracta supponunt pro Natura ex modo significandi; ergo non potest illis actio tribui, ac de illis affirmari.

154. Oppones 1. De Essentia Divina verè affirmatur, quod sit Pater, quod sit Filius, & quod sit Spiritus Sanctus; ergo etiam quod generet, & generetur; quod spiret, & spiretur. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in primo solùm indicatur identitas inter Essentiam, & Relationes, quæ verè datur: at verò ad secundum requiritur

distinctio realis, quæ inter Essentiam, & terminum generationis, sive spirationis non datur, ut diximus.

155. Oppones 2. In divinis quando forma est principium formale alicujus actionis, hæc de illâ verificatur in abstracto, ut patet in hac: *Omnipotētia creat*; sed Essentia est principium formale generandi; ergo generatio potest verificari de illâ in abstracto sic: *Essentia generat*. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Omnipotentia ita est formale principium creationis, ut inter illam, & terminum creationis detur realis distinctio, neque aliquid aliud requirat ad creandum; siquidem eodem modo crearet, etiam si non darentur relationes: At verò Essentia ita est principium formale generationis, ut inter illam, & terminum productum realiter non detur realis distinctio, sed ut sic distinguatur, & producat, requirat logicè relationem; ideòque de illa in abstracto non potest affirmari generatio, sicut de Omnipotentia in abstracto affirmatur creatio.

156. Oppones 3. Filius in Divinis dicitur in Symbol. *Lumen de lumine*: Ex Ecclesia: *Lux de luce*. Et D. Aug. *lib. 6. de Trinit. cap. 2. & lib. 15. cap. 14.* Filium vocat: *Sapientiam de sapientia, Essentiam de essentia, Consilium de consilio, Voluntatem de voluntate*. Et D. Greg. Nyssen. *lib. de differen. natur. & hyp.* illum vocat: *Gloriam de gloria*. Et D. Hilar. *lib. de Synod. circa Concil. Sardic. num. 26.* illum dicit *Vnigenitum ex innascibili essentia natum*: qui omnes sunt termini abstracti; ergo &c. Respondeo in Deo, cùm ipsa abstracta per se subsistant, sæpè accipi abstracta pro concretis, ac proindè pro Personis subsistentibus, & ita accipi in prædictis locutionibus.

157. Dico 3. Origenes, sive actus notionales, tam activi, quàm passivi verè affirmantur de Deo sub hoc concreto *Deus*: benè enim dicimus: *Deus generat*: *Deus generatur*. Est de Fide. Ita *D. Thom. q. 39. a. 4. D. Bonavent. Scot. cum Magist. in 1. dist. 4. P. Soar. lib. 6. cap. 7. n. 4. P. Amicus d. 29. n. 4 4.* & alii. Probatur primò ex Matt. 16. ubi Christus Dominus dicitur *Filius Dei vivi*. Et in Symbol. dicitur: *Deus de Deo*. Quam locutionem etiam de Spiritu Sancto veram esse, ostendit D. Ansel. *lib. de procession. Spir. Sanct. cap. 5.*

158. Probatur secundò, quia concretum *Deus*, licet formaliter dicat Naturam, potest tamen supponere pro supposito; siquidem tale concretum significat naturam ut per se stantem, & ut est in suo supposito; sed suppositum, qualis est Pater, verè generat, & suppositum, qualis est Filius, verè generatur; ergo verè de Deo affirmatur: *Deus generat*; *Deus generatur*: siquidem ad veritatem propositionis affirmativæ indefinitæ satis est, quod prædicatum verificetur de uno singulari.

159. Dico 4. Subjectum *Deus* in hac: *Deus generat*: non potest supponere pro *hoc Deo* ut sic, ita ut de illo affirmetur generare, aut generari. Ita *P. Soar proximè n. 6.* Probatur, quia *hic Deus*, prout abstrahit à Personis, nequit esse principium *quod* actuum notionalium; siquidem prout sic abstrahens à Personis à nulla distinguitur realiter; ergo ut sic non potest realiter producere; consequenterque non potest de illo affirmari, quod generet, aut generetur.

160. Advertes tamen, si *hic Deus* non ita abstrahatur, sed indefinitè sumatur pro divinitate subsistente in aliqua Persona, tunc verificari de hoc Deo prædictam propositionem, nempè *generare*, aut *generari*; non ratione subsistentis communis, sed Patris generantis, aut Filii geniti; siquidem, ut diximus, ad veritatem propositionis affirmativæ indefinitæ, satis est, prædicatum verificari de aliquo singulari.

Dices: Hæc: *Deus non generat*: est falsa; quia Pater, qui est Deus, generat; ergo etiam hæc: *Deus generat*: erit falsa, quia Filius, & Spiritus Sanctus, qui etiam sunt Deus, non generant. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia prima fit per negationem; cùm autem negatio sit malignantis naturæ, & omnia neget, ut esset vera, nulla Persona debebat generare, quod est falsum; Pater enim generat: at verò secunda fit per affirmationem, ad hanc autem, ut sit vera, satis est, quod Pater, pro quo supponit, generet, licet non ita generent prima, & secunda Persona, pro quibus non supponit. 160.

Instabis: In hac: *homo legit*: supponitur pro omnibus hominibus indifferenter, licet solùm verificetur de legentibus; ergo etiam in hac: *Deus generat*: supponetur pro omnibus Personis, licet solùm verificetur de Patre. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia prima, cùm possit omnibus hominibus convenire, potest pro omnibus supponere: at verò in secunda prædicatum *generat*, non solùm de facto, sed etiam de possibili nulli alteri, quàm Patri convenit, ideòque non relinquit suppositionem indifferentem, sed illam ad solum Patrem limitat, ac determinat. 161.

Dico 5. Origines, sive actus notionales propriissimè, ac verissimè prædicantur de *singulis* Personis propriis nominibus significatis *in concreto*, dummodò distributivè, & accommodatè fiat prædicatio, sicque veræ sunt hæ: *Pater generat*: *Filius generatur*: *Spirator spirat*: *aut Pater etiam, aut Filius spirat*: *Spiritus Sanctus spiratur*. Totum est de Fide, & ita clarum, ut probatione non egeat. 162.

Advertes tamen, quod si terminus originis, sive actûs notionalis in prædicatione exprimatur, cum debita proportione explicetur, ita ut si Pater dicitur generare, solùm addamus Filium, aut alium æquivalentem terminum sic: *Pater generat Filium*: quia ille actus generandi solùm illum terminum respicit, sicque de aliis. Unde vera non est hæc: *Pater generat se*: quia solus Filius, & non Pater, quem illud relativum *se* refert, & in memoriam adducit, est terminus generationis. 163.

Dices: D. Aug. *epist. 66.* dixit: *Pater genuit alterum se*: Et *lib. 3. contra Maxim. cap. 7.* dixit: *Pater genuit quod ipse est*; ergo etiam si non addamus Filium pro termino, propositio est vera. Respondeo D. Aug. in primo loco, cùm dixit *alterum*, distinctionem Personarum satis significasse; illud verò *se* metaphoricè sumpsisse ad significandam summam similitudinem, quasi diceret: *genuit alterum sibi similem*, ut exposuit *D. Thom. q. 39. a. 4.* In secundo autem loco voluit significare identitatem Naturæ, non excludens distinctionem Personarum, quam verbum *genuit* includit. Hinc valent, & sunt veræ hæ: *Deus genuit Deum*: licet veræ non sint hæ: *Deus genuit alium Deum*: aut, *Deus genuit se Deum*: prima enim distinguit naturas; secunda autem confundit Personas: prima tamen erit vera sic: *Deus genuit alium, qui est Deus*; aut, *genuit alium, qui est idem Deus*: aut, *genuit eundem Deum*: siquidem in illis solùm significatur identitas naturæ, quin excludatur distinctio Personarum. Quomodò autem distinguantur origines 164.

gines ab Eſſentia ? dicemus infra, cùm egerimus de Diſtinctione inter Eſſentiam, & Relationes, cum quibus, ut diximus, origines ſunt idem adæquatè, & convertibiliter, ſicque eodem modo, quo ipſæ relationes ab Eſſentia diſtinguuntur.

DISPUTATIO III.

De Principiis, & Terminis Proceſſionum Divinarum.

SECTIO I.

Utrùm in Deo detur Principium Proceſſionum Divinarum ?

1. ADvertes primò, Principium, ut conſtat ex alibi dictis, latiùs patere, quàm Cauſam ; licet enim omnis cauſa ſit principium, non tamen omne principium eſt cauſa ; nam in Deo *ad intra*, ut infra dicemus, datur ratio principii, quin ulla detur ratio cauſæ, quia nulla ibi datur ratio dependentiæ.

2. Advertes ſecundò, Principium communiter dividi in principium *quod*, & eſt illud, cui tribuitur actio, ſive productio, ſemperq; recurrit cum ſuppoſito, cujus eſt agere; ſunt enim actiones ſuppoſitorum : & in principium *quo*, & eſt ratio agendi, ſive id, quo ipſum principium *quod* agit, & producit.

3. Advertes tertiò, certum eſſe de fide, dari in Deo *ad intra* principium *quod*, & principium *quo*, ſi utrumque ſumatur in actu ſecundo abſtrahendo à diſtinctione ; nam quâ certitudine conſtat dari *ad intra* reale productum, eâdem etiam conſtat, dari reale producens, & in eo virtutem, quâ producit, & conſtituitur in actu ſecundo per emanationem, ſive productionem activam. Unde ſola controverſia eſt de principio in actu primo, eaque de principio *quo* ut ſic, & ut eſt ratio formalis producendi. Hoc poſito.

4. Difficultas 1. Utrùm in Deo ſit vera ratio potentiæ productivæ *ad intra*, ſive principium formale *quo* in actu primo divinarum proceſſionum? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 41. a. 4. P. Soar. lib. 6. cap. 5. n. 1. P. Vaſq. 1. p. d. 163. cap. 2. P. Granad. tr. 13. d. 3. P. Martin. d. 24. n. 28. P. Præpoſit. 2. p. q. 41. a. 4. dub. 1. n. 29. P. Tanner. d. 4. q. 2. dub. 5. n. 5. P. Valent. 1. p. q. 15. punct. 1. P. Arrub. d. 143. cap. 1. P. Alarcon. tr. 5. d. 6. cap. 1. num. 3. P. Amicus d. 23. n. 2. P. Molin. 1. p. q. 41. art. 4. P. Compton. tom. 1. d. 50. ſect. 2. n. 1. & ſect. 4. n. 9. P. Rhodez tom. 1, d. 6. q. 2. ſect. 4.* & alii. Probatur primò, quia actus ſecundus quà talis neceſſariò ſupponit actum primum ; ſed de fide eſt dari in Deo *ad intra* actum ſecundum, nempè productiones reales, ut diximus ; ergo etiam debet dari actus primus, ſive principium formale *quo* ; ſicut enim productio realis nequit intelligi ſine termino, ita intelligi nequit ſine principio, ſive potentia reali.

5. Probatur ſecundò, quia Pater in divinis verè, & realiter generat Filium ; & uterque producit Spiritum Sanctum ; ergo habent virtutem illorum productivam, quæ coincidit cum potentia, ſive principio formali *quo* : implicat enim dari producens ſine virtute, ac potentiâ ad producendum. Probatur tertiò, quia quidquid accipit eſſe ab alio, verè ſupponit in illo potentiam productivam ; ſed Filius accipit eſſe à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio ; ergo ſupponunt potentiam productivam, ſive principium formale *quo* productivum talis eſſe.

6. Probatur quartò, quia Pater abſolutè ex Concil. Lugdun. & Florent. dicitur principium productivum Filii : & Pater, ac Filius dicuntur principium productivum Spiritûs Sancti ; ſed principium ex natura ſua dicit potentiam, ſicut eam dicit cauſa in actu primo ; neque enim, ut aliquid dicatur cauſa, neceſſe eſt, quod actu cauſet, ſed quod poſsit cauſare ; Pater autem in divinis dicitur principium in eo ſenſu, in quo apud Græcos dicitur cauſa ; ergo ſicut cauſa dicit potentiam, ita etiam illam dicet principium ; conſequenterque in Deo datur potentia productiva *ad intra*, ſive principium formale *quo* in actu primo.

7. Probatur quintò, quia ab actu ad potentiam bene valet argumentum ; ſed ex fide conſtat, Patrem producere, & eſſe principium Filii in actu ſecundo ; ergo in Patre datur potentia, ſive principium formale *quo* productivum Filii. Confirmatur, quia Filius in divinis procedit per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem ; ſed non tanquam per productiones formales, ut ſupra diximus ; ergo tanquam per potentiam, ſive principium formale *quo*.

8. Oppoſitum tenet *Aureol. in 1. diſt. 7. q. 1. a. 2.* docens, potentiam Dei ad generandum, & ſpirandum non eſſe realem, phyſicam, & poſitivam, ſed eſſe meram non repugnantiam terminorum, quâ ratione dici ſolet, Deum habere potentiam, ut ſit Deus, & hominem habere potentiam, ut ſit homo, quam tamen ſententiam plures ex Scholaſticis judicant temerariam, periculoſam, errori proximam, imò & hæreticam, ut videre eſt apud *P. Præpoſit. cit. P. Granad. cit. & P. Ruiz d. 99. ſect. 2. n. 23.* Pro illa tamen :

9. Argues 1. Hæ : *Pater poteſt generare Filium : Filius poteſt generari à Patre : Spiritus Sanctus poteſt procedere à Patre, & Filio* : benè poſſunt ſalvari abſque potentiâ reali, & per ſolam potentiam logicam, ac connexionem terminorum ; ſic enim verificantur hæ : *Pater æternus eſt Pater : Deus eſt Deus : homo eſt homo*, quæ ſolâ carentiâ repugnantiæ ad eſſendum, & terminorum verificantur ; ergo idem dicendum erit de illis. Reſpondeo negando antecedens, ad cujus probationem datur diverſa ratio ; quia hæc : *Pater Æternus eſt Pater* : ſicut & aliæ non dicunt productionem realem, quæ requirit diſtinctionem realem inter principium, & terminum : at verò hæc : *Pater poteſt generare Filium* : ſicut & aliæ dicunt productionem realem, ad quam requiritur diſtinctio realis, conſequenterque aliqua potentia phyſica, & realis productiva termini, ut poſſint verificari.

10. Inſtabis : Eadem eſt potentia, quâ Pater poteſt eſſe Pater, & quâ Pater poteſt generare Filium ; ſed non datur potentia realis, quâ Pater ſit Pater ; nam erroneum eſt dicere, Patrem poſſe produci, cùm ſit improductus ; ergo neque dabitur potentia realis, quâ Pater generet Filium. Reſpondeo negando majorem ; diverſa ratio eſt, quia eſſe

Patrem formaliter solùm dicit relationem Paternitatis indistinctam à Patre, ideoque non habet principium reale, à quo producatur: at verò generare dicit productionem realem activam Filii realiter distincti à Patre, ideoque necessariò admittenda est potentia realis illius generativa.

11. Urgebis: Pater ideò est Pater, quia habet Filium; ergo eâdem potentiâ, quâ potest habere Filium, potest esse Pater; sic enim in creatis quâ potentiâ quis potest generare, eâdem potest se facere patrem. Respondeo distinguendo antecedens: ideò est Pater, quia habet Filium, arguitivè; concedo antecedens: formaliter; nego antecedens: formaliter enim est Pater per relationem; sicut & in creatis denominatur pater à relatione paternitatis, & non à potentia, quâ producit filium, licet arguatur ex filio, quod sit pater, sicut ex effectu arguitur causa.

12. Replicabis: Paternitas ut relatio est idem cum generatione activa; sed quatenùs relatio constituens Patrem non dicit principium, sive potentiam; ergo neque ita dicet quatenùs generatio constituens Patrem generantem. Respondeo Paternitatem ut relationem ita esse idem cum generatione activa, ut ab illa distinguatur, saltem secundùm expressionem, ut diximus, quod satis est, ut quatenùs relatio respiciat terminum ut purum terminum, & principio non egeat: non autem sic respiciat quatenùs generatio, sed ut quid productum, ac proindè dicat, & egeat principio, sive potentiâ, à qua sit.

13. Argues 2. In Deo non admittitur potentia intelligendi, & volendi in actu primo virtualiter distincta ab actu; ergo neque à fortiori potentia realis generandi, & spirandi. Respondeo primò negando antecedens, si sermo sit de potentia virtuali impropria per majorem expressionem sine carentiâ actûs, & potentialitate ad illum. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia potentia intelligendi perficitur intrinsecè per actum absolutum illum recipiendo per veram, & positivam receptionem, quod in Deo implicat, argueret enim in Deo imperfectionem, ut patet ex alibi dictis: at verò potentia generandi, & spirandi, aut non perficitur per suum actum; nam actus potentiæ productivæ, quantùm est ex naturâ suâ, non est perfectivus potentiæ, ut patet in Omnipotentia Divina, quæ per creaturas productas non perficitur: aut si perficitur, est solùm ad summum extrinsecè per actum relativum, quin illum positivè recipiat, aut quia est diversæ rationis, aut quia non se habet per modum formæ, sed per modum termini.

14. Instabis: Omnis productio immanens recipitur in principio, à quo procedit; alioqui jam non est immanens; sed productio *ad intra* est immanens, ut supra diximus; ergo si ad illam datur potentia realis, debet in illa realiter recipi, darique receptionem realem in divinis, quod non est admittendum. Respondeo productionem divinam non esse immanentem positivè; alioqui daretur in Deo receptio, & potentialitas positiva, quæ implicant, ut diximus: sed tantùm negativè, id est, non extra Deum, sed in eadem natura manentem, quod non est imperfectio, ut patet in Attributis respectu Essentiæ.

15. Argues 3. Si in Patre daretur potentia generativa, cùm hæc esset perfectio simpliciter simplex: (neque enim datur major ratio cur talis sit potentia productiva *ad extra*, & non ita sit productiva *ad intra*;) sequeretur dari in Patre aliquam perfectionem simpliciter simplicem, quæ non daretur in aliis Personis; siquidem solus Pater, & non aliæ Personæ, generat; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam; talis enim potentia est perfectio simpliciter simplex, & datur in omnibus Personis, licet in solo Patre habeat actum generandi; siquidem cùm in Patre sit expedita, & habeat omnia requisita ad suum actum adæquatum, illum producit, ideoque licet in aliis Personis inveniatur quoad rationem formalem, non generant, quia jam in Patre ipsa potentia habuit suum actum adæquatum.

Inferes: Ergo sicut in Filio non posse generare 16
est impossibilitas logica, & non physica; ita etiam in Patre posse generare erit possibilitas logica, & non physica. Respondeo negando illationem; diversa ratio est, quia non posse generare in Filio non provenit ex defectu potentiæ physicæ, sive principii *quo*, nempè Intellectionis, quæ in illo, sicut in Patre datur, sed ex repugnantia actûs, qui jam supponitur adæquatus in Patre, ideoque Filius solùm habet impotentiam, sive repugnantiam logicam: at verò in Patre posse generare, non solùm provenit ex non repugnantia logica, sed etiam ex potentiâ generativâ propriâ, & expeditâ, ut patet ex dictis.

Argues 4. Aristoteles negat in Deo rationem 17
potentiæ; ergo &c. Respondeo Philosophum locutum fuisse de potentia receptiva per causalitatem receptivam; non autem de potentia productiva; alioqui negaret in Deo Omnipotentiam, quæ est potentia productiva *ad extra*.

Argues 5. Non datur potentia, nisi ubi datur 18
effectus possibilis; sed in Deo nihil datur physicè, & realiter possibile; ergo neque physica, & realis potentia. Respondeo primò negando majorem; satis enim est, ut detur potentia, sive principium reale productivum, quod detur aliquid realiter productum, ut datur in divinis. Respondeo secundò distinguendo majorem: nisi ubi datur effectus possibilis, prout possibile præscindit à necessario, & contingenti; concedo majorem: prout possibile coincidit cum contingenti; nego majorem: in Deo autem est aliquid possibile necessarium, quod enim necessarium est, possibile est: non verò est in Deo possibile contingens.

Advertes tamen hîc, Patrem in Divinis solùm 19
dici possibilem negativè, Personas autè productas posse etiam dici possibiles positivè. Et ratio est, quia Patri ita non repugnat esse, ut in nullius potentia positivè contineatur, ut sit: at verò Personis productis ita non repugnat esse, ut quamvis æquè necessariæ sint, contineantur tamen positivè in potentia productiva, ut sint; neque enim actus essendi necessariò, & essentialiter tollit rationem positivè procedendi à suo principio.

Argues 6. Ubi non est actus realiter elicitus, 20
non est realis potentia; sed in Deo *ad intra* non sunt actus realiter eliciti; siquidem actus realiter elicitus debet esse realiter distinctus à principio; non autem sic distinguuntur actus notionales, sive activè, sive passivè sumantur, à suo principio, sive potentiâ, cùm hæc sit quid absolutum, & omne absolutum sit idem realiter cum processionibus divinis; ergo &c. Respondeo data majori, negando minorem, ad cujus probationem dicimus, actus notionales passivè sumptos distingui realiter à potentia notionali, quæ præter absolutum importat, saltem ut conditionem relationem producentis, ratione cujus principium *quo* distingui-

tur

tur realiter à Persona producta, & satis est ad potentiam, & productionem realem, ut infrà dicemus.

21. Argues 7. Potentia activa realis est principium rei, quæ fit; sed nulla Persona Divina fit, aut facta dicitur juxta Symbol. D. Athan. ergo in Deo *ad intra* nulla datur potentia activa realis. Respondeo negando majorem: potentia enim activa realis communissimè sumpta est principium rei, quæ est ab alio per influxum, ut fit in divinis; quod autem sit principium rei, quæ fit, solùm competit potentiæ productivæ creatæ.

22. Difficultas 2. Utrùm, & quomodò hæc potentia, sivè principium *quo* distinguatur à principio *quod*? Dico 1. Principium *quo* in divinis non distinguitur à principio *quod* realiter, & à parte rei. Est certa. Probatur, quia in divinis solùm distinguuntur realiter, quæ habent oppositionem relativam; sed inter principium *quo*, & principium *quod* non datur hæc oppositio relativa; ergo neque illa distinctio realis.

23. Dico 2. Principium *quo*, & principium *quod* in divinis sunt inter se virtualiter, & quoad nos distincta. Ita *P. Soar. lib. 6. cap. 5. n. 3. P. Vasq. d. 164. cap. 1. n. 1. P. Tanner. d. 4. q. 2. dub. 5. num. 2. P. Arriaga d. 45. n. 1. P. Præposit. 1. p. q. 41. art. 5. dub. 2.* & alii supra cit. Probatur, quia in divinis principium *quod* est tota Persona producens; siquidem tota denominatur producens; actiones enim sunt suppositorum; principium autem *quo*, ut infrà dicemus, est sola Essentia sub ratione Intellectûs, & Voluntatis; sed tota Persona distinguitur à sola Essentia virtualiter distinctione includentis ab incluso; ergo &c. Confirmatur, quia principium *quo* productivum *ad extra*, nempè Omnipotentia, sic distinguitur à principio *quod*, nempè à Personis, cum quibus est idem; alioqui non esset in omnibus idem principium creandi; ergo &c.

24. Objicies 1. Pater producit Filium se ipso; sed illum producit per potentiam, sive principium *quo*; ergo hoc non distinguitur à Patre, sive à principio *quod*; alioqui jam non se ipso, sed per aliquid distinctum illum produceret. Respondeo Patrem producere Filium per aliquid distinctum, non realiter, sed tantùm virtualiter, quod idem est, ac illum producere per se ipsum. Neque ex hoc sequitur admittendam esse ibi rationem causæ formalis: tùm quia illam non admittimus, cùm dicimus, Deum esse Deitate Deum: tum etiam quia ratio causæ formalis propriæ, etiam virtualis defert imperfectionem materiæ, quam connotat ut perfectibilem; nulla autem imperfectio admittenda est in Deo.

25. Objicies 2. Deus est infinitè simplex; ergo non debet in eo admitti principium *quo* distinctum à principio *quod*; alioqui jam ex illis admitteretur in Deo aliqua compositio. Respondeo negando consequentiam; neque enim hujusmodi compositio virtualis tollit infinitam Dei simplicitatem; sicut illam non tollit compositio ex Essentia, & Attributis, ac Relationibus.

26. Objicies 3. In opinione, quæ in Sacra Eucharistia ponit non solam quantitatem, sed reliqua accidentia extra subjectum, de quo alibi *in Phys. tract. 2. d. 2. à n. 87.* calor v. g se ipso operatur, quin ibi distinguatur principium *quo* à principio *quod*; ergo idem erit in Deo, cùm sit infinitè simplex. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia calor tunc agit existens extra omne subjectum, tam immediatum, quàm mediatum, ut supponitur: at verò Essentia non operatur, imò neque operari potest absque aliqua Personalitate. Neque ex hoc sequitur calorem esse magis simplicem, quàm Deum; siquidem componitur ex genere, & differentia; ex essentia, & existentia contingente, &c. quas compositiones in Deo non admittimus.

27. Difficultas 3. Utrùm detur in Deo *ad intra* potentia realis, non solùm ad Personas productas, ut hactenùs diximus, sed etiam ad earum productiones formales? Dico 1. Datur in Deo hujusmodi potentia realis ad productiones, sive processiones passivas. Ita *P. Vasq. d. 163. cap. 2. P. Molin. 1. p. q. 41. art. 4. P. Tanner. d. 4. q. 2. dub. 5. n. 5. P. Arrub. d. 143. cap. 1. P. Præposit. P. Rhodez cit.* & alii. Probatur facilè ex dictis, quia in Deo, ut diximus, datur hujusmodi potentia realis ad Personas productas; ergo etiam ad earum productiones passivas, quæ cum ipsis Personis sunt idem, & cum illis producuntur.

28. Dico 2. In Deo non datur hujusmodi potentia realis ad productiones, sive processiones activas. Ita *P. Granad. tract. 13. d. 3. n. 6. Greg. in 1. dist. 7. q. 1. art. 1. ad 1. Capreol. ibid. q. 1. art. 2. ad 2. Cajet. 1. p. q. 41. art. 4. Canarien. ibid. P. Amicus d. 23. n. 4. P. Arriaga d. 44. n. 14. & d. 45. n. 38. P. Compton. tom. 1. d. 50. sect. 4. n. 9.* & alii. Probatur, quia productio, sive processio activa, cùm sit idem cum Persona producente, ut supra diximus, non producitur realiter; ergo ad illam non datur in Deo potentia realis, & propria; siquidem hæc solùm ordinatur ad terminum realiter distinctum, & realiter productum. Dixi *potentia realis*, quia non nego Paternitatem, quæ est productio activa Filii, produci, sive emanare ab Essentia virtualiter, & ut à potentia virtuali.

29. Oppositum tenent *P. Vasq. P. Molin. P. Tanner. P. Arrub. P. Præposit. P. Rhodez* cit. proximè: pro quibus: Dices 1. In creatis datur potentia realis ad actionem, quæ terminum realiter producit; sed processio activa producit terminum realiter; ergo in Deo datur ad illam potentia realis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia actio in creatis, cùm sit realiter distincta à principio, producitur saltem *ut quo*: at verò in divinis non producitur neque *ut quo* productio activa *ad intra*, utpotè indistincta à suo principio, sicque implicat, dari potentiam realem ad id, quod realiter non producitur; quod enim non producitur, quomodò potentiam sui productivam habebit?

30. Dices 2. In Deo datur potentia realis ad id, quod realiter non distinguitur, nempè ad Intellectionem erga Filium; ergo etiam dabitur ad id, quod non producitur realiter, ut non producitur processio activa. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia de ratione potentiæ realis non est, quod distinguatur realiter à termino, sed id tantùm habet ut conditionem, ut infrà dicemus: at verò de illius ratione est, si sit realis, quod illum realiter producat, aut habeat virtutem ad illum sic producendum; nam quomodò potentia realis erit productiva realiter termini non producibilis realiter, ut non est processio activa etiam apud ipsos Adversarios?

SECTIO

SECTIO II.

Vtrùm principium formale quo *Processionum Divinarum sit aliquid absolutum, an relativum?*

31. ADvertes primò, nos in Divinis, ubi Fides non intervenit, philosophari ex creatis, semotis imperfectionibus; neque enim possumus, nisi ex creatis divina cognoscere. Advertes secundò, in creatis præter principium *quod* reperiri duplex principium *quo*, maximè ad formas substantiales, & etiam accidentales, dummodò sint vitales: Primum est forma ipsa substantialis, quæ dici solet principium formale, sive principium *quo* remotum, & quod immediatè influit in effectus productos; siquidem potentia accidentalis, per quam natura operatur, non est de se sufficiens ad effectum substantialem producendum, ideòque in productione substantiali necessarium est, quod actu influat ipsa natura, sive forma substantialis, ut principium *quo* principale. Secundum est potentia accidentalis, quâ mediante suppositum operatur.

32. Advertes tertiò, primum illud principium esse de intrinseca ratione operantis; neque enim intelligitur operans, nisi aliquo operetur: Secundum autem oriri ex imperfectione creaturæ; siquidem nulla substantia creata operatur immediatè, & se ipsa, sed per potentias à se distinctas, ut alibi diximus, sicque hoc secundum principium minimè reperiri in Deo, etiam cum solâ distinctione per intellectum, utpotè quod ex imperfectione substantiæ creatæ ei conceditur.

33. Advertes quartò, principium *quo* sumi posse, aut pro sola formali, & præcisâ ratione producendi; aut pro ratione ipsa producente, id est, sumpta cum omnibus requisitis ad producendum: si hoc secundo modo sumatur, certum est, Essentiam divinam requirere conjunctionem cum determinata relatione; siquidem non potest esse actu principium generationis, nisi in Patre: Unde in primo sensu est tota controversia, in qua multiplex est Doctorum sententia, omnes tamen ad duas extremè oppositas reducemus, mediæ enim difficillimè defendi possunt, dum enim unius, aut alterius extremi difficultates vitare contendunt, majores incurrunt: His positis.

34. Prima sententia docet, principium formale *quo* processionum divinarum *ad intra* esse quid relativum. Hæc à pluribus defenditur, à paucis tamen eodem modo stabilitur. *D. Bonavent. in 1. dist. 7. q. 1. & 2. Durand. q. 2. n. 29. P. Amicus de Trinit. d. 23. sect. 2. P. Quiroz d. 40. n. 9. P. Martinon. d. 24. n. 37. Albis. tract. 4. d. 12. n. 14.* & cum illis recentiores aliqui in manu scriptis docent, solam relationem esse principium *quo*, licet adhuc inter se non cõveniant: Alii enim distinguunt inter principium communicativum, & hoc dicunt esse Essentiam, & productivum, quale dicunt esse relationem, ut explicat *P. Alarcon. tr. 5. d. 6. cap. 2. n. 15.* Alii hanc distinctionem rejicientes aliam admittunt in principium remotũ, & hoc dicunt Essentiam, & in proximum, & hoc appellant relationẽ, ut asserit *P. Martin. cit. n. 37.* Attamen *P. Valent. 1. p. d. 2. q. 15. punct. 2. §. Jam sit secunda assertio.* docet principium *quo* integrari formaliter ex natura, & relatione, quem etiam sequitur *P. Arrub. d. 14. cap. 3. n. 12.* citans pro se *Albert. Magn. in 1. dist. 7. a. 2. Richard. ibid. q. 1. Henriq. quodlib. 3. q. 3.* Alii cum *Cajet. 1. p. q. 41. a. 5. Canarien. ibid. Capreol. in 1. dist. 7. q. 1. a. 1. conclus. 2. & 3. Marsil. in 1. q. 11. a. 2. conclus. 3. & 4. Ferrar. lib. 4. contr. gent. cap. 13. §. Considerandum etiam.* quos citat & sequitur *P. Vasq. 1. p. d. 164. cap. 3. n. 11.* dicunt principium formale *quo* esse Essentiam Divinam, connotãta proprietate, ita tamen ut hæc, licet in obliquo, includatur in conceptu potentiæ, neque solùm sit conditio, ut potentia exeat in suum actum, sed ut formaliter sit potentia. His videntur consentire *P. Granad. tr. 13. d. 3. n. 13. P. Ruiz d. 100. sect. 4. & 5. P. Zuniga d. 16. dub. 6. & P. Alarcon. tr. 5. d. 6. cap. 2. n. 4. & 8.*

35. Secunda nihilominùs sententia, quam sequimur, asserit principium formale *quo ad intra* esse quid absolutum connotans ut conditionem sine qua non certam relationem. Ita *D. Thom. 1. p. q. 34. a. 2. ad 4. & q. 41. a. 5. Scot. in 1. dist. 7. quæst. unica. P. Molin. 1. p. q. 41 a. 5. §. Tertia conclusio*, quos malè pro se citat *P. Granad.* supra. *Marsil. Capreol. Ferrar. Cajet. Torres.* qui potiùs nostræ sententiæ, quàm sententiæ *P. Vasq.* favent, & adhærent, ut ait *P. Tanner.* nobis consentiens *d. 4. q. 2. dub. 5. n. 6. P. Soar. lib. 6. cap. 5. n. 6. P. Præposit. 1. p. q. 41. a. 5. dub. 2. n. 39. P. Arriaga 1. p. d. 45. à n. 25. P. Compton. tom. 1. d. 50. sect. 5. n. 2. P. Rhodez tom. 1. d. 6. q. 2. sect. 4.* & alii.

36. Probatur primò authoritate Sanctorum Patrum communiter, & generaliter dicentium, Verbum procedere, & esse de substantia, aut ex substantia Patris, de Essentia, de Natura, de Sapientia, de Memoria, aut ex Memoria fœcunda Patris, & Spiritum Sanctum esse de Natura, aut ex Natura, & Substantia Patris, & Filii, ut constat ex D. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 7. & 10. ubi: *Verbum Dei*, ait, *est Sapientia genita ex Sapientia generante.* Et cap. 13. *Verbum Divinum*, inquit, *natum esse de Patris Essentia.* Et D. Fulgent. lib. 3. ad Monim. cap. 7. *Cùm ergo mens cogitat, & cogitando Verbum intra se generat, de sua substantia generat Verbum.* Et D. Damascen. lib. 1. Fidei Orthodox. cap. 8. *Ex Patris Natura*, inquit, *Filii generationem esse profitemur.* Et Richard. Victor. lib. 6. de Trinit. cap. 2. *Processionem Filii*, ait, *à Patre in divinis esse secundùm operationem Naturæ.* Et D. Anselm. in Monolog. cap. 54. de Spiritu Sancto loquens: *Non ex eo procedit*, ait, *in quo plures sunt Pater, & Filius, sed ex eo, in quo sunt unum.* Et cap. cit. infra subjicit: *Nam non ex relationibus suis, quæ plures sunt, alia est enim relatio Patris, alia Filii, sed ex ipsa sua Essentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater, & Filius tantum bonum.* Idem habet cap. 5. 9. 25. & 30. Ubi inquit Spiritum Sanctum procedere de Divinitate Patris, non de Paternitate. Idem habent *D. Athan. D. Basil. D. Nazian. D. Ambr.* & alii apud Doctores cit. sed in his, & similibus Patrum locutionibus particulæ *de*, & *ex* non denotant causam materialem, aut formalem; ergo denotant principium procedendi significatum nomine Naturæ, Substantiæ, Essentiæ, Sapientiæ, aut Memoriæ; sed sub tali nomine non venit aliquid relativum, ut omnes concedunt; ergo absolutum; consequenterque principium formale *quo ad intra*, est quid absolutum, & non relativum.

37. Probatur secundò authoritate Concil. Florent. *sess. 18.* ubi Joannes Theologus Latinorum partes agens contra Græcos sic ait: *Pater ergo generativum*

tivum principium est; & suppositum quoddam significat; Divina verò Substantia, quæ cum Patre realiter idem est, non quidem generat, sed est principium quo generatio fit, quandoquidem suppositum nullum significat. Et infra: *Patris Persona suppositum est, atq; generans; Divina verò Natura generativum principium, quo Pater Filium generat.* Et supra. *Dixi Filium ex Patre, & ex Patris substantia generari, ita tamen ut Pater sit generans, principium autem, quo ipsa Persona generat, est id, quod solùm communicabile est.* Ubi notanda est particula *solùm.* Idem repetit sess. 19. quæ verba adeò apertè probant, ut cogant *P. Martin.* negare authoritatem tanti Viri, quæ tamen inter Patres & Doctores semper est, & fuit maxima; ergo &c.

38. Probatur tertiò rationibus. Prima, quia illud est principium formale *quo* generationis, sive potentia generativa, in quo generans ut *quod* sibi assimilat genitum, sive terminum productum; sed Pater in divinis assimilat sibi Filium in Natura, quæ est quid absolutum, & non in relatione, per quam Filio opponitur; ergo principium formale *quo* in divinis dicit absolutum, & non relativum. Minor est certa; consequentia rectè habet. Probatur major primò ab exemplo, nam in igne principium formale *quo* physicum producendi alium ignem est forma substantialis, in qua sibi assimilat effectum: & in homine humanitas, in cujus virtute Petrus potest generare hominẽ sibi similem in natura, est principium formale *quo* generationis, non autem petreitas, quæ est proprietas personalis constitutiva Petri; alioqui Petrus generaret Petrum, quod non dicitur; ergo idem erit in divinis. Secundò ratione, quia cùm generationes sint datæ à naturâ ad conservationem proprii esse, illud esse dicitur principium formale generationis, cui ipsum genitum assimilatur; siquidem quando res non potest conservari in se, conservatur in sibi simili; ergo absolutè loquendo principium formale *quo* generationis est illud, in quo generans assimilat sibi genitum.

39. Dicent primò, majorem esse veram de principio formali remoto, primo, & principali, non autem de formali proximo per se realiter influenti, quod necessariò debet distingui realiter à genito; sicque illud, in quo generans sibi assimilat primò, & perfectè genitum, qualis est Essentia, esse quidem principium formale generationis, remotum tamen; proximum autem esse relationem, quæ à genito distinguitur realiter. Ita *P. Martinon. cit. n. 61.* & cum eo aliqui Recentiores falsò distinguentes in divinis hujusmodi rationem principii remoti, & proximi: Unde:

40. Rejiciuntur primò, quia Sancti Patres, & Concil. Florent. supra, quando loquuntur de principiis processionum exprimunt Naturam, Essentiam, Substantiam, Sapientiam, &c. sed non est verisimile voluisse exprimere principium remotum, omisso proximo, quod habet magis specificam rationem principii; ergo locuti sunt de principio proximo; alioqui eâdem ratione, quando dicunt Spiritum Sanctum procedere à Patre, intelligi possent de processione remota, quod est hæreticum.

41. Rejiciuntur secundò, quia hoc principium remotum, quod admittunt, aut influit simul cum proximo, aut non: Si primum; ergo concedunt, quod nobis objiciunt, nempè principium realiter influens in terminum à se indistinctum; ergo si principium ex eo, quod realiter influit, debet realiter distingui à termino, tantùm id requiretur in principio proximo, quàm in remoto, imò in hoc magis, quia in eo datur major antecessio ad terminum, quæ magis repugnat eidem ad se ipsum: Si secundum; ergo Spiritus Sanctus etiam procedet per intellectionem tanquam per principium remotum; consequenterque non minùs dicetur generari, quàm Verbum; siquidem, secluso influxu, sicut intellectio est radix processionis Verbi, ita est radix processionis Spiritûs Sancti, quatenùs est radix volitionis, per quam ille procedit; nam ad veram rationem principii remoti parùm obstat, quod respectu unius sit remotior, quàm respectu alterius; humanitas enim v. g. eodem modo esset principium generationis si per duas potentias subordinatas communicaretur, atque per unam tantùm.

Rejiciuntur tertiò, quia Sancti Patres, & Concil. Florent. & præsens quæstio inquirit de principio reali; siquidem inquirit de principio in ordine ad processionem realem, & realem terminum; sed principium illud remotum, prout usurpatur ab Adversariis non esset principium reale, sed virtuale, & quoad nos; ergo malè ibi in divinis admittitur tale principium remotum. Probatur minor, quia principium remotum tale est, & tale dicitur propter principium proximum, respectu cujus debet esse principium; sic enim intellectio erit principium remotum respectu Verbi Divini, quatenùs est proximum respectu Paternitatis; sed intellectio solùm est principium virtuale, & quoad nos respectu Paternitatis, ut omnes concedunt; ergo tale erit respectu Verbi; siquidem hîc habet locum illud proloquium: *Quidquid est causa causæ, &c.* seu principium principii, est principium sui principiati in eodem genere principii; ergo si non sit verum, & reale principium principii, neque tale erit respectu sui principiati. 42.

Dicent secundò, principium *ad intra* duo includere, & esse communicativum essentiæ, & esse productivum relationis; essentiam, sive absolutum esse quidem principium formale *quo* communicationis; proprietatem verò, sive relationem esse principium formale *quo* productionis; sicque illud, in quo generans assimilat sibi genitum, esse principium generationis, si illud sibi assimilet, id est, si sit principium per productionem; siquidem tunc datur & similitudo, & distinctio, quæ integrant rationem principii: si autem sibi assimilet genitum per solam communicationem, tunc id, in quo genitum assimilatur generanti, non esse principium generationis ex defectu distinctionis. Ita *P. Amicus cit. P. Alarcon. cit. num. 15.* & cum illis aliqui Recentiores, qui omnes concludunt, principium communicativum non oportere distingui ab eo, cui communicatur, imò quò magis est idem, perfectiùs communicari, sicque posse esse quid absolutum; principium autem productivum debere esse distinctum, sicque in divinis esse solùm relativum, utpotè quod solùm distinguitur. 43.

Rejiciuntur primò, quia hæc celebris responsio non potest stare cum Concil. Florent. cit. siquidem hoc loquitur de principio generativo, quod non solùm est communicativum, sed etiam productivum; principium autem productivum, seu quo Persona Patris generat Filium, *Est id,* inquit, *quod solùm communicabile est.* 44.

Rejiciuntur secundò, quia principium communicativum, prout habet rationem principii, habet se ex parte Personæ producentis; nam prout se habet ex parte Personæ productæ habet rationem termini communicati, & non principii; 45.

sed principium communicativum, prout se habet ex parte Personæ producentis, est idem formalissimè, atque principium productivum, undè ipsa productio est actualis, & formalis communicatio, & eatenùs Persona producens communicat Naturam, quatenùs producit subsistentiam eidem Naturæ identificatam; ergo inutiliter distinguunt principium communicativum à principio productivo.

46. Rejiciuntur tertiò, quia hi Authores confundunt rationem principii productivè communicantis cum ratione veluti causæ formalis communicantis effectum quasi formalem; nam licet causa formalis communicando se ipsam sit veluti principium in ratione causæ formalis, & sic Natura Divina, Intellectio, & Volitio, se ipsam formaliter communicet Personis, prout tamen est à principio producente communicatur effectivè, sicque ex parte Personæ producentis idem est formalissimè principium communicativum, atque productivum. Patet in generatione humanâ, nam in hac non ideò generans communicat ut principium naturam genito, quia forma geniti communicat suum effectum formalem genito; hoc enim est quid veluti consequens ad principium generativum; sed quia generans producendo effectivè unionem formæ, facit, ut genitus habeat similem naturam ipsi generanti; ergo principium communicativum ex parte producentis est idem formalissimè, atque productivum.

47. Rejiciuntur quartò, quia si Intellectio & volitio est principium communicationis ex eo, quod se ipsam formaliter communicat, sequeretur etiam subsistentiam Verbi esse principium generativum communicationis, quia se ipsam formaliter communicat; nam sicut Natura per se ipsam communicatur subsistentiæ Verbi, ita subsistentia Verbi communicatur Naturæ, & utraque formaliter communicatur ipsi Verbo; sequela autem est falsa; ergo &c.

48. Rejiciuntur quintò, quia in Patre non minùs realis est communicatio Naturæ, quàm productio relationis; sed hi Authores ad productionem realem requirunt distinctionem realem inter principium productivum, & terminum; ergo etiam debent illam requirere inter principium realiter communicativum, & terminum communicationis; siquidem tantùm repugnat, idem se ipsum realiter sibi communicare, quàm se ipsum realiter producere; neque enim animal v. g. potest dici, propriè loquendo, se realiter communicare rationali, aut homini.

49. Secunda ratio est, quia si per impossibile Pater produceret Filium distinctum in Deitate, Deitas Patris esset principium *quo* producendi; ergo producendo Filium in eâdem numero Deitate, Deitas est principium *quo*, & formalis ratio producendi; sicut enim identitas naturæ reddit perfectiorem virtutem assimilativam; ita reddit perfectiorem virtutem productivam. Tertia, quia Filius procedit per Intellectum, & Spiritus Sanctus per Voluntatem; alioqui non potest assignari ratio, cur processio Verbi sit generatio, & non ita processio Spiritûs Sancti, ut patebit ex dicendis; sed Intellectus, & Voluntas sunt quid absolutum, & non relativum; ergo &c.

50. Quarta ratio est, quia si principium *quo* non esset quid absolutum, sed relativum, sequeretur: Primò productiones divinas non esse univocas, sed æquivocas ob diversitatem principii formalis, & termini: Secundò, principium *ad extra* esse prius, ac dignius principio *ad intra*; siquidem illud est absolutum, & hoc relativum; absoluta autem in Deo sunt priora, ac digniora relativis; cùm tamen *ad intra* habeat terminum infinitè perfectiorem: Tertiò, principium *ad extra* posse consistere in relativo; siquidem quod est productivum *ad intra* ad terminum infinitum, cur non ita erit ad terminum inferiorem; sicque actiones Trinitatis *ad extra* essent divisæ, quæ omnia sunt absurda; ergo &c.

51. Quinta ratio est, quia omne agens sub ea ratione, sub qua est agens, continet in se virtute productum; sed Pater sub Paternitate non continet Filium; siquidem Paternitas, & Filiatio non includuntur, imò opponuntur; ergo Pater non est agens sub Paternitate; sed ratio illa, sub qua quis dicitur agens, est quæ agit, sive principium formale; ergo relatio non est principium formale, sed Essentia, cùm aliud non superstet, quod in se contineat relationes. Confirmatur, quia in creatis, neque personalitas, id est, subsistentia, neque relatio sunt operativæ; ergo neque in divinis, ut cernitur in Filiatione, & Spiratione passivâ.

52. Sexta ratio est, quia Pater per id formaliter est potens ad generandum, per quod est formaliter fœcundus; sed habet fœcunditatem ab Essentia, quæ est communicabilis, & non à relatione, quæ incommunicabilis est; ergo &c. Confirmatur, quia continere Personam Divinam principiativè est perfectius, quàm continere creaturas causativè; sed quod est perfectius debet tribui perfectiori principio; ergo cùm Essentia sit perfectior relatione, non solùm erit principium creaturarum causativè, sed etiam Personarum principiativè.

53. Septima ratio est, quia potentia productiva est fundamentum relationis inter producens, & productum; ergo potentia productiva est aliquid distinctum à relatione; consequenterque relatio non habet rationem principii. Confirmatur, ideò relatio haberet rationem principii productivi, quia necessaria est distinctio realis inter producens, & productum; nihil autem absolutum sic distinguitur à Persona producta; sed hæc ratio non obstat: tum quia sufficit, quod sic distinguatur, ut distinguitur, principium *quod*, nempe Persona producens, ut patet in eo, qui se ipsum divinitùs reproduceret, juxta probabilem sententiam, in quo solùm principium *quod*, & non principium *quo* realiter distinguitur à termino producto: tum etiam, quia cùm distinctio principii à termino formaliter sit negatio identitatis, non constituit formalem rationem principii, sed ad summum est conditio logica ad producendum, sicut est præexistentia, & approximatio agentis, nulla enim est ratio formalis producendi; siquidem nulla influit in terminum; ergo opus non est quod ipsa distinctio requisita proveniat ab ipsâ ratione formali producendi, sed sufficiet quod Persona producens distinguatur à termino pruducto ratione relationis, influat tamen ratione absoluti, sive Essentiæ.

SECTIO

SECTIO III.

Solvuntur fundamenta contraria.

54. ARGUES 1. D. Athan. *Dialog. 1. de Trinit. contra Anomæos pag. 659. Pater*, ait, *hypostasi gignit, & mandato creat.* Et ad illud: *Ex utero, &c.* Psal. 109. *Uteri nomine*, ait, *genitricem vim ipsius hypostaseos intellige.* Et D. Aug. *lib. 5. de Trinit. cap. 5. Ex eo ipso*, inquit, *Patrem dici, & esse Patrem, quod est ei Filius*; sed est ei Filius, quia est terminus generationis propter Filiationem; ergo Pater est ei Pater, quia est principium generationis propter Paternitatem. Et D. Amb. *Generatio*, ait, *paternæ prioritatis est, non potentiæ.* Et D. Damascen. *lib. de duab. Christ volunt. Omnia*, inquit, *quæ habet Pater, sunt Filii, generandi vi exceptâ.* Et D. Epiphan. *hæres. 73. Vox Pater*, inquit, *plus est, quàm nomen Ingeniti*; in *Ingenito enim non apparet potentia Patris.* Et Concil. Florent. *Sess. 19.* ubi Joan. Theolog. cùm dixisset, potentiam generativam esse id, quo, vel per quod Pater generat: *Propterea tamen*, inquit, *non sequitur, ut hæc substantia secundùm suum esse commune, & absolutum principium sit, per quod*; ergo &c. Respondeo primò generaliter, omnia hæc, & similia loca intelligenda esse de principio expedito, seu actu generante, quod non datur sine actuali productione, qualis est relatio, ut diximus; non autem de principio formali *quo*: Vel si de hoc loquantur, intelligenda esse de principio formali *quo* & secundùm quod includit formale, & essentiale; & secundùm quod dicit necessarium, & accidentale.

55. Respondeo secundò etiam generaliter, Sanctos Patres in his locis solùm velle, hoc, quod est generare esse proprietatem Patris, quod est de fide: An autem hoc proveniat in Patre à Paternitate tanquam à conditione in solo Patre existente; aut tanquam à formali principio generationis, non ibi docent; præsertim cùm ex aliis locis oppositum constet, ut patet ex dictis.

56. Respondeo tertiò specialiter, D. Athan in primo loco, aut nomine hypostasis intelligere substantiam, ut intelligebant Græci, & sic pro nobis est: aut si relationem, ut Latini, loqui de actu generandi, ita ut sensus sit, quod sicut agens actione agit, ita Pater hypostasi gignit, sicut & mandato creat, mandatum enim ad actum creandi pertinet. Nisi velis dicere cum *P. Præpositus. cit. num. 34.* D. Athan. ibi, sicut & D. Ambr. loco adducto, solùm voluisse docere, Filium necessariò à Patre procedere, & non imperio ut creaturæ, prout volebant Ariani.

57. Ad secundum locum D. Athan. dicimus nomen *hypostasis* ab Antiquis Patribus confundi cum nomine Personæ, sicque Sanctum Doctorem ibi loqui de principio *quod*, id est, de Persona, non autem de principio *quo*. Ad locum D. August. dicimus, rectè ibi colligere, Patrem esse Patrem, quia habet Filium, & è contra: quale autem sit principium *quo* generationis, & qualis terminus, ibi non docet. Ad locum D. Damascen. dicimus, per vim gignendi ibi non intelligere potentiam, sive principium productivum, sed producentem actu, sub qua ratione non datur in Filio. Ad locum D. Epiphan. dicimus, in Ingenito non apparere potentiam Patris, nisi posita relatione, quam ipsa potentia requirit, non ut sit potentia productiva, sed actu producens. Ad locum Concil. Florent. dicimus, Joannem ibi solùm voluisse, substantiam quatenùs communem, non esse productivam; alioqui omnes tres Personæ producerent; sed solùm requiri relationem determinantem, non ut potentiam, prout ipse dicit loco supra citato, sed ut conditionem sine qua non, quod concedimus.

58. Argues 2. Principium realiter productivum debet distingui realiter à termino producto: tùm quia aliter non esset principium, ut ait Aristoteles *lib. 5. Ethicor. cap. 5. Non*, inquit, *principium est, si unum solùm est*: tùm etiam quia principium est prius suo principiato; nihil autem potest esse prius se ipso à parte rei; sed absolutum in divinis non distinguitur realiter à relativo, ut est de fide; distinguitur autem relativum à relativo, nempè Paternitas à Filiatione; ergo solum relativum, non autem absolutum, potest habere rationem formalem principii *ad intra*. Hoc est in hac re potissimum Adversariorum fundamentum, quod quidem summam habet in hac quæstione difficultatem, ita tamen, ut non tantùm contra nostram Sententiam vim habeat, sed etiam contra eorum sententiam, qui admittunt principium formale *quo* consistere simul in absoluto, sive ut productivo, sive ut communicativo, & etiam in relativo, ut consideranti patebit; siquidem jam concedunt id, quod realiter influit, aut communicatur, posse esse indistinctum à termino realiter producto, & cui realiter communicatur; consequenterq; esse prius ut principium se ipso ut principiato. Igitur:

59. Respondeo primò distinguendo majorem: principium realiter productivum debet distingui realiter à termino producto, si sit principium *quod*; concedo majorem: si sit principium *quo*; nego majorem: in quo patet solutio ad probationes. Undè cùm Pater in divinis, qui est principium *quod* distinguatur realiter à termino producto, nempè à Filio, potest realiter illum producere, licet ratio formalis producendi, seu influendi, nempè Intellectio, neque à Patre, neque à Filio realiter distinguatur. Patet in creatura se ipsam divinitùs reproducente in probabili opinione, licet contrariam alibi tenuerimus in *Physica tract. 2. d. 4. à num. 57.* nam in ea opinione eadem entitas, prout supponitur per aliam actionem producta, influit in se ipsam, quatenùs se ex vi novæ actionis reproducit, in quo, prout dicunt, nulla datur repugnantia præter superfluitatem, quam Deus vincit, & natura, nè actum jam iterum agat, vitare intendit multiplicando semper individua.

60. Respondeo secundò, & meliùs, distinguendo eandem majorem: principium realiter productivum debet distingui realiter à termino producto, aut ratione sui, & in actu primo; aut ratione productionis, & in actu secundo; concedo majorem: semper ratione sui, & in actu primo; nego majorē: Undè ad productionem realem satis est, quod principium ut actu producens distinguatur à termino ut producto; cùm autem in divinis principium nunquam sit in actu primo, quin sit in actu secundo, id est, actu producens; & terminus nunquam sit producibilis, quin simul sit productus, nunquam potest perfectè concipi ut principium, quin concipiatur in actu; sic autē in actu distinguitur realiter à termino producto. Patet exemplo proximè adducto, nam res, quæ reproducitur, antecedenter producta per unam actionem, qua supponitur existens, distinguitur realiter à se ipsa, ut per secundam actionem reproductam; ergo cùm

Essentia supponatur existens cum Paternitate, quæ est productio activa, principium ut producens distinguitur realiter à termino producto, quę est productio passiva ut identificata eidē Essentiæ Divinæ.

61. Instabis 1. Principium *quod*, ut diximus, debet distingui realiter à termino realiter producto; ergo etiam, & à fortiori principium *quo*; nam *Propter-quod unumquodq; tale, & illud magis*; sed principium *quod* tale est propter principium *quo*; ergo si hoc, quia reale, distinguitur realiter, etiam à fortiori & illud sic distinguetur. Respondeo negando consequentiam, ad cujus probationem dicimus, aliud esse, principium *quod* esse principium ratione principii *quo*; aliud autem distingui realiter à termino propter principiū *quo*: nam licet realis distinctio sit cōditio ad realiter producendum, non est tamen ipsa formalis ratio, seu virtus producendi: sicut prioritas, aut approximatio non est formalis ratio, seu virtus producendi, licet sit conditio ad realiter producendum; ergo potest principium *quod* esse principium formaliter ratione principii *quo* tanquam ratione virtutis productivæ, licet non ratione illius, sed aliundè habeat distinctionem realem ad realiter producendum; sicut causa non à sua virtute productiva, sed ab indistantia, sive coubicatione habet approximationem.

62. Instabis 2. Solum principium *quo* realiter influit; siquidem principium *quod* solùm denominativè est principium; sed id, quod influit, est quod distinguitur à termino; ergo sola relatio, quæ distinguitur, influit, solaque est principium *quo*. Respondeo distinguendo minorem: id, quod influit, est quod distinguitur à termino ut actu influens; concedo minorem: ut præscindens ab actuali influxu; nego minorem: Undè ut principium actu exerceat rationem principii realis, satis est, quod ut actu producens distinguatur à termino producto, ut patet in causa se reproducente: cùm autem principium in Divinis, ut actu exercens rationem principii, involvat ipsam productionem activam, nempè Paternitatem, quæ realiter distinguitur à termino, ideò ut principium reale est, habet realem distinctionem in actu, veramque rationem principii realis.

63. Instabis 3. Si aliquid absolutum esset principium reale Personæ productæ, à qua realiter non distinguitur, plura sequerentur absurda: Primò, etiam posse esse reale principium Paternitatis, sicut est Filiationis, cùm non detur major ratio. Secundò, idem esse radicem realem sui ipsius, nempè Naturam Divinam respectu Filii, cum quo est idem realiter. Tertiò, idem dicere realem ordinem ad se ipsum; siquidem principium, & principiatum, si talia sunt realiter, inter se realiter ordinantur. Quartò, esse principium reale sine reali productione; siquidem neque productio activa, nempè Paternitas, neque passiva, nempè Filiatio comparatæ ad absolutum sunt reales, quia non sunt realiter distinctæ à principio; consequenterque neque terminus erit realiter productus; siquidem talis est terminus, qualis est ejus productio; sed hæc omnia sunt absurda; ergo &c.

64. Respondeo negando majorem: ad primam probationem datur diversa ratio, quia ut absolutum esset principium Paternitatis, debebat supponi existens, & identificatum cum alio relativo à Paternitate realiter distincto, sicut supponitur existens, & identificatum cum Paternitate, quæ sic à Filiatione distinguitur; cùm autem ad Paternitatem nihil supponatur realiter distinctum, ideò absolutum non potest ad illam, potest tamen ad Filiationem esse reale principium.

65. Ad secundam dicimus, idem, saltem in actu per realem actionem posse esse radicem sui ipsius, si supponatur existens per aliam actionem adæquatè distinctam; siquidem ut existens per unam actionem est capax, ut ab eo oriatur alia actio, quæ terminetur ad idem esse, ut patet ex supra dictis. Imò hoc, suppositis principiis fidei, multò meliùs intelligitur in divinis; siquidem cùm inter absoluta, & relativa detur distinctio virtualis intrinseca, quæ in ordine ad prædicata contradictoria est æquipollenter realis, ut alibi diximus, & infrà dicemus, Essentia ut supponitur existens simul cum Paternitate, potest esse principium reale, non quidem sui ipsius formaliter, sed Filiationis, quæ cum illâ ita identificatur, ut à Paternitate actu realiter, ab ipsa verò Natura æquipollenter distinguatur.

66. Ad tertiam dicimus etiam eodem modo, idem posse dicere ordinem realem ad se ipsum, si supponatur existens, non præcisè sumptum ut est idem, sed prout ratione diversarum actionum exercet rationem producentis, & producti. Undè sicut in causa se reproducente ordo realis est ipsa actio, quæ ut formalis productio, & terminata ad ipsam entitatem causæ, illam respicit ut antecedenter existentem, & productam: ita ordo realis in divinis est ipsa Filiatio v. g. quæ producta ut *quo* respicit Naturam ut existentem simul cum Paternitate improductam.

67. Ad quartam negamus sequelam, ad cujus probationem dicimus, productionem realem, ut talis sit, non comparari ad formalem rationem principii ut præscindentis ab actuali productione, sed ad terminum ut realiter productum; nam in opinione identificantium actionem creativam cum Deo, talis actio est realis productio solùm, quia est ad terminum realem, & non ut distinguitur à virtute creandi; supponit igitur talis opinio ad realem productionem, quod principium ut producens distinguatur à termino ut producto: cùm ergo in divinis principium ut producens sit Pater, seu Natura cum productione actuali, nempè Paternitate, & ut sic distinguatur à termino producto, id est, à Filio, seu Filiatione eidem Naturæ identificata, benè sequitur dari in Divinis productionem realem.

68. Dices: Principium virtuale est illud, quod virtualiter distinguitur ab actione, & termino; ergo principium reale erit illud, quod realiter distinguetur ab actione, & termino. Respondeo principium virtuale esse illud, quod neque ab actione, neque cum actione distinguitur à termino realiter: principium verò reale, quod aut ab actione, & termino, aut cum actione à termino realiter distinguitur: Essentia autem licet cum Paternitate, & Filiatione sit idem, simul tamen cum Paternitate, ut cum actuali productione activa, distinguitur realiter à termino producto.

69. Argues 3. Si principium formale *quo* esset quid absolutum sequeretur: Primò has propositiones esse veras: *Natura Divina producit: Natura Divina generat, &c.* siquidem de principio, à quo est actus, actus ipse verè affirmatur; sic enim quia calor producit calorem, verè dicitur: *Calor producit: calor calefacit*; illæ autem propositiones damnantur in Concil. Lateran. *cap. Damnamus de sum. Trinit.* Secundò, Filium esse imaginem Essentiæ Divinæ; siquidem ad rationem imaginis solùm requiritur similitudo, & productio; hæ autem reperiuntur in Filio respectu Essentiæ. Tertiò, inter

Per-

Personas Divinas dari relationes reales similitudinis, & æqualitatis; si enim sine distinctione principii datur producens, & productum realiter, etiam dabitur relatio realis. Quartò, non esse necessariam Spirationem activam; siquidē si absolutum est principium, & solùm requiritur relativum ut conditio ad distinctionem; cùm Pater, & Filius jam supponantur distincti per proprias subsistentias relativas, non erit necessaria ad distinctionem spiratio activa; sed hæc omnia sunt absurda; ergo &c.

70. Respondeo ad primum, propositiones illas ideò damnari, qtia per illas significabatur Naturam Divinam distingui realiter à Persona producta, sicque non posse absolutè proferri; posse tamen cum addito: *Natura Divina producit ut quo: generat ut quo*: licet ita possit affirmari absolutè de calore, utpotè qui non solùm est virtus productiva, sed etiam distincta. Addo argumentum retorqueri posse, quia etiam non potest dici: *Paternitas generat: Relatio spirat*; & tamen sola relatio est principium *quo* productivum generandi, & spirandi, ut ipsi Adversarii dicunt.

71. Dicent, generare, & spirare non solùm dicere principium productivum, sed etiam communicativum. Sed contra primò, quia jam supra ostendimus, principium communicativum, & productivum formaliter esse idem. Secundò, quia jam principium *quo* generationis, & spirationis esset tota Persona; siquidem diceret simul absolutum, & relativum, contra id, quod ipsi Adversarii supponunt, asserentes esse virtualiter distinctum à principio *quod*.

72. Respondeo ad secundum, Filium non esse imaginem Essentiæ Divinæ, licet sit imago ratione Essentiæ Divinæ; non est imago Essentiæ Divinæ, licet ab ea procedat, & sumat similitudinem, quia ad rationem imaginis præter similitudinem, & processionem requiritur distinctio, licet hæc non proveniat ab aliquo absoluto, sed relativo. Hinc retorqueo argumentum: Licet ad rationem imaginis requiratur similitudo, hæc in Adversariorum sententia non provenit à relativo, sed ab absoluto; ergo etiam licet requiratur distinctio, non opus erit, quod hæc proveniat formaliter ab absoluto, sed satis erit, si proveniat à relativo.

73. Respondeo ad tertium, ideò inter Personas Divinas non dari relationes reales similitudinis, & æqualitatis distinctas à relationibus producentis, & producti, quia requirunt fundamenta remota realiter distincta; at verò Natura Divina, quæ esset fundamentū remotum in omnibus Personis est eadem: datur tamen relatio realis producentis, & producti, quia hæc coincidit cum ipsis productionibus activa, & passiva, quæ realiter distinguuntur.

74. Respondeo ad quartum primò retorquendo argumentum: Ideò (ut dicunt) principium *quo* est quid relativum, quia debet distingui à termino producto; sed præscindendo ab spiratione activa, jam Pater, & Filius distinguuntur ab Spiritu Sancto; ergo jam datur totum id, quod requiritur ad productionem Spiritus Sancti; consequenterque necessaria non erit Spiratio activa.

75. Dicent, Paternitatem solùm esse principium generationis, & Filiationem esse ejus terminum, ideoque requiri Spirationem activam, ut sit principium productivum Spiritus Sancti. Sed contra, quia hoc eodem modo nos respondebimus, undè: Respondeo secundò, Paternitatem solùm esse formalem actum generandi, & Filiationem ejus terminum, ideoque requiri Spirationem activam, ut sit formalis actus spirandi, per quem voluntas exerceat rationem principii spirativi.

SECTIO IV.

Proponuntur, & solvuntur alia argumenta.

ARgues 4. Si principium *quo* productivum esset aliquid absolutum, possent Filius, & Spiritus Sanctus producere alias Personas, sicut Pater producit Filium, & Filius cum Patre producit Spiritum Sanctum; siquidem in Filio, & Spiritu Sancto cùm sit quidquid est absolutum, est etiam virtus, seu principium productivum; & deindè est etiam conditio distinctionis, quæ inducitur per subsistentias relativas; sicque datur quidquid requiritur ad realiter producendum, & communicandum Naturam alteri Personæ; sed hoc est hæreticum; ergo &c. 76.

Respondeo primò retorquendo argumentum: Sicut principium communicativum est in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, ita in quolibet est proprietas relativa, & quidem distincta, æqualis, & ejusdem perfectionis; ergo cur proprietas Filii, & Spiritus Sancti non erit etiam productiva alterius, per quam productionem communicetur alteri eadem Natura, seu principium communicativum? 77.

Dicent, rationem esse, quia sola Paternitas est proxima ratio producendi Filium, & sola Spiratio activa est proxima ratio producendi Spiritum Sanctum. Sed contra, quia & hoc idem nos respondebimus: Undè. Respondeo secundò, solam Paternitatem esse formalem actum generandi, & solam spirationem activam esse formalem actum spirandi, qui cùm non possint multiplicari, ideò Filius, & Spiritus Sanctus non possunt alias Personas producere, sicut Pater producit Filium, & Filius cum Patre Spiritum Sanctum. Cur autem actus generandi, & spirandi activè non multiplicentur in Personis, in quibus est tota virtus absoluta generativa, & spirativa? Ratio, ut supra diximus, est, quia principium generativum simul, ac semel per unicam Paternitatem (idem est de principio Spirativo per unicam Spirationem activam) habet actum adæquatum omninò necessarium, & infinitum, ultra quem alius est impossibilis. 78.

Instabis: Idem per unam actionem adæquatam existens potest iterum, atque iterum se per diversas actiones adæquatas reproducere; ergo etiam eadem Essentia Divina, prout supponitur existens cum Paternitate, aut Filiatione, licet sint actus adæquati, poterit se iterum, atque iterum per reproductionem recommunicare. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia respectu rei se reproducentis possunt dari non tot, quin plures actiones distinctæ; licet enim sint adæquatæ respectu termini, sunt tamen finitæ, ideoque multiplicabiles: at verò respectu principii generativi in divinis, non potest dari, nisi una tantùm generatio activa, cùm enim sit infinita, & non impedita, producit quantùm potest, sicque unicus actus exhaurit totam rationem generandi; idemque cum proportione dicimus, & supra diximus de Spiratione. 79.

Argues 5. Si principium communicationis, 80.

& productionis formaliter esset idem, nempè absolutum, etiam terminus communicatus, & productus formaliter essent idem; siquidem si principium productionis, & communicationis est idem formaliter, etiam formaliter idem est productio, atque communicatio; consequenterque idem est formaliter terminus productus, & communicatus; sed hoc est falsum; siquidem ex definitione Concil. Lateran. Natura est terminus formaliter communicatus, non tamen productus, neque genitus, hic enim est sola relatio; ergo terminus productus, & communicatus non est formaliter idem; ergo neque erit formaliter idem principium productivum, & communicativum, sed hoc erit quid absolutum, illud autem quid relativum, ut sic quilibet terminus suo principio correspondeat.

81. Respondeo, hoc argumentum tangere difficultatem de termino formali processionum, de quâ infra, nunc interim negamus ex præsenti quæstione sequi, eundem esse terminum communicatum, & productum; licet enim eadem sit formaliter productio, & communicatio, diverso tamen modo comparatur ad relationem, quam denominat productam, atque ad Naturam, quam denominat communicatam. Et ratio hujus est, quia Natura non aliter communicatur à principio producente, quàm per productionem, non quidem ipsius Naturæ, sed relationis eidem Naturæ identificatæ; nam ut aliquid communicetur producendo, non opus est, quod in se producatur formaliter, sed satis est, quod intendatur communicari per productionem illius, quo producto, intelligitur communicari.

82. Patet hoc in generatione humana, ut supra jam diximus, in quâ terminus communicatus, seu qui communicari intenditur, est forma rationalis, & tamen non ipsa forma, sed sola Unio producitur, sicque eadem actio productiva unionis est communicatio effectiva ipsius formæ, licet forma dicatur tantùm communicata, & non producta; sola autem unio dicatur producta; cùm tamen idem sit principium communicationis, & productionis, nempè eadem forma; ergo similiter proportione habita in Divinis.

83. Argues 6. Quoties actus convenit uni supposito, & alteri repugnat, ei convenit ratione alicujus prædicati, in quo ab alio differt, & non in quo cum eo convenit; sic enim actus ratiocinandi convenit homini, & non equo, ratione rationalis in quo ab eo differt, & non animalis, in quo cum eo convenit; sed Patri convenit actus generandi, qui Filio repugnat; ergo ei convenit ratione Paternitatis, in quâ differt à Filio, & non ratione Essentiæ, in qua cum eo convenit; consequenterque Paternitas, & non Essentia, est principium *quo* generationis. Respondeo distinguendo majorem: ei convenit ratione alicujus prædicati, in quo ab alio differt, aut tanquam à ratione formali, aut tanquam à conditione logica; concedo majorem; semper tanquam à ratione formali; nego majorem: in homine autem provenit à ratione formali, quale est rationale; & in Patre provenit à conditione logica, qualis est Paternitas ad actum generandi, formaliter verò ab Essentia, licet in illa differat à Filio, & in hac cum illo conveniat. Patet in igne proximo, & remoto; quod enim ille cremet, & non iste, non illis provenit à ratione differentiali ut à ratione formali, sed ab approximatione, ut à conditione logica, quæ in uno, & non in alio datur ad cremandum.

84. Instabis: Pater generat Filium ut Pater; sed constituitur Pater tanquam à ratione formali per Paternitatem; ergo actus generandi convenit Patri ratione Paternitatis, ut à ratione formali; consequenterque Paternitas est principium generativum. Respondeo ex hoc solùm sequi, Paternitatem, prout non distinguitur à generatione activa, esse principium *quo* Pater constituitur in actu secundo; ut communiter dicimus, causas creatas agere actione; de hoc tamen principio in actu secundo non est quæstio.

85. Urgebis: Formalis productio Filii consistit in sola Paternitate; ergo etiam in illa consistet ejus formale principium. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia productio, cùm sit actualis influxus realis in terminum, non intelligitur sine distinctione reali, quæ tota provenit à relatione, nempè à Paternitate: at verò principium formale *quo* debet in sua virtute continere terminum productum; non autem sic continet Paternitas Filiationem, illam tamen continet Essentia, ideòque sola Essentia est illius principium formale *quo* productivum, licet in Paternitate requirat distinctionem, ut conditionem logicam ad generandum; sicut ignis requirit approximationem ad cremandum.

86. Replicabis: Si Essentia esset formale principium *quo* productivum, & Paternitas solùm esset conditio ad producendum, sequeretur non dari in Deo reales relationes producentis, & producti; siquidem principium productivum, qualis est Essentia, est idem cum termino producto, & cum Persona producente; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam: licet enim Paternitas non sit formale principium producendi, est tamen formalis productio, quæ se habet ut fundamentum proximum, & sic potest fundare relationem realem ad Filium, qui realiter distinguitur, & Filius ad Patrem, licet habeant eandem Naturam, quæ se habet ut fundamentum remotum; relationes enim propter fundamenta proxima multiplicantur, ut alibi diximus.

87. Inferes: Ergo licet Natura sit eadem, & in illa idem sit fundamentum remotum, dabuntur in Deo, sive in Personis Divinis relationes reales similitudinis, & æqualitatis contra id, quod supra diximus *num 73.* Respondeo negando illationem; diversa ratio est, quia ad relationes similitudinis, & æqualitatis, ut sint reales, non dantur fundamenta, neque remota, neque proxima realiter distincta: at verò ad relationes producentis, & producti dantur fundamenta proxima realiter distincta, ut diximus. Addo Paternitatem, & Filiationem, cùm sint subsistentiæ, & Personalitates, se ipsis subsistere, & sibi esse fundamenta, quin egeant aliquo alio, quo innitantur, sicque non habere Essentiam pro fundamento, sed se ipsas, ac proindè habere omnia requisita, ut sint reales, quod non habent relationes similitudinis, & æqualitatis. Accedit, quod relatio similitudinis, & æqualitatis, ut sit realis debet supponere convenientiam univocam inter res æquales, & similes, ut alibi diximus; hæc autem convenientia non datur inter Personas Divinas, sicque neque ipsæ relationes reales æqualitatis, & similitudinis.

88. Argues 7. Forma, quæ dat actum primum, id est, esse; dat etiam actum secundum, id est, operari; sed relationes in Personis Divinis dant actum primum; siquidem illas constituunt quoad esse; ergo etiam dabunt actum secundum, sive illas constituent quoad operari; consequenterque erunt principium formale *quo* operativum. Respondeo majorem

majorem esse veram de actu primo essentiali, & absoluto, qualis est Essentia, quæ tribuens esse naturale absolutum, ut actum primum, tribuit etiam actum secundum, nempè operari, utpotè ejus formale principium: non ita tamen esse veram de actu primo hypostatico, & individuali, quales sunt relationes. Patet in subsistentia creata, & petreitate, quarum prima tribuit actum primum personalem, & secunda individualem; & tamen neutra tribuit actum secundum operandi, tanquam formale principium; alioqui Petrus produceret alium Petrum, ut supra diximus, sed tanquam conditio; & sic etiam ut conditio tribuit Paternitas actum secundum generandi. Quòd autem individuum perfectius perfectiores habeat operationes, id non provenit ex illius actu, seu forma individuali, sed ex singularibus dispositionibus.

89. Argues 8. Nullum indeterminatum, ut præcisum à determinante, potest determinatè concurrere ad hunc potiùs, quàm ad illum terminum; sed Essentia Divina ut præcisa à relationibus est indifferens ad generandum, vel spirandum; ergo ut determinatè generet, aut spiret, eget relatione, sive Paternitate determinante ad generandum; consequenterque non sola Essentia, sed ipsa simul cum relatione est principium formale *quo* generationis. Respondeo primò negando minorem: neque enim Essentia, nempè Intellectio & Volitio est indifferens ad generandum, aut spirandum, sed Intellectio est determinata ad generandum, & volitio ad spirandum, sicque ad id nullo egent determinativo.

90. Respondeo secundò, licet Essentia Divina, prout sic sit indifferens, totam ipsam indifferentiam tolli posse, per relationem quidem ut conditionem, quin requiratur, ut ipsa relatio sit compars principii formalis *quo*. Patet in igne, qui ex se indifferens est, etiam magis, quàm est Essentia Divina, ad hanc, aut illam stupam, vel chartam accendendam; & tamen ad hoc ut determinetur potiùs ad hanc, quàm ad illam, sufficit approximatio ad hanc potiùs, quàm ad illam, quin ipsa approximatio sit potentia, sed tantùm conditio.

91. Instabis: Pater non intelligitur potens generare quoad usque habeat potentiam determinatam in ratione potentiæ; sed hæc potentia non est determinata potentia, nisi per relationem; ergo relatio ingreditur rationem ipsius potentiæ; consequenterque est principium formale *quo*. Respondeo hujusmodi potentiam indigere relatione ut aliquo complente, & determinante, ex hoc tamen solùm probari, relationem esse conditionem, & non partem ipsius potentiæ.

92. Argues 9. Licet principium *quod* possit esse idem cum termino producto, non ita tamen principium *quo*; sic enim in Christo Domino principium *quod* producens, nempè *Deus*, est idem cum Christo, qui dicitur terminus productus, licet non ita sit idem cum illo principium *quo*, nempe *Deitas*, quæ ab humanitate realiter distinguitur; atqui si Essentia esset principium *quo* non distingueretur à termino producto, quod implicat; ut patet ex supra dictis; ergo &c. Respondeo falsò supponi in argumento principium *quod* producens, & terminum productum in Christo Domino esse idem; siquidem cùm ibi res producta sit humanitas, hæc distinguitur omninò & à principio *quo*, nempè à Deitate, & à principio *quod*, nempè à Deo: quod autem Christus Dominus etiam dicatur productus, est tantùm per communicationem idiomatum, quod ad præsentem quæstionem impertinens est. Unde ut principium formale *quo*, nempè Essentia distinguatur, sufficit quod ita distinguatur productio activa, nempè Paternitas, quam ut conditionem exigit, & ratione cujus verè distinguitur principium *quo*, nempè Essentia, quæ propiè influit, ut patet ex dictis.

SECTIO V.

Utrùm absolutum, quod diximus principium formale quo *Processionum Divinarum, sit ipsa Natura sub præcisa ratione Naturæ: an sub ratione Intellectûs, & Voluntatis?*

ADVERTES primò, quæstionem non procedere in opinione Nominalium negantium distinctionem inter naturam, & perfectiones attributales; siquidem in hac opinione, quam alibi rejecimus in *Met. tract. 1. d. 3. sect. 19. à num. 776.* certum est Naturam Divinam esse principium Processionum Divinarum. Secundò non etiam procedere in opinione ponente constitutivum Naturæ Divinæ in intellectione, & volitione; tunc enim idem est procedere per intellectionem, & volitionem, atque per Naturam; sed in opinione asserentè constitutivum Naturæ Divinæ esse Aseitatem, vel Rationale Divinum, de qua loco proximè citato à *num. 725.* Tertiò non procedere de principio identico, & quasi materiali; nam cùm omnes perfectiones divinæ sint idem à parte rei, ab omnibus sunt ipsæ processiones à parte rei identicè. Quartò non procedere etiam de principio remoto; siquidem Natura sub ratione Naturæ potest dici principium processionum aliquo modo remotum, quatenùs scilicet hæc sunt ab intellectione & volitione, quæ sunt à Natura ut à radice sicut sunt omnia Attributa. Quintò solùm esse quæstionem de principio proximo formali, & immediato, idque positâ sententiâ de distinctione virtuali, & asserente constitutivum Naturæ Divinæ non esse intellectionem, & volitionem. Hoc posito. 93.

Processiones Divinas esse immediatè à Naturâ, & non per intellectum, & voluntatem tenuit Hieron. Zanchius Calvinista, qui *lib. 5. cap. ult. de Trinit.* dixit Theologorum axioma, quod Filius procedat per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem esse temerarium: tenuit etiam Durand. in *1. dist. 6. q. 2. àn. 6.* ubi negat, Filium propriè, & formaliter produci in divinis per actum intellectûs, & Spiritum Sanctum per actum voluntatis; fatetur tamen infra *num. 18.* per accommodationem quandam rectè dici, Filium procedere per modum intellectûs, & Spiritum Sanctum per modum voluntatis. Tribuitur etiam hæc sententia à pluribus ex infra citandis *Gregor. Arimin. dist. 10. & 13. quæst. 1.* Illam tamen censent P. Valent. *temerariam*, & *contra fidem*. P. Soar. esse *temerariam*, *& errori proximam*, *alienamq; à sensu Sanctorum*, *& à modo loquendi Scripturæ*. P. Vasquez dicit in modo loquendi non differre sententiam Durandi ab errore Alogianorum, qui dicebant non esse in Deo Verbum propriè: Igitur: 94.

Conclusio

95. Conclusio sit: Processiones Divinæ sunt immediatè, & formaliter à Natura sub ratione Intellectûs, & Voluntatis. Ita *D. Thom. 1. p. q. 27. art. 1. & sequent. Alens. 1. part. q. 42. memb. 2. & q. 43. memb. 3. art. 1. D. Bonav. in 1. dist. 10. & dist. 27. q. 1. Henricus quodlib. 6. q. 1. Scot. quodlib. 2. art. 2. & in 1. dist. 2. p. 2. q. 4. & dist. 27. q. 1. & 2. Richard. in 1. dist. 2. q. 2. Gabr. dist. 7. q. 2. art. 1. 2. & 3. Marsil. in 1. q. 6. art. 1. Cajet. hic q. 27. art. 1. P. Valent. 1. p. d. 2. q. 1. punct. 3. P. Soar. lib. 1. de Trinit. cap. 5. n. 4. P. Vasq. 1. p. d. 111. cap. 2. P. Molin. 1. p. q. 27. art. 5. d. 2. P. Arrub. d. 97. cap. 2. P. Præposit. 1. p. q. 27. art. 5. dub. 1. n. 30. P. Tanner. d. 4. q. 2. dub. 2. n. 4. P. Granad. tract. 2. d. 2. n. 4. P. Amicus d. 18. n. 39. P. Arriaga d. 44. n. 21. P. Ruiz d. 2. sect. 2. P. Alarcon. d. 8. tract. 5. cap. 1. n. 5. P. Compton. d. 5. sect. 2. n. 3. P. Martinon. d. 24. n. 2. & 13.* & alii.

96. Probatur primò ex Scripturâ, & Conciliis, & Sanctis Patribus apud Doctores citatos, præsertim apud P. Ruiz cit. ubi Filius dicitur *verbum, sermo, sapientia, & imago* Patris, & Spiritus Sanctus dicitur *donum, Charitas, & Amor*; sed priores termini pertinent ad Intellectum; posteriores verò ad voluntatem; ergo &c. Confirmatur, quia Filius est propriè, & verè Verbum Divinum; & Spiritus est propriè, & per se primò donum divinum; sed Verbum est per operationem Intellectus; primum autem donorum est per voluntatem, & formaliter ipse Amor; ergo &c.

97. Probatur secundò, quia si processiones Divinæ non sint per Intellectum, & Voluntatem, sequitur: Primò, non posse assignari rationem, cur processio Verbi Divini; non ita verò Spiritus sancti, sit generatio; sicque Spiritus Sanctus æquè dicetur Filius, ac est Verbum; siquidem uterque ex vi suæ processionis accipit immediatè, & formaliter Naturam Divinam. Secundò, non posse assignari rationem, cur processio Verbi sit prior processione Spiritûs Sancti: cur Spiritus procedat à Filio, non autem Filius à Spiritu Sancto; aut uterque à solo Patre. Tertiò, non posse assignari rationem, cur processiones Divinæ sint duæ, & non una tantùm, aut non tot, quin plures: nam aut erit una tantùm, quæ adæquet vim principii productivi ex eo, quod sit infinita, ut supra diximus de processione unius tantùm Filii in Divinis: aut si ab eadem Natura immediatè possunt esse processiones diversæ ob ejus fœcunditatem infinitam, poterunt eadem ratione esse plures, imò & infinitæ; sed hæc, quæ in Theologia sunt absurda, & contraria dogmatibus Fidei; omnia cessant, si processio Filii sit per Intellectum, & Spiritûs Sancti per voluntatem; siquidem Intellectus naturâ suâ est prior Voluntate, & hæc illi subordinatur; & cùm in agente spirituali, qualis est Deus, duæ tantùm sint operationes immanentes *ad intra*, nempè intelligere, & velle, duæ tantùm sunt processiones in Deo.

98. Objicies 1. Filius in Divinis dicitur *virtus Dei*, ut patet 1. Cor. 1. & ad Hebr 1. deindè per ipsum dicuntur *omnia facta* Joan. 1. quæ omnia pertinent ad Omnipotentiam; & tamen non ideò Filius procedit formaliter per Omnipotentiam; ergo etiam non procedet formaliter per intellectum, licet dicatur *verbum, sermo, & sapientia*, quæ ad intellectum pertinent, sed tantùm id de Filio (idemque cum proportione de Spiritu Sancto,) impropriè, & solùm per accommodationem dicetur.

99. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Filius dicitur virtus Dei, & omnia per ipsum facta ad innuendum, quod habeat eandem potentiam, & divinitatem cum Patre: at verò dicitur *verbum, sermo, sapientia, & imago* Patris ad significandum quod est proprium Filii (idemque cum proportione de Spiritu Sancto.) Et ratio hujus est: Primò, quia ita interpretantur Sancti Patres, & Doctores, uno excepto Durando. Secundò, quia ex aliis principiis Fidei ita interpretari debemus. Tertiò, quia si Filius potest dici impropriè, & per solam accommodationem Verbum, ita etiam dici poterit impropriè, & per solam accommodationem Filius, quod est hæreticum. Quartò, quia non esset cur Joannes in Evangelio toties repeteret nomen *Verbum*, si illud impropriè usurparet.

100. Objicies 2. Processiones Divinæ competunt Deo ratione suæ infinitæ fœcunditatis; sed fœcunditas competit Naturæ Divinæ, ut talis est independenter ab Intellectu, & Voluntate; nam si Deus per impossibile non esset Intellectivus, & Volitivus, adhuc esset infinitus, & infinitè fœcundus; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: fœcunditas competit Naturæ Divinæ remotè, & radicaliter; concedo minorem: proximè, & formaliter; nego minorem: sic enim talis est per Intellectum, & Voluntatem. Undè ad probationem eodem modo dicimus, Deum, si per impossibile non esset Intellectivus, & Volitivus, fore fœcundum remotè, & radicaliter, non autem proximè, & formaliter.

101. Instabis: Fœcunditas competit Deo proportione habitâ, sicut & creaturis; sed fœcunditas in creatis non provenit formaliter ab Intellectu, & Voluntate, sed à natura; siquidem homo v. g. non est fœcundus ratione intellectûs, & voluntatis, sed ratione propriæ formæ per potentiam generativam; Angelus, licet sit intelligens, & volens, non ideò est fœcundus ad productionem alterius substantiæ; & ignis, si esset intelligens, eodem modo esset productivus alterius ignis per propriam formam, atque nunc est; ergo &c.

102. Respondeo primò cum aliquibus, data majori, negando minorem; dicunt enim, fœcunditatem Divinam assimilari quidem fœcunditati creatæ; hanc autem non esse immediatè à natura; siquidem in creatis nulla substantia est immediatè operativa per se ipsam, sed per potentias superadditas; sicque operari Deum *ad intra* per Intellectum, & Voluntatem. Sed contra primò, quia sub opinione est, an potentiæ distinguantur à sua natura: & saltem non videtur repugnare substantia creata per se ipsam immediatè operativa. Secundò, quia subsistentiæ creatæ emanant immediatè à natura; ergo etiam proportione habita, *sic poterit* intelligi, subsistentias Divinas immediatè emanare à Natura Divina. Tertiò, quia saltem ratione illâ probatur, fœcunditatem creatam non arctari ad intellectum, & voluntatem, sed aliundè competere Naturæ, licet per aliam potentiam.

103. Respondeo secundò concedendo majorem, si procedat de eadem fœcunditate, proportione habitâ; nam fœcunditas *ad extra*, & Deo, & creaturis competit ratione naturæ, & non per intellectum, & voluntatem: fœcunditas verò *ad intra*, & Deo, & creaturis, proportione habitâ, convenit per intellectum, & voluntatem, utpotè quæ est ad actus immanentes, tam in Deo, quàm in creaturis. Dixi *proportione habita*, quia creaturæ ob suam finitatem, & limitationem, non possunt intelligere, nisi producendo, sicque producunt Verbum ex indigentia intelligendi: at verò in Deo,

Deo, qui non intelligit per verbum, sed per suammet Essentiam, producitur Verbum ex sola fœcunditate. Deindè in creatis verbum productum est accidens: in divinis autem est substantia; siquidem cùm maneat intra Deum, non potest non esse substantiale.

104. Respondeo tertiò, negando majorem, quia fœcunditas creaturarum est *ad extra*, sicque per actiones transeuntes, quarum principium est natura, aut se ipsa, aut mediis potentiis; ut patet etiam in Deo, quandò operatur *ad extra* per Omnipotentiam: at verò fœcunditas *ad intra* in Deo, cùm talis sit, est ad actiones immanentes, quæ necessariò sunt à principio immanenter operante, qualis est solus Intellectus, & voluntas. Quod autem Angelus intelligendo non producat alium Angelum, nihil urget; id enim, ut jam insinuavimus, provenit ex limitatione creaturæ, quæ intra se non potest producere substantiam.

105. Respondeo quartò negando etiam majorem; neque enim fœcunditas Divina proportionatur fœcunditati creatæ, nisi valdè genericè, quatenùs etiam in fœcunditate creata reperitur productio sui similis; nam in specie, & quà fœcunditas Divina est, non habet proportionem cum creata; siquidem sola divina ex eo, quod sit perfectissima, est per perfectissimam operationem Naturæ intellectualis, nempè Intellectûs, & Voluntatis.

106. Urgebis: Actio generativa hominis; & emanatio substistentiæ Angelicæ, cùm sint substantiales, sunt perfectiores, quàm actio intellectualis, & volitiva; ergo operatio per intellectum, & voluntatem non est perfectissimæ naturæ intellectualis. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam: quando enim operatio est intellectualis substantialis, ut est in Deo, est nobilior; licet non ita sit, quando solùm est accidentalis, ut est in creatis: quando autem dicimus perfectissimam operationem naturæ intellectualis esse per intellectum, & voluntatem, intelligitur, cæteris paribus.

107. Objicies 3. Si processiones Divinæ essent per Intellectum, & Voluntatem, aut tales actus essent earum principia; aut essent ipsæ formales processiones: Non primum; siquidem actus Intellectûs, & Voluntatis naturâ suâ sunt infœcundi: Primò, quia sunt immanentes, quorum est manere in suo principio: Secundò, quia sunt intentionales, quorum est repræsentativè, & affectivè versari circa objecta, non verò producere: Tertiò, quia sunt ultimæ perfectiones naturæ intelligentis, & amantis, sicque ad ulteriorem perfectionem, seu productionem non tendunt, ut ait Philosophus *9. Met.* Non secundum, ut patet ex supra dictis *d. 2. à n. 54.* ergo &c.

108. Respondeo negando minorem, & ejus probationes; neque enim tales actus sunt infœcundi; sicque ad primum dicimus, posse esse immanentes, & esse fœcundos, nam etiam in creatis actus intellectûs, & voluntatis sunt immanentes; & tamen producunt habitus, & species. Ad secundum non obstare, quod sint intentionales; licet enim solùm sint repræsentativi, & affectivi respectu objecti, possunt esse productivi respectu termini realis, ut patet in creatis. Ad tertium etiam non obstare, quod dicantur ultimæ perfectiones; hoc enim solùm habent in ratione intelligendi, & amandi respectu objecti, non autem producentis terminum.

109. Objicies 4. Intellectus, & Voluntas Divina sunt communes omnibus tribus Personis; ergo non possunt esse principia specialia divinarum processionum; alioqui quælibet Persona generaret; & spiraret; siquidem cui competit potentia, competit etiam ejus actus. Respondeo primò si argumentum valeret, etiam probare Naturam Divinam non posse esse immediatum principium processionum Divinarum, ut ait Durandus; siquidem etiam est communis omnibus Personis; ergo sicut ipse dicit Naturam determinari ad productiones Filii, & Spiritus Sancti, dicimus & nos determinari Intellectum, & Voluntatem.

110. Respondeo secundò distinguendo antecedens: sunt communes omnibus tribus Personis secundùm se, & absolutè; concedo antecedens: prout sunt principia in actu primo expedita ad generandum, & spirandum; nego antecedens: sic enim important speciales relationes, sive personalitates, quibus terminantur, & determinantur, & sine quibus suam fœcunditatem exercere nequeunt, nempè Paternitatem in Patre ad generandum Filium, & Filiationem simul cum Paternitate ad spirandum Spiritum Sanctum; ideoque licet sint omnibus absolutè communes, cùm in solo Patre terminetur Paternitate, & in solo Patre, & Filio terminetur eorum Personalitatibus, solus Pater generat Filium, & solus Filius cum Patre spirat Spiritum Sanctum.

111. Objicies 5. Quidam ex Patribus asserunt, Filium procedere *Naturâ*, & non *Voluntate*. Et D. Aug. *lib. 7. de Trinit. cap. 2.* Filium appellat *Essentiam de Essentia*: & sic etiam appellat Concil. Toletan. 15. nomen autem *Essentia* ad Naturam spectat; ergo &c. Respondeo Sanctos Patres, cùm dicunt, Filium procedere Naturâ, non voluntate, solùm velle significare: Primò procedere necessariò, & non liberè. Secundò esse Filium naturalem, non adoptivum. Tertiò, cùm Intellectus, & Natura in Deo coincidant, ut ait D. Thom. *1. p. q. 30. art. 2. ad 2.* idem esse procedere per Intellectum, ac procedere per Naturam. Ad illud D. Aug. & Concil. Toletan. dicimus, locutos de processione identica, & non formali; sicut etiam locuti sunt & alii, quando dicunt, & vocant Verbum nomine aliquo Naturam exprimente.

112. Objicies 6. Æternitas, Immensitas, Bonitas, & alia Attributa Divina nihil producunt *ad intra*; ergo neque Intellectus, & Voluntas. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia illa, sicut & similia Attributa non sunt operativa: maximè verò Intellectus, & Voluntas, ut in creatis videmus.

113. Inferes: Ergo, cùm Omnipotentia Divina sit operativa, erit etiam principium productivum *ad intra*. Resp. negando illationem; nam cùm Omnipotentia solùm sit productiva *ad extra*, ad illam non spectat potentia productiva *ad intra*, cùm hæc immanenter, illa verò transeunter operetur. Dato tamen quod Omnipotentia integretur ex utraque ratione potentiæ & producentis *ad intra*, & producentis *ad extra*; tamen ut est *ad intra* coincidit cum Intellectu, & Voluntate, cùm sint productiones immanentes: ut verò est *ad extra* est alterius ordinis, & operatur transeunter.

114. Objicies 7. Substantia, sive Natura creata immediatè influit in actiones intelligendi, & amandi; ergo idem dicendum de Natura Divina; consequenterque utraque est immediatum principium suarum processionum. Respondeo primò, admissa sententia de immediato concursu animæ ad actiones intelligendi, & amandi, etiam Naturam Divinam immediatè concurrere ad ipsas processiones

siones, per quas vivit, ut etiam vivit anima per actiones intelligendi, & amandi: id tamen non docere Durandum, sed simpliciter negare, processiones illas esse per Intellectum, & Voluntatem. Respondeo secundò negando antecedens, ut diximus in *Log. tract. 5. d. 1. à n. 101.* nulla enim substantia creata est immediatè operativa, utpotè finita, & imperfecta, licet talis sit substantia Divina, utpotè infinita, quæ operatur per potentias indistinctas.

115. Objicies 8. Si Filius procederet per Intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem, non verò per Naturam, cùm hæc ultimò constituatur per Aseitatem, & non per Intellectum, & Voluntatem, ut alibi diximus, & infrà dicemus, sequeretur, neutrum ex vi suæ processionis accipere formaliter Deitatem, essèque Deum; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam: aut enim quælibet perfectio divina absoluta includit formaliter Essentiam; aut non juxta diversas sententias, de quibus jam diximus in *Met. tract. 1. d. 3. à n. 888.* Si primum, communicato Intellectu, & Voluntate formaliter, etiam formaliter communicatur Essentia: Si secundum, licet non communicetur formaliter, communicatur identicè, quod sufficit.

SECTIO VI.

Vtrùm Intellectus, & Voluntas per modum potentiæ; an per modum actûs sint principium Divinarum processionum?

116. ADvertes primò hujusmodi quæstionem supponere dari in Deo rationem potentiæ ad intelligendum, & amandum, de quo statim. Secundò, quæstionem non procedere de potentia reali, sive à parte rei; siquidem hæc ponit actum distinctum à parte rei; in divinis autem non admittitur distinctio à parte rei, nisi ubi datur oppositio; hæc verò solùm datur inter relativa, & non inter absoluta, qualis foret illa potentia, & ejus actus, si darentur. Tertiò, quæstionem similiter non procedere de potentia logica, quæ nihil aliud est, quàm quædam non repugnantia, sive negatio repugnantiæ, ac contradictionis, ut res, quæ est, sit; quæ quidem est proprietas quædam consequens cujusvis rei existentiam, & ab aliis dicitur potentia logica, ab aliis verò metaphysica, potestque Deo concedi ad intelligendum, & amandum, & fundatur in quadam innata vi penetrandi objectum intelligibile; & quantùm est de se, solùm habet terminare se ad objectum, quin prout sic dicat rationem productionis, aut receptionis, consequenterque neque rationem potentiæ. Quartò, quæstionem solùm procedere, aut de potentia per rationem merè ratiocinantem, sive sine fundamento, sive ut alii dicunt per puram præcisionem formalem, quæ consistit in nostra consideratione tantùm, dicturque conceptio magis, aut minùs expressa: aut de potentia vera, & propria virtuali, sive per rationem ratiocinatam secundùm præcisionem objectivam, ita ut diversa sit ex parte objecti formalitas, sive ratio potentiæ à formalitate, sive ratione actûs, sicque Intellectus, & Voluntas habeant rationem actûs primi, sive potentiæ proximæ; intellectio autem, & volitio rationem actûs secundi. His positis,

117. Difficultas 1. Utrùm in Deo detur potentia intelligendi, & volendi virtualis, & quoad nos. Dico 1. In Deo non datur propria & rigorosa potentia intelligendi, & volendi etiam virtualis, & quoad nos. Ita *D. Thom. 1. p. q. 14. art. 4. & q. 15. art. 1. ad 3. & lib. 4. contr. gent. cap. 11. Capreol. in 1. dist. 7. q. 1. art. 1. ad 1. Ferrar. 2. contr. gent. cap. 10. P. Soar. in Met. d. 30. sect. 15. n. 9. & lib. 11. de Trinit. cap. 5. n. 16.* quos citat, & sequitur *P. Fasol. 1. p. q. 4. art. 2. dub. 8. num. 57. Aureol. in 1. dist. 35. cap. 1. art. 1. P. Herice 1. p. tr. 1. d. 2. cap. 3. n. 22.* & alii. Probatur primò, quia talis potentia, saltem quoad nos dicit potentialitatem, & carentiam sui actûs, ejusque receptionem positivam, saltem virtualem; sed hæc omnia arguunt imperfectionem in potentia; omnis autem imperfectio excludenda est à potentia Divina, quæ omni imperfectione caret; ergo &c.

118. Probatur secundò, quia si in Deo admitteretur hujusmodi ratio potentiæ, posset Intellectus Divinus sine intellectione, & Voluntas Divina sine volitione concipi; sed non possunt; cùm sint de illorum essentia, nulla autem res potest sine sua essentia concipi; ergo &c. Confirmatur, quia si Deus ita conciperetur cum ratione potentiæ virtualis, non conciperetur ut actus purus; cùm tamen sit essentialiter actus purissimus, & non possit sine sua essentia absque imperfectione concipi; ergo &c.

119. Objicies 1. Actus secundus supponit, & dicit ordinem ad actum primum; sed in Deo datur actus secundus, nempè Cognitio, & amor; ergo etiam actus primus, sive potentia intelligendi, & amandi. Resp. in Deo non dari actum secundum proprium, & rigorosum, qui solùm supponit, & dicit ordinem ad actum primum; sed tantùm improprium, qui nullam dicit imperfectionem, sicut ille diceret ob receptionem positivam, & alias rationes adductas.

120. Objicies 2. In Deo datur prædicatum, cui convenit aptitudo, ut intelligat, qualis est Intellectus; & prædicatum, cui convenit aptitudo, ut amet, qualis est voluntas; sed prædicata, quibus conveniunt hujusmodi aptitudines, habent rationem potentiæ; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: habent rationem potentiæ, sive propriæ, sive impropriæ; concedo minorem: semper propriæ; nego minorem: illa autem aptitudo, sive non repugnantia, quæ convenit Intellectui, & Voluntati Divinæ, ut hæc amet, & ille intelligat, non illis convenit per modum potentiæ propriæ, sed impropriæ, eo modo, quo homini convenit aptitudo, sive non repugnantia, ut sit rationalis; sicut igitur homo nunquam potest esse, neque concipi sine rationali; ita neque Intellectus, aut Voluntas Divina sine actuali intellectione, & volitione.

121. Objicies 3. Hæ propositiones: *Deus potest intelligere: Deus est actu intelligens:* sunt diversæ; sed illa dicitur de Deo ratione potentiæ intelligendi, & hæc ratione actualis intellectionis; ergo in Deo saltem quoad nos datur distincta ratio potentiæ à ratione actûs. Respondeo ad minorem ita dici de Deo, non supposità propriâ potentiâ intelligendi propriè distinctâ ab actu, sed impropriâ, & solùm distinctâ secundùm majorem expressionem conceptûs, quod sufficit, ut propositiones illæ sint diversæ.

122. Objicies 4. In Deo datur potentia propria realis productiva verbi notionalis; ergo etiam dabitur potentia propria virtualis productiva verbi essentialis. Respondeo negando consequentiam; diversa

diversa ratio est primò, quæ hæc, utpotè quæ etiam esset passiva, & receptiva, inducit imperfectionem: non ita verò illa, utpotè quæ solùm est activa. Secundò, quia illa cùm sit absoluta, ut patet ex supra dictis, non includit formaliter Verbum notionale, nempè Filiationem, neque ab illa includitur, utpotè relativa: at verò hæc, cùm sit absoluta, nempè Intellectus, includit saltem formaliter confusè Verbum essentiale, nempè Intellectionem, quæ etiam est absoluta, & ejusdem generis cum Intellectu, sicque hic respectu illius non potest habere rationem potentiæ propriæ, & rigorosæ.

123. Dico 2. In Deo datur potentia intelligendi, & volendi, saltem impropria, & secundùm majorem expressionem conceptuum distincta ab actuali intellectione & volitione. Ita *P. Soar. cit.* & alii. Probatur, quia Scriptura, & Sancti Patres affirmant dari in Deo Intellectum, & Voluntatem; siquidem pluribus in locis utuntur nomine Intellectûs, mentis, & voluntatis: dicunt, Sapientiam esse ex Intellectu: Verbum procedere ex memoria fœcunda Patris, id est, ex Intellectu: & in Christo Domino esse duas Voluntates, & duos Intellectus, sed hæc non sunt intelligenda de Intellectu & Voluntate tanquam de potentiis propriis, ut diximus; ergo tanquam de impropriis, & secundùm majorem, aut minorem expressionem.

124. Oppones 1. De ratione potentiæ vitalis est, quod sit principium actûs vitalis, ab illoque distinguatur; sed intellectus & voluntas in Deo sunt potentiæ vitales; ergo sunt principia suorum actuum vitalium, ab illisque distinguuntur. Respondeo in Deo Intellectum, & Voluntatem esse quidem potentias vitales, & principia suorum actuum essentialium secundùm majorem expressionem conceptuum, secundùm quam ab illis distinguuntur, quæ distinctio, licet imperfecta, satis est ad rationem principii.

125. Oppones 2. Si intellectus & voluntas non essent distincti in ratione potentiæ à suis actibus, sequeretur eorum actus habere rationem Attributorum, sicut illam habent ipse Intellectus, & Voluntas; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam (licet dari possit) ad hoc enim ut Intellectio, & Volitio essent Attributa, debebant sumi per modum habitûs, & non per modum actûs, ut sumuntur; & non ita per modum actûs, sed habitûs, sive potentiæ sumuntur Intellectus, & Voluntas, ideòque ut Attributa.

126. Oppones 3. Ideò Intellectus, & Voluntas non concipiuntur ut potentiæ propriæ respectu suorum actuum, quia tam ipsæ potentiæ in se, quàm respectu Dei conciperentur cum aliqua imperfectione; sed cum eâdem concipiuntur, si per solam majorem expressionem concipiantur ut potentiæ; ergo &c. Respondeo negando minorem; diversa ratio est, quia prout sic non concipiuntur cum carentiâ actûs, & in potentialitate positivâ ad illum, sed ab illo tantùm præscindunt per majorem expressionem, quod non est imperfectio; siquidem expressio intellectûs non postulat exprimere intellectionem actualem: at verò si conciperetur sub ratione potentiæ propriè, conciperetur cum carentiâ actûs, & in potentiâ receptivâ positivè ad illum, quod est imperfectio, ut diximus.

127. Oppones 4. Si Intellectus Divinus sub ratione potentiæ distingueretur aliquo modo ab Intellectione actuali, sequeretur, cùm hæc sit essentialis, & communis omnibus tribus Personis, dari imaginem, & Filium essentialem communem omnibus Personis; consequenterque duos Filios, alterum realiter productum, ut terminum notionalem potentiæ generativæ; & alterum productum virtualiter, ut terminum essentialem potentiæ intellectivæ; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam; diversa ratio est, quia ad rationem Filii, & imaginis non sufficit, quod ab alio producatur, sed requiritur, quod ab illo, à quo producitur, distinguatur realiter, & à parte rei; sic enim Verbum Divinum dicitur imago, & Filius Patris, & non ita Essentiæ, licet ab illa ut à suo principio formali procedat, ut diximus, quia à Patre, & non ab Essentia realiter distinguitur: at verò cùm Intellectio non ita realiter, imò neque virtualiter perfectè ad Intellectu distinguatur, non potest dici imago, neque Filius essentialis defectu distinctionis, ut diximus de Verbo Divino respectu Essentiæ.

Difficultas 2. Utrùm Intellectus, & Voluntas Divina sint principium immediatum formale *quo* processionum divinarum sub ratione actûs, & non potentiæ? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 1. de Trinit. cap. 8. n. 2. & lib. 6. cap. 1. num. 3.* & apud illum *D. Thom. 1. p. q. 34. a. 1. Henricus quodlib. 6. quæst. 1.* tenent etiam *P. Mol. 1. p. q. 27. a. 3. d. 4. & a. 5. d. 2. P. Ruiz d. 59. P. Arriaga 1. p. d. 44. sect. 3. & d. 45. sect. 4. P. Zuniga q. 27. d. 2. dub. 5. & 6. P. Amicus d. 18. sect. 6. n. 91.* & alii, qui nobiscum sentiunt, generationem non esse formaliter Intellectionem, & Spirationem non esse formaliter volitionem, sive dilectionem. 128.

Probatur primò ex Sanctis Patribus, quatenùs communiter docent, Verbum Divinum non solùm esse per intellectum, sed etiam per intellectionem, loquunturque de processione reali; atqui non est per Intellectum tanquam per processionem realem; siquidem processio realis est sola notionalis; Intellectio autem est essentialis; ergo non procedit per Intellectionem tanquam per processionem, sed tanquam per principium immediatum, & proximum ipsius processionis; consequenterque processio Verbi (idemque cum proportione de Spiritu Sancto) est ab Intellectu sub ratione actûs ut à principio. 129.

Probatur secundò, quia illud est principium proximum, & immediatum processionis, à quo proximè est actio, sive ipsa processio; sed Intellectio essentialis est illud, à quo proximè est ipsa processio Verbi (idem dicendum de Volitione respectu Spiritûs Sancti;) ergo &c. Probatur minor primò, quia processio Verbi, cùm non sit ex necessitate intelligendi, sed ex fœcunditate intelligentis, supponit per se, non solùm Intellectum, sed etiam intellectionem; sicque procedit proximè à Patre, non ut intellectivo tantùm, sed ut formaliter intelligente. Secundò, quia actus notionalis procedit à suo principio ut constituto in ultimâ sui perfectione absolutâ; sed ultima perfectio actualis est ipsa actualis intellectio, sive conceptus essentialis; ergo &c. 130.

Probatur tertiò, quia principium proximum est illud, in quo terminus ex intentione agentis ei proximè assimilatur; sed Verbum Divinum sic proximè, & immediatè assimilatur Patri in cognitione; & Spiritus Sanctus spiratori in amore; siquidem quod per se primò communicatur Verbo est cognitio, sive repræsentatio, & Spiritui Sancto Amor; ergo &c. 131.

Oppositum tenent *Magist. in 1. dist. 26. Richard. in 1. dist. 27. a. 1. Hispal. dist. 3. a. 3. Capreol. dist. 9. q. 1. Cajet. 1. part. q. 27. a. 5. Torres. q. 27. a. 5. d.* 132.

unica. 3. p. P. Valent. 1. p. q. 1. punct. 3. P. Vasq. d. 112. cap. 3. P. Tanner. d. 4. q. 2. dub. 4. n. 3. P. Arrub. d. 97. cap. 3. n. 8. P. Becan. 1. p. cap. 1. q. 2. P. Granad. tr. 1. d. 3. sect. 3. num. 12. Zumel. q. 41. a. 1. q. 1. P. Compton. tom. 1. d. 50. sect. 4. n. 8. & omnes alii, qui videntur sentire, generationem formaliter esse ipsam Intellectionem; & Spirationem formaliter esse ipsam volitionem, contra quos omnes jam supra *d. 2. an. 54.* Pro quibus:

133. Argues 1. D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 7. & 10.* dicit Verbum Divinum procedere ex memoria fœcunda Patris; memoria autem solùm dicit intellectum constitutum in actu primo: Sic etiam dicit Scriptura procedere ex ore Altissimi, ex utero ante Luciferum, & ex corde, sive sinu Patris; ergo &c. Respondeo D. Aug. & Scripturam ita loqui per similitudinem ad ens creatum, ex quo sumitur exemplum ad ens Divinum: in exemplis autem non requiritur æqualitas in omnibus: aut si de Deo loquuntur, in Deo non dari propriam memoriam (idemque dicendum ad loca Scripturæ,) eo tamen modo, quo dantur, non per modum potentiæ, sed actûs esse principium Verbi Divini.

134. Argues 2. In creatis principium *quo* productionis Verbi est intellectus per modum potentiæ (idemque de Voluntate respectu amoris;) ergo etiam sic erit in divinis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia verbum, & amor in creatis producuntur ex indigentia intelligendi, & amandi, sicque ab intellectu & voluntate nondum intelligente, & amante, sed ut intelligat, & amet producuntur, ac proinde ab illis sub ratione potentiæ procedunt: at verò in Divinis Verbum Notionale à Patre jam intelligente, & Amor à Patre, & à Filio jam amantibus producuntur, sicque ex solâ fœcunditate, ac proindè ab Intellectu, & Voluntate sub ratione actûs, sub qua sunt principia ultimò perfecta. Dixi *Verbum Notionale*, quia Verbum, & Amor essentialis ab Intellectu, & Voluntate procedunt sub expressione potentiæ.

135. Argues 3. Processio Verbi (idemque de processione Spiritûs Sancti) est actus secundus; sed actus secundus debet potiùs procedere à Deo sub ratione actûs primi, qualis est Intellectus sub ratione potentiæ, quàm à Deo sub ratione actûs secundi, qualis est Intellectio; ergo &c. Respondeo minorem esse veram, benè tamen posse unum actum secundum esse primum respectu alterius secundi, & esse secundum respectu alterius primi; sicque Intellectionem Divinam esse actum secundum respectu Intellectûs Divini sub ratione potentiæ, & esse actum primum respectu processionis Verbi, cujus est principium formale *quo*. Patet in intellectione creata, quæ est actus secundus respectu Intellectûs, & est actus primus respectu speciei memorativæ, & habitûs naturalis ab illa producti.

136. Argues 4. Si Intellectio, & non Intellectus Divinus, esset principium formale *quo* processionis Verbi, (idemque de processione Spiritûs Sancti,) sequeretur, hanc non esse vitalem; siquidem Intellectio primariò, & essentialiter ordinatur ad reddendum Intellectum intelligentem, secundariò autem ad processionem vitalem producendam; sequela autem non est admittenda, utpote contra id, quod supra diximus; ergo &c. Respondeo negando sequelam; neque enim opus est, quod principium productionis vitalis, ut talis sit, ad illam primariò ordinetur. Patet in intellectione creata, quæ est principium productionis vitalis speciei impressæ, & habitûs naturalis, ut est probabilis opinio; & tamen ad illam primariò non ordinatur. Accedit, quod Intellectio Divina, licet non primariò, essentialiter tamen ordinatur ad productionem Verbi, quod sufficit, ut sit vitalis.

137. Argues 5. Si Intellectio esset principium formale *quo* productionis Verbi, deberet inter illam, & ipsum Verbum mediare productio actualis formalis, cùm hæc sit via inter principium, & terminum; sed non ita mediat, mediat autem inter Intellectum, & Verbum, & talis est ipsa Intellectio; ergo principium processionis Verbi est ipse Intellectus sub ratione potentiæ, & non sub ratione actûs, sive actualis intellectionis. Respondeo negando minorem: nam inter intellectionem actualem, & Verbum mediat productio notionalis, quæ per se primò est origo, & potest aliquo modo dici intellectio notionalis in via, sive in fieri, ut supra diximus asserentes, Intellectionem non esse formalem productionem Verbi etiam inadæquatam.

SECTIO VII.

Quinam actus Intellectûs, & Voluntatis sint principia formalia Processionum Divinarum?

SCOTUS *in 1. dist. 2. q. 7. §. Objicies contra*, & cum eo Scotistæ duplicem actum distinguunt in Intellectu, seu memoria Patris, alterum essentialem, & alterum notionalem, quorum neuter est ab alio, uterque tamen est immediatè ab Intellectu: primus est communis omnibus Personis, quia omnes per illum redduntur æquè, & infinitè intelligentes. Secundus est proprius solius Patris, per quem Pater formaliter dicit, seu producit Verbum: Primus respicit objectum cognitum: Secundus objectum productum: per primum perficitur Pater in se; per secundum ordinatur ad Filium. Similiter eâdem ratione loco cit. & expressè *quodlib. 14. §. Hic intelligendum est*, duplicem actum agnoscit in Voluntate Patris, & Filii, quorum neuter est ab alio, uterque tamen est immediatè à Voluntate concomitanter se habentes: Primus essentialis, & communis omnibus Personis, per quem æquè infinitè sunt amantes, & respicit objectum ut amatum: Secundus notionalis, & proprius Patris, & Filii in ratione unius Spiratoris, respicitque objectum productum. Ita *Scot. cit. Alexand. 1. p. q. 42. membr. 2. Gabr. in 1. dist. 7. q. 2.*

138. Hæc sententia Scoti quatenùs illos duos actus disparatos ponit sine ordine unius ad alium communiter rejicitur: Primò, quia contraria Conciliis, & Sanctis Patribus, dicentibus Verbum Divinum procedere per Intellectionem, & Sapientiam Patris. Secundò, quia sine fundamento admittunt in Deo tales actus: tum quia neque in nobis dantur: tum quia non sunt necessarii ad explicandum hoc mysterium; siquidem ipsa Intellectio essentialis cum Paternitate, licet non secundùm se solam potest esse principium Filii, ut infra dicemus. Tertiò, quia si ille actus, per quem Pater producit Verbum non procedit ab intellectu secundùm vim intelligendi, sed secundùm vim producendi, jam intellectus per accidens se habebit & materialiter tantùm ad productionem Verbi; ut se

se habet rationale ad sensitivum, quod formaliter procedit ab animali; sed hoc est falsum; jam enim Verbum ex vi suæ formalis processionis non diceretur Sapientia genita, Verbum, & imago Patris: imò æquè formaliter procederet per Voluntatem, ac per Intellectum, cùm tam Intellectus, quàm Voluntas sint principia formaliter productiva; ergo &c. Quartò, quia in Deo non potest multiplicari duplex Intellectus, quorum unus sit essentialis, alius notionalis; alioqui deberent etiam sic multiplicari in Deo duplex Justitia, Misericordia, Bonitas, &c. ergo neque duplex actus Intellectûs, sive duplex intelligere. 137.

140. Aliâ incedit viâ *Henricus quodlib. 6. quæst. 1. & in sum. a. 59. q. 9. & 10.* quatenùs in Deo duplicem etiam Intellectionem distinguit alteram remissam per modum simplicis notitiæ, essentialem tamen, & communem toti Trinitati, per quam Pater non producit, sed tantùm passivè cognoscit; alteram intensiorem per modum actûs perfecti, per quam Pater Verbum producit, & hanc dicit notionalem. Similiter in Voluntate duplicem dilectionem agnoscit, alteram per modum simplicis affectûs, & hanc dicit essentialem, per quam Pater, & Filius nihil producunt: alteram per modum actûs ferventioris, & hanc dicit notionalem, per quam Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum.

141. Rejicitur etiam primò, quia in Deo non datur duplex Essentia, Omnipotentia, Intellectus, aut Voluntas altera essentialis, & altera notionalis; ergo neque duplex Intellectio, & Volitio altera essentialis, & minùs perfecta, & altera notionalis, & perfecta; licet enim actus Intellectûs, & Voluntatis Divinæ communiter à Theologis distinguantur per objecta diversa, nunquam tamen ex modo cognoscendi perfectè, & imperfectè; notionaliter, & essentialiter. Secundò, quia aut illa secunda cognitio, sive Intellectio cognoscit, quod prima; aut non: Si primum; ergo superflua est illa secunda: Si secundum; ergo Personæ Divinæ non æquè perfectè intelligunt omnia; siquidem illa secunda intellectio perfecta, cùm sit notionalis, & solius Patris, solùm Patrem reddet perfectè intelligentem. Tertiò, quia sequeretur, Patrem ex necessitate, & indigentia intelligendi producere Verbum, quod est falsum.

142. Dices 1. In nobis datur hic duplex actus; siquidem intellectus per simplicem apprehensionem constituitur potens producere actum perfectum, qui dicitur verbum, (idemque de voluntate;) ergo eodem modo dabitur in Deo. Respondeo primò negando antecedens; neque enim in nobis datur aliqua intellectio, quæ non sit productio verbi, sive conceptûs. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam: licet enim in nobis solus terminus perfectæ intellectionis sit verbum; non ideò admittenda est in Deo duplex illa intellectio, altera perfecta, & altera imperfecta; falsò enim supponitur dari in Deo aliquam intellectionem imperfectam, aut minùs perfectam; siquidem tam perfectè, ac intensè cognoscit Filius, ac Pater. 139.

143. Dices 2. D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 7.* dicit Verbum procedere ex memoria fœcunda Patris; sed fœcundatur per illam simplicem notitiam ad perfectum Verbum; ergo &c. Respondeo negando minorem; neque enim memoria Patris fœcundatur per aliquam simplicem, & imperfectam notitiam, quæ in Deo non datur, sed potiùs fœcundatur per notitiam perfectissimam, & comprehensivam.

Dices 3. Theologi communiter distinguunt Intellectionem Divinam in essentialem, & notionalem; ergo utramque in Deo admittunt. Respondeo Theologos per intellectionem notionalem intelligere essentialem ut conjunctam cum relatione personali, ut statim dicemus. His rejectis sententiis. 144.

Dico 1. Principium formale *quo* Processionum Divinarum proximum, & immediatum est ipsa intellectio, vel volitio essentialis communis omnibus Personis, affecta tamen particulari relatione Personæ producentis, ut conditione. Ita *P. de Arriaga 1. p. d. 44. sect. 3. n. 32.* ubi dicit esse communem. Probatur, quia Processiones Divinæ sunt immediatè per Intellectionem, & Volitionem, ut diximus; sed non datur alia Intellectio, neque Volitio, nisi essentialis, & communis omnibus Personis; ergo per hanc procedunt; non absolutè sumptam; alioqui cùm sit omnibus Personis communis, omnes producerent; ergo affectam certâ relatione Personæ producentis. Undè: 145.

Notabis primò, Intellectionem (idemque de Volitione,) non esse principium formale *quo* Verbi Divini quatenùs essentialis est reduplicativè; sic enim est communis omnibus Personis, & si esset principium ut est communis, in omnibus produceret, quod est falsum: esse tamen principium specificativè sumptam, & secundùm se; sic enim est una tantùm: aut si reduplicativè, quatenùs notionalis, prout conjuncta cum relatione personali, nempè Paternitate. 146.

Notabis secundò, talem reduplicationem non fieri supra Paternitatem ut supra rationem formalem procedendi ut *quo*, sed ut supra conditionem ad producendum: sicut quando dicitur, causam no operari, nisi quatenùs approximatam, non reduplicatur supra approximationem, ut supra rationem formalem, sed ut supra conditionem ad operandum. Si verò supra Paternitatem reduplicetur, sicut quando dicitur *album ut album* reduplicatur supra albedinem; tunc non sumitur Paternitas, ut principium formale *quo*, sed ut productio formalis activa. Undè hæ: *Intellectio quatenùs notionalis est principium* quo: *est productio formalis*: differunt in eo, quod prima reduplicatur supra Paternitatem ut conditionem; secunda verò supra Paternitatem ut productionem formalem. 147.

Dico 2. Dictio formalissimè nihil aliud est, quàm ipsa formalis productio, sive origo activa Verbi, quæ cum Paternitate coincidit, prout est fieri, seu via juxta superiùs dicta. Probatur primò, quia vox *dictio*, sive dicere, productionem, sive actionem sonat. Secundò, quia Verbum Divinum assimilatur nostro verbo externo, sive locutioni; siquidem per illud Deus, sicut & nos per nostrum, quodam modo dicit, aliisque, & non sibi loquitur; sed nostra dictio, & locutio in productione externi verbi formaliter consistit; ergo etiam dictio & locutio divina in productione, sive origine activa Verbi Divini, qualis est Paternitas, formaliter consistet. 148.

Oppones 1. In nobis jam distinguuntur intellectio, & dictio mentalis; est enim eadem actio productiva conceptûs; ergo neque sic distinguentur in Deo. Respondeo negando antecedens: Intellectio enim formaliter consistit in conceptu, ut alibi diximus in Logica, & actio productiva illius est dictio, sicque intellectio distinguitur à dictione ut realitas à suo modo, ex quo confirmatur doctrina infra tradenda. 149.

150. Oppones 2. Dictio debet pertinere ad Intellectum, & esse aliquid illius; sed id non videtur competere Paternitati, quæ est origo activa Verbi; ergo dictio non coincidit cum Paternitate. Respondeo negando minorem; Paternitas enim oritur ab Essentia ut intellectiva est juxta superiùs dicta, sicque proportionata est ut sit productio Verbi procedentis per Intellectum; consequenterque ut sit formaliter dictio.

151. Ex dictis colliges primò, dictionem in Deo distingui ab Intellectione, ut quid relativum ab absoluto: & idem dicendum de volitione. Qualis autem sit hæc distinctio? Diximus jam alibi in Metaphysica *tract. 1. d. 3. à n. 829.* Secundò, dictionem distingui à subsistentia, & relatione secundùm majorem, aut minorem expressionem. Tertiò, principium formale *quo* Verbi Divini non esse dictionem, sed Intellectionem; & principium formale *quo* Spiritus Sancti non esse spirationem, sed esse volitionem juxta superiùs dicta.

SECTIO VIII.

Vtrùm potentia notionalis, sive productiva ad intra *contineatur sub Omnipotentia?*

152. ADvertes primò, quæstionem non procedere in sententia asserente, relationem esse principium formale *quo* aut adæquatum, aut inadæquatum respectu Divinarum Personarum. Primò, quia cùm Omnipotentia sit quid absolutum, non potest sub se continere quid relativum, ut per se patet. Secundò, quia jam Personæ Divinæ non forent æquè Omnipotentes; siquidem una non haberet potentiam, quæ formaliter est in altera, nam cùm potentia productiva Filii in divinis non sit minùs perfectio simpliciter, quàm potentia productiva creaturarum, jam Personæ Filii, & Spiritus Sancti, quæ Filium nequeunt producere, carerent aliqua perfectione simpliciter.

153. Advertes secundò, Omnipotentiam non dici per ordinem ad terminum non involventem contradictionem, sive non esse ad quidquid non implicat respectu alicujus agentis determinati, sed in ordine ad terminum secundùm se, & absolutè non involventem contradictionem; alioqui quodvis agens diceretur omnipotens; siquidem quodlibet potest producere quidquid respectu illius non implicat: & Filius in divinis, licet careret potentiâ generandi, adhuc foret Omnipotens, quia adhuc haberet simpliciter potentiam ad omne, quod respectu illius non haberet contradictionem, quam tamen haberet potentia generandi.

154. Dicent cum *Ægid. in 1. dist. 20. & Argentina*, contradictionem non esse attendendam in ordine ad agens, sed in ordine ad id, quod agitur, sive ex parte objecti, quando actus transit in exteriorem materiam; tunc enim sequitur, quodvis agens esse omnipotens: è contra verò, quando actus est *ad intra*, tunc contradictio debet attendi penès agens, ideoque licet Filius non habeat potentiam generandi, adhuc dicetur Omnipotens, quia generare respectu illius habet contradictionem. Sed contra, quia hujusmodi distinctio est sine fundamento; & ex illa sequitur, nostrum intellectum posse dici Omnipotentem, saltem in ratione potentiæ spiritualis *ad intra*; siquidem potest producere quidquid illi non repugnat, licet non ita possit producere actus voluntatis, qui ei repugnant producendi.

Advertes tertiò, nomen *Omnipotentia*, cùm involvat signum illud universale *omni*, quod est distributivum, aut posse distribuere potentiam, & sic idem valet Omnipotentia, atque *omnis potentia*; aut posse distribuere objectum potentiæ, id est, possibile, & sic idem valet Omnipotentia, atque potentia productiva omnium possibilium. Attamen licet aliqui pro primo, alii pro secundo sensu pugnent, existimo utrumque coincidere; id enim est esse potentiam ad omne producibile, atque continere omnem potentiam productivam, non quidem formaliter, sed eminenter; sicque quando dicimus Omnipotentiam, non dicimus omnem potentiam formaliter, sed eminenter. 155

Advertes quartò, Omnipotentiam aut posse sumi absolutè secundùm propriam rationem Omnipotentiæ: aut determinatè pro certa ratione potentiæ ad libitum assumentis, & considerantis: si hoc secundo modo, certum est posse excludere potentiam *ad intra*, cùm id dependeat à libertate assumentis: quæstio autem procedit de Omnipotentia in prima acceptione, id est absolutè sumptâ, & ex vi nominis. 156

Advertes quintò ex Argentina *in 1. dist. 7. q. unica art. 2.* aliud esse *potentiam*, & aliud *posse*, si rigorosè loquendum sit; potentia enim solùm dicit principium productivum: posse autem non dicit nudum principium, sive potentiam, sed hanc expeditam, sive cum omnibus requisitis ad prodeundum in actum; sicque rigorosè loquendo benè potest stare potentia absque posse. Dixi *rigorosè loquendo*, quia Authores sæpè his terminis indiscriminatim utuntur. His positis. 157

Prima sententia affirmat potentiam notionalem, sive principium formale *quo* divinarum processionum contineri sub Omnipotentia. *Ita D. Athan. D. Cyril. D. Hilar. D. Aug. D. Thom. 1. p. q. 41. art. 5. ad 3. Magist. Argentina in 1. dist. 20. q. unica art. 1. conclus. 1. Marsil. Herveus Caut.* & alii, quos citat, & sequitur *P. Ruiz. d. 101. de Trinit. sect. 4. n. 9.* Probatur primò ex Sanctis Patribus D. Aug. *lib. 3. contr. Maximin. cap. 7.* ibi: *An fortè dare non potuit?* (loquitur de Patre erga Filium,) *Ubi est potentia Dei Patris.* Et cap. 15. *Deus ergo cur non æqualem genuit Filium, cui nec Omnipotentia defuit.* Et D. Cyril. Alex. *lib. 2. Thesaur. cap. 1. Quia igitur*, inquit, *omnia Pater potest, consubstantialis sibi ex Deo nascitur Filius.* Et D. Fulgent. *ad 5. objection. Arianor. Genitori*, ait, (*quod nefas est,*) *potentia naturalis admitur, si Filio paternæ substantiæ æqualitas denegatur.* Et D. Hilar. loquens ad Patrem: *Impossibile*, inquit, *tibi nihil est, & genitum à te Filium Omnipotentiæ tuæ virtute non ambigo*; ergo si Patres ex eo, quod Pater non posset generare, arguebant contra hæreticos non esse Omnipotentem, benè sequitur, potentiam generativam venire nomine Omnipotentiæ, sub illaque contineri. 158

Probatur 2. rationibus: Prima, quia Omnipotentia idem valet, atque *omnis potentia*, aut potentia productiva totius possibilis, qui duo dicendi modi coincidunt, ut diximus *n. 155.* ergo Omnipotentia continet in se omnem veram, & realem potentiam; sed potentia productiva est vera, & realis potentia; ergo sub Omnipotentia continetur. Secunda, quia Omnipotentia continet in se formaliter potentiam, quæ sit perfectio simpliciter; sed talis est potentia *ad intra* magis, quàm potentia *ad extra*;

ad extra; siquidem hæc terminatur ad finitum, creatum, & dependens; illa autem, tam ex parte principii radicalis, quàm ex parte termini producti semper est Increata, & Infinita; ergo &c. Tertia, quia signum universale distributivum non excludit præstantius inferius illius universalis, quod distribuit; sic enim sub hoc universali distributivo *omne animal* includitur homo; & sub hoc *omne ens* intelligitur Deus; ergo sub hoc distributivo *Omnipotentia*, sive omnis potentia intelligetur potentia proudctiva *ad intra* utpotè præstantissima.

160. Advertes hîc, quando supra diximus, Omnipotentiam posse distribui ratione objecti, ita ut idem sit Omnipotentia, atque potentia productiva totius possibilis, hoc possibile non esse sumendum, prout opponitur necessario, & recurrit cum contingenti, sed prout opponitur impossibili; imò neque ut sic simpliciter; alioqui cùm etiam Pater sit possibilis, prout possibile opponitur possibili, foret terminus Omnipotentiæ, quod non conceditur, cùm Pater sit improductus, & ingenitus: est igitur objectum Omnipotentiæ omne producibile, sive aliundè liberè, sive necessariò producatur.

161. Objicies 1. ex D. Amb. *lib. 4 de Fide ad Græcian. cap. 4.* ubi videtur negare, Patrem esse Omnipotentem ex eo, quod producat Filium. Et D. Fulgent. *de Fide ad Petrum cap. 3.* ibi: *Dei Omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam visibilem, & invisibilem de nihilo fecit.* Ubi explicant Omnipotentiam ex creaturis, & operibus *ad extra*, non autem ex productionibus *ad intra*; ergo *ad intra* non est Omnipotentia. Respondeo D. Amb. solùm velle, illud notionale, quod constituit Patrem, non esse potentiam, nec partem Omnipotentiæ, licet aliundè sit conditio ad generandum, ut supra diximus. Ad D. Fulgent. dicimus, affirmare Omnipotentiam esse in ordine ad creaturas, non esse negare illam etiam esse in ordine ad Verbum, & Spiritum Sanctum; qui enim unum affirmat, alterum non negat. Verum quidem est, nos cognoscere Omnipotentiam Divinam per opera *ad extra*, quæ nobis sunt nota; hoc tamen non tollit, quominùs illa etiam terminetur ad Verbum, sive ad opera *ad intra*; sic enim licet Sapientia Dei à nobis cognoscatur per gubernationem Universi, id non tollit, quominùs illa terminetur ad Essentiam Divinam.

162. Objicies 2. Potentia notionalis, sive principium formale *quo* est Intellectus, & Voluntas Divina, prout supra diximus; sed Intellectus, & Voluntas sunt Attributa distincta ab Omnipotentia; sunt enim perfectiones totales continentes perfectionem totalem in suo diverso genere, has autem diversas perfectiones dicimus esse diversa Attributa; ergo licet potentia notionalis sit idem cum Omnipotentia, prout omnia in Deo sunt una simplicissima entitas, & perfectio, sub nomine tamen Omnipotentiæ solùm veniet potentia *ad extra*, & non *ad intra*. Respondeo Intellectum, & Voluntatem aut posse sumi ut actus intelligendi, & amandi, ibi sistendo, & prout sic constituunt diversum Attributum, non solùm ab Omnipotentia, sed etiam inter se, cùm prout sic dicant diversam perfectionem: aut posse sumi quatenùs sunt potentiæ productivæ, & prout sic non dicunt talem perfectionem simpliciter diversam ab Omni potentia, quæ si continet omnes potentias creatas, à fortiori etiam Increatam.

163. Objicies 3. Omnipotentia ex communi acceptione dicit perfectionem communem omnibus tribus Personis, quæ de omnibus possit in concreto affirmari cum æquali proprietate, & sic dicitur in Symbolo D. Athan. *Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus*; sed non æquè Omnipotens diceretur Filius, atque Pater, neque Spiritus Sanctus diceretur æquè Omnipotens, atque Pater, & Filius, si Omnipotentia includeret potentiam notionalem; siquidem Pater potest producere Filium; & Filius cum Patre potest producere Spiritum Sanctum, & tamen neque Spiritus Sanctus, neque Filius possunt se ipsos producere; ergo &c.

164. Respondeo primò, quæstionem non procedere de Omnipotentia secundùm liberam acceptionem assumentis prout diximus *num. 156.* Respondeo secundò, minorem esse veram, si terminus *Omnipotens* sumatur ut participium verbi *posse*, & in illius propriâ significatione pro completo, & expedito principio ad operandum: non ita tamen, si sumatur ut concretum ex potentia secundùm propriam rationem potentiæ; nam quod Filius in Divinis (idemque cum proportione de Spiritu Sancto,) non sit potens producere Filium, non provenit ex defectu potentiæ, sed ex perfectione actûs producti, qui cùm sit infinitus adæquavit, & quodammodò exhaurivit potentiam; sicque eadem potentia est in Filio, atque in Patre, non tamen idem posse, quod veluti conflatur ex ipsa potentia, & aliquibus conditionibus necessariò requisitis ad operandum.

165. Objicies 4. Potentia *ad intra*, & potentia *ad extra* sunt veluti species diversæ; cùm illa sit necessaria, hæc autem sit libera, siquidem creaturæ non nisi præsuppositâ liberâ electione producûtur; ergo illa non comprehenditur sub Omnipotentia. Respondeo negando consequentiam; nam cùm illa diversitas sit ratione terminorum, aut etiam principii immediati, quatenùs scilicet potentia, sive posse involvit non solùm potentiam, sed etiam conditiones necessarias ad operandum, non tollit quominùs utraque potentia contineatur sub potentia infinita, sive Omnipotentia, veluti sub genere, ut de facto dicitur de Scientia Divina possibilium, & existentium.

166. Advertes hîc *P. Ruiz cit.* plura adducere argumenta, quæ tamen facilè solvuntur, si advertas, potentiam notionalem, sive *ad intra* solùm dicere formaliter quid absolutum, prout supra diximus, & hîc dicimus commune omnibus tribus Personis; licet posse producere *ad intra*, quod jam dicit potentiam expeditam ad operandum, dicat aliquid amplius, quod sit conditio, & non commune omnibus Personis, neque ut sic sub Omnipotentia contineatur.

167. Instabis: Habere potentiam expeditam, id est, cum omnibus requisitis ad operandum, aut sine illis, multum facit, ut quis dicatur habere potestatem perfectiùs, aut imperfectiùs; ergo jam Personæ Divinæ non erunt æquales in Omnipotentia. Respondeo concedendo antecedens, quando requisitum, sive conditio ad operandum fuerit intrinseca, & pertinens ad absolutam perfectionem causæ, sive principii: non tamen quando fuerit extrinseca ipsi rationi formali principiandi, ut in præsenti contingit juxta superiùs dicta.

168. Objicies 5. ex D. Thom. *q. 2. de potent. art. 5.* Omnipotentia est ad id, quod est aliquid; ergo non est ad relationem *ad intra*. Probatur consequentia, quia relatio, sicut & alia entia, habet duplex esse, alterum in subjecto, & alterum suæ quidditatis; sed licet secundùm primum sit aliquid, secun-

secundùm tamen aliud non est aliquid, sed ad aliquid; ergo non potest terminare Omnipotentiam; nam licet relationes creatæ secundùm esse *in* habeant aliud esse ab esse subjecti, à quo possunt dici aliquid, tamen relationes Divinæ secundùm tale esse sunt ipsa Essentia Divina, quæ non est terminus Omnipotentiæ; ergo cùm secundùm propriam rationem non sint aliquid, non est ad quid Omnipotentia terminetur; consequenterque non habet terminum *ad intra*.

169. Respondeo primò, hoc argumentum, si aliquid probat, non solùm impugnare Omnipotentiam, sed simpliciter impugnare potentiam realem *ad intra*, quam supra diximus dari in Deo; siquidem potentia realis æquè, atque Omnipotentia requirit aliquid pro termino. Secundò, falsum esse, quod relatio secundùm propriam quidditatem non sit aliquid; siquidem *ens*, & *aliquid* sunt prædicata transcendentia, quæ reciprocantur cum entitate reali, qualis est relatio; alioqui dicant quid sit.

170. Objicies 6. ex Durand. *in 1. dist. 2 q. 1.* Deus non dicitur Omnipotens à potentia passiva, sed ab activa; atqui potentia activa ex Philosopho *lib. 5. Met. cap. 12.* est principium transmutandi aliud in quantùm aliud; ergo cùm in Divinis non admittatur aliud, & aliud, neque etiam potentia activa *ad intra*; consequenterque hæc non continetur sub Omnipotentia. Respondeo Patrem dici Omnipotentem à potentia, prout præscindit ab activa, & productiva; sicque licet ad illam activam requiratur aliud, & aliud, non ita tamen ad hanc productivam.

171. Objicies 7. ex *P. Vasq.* infra cit. Deus eodem modo dicitur pro nunc Omnipotens, atque dicebatur ante revelationem hujus mysterii; sed antea non dicebatur Omnipotens per ordinem ad Personas, de quibus nulla erat notitia; ergo neque pro nunc ita dicetur. Respondeo negando minorem: dicebatur enim Deus Omnipotens ante revelationem Trinitatis, quia considerabatur in Deo potentia ad omne producibile, ut de facto datur; quod autem tunc non cognosceretur mysterium Trinitatis, neque potentia productiva *ad intra*, per accidens est; alioqui dicant, Omnipotentiam non esse ad ens supernaturale in essentia, quod antea non cognoscebatur; cùm tamen Deus jam tunc diceretur Omnipotens.

172. Secunda sententia negat, principium formale *quo*, sive potentiam notionalem contineri sub Omnipotentia. Ita *Scot. in 1. dist. 20. q. unica, Gabr. in 1. dist. 20. q. 1. Greg. q. 1. a. 2. Major in 1. dist. 42. q. 1. propos. 4. Ocham. Durand. P. Valent. 1. p. q. 16. punct. 2. P. Soar. lib. 4. cap. 10. n. 3. P. Vasq. 1. p. d. 165. cap. 2. P. Amicus d. 33. sect. 1. num. 50.* & alii. Probatur primò, quia quælibet Persona Divina est Omnipotens, ut constat de Fide ex Symbol. D. Athan. *Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus*; idque ab eadem numero Omnipotentia; siquidem *non tres Omnipotentes, sed unus Omnipotens*; atqui non quælibet Persona est potens producere *ad intra*; ergo &c.

173. Dicent primò, quamlibet Personam Divinam habere eandem potentiam *ad intra*; quia hæc consistit in absoluto, ut patet ex supra dictis; non tamen producere defectu conditionis, quæ consistit in relativo. Sed contra primò, quia de Fide est, Personas esse æquè Omnipotentes; non tamen est de Fide, potentiam productivam *ad intra* cõsistere in solo absoluto, & non in relativo, saltem partialiter. Secundò, quia parùm interest, quod defectu conditionis relativæ non omnes Personæ producant, si absolutè non est in earum potestate producere; simpliciter enim negatur de Filio, quod possit generare, & de Spiritu Sancto, quod possit spirare, de nullo tamen negari potest, quod sit plenè & undequaque Omnipotens.

Dicent secundò, cuilibet Personæ competere 174.
Omnipotentiam simpliciter; siquidem hæc est potentia ad quidquid non implicat: at verò generare respectu Filii, & spirare respectu Spiritus Sancti implicat ex eo, quod Filius supponat adæquatum actum generandi, & Spiritus Sanctus adæquatum actum spirandi, ideoque non tollere quominùs in illis detur perfecta ratio Omnipotentiæ.

Sed contra primò, quia non implicare termi- 175.
num ut est objectum Omnipotentiæ sumitur secundùm se, non autem respectivè ad agens, ut supra diximus; alioqui implicantia idem erit, atque impotentia: at verò Filium generare secundùm se non implicat in Divinis; ergo si generare pertinet ad Omnipotentiam, non erit Omnipotens Persona, quæ non potest generare. Secundò, quia prout sic in singulis Personis ponitur diversa Omnipotentia; siquidem objectum potentiæ unius Personæ non est objectum potentiæ alterius, quod enim respectu unius est possibile, tale non est respectu alterius. Tertiò, quia alioqui quælibet persona creata diceretur omnipotens; siquidem posset quidquid sibi non implicat, licet non possit aliud, quod secundùm se non implicat, sibi tamen implicat.

Probatur secundò, quia Omnipotentia solùm 176.
est productiva *ad extra*, & ad res factibiles; sed generare, & spirare sunt operationes *ad intra*, & ad terminos non factibiles, sed tantùm producibiles; ergo generare, & spirare, sive principium formale *quo* non continetur sub Omnipotentia. Probatur major primò, quia ita usurpatum est nomen *Omnipotentia* à Conciliis, & Sanctis Patribus contra hæreticos, ut ostenderent omnes Personas divinas habere eandem divinitatem, & potentiam, in quo fundatur illud axioma: *Actiones Trinitatis* AD EXTRA *sunt indivisæ*: constatque ex Concil. Later. cap. *Firmiter, de Sum. Trinit.* & cap. *Damnamus.* Concil. Toletan. *6. & 11. in Confess. Fidei.* Concil. Ephesin. *tom. 5. cap. 22.* ibi: *Quælibet Personarum Deus perfectus est, id est, omnibus proprietatibus Deitatis ornata esse noscitur, & creditur.* Ex D. Fulg. *ad Ferrandum, q. 4.* ibi: *Æqualiter regnant* Et de fide ad Petrum cap. 1. *Una aliam non superat potestate.* Et cap. 3. *In eo*, inquit, *intelligitur Omnipotens Deus quod omnem creaturam de nihilo produxit.* Secundo, quia productiones *ad intra* sunt per Intellectum, & Voluntatem, quæ sunt potentiæ diversi ordinis; non ita tamen actiones *ad extra*. Tertiò, quia sicut voluntas subordinatur intellectui, & est diversi ordinis, ita Omnipotentia subordinatur Intellectui ut proponenti, & Voluntati ut applicanti, estque diversæ rationis; ergo &c.

Oppones 1. D. Aug. D. Cyril. D. Fulgent. 177.
D. Athan. & D. Hilar. ubi supra *num. 158.* loquentes enim de Omnipotentia Divina videntur sub illius nomine comprehendere potentiam productivam *ad intra*. Respondeo Sanctos Patres locis citatis sumere Omnipotentiam latè pro virtute infinita ad aliquid producendum: non ita verò strictè pro potentia ad aliud, quod verè sit aliud, & contingens, in quo sensu communiter sumitur Omnipotentia, & sub qua prout sic non continetur potentia productiva *ad intra*.

Oppones 2. Omnipotentia, ut potè quid com- 178.
munc,

mune, & universale (idem enim valet Omnipotentia, atque *omnis potentia*,) continet sub se omnem potentiam veram, & realem; sed talis est potentia productiva *ad intra*; ergo illam sub se continet. Respondeo distinguendo majorem: continet sub se omnem potentiam veram, & realem, quæ sit ad aliud verè aliud, & contingens; concedo majorem: quæ talis non sit; nego majorem: potentia autem productiva *ad intra*, licet sit vera, & realis, non est ad aliud, quod verè sit aliud, & contingens; siquidem Personæ Divinæ propter unitatem Essentiæ non sunt aliud, & aliud, sed alius, & alius; neque sunt contingenter, sed necessariò; illæ autem potentiæ, & non istæ continentur sub omnipotentia communi, & universali.

179. Instabis: Sub hoc distributivo *omne animal* continetur homo; & sub hoc *omne ens* continetur Deus, qui sunt inferius nobilius; ergo à fortiori sub hoc distributivo *Omnipotentia* continebitur potentia productiva *ad intra*, cùm sit inferius ignobilius. Respondeo negando consequentiam: nam hoc signum distributivum *omni* adjunctum potentiæ ex communi usu non sumitur prout cadit supra potentiam, ac si dicatur *omnis potentia*, sicut dicitur *omne animal*; *omne ens*; sed prout cadit supra objectum potentiæ, significatque omne possibile, & factibile in toto rigore: sub Omnipotentia autem prout sic accepta non continetur potentia productiva *ad intra*, sive sit nobilior, sive ignobilior, quàm potentia *ad extra*, de quo infra; siquidem objectum illius, nempè Personæ productæ, licet sit possibile, non est tamen factibile.

180. Urgebis: Omnipotentia est ad omne objectum possibile; sed potentia productiva *ad intra* habet objectum possibile; ergo sub Omnipotentia continetur: Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia objectum Omnipotentiæ est omne possibile, quod tamen ita potest esse, ut possit non esse: at verò possibile, quod est objectum potentiæ productivæ *ad intra*, ita est, ut non potuerit non esse, cùm necessariò sit.

181. Oppones 3. In Deo datur una tantùm potentia intelligendi ad omne intelligibile, tam *ad extra*, quàm *ad intra*,; ergo etiam una tantùm potentia producendi ad omne producibile, tam *ad extra*, quàm *ad intra*. Resp. negando consequentiã; diversa ratio est, quia hæc absolutè sumpta accipitur tantùm pro potentia illa, quæ est ad aliud verè aliud, qualis est tantùm potentia *ad extra*, ut diximus: at verò potentia intelligendi tam propria est tendens in objectum distinctum, quale est objectum *ad extra*, quàm tendens in objectum indistinctum, quale est objectum *ad intra*.

182. Utraque sententia supra posita, (quæ quidem inter Doctores Catholicos videtur de solo nomine,) est satis probabilis, ut patet ex utriusque sententiæ fundamentis; poterit tamen utraque conciliari, si dicamus, principium formale *quo*, sive potentiam notionalem *ad intra* non contineri sub omnipotentia sumpta in communi usu, & acceptione Philosophorum, ac Theologorum: maximè autem si sumatur ex vi nominis, & in rigore sermonis, ac vocabuli, idemque valeat omnipotentia, atq; *omnis potentia*; sic enim videtur utraque sententia intelligenda, ut patet ex dictis.

183. Hîc aliqua sequebantur dicenda: Primum, utrùm principium *ad intra* sit prius, & dignius principio *ad extra*, tam in actu primo, quàm in actu secundo? Secundum, utrùm hujusmodi principia, tam inter se, quàm comparata cum principiis creatis, possint univocè convenire? Quia tamen de his jam satis diximus in *Phys. tract. d. 1. à n. 16.* ne eadem repetamus, & tempus ad alia necessarium desit, ab illis abstinendum censuimus. Tertium; utrùm hæc nomina *principium*, *initium*, *author*, & *causa* admittantur in divinis? Quod admittantur in Deo per ordinem ad creaturas, non est dubium, sed solùm dubitatur per ordinem ad Personas Divinas, in quibus cùm major sit difficultas de nominibus correspondẽtibus ex parte termini, qualia sunt *principiatum*, *causatum*, *&c.* de illis in sequentibus Sectionibus, quas de Terminis Processionum Divinarum jam instituimus: Sit igitur:

SECTIO IX.

De Terminis Processionum Divinarum?

184. ADvertes primò, duplicem esse terminum, alterum à *quo*, & est ille, à quo est actio; alterum ad *quem*, & est ille, in quo sistit ipsa actio: Terminus ad *quem* dividitur in totalem, sive materialem, qui etiam dicitur terminus *qui*, aut *quod*, & est illud totum, quod ex productione resultat, & ultimatè intenditur, solus enim terminus totalis dicitur per se, & simpliciter produci: & in terminum formalem, qui etiam dicitur terminus *quo*, & est id, quo terminus totalis denominatur formaliter talis, qualis dicitur produci, qui cùm semper, aut frequentiùs denominetur, & sit talis per formam, inde est, quod dicatur terminus formalis, de quo nobis in præsenti est quæstio; nam terminus totalis, sive materialis productionis *ad intra*, ut omnes fatentur, est ipsa Persona producta; siquidem passiones, sicut & actiones suppositis tribuuntur, ut est communiter receptum.

185. Advertes secundò, terminum à *quo*, cùm sit oppositus termino ad *quem*, illo destructo, fieri hunc, sicque introductionem unius esse destructionem alterius, ex quo non dicimus animam rationalem converti, sive esse terminum à *quo* respectu formæ cadaveris, quia illa per hujus introductionem non destruitur. Advertes tertiò, terminum à *quo* aliquando esse positivum, ut quando ex albo fit nigrum; aliquando esse privativum, ut quando ex non albo fit album. Quando autem terminus à *quo* est positivus, dicimus dari conversionem unius in aliud, ut si ex aëre fiat aqua, aut è contra: Quando verò terminus à *quo* est privativus, dicimus dari mutationem, ut si ex non albo fiat album; semper tamen terminus à *quo*, sive sit positivus, sive privativus debet destrui, ut habeat veram rationem termini à *quo*. His positis.

186. Difficultas 1. Utrùm detur terminus à *quo* Processionum Divinarum? Negativè. Ita *D. Thom. in 1. dist. 5. q. 3. ad 1. Capreol. ibid. apud P. Ruiz d. 98. sect. 1. n. 7.* Probatur facilè, quia terminus à *quo*, ut diximus, non persistit cum termino ad *quem*, imò necessariò destruitur, sive sit positivus, sive privativus; sed per productionem Divinarum Personarum nihil positivum destruitur, nihil enim positivum divinum destrui potest; privatio autem Divinarum Personarum nulla unquam fuit in Deo, cùm omnes Personæ necessariò fuerint, & ab æterno, sicut ipsa Essentia Divina; ergo &c.

187. Objicies 1. Essentia Divina in Patre concipitur priùs origine, quàm Filius; ergo quando concipitur ut communicata Filio, datur transitus de non concipi ut Filius ad concipi ut Filius; etgo jam datur privatio, quæ deperdatur, consequenterque terminus *à quo*. Respondeo negando secundam consequentiam; solùm enim probat argumentum, posse dari hujusmodi privationem in nostro intellectu, & modo concipiendi ipsius intellectûs, qui transit de non concipere ad concipere; non autem in Deo, & ex parte objecti; numquam enim possumus concipere Essentiam in Patre ut non Filium; alioqui possemus concipere non esse aliquando Filium; hoc autem erat necessarium, ut daretur privatio, sive terminus à quo negativus, ut diximus.

188. Objicies 2. Processio Divina est via ad terminum *ad quem*, id est ad Personam productam; sed omnis via non solùm involvit terminum *ad quem*, sed etiam terminũ *à quo*; ergo hic admittendus est respectu divinarum processionum; sic enim dicimus, Filium exire à Patre; prodire ex utero, & ore Altissimi, &c. quæ omnia significant terminum *à quo*. Respondeo distinguendo minorem: omnis via non solùm involvit terminum *ad quem*, sed etiam terminum *à quo* in creatis; concedo minorem: in divinis; nego minorem: nam cùm terminus *à quo* debeat necessariò destrui, in Deo autem nihil destruatur, neque positivum, neque negativum, ut diximus, nullus est in Deo terminus *à quo*. Neque ideò processio Divina desinet habere rationem viæ; ad hoc enim satis est, quod habeat terminum *ad quem*. Patet etiam in creatis, nam quando corpus retento priori loco migrat in alium; migratio illa est via, & tendentia ad terminum *ad quem*; & tamen non est à termino *à quo*, cùm non deseratur prior locus; ergo &c.

189. Objicies 3. Personæ Divinæ non sunt ex nihilo; ergo sunt ex aliquo; ac proindè ex Essentia Divina, quæ habebit rationem termini *à quo*. Respondeo Personas Divinas benè posse dici esse ex nihilo, id est, ex nullo termino *à quo* prout supra diximus, dummodò Arianis non consentiamus.

190. Iustabis Sancti Patres docent, Filium esse de substantia Patris, ut sic contrarientur Arianis dicentibus esse ex nihilo, sicque aliquid creatum; sed illud nihil est terminus *à quo* in productionibus creaturarum, quæ sunt ex nihilo; ergo etiam substantia Patris, de qua est Filius in divinis, erit illius terminus *à quo*. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Filius ita est de substantia, & Essentia Pátris, ut ipsa non destruatur, sicut destruitur illud nihil, à quo est creatura, ideoque creatura ex nihilo est ut à termino *à quo*, non ita tamen est Filius de substantia Patris. Undè:

191. Quæres hîc: Qualisnam sit sensus proprius, in quo loquuntur Patres, cùm dicunt, Filium esse de substantia Patris? Et qualenam sit discrimen inter has præpositiones *Ex*, & *De*? Illas enim diversimodè usurpant Sancti Patres: & Filium dici de substantia Patris, definitum est in Concil. Toletan. *3. 4. & 11* pro his.

192. Dico 1. Non repugnat, si dicamus, illam præpositionem *De* indicare principium quasi materiale. Ita *Durand. in 1. dist. 5. q. 1. Henricus quodlib. 5. q. 9. & in sum. art. 44. q. 3. ad ultim. favetque D. Thom. in 1. dist. 5. q. 2. art. 1. P. Granad. tract. 13. d. 2. n. 4* Probatur, quia cùm Essentia Divina relationibus veluti determinetur, & simul cum illis constituat Personas, nihil prohibet, quod in ea constitutione consideretur per modum materiæ præscindendo ab imperfectionibus, imò & à conditione materiæ; siquidem non per unionem, sed per identitatem componit; ergo &c.

Alii verò docent, Essentiam potiùs habere rationem principii formalis intrinseci. Ita *D. Thom. 1. p. q. 41. art. 3. P. Molin. ibid. Caiet. Canar. Scot. in 1. dist. 5. q. 2. Capreol. q. 1. Gabr. Greg. q. 2. P. Arrub. d. 96. cap. 3. n. 10.* Probant, quia in Deo repugnat ratio materiæ, etiam quoad nos, & per rationem; maximè quia non intelligitur, qua ratione aliquid sustineat, aut recipiat in se illud, in quo includitur; sic enim de facto dicitur ens non esse materiam ad differentias entis particularis, quia in illis includitur; ergo &c. Supponunt hi Doctores, Essentiam Divinam includi formaliter in relationibus, de quo tamen infrà. Dato tamen, quod Essentia habeat rationem principii materialis, ut diximus cum Doctoribus primæ sententiæ, adhuc hic non est sensus, in quo loquuntur Patres, cùm dicunt, Verbum, sive Filium esse de substantia Patris. Undè. 193.

Dico 2. Præpositio *De* ex communi usu Sanctorum Patrum significat principium activum consubstantiale termino producto: præpositio autem *ex* solùm dicit principium activum abstrahendo à consubstantialitate. Ita *P. Valent. 1. p. q. 15. punct. 3. & lib. 2. de Trinit. cap. 9. apud P. Arrub. cit. cap. 2. n. 8. P. Ruiz d. 98. sect. 2.* ubi pluribus ex Sanctis Patribus id probat, pro quibus unus sufficiat D. August. *lib. de natur. boni. cap. 26.* ibi: *Quod de ipso est*, inquit, *potest dici ex ipso: non autem omne, quod ex ipso est, rectè dicitur de ipso; ex ipso enim Cœlum, & Terra, quia ipse fecit ea: non autem de ipso, quia non sunt de substantia sua*; ergo &c. 194.

Dices ex Driedo *de Dogmat. Scriptur.* ad finem illud Matth. 1. ibi: *Quod in ea natum est de Spiritu sancto est.* Et illud Symbol. *Conceptus de Spiritu Sancto.* Quibus in locis sermo est de Christo Domino secundùm humanitatem, quæ tamen non est consubstantialis Spiritui Sancto; ergo &c. Respondeo primò ex D. Amb. *lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 15.* ibi: *Licet*, ait, *plerique habeant* de *Spiritu Sancto*; *Græci tamen, unde transtulerunt Latini, habêt ex Spiritu Sancto: quod autem ex aliquo est, aut ex substantia ejus est, aut ex potestate.* Respondeo secundò ex D. Thom. *3. p. q. 28. art. 3.* Christum Dominum præter humanam naturam habere etiam divinam, in qua est consubstantialis Spiritui Sancto; sicque in prædicto loco significari originem ratione naturæ humanæ, & consubstantialitatem ratione Personæ. Ita *P. Arrub. cit. n. 14.* 195.

Advertes primò prædictum discrimen inter *Ex*, & *De* non adeò religiosè observandum, ut prædictis præpositionibus aliter uti non possimus; siquidem Sancti Patres, & Ecclesia aliquando illis utuntur sensu converso; extendêdo scilicet præpositionem *De* ad terminum minimè consubstantialem: & restringendo *Ex* ad terminum consubstantialem. Quod divino consilio factum crediderim, ut sic pluribus, ac diversis illis terminis explicaretur, quod unâ semper utendo præpositione non exponeretur; neque satis explicaretur. 196.

Advertes secundò, licet Scholastici non omnes cohæreant in significato harum præpositionum, omnes tamen convenire significari per illas consubstantialitatem, quoties earum ablativo additur genitivus possessionis, ut si dicatur: *Filius est de substantia, ex Natura, de Essentia, aut ex Essentia Patris*, quod ex ipsis terminis patet. 197.

Inferes:

198. Infertur: Ergo verum erit dicere: *Pater est de substantia Filii*, &c. Respondeo negando illationem, quia illæ propositiones non solùm significant consubstantialitatem, sed etiam principium productivum, qualis non est Filius respectu Patris, talis tamen est Pater respectu Filii.

199. Difficultas 2. Utrùm detur in divinis terminus formalis *ad quem* distinctus per rationem à termino totali? Affirmativè. Ita *D. Thom. in 1. dist. 5. q. 3. Ægid. 1. p. dist. q. ult. Zumel 1. p. q. 41. art. 6. P. Vasq. 1. p. d. 162. cap. 3. n. 9.* & alii. Probatur primò, quia terminus formalis, ut diximus, est ille, à quo totalis, & adæquatus denominatur formaliter talis, qualis dicitur; sed in divinis processionibus datur aliqua perfectio, quâ una Persona denominatur formaliter talis, qualis est, & dicitur, quæ non est tota Persona secundùm suam rationem adæquatam, sed aliquid ab ea virtualiter distinctum, ut constabit ex dicendis; ergo talis perfectio est terminus formalis *ad quem*.

200. Probatur secundò, quia Processiones Divinæ, ut diximus, habent principium formale *quo* distinctum à principio totali *quod*; ergo etiam habebunt terminum formalem *quo* distinctum à termino totali *quod*. Confirmatur, quia in creatis distinguimus ex natura rei terminum *quo* & terminum *quod*; ergo etiam in divinis illos distinguemus per rationem.

201. Oppositum tenent *Ocham. in 1. dist. 5. q. 3. Greg. ibid. q. 2. art. 2. concluf. 2.* pro quibus: Argues 1. Terminus formalis est pars respectu termini totalis, & in illo includitur; sed in Deo non reperitur ratio partis, & compositionis, utpotè repugnans Simplicitati Divinæ; ergo &c. Respondeo primò majorem esse veram, si sermo sit de parte prout præscindit à rigorosâ, & minùs rigorosâ; nam si in Deo admittimus constitutionem ex Essentia, & relationibus secundùm nostrum modum intelligendi, quin repugnet illius simplicitati, etiam sine ulla repugnantia possumus in eo admittere terminum formalem distinctum per rationem à totali. Resp. secundò, solùm repugnare simplicitati Divinæ compositionem partis realis, non autem virtualis; imò neque compositionem virtualem, & quoad nos, ut tenent aliqui; de quo jam alibi in *Met. tract. 1. d. 3. à n. 303.*

202. Argues 2. Si à Deo crearetur res aliqua simplex, in ea non inveniretur terminus formalis distinctus à totali ratione simplicitatis illius; alioqui esset, & non esset simplex, ut considerati patebit; ergo à fortiori neque in Deo, cùm sit maximè simplex. Respondeo primò, rem illam simplicem, sive esset substantia, sive accidens, non extituram absque subsistentia, aut modo existendi, sicque posse ibi reperiri *quo* est, & *quod* est, sive terminum formalem, & totalem. Respondeo secundò, dato quod res illa de potentia Dei absoluta extitura esset absque subsistentia, aut modo existendi distincto, in eo eventu non dari in tali re terminum formalem distinctum, neque tamen indè sequi non dari in Deo; siquidem in Deo reperimus formalitates virtualiter distinctas, quæ in re illa, ut supponitur, non reperirentur.

203. Infertur: Ergo forma illa esset magis simplex, quàm est Persona Divina. Respondeo negando illationem; nam multiplicitas formalitatum nihil derogat simplicitati divinæ: & cùm talis creatura (supposito quod foret possibilis, de quo jam alibi) adhuc foret composita ex esse, & natura defectibili, ac creatione, semper foret minùs simplex.

204. Argues 3. Terminus formalis est ille, quo productum est tale; sed terminus productus simplex, qualis est Persona Divina, se ipso, & nullo interposito, est talis; ergo non datur terminus formalis distinctus à totali. Respondeo negando minorem, si procedat de nullo distincto etiam per rationem: licet enim verum sit, quod ens simplex sit tale nullo interposito distincto ex natura rei; falsum tamen est de distincto per rationem.

SECTIO X.

Qualisnam sit iste terminus formalis Processionum Divinarum?

CErtum de fide est in productionibus divinis *ad intra* solam relationem produci propriâ, & verâ productione; Naturam autem Divinam communicari Personæ, quæ ex ipsâ Naturâ communicatâ, & relatione productâ constituitur. Et cùm aliundè constet, Personam Divinam esse, quæ per se, & simpliciter dicitur producta, utpotè quæ per productionem illam ultimatè intenditur, ex quo sibi vendicat rationem termini totalis includentis in se Naturam, & relationem, non quidem unitas, sed identificatas inter se: Hinc inter Scholasticos controvertitur, quænam ex illis vendicet rationem termini formalis, Natura nè, an Relatio? siquidem in Persona Divina nihil aliud reperitur. Cùm tamen quæstio sit maxima ex parte de nomine, priùs inquirendum est significatum termini formalis: pro quo sit: 205.

Difficultas 1. Quid sit terminus formalis? *P. Vasq. 1. p. d. 162. cap. 3. num. 9. & 3. p. d. 19. cap. 2.* docet de ratione termini formalis alicujus productionis solùm esse, quod sit forma rei productæ; sic enim anima dicitur terminus formalis resurrectionis, cùm tamen per resurrectionem minimè producatur: Humanitas etiam dicitur terminus formalis Incarnationis, quia licet alia actione præsupponatur producta, est tamen forma respectu Christi Domini. Imò *cap. 2. cit. n. 16.* addit neminem se legisse, qui senserit, esse de ratione termini formalis alicujus productionis, quod per ipsam producatur. 206.

Non placet hæc doctrina P. Vasq. nam si utendum est nominibus, non prout libet, sed pro communi significato, ut idem P. Vasq. monet loco proximè citato *num 15.* certè terminus cujusvis productionis ab ipsa debet produci; neque enim apparet quâ ratione productio terminetur ad aliquid, ut ad terminum, nisi illud producendo; sicut neque quâ ratione visio terminetur ad aliquid, ut ad objectum, nisi videndo. Neque obstat, quod addit, nempè terminũ formalem productionis esse formam rei productæ; nam licet id in multis locum habeat, non tamen in omnibus procedit; siquidem terminus formalis *ad quem* transubstantiationis in Eucharistia est Corpus Christi sub speciebus panis, cùm terminus totalis sit compositum ex Corpore Christi, & speciebus; & tamen nemo dicet Corpus Christi esse formam, aut quasi formam illius compositi, quod de novo fit ex ipso Corpore, & speciebus: imò, si ita loqui licet, magis se habet per modum materiæ, accidentia verò per modum formæ, cùm Corpus Christi succedat loco substantiæ panis, quæ erat materia in composito ex pane, & speciebus, quas 207.

tamen nemo dixit esse terminum formalem *ad quem* in transubstantiatione; ergo ratio termini formalis non coincidit cum ratione formæ. Igitur.

208. Conclusio sit: Terminus formalis est ille, cui propriè, & immediatè applicatur ut termino mutatio, & ratione cujus reliqua denominantur ab illa mutatione, sive aliunde sit, sive non sit forma compositi. Ita *P. Lugo de Incarn. d. 11. sect. 2. n. 18.* Probatur, quia illud dicimus terminum totalem, quod ultimò denominatur ab aliqua actione; ergo terminus formalis, qui à totali contradividitur, erit illud, quod immediatè denominatur à tali actione. Confirmatur primò ex *P. Soar. tom. 1. in 3. p. d. 8. sect. 2.* ubi dicit terminum formalem cujusvis actionis, sive productionis esse id, quod per illam proximè, & immediatè inducitur, & fit in rerum natura. Secundò, quia principium formale est illud, à quo actio immediatè egreditur, sive aliundè sit, sive non sit forma; siquidem de facto materia dicitur principium formale receptivum, quin habeat rationem formæ; ergo etiam terminus formalis in executione erit illud, cui immediatè, & formaliter identificatur actio; sed sic identificatur termino producto; ergo hic est ejus terminus formalis; consequenterque terminus formalis alicujus productionis debet ab illa produci.

209. Advertes hîc, cùm eadem actio absque diversitate principii diversis aliquando nominibus explicetur, sub quibus diversas tribuit denominationes, diversos etiam terminos formales ei tribui. Patet in resurrectione, quæ cùm sit una, & eadem actio, subnomine *productionis* terminatur immediatè ad unionem, utpotè quæ immediatè producitur: sub nomine *introductionis* habet pro termino formali animam, quæ immediatè introducitur: ad quam etiam immediatè terminatur sub nomine *resurrectionis*; resuscitare enim est revivificare, quod fit per animæ introductionem, sive communicationem illius. Similiter Processiones divinæ sub nomine *productionis* dicuntur habere pro termino formali personalitatè Personæ productæ: sub nomine autem communicationis habere pro termino formali Essentiam communicatam. Ita *P. Lugo cit. num. 19.*

210. Difficultas 2. Qualisnam sit terminus formalis Processionum Divinarum? Triplex est in hac re sententia: Prima asserit, terminum formalem Processionum Divinarum esse quid absolutum, sive ipsam Essentiam Divinam. Ita *D. Thom. 1. p. q. 41. a. 3. Cajet. ibid. Capreol. D. Bonavent. in 1. dist. 5. q. 2. Scot. ibid. q. 2. & 3. Marsil. in 1. q. 9.* quos citat, & sequitur *P. Soar. lib. 6. cap. 6. n. 2. P. Vasq. 1. p. d. 162. cap. 3. n. 8. P. Tanner. d. 4. q. 2. dub. 5. n 14. P. Præposit. 1. p. q. 41. a. 5. dub. 3. P. Ruiz d. 98. sect. 7.* & alii apud citatos, quorum fundamenta infra proponemus, & dissolvemus. Secunda sententia tenet, terminum formalem processionum divinarum esse quid relativum, sive relationes divinas productas. Ita *Henricus in sum. a. 54. q. 3. Gregor. in 1. dist. 5. q. 1. Durand. in 1. dist. 5. q. 2. Gabr. ibid.* & alii, quorum etiam fundamenta infra proponam, & dissolvam.

211. Tertia sententia, quam sequimur affirmat terminum formalem Processionum Divinarum, neque esse solam Essentiam, neque solam relationem, sed utramque simul, ita tamen, ut si processio sumatur ut communicativa, ejus terminus formalis sit ipsa Essentia communicata, utpotè quæ sola communicatur: si autem ut productiva, ejus terminus formalis sit sola relatio, utpotè quæ sola producitur; sicque utramque supra positam sententiam conciliamus cum *P. Granad. 1. p. tr. 2. d. 3. n. 28. & tr. 13. d. 4. P. Arrub. 1. p. d. 144. cap. 3. n. 8. & 9. P. Lugo d. Incarn. d. 11. sect. 2. num. 19. P. Arriaga 1. p. d. 46. sect. 5. subsect. 3. P. Alarcon. tr. 5. d. 6. cap. 5. n. 5. & 7. P. Compton. tom. 1. d. 59. sect. 1. n. 8.* & alii.

212. Probatur unico fundamento, quia terminus formalis est ille, ratione cujus terminus totalis denominatur talis, qualis est, & dicitur; ut patet in pariete albo, qui est terminus totalis visionis, & cujus terminus formalis est color, quia ratione illius totus paries albus dicitur visus; sed in Persona producta, quæ est terminus totalis, datur ratio termini communicati, quæ provenit à Natura, & ratio termini producti, quæ provenit à relatione; ergo hæc est terminus formalis productionis, & illa communicationis.

213. Argues 1. De ratione termini formalis solùm est, quod sit forma rei productæ: tùm quia discurrendo per omnes productiones, omnes ad formam terminâtur: tùm etiam quia ex Philosopho *2. Phys. text. 14.* generatio terminatur ad naturam, cujus nomine venit forma; sed Essentia Divina habet rationem formæ respectu rei productæ, qualis est Persona Divina: tùm quia Essentia Divina in constitutione Personæ non potest habere rationem materiæ, utpotè quæ plures involvit imperfectiones, ut patet: tùm etiam quia ei competunt proprietates formæ; ergo &c.

214. Respondeo primò negando majorem, ut patet ex supra dictis *num 207* Neque video quâ ratione *P. Soar. tom. 1. in 3. p. d. 8. sect. 2.* dicere posit Unionem Hypostaticam esse terminum formalem Incarnationis, quâ actio productiva est ex eo, quod Unio per illam producatur; & id neget relationi Filii, quæ per productionem immediatè producitur; nisi in præsenti loquatur de termino formali communicationis, quem fatemur esse Essentiam Divinam. Unde ad probationes dicimus: ad primam formas creatas non habere rationem termini formalis suæ productionis ex eo, quod sint formæ, sed ex eo, quod per productionem accipiant suum esse; ideòque anima rationalis, quæ per creationem existit priùs naturâ ipsâ generatione, non dicitur terminus formalis ipsius generationis, quâ productiva est, sed ad summum, quâ communicativa est; siquidem implicat, quod terminus antecedat viam, cujus est terminus. Ad secundam dicimus, Philosophum loqui de termino absolutè, quo pacto omnis generatio terminatur ad formam, aut tanquam ad terminum productum, aut communicatum, qualem fatemur esse Essentiam Divinam, dato quod habeat rationem formæ.

215. Respondeo secundò, data majori, negando minorem, licet enim *P. Mol. 1. p. q. 41. a. 3 d. 2. P. Soar. & P. Vasq. cit.* negent Essentiam Divinam habere rationem materiæ in productionibus notionalibus, demptis imperfectionibus: id tamen affirmant *Henricus in sum. a. 54. q. 3. Durand. in 1. dist. 5. q. 2. P. Valent. d. 2. q. 15. pun. 3.* non quod id habeat re ipsa, imò neque quoad nos, si sumatur secundùm rationem adæquatam materiæ; sic enim involvit rationem potentiæ, quæ dicit imperfectionem: maximè verò si sumatur secundùm conceptus communiores præscindentes ab imperfectionibus, prout supra diximus *num. 192.* Undè cùm Essentia prout sic non habeat rationem formæ, etiam in sententia Adversariorum non potest esse terminus formalis productionis; quæ, ut dicunt,

dicunt, debet terminari ad formam, qualis est relatio respectu Essentiæ, ut diximus, licet etiam hæc sit terminus illius ut communicativa.

216. Argues 2. Quando plura per productionem habentur, id quod est perfectius habet rationem termini formalis; sed per productionem notionalem habentur plura, nempè Essentia, & relatio; illa autem est perfectior; ergo illa, & non relatio erit formalis terminus productionis. Respondeo primò negando majorem: nam in productione cujusvis compositi per accidens, licet subjectum sit simpliciter nobilius, ipsa tamen forma habet rationem termini formalis, ut omnes concedunt. Respondeo secundò, data majori, & minori, negando consequentiam; cùm enim sola relatio producatur, & denominet terminum totalem productum, sola illa est formalis terminus productionis ut productiva est, licet etiam Essentia sit illius terminus formalis, ut communicativa est.

217. Argues 3. Generatio Divina est univoca; ergo ejus terminus formalis debet esse ejusdem rationis cum principio formali; sed principium formale *quo* est Essentia, & non relatio; ergo Essentia, & non relatio erit ejus terminus formalis. Respondeo primò distinguendo consequens: ejus terminus formalis communicatus debet esse ejusdem rationis cum principio formali; concedo consequentiam: terminus formalis productus; nego consequentiam: illud autem sufficit, ut generatio sit univoca.

218. Respondeo secundò negando consequentiam: satis enim est ad univocationem, quod producens, & productum sint ejusdem naturæ specificæ, & à fortiori numericæ, ut sunt in divinis; nam univocatio consistit in similitudine substantiali cum aliquali dissimilitudine; alioqui jam non esset similitudo, sed identitas, & nulla forent univoca; siquidem nullum genitum assimilatur generanti quoad relationem generantis, differentiam numericam, sive personalitatem. Unde cùm Persona producta ex vi suæ productionis accipiat eandem numero Naturam à producente, id sufficit ut productio sit univoca, licet ipsa Natura, quæ aliundè est terminus formalis communicatus, non sit formalis terminus productus, ut patet in generatione humana, quæ est univoca, cùm tamen formalis terminus productionis sit unio, quæ sola producitur, non autem natura, in qua conveniunt, & ratione cujus generatio dicitur univoca, licet etiam ipsa natura sit formalis terminus communicatus.

219. Argues 4. Productio ponitur in genere sui termini formalis, à quo specificatur; sed si relatio esset terminus formalis productionis, jam productio Verbi non esset generatio, sed mutatio ad relationè ad quam tamen non conceditur motus; ergo &c. Respondeo negando minorem: aliud est enim loqui de relationibus creatis, & aliud de Divinis; quæ cùm sint substantiales, per se existentes, & formæ hypostaticæ, sive constitutivæ Personarum, possunt esse termini formales producti, & talis est relatio Verbi respectu generationis quà productio est.

220. Argues 5. Essentia, & non relatio habet rationem principii formalis, ut supra diximus; ergo etiam Essentia, & non relatio habebit rationem termini formalis. Respondeo distinguendo consequens: Essentia, & non relatio habebit rationem termini formalis communicati; concedo consequentiam: termini formalis producti; nego consequentiam: sicut enim diximus Essentiam esse principium formale productivum, quia illa est, quæ producit, ita nunc dicimus relationem esse terminum formalem productum, quia illa est quæ producitur, licet etiam Essentia, quia communicatur, sit formalis terminus communicatus, non tamen productus.

221. Instabis: In generatione Verbi & communicatur Natura, & producitur relatio; sed præcipua pars est Natura; ergo Natura erit terminus formalis generationis. Respondeo Naturam esse terminum formalem communicatum, non tamen productum, ut diximus.

222. Inferes: Ergo sicut datur terminus formalis productus, & communicatus, ita etiam dabitur principium formale productivum, & communicativum contra id, quod supra diximus. Respondeo negando illationem; diversa ratio est, quia ad distinctionem terminorum cogit nos Fides, quæ docet relationem produci, & non communicari; Essentiam autem communicari, & non produci: at verò ad identitatem principii patrocinatur ratio naturalis, quæ docet, relationes non esse operativas; principium debere continere principiatum; Essentiam posse esse principium productivum relationis, & communicationis sui ipsius absque aliqua sui diversitate, cùm non intelligatur qua ratione sit productiva relationis, quin sit communicativa Naturæ; & cùm aliundè non obstet Fides, fatendum est eandè Essentiam esse principium productivum, & communicativum, licet terminus formalis productus, & communicatus sint diversi.

223. Argues 6. Ille est terminus formalis productionis, qui per se formaliter, & primariò intenditur à producente dari in producto; sed id, quod sic intenditur est Natura; Pater enim per generationem intendit communicare Naturam; ergo &c. Respondeo negando majorem: terminus enim formalis productionis, ut productio est, est id, quod producitur, hoc autem est sola relatio, ideoque sola relatio est formalis terminus productus, licet etiam Natura, quam Pater intendit communicare, sit terminus communicatus, ut diximus. Unde Generatio Divina (ut jam diximus de pluribus aliis actionibus) potest subire rationes aliquo modo diversas, diversisque nominibus explicatas, & prout sic habere diversos terminos, ita ut quando exprimitur ut productio, terminetur ad relationem, quæ producitur; quando ut communicatio, terminetur ad Naturam, quæ communicatur; quando ut generatio, quæ utramque expressè complectitur, terminetur ad relationem, & ad Naturam; quo animadverso, omnia argumenta facilè solventur.

224. Argues 7. In creatis terminus formalis est sola natura; ergo etiam sic erit in divinis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in creatis ordinariò natura & producitur, & communicatur: at verò in Divinis sola relatio producitur, Natura autem communicatur, ideòque; hæc est terminus communicatus, illa verò terminus productus. Patet in resurrectione hominis, ubi cùm jam anima supponatur producta, terminus formalis productionis est unio; communicationis autem est anima; sicque cùm Essentia etiam supponatur existens, formalis terminus productionis est relatio; communicationis verò est Essentia.

225. Difficultas 3. Utrùm Processio Divina respiciat terminum sub ratione possibilis; an sub ratione existentis? Seu quod idem est sub ratione communicabilis, & producibilis: an sub ratione

cummunicati, & producti?. Ante resolutionem advertes, Processionem Divinam posse concipi, aut sub conceptu Hypostasis, prout tanquam conditio complet principium productivum; aut sub conceptu productionis, seu communicationis, prout tanquam actualis influxus constituit principium producens, & communicans. His positis.

226. Dico 1. Processio Divina in primo sensu, sive acceptione respicit terminum sub ratione possibilis, communicabilis & producibilis. Probatur, quia respectus potentiæ productivæ ad suum terminum est transcendentalis, illumque respicit transcendentaliter sub ratione possibilis, ut patet inductione omnium potentiarum, tam in divinis, quàm in creatis; Omnipotentia enim sic respicit creaturas possibiles, ut alibi diximus; & quælibet potentia creata suos actus possibiles; sed processio divina prout sic accepta, est respectus veluti transcendentalis ad suum terminum, utpotè spectans ad potentiam productivam, quam complet tanquam conditio ad producendum, quæ quidem potentia habet hujusmodi respectum ad suum terminum; ergo &c.

227. Confirmatur primò, quia terminus notionalis potest concipi, non solùm ut existens, communicatus, & productus, sed etiam ut possibilis, communicabilis, & producibilis; siquidem quod communicatur, & producitur, est communicabile, & producibile; ergo ut talis respicitur à potentia sub ratione potentiæ communicativæ, & productivæ. Secundò, quia in termino priùs intelligitur ratio communicabilis, & producibilis, quàm ratio communicati, & producti; sed in eo priori intelligitur potentia in ordine ad ipsum terminum; ergo in ordine ad illnm ut communicabilem, & producibilem.

228. Oppones: Existentia actualis est de essentia termini notionalis; ergo in quocunque conceptu concipiatur, concipietur ut existens; ergo nunquam terminat respectum potentiæ sub ratione termini possibilis, communicabilis, & producibilis, sed existentis, communicati, & producti. Resp. distinguendo primum consequens: concipietur ut existens implicitè; concedo consequentiam; semper explicitè; nego consequentiam: tam enim de essentia termini divini notionalis est existentia, quàm possibilitas; siquidem tam essentialiter existit, quàm essentialiter ei non repugnat existere; hoc tamen non tollit quominùs quoad cõceptus explicitos præcisivè ut possibilis terminet respectum potentiæ sub explicita ratione potentiæ, & ut existens terminet rationem actûs sub explicita ratione actûs, licet utrumque terminet quoad implicitum.

229. Inferes: Ergo sicut concipitur ut possibilis, poterit etiam concipi ut futurus. Respondeo negando illationem; diversa ratio est, quia possibilitas in suo conceptu, licet explicitè præscindat ab existentia, illam tamen non excludit; quod enim est, & existit, non repugnat esse, & existere: at verò futuritio excludit existentiam, utpotè quæ essentialiter importat negationem existentiæ præsentis; nullum autem prædicatum divinum potest concipi cum negatione existentiæ actualis; alioqui, cùm hæc sit de illius essentia, sine sua essentia conciperetur. Hinc etiam est, quod Personæ Divinæ possunt dici realiter possibiles, non tamen realiter, imò neque virtualiter futuræ, ut alibi diximus, quia in nullo priori possunt concipi cum negatione existentiæ actualis.

230. Dico 2. Processio Divina in secundo sensu, sive acceptione respicit suum terminum sub ratione existentis. Probatur, quia processio Divina, prout sic accepta, est ipsa actualis communicatio, & productio reddens principium actu communicans, & producens; sed principium actu communicans, & producens respicit terminum ut actu existentem, communicatum, & productum; ergo &c. Hinc colliges, potentiam ut communicativam, & productivam in divinis respicere Naturam ut communicabilem, & relationem ut producibilem: potentiam verò ut communicantem actu, & producentem, respicere Naturam ut terminum communicatum, relationem autem ut terminum productum.

SECTIO XI.

Quænam prædicata dici possint de terminis Processionum Divinarum?

CUm ex verbis inordinatè prolatis, ut ex D. Hieron. monet D. Thom. *hic q. 31. art. 2.* incurratur hæresis, examinanda sunt verba, quibus de hoc Mysterio loquendum est, in quo periculosiùs, quàm in quo vis alio erratur, ut diximus ad initium hujus tractatûs cum D. Aug. *lib. 1. de Trinit. cap. 13.* Inquirimus nûc igitur, quænam prædicata propriè verificari possint de Personis productis, quæ sunt terminus adæquatus Processionum Divinarum; ex illis enim etiam manifestum erit, quænam verificentur de Personis producentibus. Sit igitur: 231

Difficultas 1. Utrùm terminus totalis processionis Divinæ, nempè Persona producta possit dici *principiata*? Affirmativè. Ita *Scot. in 1. dist. 20. q. unica. Ocham. in 1. dist. 5. q. 3. & dist. 7. q. 1. Zumel. 1. p. q. 33. dub. 1.* Probatur, quia producens, & productum sunt correlativa; horum autem eadem est ratio; sed de Persona producente verè dicitur quod sit *principium*: tùm quia id affirmant omnes Scholastici, & Patres, definiturque in Concil Florent. *Sess. ult.* & Lugdun. sub Greg. X. tùm etiam, quia principium ex Philosopho *5. Met. cap. 1. Est id, à quo aliquid est, aut fit, aut cognoscitur*; Persona autem producta est à producente; ergo etiam de Personâ productâ verè poterit dici, quod sit *principiata*. Confirmatur, quia esse principiatum idem significat atque esse productum; sed de Persona procedente verè affirmatur quod sit producta; ergo etiam quod sit principiata. 232

Oppositum tenent *D. Thom. 1. p. q. 33. art. 1. ad 2. Torres. Bannez. P. Tanner. d. 4. q. 2. dub. 1. n. 18. P. Vasq. 1. p. d. 139. cap. 5. n. 17.* ubi dicit hanc vocem *principiatus* nec Latinis, nec Græcis esse usitatam, sicque ab illa commodiùs abstinendum, tametsi illam admittat *Durand. in 1. dist. 11. q. 2.* pro illis tamen: Dices 1. Quæ minoritatem aliquam videntur significare, non sunt in Personis Divinis admittenda, nè videamur Arianis consentire; sic enim D. Hilar. *lib. 9. de Trinit.* licet concedat, Patrem esse majorem Filio propter authoritatem originis, non tamen concedit, Filium esse minorem Patre, cùm ei æquale esse donatum sit à Patre; sed nomen *principiatus* dicit minoritatem, & est nomen subauthoritatis; ergo non est tribuendum Personis productis, licet nomen principium producentibus tribuatur. Respondeo negando minorem: neque enim nomen *principiatus* significat minoritatem Personæ productæ, cùm nihil aliud

aliud significet, quàm acceptionem sui esse, ut etiam significat nomen *productus*, quod de Personis verè affirmatur.

234. Dices 2. De Personis productis non dicitur habere principium; ergo neque principiari, aut esse principiatas. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia hoc prædicatum *habere principium* absolutè significat habere initium, quod non potest verificari de Personis, cùm sint Æternæ: at verò hoc nomen *principiatum* idem significat, atque productum, quod verè affirmatur de Personis. Si tamen dicas, Personas habere principium conferens illis esse, non loqueris absurdum.

235. Dices 3. Hoc nomen *principiatio* solùm verificatur de emanationibus activis, non autem de passivis; cùm tamen nomina similis formæ derivata à verbis activis, quæ etiam in voce usurpantur, verificentur tam de activis, quàm de passivis, ut patet in nominibus emanatio, productio, &c. ergo signum est, Personas divinas non posse dici principiatas, sive principiari passivè. Respondeo negando antecedens: illud enim prædicatum *principiatio*, attentâ solâ nominis formâ, potest dici de emanationibus tam activis, quàm passivis; licet ex usu jam recepto solùm de activis dicatur, ut etiam accidit in aliis, qualis est actio, & causatio, quæ solùm de activis dicuntur.

236. Difficultas 2. Utrùm Personæ producentes possint dici *Author*, sicut dicuntur *principium*? Patrem posse dici Authorem Filii, cujus etiam dicitur principium, affirmant Scholastici cum *D. Thom. in 1. dist. 29. q. 1. a. 1. P. Soar. lib. 8. cap. 3. num. 5. P. Vasq. 1. p. d. 139. n. 18. P. Arrub. d. 119. cap. 1. n. 3. ex D. Hilar lib. 4. de Trinit. & D. Aug. lib. 3. contr. Maxim. cap. 14.* Probatur, quia unam Personam esse, & dici Authorem alterius, solùm significat, esse, & dici principium illius; sed Pater est, & dicitur principium Filii; ergo etiam Author. Cùm tamen hoc prædicatum *Author* sumatur ab aliquibus pro solo principio primo, id est, pro principio, quod ab alio non est, qualis est solus Pater; Filius enim ita est principium Spiritus Sancti, ut sit à Patre, indè est, quod D. Thom. loco cit. dixerit solùm Patrem dici Authorem Filii, non ita verò Filium Authorem Spiritûs Sancti.

237. Nihilominùs Filius est, & dicitur Author Spiritûs Sancti. Ita *P. Soar. P. Vasq. P. Arrub.* cit. & alii. Probatur primò ex D. Hilar. *lib. 2. de Trinit.* ubi docet Spiritum Sanctum esse à Patre, & Filio Authoribus. Et lib. 4. vocat Filium *Authorem Spiritûs Sancti*. Et ideò Phebadius *lib. contr. Arian.* Patrem vocat *Authorem sine Authore*; quasi dicat Filium Authorem ab Authore.

238. Probatur secundò, quia hoc nomen *Author* solùm significat habitudinem principii producentis ad terminum productum, quin necessariò significet rationem principii primi existentis à se absque principio; sed habitudo illa principii producentis ad terminum productum tam propriè convenit Patri respectu Filii, quàm Filio, & Patri respectu Spiritûs Sancti; ergo sicut Patri convenit nomen *Author* respectu Filii, ita etiam conveniet Filio, & Patri respectu Spiritûs Sancti. Confirmatur primò, quia Filius, & Spiritus Sanctus respectu creaturarum propriè dicuntur Authores, licet procedant ab alio principio, & rationem agendi accipiant à Patre; ergo licet Filius accipiat potentiam spirandi à Patre, potest dici Author Spiritûs Sancti. Secundò, quia in creatis Pater, licet genitus ab alio, dicitur author filii sui; ergo procedere ab alio, ut procedit Filius à Patre in Divinis, non pugnat cum ratione Authoris.

Difficultas 3. Utrùm Pater possit dici *Initium* Filii, aut Trinitatis, aut Deitatis, idemque de Filio respectu Spiritus Sancti? *)* Negativè. Ita *P. Soar. cit.* & alii. Probatur, quia licet aliquis Patrum usus fuerit hoc nomine *Initium* latè, & prout idem valet, atque principium, in quo sensu illud usurpavit *D. Bonav. in 1. dist. 29. art. 1. q. 1. ad 2.* tamen ex communi acceptione significat principium durationis, & existentiæ, quod dari respectu Filii hæreticè Arius asserebat; ergo &c. Neque obstat illud Michææ 5. ibi: *Egressus ejus ab initio.* Nam illud *ab initio* non denotat principium à quo Filius fuerit egressus, sed idem valet, atque ab æterno, quod ut meliùs exprimeret addidit: *à diebus æternis*: sic etiam dicitur Prov. 8. ibi: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*: Et Eccles. 24. *Ab initio, & ante sæcula creata sum*: appellat enim Scriptura *initium* id, quod ante tempora erat; hoc autem erat Æternitas. 239.

Difficultas 4. Utrùm hoc prædicatum *Causatum* possit dici de Personis productis; & hoc prædicatum *Causa* de Personis producentibus? Negativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 33. art. 1. P. Soar. lib. 2. cap. 2. n. 8. P. Vasq. 1. p. d. 139. cap. 6. P. Arrub. d. 119. cap. 1. n. 4. P. Valent. 1. p. q. 7. punct. 1. P. Tanner. d. 4. q. 2. dub. 1. num. 13.* & communiter omnes, uno excepto *Aureol. in 1. dist. 29. art. 1.* ubi immeritò, ut ait *P. Vasq. cit.* contendit, Patrem dici posse latinè causam Filii, & Filium etiam Spiritûs Sancti: licet enim Græci passim sine ulla offensione utantur his vocibus *Causa*, & *Causatum*, ut *D. Basil. 1. 3. & 4. contra Eunom. D. Nyssen. D. Nazian. D. Damascen. lib. 1. de Fide cap. 8. & 11.* & alii etiam ex Latinis, ut *D. Hilar. lib. 9. de Trinit.* non tamen illis utuntur absolutè, & in sua adæquata significatione, sed prout abstrahunt ab imperfectione, quam inter Latinos significant. Undè quando aliqui ex Latinis Personas producentes appellant causas, utuntur nomine *Causa*, aut impropriè; aut in eo sensu, in quo Græci, id est, pro principio; aut de causa negativa, quatenùs scilicet Deus ita est à se, ut ab alio non sit. Cùm tamen præsens difficultas sit de nomine, non ita facilè assignatur ratio, cur nomen *Causa* apud Latinos non debeat dici de Personis producentibus. Igitur: 240.

Prima ratio est *D. Thom. 1. p. q. 33. art. 1. ad 2.* & ab omnibus communiter recepta, quia, dicunt, ad rationem causæ, & causati requiritur, quod causa influat esse in effectum; definitur enim causa: *Principium influens esse in aliud*: ubi particula *aliud* significat diversitatem, non solius suppositi, quæ quidem datur inter Personas Divinas, sed substantiæ, & Naturæ; atqui hanc non habet Persona producens respectu productæ; utraque enim habet eandem numero Naturam, ideoque non possunt dici *aliud* & *aliud* quod supponit pro Natura, licet possint dici *alius*, & *alius*, quia supponit pro Suppositis; ergo cùm una Persona non influat in aliam esse, sive Naturam simpliciter diversam, non potest esse illius causa, neque alia dici causata. 241.

Sed contra hanc communem, & communiter assignatam rationem est: Primò, quia nomen illud *Natura* aut significat quidditatem rei: aut Naturam substantialem: Si primum; ergo ratio non stat; siquidem Paternitas, & Filiatio sunt quidditates, non solùm realiter, sed quodammodò specie 242.

diversæ;

diversæ; idemque est de Patre, & Filio, qui realiter distinguuntur: Si secundum; ergo Intellectus creatus non est vera causa suorum actuum, cùm inter se non distinguantur naturâ substantiali, sed accidentali, utpotè entia accidentalia. Secundò, quia *P. Soar. in Met. d. 26. sect. 4. n. 12. & tom. 3. in 3. p. d. 50. sect. 3.* docet cum communi, posse idem divinitùs se ipsum reproducere, & esse causam sui ipsius; & tamen producens, & productum in eo eventu sunt idem in natura; ergo &c.

243. Dicent, producens ibi esse Deum ut causam principalem, rem verò productam solùm habere rationem principii instrumentalis; sicque licet principium instrumentale, & terminus productus forent idem in natura; principium autem principale foret diversum, quod satis esset ad rationem causæ. Sed contra, quia aut principium instrumentale influit, & dicitur causa; aut non: Si primum; ergo jam ad rationem causæ non requiritur diversitas in natura; nam si ita non requiritur ad rationem causæ instrumentalis, neque ad rationem causæ principalis; neque enim dabitur diversa ratio: Si secundum; ergo perperàm dicitur, idem causari à se ipso, cùm à se ipso non accipiat esse.

244. Secunda ratio est *P. Arriaga 1. p. d. 44. sect. 1. subsect. 3. n. 18.* ex definitione Causæ, quam ipse de novo adducit; dicit enim Causam esse illam, *Quæ influit esse in naturam*; sed Pater non influit in Naturam Divinam; siquidem hæc est omninò improducta; ergo Pater non est, neque dicitur causa Filii. Hinc etiam, inquit, sequitur, posse idem esse causam sui ipsius, licet nulla detur distinctio inter producens, & productum, dummodò producatur natura. Non placet, primò, quia contra hanc suam definitionem faciunt, quæ contra definitionem communiter acceptam diximus supra *n. 242.* Secundò, quia appositâ hac definitione P. Arriagæ, videtur non sibi cohærere *d. 45. num. 32.* quatenùs argumento sumpto ex reproductione Christi Domini, quâ se in Eucharistia reproducit, ut assignet distinctionem inter producentem, & productum, recurrit ad communem responsionem dicens, terminum productum esse humanitatem, principium verò producens esse ipsum Deum.

245. Tertia ratio est *P. Martinon. d. 24. n. 119. & d. 28. n. 21.* quamvis docet, non habere rationem causæ, nisi illud, quod extrahit à non esse ad esse; sed Personæ Divinæ non sic extrahunt, neque extrahuntur ad invicem, sive inter se, neque actu, neque potentiâ; ergo inter illas non potest dari ratio causæ, & causati. Et concludit, ideò Patrem non dici in divinis causam Filii, quia non producit aliquid possibile nõ esse, sed aliquid simpliciter necessarium; quod autem est simpliciter necessarium non est ab aliquo per dependentiam, sive per causalitatem. Sed contra, quia Philosophus simpliciter fatetur, Deum esse causam Universi; & tamen docet Universum esse necessarium, & non liberum simpliciter; ergo non sufficit, quod aliquid producatur necessariò, ut dicatur simpliciter non causari.

246. Quarta ratio est *P. Arrub. 1. p. d. 119. cap. 2. n. 9. & d. 95. cap. 4. n. 11.* dicentis Patrem in divinis non dici causam Filii, quia non quodlibet producens dicitur causa, sed illud tantùm, quod producit integrã entitatem rei productæ, id est, omnia, quæ cum tali re identificantur; atqui Pater in Divinis, licet producat Filiationem, non tamen producit Naturam, quæ est idem cum illa; ergo neque Pater dicitur causa, neque Filius causatus. Confirmatur primò discurrendo per omnes causas, & effectus, qui absolutè tales dicuntur; nullus enim assignabitur effectus, aut dependens, quod non accipiat entitatem secundùm omnem rationem sibi identificatam; quando enim producitur homo, producitur quidem secundùm rationem animalis, rationalis, viventis, &c.

Confirmatur secundò, quia esse effectus, sive dependens dicit aliquid ampliùs, quàm esse productum; sed non apparet quid sit illud additum supra productum, nisi quod sit ab alio secundùm suam integram rationem, id est secundùm omnes rationes sibi identificatas; ergo cùm Filiatio sit idem cum Naturâ, quæ non producitur, non dicetur effectus, sive causata, aut dependens; siquidem habet minùs originis, quam haberet, si Natura ei identificata produceretur, sicut ipsa Filiatio producitur. 247

Non placet primò, quia sufficit distinctio illa virtualis inter Naturam, & Filiationem, ut hæc non verò illa producatur; ergo etiam sufficiet, ut hæc non verò illa dicatur causata. Secundò, quia licet in Filio plus daretur originis, si non sola Filiatio, sed etiam Natura produceretur, hoc solùm facit, quod Filius non dicatur causatus secundùm omnia, non tamen quod aliqua ratione non possit dici causatus; sic enim in creatis filius dicitur causatus à patre; & tamen hic neque formam, neque materiam producit, sed solam Unionem: & hic ignis ab alio productus dicitur ab illo causatus & tamen materiam illius non producit; ergo &c. Confirmatur, quia in opinione non distinguente modos à re modificatâ, verè causatur talis res; & tamen actio causativa illius non attingit ipsos modos; siquidem priùs est rem esse, quàm esse alicubi, cùm tamen modi identificentur cum ipsa entitate rei; ergo &c. 248

Quinta ratio mihi probabilior est, quia nihil dicitur causa, neque effectus, nisi mediâ causalitate, quæ, ut tales denominationes præbeat, debet illas in se habere, saltem *ut quo*, ut patet discurrendo per omnes formas, quibus mediantibus aliquæ denominationes tribuuntur; sic enim cognitio (idemque de aliis,) quâ potentia denominatur cognoscens, & objectum cognitum, necessariò dicitur cognita *ut quo*; sed in divinis productio activa cum Patre identificata, quantùm est ex se caret principio reali; hoc enim non datur ad aliquid indistinctum; ergo talis productio non potest dici causata *ut quo*, sive causalitas, quâ mediante, id, quod producitur, dicatur causatum, & id, quod producit, dicatur causa. 249

Confirmatur primò, quia talis *productio* ita est activa, ut passiva non sit; siquidem ut diceretur passiva, deberet produci, non autem producitur, quia caret principio reali; sed carens principio non potest dici causata, neque dependens etiam *ut quo*; ergo neque quod mediante illa producit, dicetur causa, neque quod producitur dicetur causatum, sive dependens; sed Personæ productæ sunt à producentibus per productionem activam minimè passivam, sicque non causatam, neque dependentem *ut quo*; ergo neque producentes dicentur causæ, neque productæ dicentur causatæ, sive dependentes. 250

Confirmatur secundò ex receptâ definitione causæ apud *P. Soar. in Met. d. 17. sect. 1. num. 2.* quam ex Philosopho deducit *5. Met. cap. 2. & lib. 2. Physicor. cap. 3.* sic: *Causa efficiens est principium per se extrinsecum, à quo primò est mutatio:* 251

Ubi

ubi definitur causa per ordinem ad actionem; sed actio, sive productio in divinis caret principio reali, à quo sit; ergo in divinis non datur ratio causæ, neque causati.

252. Dices 1. Causalitas debet produci *ut quo*, & causari ad hoc, ut illa mediante dicatur causatum illud, quod producitur; ergo etiam productio in divinis dicetur producta *ut quo*, ut illa mediante Personæ, quæ producuntur, dicantur productæ; sed productio, quæ producitur *ut quo*, est causalitas; ergo Personæ, quæ illa mediante dicuntur productæ, dicentur etiam causatæ. Respondeo negando primam consequentiam: sola enim productio, quæ simul est activa, & passiva, ut est in creatis, dicitur produci *ut quo*, & est causalitas, quâ mediante id, quod producitur, dicitur causatum, & dependens: productio autem in divinis, cùm solùm sit activa, utpotè carens principio reali, à quo sit, non est, neque potest dici producta ut quo, sicque neque causata; ac proindè ejus terminus non potest dici causatus.

253. Dices 2. Potentia Divina *ad intra*, ut supra diximus *num. 28.* non solùm est ad Personas, sed etiam ad productiones; ergo non solùm Personæ, sed etiam ipsæ productiones dicentur productæ *ut quo*, quibus mediantibus ipsæ Personæ dicentur productæ *ut quod*, & causatæ. Respondeo negando antecedens quoad secundam partem, si loquamur de productionibus activis, ad quas non est *ad intra* potentia realis, cùm ipsæ productiones activæ sint indistinctæ, ad illud autem, quod est indistinctum non datur potentia realis, ut diximus loco citato.

254. Hinc colliges hujusmodi prædicata, nempè esse *creatum*, *factum*, sivè *effectum*, & similia non posse dici de Personis Divinis. Primum patet, quia esse creatum dicit productionem ex nihilo; hoc autem non convenit Personis Divinis, ut patet ex supradictis *d. 2. n. 37.* sunt enim de substantia Personæ producenis, & non ex nihilo. Secundum etiam patet ex Symbol. D. Athan. & Ecclesiæ, in quibus Filius, & Spiritus Sanctus dicuntur non facti. Patet etiam ex supra dictis de prædicato *causatum*.

DISPUTATIO IV.
De Relationibus Divinis.

SECTIO I.
De Existentiâ Divinarum Relationum.

1. NOBIS sermo non erit de relationibus *ad extra*, quæ sunt in Deo, sive ut Creator, sive ut Dominus est creaturarum: tum quia de his jam alibi egimus cum Philosophis: tum etiam quia hæ sunt rationis, ut omnes communiter concedunt. Neque etiam hîc in præsenti sermo erit de Relationibus similitudinis, identitatis, æqualitatis, &c. tum quia non sunt notionales, id est propriæ alicujus Personæ, licet in Deo Trino reperiantur, sintque respectus, ut suo loco dicemus: tum quia non pertinent ad integritatem mysterii, sed illi jam constituto adveniunt. Solùm igitur sermo erit de Relationibus *ad intra* notionalibus fundatis in originibus, tam activis, quàm passivis: Pro quibus sit:

2. Difficultas 1. Utrùm inter Personas Divinas dentur relationes reales? Affirmativè. Est de Fide. Ita *D. Thom. 1. p. q. 28. a. 1. & q. 8. de potent. Magist. in 1. dist. 26. P. Valent. 1. p. q. 2. pun. 1. P. Molin. 1. p. q. 28. a. 1. P. Soar. lib. 5. cap. 1. n. 2. P. Vasq. 1. p. d. 114. cap. 1. P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 1. n. 7. P. Ruiz d. 9. sect. 1. P. Granad. tr. 3. d. 1. P. Arrub. 1. p. d. 99. cap. 1. n. 3. P. Arriaga d. 48. sect. 2. P. Martin. d. 26. sect. 1. P. Præposit. 1. p. q. 28. a. 1. P. Amicus d. 29. P. Alarcon. tr. 5. d. 3. cap. 1. n. 2. P. Compton. tom. 1. d. 52. sect. 1. n. 1. P. Rhodez tom. 1. d. 6. q. 2. sect. 7. §. 1.* & omnes alii Catholici, inter quos est extra controversiam.

3. Probatur primò ex Scriptura, Conciliis, & Sanctis Patribus, Scriptura enim pluribus in locis appellat Personas Divinas nominibus significantibus hujusmodi respectus ad aliud, qualia sunt nomina *Verbum, Spiritus Sanctus, Pater*, & *Filius*; sic enim dicitur de prima, & secunda Persona Matt. 11. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater.* Et de secunda Joan. 1. *In principio erat Verbum.* Et de omnibus Matt. 28. 17. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et 1. Joan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*; *Verbum* autem dicentis est verbum; & *Spiritus* spirantis est Spiritus; *Pater* verò, & *Filius* propriè significant relationes in creatis, sicque etiam in Divinis. Hoc expressiùs declararunt Concil. Tolet. 7. *Pater*, inquit, *ad Filium, & Filius ad Patrem, & Spiritus Sanctus ad utrumque refertur.* Et infra. *In relatione Personarum cernitur numerus.* Idem sumitur ex 6. Synod. act. 11. Ex Concil. Lateran. *cap. Firmiter. de Sum. Trinit.* Ex Florent. *sess.* 18. & 19. ubi Personæ Divinæ dicuntur esse *ad aliquid.* Ex *D. Nazian. orat. 3. de Theolog. D. Basil. epist. 43. D. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 8. & 9.* ubi dicit, *Solam substantiam & relationem propriè in Deo inveniri. D. Fulgent. Respons. 1. ad Arian. D. Ansel. lib. de Process. Spirit. Sanct. cap. 2. & 3.* ex quo sumpta est illa propositio: *Relatio in Deo multiplicat Trinitatem.* Et, *In Divinis omnia sunt unum, quando non obstat relationis oppositio*, quod etiam habet *Boët. lib. de Trinit.* ergo &c.

4. Probatur secundò rationibus: Prima, quia ubi datur producens, & productum realiter, necessariò danda est relatio realis fundata in ipsâ productione tam activâ, quàm passivâ, sive ex parte utriusque extremi, si utrumq; sit ejusdem rationis, & naturæ; sive ex parte unius tantùm extremi, si sit diversi ordinis, & naturæ, ut patet in relatione creaturæ ad Creatorem, & Creatoris ad creaturam, illa enim est realis, hæc autem rationis; sed in divinis datur producēs, & productum realiter ejusdem ordinis, & naturæ; ergo etiam dabitur relatio realis.

5. Secunda quia Personæ Divinæ, ut supra diximus, & infra dicemus constituuntur relationibus; ergo hæ sunt reales; neque enim possunt in se constitui aliquo rationis. Tertiò, quia Personæ Divinæ, ut fides docet, distinguuntur inter se realiter; sed hujusmodi distinctio provenit ab oppositione reali; hæc autem consistit formaliter in relationibus, ut patet ex communi Theologorum proloquio: *In Divinis omnia sunt idem, quando non obstat relationum oppositio*; ergo in Deo dantur relationes reales. Confirmatur, quia Personæ Divinæ habens

habent oppositionem inter se, & ad invicem; ergo ad invicem habent relationem; oppositio enim formaliter est relatio.

6. Argues 1. ex Boëtio lib. 1. de Trinit. cap. 6. ubi dicit, *Cætera prædicamenta convenire Deo secundùm substantiam; Ad aliquid verò nullo modo de ipso prædicari*; ergo &c. Respondeo Boëtium dicere non prædicari de Deo *Ad aliquid* diversum in Natura: sicut quando dicit, relationes *ad intra* esse ejusdem ad se ipsum, intelligendus est in sola Natura, in qua Personæ sunt idem; non autem in relationibus, in quibus sunt diversæ, quæ diversitas, & distinctio sufficit, ut ad invicem referantur per relationes reales; sicut sufficit, ut detur producens, & productum realiter.

7. Argues 2. Aliqui ex Patribus appellant Relationes Divinas nomina Relationum; ergo intelligunt in Deo *ad intra* non dari veras Relationes, sed solùm nomina. Respondeo Patres appellare nomina Relationum, sicut appellant nomina Personarum: Unde sicut per nomina Personarum intelligunt veras & reales Personas; ita etiam per nomina Relationum veras & reales relationes intelligunt.

8. Argues 3. Deus nominatur Creator *ad extra* per solam relationem rationis; ergo etiam per solam relationem rationis denominabitur producens *ad intra*. Respondeo negando consequentiam, diversa ratio est, quia esse Creatorem (idemque est de prædicato *Dominus*) in actu secundo respectu termini realiter producti, & existentis, est prædicatum Deo contingens, sicque potest provenire ab extrinseca denominatione creaturæ, & sola relatione rationis; siquidem Deus intrinsecè mutari non potest; mutaretur autem, si aliquid intrinsecum reale in se de novo reciperet: at verò esse producens, & productum; Patrem, & Filium; Spiratorem, & Spiratum sunt prædicata essentialia Personarum, ut Personæ sunt; non autem potest eis ut sic convenire, quod eis non sit intrinsecum, & reale; ac proinde reales, & intrinsecæ sunt eis ipsa prædicata, sive relationes.

9. Instabis: Deus denominatur Creator realiter per actionem creativam, quæ est realis productio; ergo etiam denominabitur Creator realiter per relationem Creatoris in ipsa actione fundatam. Respondeo negando consequentiam; Deus enim per actionem creativam denominatur Creator fundamentaliter; formaliter autem per relationem Creatoris, non realem, sed rationis: tum ob rationem proximè factam: tùm etiam quia ad relationem realem opus est, quod extremum ab illa denominatum ordinetur ex se realiter ad aliud, & ipsum aliud postulet ad aliquid sibi intrinsecum, saltem relativum; hoc autem non datur in Deo respectu creaturarum; datur tamen in una Persona Divina respectu alterius.

10. Argues 4. Relatio realis, ut talis sit, debet habere fundamentum remotum reale, & realiter distinctum à termino, prout alibi diximus; sed in Divinis fundamentum remotum relationis, nempè Natura Divina, non ita distinguitur à termino; ergo &c. Respondeo primò majorem quoad secundam partem esse veram in creatis, non ita in Divinis; diversa ratio est, quia relationes in creatis solùm dantur ad referenda fundamenta, & extrema; non autem ad ipsa extrema constituenda: at verò in Divinis Relationes constituunt extrema relata, nempè personas, sicque possunt fundari remotè in eadem Natura, cum quo stat, quod extrema sint diversa. Respondeo secundò, Relationes Divinas propriè non fundari in Natura Divina, licet cum illa identificentur; siquidem cùm sint per se subsistentes, & constituentes Personas, non indigent fundamento, sed ipsæ per se sunt simul extrema, fundamenta, & relationes: at verò in creatis aliter se res habet, cùm relationes requirantur ad referendum aliud à se diversum, ac distinctum.

11. Argues 5. Ens necessarium, quovis alio remoto, semper persistit, ac proindè est quid absolutum; sed Personæ Divinæ sunt ens necessarium; ergo etiam quid absolutum, & non relativum; relativa enim sine termino non possunt persistere. Respondeo majorem esse veram de ente necessario absoluto, non autem relativo. Si tamen velis etiam de relativo esse veram, dicendum est solùm verificari de remotione alterius simpliciter diversi, atque distincti; aut alterius contingentis; quo pacto se non habent Personæ Divinæ; cùm sint simpliciter necessariæ, & indistinctæ naturæ.

12. Inferes: Ergo saltem dabitur ibi in divinis aliqua dependentia; siquidem relativum sine termino, à quo dependet, esse non potest. Respondeo negando illationem: inter relativa quidem datur mutua connexio, quæ longè aliud est à dependentia; hæc enim semper supponit prioritatem saltem naturæ; cùm tamen relativa sint simul naturâ; illa autem prioritas non datur in Relationibus Divinis.

13. Difficultas 2. Utrùm Relationes Divinæ sint reales, non solùm secundùm esse *in*, sed etiam secundùm esse *ad*? Certũ est primò, ut alibi *jam diximus* in relationibus inveniri esse *in*, quo scilicet sunt in subjecto, hancque rationem esse veluti generi-cam, & propriam accidentis, quod suum esse habet in subjecto. Secundò, hanc rationem, sive esse *in* reperiri in Relationibus Divinis, non quatenùs dicit imperfectionem, sive dependentiam à subjecto, sed quatenùs dicit modum essendi in Personis, sive in natura per identitatem: aut etiam quatenùs dicuntur subsistentes in se ipsis. Tertiò hanc rationem sine dubio esse realem in divinis, cùm etiam talis sit in creatis. Quartò, præter hanc rationem *in* dari etiam in relationibus rationem *ad*, quæ est tendentia ad terminum, & ratio communis omnibus relationibus, imò illarum propria quidditas, & differentia relationis, cujus proprium est aliquid respicere, & esse ad aliud, de qua ratione hîc est præsens difficultas: Pro qua:

14. Resolutio sit: Relationes Divinæ sunt reales, etiam secundùm esse *ad*. Ita *P. Soar. lib. 5. cap. 1. n. 4.* ubi falsam dicit opinionem contrariam. *P. Arriaga d. 48. sect. 2. n. 4. P. Tanner. d. 4. dub. 1. num. 11. P. Amicus d. 19. sect. 1. n. 3.* & alii supra citati. Probatur primò, quia differentia constitutiva, seu quasi constitutiva entis realis, quales sunt relationes divinæ, ut probavimus, debet esse realis, cùm sit idem cum ipsa re, quam constituit; sed esse *ad* est differentia, quâ relationes constituuntur in sua speciali ratione, & ab aliis entibus distinguuntur; ergo &c.

15. Secundò, quia respicere in Relationibus Divinis est effectus realis; ergo etiam forma, à qua procedit, qualis est relatio, etiam erit realis secundùm suum esse formale; siquidem secundùm illud præstat talem effectum. Tertiò, quia si Relationes Divinæ non essent reales secundùm esse *ad*, ipsæ Personæ Divinæ non constituerentur, neque distinguerentur realiter; siquidem non ita constituuntur, aut distinguuntur per absolutum, sed per relativum; sublato autem esse *ad*, nihil remanet relativum

relativum; ergò &c. Quartò, quia ratio *ad* includit rationem *in*; siquidem omnis gradus superior includitur in inferiori; sed ratio *in* est realis, ut diximus; ergo & ratio *ad* talis erit; maximè in Relationibus Divinis, quæ non distinguuntur realiter à Natura Divina, includuntur intrinsecè in Personis, illasque constituunt, ac distinguunt.

16. Oppositum tenent *Caiet. 1. p. q. 28. art. 1. Capreol. in 1. dist. 22. q. 1. art. 3.* pro quibus. Objicies 1. Ex D. Thom. *1. p. q. 28. art. 1. solùm in prædicamento relationis invenitur aliquid secundum rationem*; sed hoc non est esse *in*; ergo est solùm esse *ad*. Respondeo D. Thomam in his verbis satis obscuris solùm significare, ut ait *P. Soar. cit.* quod relatio sit magis apta, ut ad instar illius fingamus relationes rationis. Utrùm autem possint etiam entia rationis secundùm proportionem ad alia prædicamenta excogitari, non est hujus loci, jam enim alibi diximus.

17. Objicies 2. Esse *ad* est commune relationibus tam realibus, quàm rationis; siquidem quælibet ad terminum refertur; sed quod est commune enti reali & rationis, non potest esse reale; alioqui jam ens rationis includeret aliquod esse reale; ergo &c. Respondeo primò negando majorem; nam esse *ad* conveniens relationibus realibus solùm est reale; conveniens autem relationibus rationis solùm est rationis.

18. Secundò esse *ad* convenire quidem relationibus tam realibus, quàm rationis, non univocè, sed analogicè, ideoque in relationibus realibus esse reale, & in relationibus rationis esse quid rationis, quin ad invicem includantur; neque enim ens rationis includit aliquid reale, neque ens reale aliquid rationis.

19. Instabis: Omne accidens reale respicit subjectum; sed relatio secundùm esse *ad* abstrahit à subjecto; sic enim solùm respicit, & dicit ordinem ad terminum; ergo secundùm esse *ad* non est realis. Respondeo negando minorem; relatio enim etiam secundùm esse *ad* respicit subjectum, quatenùs illud refert.

20. Difficultas 3. Utrùm Relationes Divinæ sint transcendentales, an prædicamentales? Dico 1. Relationes Divinæ secundùm suum conceptum implicitum, & confusum sunt transcendentales. Probatur, quia illa est relatio transcendentalis, quæ respicit terminum sub ratione alicujus muneris præstandi vel accipiendi; sed Relationes Divinæ prout sic consideratæ ita se habent; siquidem respiciunt terminos ut à se productos, & principia ut producentia; ergo &c. Confirmatur, quia Relationes Divinæ prout sic, aut sunt productiones, aut illius rationem ingrediuntur; sed omnis productio, sive causalitas respicit transcendentaliter terminum productum, & principium producens; ergo &c.

21. Oppones 1. Omnis relatio transcendens est res simpliciter absoluta; sed Personæ Divinæ non distinguuntur absolutis, sed relativis, cùm tamen distinguantur per relationes; ergo hæ sunt prædicamentales, & non transcendentales. Respondeo majorem esse veram de sola relatione, quæ est purè transcendentalis; aliter verò de illa, quæ ita est transcendentalis, ut simpliciter includat conceptum relativum prædicamentalem, ut fit in relationibus Divinis.

22. Oppones 2. Relatio transcendentalis videtur importare rationem dependentiæ; hæc autem non potest in Deo reperiri; ergo &c. Respondeo relationem transcendentalem non importare dependentiam propriè dictam, sed solam connexionem essentialem, quæ in Deo non implicat, prout alibi diximus in Phys. cùm de Omnipotentia, prout est relatum transcendens egerimus. Quod si hujusmodi connexionem essentialem dependentiam appelles, quæstio erit de nomine.

23. Oppones 3. Relationes Divinæ, licet prout sic non sint formaliter prædicamentales, tales tamen sunt virtute, quatenùs in sua virtute continent ipsas actuales relationes prædicamentales; sed hoc sufficit nè tales respectus dicantur transcendentales, sive quid absolutum; ergo &c. Respondeo negando minorem; alioqui sequeretur, etiam Essentiam Divinam, quæ eminenter continet Relationes, non esse quid absolutum, quod tamen nullus dicet.

24. Oppones 4. Relationes creatæ, neque implicitè sunt transcendentales; ergo neque tales erunt Relationes Divinæ. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in Divinis Relatio non distinguitur perfectè à productione; maximè autem distinguitur in creatis.

25. Dico 2. Relationes Divinæ secundùm suum conceptum expressum sunt veluti prædicamentales. Probatur primò, quia relatio purè transcendens est quid simpliciter absolutum, ut patet in materia, & forma; in potentia, & actu; sed Relationes Divinæ non sunt quid absolutum simpliciter; siquidem absoluta in Deo sunt cõmunia; Relationes autem quovis modo sumantur, sunt propriæ cujusvis Personæ; ergo non sunt purè transcendentales, sed etiam veluti prædicamentales.

26. Probatur secundò, quia aut possumus loqui in sententia asserente relationem adæquatè se habere ex parte unius extremi; aut in alia asserente consistere adæquatè in utroque extremo, prout scilicet includit unum in recto, & aliud in obliquo, de quo jam in *Metaphys. tract. 5. d. 1. à n. 112.* Si primum, Paternitas v. g. non solùm respicit Filium ut productio suum terminum productum, sed etiam refert Patrem, ut constitutum in esse Patris ad Filium, ut constitutum in esse Filii; siquidem cùm sit Relatio Divina, & infinita, præstat modo perfectissimo quidquid præstat paternitas creata, & finita; sicque illum respicit ut terminum actualem in ratione termini perfectissimi. Et confirmatur, quia Relatio Divina sub conceptu Hypostasis constituit Personam, & sub conceptu productionis constituit producens; ergo sub conceptu explicito Relationis respiciet terminum in ratione puri termini. Si dicatur secundum, Relatio prædicamentalis nihil aliud est, quàm Paternitas v. g. dicta in recto, & Filiatio dicta in obliquo; sicut enim Pater intrinsecè est producens ratione productionis activæ, & extrinsecè ratione productionis passivæ; ita etiam est Pater intrinsecè ratione Paternitatis, & extrinsecè simul ratione Filiationis; ergo &c.

27. Objicies 1. Relatio prædicamentalis est quid accidentale subjecto, à quo potest abesse, vel adesse sine illius corruptione; sed Paternitas (sicque de aliis) in divinis, neque est accidens, neque abesse potest à Persona, quam constituit; ergo &c. Respondeo solam relationem purè prædicamentalem, qualis est relatio creata, esse accidentalem, & posse abesse à subjecto sine illius corruptione; non ita verò relationem divinam, quæ etiam est perfectissima substantia constituens Personam, & participat perfectissimè esse relativum complectens tam rationem transcendentalis, quàm

prædicamentalis, ut diximus.

28. Objicies 2. Relatio prædicamentalis respicit terminum ut purum terminum, & non sub ratione alicujus muneris præstandi, & accipiendi; sed Relationes Divinæ respiciunt suos terminos sub ratione producentis, & producti; generantis, & geniti; spirantis, & spirati; ergo &c. Respondeo Relationem Divinam includere conceptum tùm originis, tùm Relationis, sub primoque esse transcendentalem; sub secundo autem esse quasi prædicamentalem, & ut sic explicitè respicere terminum ut purum terminum.

29. Advertes primò, me supra dixisse, Relationes Divinas secundùm conceptum expressum esse veluti prædicamentales; neque enim dicendæ sunt propriè, & rigorosè prædicamentales, cùm non sint accidentia in prædicamento Relationis constituta. Secundò, Relationes Divinas quoad suam quidditatem adæquatam esse prædicamentales, & transcendentales, licet magis propriè dicendæ sint prædicamentales.

SECTIO II.

De existentia, & numero Relationum Divinarum ad intra.

30. DIFFICULTAS 1. Utrùm Relationes Divinæ habeant existentiam relativam sibi propriam, & distinctam ab existentia absoluta Naturæ? Affirmativè. Ita *Medina 3. p q. 17. art. 2. dub. 3. Zumel. 1. p. q. 28. P. Fonsl. lib. 5. Met. cap. 8. P. Soar. lib. 3. de Trinit. cap. 5. n. 4. & tom. 1. in 3. p. d. 11. sect. 2.* indicantque *Alensl. 1. p. q. 44. Richard. in 3. dist. 1. art. 1. q. 2. Scot. in 1. dist. 11. q. 2.* tenent etiam *P. Tanner d. 4. q. 3. dub. 4. n. 10. P. Arrub. d. 104, cap. 3. P. Arriag. d. 49. sect. 2. P Compton. tom. 1. d. 56. sect. 1. num. 10. P. Amicus d. 29. sect. 7.* & alii. Probatur primò, quia Relationes Divinæ, ut condistinctæ ab Essentia habent suum proprium esse actuale; ergo etiam suam propriam existentiam, quæ est forma ponens formaliter in actu; alioqui dabitur effectus formalis sine causa formali.

31. Probatur secundò, quia Relationes Divinæ, ut condistinctæ ab Essentia terminant veram, & realem actionem: & Relatio Filii terminat unionem realem humanitatis ad Verbum; sed tam unio, quàm actio realis immediatè terminantur ad existentiam; ergo &c. Confirmatur primò, quia Relationes Divinæ habent diversam quidditatem; ergo etiam diversam existentiam. Secundò, quia relationes creatæ habent diversam existentiam ab existentia naturæ, quam referunt; ergo etiam sic habebunt Relationes Divinæ. Tertio, quia Paternitas v. g. prout distinguitur ab Essentia, est veluti quædam forma Patris; ergo dat illi aliquod esse; sed hoc non est esse Essentiæ, nec potentiale; ergo actuale, & existentiæ. Quartò, quia Essentia, ejusque existentia non includitur in ratione, & conceptu formali ipsius Relationis, ut infrà dicemus; ergo Relatio necessariò habet existentiam distinctam ab existentia Essentiæ; siquidem de ratione Relationis Divinæ est ipsa existentia, quam intrinsecè, & essentialiter includit.

32. Probatur tertiò, quia existentia debet proportionari essentiæ, & quidditati rei, cùm sit illius actus; sed existentia absoluta non proportionatur essentiæ relativæ; sicut neque existentia relativa proportionatur essentiæ absolutæ; siquidem existentia debet actuare essentiam juxta ipsius exigentiam; exigentia autem relationis est, ut actuetur existentiâ ordinatâ ad aliud, sicut exigentia rei absolutæ est, ut actuetur existentiâ ordinatâ ad se, cùm existentia debeat continere in ratione existentiæ quidquid continet ipsa quidditas in ratione quidditatis, utpotè illius actus adæquatus; quidditas autem relationis est ordinata ad aliud; ergo &c. Confirmatur, quia accidens non potest existere existentiâ substantiæ, neque è contra; ergo neque relatio poterit existere existentiâ naturæ absolutæ.

Oppositum tenent *Capreol. in 3. dist. 1. q. 1. a. 3. ad 2 contr. 2. conclus. Caiet. 1. p. q. 28. art. 2. §. Corollarium est. Ferrar. 4. contr. gentes cap. 26. §. Attendendum 3. Ægid. in 1. dist. 25. art. ult. ad 2. P. Vasq. 1. p. d. 126. cap. 2.* ubi citat pro se *D. Hieron. epist. 57. D. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 4. D. Thom. 3. p. q. 17. art. 2. ad 3. & q. 2. de potent. art. 6. & q. 8. art. 2. ad 11. P. Albertin. corollar. 9. ex prædicament. ad aliquid. P. Ruiz de Trinit. d. 15. sect. 3.* pro quibus. Argues 1. D. Thom. *1. part. q. 27. art. 2.* dicit, Essentiam, & Relationem habere idem esse: & locis supra citatis, Personas non distingui in esse, in quo subsistunt: non dari in Deo esse respectivum, sed absolutum: non esse distinguendum esse essentiale, & personale: neque relationem addere aliquod esse: neque Personas esse, nisi per esse Naturæ; ergo &c. Respondeo omnia illa loca intelligenda de esse absoluto simpliciter, & perfectissimo, sive per essentiam, quod quidem unum tantùm est, & commune omnibus Personis, ut est ipsa Divina Essentia, & Natura: nos verò loquimur de esse, sive existentiâ relativâ, quæ non est esse simpliciter, sed cum addito, sicque non est perfectio simpliciter, ac proindè nihil mirum quod multiplex sit.

Argues 2. In divinis non admittuntur tres essentiæ, etiam cum addito, nempè relativæ; ergo neque tres existentiæ, etiam cum addito, nempè relativæ. Respondeo negando antecedens, si essentia idem valeat, atque ratio formalis, sive quidditas, sic enim possunt dici tres essentiæ cum addito, nempè relativæ: licet non possint ita dici absolutè, & sine addito, cùm prout sic supponat pro Natura, quæ est una tantùm, sicut una, & eadem est existentia absoluta, quæ per existentias relativas non multiplicatur.

Argues 3. Relationes Divinæ solùm virtualiter distinguuntur à Natura Divina; ergo per illius existentiam existunt. Respondeo negando consequentiam; existentia enim Naturæ, cùm sit absoluta, est improportionata, ut per illam existat, & actuetur quidditas relativa, qualis est quidditas relationum.

Argues 4. Si quælibet Relatio Divina haberet suam peculiarem existentiam, quælibet earum existentia esset imperfecta, & incompleta; hæc autem non est admittenda in Deo; ergo &c. Respondeo negando majorem; quælibet enim illarum existentia in suo genere est completa, & perfectissima, licet talis non sit in omni genere, qualis est existentia absoluta Naturæ.

Argues 5. Spiratio activa non habet specialem existentiam, sed per existentiam Paternitatis, & Filiationis existit; ergo etiam aliæ Relationes peculiares non habebunt existentias, sed existent per existentiam Naturæ. Respondeo negando antecedens; nam spiratio activa habet diversam quidditatem actualem à quidditatibus aliarum Relationum, quæ intelligi nequit sine speciali existen-

tiâ

tiâ diversâ, quæ illam ponat in actu; alioqui daretur effectus formalis sine causa formali, ex quo magis confirmatur nostra doctrina.

38. Instabis: Spiratio activa non habet specialem subsistentiam; ergo neque specialem existentiam. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia cùm spiratio activa sit communicabilis, non potest habere incommunicabilitatem, qualis est subsistētia: at verò cùm habeat diversam, & sibi specialem quidditatem, etiam habet sibi specialem existentiam, per quam ipsa quidditas actuatur.

39. Inferes: Ergo quinque admittendæ sunt existentiæ, nempè tres relativæ realiter distinctæ; altera spirationis activæ; & altera Essentiæ Divinæ; hoc autem non videtur admittendum; ergo &c. Respondeo concedendo illationem; nam cùm sine inconvenienti, imò necessariò admittendæ sint quinque illæ quidditates, etiam sic sunt admittendæ illæ quinque existentiæ, per quas ponantur in actu.

40. Argues 6. Si darentur tres existentiæ relativæ, etiam darentur tres durationes, & tres æternitates; siquidem æternitas est duratio interminata; duratio autem est existentia perseverans; sed non admittuntur tres durationes, neque tres æternitates; hoc enim est contra Symbolum D. Athan. ibi: *Non tres æterni, sed unus æternus*; ergo &c. Respondeo negando minorem, nam sine ulla repugnantia admitti possunt tres durationes, & tres æternitates cum addito, nempè relativæ, sicut admittuntur cum addito tres essentiæ; licet non ita sint admittendæ absolutè loquendo, & sine addito; sic enim supponunt pro essentiali, & absoluto, quod in Deo non multiplicatur, & de quo intelligendus est D. Athan. loco citato.

41. Instabis: Non admittuntur in Deo tres Omnipotentiæ, neque cum addito, nempè relativæ; ergo neque sic admittentur tres existentiæ, aut æternitates Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia existentia est prædicatum transcendens sequens quidditatem rei; & æternitas est duratio interminata ipsius existentiæ; cùm autem dentur plures quidditates in Deo cum addito, debent etiam dari plures existentiæ, & plures durationes, sive æternitates ipsius existentiæ cum addito: at verò omnipotentia, sicut etiam scientia, Misericordia, & similes perfectiones, quæ sunt speciales, non sunt transcendentes, sicque neque cum addito multiplicantur.

42. Argues 7. Quodlibet Attributum absolutum non habet distinctam, & specialem existentiam; ergo neque illam sic habebit quælibet Relatio divina. Respondeo negando antecedens; cùm enim habeant suam distinctam, & specialem quidditatem, etiam habent suam distinctam, & specialem existentiam, per quam ponuntur in actu, ex quo magis confirmatur nostra sententia.

43. Argues 8. Existentia absoluta Naturæ est infinita, & à parte rei identificata cum qualibet Relatione; ergo quælibet relatio potest per illam sufficienter existere, cùm nulla in eo appareat repugnantia, imò majorem ponat perfectionem in ipsa existentia absoluta Naturæ; consequenterque de facto per illam existit; siquidem quod potest sine repugnantia esse, actu est in Deo. Respondeo negando consequentiam; quod enim Relationes non existant per existentiam Naturæ, non est propter illius insufficientiam, sed propter proportionam, quam habere debet quælibet existentia cum quidditate, quam actuat; hanc autem proportionem non habet existentia absoluta Naturæ cum quidditate relativa Relationum. Neque identificatio illa à parte rei tollit diversitatem quidditatis, & existentiæ Relationum, sicut non tollit earum oppositionem.

Argues 9. Si una tantùm in Deo esset Persona, hæc existeret eâdem existentiâ Naturæ; ergo sic etiam existunt de facto tres Personæ; siquidem eodem modo existunt nunc tres, atque existeret tunc una. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia tunc illa Persona esset absoluta, sicque posset existere existentiâ absolutâ Naturæ: at verò nunc Personæ sunt relativæ, sicque incapaces existendi existentiâ absolutâ Naturæ sibi improportionatâ. 44.

Argues 10. Si darentur tres existentiæ relativæ in Deo, sequeretur, existentiam absolutam per illas ulterius terminari; sed hoc implicat; siquidem una existentia nequit aliâ terminari; ergo &c. Resp. distinguendo majorem; sequeretur existentiam absolutam per illas ulterius terminari in ratione subsistendi; concedo majorem: in ratione existentiæ; nego majorem: sic enim Natura Divina non eget existentiis relativis: maximè verò illis eget in ratione subsistendi; cùm enim non habeat subsistentiam absolutam, ut alibi diximus, & infrà dicemus, ulteriùs postulat terminari subsistentiis relativis ob sui fœcunditatem, & perfectionem. 45.

Argues 11. cum *P. Vasq. & P. Ruiz cit.* Licet suppositum creatum præter existentiam naturæ, superaddat modum subsistendi distinctum, non dicitur habere duplicem, sed unam tantùm existentiam; ergo etiam, licet suppositа divina supra existentiam Naturæ addant triplicem modum subsistendi relativum, non dicentur habere plures, sed unam tantùm existentiam: tùm quia una existentia aliam non modificat: tùm quia modus existendi non affert Naturæ existentiam; Relatio autem divina est modus existendi, ut ait D. Damascen. *lib. 1. de Fide cap. 11.* 46.

Resp. argumentum solùm probare, absolutè loquendo, & sine addito, unum tantùm dari in Deo *esse*, sive *existere*, cùm tres illæ existentiæ relativæ eò tendant, ut Naturam in triplici hypostasi perfectissimè compleant: & hoc etiam modo unum dicitur *existere* in quovis supposito creato; licet enim illud componatur ex duplici ad minimum existentiâ, nempè naturæ, & subsistentiæ, cùm tamen ambæ per se ordinentur ad constituendum unum perfectum *existere* totale, ideò absolutè loquendo dicitur unum *existere* in illo. Hoc tamen non tollit, quominùs cum addito dici possit, in quovis supposito creato duplicem esse existentiam partialem, alteram naturæ, subsistentiæ alteram: qua etiam ratione dici potest cum addito esse in Deo triplicem existentiam, nempè relativam, non tamen partialem; siquidem cum nulla alia componunt: non cum Natura, à qua non distinguuntur; compositio autem realis supponit realem extremorum distinctionem: non inter se, cùm inter se nullam faciant compositionem. 47.

Deindè falsum est, unam existentiam non posse aliam modificare; sic enim existentia partialis creata aliam modificat ad componendum unum existere totale. Similiter falsum est, Relationem Divinam esse modum Naturæ, cùm sit entitas in suo genere perfectissima: alioqui Personæ Divinæ, quæ Relationibus distinguuntur, solùm modaliter distinguerentur; siquidem extrema eo modo distinguuntur, quo distinguuntur rationes formales, quarum ratione distinguuntur ipsa extrema. Undè 48.

D. Damascen. cit. loquitur secundùm nostrum modum concipiendi per analogiam ad creata.

49. Difficultas 2. Utrùm in Deo dentur tres Relationes notionales reales, & realiter distinctæ? Affirmativè. Est de fide. Ita *D. Thom. P. Soar. P. Vasq. P. Tanner. P. Valent. P. Præposit. P. Arriaga, P. Amicus, P. Arrub.* & omnes Doctores Catholici infra citandi. Probatur primò, quia de fide est dari tres Personas Divinas inter se realiter distinctas; sed hæ constituuntur, & distinguuntur Relationibus, ut infra dicemus; ergo cùm sint tres Personæ inter se realiter distinctæ, tres etiam realiter distinctæ erunt relationes. Secundò, quia ubi datur realis oppositio, debet necessariò dari realis distinctio; alioqui idem sibi ipsi realiter opponeretur; sed Paternitas realiter opponitur Filiationi, & utraque sic opponitur Spirationi passivæ; datur enim inter illas ratio producentis, & producti realiter; ergo &c.

SECTIO III.

Utrùm detur in Deo ad intra quarta alia Relatio realis?

50. QUÆSTIO hîc solùm est de Spiratione activa, an scilicet præter tres assignatas relationes, nempè Paternitatem, Filiationem, & Spirationem passivam, quibus constituuntur, & distinguuntur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus in ratione Personarum, detur alia quarta relatio realis, quæ dicatur Spiratio activa, perquam Pater, & Filius, prout sunt unus Spirator referantur ad Spiritum Sanctum? Pro quo:

51. Resolutio sit: Præter numeratas relationes datur quarta alia relatio realis, quæ dicitur Spiratio activa. Ita *Magister in 1 dist. 26. D. Thom. 1. p. q 28. a. 4. & q. 32. a. 3. P. Soar. lib. 5. de Trinit. cap. 4. num. 5.* ubi dicit hanc conclusionem habere certitudinem theologicam *P. Mol. 1. p. q. 28. a. 4. d. 1.* ubi contrariam sententiâ appellat erroneam. *P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 1. n. 12. P. Vasq. d. 138. P. Valent. q. 2. pun. 1. P. Arrub. d. 103. cap. 1. P. Ruiz d. 18. P. Granad. tr. 3. d. 2. P. Amicus, d. 19. sect. 1. n. 9. P. Præposit. q. 28. a. 4. P. Compton. tom. 1. d. 52. sect. 2. n. 3. P. Arriaga d. 49. sect. 1. n. 1. P. Alarcon. d. 3. tr. 5. cap. 2. n. 2.* & alii Probatur primò, quia ex Concil. Toletan. 11. in Confess. Fidei, *In Personis*, inquit, *Divinis cerni numerus, quatenùs ad invicem referuntur*; hoc autem nequit esse verum, nisi Pater, & Filius se invicem respiciant, & uterque Spiritum Sanctum, sicut ab illo respiciuntur; ergo &c.

52. Probatur secundò, quia ubi datur producens, & productum ejusdem ordinis realiter existens, & realiter distinctum, datur relatio realis mutua; sed Pater, & Filius sub ratione Spiratoris sunt unum principium reale producens realiter Spiritum Sanctum, realiter existunt, & ab illo realiter distinguuntur, ut docet fides; ergo relatione reali mutuâ respiciuntur.

53. Probatur tertiò, quia ut supra diximus, in Deo dantur duæ processiones activæ, & duæ passivæ; sed Relationes non distinguuntur perfectè à processionibus; ergo cùm hæ sint quatuor, etiam quatuor erunt illæ. Confirmatur, quia in prima processione resultat duplex relatio opposita, altera ex parte principii, & altera ex parte termini; ergo etiâ sic resultabit in secunda processione; siquidem in utraque processione sunt eædem conditiones requisitæ ad relationem mutuam fundandam; nempè fundamentum, quod est Natura; ratio fundandi, quæ est origo producentis; & extrema, seu termini distincti, & ejusdem ordinis inter se, quales sunt ipsæ Personæ producens, & producta.

54. Oppositum tenent *Gabr. & Gregor. in 1. dist. 26. Albin. Flaccus lib. 1. de Trinit. cap. 5. Hugo Etherian. lib. 3. contra Græcos cap. 2.* Pro quibus: Objicies 1. D. Aug. *lib. 5. de Trinit. cap. 14.* affirmat, Patrem, & Filium esse unum Spiratorem, sicut tres Personæ sunt unus Creator; sed hæ sunt unus Creator per relationem rationis; ergo etiam Pater, & Filius erunt unus Spirator per relationem rationis, & non per relationem realem. Respondeo negando consequentiam; neque enim hæ relationes comparantur à D. Aug. quoad entitatem, cùm una sit realis, & alia rationis, sed tantùm quoad unitatem, ita ut relatio Spiratoris in Patre, & Filio sit una tantùm, sicut una tantùm est relatio Creatoris in omnibus Personis.

55. Objicies 2. Concil. Tolet. 11. *in Confess. Fidei*, dicens, Patrem, & Filium referri ad invicem, & Spiritum Sanctum ad utrumque, non sic dicit, utrumque referri ad Spiritum Sanctum. Similiter Concil. Lugdun *sub Greg. X. cap. unico de Sum. Trinit. in 6.* Concil. Floren. *sess. 24.* Concil. Lateran. *cap. Firmiter, de Sum. Trinit.* & multi Patres, D. Damascen *lib. 1. de Fide cap. 10. & 11.* D. Aug. *lib. 5. de Trinit. cap. 11.* D. Basil. *epist. 43.* loquentes de Relationibus Divinis nullam faciunt mentionem de Spiratione activa, ergo &c. Respondeo Concilia, & Patres licet nullam faciant mentionem de Spiratione activa, non ideò illam negare; siquidem qui unum affirmat, alterum non negat. Accedit, quod ibi solùm videntur loqui de relationibus personalibus, quæ sunt tantùm tres.

56. Objicies 3. Una relatio realis non potest *in* alia fundari, ut alibi diximus; alioqui daretur processus infinitus; sed relatio Spiratoris fundatur in Paternitate, & Filiatione, quæ sunt relationes reales; siquidem Pater, & Filius per illam referuntur ad Spiritum Sanctum; ergo non est realis. Respondeo negando consequentiam; licet enim una relatio realis nequeat in alia fundari ob rationem assignatam, quia scilicet daretur processus infinitus, sine illo tamen fundaretur Spiratio activa in Paternitate, & Filiatione, cùm in illis non fundetur, prout sunt veluti prædicamentales, sed prout constituunt Personas, quæ ad amorem requiruntur. Nisi velis dicere fundari remotè in Natura, quatenùs volitio est, proximè in ratione originis spirativæ, & Relationes esse tantùm extrema spirantia. Vel dic hanc Relationem non egere fundamento, cùm sit substantia subsistens in Paternitate, & Filiatione Divina.

57. Objicies 4. Solùm admittuntur in Deo relationes reales ad constituendas Personas; sed relatio Spirationis activæ nullam Personam constituit; alioqui Personæ Divinæ essent quatuor, quod Fides negat; ergo &c. Respondeo majorem esse veram de Relationibus Personalibus: hæc autem licet non sit personalis, neque requiratur ad Personam constituendam, non ideò neganda est, cùm ad illam omnia dentur requisita. Maximè quia saltem extrinsecè spectat ad constitutionem Spiritus Sancti, quatenùs est illius activa productio, aut ad illam necessaria.

58. Objicies 5. Si Pater, & Filius haberent unam relationem spirationis activæ, Filius communicaret cum Patre in aliquo notionali; sed hoc negat

negat D. Basil. *epist. 43. cit.* ergo &c. Respondeo D. Basil. loqui de notionali constitutivo Filii quà Filii: Spiratio verò activa non est propria Filii quà Filii, sed quà Spiratoris.

59. Dubium primum est: Utrùm spiratio activa efficiat quartam relationem, sicque quatuor in Deo sint Relationes reales? Affirmativè. Ita *D. Thom. Scot.* quos citat, & sequitur *P. Soar. lib. 5. de Trinit. cap. 7. n. 3.* dicens contrariam sententiam non esse improbabilem. *P. Molin. 1, p. q. 28. a. 4. d. 1. P. Valent. d. 2. q. 2. pun. 2. P. Vasq. d. 138. cap. 2. P. Amicus d. 18. n. 33. P. Arriaga d. 49. sect. 1.* & alii supra citati. Probant *P. Soar. & P. Amicus*, quia relationes, cùm totum suum esse habeant ad terminos, per ordinem ad illos numerandæ sunt; sic enim in creatis tot numerantur relationes reales in aliquo subjecto, licet virtualiter tantùm distinguantur, quot sunt termini realiter distincti; sed Spiratio activa, licet solùm virtualiter distinguatur à Paternitate, & Filiatione, respicit terminum realiter distinctum ab illarum termino; ergo effi.it diversam relationem realem ab illis, consequenterque quatuor sunt in Deo relationes reales.

60. Hic tamen modus philosophandi, neque est necessarius, ut ex dicendis constabit, neque sufficiens: Primò, quia in Petro v. g. reperimus duas relationes identitatis scilicet specificæ, & diversitatis numericæ per ordinem ad Paulum; cùm tamen neque fundamenta, neque termini earum relationum inter se realiter distinguantur. Secundò, quia verè dicimus dari in Deo duas operationes vitales reales, nempè intellectionem, & volitionem; cùm tamen nõ multiplicentur per ordinem ad terminos; sunt enim quid absolutum; neque per ordinem ad objectum; cùm tendant primariò in unam, & eandem Essentiam Divinam. Undè meliùs.

61. Probatur resolutio, quia ut benè *P. Valent. cit. q. 6. punct. 2.* ad multiplicanda prædicata realia sufficit distinctio virtualis inter ipsa prædicata numeranda; siquidem cùm distinctio faciat multitudinem, & numerum, sufficit distinctio virtualis inter prædicata realia, ut illa possimus multiplicare, & numerare, non multitudine, & numero reali, sed virtuali, & rationis tantùm; ratio enim numerandi proportionatur, non entitati, sed distinctioni rerum, quæ numerantur; atqui Relatio spiratoris distinguitur virtualiter à Paternitate, & Filiatione, ut infra dicemus; ergo constituit distinctam relationem; consequenterque quatuor numerabuntur in Deo relationes reales. Confirmatur, quia sic dicimus dari in Deo plura Attributa, & perfectiones reales absolutæ, nempè Misericordia, Justitia, &c. cùm tamen inter se non distinguantur, nisi tantùm virtualiter; ergo &c.

62. Oppones 1. pro *Greg.* & *Gabr.* apud *P. Soar. cit. n. 2.* Si in Deo admitterentur quatuor Relationes, sequeretur, posse etiam dici, dari in Deo quatuor *res*, & quatuor *entia*; sed hoc est contra Concil. Later. cap *damnamus*: ibi: *In Deo solùmmodò Trinitas est, non quaternitas*; ergo &c. Respondeo negando sequelam; diversa ratio est, quia prædicata *res*, & *ens* ex communi usu denotant distinctionem extremorum realem, qualis non datur, saltem inter Paternitatem, & Filiationem comparatas cum spiratione activa: at verò prædicatum *relatio* est quædam formalitas significans extrema virtualiter tantùm distincta, in quo sensu benè potest dici, dari in Deo quaternitatem, nempè virtualem, & per rationem, quam non negat Concil cit. sed tantùm realem, seu quatuor res à parte rei actu distinctas.

63. Instabis: Multiplicato inferiori, nempè relatione, multiplicatur etiam superius, nempè *res*, & *ens*; sed non est dicendum, quod superius multiplicetur; ergo neque sic multiplicatur inferius; ac proindè Relationes non sunt quatuor. Respondeo majorem esse veram; dummodo superius multiplicetur eo modo, quo multiplicatur inferius; cùm autem inferius, nempè Spiratio activa solùm virtualiter distinguatur ab aliis relationibus, solùm virtualiter dicuntur multiplicari, & sic solam multiplicitatem virtualem inducunt in prædicato superiore, nempè *res*, & *ens*.

64. Urgebis: Spiratio activa solùm virtualiter distinguitur ab aliis ralationibus, ut patet ex dictis; ergo non potest cum illis constituere numerum quaternum realiter; consequenterque non sunt in Deo quatuor relationes reales. Respondeo negando consequentiam, si terminus *realiter* cadat supra relationem, quæ quidem realis est: aliter tamen si cadat supra numerum; tunc enim significat quaternitatem realem, seu rerum realiter distinctarum, quod est contra Concil. supra cit.

65. Oppones 2. Licet Scientia Divina terminata ad Angelum sit diversa, & distinguatur virtute à scientia terminata ad hominem, non idcò dicimus, dari in Deo plures scientias; ergo neque dicemus, dari in Deo quatuor relationes reales, licet Spiratio activa distinguatur virtualiter ab aliis relationibus. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in illis, quæ per solam rationem distinguuntur, numeratio & multiplicitas pendet ab hominis voluntate, sicut pendet ipsa virtualis distinctio: communis autem Theologorum usus numerandi perfectiones Divinas solùm attendit ad earum rationes veluti specificas, completas, & totales, sicque dicunt Misericordiam, & Justitiam esse plura Attributa, Scientias visionis, simplicis intelligentiæ, & mediam esse plures scientias; non ita verò dicunt multiplicem scientiam de Angelo, & de homine, sed partes unius scientiæ totalis, sicut eorum eminentiæ non dicuntur plures omnipotentiæ, sed veluti partes unius omnipotentiæ totalis: at verò relationes, cùm non solùm sint virtute distinctæ, sed veluti specie diversæ, non est cur non ponant in numero.

66. Oppones 3. Si spiratio activa constitueret diversam numero relationem ab aliis, hæc esset falsa: *Paternitas est spiratio*; sed est tam vera, atque sunt hæ: *Scientia est potentia*: *Misericordia est Justitia*: quæ ut veræ admittuntur in Deo, ut tradit *P. Soar. cit. n. 6. ex D. Aug. lib. 6. de Trinit. D. Greg. lib. 18. moral. cap. 34. & D. Bernar. lib. 5. de consider.* ergo &c. Respondeo cum *D. Thom. Scot. & P. Soar. cit. n. 8.* negando minorem; neque enim admittenda est illa: *Paternitas est spiratio*: licet admittendæ sint aliæ: Primò, quia relativa juxta communiorem sententiam habent majorem distinctionem, quàm absoluta, si non intrinsecè, de quo infra, saltem extrinsecè, & ratione termini, & in numero.

67. Secundò, quia hæc, & similes propositiones debent sumi in sensu formali, quando ex identico sequitur occasio erroris, sic nullus concedet hanc: *Generatio est spiratio*: aut è contra, quia, ut ait *P. Soar. cit.* tales propositiones sapiunt hæresim, quatenùs essent contra articulum fidei tenentem solum Filium, & non Spiritum Sanctum generari; hoc autem periculum sequeretur ex illa propositione, ex qua sequeretur confusio processionum, si diceremus verè: *Paternitas est spiratio*: *Filiatio est spiratio*: hæc autem non sequuntur in illa: *Scientia est potentia*: & similibus, quæ ideo possunt sumi in sensu

sensu identico; præsertim, quia per illas ostenditur summa identitas & simplicitas Naturæ Divinæ, ejusque Attributorum absolutorum.

68. Oppones 4. Spiratio activa solùm virtualiter distinguitur ab aliis Relationibus; sed ea, quæ sic distinguuntur non ponunt in numero; alioqui etiã sic poneretur Natura cum Personalitatibus, à quibus sic distinguitur, efficeretque quartam rem, quod tamen est damnatum, ut supra diximus; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: non ponunt in numero Relationum; nego minorem: in numero rerum; concedo minorem, ut constat ex supra dictis.

69. Dubium secundum: Utrùm præter has quatuor Relationes, quæ fundantur quasi in actione, & passione, admittendæ sint in Deo aliæ relationes reales quasi fundatæ in unitate, vel multitudine, ut sunt Relationes similitudinis, æqualitatis, & diversitatis? Negativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 42. a. 1. ad 4. P. Soa. lib. 5. de Trinit. cap. 2. n. 1. P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 1. n. 12. P. Amicus d. 19. sect. 1. n. 16.* & alii. Probatur, quia relationes fundatæ in unitate, & multitudine, prout ponuntur distinctæ à Relationibus producentis, & producti, solùm dantur ad referenda fundamenta, & extrema, quæ supponuntur fundamentaliter similia, æqualia, aut diversa, non verò ad illa constituenda; sed hoc non reperitur, neque requiritur in Deo; ergo &c.

70. Probatur Minor de relationibus fundatis in unitate, quia hæ, sive sint similitudinis, sive æqualitatis, deberent fundari in Natura, ratione cujus Personæ sunt similes, & æquales; sed Natura Divina est eadem in omnibus Personis, ac proindè non distinguitur ab extremis; fundamentum autem relationis realis debet realiter distingui à termino, ut alibi diximus in Metaph. ergo &c.

71. Probatur eadem Minor de relationibus fundatis in multitudine, quia Personalitates Divinæ, quæ sunt ratio multiplicitatis, se ipsis, imò & formaliter opponuntur; ergo non indigent aliâ oppositione formali alterius relationis superadditæ. Probatur eadem Minor de omnibus, quia Relationes Divinæ, cùm sint infinitæ in genere relationis, & alioqui similitudo, æqualitas, ac diversitas non sint rationes oppositæ conceptui producentis, & producti; siquidem Persona, quæ producit, aut producitur, eadem est similis, æqualis, ac diversa, benè possunt se ipsis præstare quidquid per aliam relationem superadditam præstare oporteret; ergo &c.

72. Oppositum tenet Scot. *quodlib. 5. art. 2. & in 1. dist. 31. q. 1.* pro quo: Dices 1. Personæ Divinæ sunt realiter similes, & æquales, ac realiter diversæ; sed hujusmodi denominationes formaliter important aliquid relativum, ut patet in creatis; ergo &c. Respondeo Personas Divinas esse quidem realiter similes, æquales, & diversas se ipsis veluti fundamentaliter, non autem formaliter per alias relationes superadditas, ut patet ex dictis.

73. Dices 2. Ad tales relationes reales dantur omnia requisita; dantur enim extrema realiter distincta, & realiter existentia; ergo &c. Respondeo negando antecedens; nam ad relationes similitudinis, & æqualitatis, ut sint reales, requiritur fundamentum distinctum à termino; sic autem non distinguitur in Deo, cùm sit eadem Natura. Deindè ad relationem diversitatis requiritur diversitas fundamentalis, quæ se ipsa non sit formalis oppositio; Personalitates autem Divinæ se ipsis formaliter opponuntur.

74. Dices 3. In eadem Natura fundantur Relationes reales producentis, & producti; ergo sic poterunt & aliæ fundari. Respondeo primò negando antecedens; cùm enim tales relationes sint Hypostases, potiùs Natura dicitur esse in Hypostasi, quàm Hypostasis in Natura. Secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia Relationes producentis, & producti in divinis non dantur primariò ad referenda fundamenta, sed ad constituendas Personas: at verò aliæ relationes dantur primariò ad referenda fundamenta, sicque hæc debent realiter distingui, ut possint fundare relationem realem.

Instabis: Spiratio activa est distincta relatio realis; & tamen non datur primariò ad constituendam aliquam Personam; ergo solutio nulla. Respondeo primò, Spirationem activam non etiam dari primariò ad purè referendum, sed ad producendum: Undè licet non constituat Personam; constituit tamen principium actu producens, seu spirans. Secundò, spirationem activam fundari saltem remotè in Paternitate, & Filiatione, quæ realiter distinguuntur à termino spirato. 75

Dices 4. Si Personæ Divinæ essent realiter inæquales, fundarent relationes reales inæqualitatis; ergo cùm sint realiter æquales, & similes fundabunt relationes reales æqualitatis, & similitudinis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia si Personæ Divinæ essent realiter inæquales, aut dissimiles, cùm talem haberent diversitatem in essentia, in ipsa diversitate essentiæ diversa haberent fundamenta: at verò cùm habeant eandem numero Naturam, & propter idẽtitatem Naturæ sint similes, & æquales, non habent in fundamento diversitatem, sive distinctionem requisitam ad tales relationes reales. 76

Instabis: Si eadem albedo v. g. poneretur in duplici subjecto: aut eadem quantitas in duplici materia, (quod fieri divinitùs non repugnat,) illa subjecta haberent relationes similitudinis, & æqualitatis; & tamen fundamentum esset idem in utroque; ergo &c. Respondeo primò negando majorem ob rationem in minori assignatam. Respondeo secundò negando consequentiam; diversa ratio est, quia fundamentum talis relationis in eo eventu non esset sola albedo in abstracto, sed ut inhærens in concreto; albedo autem ut inhærens uni subjecto distinguitur à se ut inhærente in alio; siquidem inhærentiæ sunt diversæ, & distinctæ. 77

Urgebis: Etiam identitas Naturæ cum Paternitate v. g. est diversa identitas ab identitate Naturæ cum Filiatione; ergo &c. Respondeo esse diversam quantùm est ex parte Personalitatis, non autem ex parte Naturæ, quæ deberet esse fundamentum: at verò inhærentiæ sunt diversæ, prout se tenent ex parte formæ, sic enim sunt distinctæ à subjectis. 78

Advertes, nos non negare absolutè, Relationes Divinas posse concipi, & dici relationes similitudinis, & æqualitatis: tùm quatenùs referunt Personas similes, & æquales ob identitatem Naturæ: tùm etiam quatenùs sunt similes in ratione Personæ, & relationis. Item non negare relationes diversitatis, quatenùs referunt Personam activè producentem, & passivè productam; sed solùm negare, hoc eis provenire ex distinctis relationibus superadditis, ut patet ex dictis. 79

Et ratio adhuc est, quia cùm per se hæc munia præstare possint, non est cur distinctas relationes concedamus: sicut enim eadem Relatio & constituit Personam, & eam denominat producentem, ac relatam; ita eadem illam denominat similem, & 80

& æqualem, ac diversam. Et hujus ratio est, quia in Deo distinctio provenit ab oppositione, & non è contra; ergo cùm oppositio formaliter consistat in relativo producentis, & producti, non opus est alia relatio, ut Personæ mutuò referantur.

SECTIO IV.

Quomodò Spiratio activa ab aliis Relationibus distinguatur?

81. CErtum est distingui realiter ab Spiratione passivâ, seu Relatione spirati. Patet, quia in divinis ea maximè, sive realiter distinguuntur, quæ immediatè opponuntur; sed inter spirationem activam, & passivam exercetur immediata oppositio, non minùs quàm inter generationem activam, & passivam: ergo &c. Confirmatur, quia non minùs est de essentia Spiratoris in Divinis actu spirare, & spirati actu spirari, quàm de essentia genitoris actu generare, & geniti actu generari; sed ex hoc relationes generantis, & geniti distinguuntur realiter; ergo sic distinguentur relationes Spirantis, & spirati.

82. Difficultas igitur est, quomodò spiratio activa, prout est distincta relatio à Paternitate, & Filiatione ab illis distinguatur? Triplex est in hac re sententia: Prima asserit, Spirationem activam distingui realiter à Paternitate, & Filiatione. Ita *Durand. in 1. dist. 13. q. 2. Bassol. ibid. §. Circa primum. Baccon. dist. 10. art. 1. §. 4. Henric. in sum. art. 60. q. 2. Hervæus quodlib. 7. Dionys. Carthus. in 1. d. 27. q. 1.* quos citant, non tamen sequuntur *P. Valent. P. Amicus, P. Tanner.* & alii infra citandi.

83. Secunda sententia affirmat, Spirationem activam distingui tantùm formaliter ex natura rei à Parernitate, & Filiatione. Ita *Scot. quodlib. 5. a. 2. §. Circa tamen. Major. in 1. dist. 11. q. 3. a. 2. Gabr. dist. 27. q. 1.* & alii.

84. Tertia sententia docet, Spirationem activam distingui à Paternitate, & Filiatione solùm virtualiter. Ita *D. Thom. 1. p. q. 32. art. 3. ad 3. & q. 40. art. 1. ad 1. Ægid. in 1. dist. 27. art. 1. q. 1. Richard. in 1. dist. 28. art. 1. q. 1. Caiet. 1. p. q. 32. art. 2. Capreol. in 1. dist. 13. q. 1. art. 2. P. Aureol. art. 4. Propos. 2. Argentin. dist. 11. q. 2. art. 2. P. Molin. 1. p. q. 32. art. 2. d. 3. P. Soar. lib. 5. de Trinit. cap. 5. num. 6.* ubi primam sententiam dicit esse errorem in fide. *P. Valent. q. 6. hic punct. 2. §. Secunda sententia P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 2. n. 17. P. Arrub. d. 102. cap. 3. n. 28.* qui *n. 23.* dicit primam sententiam temerariam, & periculosam in fide. *P. Vasq. d. 138. cap. 1. n. 2.* ubi primam sententiam dicit esse falsam. *P. Præpos. q. 28. art. 3. P. Granad. tract. 3. d. 2. n. 12. P. Ruiz d. 17. sect. 2. P. Arriaga d. 50. sect. 2.* qui primam sententiam vocat erroneam. *P. Amicus d. 19. sect. 2. n. 42. de quo infra. P. Alarcon. tract. 5. d. 3. cap. 2. n. 4. P. Compton. d. 52. sect. 3. n. 2. P. Rhodez d. 6. q. 2. sect. 7. §. 2.* & alii. Pro his tamen sententiis:

85. Dico 1. Spiratio activa non distinguitur realiter à Paternitate, & Filiatione, ut asserit prima sententia. Probatur primò ex Concil. Lateran. *cap. Damnamus*, definiente in Deo non esse quaternitatem rerum; esset autem, si spiratio activa à Paternitate, & Filiatione, sicut & ab spiratione passiva distingueretur realiter; siquidem præter Trinitatem Personarum, daretur quartum constitutum ex Natura, & spiratione activa, ut quarta res ab aliis Personis distincta; ergo &c.

86. Dicent ibi solùm damnari ponentes quaternitatem Personarum, non autem quarumcumque rerum relativarum. Sed contra primò, quia Concil. loquitur absolutè, & sine ulla restrictione. Secundò, quia licet Essentia, præcisis relationibus, non sit Persona, docet tamen Essentiam cum tribus relationibus non esse quatuor res; ergo damnat etiam quaternitatem rerum relativarum. Tertiò, quia si spiratio activa est res realiter distincta à tribus Personis, non minùs constituet quartam Personam, quàm aliæ tres constituunt tres Personas; siquidem non esset minùs substantialis relatio, & incommunicabilis, quàm aliæ; ergo &c.

87. Dicent non constituere Personam, quia est communicabilis Patri, & Filio. Sed contra, quia aut eis communicatur per identitatem in Essentia, & sic quælibet relatio communicat cum aliis; ac proindè aut nulla constituit Personam; aut hæc non minùs, quàm aliæ: aut communicatur per identitatem immediatam cum illis duabus ralationibus; & sic falsum est ab illis distingui realiter; hæc enim duo immediatam includunt contradictionem, ut consideranti patebit: aut eis communicatur per unionem, qualis solet intervenire inter res distinctas realiter, ideoque non constitueret Personam, sed constitutas afficeret; hoc autem est falsum; sequerentur enim plura absurda.

88. Primum, quod Pater (idemque de Filio) quatenùs spirator sit compositus ex rebus realiter distinctis. Secundum, quod tertia Persona sit simplicior, quàm aliæ. Tertium, quod Paternitas, & Filiatio componerent cum spiratione activa in ratione potentiæ, & actûs. Quartum, quod Spiratio activa haberet rationem accidentis; siquidem adveniret supposito constituto, quod non posset substantialiter afficere. Quintum, quia jam in divinis non haberet locum illud principium: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*; siquidem inter has relationes non est oppositio, cùm non comparentur ut correlationes, neque ut terminus, & relatio; ergo &c.

89. Probatur secundò, quia sive spiratio activa, ut distincta realiter à Paternitate, & Filiatione, sit personalitas, sive non, eo quod sit communis, ut dicunt, certum est ex illa, & Essentia fieri unum totum adæquatè distinctum ab aliis Personis; siquidem, ut patet ex dictis, non unitur Patri, & Filio; sed hoc admisso, sequeretur, Spiritum Sanctum non procedere à Patre, & à Filio, quod est contra fidem; procederet enim ab eo toto ex Essentia, & relatione spirationis constante, quod licet denominetur commune Patri, & Filio, non ideò est Pater, & Filius, sicque quod ab illo toto procedit, propriè, & in re non procedit à Patre, & à Filio, nisi ad summum denominativè, quod non est dicendum; ergo &c.

90. Probatur tertio; quia omnis distinctio realis in divinis non provenit ex limitatione, sed ex oppositione, ideoque est constans Concil. Patr. & Theologor. axioma illud, de quo supra: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obstat relationis oppositio*; atqui Spiratio activa non opponitur Paternitati, & Filiationi; siquidem Pater, & Filius sunt unus, & idem Spirator, ut fides docet; sed solùm opponitur Spirationi passivæ; ergo solùm ab hac, & non ab illis realiter distinguitur.

91. Probatur quartò, ex Sanctis Patribus asserentibus, Patrem, & Filium sola Paternitate, & Filiatione distingui inter se D. Athan. *Dialog. 1. de sanct. Trinit.*

Trinit. Nullâ, inquit, *differentia, neque in Natura, neque in voluntate, sed in eo tantùm, quod gignere, & gigni, emittere, & procedere, sive emitti inter se differunt.* Hoc etiam dicit *D. Damascen. lib. 1. Fidei cap. 11. D. Cyrill. lib. 1. Thesaur. cap. 8.* & alii apud Doctores supra cit. sed non solùm distingueretur, si spiratio activa realiter distingueretur à Paternitate, & Filiatione; tunc enim etiam spiratione activâ Pater & Filius inter se distinguerentur; ergo &c.

92. Argues 1. Totum esse relationis est ad aliud; sed Pater per Paternitatem respicit Filium; & Filius per Filiationem respicit Patrem; ergo neuter iisdem relationibus potest respicere Spiritum Sanctum; alioqui esse Paternitatis non esset totum ad Filium; neque Filiationis ad Patrem. Respondeo distinguendo consequens; neuter iisdem relationibus formaliter sumptis potest respicere Spiritum Sanctum; concedo consequentiam: materialiter, & entitativè sumptis; nego consequentiam: neque enim repugnat, eandem relationem entitativè respicere plures terminos formaliter diversos, ita ut totum suum esse, sed non totaliter sit ad quemlibet terminum; totum autem, & totaliter ad omnes.

93. Argues 2. Sicut se habet spirare ad spirari, ita se habet generare ad generari; ergo proportione commutata, sicut se habet generari ad spirari, ita se habebit generare ad spirare; sed generari, & spirari differunt realiter inter se; ergo etiã sic different generare, & spirare. Resp. negando primã consequentiam; in divinis enim deficiunt leges commutatæ proportionis, quoties proportio ducitur ab oppositis ad non opposita, ut fit in præsenti. Undè generari, & spirari distinguuntur realiter, & non ita distinguuntur generare, & spirare, quia illa prædicata opponuntur, saltem mediatè, quatenùs Filius, qui dicitur generari, spirat, & ut spirator immediatè opponitur spirato: at verò non ita opponuntur generare, & spirare; idem enim Pater generat, & spirat.

94. Argues 3. Duabus relationibus disparatis specie realiter differentibus correspondent aliæ duæ specie etiam realiter differentes; siquidem eadem relatio secundùm speciem non opponitur pluribus relationibus secundùm speciem; sed generari, & spirari sunt duæ relationes specie realiter differentes; ergo generare, & spirare, quæ sunt relationes eis correspondentes, erunt etiam specie realiter inter se differentes. Respondeo primò cum *P. Amico d. 19. sect. 2. n. 50* distinguendo majorem: correspondent aliæ duæ specie realiter differentes in ratione relationis; concedo majorem: in ratione rei; nego majorem: undè solùm sequitur Paternitatem, & Spirationem activam correspondentes Filiationi, & spirationi passivæ differre tantùm specie realiter in ratione relationis per ordinem ad diversos specie terminos, non autem in ratione rei, sive differre specie realiter terminativè, non subjectivè. Ita P. Amicus juxta suam sententiam, asserit enim loco cit. *num. 46.* spirationem activam in ratione relationis distingui realiter à Paternitate, licet non ita distinguatur in ratione rei.

95. Probat, quia ratio relationis sumitur ex ordine ad terminum, cùm tamen ratio rei sumatur ex entitate; sed terminus spirationis activæ in ratione relationis distinguitur à Paternitate realiter; ergo sic ab illa distinguetur ipsa spiratio activa in ratione relationis, licet non ita distinguatur in ratione entitatis, utpotè eadem in entitate cum ipsa Paternitate.

Non placet 1. quia ut patet ex supra dictis *n. 14.* & docet idé P. Amicus cit. *n. 4.* esse *ad* relationis est quid reale, & est res; ergo si spiratio activa distinguitur realiter à Paternitate secundùm esse *ad*, sive specificum relationis; etiam sic distinguetur secundùm esse *in* genericum, sive subjectivè, & entitativè, quod P. Amicus negat. Secundò, quia ut benè *P. Molin. cit. a. 3. d. 2.* sequeretur, dari in Patre distinctionem realem inter ea, quæ in eo sunt, & quidem sine ulla oppositione. Tertiò, quia ut ait *P. Vasq. cit. n. 3.* multiplicato inferiori multiplicatur etiam superius; ergo si realiter distinguuntur in ratione relationis, quod est inferius, etiam sic distinguentur in ratione rei, sive entis, quod est superius. Nam quomodò fieri potest, ut una relatio secundùm rationem relationis non sit alia realiter, & illæ non sint duæ res, & duo entia realiter? Undè si P. Amicus solùm intendit, quod illæ relationes habeant terminos diversos, & realiter distinctos, id libenter admittimus, indètamen non sequitur, eas esse realiter distinctas. Igitur ad argumentum. 96.

Respondeo secundò, generari quidem, & spirari esse relationes specie realiter distinctas, quibus videntur correspondere relationes specie realiter distinctæ, quales tamen non sunt spirare, & generare quoad entitatem physicam actu sumptam à parte rei, licet tales sint quoad quidditatem, quod sufficit, ut correspondeant generationi, & spirationi passivis. Patet in Actione, & Passione; in Ubi, & Situ in creatis, quæ sunt duo genera primò diversa quoad quidditatem, licet non ita sint quoad entitatem physicam. 97.

Instabis: Non assignabitur major ratio, cur magis opponantur generari, & spirari, quàm generare, & spirare; siquidem Pater ut Pater solùm opponitur Filio formaliter, quà Filio, & Filius Patri, quà Patri; uterque autem opponitur quà unus spirator Spiritui Sancto; neque enim producunt Spiritum Sanctum per Paternitatem formaliter, & per Filiationem, sed per ipsam spirationem; ergo non magis videntur opponi generari, & spirari, quàm generare, & spirare. Respondeo negando antecedens; major ratio est, quia generari, & spirari non solùm sunt productiones passivæ, sed etiam subsistentiæ constituentes Personas, quibus immediatè repugnat invicem communicari: at verò spirare ita est productio activa, ut non sit subsistentia, sed supponat Patrem, & Filium constitutos in ratione Personæ, sicque illi non repugnat communicari, & esse idem realiter cum Paternitate, & Filiatione. 98.

Argues 4. Si Paternitas, & Filiatio non distinguerentur realiter ab spiratione activa, etiam non distinguerentur realiter inter se; *siquidem quæ sunt idem realiter in uno tertio, sunt idem realiter inter se*; sed illud est falsum; ergo &c. Respondeo negando majorem, cujus probatio solùm valet, quando illa, quæ sunt eadem in uno tertio, nullo modo ab illo distinguuntur: non ita verò quando ab illo ita distinguuntur virtualiter, & æquipollenter, ac si realiter distinguerentur. Patet in Natura Divina, in qua Personalitates sunt idem realiter; & tamen inter se realiter distinguuntur, quia scilicet ab ipsa Natura distinguuntur virtualiter, & æquipollenter realiter, ut alibi diximus, & infrà dicemus. 99.

Instabis: In Deo absoluta, quæ sunt eadem in uno tertio absoluto, sunt eadem inter se; ergo idem dicendum in relativis; consequenterque Paternitas, & Filiatio, quæ sunt idem in una spiratione activa, erunt idem inter se. Respondeo negando con- 100.

consequentiam; diversa ratio est; quia in divinis distinctio fundatur in oppositione, cùm autem absoluta neque inter se, neque uni tertio opponantur, ideò neque inter se, neque ab uno tertio distinguuntur: at verò relativa quæ sunt eadem in uno tertio relativo, possunt opponi inter se, & sic opponuntur Paternitas, & Filiatio, licet non opponantur spirationi activæ, ideòque ab illa non distinguuntur; maximè verò inter se.

101. Argues 5. Quæ ex suo conceptu sunt separabilia, distinguuntur realiter, ut est manifestum; sed spiratio activa ex suo conceptu est separabilis à Paternitate, & Filiatione; nam si Pater per impossibile non spiraret, adhuc generaret; conceptus enim generationis est independens à conceptu spirationis; ergo &c. Hoc argumentum, si valeret, etiam probaret Attributa absoluta distingui realiter; siquidem eodem modo dici potest: si Deus per impossibile non esset Immensus, adhuc esset Justus; ergo Immensitas, & Justitia distinguuntur realiter, utpotè separabiles ex suo conceptu, quod non dicent. Undè.

102. Respondeo distinguendo majorem; quæ ex suo conceptu sunt separabilia absolutè, & nulla facta suppositione, distinguuntur realiter; transeat major; factâ suppositione impossibili; nego majorem: Spiratio autem activa solùm est separabilis à Paternitate, & Filiatione, facta suppositione impossibili. Et ratio est, quia quæ in divinis nõ dicunt oppositionem, ob suam infinitatem exigunt identitatem; unde si Pater per impossibile non spiraret, jam non haberet hanc Paternitatem, & Spirationem, quas modò habet: sicut si Deus non esset immensus, eo ipso non haberet hanc Justitiam, & Omnipotentiam, quas modò habet.

103. Argues 6. Ab una, & eadem actione nequeunt esse duæ processiones immediatæ passivæ; sed generari, & spirari sunt duæ emanationes passivæ; ergo nequeunt esse ab una, & eadem actione immediata; sicque generari erit immediatè à generare, & spirari ab spirare tanquam realiter distincto. Respondeo distinguendo majorem: ab una, & eadem actione formaliter sumptâ nequeunt esse duæ processiones passivæ immediatæ realiter distinctæ; concedo majorem: ab eadem materialiter sumptâ, formaliter tamen diversâ; nego majorem: licet enim generatio activa in Patre sit idem materialiter cum spiratione activâ; est tamen ab illa formaliter diversa, quod satis est, ut generatio passiva in Filio oriatur ab activa in Patre; & spiratio passiva in Spiritu Sancto ab spiratione activa in Patre etiam, & simul in Filio: sic enim sufficit eadem distinctio, ut eadem relatio in Filio sit producentis, quatenùs spiratio activa, & producti, quatenùs generatio passiva.

104. Instabis: Implicat, relationem producentis, & producti esse unam, & eandem, etiam respectu diversorum; nam pater in humanis alia relatione respicit genitorem, & aliâ genitum, per hanc enim constituitur pater, per illam verò filius; sed spirare, & generari in Filio sunt relationes producenti, & producti respectu diversorum; ergo &c. Respondeo negando majorem, ut patet ex dictis, ad cujus probationem dicimus ab humanis ad divina non valere argumentum, est enim dispar ratio in Relationibus divinis, quæ cùm in genere relationis sint infinitæ, multa præstare potest una simplex Relatio Divina, quæ multæ, ac diversæ creatæ præstare nequeunt.

105. Argues 7. Si Spiratio activa esset idem cum Paternitate, cùm Pater producat Filium per generare, etiam illum produceret per ipsum spirare; Filiusque diceretur non solùm genitus, sed etiam spiratus; hoc autem non est dicendum; ergo &c. Resp: negando sequelam; licet enim generare, & spirare in Patre sint idem, connotant tamen diversos actus; nempè Intellectûs, & voluntatis, & diversos terminos, nempè Filium generandum, & Spiritum Sanctum spirandum. Undè sicut non potest dici: *Pater generat voluntate, & spirat Intellectu*: licet Intellectus, & Voluntas in Deo sint idem; ita neque dici potest: *Pater producit Filium per spirare, & Spiritum Sanctum per generare*: licet generare, & spirare in Patre sint idem. Et hujus ratio est, quia verba reddunt sensum formalem, & important principium præcisè secundùm illam formalitatem, ex qua proximè procedit actus.

106. Argues 8. Duæ res absolutæ, quæ realiter distinguuntur, non possunt esse idem realiter in uno tertio absoluto; ergo neque duæ relativæ, quales sunt Paternitas, & Filiatio, in uno tertio relativo, nempè spiratione activa. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia duæ res absolutæ non possunt ita distingui inter se, nisi ob limitationem; quæ autem sic limitantur, & distinguuntur, non possunt cum alia re identificari: at verò duę res relativæ non semper ob limitationem, sed aliquando ob oppositionem, quam ad invicem habent, distinguuntur; sicque fieri potest, quod si sint infinitæ, ut sunt Paternitas, & Filiatio in divinis, possint quoad reliquas perfectiones, in quibus non opponuntur, realiter identificari in una spiratione activa.

107. Argues 9. Relationes, quarum una est constitutiva, & incommunicabilis, alia verò communicabilis, & non constitutiva, distinguuntur realiter; siquidem sic distinguuntur duo entia positiva, quorum neutrum est formaliter infinitum, si unum est communicabile, & aliud incommunicabile; sed ita se habent Paternitas, & spiratio activa; illa enim est incommunicabilis, & constitutiva Patris, hæc autem communicabilis Filio, & non constitutiva Personæ, cùm tamen neutra sit infinita; ergo &c. Respondeo negando majorem: Natura enim in divinis est communicabilis, Paternitas verò incommunicabilis, & tamen non distinguuntur realiter. Deindè falsum est, Paternitatem, & spirationem activam non esse infinitas in suo genere; sicque ratione talis infinitatis possunt in eo, in quo non opponuntur, realiter identificari.

SECTIO V.

Proponuntur duæ aliæ Sententiæ, & tenenda eligitur.

108. DIco 2. Spiratio activa non distinguitur à Paternitate, & Filiatione formaliter ex natura rei, prout asserebat secunda sententia. Probatur primò, quia hujusmodi distinctio formalis à parte rei inducit diversas formalitates actu distinctas à parte rei; sicque actualem compositionem in Deo; sed in Deo à parte rei nulla est, neque esse potest actualis compositio, utpotè repugnans summæ illius simplicitati, quæ sola debet admitti in Deo à parte rei, ut definit Concil. Later. *cap. Firmiter de sum. Trinit.* ergo &c.

109. Secundò, quia duæ formalitates à parte rei actu distinctæ, sunt actu à parte rei duæ entitates; sicque distinctio formalis prout sic coincidit cum distinctione reali; sed hanc supra diximus non esse admit-

admittendam inter Paternitatem, Filiationemque comparatas cum spiratione activa; ergo &c. Tertiò, quia ubi nulla obstat oppositio, concipienda est in Deo summa identitas possibilis, ut patet ex illo D. Anselm. supra adducto, & ab omnibus Theologis recepto: *In Divinis omnia sunt Unum, ubi non obstat relationum oppositio*; sed hæc non datur inter spirationem activam, & Paternitatem ac Filiationem; ergo &c.

110. Quartò, quia sequeretur, Spiritum Sanctum esse simpliciorem, quàm Patrem, & Filium; siquidem hi componerent à parte rei formaliter cum Spiratione activa, cum qua non componeret Spiritus Sanctus; solùm enim componit cum passiva; sed hoc videtur repugnare æqualitati Personarum; ergo &c. Argumenta supra adducta pro prima sententia, etiam pro hac, & contra tertiam statim apponendam adduci poterant, sed eodem modo solvenda sunt.

111. Dico 3. Spiratio activa distinguitur à Paternitate, & Filiatione distinctione tantùm virtuali. Ita Doctores tertiæ sententiæ. Probatur facilè, quia, ut diximus, non distinguitur ab illis realiter, non ex natura rei formaliter; ergo solùm virtualiter, cum alia non detur distinctio.

112. Dico 4. Hæc distinctio virtualis, non est solùm extrinseca, sive metaphysica, ac per rationem, sed intrinseca physicè juxta ea, quæ diximus de distinctione Attributorum ab Essentia in *Metaphys. tract. 1. d. 3. à num. 829.* & infrà dicemus de distinctione Relationum ab Essentia *à n. 304.* Probatur, quia de Spiratione activa, & Paternitate, ac Filiatione verificantur à parte rei prædicata physicè contradictoria independenter ab omni conceptione intellectûs; siquidem à parte rei spiratio activa est communicabilis Filio, & non ita est communicabilis Paternitas à parte rei: Filiatio est idem realiter cum spiratione activa, & non est idem realiter cum Paternitate: de Paternitate dicimus, quod sit constitutiva Patris, & Origo activa Filii; de Filiatione, quod sit constitutiva Filii, & illius Origo passiva, quæ tamen à parte rei non dicuntur de spiratione activa, quæ omnia sunt prædicata physicè contradictoria; sed prædicata contradictoria à parte rei nequeunt verificari de eodem secundùm idem à parte rei; ergo à parte rei aliquo modo, nempè virtualiter intrinsecè sunt inter se distinctæ spiratio, & Paternitas, ac Filiatio. Confirmatur, quia prædicata contradictoria intentionalia, quæ per rationem opponuntur, requirunt distinctionem intentionalem, & rationis; ergo contradictoria physica, & à parte rei requirunt distinctionem à parte rei; alioqui à parte rei verificarentur de eodem secundùm idem. Quomodò autem intelligenda sit hæc distinctio virtualis intrinseca, diximus in Metaphys. loco supra cit.

113. Objicies 1. Spiratio activa communicatur Filio, & non ita ei communicatur Paternitas; ergo spiratio activa distinguitur plusquam virtualiter à Paternitate; alioqui idem communicaretur, & non communicaretur. Respondeo negando consequentiam; ad cujus probationem patet solutio ex proximè dictis.

114. Objicies 2. Paternitas, & Filiatio non sunt perfectiones infinitæ; ergo non solùm eis convenit distinctio opposita, sed etiam disparata; ac proindè distinguuntur ab spiratione activa realiter, sive formaliter ex natura rei, licet cum illa non habeant oppositionem. Respondeo negando antecedens, ut patet ex dictis *n. 107.*

115. Objicies 3. Si spiratio activa esset idem cum Paternitate, hæc propositio: *Paternitas est spiratio*: non esset falsa; siquidem propositiones, posita identitate prædicati cum subjecto, sunt veræ, saltem in sensu identico; sed illa propositio est falsa; ergo spiratio activa non est idem, sive non distinguitur solùm virtualiter à Paternitate, & Filiatione.

115. Respondeo primò cum *D. Thom. Scot. Ægid. P. Soar. lib. 5. cap. 7. n. 8. & P. Vasq. d. 138. cap. 3.* negando majorem; talis enim propositio est falsa, ut jam supra diximus, non obstante illa identitate: Primò propter periculum confundendi processiones divinas, ut supra diximus cum P. Soar. Sicut enim nemo audebit dicere: *Generatio est spiratio*: cùm tamen hæ origines activæ solùm virtualiter distinguantur, ita neque dicet: *Paternitas est spiratio.* Secundò, quia licet Intellectus, & voluntas in divinis solùm virtualiter distinguantur, falsò dicitur: *Pater producit Filium per voluntatem*; cùm tamen verè dicatur: *Pater producit Filium per Intellectum*; ergo non sufficit identitas inter duo, ut absolutè affirmentur. Tertiò, quia Paternitas, & spiratio distinguuntur à nobis tanquam duæ species; ergo quemadmodum (inquit D. Thom.) non dicimus: *Attributum Misericordiæ est Attributum Justitiæ*: licet identicè sint idem; ita neque dicemus: *Paternitas est spiratio*: licet sint idem.

115. Respondeo secundò cum *P. Molin. q. 32. art. 3. d. 2.* data majori, negando minorem; talis enim propositio est vera, eo modo, quo sunt veræ, quæ fiunt in terminis absolutis, qualis est hæc: *Justitia est Misericordia*: quam etiam admittit *P. Soar.* siquidem cùm veritas propositionis fundetur in identitate prædicati cum subjecto; hæc autem detur inter Paternitatem, & spirationem activam, fatendum est simpliciter posse unam de alia affirmari, quemadmodum affirmantur prædicata absoluta, quæ propter identitatem verè ad invicem affirmantur. Undè:

116. Ad primum dicit, nullum esse periculum confundendi processiones; siquidem veritas illius propositionis stare potest cum distinctione virtuali, quæ sufficit ad excludendam confusionem inter processiones. Neque ideò absolutè dicendum: *Generatio est spiratio*: siquidem cùm utraque vox sit indifferens ad emanationem activam, & passivam, esset que falsa si intelligeretur de passivis; falsum enim est generationem passivam esse spirationem passivam, cùm inter se realiter distinguantur, ideò absolutè non est proferenda; maximè verò si dicas: *Generatio activa, vel passiva est spiratio activa.* Addunt aliqui, non esse improbabile, talem propositionem dici posse absolutè veram; siquidem ut propositio sit veta, satis est, quod in aliquo sensu verificetur, & ut sit falla, in nullo debet verificari, cùm negatio sit malignantis naturæ, negetque omnia; verum tamen est, generationem activam, & passivam esse spirationem activam in sensu identico.

117. Ad secundum dicit, illam: *Pater producit Filium per voluntatem*: esse falsam, quia prædicatum, nempè *voluntas*, est prædicatum adjectivum, & cùm hoc in solo sensu formali procedat; in sensu autem formali falsum sit, quod Pater producat Filium per voluntatem, ideò illa propositio simpliciter est falsa: at verò non ita est in alia: *Paternitas est spiratio activa*: in qua prædicatum non est adjectivum, ideoque potest sumi in sensu identico, & in illo verificari ratione materialis significati sic: *Quod est Paternitas est spiratio activa.*

Ad

120. Ad tertium dicit, etiam prædicata absoluta, nempè Justitiam, & Misericordiam esse veluti species diversas; sicut est Essentia, & Paternitas; & tamen verificari ad invicem ratione identitatis, quam habent; sicque similiter dicendum de Paternitate, & Spiratione activa. Ad illud D. Thom. dicit, solùm ex eo sequi hanc esse fallam: *Notio Paternitatis est Notio Spirationis*: siquidem *Notio* dicit aliquid rationis, quod est distinctum in Paternitate, & Spiratione; sicut etiam dicit *Attributum*. Undè quemadmodum dicimus verè: *Justitia est Misericordia*: non tamen: *Attributum Justitiæ est Attributum Misericordiæ*: ita verè dicimus: *Paternitas est Spiratio*: non tamen: *Notio Paternitatis est Notio Spirationis.*

SECTIO VI.

Virùm Spiratio activa includatur formaliter in Paternitate, & Filiatione?

121. CErtum est primò, Paternitatem, sive Filiationem non includi in spiratione activa. Probatur, quia Spiratio activa est communis Paternitati, & Filiationi; sed non ita esset communis Filiationi, si includeret quidditativè Paternitatem; neque Paternitati, si quidditativè includeret Filiationem; siquidem Paternitas, & Filiatio opponuntur; ergo &c. Confirmatur primò, quia ex eo, quod Essentia sit communis singulis Personis, non includit quidditativè Relationes; alioqui cùm singulæ non includant Relationes aliarum, non includerent totam quidditatem Essentiæ; & hæc non esset omnibus communis; sed spiratio activa est etiam communis Paternitati, & Filiationi; ergo illas non includit; alioqui non esset communis Paternitati, quia includeret Filiationem; neque Filiationi, quia Paternitatem includeret. Secundò, quia sequeretur distingui realiter à qualibet earum; siquidem cùm includeret Paternitatem, & Filiationem, quæ inter se realiter distinguuntur, benè sequitur, quod à qualibet distingueretur realiter, ut includens ab incluso; hoc autem negavimus; ergo &c.

122. Certum est secundò, Paternitatem, & Filiationem non includere in suo conceptu formali explicito Spirationem activam. Probatur, quia Paternitas secundùm explicitum est ad Filium; Filiatio est ad Patrem; & Spiratio activa est ad Spiritum Sanctum; ergo &c. Confirmatur, quia absoluta secundùm suos conceptus explicitos non includuntur; ergo à fortiori non ita includentur Relativa. Undè.

123. Difficultas est: Utrùm spiratio activa, saltem implicitè, & secundùm conceptum confusum includatur formaliter in Paternitate, & Filiatione? Negativè. Ita *P. Quiroz de Trinit. d. 45. n. 4.* & videntur tenere omnes asserentes, neque Essentiam in Relationibus, neque Relationes in Essentia includi formaliter etiam secundùm suos conceptus confusos, de quo infrà.

24. Probatur primò, quia Paternitas, & Filiatio, cùm sint Relationes, sunt tantùm infinitæ in suo genere, nempè Paternitatis, & Filiationis; ergo solùm includunt perfectionem in suo, & non in alio genere, qualis est perfectio spirationis activæ. Confirmatur, quia tam infinita in suo genere est spiratio activa, quàm in suo est Paternitas, & Filiatio; sed spiratio activa non includit formaliter Paternitatem, & Filiationem; ergo neque Paternitas, & Filiatio sic includent spirationem activam.

125. Dicent, Spirationem activam esse communem Patri, & Filio; quod tamen non haberet, si includeret formaliter Paternitatem, quæ est Filio incommunicabilis, ut diximus. Sed contra primò, si non est inconveniens, quod spiratio inclusa formaliter in Paternitate communicetur secundùm conceptum expressum spirationis, & non secùndùm confusum Paternitatis; etiam tale non erit sic communicari quatenùs formaliter includit Paternitatem. Secundò, quia si non implicat, Paternitatem incommunicabilem includere spirationem communicabilem; cur implicabit, spirationem communicabilem includere formaliter Paternitatem incommunicabilem? Non minùs videtur repugnare, illud, quod est essentialiter incommunicabile, includere essentialiter aliquid communicabile, quàm illud, quod est essentialiter communicabile includere essentialiter aliquid incommunicabile.

126. Probatur secundò, quia sequeretur, Paternitatem, & Filiationem in divinis non esse adæquatè diversas; siquidem includerent formaliter aliquid utrique commune, nempè ipsam Spirationem activam; hoc autem est contra commune Theologorum, qui ob eandem rationem dicunt, Essentiâ non includi formaliter in Relationibus; ergo &c.

127. Dicent, adhuc manere diversas secundùm conceptus expressos, quod videtur sufficere. Sed contra, ergo etiam Essentia includetur formaliter in Relationibus, quia adhuc secundùm conceptus expressos manebunt diversæ.

128. Oppositum tenet *P. Ruiz de Trinit. d 17. sect. 6.* & aliqui Recentiores: pro quibus: Argues 1. Paternitas, & Filiatio, licet non sint infinitæ simpliciter, & in omni genere, tales tamen sunt in certo genere, nempè in genere relativo; ergo in tali genere includunt formaliter omnem perfectionem, quæ illis nõ opponitur; alioqui non essent infinitæ in tali genere; sed spiratio activa nõ illis opponitur, ut diximus; ergo &c. Resp. negando antecedens quoad ultimam partem; neque enim Paternitas, & Filiatio sunt infinitę in genere relativo; alioqui sicut perfectiones infinitæ in genere absoluto, nempè quodlibet Attributum, includunt formaliter omnem perfectionem absolutam; sic etiam perfectio infinita in genere relativo includeret formaliter omnem perfectionem relativam, quod est falsum; alioqui Paternitas sic includeret Filiationem, & utraque spirationem passivam.

129. Instabis: Ideò Paternitas non includit formaliter Filiationem, neque utraque sic includit spirationem passivam, licet alioqui sint infinitæ in genere relativo, quia sunt ad invicem oppositæ; sed non ita opponuntur spirationi activæ; ergo &c. Respondeo data majori, & minori, negando consequentiam: alioqui spiratio activa, cùm non opponatur etiam Paternitati, & Filiationi, illas includet formaliter, quod ipsi Adversarii negant. Undè Paternitas, & Filiatio, non in genere relativo, sed Paternitatis, & Filiationis sunt infinitæ.

130. Argues 2. De conceptu quidditativo Filiationis est constituere Personam Filii secundùm rationem illius adæquatam; illius autem ratio adæquata est, quod sit Persona simul cum Patre producens Spiritum Sanctum; sed in tali ratione

constituitur per spirationem activam; ergo hæc includitur formaliter in Filatione. Respondeo negando consequentiam; nam etiam de quidditate spirationis activæ est constituere spiratorem secundùm suam adæquatam rationem, quæ est, ut sit duplex Persona producens Spiritum Sanctum; & tamen non exindè sequitur, spirationem activam includere formaliter, neque confusè Paternitatem, & Filiationem. Similiter etiam de quidditate Filiationis est constituere Personam Filii secundùm adæquatam rationem, quæ est, ut sit Persona, quæ simul cum Patre, & Spiritu Sancto sit unus Deus; & tamen non exindè sequitur, Filiationem includere formaliter, neque confusè Deitatem; alioqui ab illa non distingueretur adæquatè.

131. Addo, posse etiam dici, non esse de adæquata quidditate Filii esse Personam simul cum Patre producentem Spiritum Sanctum per se ipsum formaliter, ut per formalem productionem, sed tantùm radicaliter, prout exigit ipsam formalem productionem, nempè Spirationem activam; siquidem de illius quidditate (idemque dicendum de Patre) solùm est postulare habere secùm identificatam spirationem activam; non autem esse spirationem activam formaliter. Patet in ipsa spiratione activa, de cujus quidditate est postulare identificari cum Paternitate, & Filiatione; non tamen quòd sit Paternitas, aut Filiatio formaliter. Similiter de quidditate Relationum est postulare identificari cum Deitate; non tamen esse Deitatem formaliter.

132. Argues 3. Filiatio, quæ de facto datur, distingueretur essentialiter ab alia Filiatione impossibili, quæ simul cum Paternitate non produceret Spiritum Sanctum per spirationem activam, quam formaliter non includeret; sed id, per quod aliquid essentialiter distinguitur, illud formaliter includit, ut patet in rationali respectu hominis; ergo &c. Respondeo argumentum, si valeret, etiam probare, spirationem activam, quæ de facto datur, includere formaliter Filiationem, quæ de facto datur, utpotè quæ etiam distingueretur essentialiter ab illa Filiatione impossibili, quæ prout sic non produceret Spiritum Sanctum. Undè argumentum solùm probat, Filiationem, quæ de facto datur, distingui essentialiter ab illa alia impossibili, quatenùs postulat identificari cum spiratione activa, quod illa alia impossibilis non haberet. Patet, quia ut rationale, quod de facto datur, distinguatur essentialiter ab alio rationali impossibili, quod non esset risibile, satis est, quod illud de facto postulet risibilitatem, quin illam formaliter includat, quam tamen hoc impossibile non postularet.

133. Argues 4. Pater, & Filius, saltem radicaliter distinguuntur ab Spiritu Sancto per Paternitatem, & Filiationem; formaliter verò per spirationem activam; ergo hæc est veluti actus ultimus constituens principium Spirativum, in quo formaliter includitur. Respondeo Patrem, & Filium differre quidem radicaliter ab Spiritu Sancto per Paternitatem, & Filiationem; formaliter verò per spirationem activam; ex hoc tamen non sequi, hanc in illis includi formaliter; nam homo differt à bruto per rationale radicaliter; formaliter verò per relationem differentiæ; & tamen hæc non includitur formaliter in rationali. Undè licet Pater, & Filius includant formaliter spirationem activam, prout sunt unus spirator; non ideò spiratio activa includitur formaliter in Paternitate, & Filiatione: alioqui dicant, Omnipotentiam includi formaliter in Personalitatibus; quia sic includitur in Personis; prout sunt unus Creator.

134. Argues 5. Si spiratio non includeretur formaliter, saltem confusè in Paternitate, & Filiatione, illis adveniret jam in suo esse constitutis, & cum illis efficeret compositionem per modum accidentis; sed hujusmodi compositio magis videtur Deo repugnare, quàm compositio ex genere, & differentia, quam alibi negavimus; ergo &c. Respondeo negando minorem quoad primam partem; tùm quia hæc compositio accidentalis metaphysica admittitur inter Essentiam, & Attributa: tùm etiam, quia ipsi Contrarii tenentur illam admittere secundùm conceptum expressum spirationis activæ, secundùm quem dicunt non includi formaliter in Paternitate, & Filiatione, quam igitur responsionem ipsi dederint secundùm expressum, hanc etiam nos dabimus secundùm confusum. Accedit, spirationem activam non advenire Patri, & Filio constitutis in suo esse spiratoris, sed illos in tali ratione constituere, quod satis est, ut non sit accidens.

135. Argues 6. Ex eo, quòd potentiæ creatæ adveniant personæ jam constitutæ, sequitur esse accidentia, licet eam postea constituant in ratione operandi; sed spiratio activa advenit Personis jam constitutis; ergo licet postea illas constituat in ratione unius spiratoris, erit accidens. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia creaturæ non repugnat ratio accidentis, neque illius compositio, utpotè imperfecta: at verò Deo repugnat talis ratio, & compositio, utpotè ens perfectissimum, & simplicissimum, ut alibi jam diximus in Metaphysica. Undè etiam fit, quod Intellectio, & Volitio, prout sunt potentiæ notionales, non sint accidentia, licet adveniant Deo per rationem jam constituto in suo esse; etiamsi in creatis omnis potentia sit accidens.

SECTIO VII.

Vtrùm Spiratio activa in Patre, & Filio sit una simplex: & à Patre communicetur Filio?

136. DIFFICULTAS 1. Utrùm spiratio activa sit una tantùm, & simplex in Patre, & in Filio, ita ut tota sit in Patre, & tota in Filio, tota tamen, & totaliter in utroque? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 36. art. 4. P. Soar. lib. 5. de Trinit. cap. 6. n. 5.* qui contrarium dicit plusquam temerarium. *P. Alarcon. tract. 5. d. 3. cap. 2. n. 7.* ubi oppositum dicit errorem in fide. *P. Præposit. q. 36. art. 4. dub. 5. num. 12. P. Ruiz de Trinit. d. 18. sect. 2. & 3. P. Amicus d. 19. sect. 2. n. 43.* & alii. Probatur primò ex Concil. Florent. in literis unionis, ubi ab Eugenio IV. definitur, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & à Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex eodem principio, non duabus spirationibus, sed unicâ spiratione. Idem eisdem fermè verbis definitur à Greg X. in Concil. Lugdun. & habetur *cap. Firmiter de sum. Trinit. in 6.* & eodem fermè modo loquuntur Sancti Patres apud Doctores cit. ergo &c.

137. Dices 1 cum *P. Arriaga, qui d. 50. sect. 2. n. 11.* fatetur magis inclinare in oppositum, quamvis tamen recedere non audeat à communi sententia, Concil.

Concil. & Sanctos Patres per unicam spirationem intelligere ibi spirationem passivam, quæ Spiritum Sanctum ut veram Personam constituit. Sed contra, quia præter quam quod hæc interpretatio sit omninò libera, & absque fundamento, Concilia, & Sancti Patres eo sensu dicunt esse unam spirationem, quo dicunt esse unicam generationem in Divinis; sed generatio est unica, non solùm passivè, sed etiam activè sumpta; ergo &c.

138. Dices 2. Nomine spirationis intelligi à Conciliis originem; hæc autem potest esse unica, licet relatio sit duplex propter Paternitatem, & Filiationem, in quibus fundatur. Sed contra, quia origo in divinis coincidit cum relativo; siquidem quidquid non est communicabile toti Trinitati, est relativum, neque potest esse absolutum; ergo si origo est unica, etiam unica est relatio.

139. Dices 3. Spirationem esse unicam relationem unitate collectionis, quatenùs ex duplici partiali, & inadæquatâ consurgit; non autem unitate ejusdem indivisibilis relationis. Sed contra, quia Concilia eodem modo dicunt esse unicam Spirationem, quo dicunt esse unicum Spiratorem; sed dicitur unicus Spirator ratione unius indivisibilis virtutis spirativæ; ergo etiam dicetur unica spiratio ratione unius indivisibilis relationis.

140. Probatur secundò rationibus: Prima, quia quando virtus productiva est unica, unica productio, & unicus terminus, unica etiam est relatio producentis ad terminum productũ, ut patet in Omnipotẽtia Divina, quæ cùm sit unica in tribus Divinis Personis, & hæ unicâ, & eâdem actione creent; actiones enim *ad extra* sunt indivisæ, unicam habent relationem Creatoris; sed virtus spirativa, nempè Voluntas Divina, est eadem in Patre, & Filio, qui eadem quasi actione producunt eundem Spiritum Sanctum, qui est unus, & idem terminus; ergo &c.

141. Secunda, quia in Divinis omnia sunt unum, ubi non obstat relationis oppositio, ut est commune Theologorum proloquium; sed spiratio activa non opponitur spirationi activæ, sed passivæ; ergo relatio Spiratoris non potest esse multiplex, sed unica. Tertia, quia alioqui in divinis essent duo spirantes, non solùm adjectivè propter multiplicationem suppositi, sed etiam substantivè propter multiplicationem formæ, sivè spirationis relativæ; hoc autem est absonum, & contra catholicum sensum; ergo &c. Quarta, quia si spiratio activa esset duplex, aut distinguerentur specie, aut numero: Non primum; siquidem non apparet à quo proveniat illa distinctio; cùm fundamenta, & terminus sit idem: Non secundum; siquidem talis distinctio arguit imperfectionem, & limitationem, quæ in Deo non sunt admittendæ; ergo &c.

142. Oppones 1. In Divinis nihil est indivisibiliter communicabile, nisi sit absolutum; sed spiratio activa est aliquid relativum; ergo non potest esse indivisibiliter communicabilis Patri, & Filio, sed est divisibilis, & multiplex. Respondeo majorem esse veram de communicabili toti Trinitati: non autem de communicabili solùm Patri & Filio: hoc enim, licet sit relativum, potest esse communicabile. Et ratio est, quia sicut nihil absolutum dicit oppositionem cum aliqua Persona, ita spiratio activa solùm dicit oppositionem cum spiratione passiva; quæ autem oppositionem non dicunt, iis, quibus non opponuntur, communicantur.

143. Oppones 2. Spiratio activa nihil aliud est, quàm Paternitas, & Filiatio prout connotant Spiritum Sanctum; sed Paternitas, & Filiatio non sunt una indivisibilis relatio, sed multiplex; ergo &c. Respondeo negando majorem; jam enim supra diximus, Spirationem activam esse formalitatem virtualiter intrinsecè distinctam ab istis relationibus, in illisque non includi, neque illas includere formaliter.

144. Instabis: In creatis relationes nihil aliud sunt, quàm ipsa fundamenta, prout in obliquo connotant terminum existentem; ergo idem erit in divinis; sed in divinis Paternitas, & Filiatio sunt fundamenta spirationis activæ; ergo &c. Respondeo primò negando antecedens; relationes enim creatæ juxta communem sententiam, aut sunt modi superadditi fundamentis, aut virtualitates ratione distinctæ, prout diximus in *Metaphys. tract. 5. d. 1. àn. 112.*

145. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia in divinis relationes etiam sunt productiones; productio autem Filii non est formaliter productio Spiritus Sancti, neque è contra; alioqui productio Spiritus Sancti esset generatio, & productio Filii esset spiratio, quod non est dicendum: at verò in creatis relationes non sunt productiones. Secundò, quia in creatis relationes non distinguunt extrema, sed supponunt distincta: at verò in divinis Relationes sunt, quæ distinguunt. Undè Pater, & Filius in ratione unius Spiratoris formaliter distinguuntur ab Spiritu sancto per ipsam spirationem activam; nam si non spirarent Spiritum Sanctum, non daretur tertia Persona, etiamsi daretur Pater, & Filius, & si daretur Spiratio, non autem generatio, adhuc Spirator distingueretur ab Spirato; sicque spiratio est quid distinctum à Paternitate, & Filiatione.

146. Oppones 3. Paternitas, & Filiatio, cùm sint infinitæ in genere relativo, imbibunt in se omne relativum sibi non oppositum; sed spiratio activa non illis opponitur; ergo Paternitas, & Filiatio illam in se imbibunt; consequenterque spiratio activa est multiplex, sicut multiplex sunt ipsa Paternitas, & Filiatio. Respondeo primò supponi falsum, Paternitatem, & Filiationem esse infinitas in genere relativo, ut patet ex supra dictis *n. 128.* solùm enim sunt infinitæ Paternitas in genere Paternitatis, & Filiatio in genere Filiationis.

147. Respondeo secundò, argumentum solùm probare, Paternitatam, & Filiationem imbibere in se physicè, & realiter omne relativum sibi non oppositum, non autem virtualiter; sicut etiam physicè realiter imbibunt omne absolutum defectu oppositionis: hoc tamen non tollit quominùs relatio Spiratoris virtualiter distinguatur à Paternitate, & Filiatione, prout supra diximus; sicut ab illis distinguuntur absoluta: imò sicut unum absolutum distinguitur virtualiter ab alio absoluto, nempè intellectus à voluntate, prout alibi diximus in Metaphysica, de quo etiam infra; ita etiam distinguetur unum relativum ab alio relativo.

148. Oppones 4. Si spiratio activa non esset ipsa Paternitas, & Filiatio divina; consequenterque multiplex, sequeretur, Patrem, & Filium non distingui ab Spiritu Sancto; hoc autem est hæreticum; ergo &c. Probatur sequela, quia omnis distinctio in Divinis provenit ab oppositione producentis, & producti; sed Pater & Filius opponuntur Spiritui Sancto in ratione spirantis & spirati per spirationem activam; ergo si hæc non coincidit cum Paternitate & Filiatione, Paternitas, & Filiatio non sunt ratio opposita Spiritui Sancto, neque distincta;

consequenter-

consequenterque Pater, & Filius, qui per illas constituuntur non distinguuntur ab Spiritu Sancto.

149. Respondeo negando sequelam, ad cujus probationem, concessa majori, distinguendo minorem: Pater, & Filius opponuntur Spiritui sancto in ratione spirantis, & spirati per spirationem activam, proximè, & immediatè; concedo minorem: remotè, & mediatè; nego minorem: Undè licet spiratio activa, ut est actualis productio Spiritûs sancti, sit immediata ratio distinguendi principium spirans ab spirato, etiam Paternitas, & Filiatio sunt saltem mediata ratio distinguendi principium spirativum ab Spiritu Sancto.

150. Instabis: Pater solùm distinguitur à Filio per generationem activam; ergo spirator solùm distinguetur ab Spiritu Sancto per spirationem activam. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia generatio activa, non solùm est productio, sed etiam subsistentia constituens Personam alteri incommunicabilem; sicque non solùm distinguit ut actualis productio, sed etiam ut distinctivum Personæ: at verò spiratio activa, cùm non sit subsistentia aliquam Personam constituens, ut infrà dicemus, solùm distinguit ut actualis productio, quæ suâptè naturâ supponit principium subsistens, consequenterque distinctum à termino producto.

151. Oppones 5. Relationes ad eundem terminum multiplicantur numero ad multiplicationem subjectorum; alioqui idem accidens intrinsecum esset naturaliter in pluribus subjectis realiter distinctis; sed Pater, & Filius sunt veluti subjecta diversa respectu spirationis activæ; ergo hæc saltem numero in illis multiplicatur. Respondeo majorem esse veram ad plurimum in relationibus creatis: non ita verò in divinis. Primò, quia spiratio activa est infinita in genere spirationis activæ; & non ita infinitæ sunt relationes creatæ; cùm autem multiplicitas numerica proveniat ex limitatione, ideò relationes creatæ possunt sic multiplicari; non ita verò spiratio activa; sicut neque ex eodem principio est multiplicabilis Natura Divina. Secundò, quia relationes creatæ sequuntur fundamenta, quæ possunt esse diversa: at verò spiratio activa sequitur eandem voluntatem in Patre, & Filio, quæ est veluti illius fundamentum remotum; & unicam quasi actionem productivam Spiritûs sancti, quæ est veluti illius fundamentum proximum; & habet eundem terminum, nempè Spiritum Sanctum; sicque non habet, ex quo illam multiplicationem sumat: sicut in simili dicitur de relatione Creatoris, quæ etiam ob easdem rationes est una, & eadem in omnibus Personis Divinis.

152. Oppones 6. Si spiratio activa esset eadem in Patre, & in Filio, in Patre esset improducta, & producta in Filio, cùm sit idem cum Filiatione productâ; sed idem non potest esse productum, & improductum; produci enim, & non produci sunt contradictoria, quæ de eadem re sine ulla distinctione, sive multiplicatione dici nequeunt; ergo &c. Respondeo negando majorem: sicut enim Natura Divina est eadem in Patre, & in Filio, quin simul sit improducta in Patre, & producta in Filio, cum quo est idem; ita spiratio activa est eadem in Patre, & in Filio, quin sit in Filio producta, cum quo est idem. Undè solùm sequitur esse improductam in Patre, & communicatam in Filio, sicut dicitur de Natura Divina; quia tamen hoc tangit specialem difficultatem: sit:

153. Difficultas 2. Quomodò spiratio activa sit in Filio communicata à Patre? Certum est primò, spirationem activam esse in Patre improductam. Patet, nam Pater, cùm sit prima Persona, nullam aliam supponit, à qua aliquid per productionem accipiat; ergo quidquid habet à se habet, estque improductum. Secundò, spirationem activam non posse esse in Filio productam à Patre. Patet, nam quidquid producitur opponitur realiter producenti; sed spiratio activa non sic opponitur Patri, siquidem cum illo identificatur, ut patet ex dictis; ergo &c. Tertiò, spirationem activam esse in Filio communicatam à Patre; quomodò autem ei à Patre communicetur est tota difficultas, pro qua:

154. Quartò certum est, non communicari per se primò formaliter. Patet, quia spiratio activa sequitur voluntatem; sicut generatio sequitur Intellectum; sed voluntas non communicatur Filio per se primò formaliter, sed secundariò, concomitanter, & identicè, ut infrà dicemus; ergo neque spiratio activa sic per se primò formaliter Filio communicatur. Controversia igitur solùm est: An sicut voluntas communicatur Filio identicè, & concomitanter, ita etiam ei communicetur spiratio activa: aut potiùs censeatur resultare in Patre, & in Filio, posita communicatione voluntatis? pro qua:

155. Resolutio sit: Spiratio activa non communicatur à Patre Filio, sed Filio producto in utroque simul resultat. Ita *D. Thom. 1. p. q. 40. art. 2. & 4. Henricus quodlib. 5. q. 9.* Valdè probabile dicit *P. Soar. lib. 5. de Trinit. cap. 6. n. 9. tenet etiam P. Ruiz de Trinit. d. 71. sect. 3. n. 6. P. Alarcon. de Trinit. d. 9. cap. 2. n. 4. P. Arriaga d. 30. sect. 2. n. 11. P. Quiroz d. 45. sect. 4. num. 11.* & alii. Probatur primò, quia quidquid à Patre communicatur Filio, præsupponitur ad generationem; siquidem generatio est ipsa actualis communicatio; quod autem communicatur præsupponitur ad ipsam actualem communicationem; sed spiratio activa non præsupponitur, imò subsequitur generationem; siquidem cùm generatio sit per Intellectum, est prior spiratione, quæ est per voluntatem; ergo spiratio non præsupponitur, sed subsequitur generationem; consequenterque à Patre non communicatur Filio.

156. Dicent, generationem esse priorem spiratione sumptâ expresè, non autem confusè; siquidem in eo priori, in quo Pater generat Filium, necessariò præsupponitur in suo esse constitutus; sic autem constitutus includit voluntatem, in qua confusè includitur spiratio; consequenterque hæc in Patre includitur confusè Sed contra, quia falsò supponunt, spirationem includi confusè in voluntate; ac proindè in Patre; cùm sit quid relativum; nihil autem relativum sic includitur in Essentia, neque in aliquo absoluto, ut patet ex dictis, & patebit ex dicendis.

157. Probatur secundò, quia spiratio activa est ipsum actuale exercitium spirandi; ergo si à Patre communicaretur Filio, priùs supponeretur in Patre exercitium spirandi Spiritum Sanctum, quàm generandi Filium; consequenterque prior esset spiratio, quàm generatio, & Spiritus Sanctus, quàm Filius.

158. Probatur tertiò, quia ideò Paternitas censetur quasi resultare à Natura Divina, quia illam supponit in ratione Naturæ; sed etiam spiratio activa supponit Patrem, & Filium constitutos in ratione Patris, & Filii; siquidem Spiritus Sanctus procedit à Patre, & à Filio ut ab uno Spiratore, & duobus suppositis, ut constat ex Concil. Lugdun.

ergo

ergo in utroque supposito quasi resultat.

159. Probatur quartò, quia si spiratio activa à Patre communicaretur Filio; aut ei communicaretur sub expressione relationis Spiratoris; aut actionis, seu productionis; aut principii, vel conditionis ad spirandum: Non primum, nam ut relatio Spiratoris, non resultat, nisi posito termino spirato, & à fortiori posito Filio: Non secundum: tum quia ut productio supponit principium, non solùm *ut quo*, sed etiam *ut quod*, quale est saltem partialiter Filius: tum etiam quia productio actualis statim secum defert terminum; & tunc prior esset Spiritus Sanctus, ut diximus, quàm Filius: Non tertium; tum quia rationem principii, aut conditionis ad spirandum non exercet: tùm etiam, quia dato, quod exerceat, requirit essentialiter Patrem, & Filium, ut in utroque subsistat, sicque debet utrumque supponere; non datur alia formalitas, sub quâ ei communicetur; ergo &c.

160. Dicent, posse Filio communicari sub expressione principii, vel conditionis ad spirandum; & ut actio, seu productio, ita tamen, ut opus non sit quod Pater statim spiret Spiritum Sanctum in eo priori, antequam generet Filium, licet pro tunc habeat voluntatem spirandi, & ipsam actualem spirationem; siquidem cùm Spiritus Sanctus sit Amor mutuus, & perfectissimus, requirit necessariò duas Personas, à quibus procedat; sicque Pater quodammodo Filium spectat, ut cum eo simul Spiritum Sanctum producat. Sed contra, quia ex hoc admittunt, posse dari actionem in aliquo priori, sive signo sine suo principio adæquato, id est sine Filio, & sine termino, id est sine Spiritu Sancto.

161. Oppositum tenent *P. Granad. tract. 1. d. 6. n. 11. P. Arrub. d. 129. cap. 1. n. 7. P. Amicus d. 19. num. 77.* & videtur magis placere *P. Soar. cit. num. 6.* Pro quibus: Objicies 1. Quidquid Filius habet, habet à Patre communicatum per generationem; sed habet relationem spirationis activæ; ergo illam habet à Patre communicatam. Respondeo distinguendo majorem: habet à Patre communicatum, aut in se formaliter, aut in radice; concedo majorem: semper in se formaliter; nego majorem: cùm autem Filius habeat à Patre formaliter Naturam, & in ea voluntatem, quæ est radix spirationis activæ indè resultantis, etiam illam habet à Patre communicatam in radice, non tamen in se formaliter.

162. Objicies 2. ex D. Aug. *de Trinit. cap. 27.* ait: ibi. *Pater Filio dedit, ut quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat Spiritus*; ergo ex D. Aug. Filius non habet tantùm à Patre voluntatem, & radicale principium Spiritus Sancti, sed etiam actualem spirationem, quam per terminum *procedat* significavit. Respondeo D. Aug. sicut & alios Patres dicentes, Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium, & à Patre principaliter: Patrem communicare Filio quidquid habet, exceptâ Paternitate: & Filium accipere à Patre omnia, quæ habet; intelligendos esse de prædicatis absolutis, non autem de relativis, qualis est spiratio activa: aut si locuti sunt de spiratione activa, est solùm radicaliter, prout proximè diximus.

163. Objicies 3. Spiratio activa sequitur voluntatem; sed voluntas à Patre communicatur Filio; ergo etiam spiratio. Respondeo spirationem activam sequi voluntatem; non tamen ut est voluntas Naturæ Divinæ, sed ut est voluntas Patris, & Filii; siquidem Paternitas, & Filiatio sunt conditiones ad spirandum: undè consequenter supponit Patrem, & Filium, ex quorum voluntate resultat; ac proinde non potest supponi communicata per generationem.

Instabis: Licet voluntas in Filio sit posterior generatione, tamen Filio communicatur à Patre; ergo etiam licet spiratio activa sit posterior generatione, tamen Filio à Patre communicabitur. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia voluntas licet in Filio sit posterior comparata ad generationem, quatenùs illi communicatur secundariò, & concomitanter, tamen ut est voluntas Naturæ Divinæ, in se concipitur ut prior cõcomitanter cum intellectione, atque adeò potest in se, si non formaliter, & primariò, saltem secundariò, & concomitanter communicari: at verò spiratio activa ita est posterior respectu generationis, ut in nullo priori possit concipi ut spiratio Naturæ; siquidem cùm sit prædicatum notionale Patris, & Filii, est posterior omni prædicato absoluto; sicque solùm potest concipi ut resultans ex voluntate Patris, & Filii, qui supponuntur constituti: undè voluntatem esse posteriorem in Filio est posteriùs communicari; Spirationem autem esse posteriorem est resultare ex voluntate communicata. 164.

Objicies 4. Quamvis creatio procedat ab omnibus Personis, tamen Pater communicat Filio Omnipotentiam; ergo etiam licet spiratio procedat à Patre, & Filio, tamen Filio communicabitur à Patre. Respondeo Patrem communicare quidem Filio spirationem, non tamen formalem, sed radicalem, id est voluntatem; sicut illi communicat creationem, non formalem, sed radicalem, id est Omnipotentiam. 165.

Objicies 5. Si spiratio resultaret in Patre, & in Filio jam producto, posset dici prout sic producta, saltem virtualiter, & quoad nos; sicut ita dicuntur producta Attributa, quæ resultant ab Essentiâ; & dicitur omne ens, quod tale est per resultantiam; sed hoc non est dicendum; alioqui jam diceretur passiva, & non activa; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, spirationem adhuc esse activam realiter in ordine ad Spiritum Sanctum, cujus realis productio activa est. Patet in Paternitate, quæ virtualiter resultat à Natura, diciturque producta quoad nos virtualiter; & tamen est realis generatio activa Verbi Divini. 166.

Quæres hîc: quomodò, seu quo ordine spiratio activa censeatur resultare? Certum est primò, hujusmodi resultantiâ non esse realem, & à parte rei, quia tunc esset realiter producta, & distincta, quod est contra fidem. Secundò, hujusmodi resultantiam esse solùm virtualem, & quoad nos, sive quoad nostrum modum concipiendi, qualis est resultantia Paternitatis à Natura Divina, quæ quidem resultantia ita fit: Primò intelligitur Natura Divina, nempè Intellectus, seu Intellectio essentialis; deindè in eadem Natura intelligitur voluntas, seu volitio; mox in Patre intelligitur intellectio formaliter, & volitio concomitanter; inde communicatâ in Filio intellectione formaliter, & volitione concomitanter, resultat in utroque spiratio activa ut productio, & ut relatio ad Spiritum Sanctum. 167.

SECTIO VIII.

Qualenam sit munus Spirationis activæ?

168. DIFFICULTAS 1. Utrùm spiratio activa sit constitutiva Patris, & Filii? Affirmant omnes, qui tenent, spirationem activam non esse unicam, & simplicem relationem, prout supra diximus, sed consurgere ex Paternitate, & Filiatione; consequenter enim dicunt, spirationem activam esse constitutivam Patris, & Filii formaliter in ratione Personæ, ita ut inadæquatè sumpta constituat Personam Patris, & inadæquatè sumpta constituat Personam Filii; quod *P. Arriaga d. 50. sect. 4. n. 21.* dicit, esse probabile. Cùm tamen hoc dictum probatissimi Authores plusquam temerarium censeant, prout supra diximus *n. 136.*

169. Conclusio sit: Spiratio activa non constituit Patrem, & Filium secundùm formalem rationem Personæ. Probatur, quia ratio formaliter constituens Personam est incommunicabilis; sed talis non est spiratio activa; communicatur enim Patri, & Filio; ergo &c.

170. Dices 1. Spiratio passiva constituit Personam in ratione Personæ; ergo etiam sic eam constituet spiratio activa. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia spiratio passiva est incommunicabilis; non ita tamen est spiratio activa, ut diximus.

171. Dices 2. Licet ratio Personæ ut sic sit communicabilis Patri, & Filio, illos tamen constituit in ratione Personæ; ergo idem dicendum de spiratione activa. Respondeo rationem Personæ ut sic esse quidem communicabilem Patri, & Filio, imò & Spiritui Sancto, tanquam gradum communem, sive univocum, sive analogum, de quo jam alibi in Logica, non autem tanquam aliquid singulare: at verò spiratio activa est relatio singularis, & communicabilis, ideoque non constituit Personam in ratione Personæ; ad hoc enim debebat esse incommunicabilis, sive incommunicabilitas alicujus Personæ singularis, respectu alterius Personæ singularis.

172. Difficultas 2. Utrùm spiratio activa pertineat ad constitutionem Patris, & Filii; non ut Personalitas, sed ut aliquid utrique commune; sicut Natura, licet sit communicabilis, est de constitutione Personarum? Negativè. Ita *D. Thom. P. Soar. lib. 5. de Trinit. cap. 6. n. 7. & lib. 10. cap. 4. P. Tanner. d. 4. dub. 7. n. 9. P. Arriaga d. 50. sect. 4. n. 21. & 22.* & alii. Probatur 1. quia Persona adæquatè constituitur ex natura, & subsistentia; sed spiratio activa, ut distincta virtualiter à Natura, & Paternitate, ac Filiatione, neque est Natura, neque subsistentia, ut statim dicemus; ergo non potest constituere Personam Patris, & Filii.

173. Probatur secundò, quia Pater, & Filius, ut tales sunt priores spiratione activa; siquidem Pater priùs ut Pater generat, & Filius generatur, quàm uterque spirent Spiritum Sanctum; ergo cùm spiratio activa supponat Patrem, & Filium constitutos adæquatè in ratione Patris, & Filii, non potest ad eorum constitutionem spectare.

174. Dices: Si spiratio activa non esset de constitutione Patris, & Filii, illos supponeret adæquatè constitutos; sed non ita supponit; alioqui esset accidens; siquidem illud, quod advenit rei, sive Personæ adæquatè constitutæ, est accidens; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem, dicimus indè non sequi spirationem activam esse accidens physicè, & realiter; sicut enim physicè, & realiter non distinguitur à Persona Patris, & Filii, ita etiam physicè, & realiter eis non advenit, sicque quidquid est idem realiter cum Persona, physicè, & realiter est de illius constitutione.

175. Utrùm autem dicendum sit accidens metaphysicum, & quoad nos; aut etiam physicè virtualiter, quoniam, ut supra diximus, physicè virtualiter distinguitur à Personis? Hoc admittit P. Arriaga cit. proximè *n. 20.* & multi Recentiores; siquidem id nullum reputant inconveniens, quatenùs eodem modo dicunt, Attributa esse accidentia metaphysica respectu Naturæ, & spirationem respectu Personarum, cum quibus nos etiam supra locuti sumus *n. 134.* Attamen castigatiùs loquendo in rebus divinis, dicimus non habere rationem talis accidentis. Patet, quia licet ita à nobis concipi possit, est tamen sine fundamento ex parte Dei; siquidem fundamentum concipiendi accidens metaphysicum propriè dictum, est quasi unio, sive inhærentia; quidquid autem convenit Deo, etiam ut concipitur advenire, convenit, & advenit modo perfectissimo, nempè per identitatem; non verò per unionem, & inhærentiam, sicque ut perfectè subsistens eâdem subsistentiâ; ac proindè si aliter concipitur, sine fundamento concipitur; ergo &c.

176. Difficultas 3. Utrùm spiratio activa constituat Personam formaliter; seu quod idem est: an habeat rationem subsistentiæ formaliter? Negativè, Ita *P. Soar. lib. 5. de Trinitate cap. 8. n. 6. qui tom. 1. in 3. p. d. 9. sect. 3. Ad secundam*, dicit non esse magnum inconveniens, si spirationi activæ sua subsistentia concedatur, quatenùs ibi intendit defendere in Deo subsistentiam absolutam communicabilem omnibus Personis, de qua nos *infrà*, & jam alibi in Metaphys. ubi etiam de hac præsenti quæstione *tract. 2. d. 3. à num. 385.* ubi etiam totâ *sect. 11.* aliqua diximus de spiratione activa, quæ hîc prætereunda non erant, utpotè in hac materia maximè necessaria. Tenent etiam *P. Granad. tract. 10. d. 6. n. 13. P. Molin. 1. p. q. 31. art. 2. P. Ruiz de Trinit. d. 70. sect. 3. n. 21.* qui contrarium dicit periculosum, & temerarium. *P. Arriaga d. 51. n. 1. P. Martinon. d. 26. n. 21. & P. Amicus d. 19. n. 67.*

177. Probatur primò, quia Sancti Patres, & Theologi solùm numerant tres subsistentias relativas, quin faciant mentionem de quarta, cùm tamen dicant dari quartam relationem, prout supra diximus; ergo intelligunt hanc quartam relationem, nempè spirationem activam non habere rationem subsistentiæ formaliter. Confirmatur, quia Concil. Lugdun. & Florent. explicando unitatem principii, & Spiritûs sancti recurrunt ad unitatem virtutis spirativæ; non verò ad unitatem subsistentiæ, aut suppositi; ergo signum est non dari in spiratione activa rationem subsistentiæ formaliter.

178. Probatur secundò, quia de ratione subsistentiæ, prout alibi diximus in Metaph. & dicunt omnes communiter, est esse ultimus terminus complens naturam, illamque reddens incommunicabilem alteri termino; sed id non habet spiratio activa; siquidem communicatur Patri, & Filio, & per illorum subsistentias terminatur; ergo &c.

179. Probatur tertiò, quia sequeretur dari in Deo quatuor Personas; siquidem Persona nihil aliud est, quàm rationalis naturæ individua subsistantia, seu subsistentia; hoc autem est contra fidem; ergo &c.

&c. Dicent, spirationem activam non constituere Personam, quia est communicabilis, quod non potest stare cum ratione personalitatis ; maximè verò cum ratione subsistentiæ. Sed contra, quia personalitas vendicat incommunicabilitatem ex eo, quod sit subsistentia ; rationem verò personalitatis ex eo, quod sit subsistentia naturæ rationalis; ergo cùm spiratio activa sit in natura rationali, qualis est divina; aut vendicat cum ratione subsistentiæ rationem personalitatis, efficitque quartam Personam, quod est contra fidem ; aut si non vendicat rationem personalitatis, quia est communicabilis, neque etiam subsistentiæ ob eandem rationem.

180. Argues 1. In Deo admittitur subsistentia absoluta cum communicabilitate; ergo etiam relativa spirationis activæ. Respondeo primò negando antecedens, ut diximus in *Met. tract. 2. d. 3. à n. 395.* & dicemus infra *d. 5. à n. 211.* Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia subsistentia absoluta habet effectum, quem præstet, nempè facere Naturam subsistentem communicabiliter : at verò subsistentia spirationis activæ non haberet quid præstaret; siquidem Natura satis intelligitur subsistens per subsistentiam absolutam. Et hujus ratio est, quia cùm Natura Divina sit quid absolutum, sicque diversi ordinis à relationibus, indiget complemento ejusdem ordinis absoluti, quod proindè in illa præstabit effectum : at verò spiratio activa, cùm sit ejusdem ordinis cum aliis subsistentiis relativis Patris, & Filii, sufficienter per illas terminatur.

181. Argues 2. Licet spiratio activa sit subsistentia formaliter; (in hoc enim sensu procedit difficultas ; nam identicè, cùm sit idem cum Paternitate, & Filiatione, quæ sunt formaliter subsistentiæ, potest etiam dici subsistentia,) non ideò sequitur dari in Deo quatuor subsistentias, consequenterque quatuor Personas ; siquidem hujusmodi subsistentia solùm distingueretur virtualiter à Paternitate, & Filiatione, sicque non poneret cum illis in numero ; sicut non ponit subsistentia absoluta admissa ; neque Natura cum relationibus ; neque enim dicuntur in Deo quatuor res ; ergo &c. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, solùm convincere, non esse admittendas quatuor subsistentias realiter distinctas, ut dicimus de Relationibus ; non tamen non dari tres realiter, & unam virtualiter distinctam, sicque tres Personas realiter, & unam virtualiter distinctam, quod repugnat ; sicut communi modo loquendi Patrum, & Conciliorum repugnat subsistentia absoluta. Quod verò Essentia cum Relationibus non faciat quatuor res, sicque non ponant in numero, provenit ex communi acceptione, quæ non multiplicat hos terminos *res, entitas, &c.* nisi multiplicitate reali.

182. Instabis: Etiam ex communi acceptione terminus *Persona* non multiplicatur, nisi posita reali distinctione ; ergo ex eo, quod spiratio activa sit subsistentia, non sequitur dari quatuor Personas, cùm non distinguatur realiter à Paternitate & Filiatione. Respondeo id ipsum esse inconveniens, quod scilicet detur personalitas non constituens personam. Accedit, quod licet illam non constitueret realiter distinctam, illam tamen constitueret distinctam virtualiter, quod etiam repugnat, ut diximus.

183. Argues 3. Spiratio activa est incommunicabilis Spiritui Sancto; ergo vendicat propriam rationem subsistentiæ, sive Personalitatis. Respondeo primò negando consequentiam ; subsistentia enim est incommunicabilitas simpliciter, ita ut nulli alteri termino communicetur : at verò spiratio activa, licet non communicetur Spiritui Sancto, communicatur tamen Patri, & Filio, quod satis est, ut non habeat rationem subsistentiæ, sed per illorum subsistentias subsistit.

184. Respondeo secundò distinguendo antecedens: est incommunicabilis Spiritui Sancto ex formali ratione subsistentiæ, sive ultimi termini ; nego antecedens : ex oppositione, & distinctione reali intercedente inter producens, & productum ; concedo antecedens : Undè sicut spiratio activa communicatur Patri & Filio, ut terminantibus, ita poterat communicari Spiritui Sancto, nisi aliundè repugnaret, nempè ex distinctione reali, qua posita, si daretur talis communicatio, fieret per unionem, & compositionem realem, quæ tolleret in Deo simplicitatem ; non autem per identitatem, quæ solùm admittitur in divinis, & non datur inter realiter distincta.

185. Argues 4. Spiratio activa conjungitur immediatè Naturæ Divinæ, ut volitio est, eamque determinat ad productionem Spiritus Sancti ; sed ratio immediatè determinãs Naturam vendicat rationem subsistentiæ ; ergo &c. Respondeo negando minorem ; dato enim quod spiratio activa conjungatur immediatè Naturæ, & non Paternitati, & Filiationi, ut conditio ad spirandum, non sufficit talis conjunctio ad rationem subsistentiæ; alioqui intellectus, qui sic conjungitur, & determinat Naturam, esset subsistentia. Undè requiritur, quod illam ultimò determinet reddendo incommunicabilem alteri termino, quod spiratio activa non efficit.

186. Argues 5. Actio spirandi debet tribui alicui supposito, ut principio *quod* ; siquidem *actiones sunt suppositorum* ; ergo spiratio activa habet rationem suppositi, sive subsistentiæ. Respondeo negando consequentiam ; si enim spiratio activa haberet rationem suppositi, quatuor darentur suppositа ; consequenterque quatuor Personæ, quod est contra fidem. Undè principium *quod* actionis spirandi est Paternitas, & Filiatio.

187. Addo, etiam dato quod spiratio activa esset principium *quod* actionis spirandi, non ideò dicendam esse subsistentiam, & multò minùs suppositum ; aut propter rationem factam ; aut quia non omne principium *quod* est suppositum ; nam si per impossibile Deus non haberet subsistentias relativas, adhuc diceretur principium *quod* creaturarum, quas per Omnipotentiam produceret, quin obstaret proloquium illud ; quando enim actiones dicuntur suppositorum, idem valet, atque singularium.

SECTIO IX.

Utrùm Spiratio activa exerceat munus complendi principium formale quo ; *aut originandi activè ?*

188. Dico 1. Spiratio activa non exercet munus complendi principium formale *quo* Spiritûs Sancti, neque ut ratio formalis, neque ut conditio. Ita

D. Thom. 1. p. q. 36. art. 4. ad 1. & q. 40. art. 4. Cajet. Torref. & Thomiſtæ Recentiores *Arimin. in 1. diſt. 12. P. Soar. lib. 10. de Trinit. cap. 4. n. 3.* ubi contrariam ſententiam exiſtimat falſam. *P. Albertin. tom. 2. prædicam. Ad aliquid corol. 15. dub. 1. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 7. n. 9. Henric. ſum. a. 60. q. 5. Ægid. in 1. diſt. 11. art. 2. q. 2. & 3. Zumel. 1. p. q. 36. art. 4. d. 2. P. Arriaga d. 50. n. 15.* & alii. Probatur primò, quia non ſunt multiplicandæ formalitates, præſertim in divinis, abſque neceſſitate; ſed nulla datur neceſſitas admittendi formalitatem principii, aut conditionis ad ſpirandum; ſiquidem æquè benè poſſunt Paternitas, & Filiatio præſtare hoc munus; imò illis neceſſariò concedendum eſt, cùm actio debeat ultimatè denominare ſuppoſitum, quod illæ, non verò ſpiratio activa conſtituit, ut ſupra diximus; ergo &c.

189. Probatur ſecundò, quia idem eſt principium ſufficiens productionis per voluntatem, quod eſt ſufficiens productionis per Intellectum; ſiquidem idem eſt ſuppoſitum amans, & intelligens; ſed Paternitas cum Eſſentia conſtituit ſufficiens principium productionis per Intellectum; ergo etiam productionis per voluntatem.

190. Inferes: Ergo ſicut ſola Paternitas cum Eſſentia conſtituit principium generativum, ſola cum eâdem Eſſentiâ conſtituet principium ſpirativum. Reſpondeo negando illationem; licet enim Filiatio non requiratur ex eo, quod productio amoris ut ſic requirat eſſentialiter duas Perſonas diſtinctas, quæ ſint principium illius ut *quod*; requiritur tamen ex eo, quod Perſona Spiritûs Sancti ex ſuo proprio conceptu ſit nexus, ſive Amor mutuus duarum Perſonarum inter ſe, ideoque petit duas Perſonalitates, quæ cum volitione compleant unicum principium adæquatum *quod* ipſius Spiritûs Sancti.

191. Probatur tertiò, quia ad producendum ſolùm requiritur virtus productiva ut *quo*, & diſtinctio principii *quod* à termino producibili, ut patet ex ſupra dictis; ſed poſita voluntate in Patre, & Filio, intelligitur virtus ſperativa ut *quo*, nempè voluntas, & diſtinctio à termino ſpirabili, nempè ab Spiritu Sancto, proveniens à Paternitate, & Filiatione; ergo nihil aliud requiritur ad conſtituendum principium ſpirativum. Confirmatur efficaciter, quia Pater, & Filius, ut tales ſunt, opponuntur Spiritui Sancto; alioqui Paternitas, & Filiatio non diſtinguerentur ab Spiritu Sancto; ſiquidem in Divinis non eſt diſtinctio realis, niſi ubi eſt oppoſitio; ſed non opponuntur, niſi in ratione producentis, & producti; in Divinis enim non poteſt eſſe alia oppoſitio; ergo opponuntur ut principium ſpirativum termino ſpirabili; conſequenterque principium ſpirativum ſupponitur conſtitutum ad relationem ſpiratoris.

192. Oppoſitum tenent *Richard. in 1. diſt. 11. q. 3. & 4. Scot. diſt. 12. q. 1. ad 3. Rubio q. 1. Capreol. concl. 4. & ad 5. Ocham. q. 1. Gabr. q. 1. Argent. diſt. 7. a. 1. ad 3. P. Molin. 1. p. q. 26. art. 4. d. 2. §. Quo loco & ad 3. P. Vaſq. 1. p. d. 164. cap. 3. Zuniga de Trinit. d. 16. dub. 6.* quos citat, & ſequitur *P. Amicus d. 19. ſect. 3. num. 66.* & alii: pro quibus: Argues 1. Ut ſe habet generatio activa ad Filium, ita ſe habet ſpiratio activa ad Spiritum Sanctum; ſed illa complet principium generativum; ergo etiam hæc principium ſpirativum. Reſpondeo negando majorem: nam generatio activa conſtituit Perſonam; non ita verò ſpiratio activa, ut diximus, ſicque illa poteſt conſtituere, ſive complere principium generativum; & non ita hæc principium ſpirativum. Et hujus ratio eſt, quia generatio activa nihil ſupponit in Patre, aut Perſonam conſtituens, aut principium diſtinguens à termino generando præter ſe ipſam, ſub conceptu tamen hypoſtaſis, & Perſonæ; ſicque poteſt ipſum principium complere: at verò ſpiratio activa ſupponit Paternitatem, & Filiationem conſtituentes Perſonas, quibus principium ſpirativum, nempè volitio compleri poteſt, & conſtitui principium *quod*; ſicque neceſſaria ad id non eſt ſpiratio activa.

193. Argues 2. Paternitas ſolùm reſpicit Filium; & Filiatio ſolùm reſpicit Patrem; ſed principium conſtituitur per reſpectum ad terminum, qui reſpectu Spiritûs Sancti eſt ſola relatio ſpiratoris; ergo &c. Reſpondeo negando abſolutè majorem; nam ſi Paternitas, & Filiatio non reſpicerent etiam Spiritum Sanctum, ab eo non diſtinguerentur; ſiquidem in Divinis non poteſt eſſe diſtinctio, niſi ubi eſt oppoſitio Relationum. Verum quidem eſt, quod Paternitas ſolùm Filium, & Filiatio ſolùm Patrem reſpiciunt formali & expreſſo reſpectu quaſi prædicamentali producentis, & producti; cum quo tamen ſtare poteſt, quod etiam reſpiciant Spiritum Sanctum reſpectu implicito, & magis quaſi tranſcendentali ſpirativi ad ſpirabile; expreſsè enim illum reſpiciunt per ſpirationem activam.

194. Inferes: Ergo ſi Pater, & Filius per Paternitatem, & Filiationem complentur in ratione principii ſpirativi, per illasque reſpiciunt, & diſtinguuntur ab Spiritu Sancto, ſuperflua erit ſpiratio activa. Reſpondeo negando illationem: Paternitas enim, & Filiatio non illos diſtinguunt, *niſi* tantùm radicaliter, neque illos referunt quaſi prædicamentaliter ſub conceptu expreſſo relationis; ſicque ut ita referantur, & diſtinguantur formaliter, neceſſaria eſt ſpiratio activa, quæ conſtituit formaliter principium actu ſpirans ſub conceptu *originis*, & ſub conceptu expreſſo relationis illos *formaliter* refert ad terminum ſpiratum.

195. Argues 3. Ita eſt unum principium ſpirativum in Patre, & Filio *ad intra*; ſicut in tribus Perſonis eſt unum, & idem principium productivum *ad extra*; ſed hoc non conſtituitur Perſonalitatibus; ſiquidem creaturæ per ſe, & formaliter non dependent à Deo ut Trino, ſed ut Uno; ergo neque illud ſic conſtituetur Paternitate, & Filiatione, ſed ſpiratione activa. Reſpondeo ad argumentum ſic illud retorquendo: Ex eo, quod virtus productiva *ad extra*, etiam ſecluſis Perſonalitatibus, diſtinguatur à termino producibili, habet quidquid per ſe requiritur ad productionem *ad extra*, ideoque Trinitas non eſt per ſe conditio ad producendum; ergo etiam ex eo, quod *virtus* ſpirativa ſupponatur ad actualem ſpirationem diſtincta à termino ſpirabili, habet quidquid per ſe requiritur ad ſpirandum *ad intra*; ac proindè ſpiratio non eſt per ſe conditio ex parte principii.

196. Inſtabis: Perſonalitates non ſunt conditiones per ſe requiſitæ ad producendum *ad extra*, ut probat argumentum; ergo neque ſic erunt ad ſpirandum *ad intra*, ſed talis erit ſola ſpiratio activa. Reſpondeo negando conſequentiam; diverſa ratio eſt, quia cùm Natura Divina non exigat triplicem illam ſubſiſtentiam relativam ratione productionis *ad extra*; nam ſi Deus per impoſſibile unam tantùm haberet ſubſiſtentiam abſolutam, adhuc eſſet Omnipotens, & productivus *ad extra*; ſed tantùm id exigat ratione ſuæ perfectionis, & fœcunditatis; ideò creaturæ ſolùm materialiter, & non formaliter, ac per ſe exigunt

Tri-

Trinitatem in Deo: at verò virtus spirativa *ad intra* exigit per se Patrem, & Filium ut tales sunt; siquidem terminus, nempè Spiritus Sanctus, est per se, & essentialiter nexus, & amor mutuus Patris, & Filii per productionem, & communicationem à duobus suppositis, ideòque exigit per se eorum Personalitates.

197. Argues 4. Si principium spirativum supponeretur constitutum ad spirationem activam; aut constitueretur solo absoluto; aut absoluto simul, & relativo: Non primum; siquidem loquimur de principio *quod* realiter distincto à termino producto; nihil autem absolutum sic distinguitur à Persona producta: Non secundum; aut enim hoc relativum esset sola Paternitas; & hoc non; alioqui principium spirativum esset adæquatè in solo Patre: aut sola Filiatio; & hoc etiam non; alioqui esset in solo Filio, quod est erroneum: aut utraque simul, quod non est dicendum; siquidem multa sequerentur absurda; ergo &c. Respondeo principium *quod* spirativum, neque solo absoluto, neque absoluto, & sola Paternitate, aut sola Filiatione, ut conditionibus constitui, sed utrâque simul; neque indè inferri possunt aliqua absurda.

198. Inferes 1. Ergo principium spirativum distingueretur realiter à generativo; siquidem generativum constituitur Essentiâ, & Paternitate; spirativum verò Essentiâ, Paternitate, & Filiatione; conjunctum autem ex Paternitate, & Filiatione distinguitur realiter à sola Paternitate distinctione includentis ab incluso. Respondeo primò, illationem in omnium sententia habere eandem vim; siquidem ipsi etiam Adversarii fatentur, Paternitatem, & Filiationem per se requiri ad spirandum, saltem remotè; sicque principium illas connotat essentialiter, & tamen non ideò dicunt principium generativũ esse realiter distinctum ab spirativo. Secundò (quod & omnes tenentur respondere,) principium spirativum non ita distingui à generativo secundùm id, quod dicit in recto, nempè secundùm virtutem spirandi; licet ita distinguatur secundùm id, quod dicit in obliquo; siquidem generativum prout sic dicit solam Paternitatem; spirativum autem Paternitatem, & Filiationem. 199.

Inferes 2. Ergo principium spirativum non est totum, & integrum in Patre; neque totum, & integrum in Filio, sed uterque indiget alio ad spirandum. Respõdeo primò sic retorquendo illationem: Pater, & Filius per se requiruntur ad spirandum, ut ipsi etiã Adversarii fatentur; ergo una Persona indiget aliâ ad spirandum; consequenterque nec totum, quod requiritur ad spirandum est in Patre, nec totum in Filio. Secundò, principium spirativum totum, & integrum esse in Patre; & totum, ac integrum esse in Filio secundùm rectum, & absolutum; siquidem tota & integra potentia, ac virtus spirativa est in Patre, & in Filio; licet non ita sit secundùm obliquum, & relativum. 200.

Inferes 3. Ergo principium spirativum non est unum, & idem in Patre, & Filio, sed duplex, ac divisum; consequenterque duplex Spirator, quod repugnat Concil. Lugdun. & Florent. sæpe cit. quæ, ut declarent unitatem Spiratoris, recurrunt ad unitatem principii. Respondeo solutionem patere ex dictis; Pater enim, & Filius dicuntur unus, & idem Spirator secundùm eandem virtutem spirativam, quæ significatur in recto, in quo sensu intelligenda sunt Concil. cit. sicut dicuntur unus, & idem Deus ratione unius Deitatis, licet hæc Deitas, sicut & illa virtus connotet plures Personas, & subsistentias. Et hujus ratio est, quia nomina substantiva, ut sunt *Principium*, *Spirator*, *Deus*, & similia desumunt unitatem à forma, quæ dicitur in recto, & non ab illo, quod connotant; licet adjectiva eam desumant à subjectis, prout alibi diximus in Philosophia, in quo sensu possent dici plures spirantes, producentes &c. adjectivè.

Inferes 4. Ergo spiratio activa esset accidens, saltem metaphysicũ; siquidem esset extra rationem omninò constituentem principium spirativum. Respondeo solutionem patere ex supra dictis *num. 134. & 175.* neque enim hîc habet difficultatem aliquam specialem; nam sive spiratio activa constituat principium spirativum, sive non, ut nos diximus, semper est virtualiter extra constitutionem Patris, & Filii, eisque censetur advenire jam constitutis in suo esse adæquato Personæ Divinæ. Undè miror hoc uti argumento, qui ei tenentur æquè respondere. 201.

Inferes 5. Ergo Spiritus Sanctus posset dici idem cum Patre & Filio in ratione spirandi; siquidem habet eandem voluntatem essentialem cum illis. Respondeo hanc illationem non habere specialem difficultatem in nostra, quàm in Adversariorum sententia, ut consideranti patebit: adhuc tamen negamus illationem, ut enim sic diceretur idem Spirator cum Patre & Filio, præter rationem illam essentialem debebat in se habere spirationem activam, quæ non in illo, sed in solis Patre, & Filio datur. 202.

Inferes 6. Ergo sicut Pater, & Filius in divinis, licet sint duæ Personæ, efficiunt unum principium respectu ejusdem Amoris Divini, nempè Spiritûs Sancti; ita etiam duo homines producentes simul eundem actum amoris, ad illum concurrerent, ut unum tantùm principium. Respondeo negando illationem; diversa ratio est, quia hi homines, non solùm haberent duas personalitates, sed etiam duas naturas, quæ sunt principia simpliciter actionum vitalium: at verò Pater, & Filius in divinis, licet habeant diversas Personalitates, habent tamen eandem Naturam, quæ dicitur de formali, sicque ob illam dictam de formali, & in recto dicuntur unus spirator, & non plures ob Personalitates dictas de connotato, & in obliquo, nisi cum addito, nempè adjectivè, ut diximus. 203.

Dico 2. Spiratio activa constituit principium spirativum actu spirans; illudque simul refert ad terminum spiratum. Ita Doctores supra cit. *num. 188.* Probatur primò ex dictis præcedente conclusione. Secundò, quia Pater, & Filius actu spirant Spiritum Sanctum, ut unus Spirator, & unica spiratione, ut constat; tum ex dictis; tùm etiam ex Concil Lugdun. & Florent cit. atqui si Pater, & Filius supponerentur actu spirare ad relationem Spiratoris, supponerentur sic spirare per Paternitatem, & Filiationem, quod non est dicendum; alioqui jam spiratio esset duplex, nempè Paternitas, & Filiatio, quod supra negavimus *n. 136.* ergo &c. 204.

Hinc Colliges primò, spirationem activam exercere munus originandi activè, seu producendi Spiritum Sanctum, quod idem est, atque habere rationem actionis, seu quasi actionis, & originis activæ. Secundò, habere etiam munus, seu rationẽ referendi, seu potiùs relationis quasi prædicamentalis referentis Spiratorem ad spiratum; non tamen id solùm habere, ut dicit *P. Amicus cit. n. 63.* asserere *P. Soar. cit.* neque enim *P. Soar.* id affirmat, ut legenti ipsum *P. Soar.* loco cit. constabit. 205.

Tertiò, non dari unum constitutum immediatè 206.

ex Essentia, & spiratione activa, quod sit principium *quod* spirativum distinctum virtualiter à Patre, & Filio, sed spirationem activam supponere principium spirativum, nempè Essentiam identificatam Patri, & Filio, quibus immediatè identificatur, illosque actu spirantes, & formaliter expresè relatos constituere.

207. Quartò, in spiratione activa priùs esse rationem originis, quàm relationis; siquidem ratio originis est veluti fundamentum proximum illius, sicut est in creatis causalitas; fundamentum autem præsupponitur ad illud, cujus est fundamentum. Quintò, spirationem activam, ut origo est, esse priorem Spiritu Sancto, utpotè illius productio: ut relatio autem, esse posteriorem, cùm Spiritus Sanctus sit illius terminus, ad cujus positionem resultat. Sextò, rationes originis, & relationis quasi prædicamentalis in spiratione activa solùm distingui secundùm majorem expressionem conceptuum.

SECTIO X.

Vtrùm Relationes Divinæ dicant perfectionem?

208. ADvertes primò, quæstionem non procedere de Relationibus Divinis, prout sunt idem à parte rei cum Essentia; sic enim nullum est dubium, dicere in Deo eandem perfectionem essentialem, quam dicit ipsa Essentia; cùm non sint quid entitativè diversum ab ipsa Essentia. Secundò, solùm procedere de ipsis Relationibus, prout virtualiter distinguuntur ab Essentia, cui addunt virtualitates relativas. Tertiò, adhuc prout sic posse dupliciter considerari, aut in se; aut comparativè ad ipsam Essentiam. Undè:

209. Advertes quartò, perfectionem entitativam, de qua hìc agendum, esse duplicem: Altera est, qua ens constituitur in ratione completi in suo genere, ita ut nihil ei desit in sua ratione, diciturq; perfectio absoluta, non quòd solùm reperiatur in ente absoluto, sed quia datur in ente in ordine ad se considerato: altera, quæ consistit in ratione convenientiæ entitatis cum subjecto, quod perficit, diciturque relativa, non quod detur in solis relationibus, sed quia datur in ente in ordine ad aliud considerato. His positis.

210. Difficultas 1. Utrùm Relationes Divinæ dicant perfectionem in se, seu quam dicimus absolutam? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 29. art. 3. Aureol. in 1. dist. 19. p. 2. art. 3. propos. 2. Ocham. q. 1. ad 1. Baccon. dist. 23. q. 1. art. 1. §. 2. & art. 3. & in 3. dist. 1. q. 1. art. 2. §. 2. Bannez 1. p. q. 28. art. 2. dub. 1. Zumel. ibid. d. 3. Zuniga de Trinit. d. 5. dub. 5. memb. 2. Gabr. in 1. dist. 7. q. 3. art. 3. P. Soar. lib. 3. de Trinit. cap. 9. n. 15. P. Vasq. 1. p. d. 122. cap. 2. P. Arrub. d. 105. P. Valent. 1. p. d. 2. q. 4. punct. 1. P. Granad. tract. 3, d. 5. sect. 2. n. 10. P. Tanner. 1. p. d. 4. q. 3. dub. 4. num. 3. P. Arriaga d. 49. sect. 3. P. Ruiz de Trinit. d. 29. P. Amicus d. 19. sect. 8. n. 199. P. Compton. tom. 1. d. 55. sect. 1. n. 4. P. Martinon. d. 25. sect. 9. P. Rhodez. tom. 1. d. 6. q. 2. sect. 7. §. 3.* & alii.

211. Probatur primò authoritate Patrum, quorum testimonia videri possunt apud Doctores cit. præsertim *P. Ruiz, & P. Martinon.* agnoscunt enim in Deo perfectiones Personales, ut fatetur D. Damascen. *lib. de Decret. primæ instit. cap. 1.* ibi: *Pater, ait, & Filius, & Spiritus Sanctus. Unusquisque enim eorum perfecta est hypostasis, & perfecta Persona.* Et *lib. 1. de Fide cap. 11.* dicit, Patrem, & Filium distingui perfectionibus personalibus. Confirmatur authoritate Ecclesiæ, quæ in Præfatione Missæ de Trinit. canit adorandam esse adoratione latriæ proprietatem Personalem: ibi: *Ut in Personis proprietas, & in Essentia Vnitas, & in Majestate adoretur æqualitas*; non autem adoratur, quod non habet excellentiam perfectionis. Dices cum *P. Molin.* adorari Trinitatem Personarum propter unitatem Essentiæ. Sed contra, quia Deus non adoratur solùm, quia Unus, sed etiam quia Trinus; sed non est Trinus ratione Essentiæ, sed ratione Relationum; ergo &c.

Probatur secundò rationibus: Prima, quia Relationes Divinæ prout distinguuntur virtualiter ab Essentia, habent veram rationem entis, ita ut constituant diversas entitates Personales realiter multiplicitas, non multiplicatâ Essentiâ; ergo etiam veram rationem perfectionis; siquidem perfectum, prout alibi diximus in Metaphysica, recurrit cum ente; cùm sit idem, atque integritas, sive bonitas, quæ est passio entis, ut etiam diximus in Metaphysica. Confirmatur, quia perfectum est, cui in suo genere nihil deest; sed Relationibus Divinis, ut tales sunt, in suo genere nihil deest; ergo &c.

Dicent 1. cum P. Molin. bonum, seu perfectum recurrere cum ente absoluto, non autem cum relativo. Sed contra, quia in ejus sententia *concluſ. 3.* relationes creatæ dicunt perfectionem; ergo etiam Divinæ. Secundò, bonum, & perfectum recurrere cum ente à Philosophis cognito; Philosophus autem non agnovit Trinitatem in Deo. Sed contra, quia Philosophi loquuntur de ente in totâ sua latitudine, & ex eo præcisè quod sit ens, dicunt esse bonum, & perfectum; Relationes autem Divinæ continentur sub ratione entis. Tertiò, bonum, & perfectum recurrere cum ente, aut ratione sui, aut ratione alterius. Sed contra, quia Relationes Divinæ ratione sui sunt ens; ergo & perfectio.

Secunda ratio est, quia Relationes Divinæ in se sunt subsistentiæ; sed conceptus subsistentiæ dicit perfectionem; siquidem esse formam de se aptam complere, & terminare naturam est perfectio; ergo &c. Confirmatur, quia Filiatio Divina, quà Relatio est formaliter, & aliis opposita sustentat Humanitatem Christi Domini; alioqui etiam aliæ illam sustentarent, dicerenturque incarnatæ, quod est hæreticum; ergo quà relatio est formaliter dicit perfectionem; siquidem implicat sustentare realiter naturam, illiusque perfectionem positivam supplere, qualis est subsistentia creata, & in se perfectionem non dicere.

Tertia ratio est, quia fœcunditas in Divinis completur Relationibus, saltem ut conditionibus, prout supra diximus; sed esse fœcunda completè est maxima perfectio Naturæ Divinæ; ergo &c. Quarta ratio est, quia negari non potest, Deum amare, & sibi complacere in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, non solùm ut sunt unus Deus, sed ut sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus formaliter, in ipsaque generatione, & Spiratione; sed solum bonum, & perfectum potest esse objectum complacentiæ, ut per se notum est; ergo &c.

Oppositum tenent *Richard. in 1. dist. 24. art. 1. q. 3. ad 1. Major in 1. dist. 20. q. 1. & dist. 33. ad 2. Torres. 1. p. q. 28. a. 2. d. 3. p. 2. Scot. in 3 dist. 1. q. 1. &* 4. &

4. & quodlib. 5. a. 1. & 2. Durand. in 3. dist. 1. q. 3. n. 13. Arimin. in 1. dist. 19. a. 1. Capreol. dist. 7. q. 1. art. 2. & dist. 17. q. 1. ad 3. Ægid. dist. 4. art. 1. ad 11. Cajet. 1. p. q. 28. a. 2. Ferrar. 2. contr. gent. cap. 9. P. Molin. 1. part. q. 42. a. 6. d. 2. qui omnes dicunt Relationes Divinas, prout præscindunt ab Essentia, neque perfectionem, neque imperfectionem dicere, sed ab utroque abstrahere: Pro quibus.

217. Objicies 1. Si Relationes Divinæ, prout sic dicerent perfectionem; aut illam dicerent finitam; aut infinitam: Non primum; siquidem nihil divinum potest esse finitum, & limitatum: Non secundum; siquidem infinitum est immultiplicabile, utpotè quod includit omnia in eo genere; conceptus autem Relationis in Deo multiplicatur; Paternitas enim v. g. non includit omnem Relationem, cùm non includat Filiationem; ergo &c.

218. Respondeo primò retorquendo argumentum: Relationes Divinæ, ut ipsi Adversarii fatentur, dicunt entitatem veram; aut illam igitur dicunt finitam; aut infinitam: Non dicunt primum; ergo secundum: aut si (ut alii dicunt) præscindentem à finita, & infinita; hoc idem dicimus de illarum perfectione. Quia tamen videtur implicare rem determinatam, & singularem præscindere à ratione finiti, & infiniti. Resp. secundò negando minorem quoad secundam partem; dicunt enim perfectionem infinitam in suo genere, nempè Paternitas (sicque de aliis) in genere Paternitatis, cum quo stare potest multiplicitas in genere Relationis, prout supra diximus.

219. Objicies 2. Si Relationes Divinæ dicerent perfectionem, sequeretur, aliquam perfectionem esse in Patre, quæ non esset in Filio, & è contra; siquidem in Patre est Paternitas, quæ non est in Filio; & in Filio est Filiatio, quæ non est in Patre; sed hoc ex terminis est absonum; ergo &c. Respondeo concedendo sequelam; neque enim est inconveniens concedere, aliquam perfectionem relativam, sicut & relativam entitatem esse in Patre, quæ non sit formaliter in Filio, & è contra; hoc enim tam certum est, quàm certum, Patrem non esse Filium; neque Filium esse Patrem.

220. Infertes: Ergo plus perfectionis esset in omnibus Personis simul, quàm in singulis; hoc autem est contra D. Aug. *lib. 6. de Trinit. cap. 7. & 10.* ibi: *In summa Trinitate tantùm est una, quàtùm tres simul sunt; nec plus aliquid sunt duæ, quàm una*; ergo &c. Respondeo concedendo illationem, si loquamur de perfectione relativa & formaliter constitutiva Personæ; non autem de perfectione simpliciter. Undè.

221. Advertes, nunquam concedendum esse simpliciter, & absolutè, aliquam perfectionem esse in una Persona, quæ non sit in alia; aut plus perfectionis esse in omnibus simul, quàm in singulis, ut cum D. Aug. cit. docent etiam reliqui Patres: Primò, quia nomine *perfectionis* simpliciter, & absolutè venit perfectio absoluta; hæc autem est æqualis, & eadem in omnibus Personis. Secundò, quia licet veniat perfectio relativa sub nomine *perfectionis*, eadem etiam perfectio relativa, quæ est in una Persona, est etiam in alia, non formaliter, & constitutivè; neque enim Relationes oppositæ possunt constituere eandem Personam, sed virtualiter, & ut Patres, & Theologi loquuntur per *Circumincessionem*, de quo infra.

222. Objicies 3. Si Relationes Divinæ dicerent perfectionem, sequeretur, unã esse aliâ perfectiorem; siquidem sunt diversæ speciei; species autem diversæ ex Philosopho *8. Met.* sunt inæqualis perfectionis; sequela verò non est admittenda, cùm sit contra fidem in Symbol D. Athan. ibi: *Totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales*; ergo &c. Respondeo negando sequelam; ad cujus probationem, (dato quod Relationes Divinæ quasi specie distinguantur: tùm quia sunt diversæ rationis: tum etiam quia distinctio numerica provenit ex limitatione in Deo non admittenda,) dicimus, posse diversas species, ut jam alibi diximus in *Logica tr. 2. d. 1. à n. 53.* esse æqualis perfectionis per mutuam prædicatorum æquipollentiam; quales essent duo conceptus duarum differentiarum individuantium: & duæ Uniones Hypostaticæ ad Patrem, & ad Filium, si darentur; Philosophus autem locutus est de speciebus subalternis. Addo, Relationes divinas non differre specie propriè, & positivè, sed negativè, quatenùs una non est alia, ut differentiæ individuantes; Philosophus autem loquitur de propriis speciebus.

223. Objicies 4. Relationes creatæ non dicunt perfectionem; siquidem conceptus relationis est communis relationibus rationis, & realibus; quod autem convenit cum ente rationis non participat veram rationem perfectionis, sicut non participat veram rationem entis; ergo idem dicendum de Relationibus Divinis. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, conceptum proprium, & univocum relationis non esse communem relationibus rationis, sed solis realibus. Imò neque sic est communis conceptus analogicus proportionis propriæ; sicut non ita communis est proprius conceptus entis communis cum ente rationis. Addo, convenientiam illam, quæcumque illa sit in ratione communi, non tollere determinatum conceptum relationis realis, qui ex eo, quod sit talis determinatè, dicit determinatè veram entitatem, sicque veram perfectionem.

224. Objicies 5. Perfectio ex D. Ansel. dicitur illa, *quæ in quolibet melior est ipsa, quàm non ipsa*, sive opposita; sed Filio non est melior Paternitas, quàm Filiatio; aut è contra; alioqui aliqua perfectio deesset Patri, & Filio, quam meliùs esset in eis esse, quàm non esse, quod derogat eorum perfectioni; ergo &c. Respondeo allatam descriptionem per se solùm competere perfectioni simpliciter simplici. Utrùm autem tales sint Relationes Divinæ? Dicemus infra.

225. Objicies 6. Perfectum coincidit cum eo, quod est integrum, significatque aliquod totum; sed tales non sunt Relationes Divinæ; siquidem sunt partes integrantes, & componentes Personas; ergo &c. Respondeo argumentum, si valeret, etiam probare, Essentiam non habere perfectionem; siquidem etiam integrat, & componit Personas. Undè perfectum dicitur integrum, & totum in suo genere, quales sunt etiam Relationes, licet in genere personalitatis integrent, & componant Personas.

226. Objicies 7. Relationes totum suum esse habent in ordine ad aliud; ergo non habent perfectionem illam, quam diximus absolutam, licet habeant respectivam. Respondeo negando consequentiam; sunt enim ens in se, cujus passio est perfectio, sive bonum, idque non tantùm entis absoluti, sed etiam relativi, quod etiam est ens in se, licet tale sit per ordinem ad aliud.

227. Objicies 8. Si Relationes Divinæ dicerent perfectionem; aut dicerent, quam diximus absolutam; aut respectivam: Non primum; nihil enim absolutum includitur in Relationibus: Non secundum; perfectio enim respectiva solùm consi-

derat

deratur per ordinem ad subjectum; hoc autem non habent Relationes; ergo &c. Respondeo negando minorem quoad utramque partem; habent enim perfectionem respectivam, sive relativam in entitate, tùm quia ad integritatem entis relativi pertinent; tùm quia maximam habent convenientiam cum Natura, quam aliquo modo perficiunt, ut statim dicemus: & habent absolutam, prout ipsæ Relationes in se, & absque ordine ad Naturam considerantur secundùm suam entitatem physicam, & realem.

228. Difficultas 2. Utrùm Relationes Divinæ comparativè ad Essentiam dicant perfectionem? Advertes primò, non esse idem dicere in se perfectionem, quam supra diximus absolutam, & illam dicere comparativè ad Essentiam, quam etiam supra diximus perfectionem relativam; siquidem hoc secundum in Relationibus Divinis sonat, Essentiam perfici per illas; nam ut communiter docent Theologi, Creaturæ dicunt in se perfectionẽ; & tamen superadditæ Deo illum non perficiunt. Undè:

229. Advertes secundò, præsentem quæstionem inquirere: Utrùm Relationes Divinæ superaddant Essentiæ perfectionem? Negant Authores supra cit. *n. 216.* quatenùs docent, Relationes in se nullam dicere perfectionem; si autem illam in se non habent, quomodò illam, quam non habent, superaddere possunt Essentiæ? Oppositum tamen videntur sentire Doctores cit. pro contraria sententia *n. 210.* quatenùs absolutè affirmant, Relationes Divinas dicere in se perfectionem. Et ratio est, quia omnis forma, quæ talis est comparativè ad naturam, est ad illam perficiendam; siquidem de ratione formæ est perficere; sed Relationes Divinæ sunt veluti formæ subsistendi, non solùm in se, sed etiam comparativè ad Naturam; ergo comparativè ad illam sunt perfectiones; seu quod idem est illam in ratione subsistendi perficiunt. Confirmatur, quia subsistentiæ creatæ, non solùm in se, sed etiam per ordinem ad naturam, sunt perfectiones; ergo etiam divinæ.

230. Advertes tertiò, aliquos, ut utramque hanc sententiam concilient, asserere, Relationes Divinas comparativè ad Essentiam dicere perfectionem, non quidem intensivam, sed extensivam: Intensivam perfectionem dicunt, esse illam, quæ addit novum gradum perfectionis, quæ non supponitur in eo, cui additur: Extensivam autem, quæ novum gradum perfectionis non addit, sed eandem magis extendit. Undè cùm Natura Divina ex se habeat omnem omninò perfectionem, & ipsas Relationes eminenter contineat, non perficitur per illas perfectione intensivâ, sed extensivâ.

231. Verumtamen hic modus loquendi, ut jam alibi notavimus in Metaph. *tract. 1. d. 3. à num. 181.* præterquam quod faciat quæstionem de nomine, difficultatem non evacuat; siquidem perfectio per ordinem ad id, quod perficit, dicit ex suo conceptu intensionem, prout illud reddit dignius, & æstimabilius, quod si ita non reddat, impropriè dicitur ejus perfectio. Patet exemplo, nam quando quæritur, an Creaturæ additæ Deo faciant conflatũ perfectius? Non est sensus, an faciant extensivè majus? Hoc enim est evidens, idemq; tunc esset, ac quærere; an perfectiones creatæ essent diversæ à Divinis? Sed est sensus; an conflatum ex Deo, & creaturis sit quid perfectius, id est æstimabilius, ac solus Deus? Et in hoc sensu excitatur hîc præsens difficultas, nempè: Utrùm Relationes Divinæ comparativè ad Essentiam dicant perfectionem, id est, illam perficiant? In quo:

232. Resolutio sit: Relationes Divinæ comparativè ad Essentiam dicunt perfectionem. Ita expresè *P. Ruiz. de Trinit. d. 29. sect. 3. & 4.* ubi ostendit, futurum Deum imperfectum sine Relationibus, imò & ipsam Divinitatem, & substantiam absolutam, quod latè, & eruditè probat, ut assolet, authoritate Sanctorum Patrum. *D. Athan. orat. 2. & 3. D. Basil. lib. 4. contr. Eunomium. D. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 1. D. Greg. Nyssen. orat. Catech. cap. 5. D. Gregor. Nazianz. tract. de Fide orat. 49. D. Cyril. Alex. lib. 1. Thesaur. cap. 6. D. Hilar. lib. 12. de Trinit. D. Epiphan. hæres. 69. D. Leo. Magn. serm. 5. de Nativit. D. Thom. opuscul. 1. cap. 7.* & aliis. Deindè:

233. Probatur primò, quia Relationes Divinæ, cùm sint perfectissimæ subsistentiæ, alicujus Naturæ sunt subsistentiæ; ergo alicujus Naturæ sunt perfectiones; sed non naturæ creatæ; ergo Divinæ. Neque recurras ad rationem intensivi, & extensivi; siquidem, ut jam diximus, esse perfectionem extensivam, non est, esse perfectionem Naturæ, sed esse perfectionem diversam. Undè.

234. Probatur secundò, quia Attributa absoluta sunt perfectiones intensivæ ipsius Naturæ Divinæ; ergo etiam sic erunt Attributa Relativa. Probatur tertiò, quia perfectiùs concipitur Natura Divina ut fœcunda *ad intra*, quàm ut infœcunda; sed illius fœcunditas completur, saltem ut conditione per Relationes; ergo &c.

235. Probatur quartò, quia quando perfectio ex suo conceptu nullam dicit imperfectionem, perfectius est illam continere formaliter, quàm solùm eminenter; sed Relationes Divinæ addunt Essentiæ perfectionem, quæ ex suo conceptu nullam dicit imperfectionem, & quæ in Essentia formaliter non continetur; ergo &c.

236. Probatur quintò efficaciter, quia si Relationes Divinæ solùm adderent Essentiæ Divinæ perfectionem extensivam, cùm hanc etiam addant illi creaturæ, non magis perficeretur Essentia Divina ex conjunctione creaturarum, quàm ex conjunctione Relationum Divinarum; hoc autem non est dicendum; ergo &c. Confirmatur, quia licet causa creata contineat eminentet suum effectum, tamen conjunctum ex illa, & effectu insurgit intensivè perfectius; ergo etiam licet Essentia contineat eminenter Relationes Divinas, tamen ex earum conjunctione cum Essentiâ consurget aliquid intensivè perfectius.

237. Objicies 1. Natura Divina ut præscindens virtualiter à Relationibus, est summum, & infinitum bonum includens omnem perfectionem simpliciter in omni genere; sed simpliciter, & infinitè perfecto in omni genere non potest addi perfectio; alioqui jam tale non esset; ergo &c. Respondeo Naturam Divinam ut præscindentem virtualiter à Relationibus includere omnem perfectionem simpliciter absolutè, non verò relativè: Undè summè, & infinitè perfecto in genere absoluto nõ potest addi perfectio simpliciter, & absolutè; potest tamen addi secundùm quid in genere relativo. Patet, quia Naturæ Divinæ ut præscindit ab Attributis, non potest addi perfectio in genere Naturæ; potest tamen addi in ratione attributali.

238. Objicies 2. Relationes Divinæ, cùm totæ sint ad aliud, solùm habent esse *ad*; non autem esse *in*; sed nulla perfectio potest esse talis comparativè ad Naturam habentem se per modum subjecti, nisi per

per esse *in*; ideòque multi docent relationes creatas non dicere perfectionem, saltem respectu subjecti; ergo &c. Respondeo negando majorem quoad secundam partem; relationes enim habent esse *in* transcendens omne esse relativum; quod etiam habent relationes creatæ transcendens omne accidens: dicuntur tamen habere totum esse ad aliud, quatenùs non aliter sunt in subjecto, aut quasi subjecto, nisi illud ordinando, quod est speciale in relationibus.

239. Objicies 3. In eo, quod est secundùm quid ad illud, quod est simpliciter nulla datur perfectionis proportio; sed Essentia est perfectio simpliciter; Relationes autem secundùm quid, ut ex dicendis constabit; ergo &c. Respondeo majorem esse veram, quando *secundùm quid* tale dicitur ob limitationem, & imperfectionem positivam; non autem quando tale est ob oppositionem: at verò Relationes Divinæ non desinunt esse perfectiones simpliciter ob limitationem, & imperfectionem positivam, imò sunt perfectiones infinitæ simpliciter in suo genere, ut statim dicemus, sed ob solam oppositionem; unius autem infiniti simpliciter ad aliud similiter infinitum datur perfectionis proportio.

240. Objicies 4. Creaturæ comparativè ad Deum, si ei conjungantur, nullam addunt perfectionem; ergo neque Relationes Divinæ; utræque enim sunt perfectiones secundùm quid. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia creaturæ sunt perfectiones secundùm quid ob limitationem, & imperfectionem positivam; sicque quando Deo adduntur, adduntur tanquam imperfectum Deo omninò perfecto: at verò Relationes Divinæ aliter se habent, ut proximè diximus, sicque adduntur tanquam infinitè perfectum relativè Deo, sive Essentiæ absolutè perfectæ infinitè.

241. Objicies 5. Si Relationes Divinæ prout sic comparativè ad naturam dicerent perfectionem, multa sequerentur absurda non admittenda. Primum, Trinitatem, imò & quamlibet Personam divinam esse perfectiorem Essentiâ Divinâ. Secundum, Patrem v. g. non esse æquè perfectum, ac est Trinitas tota; siquidem Trinitas plures Relationes, seu perfectiones includit, quàm solus Pater. Tertium, Patrem esse perfectiorem Filio; nam si Relationes comparativè ad Essentiam dicunt perfectionem, cùm ratio producti, quæ soli Patri convenit, sit ex suo conceptu nobilior, quàm ratio producti, quæ convenit Filio, perfectius esset conflatum ex Essentiâ, & Paternitate, quàm ex Essentiâ, & Filiatione; hæc autem non sunt admittenda; ergo &c.

242. Respondeo negando majorem, undè: Ad primum dicimus non ex eo sequi Trinitatem, aut quamlibet Personam esse absolutè, & simpliciter perfectiorem Essentiâ, sed solùm relativè, & secundùm quid: præsertim, quia à parte rei Trinitas, & Essentia non distinguuntur, sicque realiter sunt eadem perfectio in omni genere absoluto, & relativo. Ad secundum etiam negamus ex eo sequi, Patrem esse minùs perfectum, quàm Trinitas; siquidem omnes perfectiones relativæ sunt æquales: undè per æquivalentiam tantum continet Pater, quàm Trinitas, & tantum Trinitas, quàm quælibet Persona; quælibet enim continet eandem Essentiam, & æqualem perfectionem Relationis. Ad tertium similiter negamus, conflatum ex Essentia, & Paternitate esse perfectius conflato ex Essentia, & Filiatione ob rationem proximè assignatam: neque ratio producti in Patre est perfectior ratione producti in Filio; siquidem utraque dicit rationem subsistendi perfectissimam, & utramque exigit Natura ex se æqualiter, ac necessariò; nam tam necessariò Pater est, quàm est Filius absque ulla ratione dependentiæ, quæ sola inducit inæqualitatem inter producens, & productum, ut patet in creatis.

SECTIO XI.

Qualis sit hæc Relationum Divinarum perfectio?

DIFFICULTAS 1. Utrùm hæc Relationum Divinarum perfectio sit in suo genere infinita? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 3. de Trinit. cap. 12. n. 7. Aureol. in 1. dist. 19. p. 2. art. 2. propos. 2. Major ibid. q. unica. Ocham. in 1. dist. 19. q. 1. P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 4. n. 7. P. Ruiz d. 28. de Trinit. sect. 1. & 2. P. Amicus d. 19. sect. 8. n. 204. P. Compton. tom. 1. d. 54 sect. 1. n. 6.* & alii supra cit. Probatur primò, quia omnis Relatio Divina prout præscindit ab Essentia, (in quo sensu procedit difficultas, nam prout sunt idem cum Essentia nullum est dubium esse simpliciter infinitas;) habet in suo genere omnem perfectionem excogitabilem, caretque omni positivâ imperfectione; est ens indefectibile, æternum, &c. ergo est in suo genere infinita. 243.

Probatur secundò, quia Relationes Divinæ, ut diximus, prout præscindunt ab Essentia dicunt perfectionem; sed non finitam; ergo infinitam; siquidem omnis perfectio, aut est finita, aut infinita. Confirmatur, quia quælibet Origo in Divinis est infinita in suo genere; nempè Origo Filii habet omnem perfectionem sui generis, cùm non sit possibilis alia Origo Filii; ergo sic erit infinita Relatio, quæ in illa fundatur. 244.

Oppositum tenent *Marsil. in 1 dist. 3. q. 23. a. 3. corol. 5. Gregor. in 1. dist. 34. q. unica. art. 3. Durand. in 3. dist. 1. q. 3. num. 13. D. Bonav. in 1. dist. 7. art. 1. q. 2. Scot. in 1. dist. 26. q. 1. & dist. 2. q. 5. & quodlib. 5. art. 2. Richard. Argent. Capreol. Caiet. Ferrar. Canar.* & alii, quos citat, non tamen sequitur *P. Ruiz cit.* pro quibus: Oppones 1. Quod est infinitè perfectum, ut tale sit, debet includere omnem perfectionem excogitabilem, utpotè summè perfectum; sed non ita includunt Relationes Divinæ; non enim includunt perfectionem Essentiæ; ergo &c. Respondeo majorem esse veram de infinito simpliciter, & in omni genere; non autem secundùm quid, & in certo genere, ut sunt Relationes, quæ in suo genere includunt omnem perfectionem; sicque sunt infinitæ in tali genere. 245.

Oppones 2. Paternitas in Divinis est Relatio Divina; & tamen in genere Relationis non est infinita; siquidem non includit omnem perfectionem relativam; alioqui includeret Filiationem, & Spirationem passivam; consequenterque ab illis non distingueretur realiter; ergo &c. Respondeo Paternitatem, ut benè probat argumentum, & nos jam supra diximus, non esse infinitam in genere relativo, sed Paternitatis, in quo genere includit omnem perfectionem excogitabilem; idemque dicendum de aliis Relationibus in suo genere. 246.

Instabis: Ideò Paternitas non includit Filiationem, & spirationem passivam, quia illis opponitur; sed non ita opponitur spirationi activæ; ergo, ut 247.

sit infinita debet illam includere; sed hoc supra negavimus; ergo &c. Respondeo majorem non esse universaliter veram; siquidem poterant non opponi, & tamen non includi; neque enim opponuntur Essentiæ; & tamen illam non includunt formaliter, ut infrà dicemus.

248. Oppones 3. Relationes divinæ secundùm suum conceptum præcisum non sunt formaliter à se, sed tantùm identicè ratione Essentiæ; ergo etiam, non in se formaliter, sed identicè, & ratione Essentiæ erunt infinitæ. Respondeo dato antecedente (quod aliqui negant de Aseitate inadæquata excludente rationem causæ,) negando consequentiam; diversa ratio est, quia *Aseitas*, ut jam alibi diximus, & infrà dicemus, est propria, & constitutiva Essentiæ, sicque non potest Relationibus competere, quæ manent extra Essentiam ut ab illa distinctæ: at verò infinitas relativa, imò neque absoluta, est constitutiva Essentiæ, sed illius tantùm Attributum, sicque benè potest esse in Relationibus.

249. Difficultas 2. Utrùm plures Relationes Divinæ possint dici in Deo plures perfectiones cum addito, id est relativæ; sicque eodem modo dici, plura *entia*, *bonitates*, *res*, *entitates*, *æternitates*, *infinitates* reales, licet non omnes Relationes in Deo sint realiter distinctæ? Affirmativè. Ita *Ocham. in 1. dist. 19. q. 1. Aureol. in 1. dist. 19 p. 2. art. 3. propos. 2. Gabr. in 1. dist. 7. q. 2. art. 2. P. Valent. de Trinit. lib. 2. controv. cap. 12. P. Soar. lib. 3. de Trinit. cap. 9. à n. 14. & cap. 10. & tom. 1. in 3. p. d. 1. sect. 4. P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 4. n. 9. P. Amicus d 19. sect. 8. n. 206. P. Arriaga d. 49. num. 11.* & alii. Probatur, quia Relationes Divinæ, prout præscindunt ab Essentia, ut diximus, dicunt perfectionem infinitam, sunt *ens*, *bona*, *res*; &c. Deindè sunt plures; ergo benè potest dici, dari in Deo plures perfectiones, (sicque de aliis prædicatis) cum addito, nempè relativas; licet non ita possit dici absolutè, & sine addito; siquidem prout sic supponunt pro absoluto, quod in Deo est unum tantùm. Vide de his, aliisque prædicatis in *Metaphys. tract. 5. d. 1. sect. 5. à n. 166.* ubi plura diximus hujus loci propria.

250. Oppositum tenent *Capreol. Caiet. Ferrar. Canar. Scot. Durand. Richard. Argent. P. Molin. P. Bellarm. D. Bonav. in 2. dist. 38. Henricus quodlib. 1. q. 1. Greg. in 1. dist. 20 q. 1. art. 1. Major. in 1. dist. 19 q. unica. Marsil. 1. p. q. 28. art. 2. d. 3. p. 2. P. Vasq. 1. p. d. 122. cap. 6.* & alii, quos citat, & sequitur *P. Ruiz de Trinit. d. 30. sect. 3. num. 1.* pro quibus. Argues 1. Sancti Patres, ut videre est apud Doctores citatos, præsertim P. Ruiz, loquentes de perfectione Divina, loquuntur in numero singulari; ergo unica, & singularis perfectio datur in Deo. Respondeo Sanctos Patres illis in locis loqui de perfectione Divinâ absolutâ, quæ quidem est una; non autem de Relativâ, quæ est multiplex, ut etiam dixit D. Damascen. *lib. 1. de Fide cap.* 10. & 11. ubi dicit dari in Deo perfectionem personalem: ibi: *Perfectas, ait, ipsas hypostases, Personasq; dicimus, &c.* Personalitas autem est triplex; ergo & triplex perfectio.

251. Argues 2. Perfectio recurrit cum integritate; sed hæc in Deo est una; ergo una tantùm in Deo est perfectio. Respondeo in Deo unam tantùm esse integritatem absolutam, & secundùm Essentiam; non autem relativam; hæc enim est triplex realiter, & una virtualiter distincta, quales sunt Relationes Personales, & spiratio activa, sicque etiam tot sunt in Deo perfectiones relativæ.

Argues 3. Si in Deo diceretur dari hujusmodi perfectiones, quia in Deo dantur hujusmodi Relationes, sequeretur dari in Deo inæquales perfectiones, Deumque dici inæqualiter perfectum; siquidem tales Relationes sunt diversæ speciei; species autem ex Philosopho semper se excedunt sicut numeri; sed sequela non est admittenda; ergo &c. Respondeo primò negando minorem; nullum enim est inconveniens admittere quoad nos hujusmodi inæqualitatem; nam Attributa Divina sic etiam sunt inæqualia quoad nos, non tamen à parte rei; siquidem à parte rei, tam Attributa, quàm Relationes habent identitatem cum eadem Natura, quæ à parte rei includit omnem omninò perfectionem, aut formaliter, aut eminenter. Respondeo secundò negando sequelam, ut patet ex supra dictis *n. 222.* 252.

Argues 4 Ideò diceretur dari in Deo triplicem perfectionem, quia in Deo dicitur dari triplicem relationem; sed ex hoc non sequitur; siquidem cùm Relationes sint ad terminos, qui ab illis realiter distinguuntur, etiam sunt inter se realiter distinctæ; perfectio autem cùm sit in ordine ad subjectum, nempè Essentiam, quæ est una tantùm, etiam una tantùm erit ipsa perfectio; ergo &c. Respondeo argumentum solùm probare hujusmodi perfectiones solùm distingui virtualiter ab Essentia, & realiter inter se, quod non negamus. Accedit, falsum esse, perfectionem transcendentalem sumi per ordinem ad subjectum; alioqui ipsa Essentia non esset transcendentaliter perfecta, quia ad nullum subjectum dicit ordinem. 253

Argues 5. Relatio formaliter ut talis secundùm quod ab alia distinguitur realiter, solùm reduplicat supra differentiam entis divini relativi, concipiturque ut differentia adjacens, & modificans ens; sed differentia entis, & illius modificatio ut talis, non est perfectio transcendentalis, nec entitas ratione sui; ergo neq; sic erit Relatio *in Deo*. Respondeo negando minorem, ut patet ex alibi dictis in Metaphysica; differentiæ enim, & modificationes entis eo modo, quo diximus distingui ab ipso ente, nempè per majorem expressionem conceptûs, illud perficiunt: at verò Relationes Divinæ, cùm à Natura distinguantur virtualiter perfectè, ut infrà dicemus, eo modo, quo ab illa distinguuntur, sunt perfectiones transcendentales, non solùm in se, sed etiam respectu ipsius Naturæ, prout supra diximus. 254

SECTIO XII.

Virùm Relationes Divinæ sint perfectiones simpliciter simplices?

255 DIFFICULTAS 1. Utrùm Relationes Divinæ sint perfectiones simpliciter simplices? Negativè. Ita *Scot. quodlib. 5. art. 2. & in 1. dist. 2. §. Ad primam quæstionem, & dist. 19. q. 1. ad 2. Aureol. in 1. dist. 19. p. 2. art. 3. propos. 1. Caiet. 1. p. q. 28. art. 1. & 2. Gabr. in 1. dist. 7. q. 3. art. 3. Greg. dist. 19. q. 1. art. 1. P. Soar. lib. 3. de Trinit. cap. 10. n. 4. & tom. 1. in 3. p. d. 11. sect. 4. P. Amicus d. 19 sect 8. n. 205. P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 4. n. 8. P. Compton. tom. 1. d. 35. sect. 1. n. 7. P. Rhodez tom. 1. d. 6. q. 2. sect. 7. §. 3.* & alii. Probatur primò, quia perfectio simpliciter simplex, prout alibi jam diximus in *Met. tract. 1. d. 3. à n. 166.* cum D. Ansel. *in Monolog. cap. 5.* & communi Theologorum, est illa: *Quæ in quolibet ente*

ente melior est ipsa, quàm non ipsa; quod ita intelligendum, ut diviso ente adæquatè in duas veluti differentias oppositas, & incompatibiles, illa sit perfectio simpliciter simplex, quæ melior est, quàm opposita; sed diviso ente in Patrem, & non Patrem, non melius est esse Patrem, quàm non esse Patrem; siquidem esse Filiũ est non esse Patrem; & tamen esse Filium est æqualis perfectio, quàm esse Patrem; ergo &c. Confirmatur explicando definitionem illam per conditionem impossibilem, quia si per impossibile Pater non esset Pater, sed Filius, non propterea esset perfectius ens, aut perfectius suppositum; ergo esse Patrem, & esse Filium non sunt perfectiones simpliciter simplices.

256. Probatur secundò, quia ad perfectionem simpliciter simplicem triplex communiter requiritur conditio: Prima, ut non involvat admistam imperfectionem: Secunda, ut non excludat majorem, aut æqualem: Tertia, ut includatur formaliter in Essentia Divina, id est in Deo, ut unus est; atqui secunda, & tertia non reperiuntur in Relationibus; siquidem mutuò se excludunt ab eodem supposito, cùm tamen sint æquales, ut patet ex supra dictis, & non includuntur formaliter in Deo, ut unus est, ut infrà dicemus; ergo &c. Confirmatur, quia alioqui aliquid perfectionis simpliciter simplicis esset in Patre, quod non esset in Filio, & è contra, consequenterque nulla Persona esset adæquatè perfecta in omni genere perfectionis simpliciter simplicis; hoc autem non est dicendum; ergo &c.

257. Oppositum tenent *Greg. in 1. dist. 20. q. 1. art. 1. & dist. 34. q. unica art. 3. ad 6. Major. in 1. dist. 19. q. unica ad 1. Gabr. in 1. dist. 7. q. 3. art. 3. Ocham. ibid. q. 1. ad 1. P. Valent. lib. 2. controv. cap. 12. P. Vasq. d. 122. cap. 4. n. 10. & cap. 6. & 7. Caiet. 3. p. q. 3. art. 1.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 30. de Trinit. sect. 9. num. 5. P. Arriaga d. 49. sect. 1. subsect. 3.* & alii: pro quibus: Objicies 1. Perfectio simpliciter simplex videtur esse illa, quæ in subjecto, cui convenit, melior est ipsa, quàm non ipsa; siquidem ad perfectionem simpliciter simplicem non requiritur, quod sit melior respectu illius, cui non convenit; alioquin gradus rationalis non esset perfectio simpliciter, quia equo, cui non convenit, non melior est ipsa, quàm non ipsa, cùm sit illius destructiva; sed quælibet Relatio Divina melior est in Persona, cui convenit, quàm ejus carentia; ergo &c.

258. Respondeo negando majorem; neque enim prout sic benè explicatur perfectio simpliciter simplex; nam si solùm esset comparanda ad subjectum, cui convenit, quælibet perfectio esset simpliciter simplex; sicque hinnibile esset perfectio simpliciter simplex, quia respectu equi, cui convenit, melior est, quàm non hinnibile; siquidem hoc ejus essentiam destruit.

259. Objicies 2. Perfectio simpliciter simplex est illa, quæ à subjecto, cui convenit, nullam excludit perfectionem majorem, aut æqualem; sed relationes Divinæ ita se habent; nam licet inter se opponantur, tamen à Natura nullam excludunt perfectionem absolutam, aut relativam; siquidem omnes identificantur in eâdem Naturâ Divinâ; ergo &c. Respondeo negando minorem; ad cujus probationem dicimus, relationes Divinas, licet non excludant à Natura perfectionem majorem, aut æqualem, illam tamen excludere à supposito, quod etiam participat rationem entis; perfectio autem simpliciter simplex est illa, ut diximus, quæ in quolibet ente melior est ipsa, quàm non ipsa.

Objicies 3. Subsistere est perfectio simpliciter 260.
simplex; siquidem respectu Dei, imò & respectu entis, melius est subsistere, quàm non subsistere; sed Deus subsistit relationibus Personalibus; ergo hæ sunt perfectiones simpliciter simplices. Respondeo distinguendo majorem: est perfectio simpliciter simplex, si sumatur prout dicit modum existendi perfectè; concedo majorem: sic autem præscindit à relationibus, ut quid absolutum: prout dicit incommunicabilitatem suppositi; nego majorem; sic enim dicunt oppositionem æqualis perfectionis.

Objicies 4. Melius est Deo esse Trinum, quàm 261.
non esse Trinum; sed est Trinus per relationes Personales; ergo &c. Respondeo esse Trinum respectu Dei dicere collectionem plurium perfectionum relativarum, & non unam simplicem, de qua est quæstio. Præterquam quod non debent comparari solùm cum Deo, sed cum unoquoque ente, seu supposito; tota autem Trinitas non est perfectior quâlibet Personâ.

Objicies 5. Saltem disjunctivè melius est respectu 262.
cujusque entis esse aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum, quàm non esse Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctũ; ergo saltem disjunctivè dicunt perfectionem simpliciter simplicem. Respondeo relationes Divinas sic disjunctivè sumptas non dicere perfectionem simpliciter simplicem; hæc enim debet sumi determinatè, & non disjunctivè, nam perfectio disjunctiva est multiplex, & non una tantùm; alioqui esse Deus, aut creatura; substantia, aut accidens; corpus, aut spiritus esset perfectio simpliciter simplex.

Infertes: Ergo saltem esse Patrem, Filium, & 263.
Spiritum Sanctum collectim erit perfectio simpliciter simplex. Resp. negando illationem: tunc enim Trinitas in quâlibet Personâ non est melior ipsa, quàm non ipsa, licet sit melior in Deo. Accedit, quod Trinitas, prout sic nihil aliud est, quàm omnes tres relationes; & cùm omnes sigillatim non sint perfectiones simpliciter simplices, etiam neque collectim.

Objicies 6. Perfectio adæquatè dividitur in 264.
simpliciter, & secundùm quid; sed relationes Divinæ non sunt perfectio secundùm quid; siquidem hæc dicit imperfectionem, quæ in Deo non est admittenda; ergo sunt perfectiones simpliciter. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, perfectionem secundùm quid admittere imperfectionem, aut positivam, si sit creata, aut negativam, si sit Divina, quatenùs scilicet non includit omnem perfectionem, sed eam tantùm, quæ sibi debetur; aut cum aliquâ habet oppositionem; quam imperfectionem negativam admittimus in relationibus Divinis, utpotè quæ propriè imperfectio non est.

Objicies 7. Melius est esse Patrem quàm non 265.
esse Patrem; siquidem esse Patrem dicit fœcunditatem; melius autem est esse, quàm non esse fœcundum; ergo Paternitas est perfectio simpliciter. Respondeo in Patre melius esse Patrem esse, quàm non esse Patrem ob rationem assignatam; non ita tamen melius esse in Filio, & Spiritu Sancto esse Patrem, quàm non esse Patrem, quod necessarium erat ut Paternitas esset perfectio simpliciter simplex, quæ debet considerari respectu cujuslibet subjecti, & non tantùm illius, cui convenit, ut diximus. Accedit, quod Paternitas solùm dicit fœcunditatem identicè, & arguitivè, & prout sic est perfectio absoluta, ac proindè simpliciter simplex, datúrque in omnibus Personis, cùm in om-

nibus detur Natura fœcundissima: nos autem non loquimur de perfectione simpliciter simplici arguitivè, & identicè, sed quæ talis sit formaliter, quam negamus esse Relationes Divinas.

266. Objicies 8. Licet Persona Divina non constituatur intrinsecè Relationibus oppositis, nempè Pater Filiatione; constituitur tamen saltem extrinsecè, quatenùs Filiatio est ad Patrem, & Paternitas ad Filium; ergo Relationes Divinæ prout sic sunt in singulis Personis, consequenterque sunt perfectiones simpliciter simplices. Respondeo perfectionem simpliciter simplicem, ut diximus, esse illam, quæ melior est ipsa, quàm non ipsa in quolibet, in quo est propriè, sivè in quo est idem per identitatem, sicque non sufficere quemlibet modum essendi minùs proprium, qualis ille foret, quidquid dicat P. Granad. alioqui omnes perfectiones creatæ essent simpliciter simplices, quia omnes sic impropriè, & eminenter sunt in Deo.

267. Objicies 9. Paternitas est melior Filiatione Divinâ; siquidem meliùs est dare, quàm accipere; & meliùs esse à se, quàm ab alio; ergo &c. Resp. negando antecedens, ad cujus probationem dicimus perfectiùs esse dare, quàm accipere in creatis, ubi causa dans esse est independentior, quàm effectus illud accipiens; siquidem ex effectu arguimus causam, non tamen è contra, cùm causa posit esse sine effectu; quod licet non ita sit in causis necessariis, id provenit ex imperfectione causæ, non autem ex perfectione, sive intrinseca ratione, aut entitate effectûs: at verò in Divinis aliter se res habet; licet enim non detur dependentia inter procedens, & productum, datur tamen æqualis necessitas existendi, ita ut tam necessariò sit producens, quàm terminus productus, non ex eo solùm, quod habeat principium determinatum; siquidem hoc esset habere necessitatem ab extrinseco, sed ex se, & ex sua intrinseca ratione: Undè cùm habeat æqualem necessitatem existendi ab intrinseco, & principium producens æquè sit propter se, & propter terminum productum, quo pacto etiam se habet terminus productus; indè fit, quod in divinis non sit meliùs dare, quàm accipere, cùm utrumque sit æquè necessarium ex intrinseca ratione, & dantis, & accipientis.

268. Objicies 10. Quando dicitur, perfectionem simpliciter simplicem esse illam, quæ in quolibet subjecto melior est ipsa, quàm non ipsa, aut alia opposita, intelligitur sub conditione impossibili, nempè si per impossibile posset subjectum mutare suam perfectionem in oppositam, melior ei esset opposita; cùm autem sit impossibile, melior est ipsa, quàm non ipsa; sed ita se habent Relationes Divinæ; ergo &c. Respondeo adhuc prout sic non esse perfectiones simpliciter simplices; nam aut in ea suppositione maneret subjectum idem; aut diversum: Si primum, tunc non ei melior esset ea perfectio, quàm opposita; siquidem esset contra ejus naturam: Si secundum, mirum non est, quod melior ei esset talis perfectio, non tamen esset simpliciter simplex; alioqui quælibet perfectio talis esset de facto; siquidem respectu sui subjecti melior est ipsa, quàm illius opposita.

269. Difficultas 2. Utrùm Relationes Divinæ sint veluti modi respectu Essentiæ Divinæ? Affirmativè. Ita *Hencicus 2. p. sum. a. 55. q. 6. Alex. 1. p. q. 44. Albert. 1. p. q. 44. memb. 2. D. Bonaven. 1. ad 25. a. 1. q. 2. & dist. 19. p. 2. a. 1. q. 1. ad 3. Richard. in 1. dist. 2. a. 2. q. 3. Marsil. in 1. q. 6. a. 3. ad 8. Aureol. in 1. dist. 19. p. 2. art. 4.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz lib. 12. de Trinit. sect. 5. n. 3. P. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 6. n. 4. P. Vasq. 1. p. d. 120. cap. 6. n. 27. & d. 126. cap. 6. n. 25.* & alii. Ante probationem:

270. Advertes primò, difficultatem non procedere de modo, qui talis sit realiter respectu Essentiæ. Patet, quia non est realiter modus, nisi qui realiter afficit, & modificat, neque sic potest realiter afficere, & modificare, nisi quod realiter distinguuntur à re modificata; sed non ita distinguuntur Relationes ab Essentiâ Divinâ, ut patebit ex infra dicendis; ergo &c. Secundò, solùm procedere de modis qui addunt perfectionem veluti modalem impropriè, & sublatis imperfectionibus, quatenùs solùm modificant per identitatem, suppositâ distinctione virtuali, de qua infra dicemus. Hoc posito.

271. Probatur primò authoritate Sanctorum Patrum D. Justin. in expositione Fidei. ibi: *Nomina hæc*, inquit, *non ad essentiam attinere, sed ad modos subsistentiæ, &c.* D. Damascen. lib. 1. Fidei cap. 9. 11, & 13. ibi: *Non substantiæ sunt indicia, sed habitudinis ad invicem, & modi subsistendi.* Idem insinuant *D. Basil. lib. 4. contra Eunom. sect. 2. D. Greg. Nyssen. lib. ad Ablabium. D. Gregor. Nazian. orat. 29 & Concil. Later. cap. Damnamus. de sum. Trinit.* ubi dicit Personas esse substantiales, id est, non differre substantiâ; sed differunt Relationibus; ergo illas non intelligit Concilium nomine substantiæ; ergo si non conveniunt nomine substantiæ, sunt modi substantiæ.

272. Probatur secundò, quia quod est commune, & indifferens, modificatur, & determinatur per proprietates peculiares, & veluti individuales; sed Essentia Dei est communis, & indifferens tribus Personis; modificatur autem, & determinatur per Relationes, ut sunt proprietates veluti individuales; ergo &c.

273. Probatur tertiò, quia subsistentia est terminus essentiæ; terminus autem modificat rem terminatâ; sed relatio, seu personalitas est subsistentia terminans Essentiam; ergo illam modificat; consequenterque est illius modus. Confirmatur, quia Relationes Divinæ præcisè sumptæ non sunt de primario conceptu, & quidditate Essentiæ; sicut etiam subsistentiæ creatæ, sive terminus substantiæ creatæ, imò & accidentis, non sunt de quidditate, & primario conceptu substantiæ, sive rei terminatæ, sed tantùm illius modi; ergo etiam sic erunt Relationes Divinæ respectu Essentiæ.

274. Oppones 1. Modi non fiunt per productionem, sed aut per simplicem motionem localem, ut figura, Ubi, &c. aut alio genere actionis non productivæ novæ entitatis, sed modificativæ alicujus, aut naturâ, aut tempore præexistentis; atqui Filiatio, & Spiratio passiva producuntur verâ, & propriâ productione, suntque illius termini substantiales; ergo sunt realitates, & non modi substantiæ Divinæ.

275. Respondeo majorem bene procedere in creatis, non autem valere in divinis; siquidem in creatis subsistentiæ solùm habent munus terminandi naturam; sicut etiam alii modi solùm habent modificare realitatem, ideòque ab aliquibus Authoribus dicuntur puri termini: at verò Relationes Divinæ non solùm habent terminare Naturam Divinam, sed etiam constituere, & distinguere Personas; cùm autem in Divinis non admittatur distinctio realis, nisi media oppositione originis producentis, & producti, inde est, quod Relationes, quæ solùm non communicantur, sint termini veræ productionis, licet sint modi substantiæ Divinæ;

Divinæ; nèque enim sunt puri termini, sed tales modi.

276. Oppones 2. Modus distinguitur modaliter à suâ realitate; sed Relationes solùm virtualiter distinguuntur ab Essentia, ut infra dicemus; ergo non sunt illius modi. Resp. majorè esse veram de modis creatis, qui tales sunt à parte rei, qui licet absque suis realitatibus existere non possint, possunt tamen realitates sine illis existere, prout alibi diximus in Physica: at verò in divinis aliter se res habet; siquidem ibi Relationes sunt modi virtualiter, quatenùs manent extra Essentiam, à quâ virtualiter distinguuntur, & suo modo modificant, & terminant.

277. Oppones 3. Licet Relationes non sint de conceptu primario Essentiæ, ut Natura est, sunt tamen de illius conceptu, ut subsistantia est; sed hoc sufficit, ne dicantur illius modi, sed sint ipsa Essentia, & Substantia Divina; ergo &c. Respondeo negando majorem; neque enim Relationes sunt de conceptu formali Essentiæ, ut Natura est, neque ut subsistantia est, cùm non includantur in conceptu formali Essentiæ, sivè subsistantiæ absolutè sumptæ, ut infra dicemus; alioqui non possemus verè dicere Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse eandem omninò Essentiam, & Substantiam, cùm Relationes sint veluti rationes eorum distinctivæ; hoc autem est contra Sanctos Patres, & Theologorum sensus.

278. Oppones 4. Spiratio activa est Relatio Divina; & tamen non est terminus Naturæ, neque substantiæ Divinæ; ergo neque illius modus. Respondeo negando consequentiam; adhuc enim est illius modus, quatenùs est origo, & veluti actio determinans Naturam ad certam productionem, quod sufficit, ut patet in actionibus creatis, quæ licet sint modi, non respectu agentis, sed termini producti, quatenùs cum hoc, & non cum illo identificantur; Spiratio tamen activa, quia cum principio producente, & non cum termino producto identificatur, non hujus, sed illius est modus.

SECTIO XIII.

Quomodò Relationes Divinæ ab Essentiâ distinguantur?

279. HUjus difficultatis occasione disputant hìc aliqui de distinctione Attributorum à Natura, & inter se, mutuâque eorum inclusione, quod quia magis proprie ad materiam de Attributis spectat, & de illo jam satis in Metaphys. *tract. 1. d. 3. à n. 775.* de solâ distinctione Relationum à Natura, mutuâque inclusione, quod proprium est hujus loci, agemus, etiam si de illa jam egerimus loco proximè citato, neque enim prætercundam censuimus adeò præcipuam in hac materiâ difficultatem, cùm omnes de illa hìc mentionem faciant. Undè:

280. Notabis primò, distinctionem, prout alibi diximus in Metaphys. *tract. 1. a. 7. à n.* 201. adæquatè dividi in realem, & rationis: prima datur à parte rei: Secunda non nisi per intellectum pluri-ficantem rem unam realem in plures intentionales. Pugnant aliqui pro tertio membro distinctionis, nempè virtualis; alii verò sumunt distinctionem virtualem pro distinctione rationis, & promiscuè utuntur his nominibus. Neutrum placet: ne tamen nostrum judicium similiter displiceat.

281. Notabis secundò, distinctionem virtualem dupliciter sumi posse: Primò prout idem valet, atque distinctio in potentia, & tunc datur, quandoliceet nõ dentur plura actu, nec à parte rei, nec per intellectũ, dantur tamen plura potentialiter. Et si ita sunt plura potentialiter, ut reductâ potentiâ ad actum, fiant plura actu ex natura rei, distinctio illa virtualis est ex natura rei potentialis; ut effectus, qui potentialiter continentur in causa, in qua sunt actu unum, potentiâ tamen distinguuntur realiter. Si tamen ita sunt plura potentialiter, ut solùm per intellectum possint actu plurificari, tunc distinctio illa virtualis erit distinctio rationis potentialis; sic perfectiones Divinæ, quatenùs intellectus illas non plurificat, distinguuntur virtualiter, id est per rationem potentialiter.

282. Secundò sumitur distinctio virtualis actualiter, quæ prout sic datur in rebus secundùm se absque operatione intellectûs, & idem valet, atque distinctio eminentialis: & cùm distinctio absolutè supponat pro reali, quæ est simpliciter, & absolutè distinctio; idem etiam valet distinctio virtualis absolutè loquendo, atque distinctio realis, non formaliter, sed eminenter, quatenùs scilicet, quamvis non sit propria distinctio, sed potiùs identitas, tamen quoad effectus, qui identitati non repugnant, idem præstat, atque propria, & realis distinctio; ac proinde quæ sic distinguuntur, licet formaliter non sint plura; ita tamen sunt unum, ut tale unum possit sortiri effectus plurium; sicque possit terminare plures conceptus formales; vendicare rationem plurium conceptuum objectivorum; de se invicem negari; & absque operatione intellectûs subjici prædicatis contradictoriis, quæ sunt effectus distinctionis realis. Hoc posito.

283. Dico 1. Relationes Divinæ aliquo modo, saltem virtualiter, aut per rationem distinguuntur à Naturâ Divinâ. Ita omnes Doctores Catholici, qui id cõmuniter supponunt, adeò ut oppositum (quidquid in aliis materiis dicant Nominales) judicent erroneum, ut videre est apud *P. Ruiz de Trinit. d. 12. sect. 4. P. Martinon. d. 3. & 25. sect. 3. n. 29.* & alii. Probatur, quia prædicata contradictoria non possunt absque aliqua distinctione verificari; siquidem evidens est, quod de eodem secundùm idem non potest simul idem prædicatum affirmari, & negari; alioqui posset aliquid simul esse, & non esse; existere, & non existere, quod directè, & immediatè est contra lumen naturale; sed de Natura, & Relationibus Divinis verificantur prædicata contradictoria; ergo Natura, & Relationes aliquo modo distinguuntur.

284. Probatur minor, consequentia enim rectè colligit, quia de fide est, & constat ex Concil. Florent. *sess. 18. §. Divina substantia*: ibi: *Substantia*, inquit, *cum Personis communicat; proprietates verò nequaquã communicabiles sunt.* Et *sess. ult. in litteris unionis*: *Omnia*, inquit, *quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo dedit gignendo, præter esse Patrem.* Et Concil. Toletan. 6. &. 11. *in fidei professione*, affirmat, solum Filium assumpsisse Humanitatem in eo, quod proprium est Filii; non quod est commune Trinis; ex quibus, & aliis similibus constat, veras esse has propositiones: *Natura communicatur; Paternitas non communicatur: subsistentia Verbi terminat immediatè Humanitatem: Natura non terminat immediatè Humanitatem: Pater generat, & Filius generatur; Natura neque generat, neque generatur: Natura non producit, neq; producitur; Filius producit, Spiritus Sanctus producitur*; sed hujusmodi propo-

sitiones sunt contradictoriæ; ergo non possunt de eodem sine aliqua distinctione verificari.

285. Confirmatur primò, quia idem secundùm idem non potest esse principium conveniendi, & differendi; sed Personæ Divinæ conveniunt in eadem Natura; differunt verò in Relationibus; ergo hæ, & illa aliquo modo distinguuntur. Secundò, quia Natura Divina est una, & eadem in tribus Personis; subsistentiæ autem relativæ sunt tres; sicque Personæ sunt idem in Natura, non tamen in proprietatibus; & Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt idem Deus, non tamen eadem Persona; ergo necessariò fatendum est, rationem Personæ aliquo modo distingui à ratione Deitatis; siquidem quando sola nomina distinguuntur, & res significata est omninò eadem, non possunt contradictoria verificari propter solam nominum diversitatem; sic enim supposito quod *ensis*, & *gladius* idem significent, nihil potest negari de ense, quod affirmetur de gladio.

286. Dicent primò cum Nominalibus Concil. Rhemense sub Eugen. III. definire: *Nec aliqua ratio Theologica*, inquit, *inter Naturam, & Personam divideret, &c.* Sed contra, quia Concil. cit. solùm ibi damnat errorem Gilberti, de quo infrà, qui nomine distinctionis, seu rationis theologicæ intelligebat distinctionem realem, prout hæc opponitur distinctioni, seu rationi mathematicæ, quam dicebat virtualem, seu rationis: non autem excludit prædictum Concil. omnem distinctionem, etiam rationis inter Naturam, & Personalitates, ut dicemus.

287. Dicent secundò, digniùs, & perfectiùs concipi Simplicitatem Divinam, si nulla ibi omninò distinctio intercedat. Sed contra primò, quia cùm simplicitas non opponatur distinctioni, sed compositioni, benè potest stare aliqua distinctio absque compositione, sicque cum summa Dei simplicitate, prout alibi diximus. Secundò, quia falsò supponitur perfectiùs concipi Personam Divinam absque distinctione; siquidem distinctio virtualis (quæ saltem debet admitti,) cùm fundetur in eminentia, importat perfectionem; sicque concipere Personam Divinam absque distinctione virtuali, esset illam concipere sine perfectionis eminentia; consequenterque imperfectam. Vide dicta *in Met. tr. 1. d. 3. à n. 776.*

288. Dico 2. Relationes Divinæ non distinguuntur realiter à Natura. In hoc maximè erravit Gilbertus Porretanus Pictavienſis Episcopus, cujus error damnatus fuit in Concil. Rhemensi sub Eugenio III. & quem ipse Gilbertus retractavit, ideoque non fuit contumax, neque hæreticus, ut dicit *P. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 2. n. 3.* Hanc Gilberti sententiam sequutus est non longo intervallo *Durand. in 1. dist. 5. q. 1. n. 5. & dist. 33. q. 1. & dist. 34. q. 2. & in 3. dist. 1. q. 2. n. 15.* quatenùs asserit, Relationes Divinas distingui à Natura modaliter, quam etiam opinionem ex iisdem principiis fidei erroneam dicunt cum *D. Thom. P. Soar. P. Vasq.* & alii infrà citandi. Contra hos errores utriusque sententiæ sic præsens conclusio probatur.

289. Primò authoritate Sanctorum Patrum, & Concil. apud *P. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 4. & P. Ruiz de Trinit. d. 11. sect. 3. & 4.* specialiter verò ex Concil. Later. *de sum. Trinit. cap. Damnamus*: ubi Concil. definit in Deo non esse quaternitatem rerum; esset autem quaternitas rerum, si Relationes Divinæ essent realiter, aut modaliter distinctæ à Natura; siquidem jam Natura esset res diversa à tribus relationibus; ergo &c.

Dicent primò, Concil. solùm velle non esse in Deo quaternitatem Personarum. Sed contra primò, quia Concil. apertè loquitur de quaternitate rerum. Secundò, quia intendebat, quamlibet Personam Divinam esse omninò simplicem; hoc est non compositam realiter ex Naturâ, & subsistentiâ diversis: ibi: *Id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus, idem omninò*: quæ ultima verba stare non possunt cum distinctione reali, aut modali. 290

Dicent secundò, relationes Divinas comparatas ad Naturam non esse res, sed modos; sicque non dari illam quaternitatem rerum. Sed contra, quia licet modus videatur minùs distingui à realitate, quàm res, realiter tamen est entitas diversa, & res simpliciter distincta, quo sensu verè dicitur, quod subsistentia hominis sit res distincta ab ejus humanitate. Additur, quod ab aliis Concil. aliis in locis expresè negatur in Deo distinctio in re inter Naturam, & relationes, ut habetur in Concil. Rhemens. & Florent. *sess. 17. 18. 19. & 25.* ibi: *Nè ipsam eandem substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasibus, & Personis differre, credere videamur*: hoc autem stare non potest cum tali distinctione. 291

Secundò probatur rationibus: Prima ratio est, quia in divinis non est distinctio, ubi non est relationis oppositio, ut clamant Concilia, & Sancti Patres; sed relationes non opponuntur Naturæ, cùm hæc sit quid absolutum; ergo neque ab illa realiter distinguuntur. Secunda ratio est, quia Deus est omninò simplex, ut definitur in Concil. Lateran. sub Innocent. III. sed non esset omninò simplex, si in re admitteret compositionem ex Natura, & relationibus; siquidem omnimoda simplicitas omnem excludit compositionem; ergo &c. 292

Dicent primò; distinctio realis, quam relationes habent inter se, non destruit simplicitatem Divinam; ergo neque eam destruet distinctio inter ipsas, & Naturam. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia una Relatio non ordinatur ad componendum cum alia, imò potiùs ei opponitur, ratione cujus oppositionis ab ea distinguitur: at verò ordinarentur ad componendum cum Natura; siquidem ei realiter unirentur, sicque destruerent summam Dei Simplicitatem. 293

Dicent secundò: Ad compositionem requiritur ratio actûs, & potentiæ, sine quo stare potest distinctio; ergo &c. Respondeo primò negando antecedens; nam partes Continui v. g realiter componunt; & tamen non habent rationem actûs, & potentiæ. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; *Relationes* enim haberent rationem actûs, & Natura rationem potentiæ, quatenùs Natura esset determinabilis realiter per relationes ad Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. 294

Tertia ratio est, quia quando concretum verificatur de abstracto, aut è contra, non possunt non esse idem realiter, & simpliciter; sed Natura Divina in abstracto verificatur de Relationibus in concreto, ut patet, tùm ex illo Christi Domini Joan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita*: tùm ex frequenti usu Scripturæ: Joan. 1. *In ipso vita erat*: tùm ex Concil. Later. *cap. Damnamus de sum. Trinit.* ibi: *Quælibet trium Personarum est illarum, videlicet, substantia, essentia, seu Natura Divina.* Concil. Rhemens. Concil. Nicæn. *lib. 2. §. Sancta, & Magna*: ibi: *Divinitas non est una Persona, sed* 295

sed tres Personæ. Concil. Ephesin. cap. 14. ibi: *Ipse quoque Spiritus Sanctus potentia, & sapientia est*, ergo simpliciter, & realiter sunt idem, & non realiter distincta.

296. Probatur Major, quæ sola indiget probatione, quia neque abstractum de concreto, neque è contra possunt verificari in sensu formali; siquidem concretum est totum, & abstractum est pars; pars autem formaliter non verificatur de toto, neque è contra, ideò enim hæ sunt falsæ: *Album est albedo: albedo est album: homo est humanitas: animalitas est animal*; ergo solùm possunt verificari in sensu identico; sed quæ non sunt idem, non possunt habere sensum identicum; ergo si ita verificantur, non distinguuntur, sed sunt simpliciter idem.

297. Confirmatur primò, quia ideò illæ propositiones: *albedo est album: homo est humanitas*: sunt falsæ absolutè, etiam in sensu identico, quia *homo* involvit subsistentiam distinctam, quam nullo modo involvit *humanitas*; & *album* involvit subjectum, quod nullo modo involvit *albedo*; ergo &c. Secundò, quia aut Natura habet actu, & formaliter negationem relationum; aut non: Si primum; ergo non possunt mutuò verificari: Si secundum; ergo habent identitatem, & non distinctionem.

298. Quarta ratio est, quia ut optimè argumentabatur D. Bern. contra Gilbertum, si relatio Divina est in re quid distinctum, ac diversum à Deitate; aut est quid increatum formaliter; aut creatum; nam in re singulari, & realiter distincta non potest præscindi ab hoc, quod sit quid creatũ, aut increatum: Non dices esse aliquid creatum: tùm quia pones in Deo aliquid limitatum, & imperfectum realiter: tùm etiam quia ut definit Concil. Rhemens. *art. 3. Credimus*, inquit, *nec aliquas omninò res, sive Relationes, sive singularitates, vel unitates dicantur, & hujusmodi alia in Deo esse, quæ sint ab æterno, & non sint ipse Deus*: Si dicas esse formaliter increatum; ergo erit aliud summum bonum distinctam habens naturam increatam; ac proindè plures entitates erunt plures Dii; aut saltem erunt aliquid Dei, non autem Deus, quæ omnia repugnant; ergo &c.

299. Impugnato Gilberti errore, & Durandi sententiâ, sequebatur impugnanda sententia Scoti *in 1. dist. 2. quæst. 4. §. Sed hîc restat. & dist. 8. q. 3. §. Ad quæstionem*, asserentis, relationes Divinas distingui quidem à parte rei à Natura actu, non realiter, ut dicebat Gilbertus, neque modaliter, ut docuit Durandus, sed formaliter, ita ut in ejus sententia Relatio addat supra Naturam entitatem, non quidem realiter, aut modaliter, sed solùm formaliter distinctam. Undè malè aliqui hanc Scoti sententiam eâdem fermè censurâ notant, atque opinionem Gilberti, & Durandi, cùm tamen Subtilissimus Doctor cautiùs locutus fuerit, ut ait *P. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 4. n. 2.* nunquam enim, ait P. Soar. vocavit distinctionem realem, sed formalem, aut ex natura rei; imò locis proximè citatis dicta *q. 4. §. Sed hîc restat*, vocat distinctionem virtualem, & negat esse realem actualem, concluditque posse vocari rationis. Undè abstinendum judico à censurâ opinionis, quam integra schola tot sapientissimorum hominum, & nobilissima Religiosorum familia luce publicâ tuetur.

300. Verumtamen cujuscunque sit prædicta opinio, si re ipsa ponat entitatem relationis à parte rei actu formaliter distinctam ab entitate Naturæ, improbanda omninò est: Primò, quia sequeretur dari in Deo quaternitatem rerum formaliter contra Concilia, & Sanctos Patres, de quibus supra. Secundò, quia sequeretur dari in Deo distinctionem actualem à parte rei, ubi non est à parte rei oppositio relativa. Tertiò, quia sequeretur, Deum, seu Personam Divinam non esse à parte rei formaliter simplicem. Quartò, quia sequeretur, non posse à parte rei absolutè verificari concreta de abstractis, & è contra; cùm à parte rei actu non sint idem. Quintò, quia sequeretur, esse in Deo aliquam entitatem formaliter, quæ non sit Deus; &c. Neque terminus *formaliter* mitigat rigorem difficultatis; siquidem diversæ formalitates actu distinctæ à parte rei, sunt diversæ entitates, quarum una verè, & in re non est alia; alioqui non sunt actu diversæ, sed eadem entitas. De hoc tamen jam latiùs in *Met. tract. 1. d. 3. à n. 812.*

SECTIO XIV.

Proponitur Sententia tenenda.



301. Onclusio 1. sit: Relationes Divinæ solùm virtualiter distinguuntur à Natura Divina. Ita *D. Thom. 1. p. q. 28. art. 2. & q. 39. art. 1. & 2. & lib. 2. contr. gentes cap. 4. Magist. in 1. dist. 8. 33. & 34. Alexand. 1. p. q. 56. memb. 2. Albert. 1 p. q. 39. memb. 2. art. 1. D. Bonav. in 1. dist. 7. art. unico q. 3. Henric. Ægid. Richard. Gregor. Aureol. Major. Marsil. Capreol. Ferrar. Caiet. Bannez. Canar.* & alii, quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 11. de Trinit. sect. 3. n. 2. P. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 2. & 4. n. 5. P. Vasq. 1. p. d. 120. cap. 4. P. Mol. 1. p. q. 28. art. 2. d. 5. P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 2. num. 8. P. Amicus d. 19. sect. 4. n. 89. P. Arrub. d. 100. cap. 3. P. Arriaga d. 42. sect. 5. P. Præpositi. 1. p. q. 28. a. 2. P. Martin. d. 25. sect. 3. P. Compton. tom. 1. d. 53. sect. 2. n. 5.* & alii. Probatur facilè ex supra dictis, quia relationes Divinæ aliquo modo distinguuntur à Natura Divina; sed non realiter, non modaliter, neque formaliter; ergo virtualiter. Vide dicta in *Met. tract. 1. d. 3. à num. 829.*

302. Utrùm autem hujusmodi distinctio virtualis inter Naturam, & Relationes Divinas sit intrinseca ex natura rei; an solùm extrinseca per ordinem ad diversum modum concipiendi intellectûs; sive ut alii dicunt, sit solùm distinctio rationis? Major est difficultas: pro qua: Advertes primò, distinctionem virtualem intrinsecam ex natura rei illam esse, secundùm quam de eadem entitate formaliter indivisibili opus est verificari prædicata secundùm se contradictoria, & intrinseca, nullo habito respectu ad extrinsecum, & conceptionem intellectûs: distinctionem verò virtualem extrinsecam illam esse, secundùm quam opus non est à parte rei verificari contradictoria, nisi per ordinem ad aliquid extrinsecum, aut per ordinem ad conceptionem intellectûs.

303. Secundò, distinctionem illam virtualem intrinsecam solùm reperiri posse in Deo; siquidem solus Deus propter suam infinitatem ita æquivalet rebus realiter distinctis, ut capax sit prædicatorum, quæ in creatis reperiri non possunt absque distinctione reali, ut sunt *produci*, & *non produci*; *communicari*, & *non communicari*, quæ de eadem entitate verificantur in Deo absque reali distinctione: distinctionem autem illam extrinsecam reperiri etiam in creatis, quatenùs una entitas ita æquipollet pluribus, ut ab ea possint oriri effectus diversi,

diversi, aut diversæ considerationes, ut ab eadem anima intellectio, & volitio; conceptus substantiæ spiritualis intellectivæ, &c. Hoc posito.

304. Conclusio 2. sit: Relationes Divinæ distinguuntur virtualiter physicè, & intrinsecè à Natura Divina. Ita *P. Valent. 1. p. d. 1. q. 13. punct. 3. ad 3. & d. 2. quæst. 4. punct. 1. & quæst. 13. punct. 1. cum Cajet. hic q. 39. art. 1. P. Herice tract. 2. d. 12. cap. 1. n. 5. P. Tanner. 1. p. d. 2. q. 2. dub. 2. & d. 4. q. 1. dub. 4. & q. 3. dub. 3. n. 6. P. Arriaga d. 42. sect. 5.* asserens hanc distinctionem à nullo Catholico negari posse; illam etiam videtur tenere *P. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 4. n. 15.* quatenùs illam vocat *ex natura rei*, licet non absolutè, & simpliciter, sed cum addito, nempè *virtualis ex natura rei.*

305. Probatur unico, sed efficaci fundamento, quia de eodem secundùm idem non possunt verificari prædicata contradictoria, ut est principium per se notum; siquidem de *quolibet uno verum est affirmare, aut negare*; sed independenter ab omni extrinseco respectu, aut consideratione intellectûs, de Natura, & Relationibus verificantur à parte rei contradictoria, ut est de Fide; siquidem de Fide est communicari à parte rei Naturam, & non relationem; Relationem produci, & non Naturam; Patrem generare, & generari Filium; Naturam verò neque generare, neque generari, quæ omnia secundùm se sunt prædicata contradictoria, & intrinsecè competunt Deo absque omni respectu extrinseco, aut ordine ad intellectum; ergo Natura, & Relationes, quarum ratione verificantur à parte rei, in aliquo sensu à parte rei non sunt idem; non realiter, neque formaliter, ut diximus; realiter enim, & formaliter à parte rei sunt idem; ergo solùm possunt, imò sunt non idem physicè virtualiter, & æquivalenter.

306. Confirmatur, quia licet animal, & rationale in homine virtualiter distinguantur, non sufficit hujusmodi distinctio, ut producatur animal, non producto rationali; aut ut communicetur rationale, non communicato animali; sed id fit in divinis à parte rei; ergo major est illa capacitas, quâ Natura Divina communicatur, non communicatâ relatione, & quâ Relatio producitur, non productâ Naturâ; consequenterque major æquipollentia distinctionis, sive major est distinctio virtualis, quæ datur inter illas.

307. Oppositum tenent *D. Thom. 1. p. quæst. 28. art. 2. P. Mol. ibid. d. 5. P. Vasq. 1. p. d. 120. cap. 6. n. 26. P. Granad. tract. 3. de Trinit. d. 3. sect. 4.* & alii Recentiores, quorum argumenta sunt in duplici genere; quædam enim contendunt, Relationes distingui actu à parte rei à Natura, sive realiter, sive modaliter: quædam autem neque virtualiter intrinsecè, sed solùm per rationem distingui. Igitur quoad primum argumentorum genus.

308. Argues 1. Quando è duobus extremis singularibus unum à parte rei reperitur alicubi sine alio, distinguuntur inter se à parte rei realiter, aut modaliter, aut saltem formaliter; sed Natura Divina reperitur in Filio sine Paternitate, & in Patre sine Filiatione; ergo sic ab illis distinguitur. Respondeo majorem esse veram in creatis, ubi res singularis ob sui limitationem non potest per identitatem communicari pluribus realiter distinctis: secùs autem in divinis, ubi Natura Divina ob suam infinitatem est communicabilis per identitatem pluribus realiter distinctis; sicque potest eadem esse in Patre, & in Filio, licet neque Paternitas sit in Filio, neque Filiatio in Patre. Et hujus ratio est, quia ob suam infinitam capacitatem ita virtualiter continet distinctionem, ut hæc faciat in divinis, quod in creatis efficere non potest, nisi distinctio realis.

Argues 2. Idem non potest esse principium realiter conveniendi, & realiter differendi; sed Personæ Divinæ conveniunt realiter in Natura, & differunt realiter in Relationibus; ergo Relationes, & Natura non possunt esse idem realiter, sed realiter distingui. Respondeo eodem modo, idem non posse esse principium conveniendi, & differendi realiter, quando illud ob sui limitationem non æquipollet pluribus realitatibus, ut accidit in creatis: aliter verò quando ita æquipollet pluribus realiter distinctis, ut se habeat respectu diversorum, cum quibus est idem, ac si ab eis distingueretur realiter, ut fit in Divinis. 309.

Inferes: Ergo Relationes Divinæ sunt diversæ realitates, & eadem simul realitas; quod autem sint eadem, & diversæ, videtur repugnare. Respondeo Relationes Divinas esse diversas realitates relativas, & inter se; sed esse eandem entitatem absolutam in Natura, quod non repugnat. 310.

Argues 3. Si Relationes nõ distinguerentur realiter à Natura, & actu à parte rei, etiam non ita distinguerentur inter se; siquidẽ *quæ sunt eadem in uno tertio, sunt idem inter se*; sed hoc est contra fidem; ergo &c. Respondeo ut jam alibi diximus, hoc proloquium non habere locum in divinis ratione distinctionis virtualis intrinsecæ per infinitam æquipollentiam, ratione cujus Natura Divina ita se habet, ac si realiter distingueretur à Relationibus, sicque est per identitatem realem communicabilis pluribus realiter distinctis. Patet, quia ex eo, quod Petrus, & Paulus sint idem in homine per intellectum, non sequitur esse idem inter se per intellectum ob æquivalentiam intentionalem naturæ; ergo etiam ex eo, quod Pater, & Filius in Divinis sint idem realiter in Natura, non sequetur esse idem inter se realiter ob infinitam, & realem æquivalentiam ejusdem Naturæ communicabilis. 311.

Argues 4. De eadem entitate formaliter indivisibili non possunt verificari duo prædicata contradictoria; sed hæc affirmantur de Natura, & Relationibus; siquidem Natura communicatur, Relationes non communicantur; Natura neque generat, neque generatur; neque producit, neque producitur: Relatio autem, sive Persona generat, & generatur; producit, & producitur; ergo Relationes non sunt idem formaliter actu cum Natura. Respondeo primò negando cum aliquibus absolutè majorem: sufficit enim, inquiunt, distinctio virtualis rationis ad verificanda contradictoria; nam in Petro v. g. natura solùm virtualiter per rationem distinguitur ab ejus differentia individuante; & tamen de natura verificatur *cognosci*, quando præscinditur, & non ita de differentia: Actio, & Passio sunt idem à parte rei formaliter; & tamen quà actio respicit agens, & non ita respicit quà passio. 312.

Non placent, confundunt enim prædicata intentionalia, & per ordinem ad extrinsecum cum prædicatis physicis, & per ordinem ad intrinsecum; siquidem *cognosci*, & *non cognosci* sunt prædicata intentionalia, quæ verificantur ob diversitatem conceptuum in esse intentionali. Similiter entitas actionis, & passionis, cùm sint accidentia logica, solùm ratione diversi connotati extrinseci, nempè agentis, & patientis, recipit illa contradictoria à parte rei; siquidem connotata sic à parte rei distinguuntur; tota tamen entitas intrinsecè respicit & agens, & patiens: at verò *produci*, & 313.

non

non produci ; communicari, & non communicari, &c. realiter, sunt prædicata physica, & per ordinem ad intrinsecum, de quibus in creatis nullum afferri potest exemplum ; siquidem nunquam una virtualitas potest produci, aut communicari realiter, aliâ non productâ, neque communicatâ. Unde ad argumentum.

314. Respondeo secundò distinguendo majorem : de eadem entitate formaliter indivisibili non possunt verificari prædicata etiam physicè, & per ordinem ad intrinsecum contradictoria, quando in eadem entitate ob suam limitationem non continetur virtualiter, & eminenter distinctio realis, ut accidit in creatis ; concedo majorem : quando in eadem entitate ob suam infinitatem continetur virtualiter, & eminenter modo infinito distinctio realis, ut fit in Divinis ; nego majorem : Undè cùm in creatis non possit dari similis eminentia, detur tamen in Divinis ; ideò in Divinis, non tamen in creatis, possunt de eadem entitate verificari prædicata, etiam physicè, & intrinsecè contradictoria.

315. Instabis : Distinctio illa virtualis, & per eminentiam non est distinctio actualis ; ergo non sufficit ad verificanda actu contradictoria realia ; siquidem cùm ex Philosopho effectus in actu requirat causam in actu ; & distinctio sit causa affirmationis, & negationis, non potest dari affirmatio, & negatio actu, ubi actu non datur distinctio. Respondeo negando consequentiam, ad cujus probationem dicimus aliud esse dari actu in Deo causam affirmationis, & negationis, quam dicimus esse distinctionem illam virtualem ; & aliud esse in Deo distinctionem actualem, quam negamus ; hæc enim solùm datur per rationem, & habet pro fundamento ipsam distinctionem virtualem.

316. Argues 5. *Quidquid à parte rei convenit uni, convenit etiam alteri indistincto, saltem identicè* ; sic enim Essentia Divina in sensu identico dicitur Paternitas, & è contra, quia non distinguuntur à parte rei ; sed neque identicè dicimus : *Paternitas communicatur : Essentia generat* : aut *generatur* : *Verbum procedit per voluntatem* ; *Spiritus Sanctus procedit per intellectum* ; alioqui diceremus, Spiritum Sanctum identicè esse Filium, sicque de reliquis ; ergo Essentia, & Relationes distinguuntur actu à parte rei.

317. Resp. principium illud valere quidè in creatis, non tamen in divinis ob infinitam, & summam capacitatem entis divini simplicissimi, & oppositionem relativam. Imò neque in creatis est absolutè verum ; alioqui verum esset, quod animal indistinctum à rationali discurreret identicè ; hoc autem concesso, sequeretur hanc esse falsam : *animal non discurrit* ; cùm negatio sit malignantis naturæ, & deberet negare etiam illud discurrere identicè, quæ tamen propositio ab omnibus ut vera conceditur. Omitto alia argumenta, ut quod Personalitas Verbi Divini terminet immediatè humanitatem, & non ita illam terminet Natura : quod communicabilitas competat Naturæ, & neque identicè Relationi, & similia ; tum quia eodem modo solvi possunt per illam infinitam capacitatem, & æquipollentiam distinctionis : tum etiam quia videri possunt in *Metaphys. tract. 1. d. 3. à num. 812.*

318. Quoad secundum argumentorum genus : Objicies 1. Concil. Florent. *sess. 18.* ubi apertè excluditur à Deo omnis alia distinctio, exceptâ distinctione rationis : ibi : *Divina substantia & Persona re quidem sunt idem, secundum autem modum intelectionis nostræ differre videntur.* Et infra sess. 25. ibi : *Ne identitatem, conjunctionemq́, Divinæ substantiæ distribuere, ac ipsam eandem substantiam re, non autem sola ratione, ab hypostasibus, & Personis differre, excedere videamur* ; sed nos dicimus hanc distinctionem dari à parte rei independenter ab intellectu ; ergo &c. Respondeo Concil. locis citatis excludere à Deo omnem distinctionem actualem, exceptâ distinctione rationis ; siquidem quando absolutè de distinctione est sermo, intelligitur de distinctione actuali, quæ importat diversas formalitates actu diversas ; non autem de distinctione virtuali, quæ cum summâ identitate stare potest.

319. Objicies 2. Concil. Later. *cap. Damnamus de summa Trinit.* ubi definitur, Personas Divinas esse unam Naturam omninò simplicem : ibi : *Id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus idem omninò.* Et iterùm : *Substantia Patris omninò simplex est* ; sed positâ illâ distinctione independenter à ratione, non esset omninò simplex ; nam plus haberet simplicitatis, si neque virtualem illam distinctionem ex natura rei haberet ; ergo &c. Respondeo concesâ majori, negando minorem : simplicitas enim non opponitur distinctioni, sed compositioni ; nulla autem compositio est, ubi non sunt ullo modo partes actu distinctæ, ut in Deo non sunt : habere verò virtualiter, & eminenter pluralitatem tantùm abest ab imperfectione, ut si illam Deus non haberet, non esset Deus, neque infinitè perfectus.

320. Objicies 3. Illa eminentia, seu æquivalentia solùm est fundamentum distinctionis rationis ; ergo malè ponitur ut distinctio independenter à ratione. Respondeo illam eminentiam esse quidem fundamentum distinctionis actualis per rationem, esse tamen tale fundamentum, ut ratione illius competant Deo prædicata intrinsecè contradictoria, quod non reperitur in aliqua alia eminentia, seu distinctione virtuali in creatis.

321. Objicies 4. Omne ens, aut est reale, aut rationis ; ergo etiam omnis distinctio aut erit realis, aut rationis ; consequenteréque perperàm admittitur distinctio virtualis ex natura rei inter Essentiam, & Relationes. Respondeo argumentum supponere : Primò hujusmodi distinctionem virtualem esse mediam inter illas, quod negamus, ut patet ex dictis supra *num. 281.* Secundò, distinctionem dici realem ex eo, quod extrema sint realia, quod est falsum ; alioqui si extrema forent rationis, etiam talis esset eorum distinctio, cùm tamen duo entiâ rationis realiter distinguantur : & quando extrema essent divina, divina etiam diceretur eorum distinctio, sicque de aliis.

322. Objicies 5. Si Essētia sic virtualiter distingueretur à Relationibus independenter ab operatione intellectûs, Essentia, & Paternitas v. g. essent alia, & alia formalitas ; & cùm utraque sit realis, & vera entitas, essent alia, & alia entitas, quarum una communicatur à parte rei, nempè Essentia, & alia à parte rei non communicatur, nempè Paternitas ; sed non admittuntur in Deo à parte rei duæ formalitates, & minùs duæ entitates reales ; alioqui jam in Deo non esset solummodò Trinitas, sed quaternitas contra definitum in Concil. Later. *cap. Damnamus de sum. Trinit.* ergo neque admittenda est talis distinctio virtualis. Respondeo falsum supponi, nos admittere formalitates, aut realitates, sive entitates duas actu ante operationem intellectûs, ac proindè aliam, & aliam entitatem ; hoc enim foret admittere distinctionem formalem, sive actualem, quam supra negavimus, & non solam virtualem, & eminentialem

nentialem, quam asserimus, & consistit in eo, quod una & eadem entitas actu ita se præstet, ac si esset multiplex.

323. Instabis 1. Datur in Deo actu, & formaliter Essentia, quæ est formalitas realis; & etiam datur actu, & formaliter relatio, quæ est formalitas realis; ergo actu, & formaliter dantur in Deo duæ, sive plures formalitates à parte rei. Respondeo distinguendo consequens: dantur in Deo duæ, sive plures formalitates à parte rei si illud *à parte rei* cadat supra formalitates, & significet Essentiam, & relationem esse à parte rei, sive esse quid reale; concedo consequentiam: si cadat supra pluralitatem, & significet Essentiam, & relationem esse plura à parte rei, ut dicebat Scotus; nego consequentiam: dantur igitur hujusmodi formalitates à parte rei, sed identificatæ, ita ut actu sint idem, & non plura.

324. Instabis 2. Actu à parte rei communicatur Natura, & non communicatur relatio; ergo actu à parte rei sunt alia, & alia formalitas. Respondeo negando consequentiam; antecedens enim est verum ex vi distinctionis virtualis; consequens autem est falsum, quia inducit distinctionem à parte rei, non virtualem, sed actu, & formalem, quam negamus.

325. Instabis 3. Non repugnat hujusmodi distinctio virtualis à parte rei; ergo neque formalis, sive formaliter, & in actu; siquidem potentia posita in actu nullum est inconveniens. Respondeo supponi falsum, distinctionem virtualem in sensu, in quo admittitur esse distinctionem in potentia, cùm talis sit in virtute, id est eminentialiter, ut patet ex supra dictis *n. 282.* Undè sicut non valet: *Sol actu, & formaliter producit calorem; ergo actu, & formaliter est calidus*: ita etiam non valet: *Essentia actu, & formaliter communicatur, non communicat à Relatione; ergo actu, & formaliter distinguuntur.*

326. Objicies 6. Non admittitur in creatis distinctio virtualis intrinseca; ergo neque in divinis. Respondeo negando antecedens, ut patet ex alibi dictis in *Log. tract. 1. d. 1. à n. 104.* ubi inter prædicata metaphysica admisimus præcisiones objectivas, sicque argumentum potiùs pro nobis, quam contra nos facit.

327. Attamen Recentiores, qui cum P. Hurt. præcisiones objectivas simpliciter negant, multipliciter huic argumento respondent; nàm *P. Arriaga, & P. Lugo* duas assignant distinctiones virtuales: Primam dicunt minorem, sive extrinsecam, quam ponunt in rebus creatis, quatenùs una res indivisibilis efficit effectus, qui in aliis rebus minùs perfectis postulat plures causas; & hanc dicunt dari in homine, quatenùs discurrit, & sentit; eandemque ponunt in Attributis Divinis dicentes distingui Misericordiam, & Justitiam, quatenùs eorum Attributorum connotata distinguuntur inter se. Secundam vocant intrinsecâ, & summam, dicuntque in eo consistere, quod entitati, quæ actu est una, conveniant à parte rei duo prædicata contradictoria secundùm se: hanc dicunt fundari in summa, & infinita Dei perfectione, quæ ob suam fœcunditatem, & infinitatem est capax prædicatorum, quæ secundùm se sunt contradictoria, & hanc non concedunt creaturis; imò neque Deo, nisi ubi fides cogit ad salvanda illa, quæ docet de Essentia, & Personis, nempè quod illa communicetur, & non producatur; hæ autem producantur, & non communicentur.

328. Non placent, nam quemadmodum admittunt hanc distinctionem virtualem summam inter Essentiam, & relationes ad salvandas propositiones illas, quas fides docet, nempè: *Essentia communicatur, Relatio non communicatur*: ita etiam debent admittere eandem summam distinctionem inter Attributa Divina absoluta ad salvandam hanc propositionem etiam de fide: *Verbum procedit per Intellectum, & non per Voluntatem.*

329. Dicent, hanc propositionem verificari per distinctionem realem; siquidem Intellectus producens Filium sumitur jam cum Relatione, sicque distinguitur realiter à voluntate producente Spiritum Sanctum, quæ etiam sumitur notionaliter, id est cum Relatione. Sed contra, quia, eo dato, etiam est verum dicere, Intellectum essentialiter sumptum, & non voluntatem esse principium productivum Verbi; ergo necessariò concedenda est hæc distinctio summa virtualis etiam inter Attributa Divina absoluta.

330. Addo, si solùm attendatur ad verificationem contradictorum circa unam, & eandem rem, non videre, cur hujusmodi distinctio non admittatur etiam in creatis; siquidem licet talis distinctio fundetur in perfectione, ideoque solùm concedatur in rebus altioris ordinis, in quibus adunantur virtutes, quæ in inferioribus sunt sparsæ; non tamen assignatur ratio, cur requiratur perfectio infinita ad fundandam talem distinctionem, sicque solùm admittatur in divinis, cùm etiam in creatis dentur similes propositiones contradictoriæ secundùm se circa eandem rem absque operatione intellectus; dicimus enim: *Rationale hominis discurrit; animal hominis non discurrit.* Undè alia sanè diversitas non est, nisi quod in creatis liberior sit negandi facultas, quæ tamen in divinis, maximè in hoc Mysterio præcluditur; nullus enim catholicus hanc negabit; *Essentia communicatur; Paternitas non communicatur*: poterit tamen hanc facilè negare: *Rationale Petri discurrit: animal Petri non discurrit*: nihil enim ex eo sequitur contra fidem.

331. Inferes: Ergo quod vix conceditur in Deo ad salvanda Fidei mysteria, conceditur creaturis. Respondeo nullum in hoc videri inconveniens; neque enim creaturis concedimus aliquid proprium, & speciale hujus Mysterii, quale est, quod Relationes inter se realiter distinctæ solùm virtualiter distinguantur à Natura: quod hæc communicetur tribus Personis, quin ita communicentur Relationes cum illa identificatæ, quorum neutrum creaturis concedimus.

332. Instabis: Ideò Essentia communicatur, non communicatis relationibus, quia ab illis distinguitur virtualiter; sed hanc etiam distinctionem admittimus in creatis; ergo & illud, quod est speciale hujus Mysterii. Respondeo negando majorem; alioqui communicaretur Filio Intellectus, non communicatâ voluntate, cùm voluntas etiam distinguatur virtualiter ab Intellectu. Verum quidem est, quod ad verificanda contradictoria sit necessaria distinctio, saltem virtualis; quod tamen hæc, aut illa verificentur, non provenit formaliter à distinctione, sed ab ipsis formis, quæ conveniunt, aut non conveniunt. Undè quod Essentia Divina communicetur Personis, provenit ex illius fœcunditate, & infinitate; quod autem non ita communicentur Relationes, provenit ex earum oppositione, præsuppositâ distinctione.

333. Objicies 7. Propositiones contradictoriæ non possunt verificari independenter ab intellectûs operatione; ergo non sufficit distinctio virtualis; sicque non est admittenda. Respondeo antece-

dens

dens dupliciter posse intelligi: Primò, quatenùs propositio accipit suam significationem ab intellectu proferente, sine quo neque vera, neque falsa esse potest; & hanc dependentiam ab intellectu concedimus omnibus propositionibus. Secundò, quatenùs res significata est talis, qualis esse dicitur, dependenter ab intellectu; & hanc dependentiam negamus propositionibus contradictoriis in divinis, quæ ita verificantur, ut licet impossibilis foret intellectus creatus, adhuc verum foret, Essentiam communicari, & non communicari Relationes.

SECTIO XV.

Utrùm Relationes Personales includantur in Natura Divina?

334. ADvertes primò analogiam hujus vocis *Natura*, sive *Essentia* multipliciter intelligi: Primò idem valet *natura*, atque necessarium; sic ignis dicitur causa naturalis, sive naturaliter, sive naturâ suâ agens, id est necessariò. Secundò idem valet, atque substantia, sicque opponitur accidenti, & in hoc sensu omnia substantialia includuntur sub nomine *Natura*. Tertiò sumitur *Natura* pro quidditate rei, sive absoluta, sive relativa, sive substantia, sive accidens sit. Quartò sumitur pro ratione constituente rem in certa specie, aut quasi specie, quæque tribuit simpliciter esse, & est principium operationum. Et licet aliqui Patres sumant Naturam Divinam in secundâ, & tertiâ acceptione, dicantque Relationes esse prout sic de ratione Naturæ, sive Essentiæ: nos tamen illam sumimus in ultimo sensu, & in eo procedit quæstio.

335. Advertes secundò, inclusionem dupliciter sumi posse: Primò propriè, & rigorosè, & prout sic supponit distinctionem inter includens, & inclusum; siquidem nihil dicitur includi in se ipso, sed in alio à se distincto, sic pars dicitur includi in toto, à quo distinguitur. Undè si distinctio sit realis, & à parte rei, talis erit etiam inclusio, & hæc non datur in divinis, in quibus à parte rei non datur distinctio: si verò distinctio sit virtualis, virtualis etiam erit inclusio, & sic Persona Divina includit in se relationem, quæ est veluti pars respectu illius. Secundò prout idem valet inclusio, atque identitas, in quo sensu idem est quærere: utrùm aliquid in alio includatur? Atque quærere: utrùm sint idem? Quæ enim sunt idem dicuntur includi, quatenùs unum sine alio esse non potest; & sic unum dicitur de essentia, sive quidditate alterius. Non igitur procedit quæstio in primo sensu, cùm Essentia non sit totum respectu relationum, sed in secundo, & prout sic idem est quærere: utrùm Relationes includantur in Natura? ac quærere: utrùm ita sint idem cum Natura, ut sint de quidditate, & essentia illius?

336. Advertes tertiò, multipliciter dici aliquid essentiale, sive de essentia alterius: Primò, quidquid ita requiritur ad existentiam alterius, ut sine illo esse non possit, dicitur essentiale, sive de essentia illius: sic Deus dicitur de essentia creaturarum: terminus de essentia relationis; & in eodem sensu relationes dicentur de essentia Naturæ; hæc de essentia relationum, & una relatio de essentia alterius; siquidem omninò implicat unum sine alio existere, sive aliundè habeant, sive non habeant identitatem.

337. Secundò, id dicitur alicui essentiale, quod illi identificatur; siquidem nihil est magis essentiale, quàm idem sibi ipsi: undè cùm relationes identificentur realiter Naturæ Divinæ, certum est pertinere ad illius conceptum realiter, & à parte rei sumptæ, sicque esse de quidditate, & essentia Naturæ à parte rei; ac proindè falsò quis diceret, Patrem v. g. includere formaliter quidquid est de essentia Naturæ realiter sumptæ, cùm non includat Filiationem, quæ prout sic est de essentia Naturæ.

338. Tertiò, quidquid est de intrinseco conceptu alicujus, sive aliundè cum illo identificetur, sive non, est illi essentiale in ratione talis constituti; sic albedo est de essentia albi, & personalitas de essentia personæ. Quartò id dicitur essentiale, strictè loquendo, sive de essentia alicujus rei, quod pertinet ad conceptum intrinsecum talis rei, sive illius naturæ, sumptâ naturâ in ultimo sensu, de quo supra *n. 334.* sic rationalitas, & animalitas sunt de essentia Petri, quia pertinent ad conceptum intrinsecum naturæ ipsius Petri quatenùs constituitur talis, aut talis speciei; adeò ut conceptus repræsentans naturam Petri, necessariò debeat repræsentare animalitatem, & rationalitatem, non tamen ejus differentiam individuantem, licet indistinctam realiter. Et in hoc sensu quærimus: utrùm relationes includantur in Natura, sive sint de essentia, & conceptu formali illius?

339. Advertes quartò, conceptum formalem dici talem dupliciter: Primò in ordine ad intellectum, quem informat, & facit formaliter intelligentem; & ut sic opponitur conceptui objectivo, & quivis conceptus mentis in hoc sensu dicitur conceptus formalis. Secundò in ordine ad essentiam, sive quidditatem objecti cogniti, quæ dicitur forma, sive ratio formalis ex eo, quod forma sit, quæ tribuit essentiam rebus. Undè idem valet ratio formalis, atque essentia, sive quidditas rei. Conceptus igitur, qui repræsentat hanc quidditatem rei dicitur formalis, & opponitur prout sic conceptui denominativo, qui exprimit formas accidentales objecti, qualis conceptus albi, musici, &c. His igitur sic notatis pro præsenti, & sequenti Sectione, quando hîc quærimus: Utrùm Relationes includâtur in Essentia: aut utrùm sint de essentia, & quidditate Naturæ: aut utrùm sint de ratione, & conceptu formali Essentiæ? Idem est, atque inquirere: utrùm conceptui, quem formamus de Natura Divina respondeat ex parte objecti relatio? pro quo:

340. Advertes quintò, quæstionem non procedere de exclusione secundùm conceptum expressum; certum enim est conceptui formali expresso Naturæ non correspondere ex parte objecti Relationes, seu Relationes non esse de conceptu formali expresso Naturæ; sed quæstionem solùm esse, an sint saltem de illius conceptu formali confuso, seu an includantur in Natura formaliter confusè? Hoc posito.

341. Resolutio negativa tenenda est cum *Durand. Scot. Gabr. Ocham. Albert. Magn. Greg. D. Bonav. in 1. dist. 34. art. unico q. 1. & 2. Alex. 1. p. q. 68. memb. 5. art. 5 & q. 56. memb. 7. art. 1. ad 8. Ægid. in 1. dist. 34. art. 2. Argent. dist. 33. q. unica art. 3. & dist. 34. q. unica Richard. in 1. dist. 34. art. 1. q. 1. & 2. Marsil. in 1. q. 37. art. 3. Caiet. q. 39. art. 6. Canar. 1. p. q. 28. art. 2. d. 2. dub. ult. P. Soar.*

lib. 4. de Trinit. cap. 5. & 6. P. Bellarm. tom. 1. de Christo cap. 9. Henric. quodlib. 5. q. 6. P. Mol. 1. p. q. 28. art. 2. d. 6. P. Vasq. 1. p. d. 121. P. Tanner. 1. p. d. 4. q. 3. dub. 3. n. 7. P. Arriaga 1. p. d. 48. sect. 3. n. 10. P. Compton. tom. 1. d. 54. sect. 1. n. 5. P. Arrub. 1. p. d. 101. cap. 3. n. 16. P. Granad. 1. p. d. 4. sect. 2. n. 8. P. Ruiz d. 14. de Trinit. sect. 2. P. Præposit. 1. p. q. 4. art. 3. dub. 4. n. 20. P. Martin. d. 14. sect. 2. & alii.

342. Probatur primò authoritate Sanctorum Patrum, D. Nazianz. loquens de Relationibus *orat. 32.* ait: *Circa Naturam hæ considerantur.* D. Cyril. Alex. *lib. 2. Thesaur. cap. 3. appellat* Relationem *quasi extrinsecùs intellectam differentiam, non secundùm essentiam, sed secundùm Relationem.* D. Isidor. *7. Ethymol. cap. 1.* ait: *Deum non esse essentialiter, quod relativè ad quamcumque Personam est.* Et D. Anselm. *in Monolog. cap. 14. De Relativis*, inquit, *nulli dubium, quia nullum eorum substantiale est illi, de quo relativè dicitur.* Idem sentiunt D. Aug. *in psalm. 68. concion. 1.* D. Damascen. *lib. 3. Fidei, cap. 6.* D. Hilar. *lib. 9. de Trinit.* & alii apud P. Ruiz cit. ex quibus apertè constat Relationes non esse de quidditate Naturæ Divinæ; ergo &c.

343. Probatur secundò, quia in Concil. Florent. *in litter. Unionis* definitur, Patrem communicare Filio totam Essentiam, non verò Relationem; sed non ita communicaret Filio totam Essentiam, si Paternitas esset pars Essentiæ, cùm ipsam Paternitatem Filio non communicet; ergo &c.

344. Probatur tertiò, quia ex Concil. Lateran. *cap. Damnamus, de sum. Trinit.* quælibet Divina Persona est integrè, & adæquatè Deus, imò est Essentia ipsa, & tota divinitas: ibi: *Ut distinctiones sint in Personis, & unitas in Natura.* Et infra: *Secundùm substantiam idem omninò.* Et infra: *Substantia Patris indivisibilis est.* Idem habet Concil. Toletan. 11. *in profess. fidei*, & Symbol. D. Athan. ibi: *Non confundentes Personas, neque substantiam separantes*; atqui si Relationes essent partes Essentiæ, nulla Persona esset integrè, & adæquatè Deus, neque tota Essentia; siquidem in Patre non est Filiatio, quæ esset pars Essentiæ; neque in Filio est Paternitas, quæ esset etiam pars Essentiæ; cõsequenterq; Essentia non esset una, & omninò eadem, atque indivisibilis in omnibus Personis, ut definit Concil. cit. ergo &c.

345. Probatur quartò, quia ex eodem Concil. Lateran. cit. & ex Florent. Essentia Divina est communicabilis tribus Divinis Personis; sed Relationes non sunt communicabiles; ergo non sunt de conceptu Essentiæ; siquidem Essentia talis esse non potest absque eo, quod est de ejus conceptu, & quidditate; alioqui humanitas talis esse posset absque gradu substantiæ, viventis, &c. cùm tamen hæc sint de ejus conceptu; ergo si Essentia communicatur, quin communicentur Relationes, hæ non sunt de illius conceptu.

346. Probatur quintò, quia si Relationes sunt partes Essentiæ, & de conceptu Deitatis, hæc non esset una, & simplex; siquidem Relationes sunt realiter distinctæ; quod autem includit in suo conceptu partes realiter distinctas, non potest esse unum quid simplex; consequenterque Deus erit unus, non unitate unius simplicis, & individuæ Naturæ, sed unitate collectionis; hoc autem est contra Concil. Lateran. cit. *cap. Damnamus, de sum. Trinit.* locis supra cit. *num. 344.* ergo &c.

347. Probatur sextò, quia si Paternitas, & Filiatio essent de quidditate, & conceptu Naturæ, seu illius pars, Natura ipsa includeret quidquid est in conceptu Patris, & Filii; siquidem Pater, & Filius præter absolutum solas Relationes includunt; sed hoc non est dicendum; alioqui sicut Pater generat, & producit; Filius verò generatur, & producitur, etiam Essentia dicetur generare, & producere; produci, & generari, quod est contra Concilia, & Sanctos Patres; ergo &c. Confirmatur, quia sequeretur, quod de Patre prædicaretur Filiatio, & de Filio Paternitas; siquidem de quo prædicatur Natura, prædicatur quidquid est de quidditate illius; sic enim de quocumque prædicatur animal, prædicatur substantia, vivens, &c. sequela autem non est admittenda; ergo &c.

Oppositum tenent *Henricus quodlibet. 5. q. 6.* *Aureol. in 1. dist. 1. a. 4. & dist. 4. p. 2. a. 4. 5. & 6. & in 3. dist. 1. q. 3. a. 3. Arimin. in 1. d. 27. art. 2. Cajet. 1. p. q. 27. a. 2. Banneʒ 1. p. q. 28. a. 2. dub. 2. ad 6. P. Valent. 1. p. q. 39. quæst. sua 13. punct. 1. ad ultim. argumen.* quos citat & sequitur *P. Amicus 1. p. d. 19. sect. 5. num. 111.* qui ad hæc, & similia argumenta respondet, solùm ex illis probari, Relationes non includi in Natura Divina secundùm conceptum explicitum, maximè verò secundùm implicitum, in quo sensu & ipse, & Doctores citati sunt intelligendi. Undè dupliciter, inquiunt, potest unum prædicatum includi in conceptu alterius: Primò explicitè, sic animal v. g. includitur in conceptu, seu definitione hominis: secundò implicitè, sic ens, aut substantia includitur in conceptu ejusdem hominis, & includuntur Relationes Divinæ in Essentia, suntque de illius quidditate implicitè, non ita tamen explicitè, quam distinctionem applicant ad supra positas probationes. Igitur:

348. Ad primam dicunt, citatos Patres, aliosque, si qui sunt, locutos esse de Relationibus secundùm explicitum, non autem implicitum. Ad secundam, Patrem communicare Filio totam Essentiam secundùm quod Essentia dicit explicitè, & non secundùm quod dicit implicitè. Ad tertiam, quamlibet Personam Divinam esse integrè & adæquatè Deum, imò totam Essentiam secundùm explicitum ipsius Essentiæ; non secundùm implicitum. Ad quartam, Essentiam esse communicabilem Personis secundùm explicitum; non autem secundùm implicitum. Ad quintam, Essentiam explicitè esse unam; implicitè autem dicere triplicem Relationem. Ad sextam, Naturam implicitè includere quidquid est in conceptu Patris, & Filii; non autem explicitè; ideòque secundùm explicitum, neque generare, aut generari; neque producere, aut produci dicitur; neque Paternitas de Filio, aut Filiatio de Patre prædicari potest secundùm conceptum explicitum.

349. Hæc autem potiùs implicant in terminis, quàm explicant difficultatem: Primò: *quia quod in aliquo includitur essentialiter implicitè*, ita illius essentiam intrinsecè constituit, ut sine illo intrinsecè constituente non sit talis essentia, & ubi hæc reperitur, etiam illud reperiatur; sic enim neque animal sine gradu substantiæ reperitur, aut est animal; neque homo sine gradu viventis; sed hoc non habent Relationes respectu Essentiæ Divinæ, ut statim demonstrabimus; ergo &c. Secundò, quia quando unum implicitè est de quidditate alterius, potest de eo explicitè affirmari; sic enim ex eo, quod substantia, & ens sit de conceptu quidditativo hominis implicitè, vera est hæc: *homo est ens*; *est substantia*; & ejus opposita est falsa: *homo non est ens*; *non est substantia*; sed non ita potest dici de Relationibus, ut jam demonstro; ergo &c.

Tertiò,

351. Tertiò, quia si Relationes essent de conceptu implicito Naturæ; aut cum Naturâ explicitè communicatâ Personis communicantur etiam implicitè Relationes; aut non: Si primum, sequitur has propositiones esse explicitè veras: *Personæ communicant in Relationibus: Pater communicat Filio Paternitatem: Filius non distinguitur à Patre: Pater non distinguitur à Filio: Filius est Paternitas: Pater est Filiatio, &c.* siquidem cuicunque convenit Natura ut Natura est, convenit omne illud, quod est de conceptu quidditativo ipsius Naturæ; Natura autem convenit Personis, communicatur Filio à Patre, non distinguitur à Patre, neque à Filio, prædicatur de Filio, & de Patre, &c. sed omnes illæ propositiones sunt hæreticæ; ergo &c.

352. Si dicatur secundum, sequitur: Primò, Naturam non esse communicabilem secundùm rationem Naturæ; siquidem talis non est sine eò, quod dicit implicitè; dicit autem implicitè Relationem. Secundò, Patrem non communicare simpliciter totam Naturam Filio; siquidem non ei communicat Paternitatem. Tertiò, Filium non esse consubstantialem Patri; siquidem in eo non est Paternitas, quæ pertinet ad substantialem rationem Naturæ. Quartò, Personas esse distinctas, ac diversas, non solùm in proprietatibus, sed etiam in aliquo Naturæ; atqui omnia hæc sunt hæretica; ergo &c. Adhuc tamen pro hac sententia:

353. Argues 1. D. Anselm. *in Monolog. cap. 16.* docet, omnia quæ sunt in Deo prædicari de Deo in *quid*, & *essentialiter*: ibi: *Quemadmodum*, inquit, *unum est, quidquid essentialiter de summa substantia dicitur; ita ipsa uno modo, una consideratione est, quidquid est essentialiter.* Hoc etiam colligitur ex aliis Patribus passim admittentibus has propositiones: *Essentia Divina est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*: Sic D. Athanas. orat. contr. Gregales Sabelli: *Universa*, ait, *plenitudo, & integritas Deitatis est Pater, ut Pater, & Filius, ut Filius.* Idem habet *orat. 4. contr. Arian.* & habet D. Cyrill. *lib. 13. Thesaur. cap. 1. & 2.* & D. Thom. *1. p. q. 36. a. 6.* ibi: *Essentia Divina est Paternitas, Filiatio, Spiratio*; sed quod prædicatur in *quid*, & *essentialiter*, est de conceptu Essentiæ; ergo cùm Relationes ita prædicentur de Essentia, sunt de illius conceptu quidditativo.

354. Respondeo Patres locis citatis solùm velle, quidquid prædicatur de Deo, prædicari in *quid*, & *essentialiter* in sensu reali, & identico; non autem in sensu virtuali, seu formali; sic enim dicunt, Relationes esse extra Essentiam; ut patet ex supra dictis *num. 342.* & ex D. Aug. *lib. 7. de Trinit. cap. 6. Non eò Deus*, inquit, *quòd Pater: eò tamen Deus, quòd bonus.* Et *cap. 2.* ubi dicit, Essentiam esse ad se, non ad aliud. Et *lib. 5. de Trinit. cap. 6.* dicit, Relationes esse ad aliud, & non ad se, sive ad substantiam; sicque propositiones adductæ solùm sunt veræ in sensu reali, & identico, non autem in virtuali, seu formali.

355. Instabis: Illæ propositiones in sensu virtuali seu formali non sunt accidentales; nullum enim est accidens respectu Deitatis; ergo essentiales; consequenterque Relationes sunt de essentia, seu quidditate Naturæ. Respondeo propositiones illas in sensu virtuali, seu formali non esse accidentales, prout accidentale opponitur substantiali, sed prout opponitur essentiali: licet enim prædicata conveniant Deo ut quid in se substantiale; sunt tamen extra conceptum Essentiæ, & non prædicantur per se primò, licet naturæ conjungantur per identitatem, & non per unionem, ut accidens. Neque dicas cum *P. Amico cit. n. 115.* non sufficere inclusionem identicam ad prædicandum abstractum de abstracto; hoc enim negamus, ut patet ex alibi dictis; nam hæc: *humanitas est animalitas:* est vera in sensu identico, licet in sensu formali, in quo communiter sumitur, aliqui dicant non esse veram; de quo tamen jam alibi.

Argues 2. Essentia Divina, cùm sit infinita in omni genere perfectionis, includit in suo conceptu omnem perfectionem, quæ non involvit admistam imperfectionem; sed Relationes Divinæ dicunt perfectionem, & nullam involvunt imperfectionem, ut patet ex supra dictis; ergo &c. 356.

Respondeo Naturam, sive Essentiam Divinam, prout præscindit à Relationibus, solùm includere omnem perfectionem simpliciter simplicem, qualis non est perfectio relativa, ut supra diximus, non quia involvat imperfectionem, sed quia dicit oppositionem, præterquam, si includeretur in Essentia, tolleretur ejus unitas, & summa simplicitas. Neque obstat, quod sint perfectiones Naturæ; solùm enim tales sunt secundùm quid, & ut extra illius quidditatem.

Argues 3. Essentia Divina, cùm sit ipse Deus, est essentialiter subsistens; sed non subsistentiâ absolutâ, quam alibi non admisimus; ergo Relativis; consequenterque Relationes sunt de quidditate Essentiæ. Respondeo primò cum aliquibus, qui in Deo admittunt subsistentiam absolutam, Naturam Divinam, prout præscindit à relationibus, esse quidem essentialiter Deum; concretumque *Deus* dicere essentialiter subsistentiam absolutam, non tamen relativam; sicque argumentum nihil probare. Quia tamen oppositum diximus probabilius in Met. Respondeo secundò, negando, Deitatem, sive Naturam, prout præscindit à Relationibus, esse in sensu formali essentialiter Deum, sive Naturam subsistentem, sic enim solùm est Deitas in abstracto; Deus autem in concreto superaddit virtualiter in se, & formaliter quoad nos subsistentiam relativam, sed indeterminatam, prout alibi diximus. 357.

Argues 4. Aut Natura Divina includit Relationes à parte rei formaliter; aut non: Si primum; ergo datur intentum: Non secundum; siquidem quod in aliquo non includitur formaliter, ab eo formaliter distinguitur, quod supra negavimus; ergo &c. Respondeo Naturam Divinam à parte rei propriè loquendo, neque includere, neque excludere formaliter, & positivè Relationes; licet dici possit, includere illas formaliter negativè, id est, non illas excludere formaliter. Undè sicut solùm virtualiter à parte rei ab illis distinguitur, ut diximus, ita solùm virtualiter à parte rei illas non includit: dicitur tamen communiter illas formaliter non includere, quatenùs terminus *formaliter* usurpatus jam est pro illa eminentia virtuali, propter quam conceptus formalis ipsius Naturæ non includit objectivum conceptum Relationum. 358.

Argues 5. Deus essentialiter est Trinus; sed est Trinus per Relationes; ergo &c. Respondeo negando majorem, si terminus essentialiter cadat supra id, quod est absolutum, & virtualiter distinctum à relativis; sic enim est essentialiter unus, & solùm in proprietatibus est Trinus; ac proindè Relationes non sunt de quidditate Dei, sive Essentiæ; nisi ad plurimùm si sumatur Deus adæquatè, prout in se est à parte rei, in quo sensu includit omnes perfectiones, tam absolutas, & essentiales, quàm relativas, & veluti accidentales. 359.

Argues 6. Deus non solùm ut unus, sed etiam ut Trinus est adæquatum, & primarium objectum 360.

ctum Beatitudinis; sed hoc objectum est ipsa Essentia Divina; ergo hæc includit formaliter Trinitatem Relationum. Respondeo cum communi negando majorem; neque enim Relationes ingrediuntur rationem objecti primarii Beatitudinis; nam hoc coalescit ex solis perfectionibus simpliciter simplicibus, quales non sunt Relationes, ut supra diximus. Accedit, dato quod sint de objecto primario Beatitudinis, tunc negamus, solam Essentiam sub formali conceptu Essentiæ esse adæquatum objectum primarium Beatitudinis; de hoc tamen jam supra *tract. 1. d. 5. à num. 11.*

361. Argues 7. Essentia Divina, licet non includat Attributa sub conceptu expresso Essentiæ, sive Naturæ, illa tamen includit sub conceptu confuso; alioqui non esset infinita simpliciter, & in omni genere; ergo etiam includet Relationes confusè, licet non illas includat expresè. Respondeo dato antecedente, de quo jam alibi in *Met. tract. 1. d. 3. à num. 880.* ubi etiam de præsenti, & sequenti quæstione *à n. 921.* negando consequentiam; diversa ratio est, quia Attributa, cùm sint absoluta, sunt perfectiones simpliciter, nullamque habent oppositionem, sicque possunt, & debent formaliter, saltem confusè reperiri in ente simpliciter infinito, & infinitè perfecto, qualis est Essentia: at verò Relationes non sunt perfectiones simpliciter, ut diximus, cùm involvant oppositionem; sicque necessarium non est, quod in Essentia includantur formaliter, sed satis erit, quod in illa includantur eminenter.

362. Argues 8. Si Deus esset unica tantùm Persona, personalitas esset de Essentia Dei; ergo etiam modò tales erunt, licet sint tres; sicut enim se haberet ad Deum illa una personalitas, ita modò se habent istæ tres. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in facta suppositione Deitas non esset ita communis aliis Personis, ut de illis prædicaretur essentialiter, sicque opus non esset Deitatem præscindere à Personalitate: at verò nunc necessariò debet ab illis præscindere, ut de singulis Personis possit Deitas prædicari; aut de singulis prædicarentur etiam ipsæ Personalitates, quod implicat, ut diximus.

363. Argues 9. Unica tantùm Essentia, & unica existentia est trium Relationum, & Personarum; ergo unica Essentia Dei essentialiter complectitur tres Relationes, & Personas. Respondeo primò, dato antecedente, de quo statim, negando consequentiam; solùm enim probat argumentum, quod Essentia Divina, licet sit unica, sit Essentia Relationum, sive Personarum, in quibus quidditativè includitur. Resp. secundò negãdo antecedens; licet Essentia, & existentia simpliciter dicta sit unica, quam sub hoc nomine communiter intelligunt Theologi, nempè absolutam: jam tamen supra diximus tres dari essentias, & existentias cum addito, nempè relativas, & ita posse dici tenet *P. Ruiz d. 14. de Trinit. sect. 6. n. 9.*

364. Argues 10. Pater non habet aliam essentiam, nisi Dei; sed Pater habet Paternitatem essentialiter; ergo Paternitas est de Essentia Dei. Respondeo argumentum continere fallaciam propter æquivocationem vocis *Essentia*; nam si essentia sumatur propriè, tunc Paternitas non est de essentia Patris, sed sola Deitas, quæ est illius integra, & adæquata Essentia: si tamen impropriè, quatenùs refertur etiam ad relativum, tunc accipitur pro quidditate relativa, & est de essentia Patris, sed in hoc sensu Pater habet aliam essentiam, sive quidditatem virtualiter distinctam à quidditate Dei, ut Deus est.

SECTIO XVI.

Vtrùm Relationes Personales includant formaliter Essentiam?

NEGATIVA sententia ut probabilior tenenda est, eamque tenent *Scot. in 1 dist. 2. q. 7. Gabr. ibid. q. 1. art. 1. Gregor. in 1. dist. 33. art. 2. concluſ. 4. Durand. in 1. dist. 5. q. 1. n. 5. & dist. 33. q. 1. Ocham. in 1. dist. 2. q. 1. & dist. 30. q. 4. P. Molin. 1. p. q 28. art. 2. d. 6. P. Vasq. 1. p. d. 121. P. Tanner. 1. p. d. 4. q. 3. dub. 3. n. 9. P. Arriaga 1. p. d. 48. sect. 3. n. 10. P. Compton, tom. 1. d. 54. sect. 1. n. 9. P. Præpoſit. 1. p. q. 4. art. 3. dub. 4. §. 2. P. Becanus cap. 2. q. 5. num. 3.* & alii. 365.

Probatur primò authoritate Concil. & Patrum, nam Concil. Lateran. *cap. Firmiter de ſum. Trinit. Hæc Sancta Trinitas*, inquit, *ſecundùm communem Eſſentiam individua, & ſecundùm Perſonales proprietates diſcreta.* Et *cap. damnamus. Vt diſtinctiones*, ait, *ſint in Perſonis, & unitas in Natura.* Et infrà: *Secundùm ſubſtantiam idem omninò.* Et Symbol. D. Athan. ibi: *Non confundentes Perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes*: quibus in locis innui videtur, Relationes non includere formaliter Naturam; alioqui Personæ non benè distinguerentur per illas; Natura non esset omninò idem, & individua, imò esset separabilis, & multiplicabilis. Deindè Concil. Florent. dicit, proprietatem non esse communicabilem; alioqui jam non esset proprietas. Et D. Basil. dicit, Filium in sua proprietate nihil habere commune cum Patre, & Spiritu Sancto; haberet autem, si proprietas Filii formaliter confusè includeret Naturam; ergo &c.

Probatur secundò rationibus: Prima ratio est, 366.
quia Relationes sunt perfectiones relativæ, & secundùm quid; Natura autem est perfectio absoluta, diversi generis, & simpliciter infinita; ergo non potest in illis includi formaliter; alioqui possent Relationes dici perfectiones absolutæ, & simpliciter infinitæ. Secunda ratio est, quia Relationes sunt formales rationes distinctionis inter Personas; ergo debent secundùm se totas differre; sed non ita differrent, si Essentiam omnibus communem includerent formaliter, ut patet; ergo &c.

Tertia ratio est, quia Relationes, ut supra di- 367.
ximus, non includuntur in Essentia formaliter confusè; ergo neque sic includetur Essentia in Relationibus; alioqui detur major ratio. Dicent 1. in inclusione Relationum in Essentia sequi, ipsam Essentiam multiplicari ad multiplicationem Relationum, quod non est dicendum. Sed contra, quia etiam ex inclusione Essentiæ in relationibus sequitur, relationes facere unitatem, sicut una est Essentia, quod etiam non est dicendum.

Dicent 2. Relationes facere quidem unitatem 368.
secundùm conceptum Essentiæ, quam includunt confusè; non tamen secundùm conceptum expressum relationis, quam expresè dicunt. Sed contra; ergo etiam Essentia faciet multiplicitatem, & oppositionem secundùm conceptum confusum relationum, & non secundùm expressum Essentiæ, quod non dicent.

Dicent 3. Naturam non includere relationes 369.
formaliter confusè, quia sequeretur non esse secundùm se totam communicabilem. Sed contra; ergo

ergo etiam relationes non includent Essentiam, sive Naturam formaliter confusè, quia sequeretur non esse secundùm se totas incommunicabiles.

370. Dicent 4. Naturam non includere relationes formaliter confusè, quia sequeretur, unam relationem posse affirmari de alia; sic enim potest affirmari Natura. Sed contra; ergo etiam Relationes non ita includent Naturam, quia sequeretur ipsam Naturam posse de relationibus negari, sicut una relatio de alia negatur. Hæc sunt fundamenta *P. Soar.* infrà citandi, quæ tamen nos in illum, aliosque Adversarios retorquemus.

371. Quarta ratio est, quia aut Pater v. g. habet aliquid sibi proprium, quod non communicat Filio; aut non: Si hoc secundum; ergo Filio communicat Paternitatem, quod est contra Concilia, & Sanctos Patres: Si primum; ergo illud proprium non est formaliter Natura; hæc enim tota communicatur. Confirmatur, quia aut Natura includitur formaliter in omni formalitate Paternitatis; aut non: Si primum; ergo Paternitas secundùm omnem formalitatem est communicabilis, quod non dicent: Si secundum; ergo illa formalitas est relatio, in qua non includitur Natura.

372. Quinta ratio est, quia si Natura Divina esset de formali conceptu relationis, quà relatio est, quidquid affirmatur de Natura secundùm se, negari non posset de relatione; sic enim non potest negari de homine, quod sit vivens sensitivum, quia hæc affirmantur de animali, quod in homine includitur formaliter: neque etiam negari de Personis, quod intelligant, velint, & creent, quia hæc affirmantur de Natura, quæ in illis formaliter includitur; sed non ita hoc fit in relationibus; siquidem de Natura secundùm se affirmatur, quod sit ens absolutum; quod sit formaliter intellectio; quod illâ Pater intelligat, velit, & creet; quæ tamen omnia non affirmantur, imò negantur de Paternitate; ergo &c.

373. Dixi *de Natura secundùm se*, quia aliqua sunt prædicata, quæ conveniunt Naturæ, prout præscindit à Personis, quæ tamen non conveniunt ipsis Personis, in quibus Natura includitur, qualia sunt *communicari, non referri, non producere*; siquidem Pater non communicatur, refertur, & producit. Et hujus ratio est, quia hujusmodi prædicata conveniunt Naturæ prout præscindit à Personis, & veluti sumptæ quoad statum; nam ut est idem cum Personis, & veluti determinata involvit oppositiones relativas: sic enim animali v. g. non secundùm se, sed ut præscindit ab homine convenit esse genus, & non ita convenit homini; & cuilibet parti convenit esse partem, quod non convenit toti.

374. Sexta ratio est, quia si relatio secundùm omnem suam formalitatem virtualiter sumpta esset Natura, sequeretur: Primò, Naturam producere, & produci; generare, & generari; siquidem relatio sub omni suo conceptu producit, & producitur; generat, & generatur. Secundò, unionem Hypostaticam factam fuisse immediatè ad Naturam, quia facta est immediatè ad relationem sub conceptu relationis. Tertiò, quamlibet relationem Divinam esse adæquatam Personam; siquidem constat Naturâ, & relatione, quibus Persona constituitur adæquatè. Quartò, relationem sub proprio conceptu relationis non esse se totâ respectivam; siquidem talis non est Natura, quæ in tali conceptu includitur. Quintò, Verbum Divinum procedere formaliter per voluntatem; & Spiritum Sanctum formaliter per Intellectum; siquidem procedunt per Paternitatem, & Spirationem, quæ sunt formaliter Intellectus, & voluntas; hæc autem omnia sunt absurda non admittenda, utpotè contra Concilia, & Sanctos Patres; ergo &c.

375. Oppositum tenent *Alexand. 1. p. q. 68. memb. 5. art. 5. Aureol. in 1. dist. 1. q. 2. & dist. 33. q. 1. art. 1. & 3. Marsil. in 1. q. 23. art. 3. Capreol. in 1. dist. 2. q. 3. Canar. 1. p. q. 28. art. 2. d. 2. dub. ult. & d. 3. p. 2. conclus. 4. P. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 7. num. 5. P. Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 9. P. Ruiz d. 13. de Trinit. sect. 1. n. 2. P. Arrub. d. 101. cap. 1. P. Granad. 1 p. d. 4 sect. 2. n. 8. P. Amicus 1. p. d. 19. sect. 6. num. 150.* & alii, qui dicunt, hanc esse sententiam *D. Thom. q. 33. ad 1.* ubi dicit, propria in Deo non esse de conceptu communium; communia autem esse de conceptu propriorum. Verùm D. Thom. nomine *propriorum* intelligit Personas, quas manifestum est includere Naturam Divinam; quæstio verò procedit de Relationibus, prout formaliter determinant Naturam ad Personas, in quo sensu oppositum videtur sentire Sanctus Doctor *q. 8. de potentia art. 2. ad 6.* ubi docet, quod sicut hæc: *Essentia est Paternitas*: non est per se; etiam neque hæc: *Paternitas est Essentia.*

376. Adhuc tamen, ut supra posita fundamenta elidant, recurrunt Adversarii, ut præcedenti quæstione ad suam illam distinctionem conceptûs expliciti, & impliciti; sicque omnia, quæ de relationibus affirmantur, & negantur de Natura, aut è contra, quæ de Natura affirmantur, & negantur de relationibus, intendunt salvare per hoc, quod Natura explicitè non sit relatio, & relatio explicitè non sit Natura; ac proindè consequenter docent, relationes multiplicari secundùm explicitum; non autem secundùm implicitum: Filium non habere aliquid commune cum Patre in sua proprietate sumptâ explicitè: Patrem habere aliquod proprium, quod Filio non communicat secundùm quod *proprium* dicit explicitè: Naturam includi in omni formalitate relationis implicitè, non autem explicitè, sicque de cæteris, ad eum modum, quo *ens* est transcendens implicitè quamcunque differentiam ipsius entis, licet conceptus explicitus differentiæ non sit transcendens.

377. Non tamen placent, quia quando unum prædicatum est de conceptu implicito alterius, non potest de eo absolutè negari; imò potest de eo explicitè affirmari, ut patet ex supra dictis, & in differentiis ipsius entis; de quibus sub nullo conceptu potest negari, potest tamen sub omni conceptu affirmari explicitè *ens*, in quo ipsæ differentiæ includuntur formaliter implicitè, & in quibus similiter includitur ipsum ens, & quidquid etiam affirmatur de ipso ente, potest de illis explicitè affirmari; sed de Relationibus sub conceptu relationis affirmatur quod multiplicentur, quod sint incommunicabiles, & quod sint respectivæ; de Natura autem affirmatur, quod sit quid absolutum, quod sit communicabilis, & quod sit immultiplicabilis, quæ tamen negantur de relationibus; ergo &c. Attamen pro illis:

378. Objicies 1. Relationes Divinæ sunt essentialiter ens divinum; alioqui essent ens creatum; siquidem in rebus singularibns non datur medium inter creatum, & increatum; sed ens essentialiter divinum includit essentialiter Divinitatem, qualis est Natura Divina; ergo &c. Respondeo relationes Divinas prout à Natura Divina virtualiter distinguuntur esse essentialiter ens divinum realiter identicè, & quoad exigentiam, quatenùs scilicet identificantur cum Natura Divina, quam ut

virtualem

virtualem radicem exigunt: non autem quod formaliter, & essentialiter includant ipsam Naturam Divinam. Patet exemplo, quia subsistentia hominis, sicut & aliæ ejus proprietates dicuntur humanæ, non quod formaliter includant naturam humanam, sed quia ex se exigunt ut radicem humanitatem, à qua humanæ dicuntur. Undè:

379. Ad probationem dicimus, inter ens creatum, & increatum non dari medium: Primò in esse reali. Secundò in esse etiam virtuali, prout ens increatum est ens ordinis divini; ens autem creatum ordinis creati: at verò inter ens essentialiter includens divinitatem formalem, & ens creatum datur medium, nempè ens ordinis divini: sicut enim non omne ens creatum includit essentialiter creationem formalem; siquidem creatio formalis distinguitur à termino; ita non omne ens divinum includit formaliter divinitatem, cùm ab ea virtualiter distinguatur: Si tamen sumatur reduplicativè, ut ens divinum formaliter, jam dicit conjunctum ex Natura, & relatione, sicut *album* reduplicativè dicit conjunctum ex subjecto, & albedine, idque essentialiter.

380. Instabis: Relationes per se sunt formaliter ens infinitum; ergo etiam per se formaliter sunt ens divinum. Respondeo primò cum aliquibus, negando antecedens, sicque argumentum nihil, aut pro nobis facit. Respondeo secundò distinguendo antecedens: sunt ens infinitum infinitate absolutâ, quæ est propria Naturæ Divinæ; nego antecedens: infinitate relativa in suo genere; concedo antecedens: ad hoc autem satis est, quod Naturam infinitam in omni genere exigant, quin illam formaliter includant.

381. Objicies 2. Non minùs transcendens est ens divinum ad differentias relativas Personarum, quàm est ens absolutè ad omnes differentias entis; sed ratio entis includitur formaliter in differentiis entis, prout alibi diximus in *Met. tract. 1. d. 2. à n. 52.* ergo etiam ens divinum, seu Natura Divina includetur formaliter in relationibus Divinis. Respondeo negando majorem; neque enim ens divinum quoad rationem formalem divinitatis est æquè transcendens ad differentias relativas Personarum, atque est ens absolutè ad omnes differentias entis; alioqui sicut ens multiplicatur cum suis differentiis, multiplicaretur etiam divinitas formalis cum relationibus; ac proindè tres Personalitates essent formaliter tres Dii, quod est hæreticum: est tamen transcendens exigentia ipsius Divinitatis, quia differentiæ personales exigunt, & radicantur in eadem Natura Divina.

382. Objicies 3. Concil. Later. *cap. damnamus de sum. Trinit.* Concil Rhemens. & Nicænum. *lib. 2. §. Sancta, & Magna.* Concil. Alexandrin. & Ephesin. *cap. 14. D. Nazianz. orat. 37. D. Athan. Dialog. 1. contr. Anomæum. D. Chrysost. ad Rom. hom. 13. D. Basil. hom. 15. de Fide D. Damascen. lib. 1. de Fide cap. 18. D. Hilar. lib. 9. de Trinit. D. Aug. serm. 38. de Tempore. D. Fulgent. de Fide ad Petrum cap. 2. D. Bern. serm. 80. in Cant.* qui videri possunt apud *P. Ruiz d. 11. sect. 6.* & ex quibus constat, veras esse has propositiones; *Quælibet trium Personarum est illa res*: id est Essentia Divina: *Pater est ipsa Deitas: Relationes, singularitates, seu proprietates, quæ sunt in Deo, sunt ipse Deus: Pater est veritas: Filius est veritas: Pater est charitas: Filius est gratia: Quidquid est in Deo, est ipse Deus: Tria sunt ea, quæ ipsa Divinitas est: Persona Patris est Divinitas: Persona Patris est substantia Patris: Deus est Unitas: Deus est Trinitas*: & similes, ex quibus infertur unum extremorum, nempè Essentia Divina, in alio includi, nempè in relationibus; ergo &c. Respondeo Concilia, & Sanctos Patres solùm velle, nihil esse in Deo, quod non sit formaliter Deus realiter, & identicè; non autem virtualiter, ex quo fit, quod quando in divinis prædicantur abstracta de concretis, aut è contra, ut fit in prædictis, & aliis similibus propositionibus, debeant sumi in sensu identico ad significandam summam identitatem; non autem in sensu formali.

383. Objicies 4. Quia id, sine quo aliquid in suo conceptu intelligi non potest, est de illius conceptu formali, sive essentiali; sed Relationes Divinæ non possunt intelligi absque Natura Divina: tùm quia sunt veluti modi se habendi Naturæ Divinæ, ut supra diximus; modus autem intelligi non potest absque re modificatâ, cùm nihil aliud sit, quàm res ipsa ita, vel ita se habens: tùm etiam, quia relationes sunt productiones; hæ autem intelligi non possunt absque principio producente; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem: id, sine quo in recto incluso aliquid non potest intelligi, est de illius conceptu formali; concedo majorem: sine quo in obliquo connotato intelligi non potest; nego majorem: actio enim non potest intelligi sine principio, & termino: neque relatio sine subjecto, & termino; & tamen neque principium, & terminus in actione, neque subjectum, & terminus in relatione formaliter includuntur. Undè similiter licet relationes Divinæ connotent essentialiter Naturam Divinam, ac proindè sine illa intelligi nequeant, non ideò illam formaliter includunt.

384. Objicies 5. Si Relationes non includerent in suo conceptu formali Naturam, ex hac, & illis fieret in Deo aliqua compositio; sed hæc non admittitur in Deo, utpotè quæ tolleret illius summam simplicitatem; ergo &c. Respondeo primò cum aliquibus negando minorem; dicunt enim non implicare in Deo hujusmodi compositionem virtualem, & metaphysicam. Quia tamen alibi contrarium diximus, ut videre est in *Phys. tract. 2. d. 2. à n. 238. & in Met. tract. 1. d. 3. à n. 303.* Respondeo secundò negando majorem; licet enim Relationes non includant Naturam formaliter, non ideò cum illa componunt; siquidem non ei conjunguntur per unionem etiam virtualem, sed per omnimodam identitatem, ut diximus locis citatis.

385. Objicies 6. Conceptus relationis in Divinis debet esse perfectissimus; sed talis non esset, si non includeret omnem perfectionem Naturæ Divinæ; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem: debet esse perfectissimus in suo genere relativo; concedo majorem; etiam in absoluto; nego majorem: præsertim, quia si includeret formaliter Naturam, haberent oppositionem in aliquo absoluto, & hoc multiplicaretur, quod repugnat enti simpliciter infinito.

386. Objicies 7. Personæ Divinæ includunt formaliter Naturam; & tamen nullum ex eo sequitur absurdum; ergo neque si relationes ita illam includant. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Personæ non dicunt solam rationem relativi, sed etiam absoluti; sicque potest illis sub una ratione convenire, quod sub alia formaliter non conveniet: at verò relatio, cùm sub omni conceptu includeret Naturam, ut Adversarii docent, sub uno, & eodem conceptu illi convenirent formaliter rationes repugnantes, ut patet ex dictis.

387. Instabis: In divinis idem dicunt abstracta, atque

que concreta, nempè *Deitas*, & *Deus*; sed *Persona*, quæ est concretum, dicit Essentiam; ergo etiam illam dicet abstractum *Paternitas*. Respondeo cum P. Arriaga *cit. n. 15.* Paternitatem (idemque de aliis Relationibus) sumi posse dupliciter in abstracto: primò pro abstracto ex Essentia, & Relatione; sicut *humanitas* est abstractum ex anima & corpore; & pro ut sic damus includi ibi Essentiam; quæstio autem non procedit in hac acceptione: Secundò quatenùs est abstractum ex solâ perfectione relativa præcisè, in quo sensu loquimur, & pro ut sic negamus Paternitatem includere formaliter Essentiam, & dicere quidquid dicit Pater, sive Persona.

388. Objicies 8. Superius essentialiter includitur in inferiori; sicut animal in homine; sed Essentia Divina comparatur ad Relationes, etiam sumptas in abstracto, tanquam forma communis ad suum inferius; ergo &c. Respondeo majorem esse veram, quando superius est aliqua ratio logica præcisa ab inferiori, sicut est ens à substantiâ, & animal ab homine: hoc autem non habet Essentia, alioqui diceretur dividi in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, sicut animal in hominem, & equum: Undè solùm est quid commune respectu Relationum, quatenùs est illis communicabilis. Addo, argumentum solùm probare, Essentiam esse de conceptu formali Patris, non autem Paternitatis, quæ se habet ut differentia; sicut animal licet sit de conceptu formali hominis, non ita est de conceptu rationalitatis, quæ est differentia hominis.

389. Objicies 9. Qui perfectè cognoscit Relationem, etiam cognoscet Essentiam; ergo hæc in illa includitur formaliter implicitè. Respondeo distinguendo antecedens: etiam cognoscet Essentiam in recto, & ut partem formaliter inclusam in ipsâ Relatione; nego antecedens: in obliquo, & ut terminum postulantiæ Relationis; concedo antecedens: sic enim cognoscens perfectè Essentiam, cognoscet etiam in obliquo Relationem, & tamen non ut partè formaliter inclusam in Essentia, ut Adversarii tenentur dicere: sic etiam cognoscens perfectè Omnipotentiam cognoscet creaturas in obliquo, & tamen non ut partem formaliter inclusam in Omnipotentia.

DISPUTATIO V.

De Personis in communi.

SECTIO I.

An, & quotuplex detur in Deo ratio Personæ?

1. DIFFICULTAS 1. Quid in Divinis significetur nomine Personæ? Tenendus omninò est usus nominum, quæ in hoc Mysterio usurpâtur. Inprimis de nomine *Essentia* non fuit controversia; siquidem sumitur pro Natura, quæ una est in Deo. De nomine *Substantia* majus est dubium: aliquando enim idem valet *Substantia* apud Latinos, atque *Hypostasis* apud Græcos, quo sensu intelligendi sunt Patres, quando in Divinis admittunt tres substantias. Verùm, sicut *Hypostasis*, de qua statim, solùm sumitur jam pro suppositio, sive Persona; ita etiâ usus Ecclesiæ obtinuit, ut nomen *substantia* solùm sumatur pro Natura. Unde temerarius foret, qui hodie absolutè diceret tres substantias in divinis, licet rectè loqueretur cum addito *incommunicabiles*, ut dicit *P. Soar. lib. 1. d. Trinit. cap. 2. n. 11.* Sunt enim in Divinis tres Personæ; hæ autem non sunt accidentia; ergo substantiæ.

2. Secundò nomen *Hypostasis* idem significat, atque *Subsistentia*, nam licet olim inter Græcos, & Latinos controversum fuerit juxta usum hujus nominis *Hypostasis*, quatenùs Latini illud accipiebant pro *Usia*, id est pro *Essentia*, seu *Substantia*; Græci autem pro eodem atque *Subsistentia*, ideoque dixerit D. Hieron. *epist. ad Damasum 57.* in nomine Hypostasis: *Mihi credite venenum sub melle latet*; idemque senserit D. Aug. *lib. 5. de Trinit. cap. 8.* imò decretum fuerit, nè Catholici agentes contra Arianos dicerent tres *Hypostases*, eo quod Ariani tres *Essentias* intelligebant: & contra Sabellianos, ne dicerent unam tantùm *Hypostasim*, quia Sabelliani unam tantùm Personam agnoscebant, sicque cum utrisque cautè agendum fore; hodie tamen ex communi consensu Conciliorum, & Sanctorum Patrum, atque Theologorũ pro eodem sumitur hîc Hypostasis, atque Subsistentia, ut latè ostendit *P. Vasq. 1. p. d. 124. cap. 1. 2. 3. & 4.* Videatur ibi.

3. Tertiò nomen *Subsistentia* dicit aliquid positivum in natura substantiali, ut alibi ostendimus in *Met. tract. 2. d. 3. à n. 8.* significat enim modum existendi per se substantiæ independentis ab ulteriori termino, cui tanquam rationi subsistendi communicatur, ideòque communiter dicitur esse complementum, & ultimus terminus existentiæ substantialis, de quo nobis constitit ex Mysterio Incarnationis, in quo humana natura, non in se, sed in Verbo Divino subsistit, neque completur, & terminatur propriâ subsistentiâ, sed Verbi Divini; alioqui esset in Christo Domino duæ Personæ, altera humana, & altera divina, quod tamen est contra fidem.

4. In quonam consistat hoc suppositum. Quæstio est metaphysica, de qua jam in Met. loco cit. à *num. 40.* ubi tandem resolvimus esse modum quemdam substantialem, sive formam ita reddentem naturam in se subsistentem, & ultimò terminatam, ut ulteriori termino non communicetur.

5. Quartò, *Hypostasis*, sive *Subsistentia* in hoc loco non sumi pro significato universalissimo, quo sensu subsistentia convenit omni substantiæ tam completæ, quàm incompletæ; tam communi, quàm singulari; tam intellectuali, quàm non intellectuali, prout alibi diximus in *Met. tract. 2. d. 3. à num. 281.* sed pro subsistentia naturæ intellectualis completæ, quo sensu idem est, atque *Personalitas* in abstracto, & in concreto *Persona*.

6. Advertes tamen, hoc esse discrimen inter *subsistens*, *suppositum*, & *Personam*, quod subsistens dicitur tam de substantiâ completâ, quàm incompletâ; tam communi, quàm singulari: *Suppositum* verò non nisi de substantia completa singulari, tam rationali, quàm non rationali: *Persona* autem solùm de substantia completa singulari intellectuali. Undè licet omnis Persona sit suppositum, & subsistens; & omne suppositum sit subsistens; tamen neque omne subsistens est suppositum, neque

omne suppositum est Persona. Hîc igitur pro eodem sumitur *Hypostasis*, atque *Persona*: pro quo sit:

7. Difficultas 2. Qualis sit definitio Personæ? Persona sic definitur à Boëtio, *lib. de duab. natur. Est rationalis naturæ individua substantia*: quæ definitio à Theologis, & Philosophis recipitur cum *D. Thom. 1. p. q. 29. art. 1. P. Soar. lib. 1. de Trinit. cap. 1. n. 2.* Particula *substantia* significat, ut aliqui dicunt subsistentiam completam; meliùs tamen dicendum significare subsistentiam: tùm quia hæc veniebat nomine substantiæ apud Boëtium, ut ait *P. Vasq. hîc q. 29. d. 127. cap. 2. n. 6.* tùm etiam, quia ratio substantiæ completæ, quam *Persona* involvit, satis declaratur per particulam *natura*, quæ de se dicit subsistentiam completam; utroque tamen modo rejicit accidentia.

8. Particula *individua* idem est ac incommunicabilis alteri, aut tanquam parti; aut tanquam termino, & supposito. Undè anima rationalis non est Persona, cùm sit communicabilis materiæ ut comparti; neque humanitas Christi Domini, & Natura Divina sunt Personæ, cùm sint communicabiles subsistentiis, tanquam terminis; neque natura communis, v. g. homo est persona, cùm sit communicabilis individuis tanquam suppositis. Particula *rationalis naturæ*, indicat naturam intellectualem, cujus ratione nomen *Persona* dignitatem significat juxta Tull. *de officiis*: *Nobis*, inquit, *Personam imposuit ipsa natura magnâ cum excellentiâ, præstantiâq; cæterorum animantium.* Ex quibus patet, Personam dicere certam naturam, nempè rationalem, & terminum, quo talis natura redditur incommunicabilis. Quid autem dicat de formali, & in recto? Ex dicendis constabit.

9. Difficultas 3. Utrùm in Deo detur ratio Personæ? Affirmativè. Est de Fide. Probatur primò ex Symbol. D. Athan. ibi: *Alia est Persona Patris, &c.* Item ex illo Ecclesiæ *in Præfat. Miss. Et in Personis proprietas.* Idem definiunt Concil. Lateran. *cap. Firmiter, & cap. Damnamus de Sum. Trinit.* Toletan. 11. *de confess. fidei.* Hispalens. *2. cap. 23.* Et id ipsum asseruerunt *D. Damasus in Confess. fidei ad Paulin. D. Hilar. lib. de Synodis, D. Hieron. epist. 57. D. Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 8. & 9. & lib. 7. cap. 4. & 5.* Secundò ex ipsa definitione Personæ, quæ Deo competit, cùm sit intellectualis Naturæ individua substantia, ut per se patet; ergo &c. Tertiò, quia ratio Personæ ad dignitatem, & perfectionem spectat; sed quidquid dignitatis, & perfectionis est, Deo est tribuendum; ergo &c.

10. Oppones 1. cum Laurent. Valla *lib. 6. Elegant. cap. 34.* qui in hoc graviter erravit asserens, non posse nos in Deo uti propriè nomine Personæ: Persona, inquit, est nomen qualitatis, & non substantiæ; siquidem idem homo propter diversos qualitates agit diversas personas, nempè Judicis, Advocati, Procuratoris, Regis, &c. sed hæc non sunt admittenda in Deo, qui totus est substantia realis, & vera; ergo &c. Respondeo nomen *Persona* posse accipi, aut Rhetoricè, aut Philosophicè, ac Theologicè: primo modo, aliquando saltem, significat qualitatem: secundo autem modo significat rationalis naturæ individuam substantiam, & prout sic competit Deo.

11. Oppones 2. Nomen *Persona* est nomen fictionis, & theatrale, desumptum scilicet à theatris, ubi Regis personam gerit, qui Regem fingit; ergo non potest hujusmodi fictio Deo competere. Respondeo eodem modo, quo proximè.

12. Oppones 3. Hypostasis, sive *Persona* talis dicitur, quia subsistat accidentibus; sed hæc non sunt in Deo; ergo neque nomen *Persona*. Respondeo negando antecedens juxta mentem Concilior. & Patrum, qui Hypostasim, non pro natura subjecta accidentibus, sed pro substantiâ perfectè completâ, & terminatâ in se; imò pro subsistentia, ut diximus, unanimi consensu usurpant; in quo sensu hodie accipitur; sicque sicut tres Personas, sic tres hypostases profitemur.

Oppones 4. Scriptura Sacra non utitur hoc nomine *Persona*, neque illud Deo tribuit; ergo &c. 13
Respondeo licet Scriptura non utatur tali nomine erga Deum, dicere tamen in Deo dari, quod per illud significatur: quando autem constat de re significata, licitum, imò necessarium est uti nominibus, in quibus Concilia, & Sancti Patres, & communis acceptatio concordant.

Oppones 5. Si in Deo daretur ratio Personæ, cùm hæc dicat perfectionem, & omnis perfectio includatur in Essentia Divina, jam hæc significaret Personam; consequenterque una tantùm esset admittenda Persona in Deo; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Respondeo Personam dicere perfectionem secundùm quid, ac proindè solùm includi in Essentia eminenter, quod non tollit multiplicitatem Personarum. 14

Oppones 6. Si in Deo daretur ratio Personæ; aut esset una tantùm Persona; aut tres: Non primum; hoc enim est contra fidem: Non secundum; cùm enim in Deo non dentur tria individua; neque etiam dabuntur tres Personæ; ergo &c. Respondeo negando minorem quoad secundam partem; licet enim in Deo non dentur tria individua, quia individuum absolutè supponit pro natura singulari, quæ in Deo est una tantùm indivisibilis; dantur tamen tres Personæ, quia Persona supponit pro substantia, sive Natura subsistente; eadem autem Natura subsistit tribus subsistentiis constituentibus tres Personas. 15

Oppones 7. Persona, ut diximus, definitur: *Rationalis naturæ individua substantia*; sed in Deo non est propriè individuum; ergo neque Persona. Respondeo in Deo non esse individuum, prout hoc est quid subjicibile alicui speciei; esse tamen prout individuum idem est, atque substantia completa, singularis, & incommunicabilis supposito, quod satis est, ut Deus dicatur individua substatia, & habeat rationem Personæ. 16

Oppones 8. Si in Deo daretur ratio Personæ, talis esset Pater v. g. sed Pater talem rationem non habet; siquidem de ratione Personæ est quod sit individua, id est incommunicabilis; Natura autem divina subsistens in Patre, adhuc communicatur Filio; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, Naturam Divinam, licet communicetur etiam Filio secundùm se, non ita communicari ut subsistentem; Pater enim non communicatur, sicque habet rationem Personæ, cùm de ratione Personæ solùm sit, quod ut talis ulteriùs non terminetur, neque communicetur. 17

Inferes: Ergo Verbum Divinum non habebit rationem Personæ; siquidem in Christo Domino communicatur naturæ humanæ. Respondeo negando illationem, ad cujus probationem dicimus, Verbum Divinum communicari quidem naturæ humanæ, ut est terminus; non verò alteri termino subsistendi, cùm natura humana, cui ut sic communicatur, non sit Persona; alioquin in Christo Domino essent duæ Personæ, quod est contra fidem: de ratione autem Personæ solùm est, quod 18

quod alteri Personæ, seu termino subsistendi non communicetur.

19. Difficultas 4. Utrùm ratio Personæ sit univoca? Suppono primò, quæstionem non procedere de ratione Personæ communi ad Divinam, & creatam; siquidem ad has non potest dari univocatio, ut patet ex alibi dictis in *Met. tract. 1. d. 3. à n. 15.* Deinde, quia talis ratio, sive conceptus objectivus, cùm secundùm se sit ens reale, licet realiter non existat; aut est ens creatum; aut increatum; aut utrumque simul: Si primum, jam non est quid commune Deo: Si secundum, non est commune creaturis: Si tertium, est quid analogum; ergo &c. Undè solùm superest quæstio de Persona Divina in ordine ad tres Personas Divinas: Pro qua:

20. Suppono secundò contra *Scot. in 1. dist. 23. q. 1. §. Item arguo. Gabr. q. unica, dub. 1. & in 3. dist. 1. q. 1. a. 1. & Aureol. in 1. dist. 23. & 25.* Personam non constitui negationibus communicabilitatis, sed entitate positiva, in qua ipsæ negationes fundantur, prout diximus in *Met. tract. 2. d. 3. à n. 8.* alioqui jam Personæ Divinæ non constituerentur, nec distinguerentur aliquo positivo; & Pater nihil aliud esset, quàm Essentia cum negatione Filii: & cùm Filius nihil etiam esset, quàm Essentia cum negatione Patris, jam Pater, qui terminatur ad Filium, terminaretur ad sui negationem.

21. Suppono tertiò contra *Durand. in 1. dist. 23. q. 1. n. 13. Henric. 2. p. sum. art. 53. q. 5. & quodlib. 5. q. 6.* Personam in communi non dicere aliquid rationis, sed positivum reale; nam si quævis Persona dicit ultimum terminum positivum, & realem, quo constituitur, cur Persona in communi, quæ abstrahit ab iis rationibus singularibus, non dicet etiam rationem positivam realem. Hoc posito.

22. Conclusio sit: Ratio hæc positiva, & realis communis solis Divinis Personis, non est univoca. Ita *D. Bonav. in 1. dist. 25. q. 1. a. 2. Alex. 1. p. q. 56. memb. 4. art. 1. & 2. Albert. 1. p. q. 44. memb. 1. Capreol. in 1. dist. 25. quæst. unica, art. 1. Argent. in 1. dist. 25. quæst. unica, Marsil. in 1. q. 28. a. 2. Richard. in 1. dist. 25. a. 2. q. 1. D. Thom. 1. p. q. 30. a. 4. ad 3. & in 1. dist. 25. q. 1. a. 2.* quos citat & sequitur *P. Ruiz. d. 35. de Trinit. sect. 3. n. 4. P. Mol. 1. p. q. 28. à. 4. d. 2.* & alii. Probatur, quia non potest dari ratio aliqua univoca objectivè sumpta, quin objectivè præscindat à differentiis, seu quasi differentiis; consequenterque à singularitate; sed ratio Personæ Divinæ non ita præscindit à peculiaribus rationibus constitutivis singularum Personarum, sive ab earum singularitate; siquidem cùm ratio Personæ Divinæ sit in suo genere simpliciter infinita, debet in eo genere includere quidquid est perfectionis sibi non oppositum; consequenterque suam singularitatem, & differentiam, quâ ultimò perficitur; ergo non potest ab illa objectivè præscindere; ac proindè neque habere rationem unam univocam. Hæc eadem ratio probat in omnibus prædicatis divinis, de quibus jam latè in *Logica tr. 2. d. 2. à n. 38.*

SECTIO II.

Quot in Divinis sint Personæ: & quæ prædicata ratione Personarum in Deo multiplicentur?

DIFFICULTAS 1. Quot sint Personæ in Divinis? De Fide est tres dari Personas Divinas, quam Fidei veritatem latè ostendimus *d. 1. sect. 1. 2. 3. & 4.* ex Scriptura, Conciliis, Patribus, & rationibus. Unde non sunt audiendi, qui affirmant Deitatem esse Personam; licet enim contendant, Deitatem à parte rei, & identicè esse Personam Patris, Filii, & Spiritus Sancti, quod nemo Catholicus negat; tamen non est dicendum absolutè: *Deitas est Persona*: id enim sonat esse quartam Personam, quod hæreticum est. Similiter non est audiendus *Cajet. 3. p. q. 2. a. 2.* ubi docet Deum prout dicit Deitatem cum subsistentia absoluta, esse Personam, licet incompletè, & imperfectè quod jam alibi refutavimus, & infra etiam refutabimus; ex hoc enim eodē capite repugnat in Deo talis ratio Personæ; siquidem in Deo nihil datur imperfectum. Deindè quia Deus prout sic adhuc foret communicabilis Personis; ergo prout sic non potest dicere rationem Personæ; siquidem de ratione Personæ est non communicari. 23.

De fide etiam est, primam harum Personarum esse improductam, secundam, & tertiam esse productas, ut patet, tum ex supra dictis: tum ex Symbolo D. Athan. tum etiam, quia alioqui nulla ratione possemus dicere fore tantùm tres. Deinde realiter distinguuntur inter se, ut patet tum ex supra dictis: tum ex infra dicendis: tum ex Concil. Florent. *sess. 19.* tum etiam, quia non intelligeretur ratio producentis & producti. Præterea omnes hæ Personæ Divinæ identificantur eidem Essentiæ, sive Naturæ; sicque sunt una simplicissima res ut patet ex illo Joan. epist. 1. 5. *Hi tres unum sunt.* Siquidem non uniuntur inter se, ita ut componant tanquam partes unum Deum; nam cùm realiter distinguantur, nec habeant rationem actûs, & potentiæ, si immediatè unirentur, non efficerent unum per se, neque Deus esset quid simplex. Undè in tantùm sunt unum, in quantùm singulæ includunt unam & eandem Essentiam, cum quâ uniuscujusque Personalitas intimè identificatur; sicque omnes tres in eadem Essentia sunt quid simplex. Hinc patet aliqua in Deo dici in plurali, & multiplicari; alia verò in singulari tantùm, & non multiplicari: pro quo sit: 24.

Difficultas 2. Quænam prædicata in Deo ratione Personarum multiplicari possint? Quamvis de hoc jam aliqua dixerimus supra *d. 4. à n. 249. & in Met. tr. 5. d. 1. sect 5. à n. 166.* quia tamen specialissima hæc sunt in hac materia, maximèq; necessaria ut rectè loquamur de hoc Mysterio, necessarium duximus ea lentiùs hìc tractare, & aliquas regulas assignare, ex quibus hic loquendi modus dignoscatur. Cùm igitur multiplicitas prædicatorum ex modo significandi desumenda sit: 25.

Advertes primò, non idem esse nomen non exprimere aliquam rationem, atque illam non dicere de formali; siquidem *album* non exprimit inhærentiam; & tamen illam dicit de formali: *homo* dicit de formali subsistentiam, quam tamen non 26.

exprimit; sicut neque *animal rationale*; cùm tamen illa dicat de formali; nam cùm prædicatum essentiale rei pertineat ad essentiale ipsius rei; subsistentia autem, quæ est pars compositi, sit illi essentialis (idemque de inhærentia respectu albi,) necessariò dicendum est, significari de formali à nomine significante illud compositum, licet ipso nomine deducto à forma non exprimatur, nisi ipsa forma. Unde fit, quod aliquid potest dici confusè, cùm tamen dicatur de formali.

27. Advertes secundò, concreta prout alibi diximus, alia esse substantialia, & alia accidentalia: Substantialia quædam dicunt de formali, sive in recto (quod idem est) naturam; & in obliquo, sive de connotato (quod idem valet) subsistentiam, ut *Deus*, & *Homo*: quædam è contra, ut *Persona*, & *Hypostasis*. Accidentalia quædam dicuntur adjectiva, & quædam substantiva: adjectiva dicunt de formali, sive in recto subjectum; & de connotato, sive in obliquo formam: Substantiva autem è contra. Advertes tertiò, concretum multiplicari, quoties multiplicatur ejus significatum formale, seu rectum; nam unde aliquid sumit suum esse, inde sumit suam Unitatem; sed esse concreti est ejus formale significatum, ergo hoc multiplicato, aut non multiplicato, multiplicatur, aut non multiplicatur concretum. Hoc posito.

28. Dico 1. Concreta deducta ex subsistentiis multiplicantur in divinis, sicque dicuntur plures *Personæ*, & *Hypostases*. Patet, tum ex fide: tum ex ratione, siquidem in Divinis multiplicantur subsistentiæ, quæ dicuntur de formali, & in recto per illa concreta; ergo multiplicantur etiam ipsa concreta.

29. Dico 2. Concreta deducta ex Natura non multiplicantur in Deo. Patet, tum quia dicerentur plures Dii, quod est contra fidem: tum quia licet multiplicentur subsistentiæ, non multiplicatur Natura, quæ principaliùs dicitur de formali, & in recto.

30. Dico 3. Concreta adjectiva in Divinis multiplicantur quidem adjectivè; non tamen substantivè. Patet, quia in primo sensu supponunt pro Personis, quæ sunt plures: in secundo autem pro forma, quæ est una tantùm; ergo &c. Hinc colliges primò, posse in Divinis admitti *tres Omnipotentes*, *tres Sapientes* adjectivè; nam licet Omnipotentia, & Sapientia, (sicque de reliquis formis essentialibus,) sit una, & eadem in omnibus Personis, cùm tamen terminus *tres*, qui dicit multitudinem, cadat supra Personas, quas determinat, & non supra formam adjectivè significatam, benè possunt dici tres Omnipotentes, & tres Sapientes adjectivè. Nunquam tamen ita dicentur substantivè; siquidem cùm forma substantivè significata sit una, & eadem in omnibus Personis, nunquam potest significari substantivè in plurali.

31. Colliges secundò, in Divinis posse admitti etiam substantivè *tres res*, *tria entia*, *tria vera*, *bona*. *tres durantes*, *æterni*, *increati*, *infiniti*, *immensi*, *ineffabiles*, sicque de aliis, cum addito, i. est relativè. Quorum plura prædicata admittunt *P. Soa. lib. 3 de Trinit. cap. 11. n. 6. & cap. 12. n. 7. P. Tanner. d. 4. q. 1. dub. 7. n. 10. & q. 3. dub. 4. n. 9. & P. Amicus d. 29.* Probatur tamen absolutè, quia hujusmodi prædicata, sive positiva, sive negativa sint, de quo jam alibi, sunt propria Personarum, illisque ratione sui conveniunt; siquidem cùm quælibet sit verum ens reale distinctum virtualiter ab Essentia, ut supra diximus, prout sic habet suam durationem, æternitatem, &c. ratione sui; sed quando formæ sunt plures, etiam in uno subjecto, faciunt plura concreta substantivè, cùm multiplicetur rectum, & formale ipsius concreti; ergo &c.

Dices: Hoc videtur esse contra Symbol. D. Athan. ibi: *Non tres æterni, sed unus æternus: sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, & unus immensus*; ergo &c. Respondeo negando antecedens: ibi enim loquitur de æternitate (sicque de aliis) essentiali contra Arianos dividentes Essentiam in Patre, & Filio: Undè non sunt dicendi tres æterni, &c. æternitate essentiali; maximè verò cum addito, nempè relativa. 32

Advertes hîc, plura alia esse nomina, quæ in hoc Mysterio usurpantur, de quibus *D. Thom. 1. p. q. 31. & P. Mol. P. Vasq. hîc, P. Soar. lib. 3. de Trinit. cap. 13. P. Granad. tract. 5. d 2.* & pro quibus sit regula generalis. Illis tantùm nominibus utendum nobis est in hoc Mysterio, quibus ita declarentur Personæ, ut non negetur Unitas Essentiæ cum Ario: & ita significetur Unitas Essentiæ, ut non negetur distinctio Personarum cum Sabellio, sicque mediâ viâ incedendum, illisque vocibus utendum, quæ cum Naturæ Unitate Personarum explicent distinctionem, juxta illud Christi Domini Joan. 15. ibi: *Ego, & Pater unum sumus.* Ubi D. Cyrill. lib. 7. cap. 10. *Utrumque*, inquit, *audi, & unum, & sumus, & à Carybdi, & Scyllâ liberaberis. Quod dixit* unum, *liberat te ab Ario separante Filium à substantia Patris. Quod dixit* sumus, *liberat te à Sabellio, confundente Personas Patris, & Filii sine discrimine. Si* unum, *non ergo diversum. Si* sumus, *ergo Pater, & Filius.* Unde si in usurpatione aliquorum nominum reperitur diversitas inter Patres; aut in diversis sensibus acceperunt talia nomina; aut illis usi sunt, quia pro tunc nullum erat periculum. Quia tamen in hoc Mysterio non solùm res, sed & voces habemus à Conciliis, & Patribus præscriptas, à quibus non licet absque temeritate recedere, ut instruatur Theologus quomodo cautè, castèque debeat in tanto Mysterio loqui, incautasque ac insolentes aliorum locutiones vitare, aliquas hîc apponemus regulas ex certis, solidisque principiis deductas, & aliquas earum propositiones examinabimus, præsuppositis certis quibusdam censuræ gradibus ex Concil. Constantiens. *sess. 8. & 15.* Igitur sit:

SECTIO III.

Assignantur aliquot regulæ servandæ in modo loquendi in hoc Trinitatis Mysterio.

IN Concil. Constantiensi *Sess. 8. & 15.* aliqui censuræ gradus apponuntur, quibus propositiones aliquæ censurari possunt: Primus est *Hæresis*, quæ directè opponitur alicui veritati expresse revelatæ: aut conclusioni per evidentem discursum explicatæ, ut jam contentæ in aliquâ expresse revelatâ. Secundus est *Error*, qui directè opponitur conclusioni theologicæ, ut ex principiis fidei evidenter deductæ, quia ut explicatæ spectat ad primum gradum *Hæresis*. Tertius est *Errori* proximus, qui opponitur conclusioni theologicæ, non ut evidenter, sed ut probabilissimè deductæ ex principiis fidei. Quartus est

est *hæresim sapiens*, qualis est propositio, quæ cùm possit habere sensum catholicum, ex circunstantia tamen, & conditione proferentis, posset suspicari in sensu hæretico prolata, ut hæc: *Christus est minor Patre*: quæ ab Ariano prolata hæresim sapit, cùm tamen à Catholico nullam ingerat suspicionem.

35. Quintus gradus est *propositio malè sonans*, seu piarum aurium offensiva, qualis est quæ absurdum, & peregrinum sensum à communi Patrum, & Scholasticorum affert. Sextus est *temeritas*, qualis est propositio, quæ nullâ sufficiente ratione, vel authoritate fulta, communi Scholasticorum sensui, vel approbatis authoribus adversatur: aut quæ ut certum affirmat, quod nullâ ratione probari potest; quæ etiam *impudens*, & *insolens* appellari solet. Septimus est propositio *scandalosa*, qualis est, quæ licet sit vera, auditoribus tamen ruinæ occasionem præbet. Octavus est propositio *Schismatica*, qualis est, quæ viam parat ad schisma, aut separationem à capite, ut *licitum est non obedire Superiori*, aut *tyrannum occidere*.

36. Nonus gradus est propositio *seditiosa*, qualis est, quæ viam sternit ad seditionem. Decimus propositio *periculosa*, qualis est, quæ potest periculi occasionem adducere, aut in fidei doctrina, aut in moribus, ut *homo absque pœnitentia externa potest esse perfectus*. Undecimus est *Blasphemia*, quæ Deo immediatè, aut mediatè injuriam irrogat, quæ aliquando cum hæresi conjungitur; siquidem una, & eadem propositio sæpè multis inficitur notis, ut *Deus est author peccati*. Duodecimus est *Impietas*, qualis est propositio improbabilis, & fidei pietati notabiliter detrahens: quæ tamen differt à propositione non pia, quia hæc licet sit probabilis, pietati tamen fidei minimè favet. Decimus tertius est propositio *arrogans*, qualis est, quæ plus affert, quàm potest probari. Decimus quartus est propositio *improbabilis*, qualis est, quæ nullo nititur fundamento. His præmissis, omnia, quæ de hoc Sacrosancto Trinitatis Mysterio dicenda sunt, ad certas quasdam regulas, quoad fieri potest, reducemus. Igitur:

37. Prima regula sit: Nomina neutrius generis non sunt pluraliter enuncianda in divinis: maximè autem masculini generis. Patet primò, quia ita definitum est in Concil. Later. sub Innocent. III. *cap. damnamus de sum. Trinit.* ibi: *Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud, sed id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus.* Confirmatur ex D. Aug. *tract. 36. in Joan.* ibi: *Aliud non est Pater, Filius aliud. Alius est rectè dicis, aliud non rectè.* Patet secundò ratione, quia nomen neutrum, cùm sit substantivum supponit pro Natura, quæ est una, sicque multiplicaretur, illo multiplicato, quod est hæreticum; masculinum autem supponit pro Personis, quæ cùm sint plures, potest cum illis pluralificari; ergo &c.

38. Hinc colliges primò ex apposita regula, & ratione, sicut in Deo non est *aliud*, & *aliud*, sed *alius*, & *alius*, ita è contra in Christo Domino esse *aliud*, & *aliud*; non tamen *alius*, & *alius*, quia in Christo Domino est diversitas Naturarum, non autem suppositorum; sicque licet in eo sit duplex filiatio, nempè divina, & humana, non potest dici *alius*, & *alius Filius*, quia alius importat pluralitatem suppositi, rectè tamen dicetur *habens plures filiationes*. Secundò has non esse facilè admittendas: *In Deo sunt multa: sunt plura entia*: nisi cum addito, id est relativa: posse tamen admitti etiam sine limitatione: *In Deo sunt plures res: entitates: est pluralitas*; siquidem in primis nomina referuntur ad Essentiam; in secundis ad Personas.

39. Tertiò has esse veras: *Pater, & Filius sunt unum: sunt idem ipsum: Pater est idem, quod Filius: non est aliud, aut alterum à Filio*: has tamen falsas: *Pater, & Filius sunt unus: sunt idem ipse: Pater est idem, qui Filius: est aliud, aut alterum à Filio*: siquidem primæ important identitatem Naturæ, & distinctionem ejusdem negant, quod est verum: secundæ autem identitatem Personarum, & diversitatem Naturæ important, quod est falsum. Similiter hæc est vera: *Pater est idem Deus, qui Filius*: hæc tamen falsa: *Pater est idem, qui Filius*; siquidem in hac relativum *qui* refert immediatè Patrem: in illa verò Deum.

40. Quartò has esse falsas: *Deus generans est Deus genitus: Deus generans est Pater: idem Deus est Filius genitus*: quia *idem* immediatè refert Deum ut affectum termino notionali genitoris. Similiter falsa est hæc: *In divinis est alius, & alius Deus: alter, & alter Deus*: hæc autem vera: *In divinis est Deus, & Deus*: quia in hac non affirmatur alietas Deitatis; maximè verò in illa. Deindè hæ sunt veræ: *Deus genuit Deum: Alius genuit alium: Habens Deitatem genuit alium habentem Deitatem*: hæ autè sunt falsæ: *Deus genuit aliũ Deum: aut alterum Deum: Deus genuit eundem se: aut alterum se*; siquidem in his affirmatur alietas de Deitate, in illis autem de Personis.

41. Secunda regula est: Nomina concreta substantiva de re absoluta prædicantur de Personis singulariter: Adjectiva autem pluraliter, ut patet ex supra dictis. Patet, quia nomina substantiva sumunt unitatem, aut multitudinem à forma, quam significant: Adjectiva autem à subjecto, seu supposito; hoc autem in Deo est triplex; illa verò est una, nempè eadem Natura; ergo &c.

42. Hinc colliges primò, has esse substantivè veras: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt unus Deus: unus Creator: unus Dominus: unus Sapiens: unus Æternus: unus Immensus: Pater, & Filius sunt unus Spirator: unum Principium ad intra.* Similiter etiam esse adjectivè veras has: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres Divini: tres habentes Deitatem: tres creantes: tres Sapientes: tres Æterni: tres Immensi: duo spirantes: duo principiantes: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus intelligunt: volunt: creant: puniunt: miserentur*; siquidem verba subeunt leges Adjectivorum.

43. Tertia regula est: In divinis vitanda sunt hæc nomina: *Diversi, differentis, Alieni, Disparati, Extranei, Disformis, Dissimilis, Discrepantis, Separati, Divisi, Disjuncti.* Ita *D. Thom. 1. p. q. 31. art. 2.* Siquidem nomina *Diversi*, & *Differentis* important diversitatem in Natura: Nomina autem *Alieni, Disparati, Extranei, Discrepantis, Disformis, Dissimilis*, important inæqualitatem in Essentia: Nomina verò *Separati, Divisi, Disjuncti* significant distinctionem in substantia.

44. Hinc colliges, has esse falsas: *Filius est diversus, differens, alienus, disparatus, extraneus, discrepans, separatus, divisus, disjunctus à Patre*: has tamen veras: *Filius est distinctus, discretus, oppositus Patri: similis, æqualis, conjunctus, idem cum Patre.* Et cum addito limitante ad Personas admittunt communiter Recentiores hæc nomina *diversi*, & *differentis*, ita ut Personæ dicantur proprietatibus *differentes*, aut *diversæ*.

45. Quarta regula est: Nomina, quæ Personarum consortium à Divinis excludunt cautè sunt usur-

panda. Undè falsæ sunt hæ: *Deus est solitarius: est solus.* Patet, quia hæc nomina adjuncta termino essentiali excludunt, non solùm consortium aliorum Deorum, sed etiam Personarum ejusdem naturæ. Dixi *ejusdem naturæ*, quia licet Deus associetur Angelis, & hominibus, adhuc diceretur *solus*, aut *solitarius*, si cum eo Personæ Divinæ non existerent, ut notat D. Thom. *cit. art. 3. ad 1.*

46. Quinta regula est: Dictio exclusiva non potest adjungi termino personali respectu prædicati essentialis: undè falsæ sunt istæ: *Solus Pater intelligit: solus Filius creat: solus Spiritus Sanctus gubernat*: Potest tamen adjungi respectu prædicati notionalis: Undè veræ sunt istæ: *Solus Pater generat: solus Filius generatur: solus Spiritus Sanctus spiratur.*

47. Dices: In hac Christi Domini Matt. 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius*: adjungitur dictio exclusiva *Nemo* termino personali respectu prædicati essentialis, qualis est Patris, & Filii notitia; & tamen propositio est vera, licet ab ea notitia excludatur Spiritus Sanctus; ergo &c. Respondeo cum *D. Thom. 1. p. q. 31. a. 4. ad 2. D. Bonaven. in 1. dist. 21. art. 2. q. 2.* terminum *nemo* distribuere pro Natura, non pro Persona, ideoque vera est illa: *Nemo novit Filium, nisi Pater*, quia cùm terminus *Nemo* distribuat pro Natura intellectuali, solùm excludit aliud essentialiter, & non alium personaliter: hæc autem est falsa: *Solus Pater novit Filium*, quia cùm terminus *solus* distribuat pro Persona, excludit alium personaliter.

48. Sexta regula est: Nomina partitiva, *omnis, aliquis, quilibet, quicunque, nullus*, non rectè tribuuntur in divinis termino essentiali: Undè nefas est dicere: *Omnis Deus*: ut ait Caiet. *1. p. q. 29. art. 4. ad 3.* Et ratio est, quia per hujusmodi nomina indicaremus, plures esse Deos. Dixi tamen *termino essentiali*, nam si tribuantur termino personali, rectè dices: *Omnis Persona creat: Aliqua Persona generat: Quælibet Persona intelligit: Nulla Persona discurrit.*

49. Septima regula est: In divinis utendum vocibus non solùm importantibus unitatem Essentiæ, sed etiam pluralitatem Personarum: ita tamen cautè, ut voces significantes pluralitatem non referantur ad unitatem Essentiæ: aut è contra significantes unitatem referantur ad Personas. Undè falsæ sunt hæ: *Deus est ter Deus: est geminus Deus: est ter unum: est tria*; quia numerus immediatè refert Essentiam. Istæ tamen sunt veræ: *Deus est ter unus: est trinus: est tres: est Trinitas: est trium*: quia numerus immediatè refert Personas.

50. Advertes hîc, nomen *Trinitas* ex præscripto Patrum, & Scholasticorum maximè accommodari ad hoc mysterium significandum; siquidem ut ex D. Isidor. notavit Magist. *in 1. dist. 24.* ex vi etymologiæ significat trium unitatem; sicque translatum ad Deum significat, non solùm numerum Personarum, illumque de formali, sed etiam unitatem Essentiæ, licet in obliquo. Undè quando dicitur: *Unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate*: solùm explicitè significatur, quod implicitè significat nomen *Trinitas*: Sicut igitur solius Dei proprium est, esse tres Personas ejusdem Essentiæ, ita soli Deo propriè convenit hoc nomen *Trinitas.*

51. Hinc colliges primò, falsas esse has: *Deitas est trina: Trinitas est trina*; siquidem in prima triplicatur Deitas; in secunda autem triplicatur ipsa Personarum Trinitas; est enim sensus: *In Deo sunt tres Personarum Trinitates*: quod est falsum. Neque dicas in Hymno Festi Corporis Christi dici: *Tē trina Deitas*: statim enim subjungitur: *unaque poscimus*: ubi vox *una* temperat vocem *trina*, ut supponat pro Personis.

Colliges secundò, has esse veras: *Unitas est Trina: Deus est Trinus*: prima enim est D. Aug. *lib. Meditat. cap. 30*: ibi: *O una Trinitas, & trina unitas Deus.* Deindè cùm *unitas* non solùm supponat pro unitate Naturæ, sed etiam Personarum; sunt enim tres Personarum unitates, rectè dici potest: *Unitas est trina.* Dices: Hæc: *Deitas est trina*: est falsa; ergo etiam hæc: *Deus est trinus.* Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia nomine *Deus* ex modo significandi supponitur pro Personis: at verò *Deitas* solùm supponit pro Essentia; sicque nisi addatur aliquid, quod temperet vocem *Trina*, ut supponat pro unitate Essentiæ, addita Deitati ipsam Deitatem multiplicat; efficitque sensum falsum.

Inferes: Ergo sicut Deus potest dici *Trinus*, aut *Trinitas*, poterit etiam dici *triplex.* Respondeo negando illationem: tùm quia contrarium docet Concil. Toletan. 11. *in Confess. Fidei*: *Non triplex*, ait, *Trinitas, & dici, & credi debet*: tùm quia nomina *Trinitas*, & *Trinus* sunt usu Theologorum accommodata ad significandam simul & unitatem Essentiæ, & numerum Personarum, quam significationem non habet nomen *Triplex*, nisi expresè referatur ad notionalia; tunc enim sine periculo dices: *In Deo est triplex Persona: quadruplex relatio: duplex processio: gemina spiratio activa, & passiva.* Ita D. Thom. *q. 10. de potent. art. 2.* Sic etiam licet, non absolutè de Deo, sed de Personis dicere: *In Deo est multiplex relatio: multiplicitas notionum*, aut *Personarum*: ex D. Aug. *lib. Meditat. cap. 30.* Nunquam tamen, neque cum expressa limitatione ad notionalia sunt admittenda in Deo nomina *Trinanimis*, aut *Triformis.* Neque dicas in hymno Pentecost. appellatur Spiritus Sanctus *Septiformis*: hoc enim solùm de eo dicitur in ordine ad effectus *ad extra*, qui ei appropriantur tanquam Authori sanctificationis.

52. Octava regula est: Notionalia prædicantur de nominibus essentialibus concretis, de quibus à fortiori prædicantur essentialia. Ita colligitur ex *D. Thom. 1. p. q. 29. art. 4.* Patet, quia concretum essentiale ex modo significandi supponit pro Personis; importat enim Deitatem ut in habente, sive in supposito, licet non in hoc, aut illo determinatè: sicut *homo* importat humanitatem ut in habente, cùm supponat pro individuis naturæ humanæ, licet non pro hoc, aut illo determinatè; ergo de tali concreto possunt prædicari notionalia, & à fortiori essentialia; siquidem cùm notionalia sint actus personales, possunt prædicari de nominibus Personas significantibus.

53. Hinc colliges, has esse veras: *Deus generat: Deus generatur: Hic æternus spirat: Hic immensus spiratur: Deus refertur ad Deum: Deus relativè opponitur Deo.* Dices: Hæ sunt falsæ: *Deus non generatur: Hic æternus, aut immensus non spiratur: Deus non refertur ad Deum: Deus relativè non opponitur Deo*; ergo etiam illæ erunt falsæ. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia affirmativa (quales sunt illæ,) ut sit vera, opus non est, quod universaliter conveniat subjecto secundùm omnia, in quibus reperitur ipsum subjectum, sed satis est, si ei conveniat in uno tantùm supposito existenti, ut convenit in prædictis propositionibus affirmativis: at verò negativa (quales sunt istę,) ut sit vera, secundùm nullum suppositum debet

debet ei convenire, cùm negatio sit malignantis naturæ, & omnia neget. Patet, nam reproducto Petro in duobus locis, hæc: *Petrus scribit*: erit vera, si Petrus in uno loco tantùm scribat: hæc autem falsa: *Petrus non scribit*: nam ut esset vera, debebat in nullo loco scribere. Confirmatur, quia sic etiam sunt falsæ istæ: *Filius Dei non est mortuus*: *non est sepultus*: licet possint verificari de Natura Divina: ut enim essent veræ, debebant etiam verificari de Filio Dei secundùm naturam humanam.

56. Nona regula est: Nulla actio, sive notionalis, sive essentialis significata per verbum exercitum, sive in actu exercito, potest prædicari de terminis essentialibus, aut personalibus sumptis in abstracto, nisi talis actio sit formaliter à tali principio. Patet ex illo principio Logicorum: *Omnia verba, excepto substantivo sum, es, est, sunt adjectiva, & applicata subjecto reddunt sensum formalem.*

57. Hinc colliges, has esse falsas: *Deitas generat*: *Essentia refertur*: *Intellectus spirat*: *Voluntas intelligit*: *Immensitas creat*: *Misericordia punit*: *Justitia miseretur*: siquidem enunciatur actio de subjecto sumpto in abstracto, cujus actionis subjectum ipsum non est principium formale illius, sed solùm identicum: has autem esse veras: *Intellectus intelligit*: *Voluntas vult*: *Omnipotentia creat*: *Sapientia gubernat*: *Bonitas benefacit*: siquidem in illis enunciatur actio de subjecto sumpto in abstracto, cujus actionis subjectum ipsum est illius formale principium.

58. Decima regula est: Omnis actio significata per nomen, aut verbum solùm in actu signato, potest prædicari de quacumque perfectione Divina significata sive in concreto, sive in abstracto; siquidem actio prout sic non sumitur per modum adjectivi, sed per modum substantivi; ac proindè non reddit sensum formalem, sed identicum, ideoque ad ejus veritatem sufficit sola identitas prædicati cum subjecto. Undè hæ sunt veræ: *Deitas est generatio*: *Deitas est spiratio*: *Essentia est relatio*: *Intellectus est volitio*: *Voluntas est intellectio.*

59. Undecima regula est: Perfectiones, quæ in suo conceptu involvunt secundam intentionem, non possunt de se mutuò, neque de aliis perfectionibus prædicari. Patet, quia hujusmodi perfectiones prout sic non prædicantur solùm secundùm perfectionem realem, quam dicunt ut subjectum, sed etiam secundùm eam intentionem, quam simul important; atqui secunda intentio unius non est secunda intentio alterius; ergo falsa est prædicatio unius de alia, aut de aliis, in quibus nulla secunda intentio includitur. Undè falsæ sunt hæ: *Attributum Sapientiæ est Attributum Bonitatis*: *Attributum Justitiæ est Attributum Misericordiæ*: sicque de aliis.

60. Duodecima regula est: Præpositiones, quæ dicunt habitudinem termini ad principium productivum solùm possunt tribui Personis procedentibus respectu producentium. Ita *D. Thom. 1. p. q. 41. art. 3.* Patet, quia nullus potest se ipsum producere. Undè falsæ sunt istæ: *Deitas est ex Deitate*: *Essentia ab Essentia*: *Sapientia ex sapientia.* Hæ autem sunt veræ: *Filius est à Patre*: *Spiritus Sanctus ex utroque*: *Filius est de substantia Patris*: Aliquæ aliæ regulæ poterant hîc assignari, quas non assignamus, quia hæ ut præcipuæ sufficient, ut rectum loquendi modum in hac materia teneamus. Igitur sit:

SECTIO IV.

De Constitutione Divinarum Personarum.

CUM ratio Essentiæ præcisè sumptæ non vendicet in divinis rationem Personæ, profitemur enim unam Essentiam, & tres Personas; & in his aliundè includatur Essentia; ut potè quæ verè sunt Deus, hîc agendum nobis est de constitutione harum Personarum: Pro qua sit: 61.

Difficultas 1. Utrùm in Personis Divinis detur constitutio; proprietatibusq; Personalibus constituantur? Affirmativè. Ita *Magist. in 1. dist. 26. & 27. Alexand. 1. p. q. 68. memb. 2. & 3. a. 6. Albert. 1. p. q 39. memb. 2. a. 1. D. Thom. 1. p. q. 40. art. 2. & 3. & in 1. dist. 26. q. 2. a. 2. Henricus p. 2. a 55. q. 1. ad 3. D. Bonav. in 1. dist. 26. a. unic. q. 4. & dist. 33. a. 1. q. 1. & 2 Richard. in 1. dist. 26. a. 3. q. 1. & 2. Durand. in 1. dist. 26. q. 2. num. 7. Scot. ibid. q. 1. Aureol. Carthusian. Ægid. Major Argentin. Ocham. Gabr. Marsil.* & alii, quos citat & sequitur *P. Ruiz d. 86. de Trinit. sect. 2. n. 1. P. Soar. lib. 7. de Trinit. cap. 1. n. 3. P. Molin. 1. p. q. 40. a. 2. d. 1. P. Arrub. d. III. cap. 2. P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 6. n. 8. P. Vasq. 1 p. d. 158. cap. 5. P. Amicus d. 20. sect. 1. n. 11. P. Arriaga d. 51. sect. 3. n. 14.* & alii. Probatur primò authoritate Concil. Lateran. *cap. Firmiter, de Sum. Trinit*, ibi: *Hæc summa Trinitas secundùm communem essentiam individua, secundùm personales proprietates discreta.* Et Concil. Florent. sess. 18. ibi: *Ita ut Persona constet ex substantia, & proprietatibus.* Et sess. 19. *Persona*, inquit, *constat ex divina substantia, & proprietate.* Et 6. Synodus Constantinopolit. action. 11. Deum appellat *subsistentiis, proprietatibus intellectualibus semotum, subsistentibus, numero divisibilibus.* Et Ecclesia in Præfatione de Trinit. canit: *Et in Personis proprietas*; ergo &c. 62.

Probatur secundò authoritate Sanctorum Patrum. D. Dionys. de Divin. Nomin. cap. 2. *Distincta*, ait, *& propria sunt Patris nomen, quod Essentiam superat, & res ipsa, Filiiq;, ac Spiritus.* D. Basil. hom. 28. contra Sabellianos. *Ut igitur*, ait, *perspicua tibi sit Personarum proprietas, & differentia, numera seorsùm Patrem, seorsùm quoque Filium.* D. Athan. dialog. 1. de Trinit. *Pater*, inquit, *est proprium Patris, Filius est proprium Filii, & esse Spiritum Sanctum Dei est proprium Spiritûs Sancti.* D. Ambr. in Symbol. Apostolor. cap. 10. ad illud Joan. 10. *Ego, & Pater unum sumus. Unum dixit*, inquit, *propter Naturam Deitatis: Sumus propter Personarum proprietates.* D. Aug. lib. 3. contr. Maximin. cap. 10. fin. *Propter*, ait, *uniuscujusque proprietatem tres Personæ sunt.* Idem habet serm. 38. de tempor. & lib. 83. quæst. q. 69. D. Fulgent. de Fide ad Petrum cap. 1. *Pater*, ait, *Filius, & Spiritus Sanctus Personarum sunt ab invicem proprietate distincti.* Idem habent *Gregor. Nyssen. lib. ad Ablabium. D. Nazian. orat. 1. n. 71. & orat. 32. ad 150. Episcopos, & orat. 37. D. Cyril. Alexand. lib. 1. dialogor. de Trinit. Theodoret. D. Anastas. D. Isidor. D. Hilar. lib. 4. de Trinit. & lib. 11. & 12. D. Justin. quæst. 17. ad Orthodoxos. D. Cyprian. Tertull. lib. contra Praxeam cap. 2.* & alii, quos videre licet apud P. Ruiz cit. 63.

Probatur tertiò ratione, quia de Fide est, Personas Divinas esse unum, & esse distinctas; ergo habent in quo conveniunt, nempè Essentiam omnibus 64.

omnibus communem; & habent aliquid sibi proprium, sive proprietates per quas differunt; alioqui secundùm se totas convenirent, & secundùm se totas differrent, quod ex terminis est impossibile. Confirmatur, quia si Pater v. g. non constituatur aliquo modo Naturâ, tanquam aliquo communi, & Paternitate tanquam aliquo sibi proprio, nullo modo Paternitas erit distincta à Natura; sicque verum erit dicere: *Pater, & Filius conveniunt Paternitate, & differunt Naturâ*; siquidem omninò idem esset ratio conveniendi, & differendi; hoc autem est erroneum; ergo &c.

65. Oppositum docuit Præpositivus, qui, ut refert D. Thom. hîc *q. 40. art. 1. & q. 32. art. 2.* & P. Soar. *cit. cap. 1. n. 1.* negavit esse in Deo hujusmodi proprietates, per quas Personæ Divinæ distinguantur, & constituantur, sed se ipsis constitui, & distingui. Quam doctrinam postea secutus est *Greg. in 1. dist. 22. q. 1.* Hanc tamen Sententiam dicit plusquam falsam *P. Soar. cit. n. 2.* falsam, & improbabilem *P. Tanner. cit. n. 4.* & temerariam *P. Ruiz cit. sect. 1. n. 5.* sed pro illa adhuc:

66. Argues 1. Quælibet Persona Divina est omninò simplex; sed omninò simplici repugnat ex aliquo constitui; alioqui jam esset compositum, & non simplex; ergo &c. Respondeo negando minorem, & ejus probationem: simplicitati enim non opponitur constitutio, sed compositio; siquidem latiùs patet constitutum, quàm compositum; nam licet omne compositum sit constitutum, non tamen omne constitutum est compositum. Et hujus ratio est, quia constitutio solùm importat distinctionem plurium, quæ distinctio, saltem virtualiter datur in Deo, utpotè quæ fundatur in eminentia, & æquipollentia ad plura, quæ nullam dicit imperfectionem, imò maximam perfectionem in Deo: at verò compositio importat unionem perfectivi, & perfectibilis, quæ in Deo nullum habet fundamentum, cùm omnia sint unum per identitatem, & imperfectionem argueret in Deo, ut patet ex alibi dictis, & ex dicendis patebit.

67. Instabis: Non minùs simplex est Persona, quàm Essentia Divina; sed Essentia constituitur se ipsâ, & non aliqua proprietate; ergo &c. Respondeo data majori, negando minorem ob rationem assignatam. Dixi *data majori*, nam qui admittunt in Deo compositionem virtualem metaphysicam, dicunt enim hoc nihil aliud esse, quàm continere eminenter compositionem, consequenter dicunt intra limites compositionis magis compositam esse Personam, quàm Essentiam; siquidem hæc solùm constat prædicatis absolutis; Persona autem, & absolutis, & proprietate. Attamen juxta nostram doctrinam alibi traditam, & solutionem proximè assignatam, solùm sequitur Personam constitui per identitatem ex pluribus, quàm Essentiam.

68. Argues 2. Si Personæ Divinæ non constituerentur se ipsis, sed proprietatibus, etiam sic constituerentur ex Essentia; hoc autem non est dicendum; alioqui Persona non posset de Essentia prædicari; siquidem constitutum, seu totum non potest prædicari de parte constituente; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, Personam posse de Essentia prædicari in sensu identico, licet non in sensu formali, ut supra diximus: nam quando constitutum non est tale per unionem, sed per identitatem, possunt constituens, & constitutum mutuò prædicari in sensu identico, licet constituens formaliter ut constituens de constituto, neque è contra prædicari possit.

Argues 3. Si Pater v. g. constitueretur Paternitate tanquam proprietate, sequeretur habere principium sui esse; siquidem omne constituens est principium sui constituti; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando minorem; nullum enim est inconveniens, quod Pater habeat principium virtuale sui esse; siquidem hoc non est habere principium reale, aut productivum, aut formale per aliquam compositionem sui esse, quod implicat; sed constitui diversis prædicatis, quod non repugnat; sic enim etiam Natura Divina constituitur cognoscens per Cognitionem, & volens per volitionem sine ulla repugnantia. 69

Argues 4. Si Pater v. g. constitueretur Essentiâ, & Paternitate ut proprietate, cùm hanc Filio non communicet, sequeretur non ei communicare totam substantiam, qua substantialiter constituitur, sed solam partem; hoc autem non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam: Pater enim communicat Filio totam substantiam, quatenùs ei communicat omne absolutum, quod venit nomine substantiæ, licet non ei communicet proprietatem substantialem, utpotè qua Patrem constituit substantialiter in esse relativo, non autem absoluto. Imò in contraria sententia sequeretur, Patrem aut nullam substantiam communicare Filio; aut ei communicare etiam esse relativum; nam si differt à Filio secundùm se totum sine ulla constitutione; aut communicatur Filio secundùm se totum; aut secundùm nihil; utrumque autem est hæreticum. 70

Argues 5. Si Personæ Divinæ constituerentur proprietatibus sibi propriis, per quas distinguerentur, Pater, & Filius non essent eadem res; siquidem diversum constitutum diversa res est; sed hoc est contra id, quod dicunt Concilia, & Sancti Patres; ergo &c. Respondeo Patrem, & Filium esse eandem rem secundùm absolutum, *quod dicunt* Concilia, & Sancti Patres, non autem secundùm relativum; sic enim sunt diversa res, sicut diversum constitutum, ut etiam dicunt Concilia, & Sancti Patres. 71

Argues 6. Constitutio entis per se, qualis est Deus in ratione Personæ, dicit rationem potentiæ, & actûs; in qua sola ratione fit unum per se; sed ratio potentialitatis repugnat in Deo; ergo etiam constitutio. Respondeo primò cum *P. Recupit. lib. 2. q. 19. num. 3.* negando minorem, si absolutè loquatur; non enim repugnat Deo quælibet potentialitas, sed illa tantùm, quæ recurrit cum contingentia, & involvit non esse, quatenùs quod potest sic est in potentia, potest esse, & non esse; hæc enim potentia repugnat Deo, qui simpliciter, & necessariò est: cùm tamen Essentia Divina sit determinata ad subsistendum, sive ad Personalitates, licet in ratione Essentiæ *sit in potentia* ad illas, nulla est imperfectio; siquidem cùm talis potentialitas solùm sit ad subsistendum determinatè, & Essentia determinatè subsistat, nullum involvit non esse; ac proinde non tollit rationem actûs puri, quæ consistit in eo, quod nullum involvat non esse. 72

Sed contra, quia ex hoc sequitur admittendam esse in Essentia Divina potentiam ad existendum; siquidem Essentia est etiam determinata ad existendum. Respondeo cum eodem *P. Recupit. lib. 5. q. 15. n. 3.* negando sequelam; diversa ratio est, quia potentia passiva ad existendum supponit potentiam activam à se distinctam, qua reducatur ad actum; sicut enim non existens non potest reddere existentem rem à se distinctam, ita neque se 73

ipsum

ipsum; quod autem pendet à potentia activa distincta à se, eo ipso potest esse, & non esse, quantùm est ex sua ratione, licet ratione causæ necessariò operantis, necessariò sit: Undè si Essentia Divina haberet potentiam ad existendum, jam involveret posse non esse, quod Deo repugnat: at verò non ita sit in potentia ad subsistendum; utpotè quæ non dicit ordinem ad potentiam activam distinctam, cùm jam præsupponat Naturam existentem, à quâ necessariò fluit.

74. Confirmat exemplo Intellectûs Divini, qui non admittitur in potentia ad actum intelligendi ex eo, quod talis potentia (si admitteretur) foret determinata ad intelligendum, & se ipsâ necessariò constitueretur in actu, sicque nullum involveret non esse; ergo similiter non debet admitti potentia ad subsistendum. Non placet, est enim diversa ratio, quia Intellectus Divinus, etiam in potentia, includit suum actum intelligendi in suo conceptu formali; nihil autem dicitur in potentia ad id, quod formaliter includit: at verò Essentia, cùm non ita includat Relationes, indè est quod sit in potentia ad illas; hæc autem potentialitas repugnat in Deo, ut diximus: Undè:

75. Respondeo secundò negando majorem; neque enim ad veram constitutionem entis per se requiritur ratio potentiæ, & actûs, sed satis est ratio naturæ, & termini, ut sit in Christo Domino, in quo ex natura humana, & subsistentia divina in ratione termini fit unum per se; & hoc idem reperitur in Essentia Divina, & Personalitatibus, quæ propriè non sunt actus, neque formæ ipsius Essentiæ, sed tantùm termini; sicque neque Essentia habet rationem potentiæ respectu illarum, licet cum illis constituat Personam.

76. Instabis: Admissâ constitutione in Personis divinis, quocumque modo sumatur, semper debet sumi Natura cum carentia Personalitatis, ut potè quam formaliter non includit, sicque cum potentia ad illam; ergo semper debet admitti in Deo potentialitas, quæ tamen ei repugnat. Respondeo primò repugnare Deo potentialitatem, quæ dicat carentiam actûs, vel distincti ex natura rei, vel complentis, & perficientis aliquod esse in sua ratione illius entis, quod concipitur in potentia, qualis foret intellectio respectu Intellectûs Divini, & existentia respectu Essentiæ, si conciperetur in potentia ad illas; siquidem carentia talis actûs, & existentiæ supponeret imperfectionem, & perfectibilitatem in Intellectu, & Essentia: at verò Personalitates, cùm sint actus complêtes, & perficientes Naturam in alio, & non in eodem genere, nempè in genere Personæ, indè est quod potentialitas ad tales actus nullam dicit imperfectionem; sicque illam non dicit constitutio. Respondeo secundò negando antecedens; licet enim Natura non includat Relationes formaliter, non ideò concipitur in potentialitate ad illas, quia saltem eas continet eminenter, & ad illas ut terminos, quibus in ratione Naturæ subsistit, ordinatur, & non ut ad formas, quibus ut subjectum informetur, quod necessarium erat, ut diceretur habere potentialitatem ad illas, ut cernitur in creatis.

77. Argues 7. Si quævis Persona Divina præter naturam communem haberet suam proprietatem, cùm nihil sit in Deo, quod Deitas non sit, proprietas hæc esset etiam Deitas; sed hoc non est dicendum; alioqui, cùm essent tres proprietates diversæ, tres etiam essent diversæ Deitates præter illam omnibus communem, & unaquæque Persona posset dici alius Deus ab alia, sicut dicitur alia Persona; ergo &c. Resp. Deitatem solùm convenire proprietatibus ratione Essentiæ, prout supra diximus: cùm autem Essentia non multiplicetur ad multiplicationem Relationum, neque sic multiplicatur Deitas; ac proindè non potest dici dari in Deo tres Deitates, sicut non dicitur, dari in Deo tres Essentias.

78. Argues 8. Aut talis constitutio esset realis à parte rei; aut intentionalis, & per rationem: Non primum; siquidem proprietates, & Natura à parte rei sunt idem; ejusdem autem ad se ipsum non datur constitutio realis: Non secundum; alioqui constitutum erit quid fictum; siquidem tale est constitutum, qualis est constitutio; ergo &c. Respondeo argumentum hoc tangere difficultatem specialem, & hic specialiter examinandam: pro qua sit:

79. Difficultas 2. Utrùm hæc constitutio Personarum Divinarum sit realis: an rationis? Dico 1. Personæ Divinæ non constituuntur proprietatibus à parte rei constitutione reali, aut modali. Est contra Gilbertum Porretanum, de quo supra, asserentem Relationes divinas distingui ex natura rei realiter à Natura Divina, cujus error damnatus fuit in Concil. Rhemens. ut supra vidimus. Et contra *Durand. in 1. dist. 33. q. 1. & dist. 34. q. 2.* docentem Relationes distingui à Natura distinctione ex natura rei modali, cujus etiam sententiam supra rejecimus.

80. Probatur, quia constitutio importat diversitatem plurium constituentium; sed in qualibet Persona non dantur plura realiter, neque modaliter; ergo neque constitutio realis, aut modalis. Confirmatur primò, quia sicut se habet distinctio, ita se habet constitutio; sed in Personis divinis non datur distinctio realis, neque modalis inter Naturam & Relationes, ut supra diximus; ergo neque constitutio. Secundò, quia in Divinis non datur compositio realis; ergo neque constitutio.

81. Dico 2. Personæ Divinæ non constituuntur proprietatibus solâ constitutione rationis. Est contra *Capreol. in 1. dist. 26. quæst. 1. art. 3. Ferrar. 4. contra gentes cap. 26. Cajet. 1. p. q. 40. a. 2. ad 1. P. Molin. 1. p. q. 40. art. 2. d. 1 P. Valent. 1 part. q. sua 14. punct. 2. P. Vasq. 1. p. d. 158. cap. 2. num. 5.* quos citat & sequitur *P. Ruiz d. 86. de Trinit. sect. 4. n. 5. & 6.* Probatur, quia in Persona Divina constare Naturâ, & proprietate non est aliquid fictum per rationem; siquidem à parte rei constat Naturâ communicabili, & proprietate incommunicabili; sicque à parte rei, neque est adæquatè communicabilis, neque adæquatè incommunicabilis; ergo illius constitutio ex Natura, & proprietate non est solius rationis. Confirmatur, quia Patres absolutè docent, Personas Divinas constitui proprietatibus, ut supra vidimus; sed Patres non loquuntur, nec mentionem faciunt de constitutione rationis; neque hæc absolutè est vera constitutio, sed ficta; ergo &c.

82. Dico 3 Personæ Divinæ constituuntur à parte rei constitutione virtuali, hoc est ita se habent intrinsecè, ac si realiter constituerentur. Ita *P. Soar. lib. 7. de Trinit. cap. 3. n. 9. & cap 7. n. 9. P. Arrub. d. 111. cap. 3. n. 12. P. Granad tract. 12. d. 1. P. Præpositi. q. 29. a. 4. dub. 1. num. 8. P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 6. n. 32. Zuniga d. 15. dub. 3. P. Arriaga d. 51. sect. 3. n. 16. P. Compton. tom. 1. d. 58. sect. 1. n. 6.* & alii. Probatur, quia Personæ Divinæ aliquo modo constituuntur, ut patet ex dictis; sed non constituuntur realiter, neque modaliter, neque solùm per rationem, & extrinsecè, ut diximus; ergo à

parte rei virtualiter intrinsecè. Confirmatur, quia in qualibet Persona Natura, & ejus proprietas distinguuntur à parte rei virtualiter intrinsecè, ut supra diximus; sed qualis est distinctio constituentium, talis est constitutio; ergo &c.

83. Objicies 1. Idem est constitutivum, & distinctivum; sed proprietates distinguunt realiter Personas; ergo illas realiter constituunt. Respondeo Personas distingui quidem realiter proprietatibus, illis tamen realiter non constitui; licet enim idem sit constitutivum, quod distinctivum, potest tamen esse distinctivum realiter, & constitutivum virtualiter; siquidem distinctivum comparatur ad aliam Personam distinctam: at verò constitutivum comparatur ad eandem Personam, quam constituit, à qua cùm non distinguatur realiter, sed solùm virtualiter ex natura rei, non realiter, sed solùm virtualiter eam constituit. Patet in Petro v. g. qui distinguitur realiter à Paulo; & tamen in se non constituitur realiter ex natura communi, & differentia individuante, sed solùm virtualiter per rationem.

84. Objicies 2. Talis est constitutio, qualis est distinctio plurium constituentium; sed Natura, & proprietates à parte rei sunt idem, & solùm per rationem sunt plura; ergo solùm per rationem constituunt Personam. Respondeo Naturam, & proprietates esse quidem à parte rei idem realiter, & solùm per rationem esse plura formaliter; adhuc tamen esse plura à parte rei virtualiter, & sic constitutionem esse virtualem à parte rei intrinsecè, & non per rationem.

85. Instabis: Ut se habent partes componentes ad compositionem; ita constituentes ad constitutionem; sed ejusdem ad se ipsum non datur compositio realis; ergo neque ejusdem ad se ipsum potest dari constitutio realis. Respondeo argumentum solùm probare, constitutionem non esse realem defectu distinctionis realis; sicut non potest dari compositio realis absque distinctione reali inter partes componentes: cùm tamen in Persona constituta dentur partes constituentes à parte rei virtualiter distinctæ, datur etiam constitutio à parte rei virtualis.

86. Objicies 3. Petrus v. g. constituitur naturâ, in qua convenit, & differentiâ, in qua differt à Paulo, solùm constitutione virtuali extrinseca, seu rationis cum fundamento; ergo etiam Persona Divina, nempè Pater sic constituetur Naturâ, in qua convenit, & Paternitate, in qua differt à Filio. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Petrus solùm per rationem, & non à parte rei constituitur actu naturâ communi, aut communicabili, & differentiâ incommunicabili: Unde sicut solùm per rationem cum fundamento convenit in natura, & simpliciter differt, ita ejus constitutio ex natura, & differentia solùm est per rationem cum fundamento: at verò Persona Divina constat Natura singulari actu communicabili à parte rei, & proprietate actu à parte rei incommunicabili, quod stare non potest absque constitutione à parte rei, saltem intrinsecè virtuali.

SECTIO V.

Vtrùm in Personis Divinis admittatur compositio: iisdemq; proprietatibus distinguantur, quibus constituuntur?

DIFFICULTAS 1. Utrùm in Personis Divinis admittenda sit compositio, sicut admittitur constitutio? Advertes primò non esse quæstionem, an omnes tres Divinæ Personæ componant numerum ternarium, jam enim diximus Trinitatem esse quid simplex; siquidem cùm omnes tres Personæ sint idem in Essentia Divina, non est admittenda compositio, quæ quidem simplicitatem minueret. Accedit, quia si hoc totum componeretur ex Personis tanquam ex partibus, sequeretur, Personam esse aliud, & aliud, & vendicare distinctas Essentias, ut se habent materia, & forma ad compositionem realem, quâ quidem ratione utuntur Patres ad statuendam simplicitatem divinam; ergo cùm Personæ includant Essentiam, non possunt vendicare rationem partium, quæ semper sunt aliud à toto, & inter se. 87

Advertes secundò, quæstionem solùm procedere de qualibet Persona Utrùm scilicet in illa admittenda sit compositio ex Natura, & Personalitate; non quidem realis; siquidem cùm ibi non detur distinctio realis, neque etiam dari potest compositio realis, sed procedit quæstio de compositione rationis. Hoc posito. 88

Negativa conclusio tenenda est. Ita *D. Nazian. or. 32. & 35. D. Irenæus lib. 2. adversus hæres. cap. 48. D. Justin. q. 129 ad Orthodox. D. Athan. dialog. 1. cont. Anomæum D. Basil. 1. contra Eunom. D. Chrysost. serm. de Trinit. D. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 6 & 7. & lib. 11. de Civit. cap. 10. D. Ambr. in symbol. cap. 1. & lib. 1. de fide cap. 7. D. Fulgent. ad objection Arianor. respons. ult. D. Bernard. lib. 5. de considerat. ad Eugenium. Magist. in 1. dist. 19. & 24. D. Thom. 1 p. q. 30. a. 1. ad 4. D. Bonav. in 1. dist. 19. p. 2. a. 1. q. 1. Richard. ibidem dist. 19. a. 3. q. 2. Carthusian. dist. 19. q. 3. Durand. ibid. q. 4. Aureol. dist. 19. p. 2. a. 3. P. Ruiz d. 38. sect. 1. n. 6. P. Arrub. d. 11. cap. 4. num. 16.* Probatur, quia compositio propriè sumpta, prout addit supra constitutionem, non solùm dicit distinctionem compositi à partibus, & partium inter se, sed etiam dicit dependentiam ab ipsis partibus, & perfectibilitatem in ordine ad illas; sed in divinis implicat quævis dependentia & perfectibilitas; ergo etiam compositio. Vide quæ diximus in Phys. *tr. 2. d. 2 à n. 238.* 89

Dicent, compositionem rationis præscindere à ratione dependentiæ. Sed contra primò, quia sublatâ dependentiâ, jam non erit compositio, sed pura constitutio. Secundò, quia compositio realis dicit dependentiam realem; ergo compositio rationis dicet dependentiam rationis. Confirmatur, quia compositio realis ex eo, quod talis sit, non præscindit à dependentia reali; ergo compositio rationis ex eo, quod talis sit, non præscindet à dependentia rationis. 90

Oppones 1. cum *P. Vasq. 1. p. d. 121. cap. 3. n. 11.* Componere nihil aliud est, quàm simul cum alio aliquid ponere; sed in Persona Divina concipimus Essentiam simul positam cum Paternitate, quas distinguimus

distinguimus; ergo in Personis datur compositio rationis. Resp negando majorem; compositio enim, prout addit supra constitutionem, dicit intrinsecam dependentiam rei compositæ à partibus componentibus; implicat autem, quod nos apprehendendo Personam Divinam simplicem, & independentem, illam concipiamus cum dependentia à partibus componentibus, etiam per rationem; licet enim compositio, sive dependentia rationis non pugnet cum simplicitate & independentia reali, quæ est in Deo à parte rei; pugnat tamen cum simplicitate, & independentia objectiva per rationem; Deus autem, sive Persona divina, neque per rationem debet concipi cum dependentia; alioqui cum imperfectione conciperetur.

92. Oppones 2. Distinctio rationis benè compatitur cum unitate Dei; ergo etiam compositio rationis cum illius simplicitate. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia fundamentum distinctionis in Deo est eminentia, quæ perfectionem dicit, ideoque stare potest cum perfecta unitate Dei: at verò fundamentum compositionis est potentialitas, sive perfectibilitas, quæ dicit imperfectionem in parte perfectibili; sicque implicat cum simplicitate Divina. Vide in Phys. loco cit.

93. Difficultas 2. Utrùm Personæ Divinæ iisdem proprietatibus distinguantur, quibus constituuntur? Affirmativè. Ita *Henricus quodlib. 5. q. 9. Bachon. in 1. dist. 13. q. 1. Scot. in 1. dist. 11. q. 2. Gregor. ibid. q. 1. art. 2. Gabr. q. 2. art. 2. & 3. Carthusian. dist. 11. q. 2. Richard. art. unico q. 2. Aureol. P. Soar. lib. 7. de Trinit. cap. 4. num. 2. P. Valent. 1. p. q. 10. punct. 3. P. Tanner. 1. p. d. 4. q. 3. dub. 6. n. 13. P. Ruiz d. 68. de Trinit. sect. 8. n. 6. P. Mol. 1. p. q. 36. art. 2. d. 3. §. secundo modo. P. Compton. tom. 1. d. 58. sect. 2. num. 1. P. Granad. tract. 12. d. 2. Ægid. d. 4. dub. 6.* & alii. Probatur primo authoritate Concil. Florent. *orat. pro unione*: ibi: *Per relationes distinguuntur, per quas etiam constituuntur Personæ Divinæ.* Confirmatur ex Patribus passim docentibus, idem esse distinctivum, & constitutivum Personarum; ergo &c.

94 Probatur secundò rationibus: Prima ratio est, quia constitutivum cujusque entis est, quod illud constituit unum in ratione entis; sed illud dicitur unum, quod est indivisum in se, & divisum à quovis alio; ergo implicat esse constitutivum speciale, & non esse distinctivum; ergo Personæ Divinæ per illud specialiter distinguuntur, per quod specialiter constituuntur. Confirmatur terminis non significativis, quia nulla alia ratio potest assignari, cur v. g. *A.* non sit *B.* nisi quia *A.* constituitur *A.* per id, quod non constituit *B*; ergo per id, quo constituitur res, etiam distinguitur, sive ejus constitutivum est illius distinctivum.

95. Secunda ratio est, quia Personæ divinæ constituuntur propriis subsistentiis; sed iisdem etiam distinguuntur; alioqui non essent tres termini incommunicabiles, hoc est realiter distincti; ergo &c. Tertia ratio est, quia Pater constituitur Paternitate, & Filius Filiatione, & Spiritus Sanctus spiratione passiva; sed etiam per illas distinguuntur; ergo iisdem proprietatibus distinguuntur, quibus constituuntur. Probatur minor, quia distinguuntur per id, in quo opponuntur; sed opponuntur in prædictis proprietatibus; siquidem Paternitas opponitur Filiationi, & è contra; & utraque Spiritui Sancto, saltem remotè, & radicaliter: tùm quia Spiritus Sanctus, prout procedit exigit oriri à duplici suppositio, quod supponit constitutum, & incommunicabile: tùm quia alioqui non posset assignari ratio, cur Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva distinguerentur realiter: tùm denique quia alioqui Paternitas, & Filiatio communicarentur Spiritui Sancto; siquidem quæ non opponuntur, communicantur; ergo &c. 96.

Quarta ratio est, quia de ratione ultimi constitutivi alicujus rei est determinare prædicatum illius commune, non relinquendo illud indifferens, & commune aliis; sed si talis res non distingueretur ab aliis, jam communicaret cum illis; ergo per quam rationem fit non communis aliis, per eandem fit ab illis distincta; sed fit non communis per rationem, per quam determinatè constituitur; ergo per eandem distinguitur ab aliis, & constituitur in se; ergo Personæ Divinæ iisdem proprietatibus distinguuntur, quibus constituuntur.

Oppositum tenent *Durand. in 1. dist. 11. q. 2. ad 2. & dist. 12. n. 23. & 24. Capreol. in 1. dist. 11. art. 2. Ferrar. 4. contr. gent. cap. 24. & 26. Cajet. 1. p. q. 36. art. 2. Canar. ibid. Banneż. Argent. in 1. dist. 27. q. 1. art. 3. P. Molin. 1. p. q. 36. art. 2. d. 3. §. præcipua difficultas. P. Vasq. 1. p. d. 147. cap. 7. n. 34. & cap. 8. & alii apud P. Ruiz cit. n. 2.* pro quibus: Objicies 1. Illud principium *per id res distinguitur, per quod constituitur*, solùm est verum, ubi constitutio est realis; sed talis non est constitutio Personarum divinarum; ergo &c. Respondeo primò data majori, negando minorem, in qua falsò supponitur, constitutionem Personarum esse solius rationis, quod supra negavimus *num. 81.* licet enim non sit à parte rei realis, est tamen à parte rei virtualiter, ut supra divimus *n. 82.* 97.

Respondeo secundò negando majorem; tale enim principium etiam est verum in constitutione rationis; nam species per rationem constituitur; & tamen differentia illius, quâ constituitur, eam simul distinguit. Accedit, quod, ut Persona constituta, nempè Pater distinguatur per Paternitatem ab omni alio, nihil facit, quod Paternitas sit distincta, aut indistincta realiter ab Essentia. 98.

Objicies 2. Licet principium illud valeat in rebus absolutis, non ita valet in relativis; siquidem relatio solùm distinguit ab oppositio; sed Personæ divinæ constituuntur Relationibus; ergo per illas non distinguuntur. Respondeo negando majorem, & ejus probationem; nam sicut res absoluta per id, quo constituitur in se, distinguitur ab omni alio, quod ipsa non est; ita etiam distinguitur relativa. Patet in paternitate creata, quæ non solùm distinguitur relativè à filiatione sibi opposita, sed etiam ab omni alio, quod ipsa non est, nempè à nigredine, albedine, &c. verè enim dicimus: *paternitas non est albedo*: & verè etiam intelligitur, paternitatem existere, quin existat albedo, quæ sunt signa distinctionis realis; undè sic etiam Paternitas in Divinis, non solùm distinguitur relativè à Filiatione sibi oppositâ, sed etiam ab omni alio. Confirmatur, quia Personæ divinæ constituuntur per relationes tanquam per Personalitates; sed de ratione Personalitatis est, quod sit incommunicabilis alteri termino; ergo per relationes distinguuntur Personæ divinæ, non solùm à sibi oppositis, sed etiam ab omni alia Persona. 99.

Objicies 3. Natura humana Petri v. g. distinguitur realiter à natura humana Pauli; & tamen talis 100.

talis distinctio non ei provenit à rationali, per quod constituitur; ergo illud principium: *per id res distinguitur, per quod constituitur*: non est verum. Respondeo negando consequentiam: rationale enim non est ultimum constitutivum Petri, sed hominis, cujus etiam est distinctivum: & sic est petreitas distinctivum Petri, sicut est illius constitutivum. Undè Hypostasis divina absolutè non est distinctiva Patris v. g. sed talis Hypostasis, nempè Paternitas.

101. Objicies 4. Personæ divinæ constituuntur subsistentiis, & distinguuntur Relationibus; sed subsistentia, & Relatio sunt formalitates diversæ; ergo Personæ divinæ non distinguuntur per id, quo constituuntur. Respondeo primò subsistentias, & Relationes non distingui virtualiter intrinsecè, neque esse in se formalitates diversas, sed solùm distingui quoad nos secundùm conceptus magis, aut minùs expressos: sicque constitui subsistentiis expresè, est constitui Relationibus confusè; & distingui Relationibus expresè, est distingui subsistentiis confusè.

102. Respondeo secundò data majori, & minori, negando consequentiam; dato enim, quod subsistentia, & Relatio sint formalitates diversæ per rationem propriè distinctæ, saltem metaphysicè, adhuc Personæ divinæ distinguentur formalitatibus subsistendi, quibus constituuntur, prout hæ sunt identicè Relationes, & mutuò cum illis convertibiles; de hoc tamen pleniùs infrà.

103. Objicies 5. Filius in divinis constituitur Filiatione; & tamen per illam non distinguitur ab Spiritu Sancto, ab illo enim distinguitur per productionem, nempè spirationem activam; siquidem si illum non produceret, ab illo non distingueretur juxta communiorem sententiam, de qua infrà; ergo non distinguitur per id, quo constituitur. Respondeo primò negando minorem; falsò enim supponitur, Filiationem non esse idem cum productione; cùm ergo sint idem, & Filius distinguatur ab Spiritu Sancto per productionem, verum adhuc est ab illo distingui per id, quo constituitur.

104. Respondeo secundò negando eandem minorem: Pater enim, & Filius distinguuntur ab Spiritu Sancto, non solùm spiratione activa, sed etiam Paternitate, & Filiatione; nam licet spiratio activa sit formalis, & immediata oppositio spirantis ad spiratum; Paternitas tamen, & Filiatio etiam sunt respectu Spiritûs Sancti oppositio radicalis, & mediata, quatenùs sunt termini incommunicabiles, constituunt principium *quod* spirativum, & mutuò convertuntur cum spiratione activa, quam necessariò exigunt, & ratione cujus opponuntur etiam spirationi passivæ. Undè licet Spiritus Sanctus, si à Filio non procederet, ab illo non distingueretur, esset quia in eo eventu, non solùm non daretur oppositio formalis, sed neque daretur oppositio illa radicalis, nempè talis Paternitas, & Filiatio, qui exigerent spirationem activam, cum qua converterentur.

105. Instabis: In eo eventu impossibili, quo Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc Filius verè constitueretur illa Filiatione, licet diversâ ab hac, quam de facto habet; & tamen per illam sic constitutus non distingueretur realiter ab Spiritu Sancto; ergo principium constitutivum non est distinctivum. Respondeo nos non affirmare, principium constitutivum debere necessariò esse distinctivum, sed solùm dicere, dato, quod res constituta distinguatur, debere distingui per id, per quod constituitur: cùm autem in ea suppositione impossibili Filius non distingueretur ab Spiritu Sancto, sed esset idem cum illo, ut de facto est idem cum Essentia, nihil mirum, quod illius constitutivum non sit ejus distinctivum, neque distinguatur ab Spiritu Sancto in facta suppositione per Filiationem, sicut modò de facto dicimus non distingui ab illo per Essentiam, cum qua est idem.

106. Objicies 6. Si Filiatio, quia à parte rei includit spirationem activam, distinguitur radicaliter ab Spiritu Sancto, & spiratione passiva, etiam sic ab illa distinguetur Essentia, utpotè quæ etiam includit ipsam spirationem activam; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud. Respondeo negando majorem quoad secundam partem; diversa ratio est, quia oppositio, ac proindè distinctio realis, quæ in oppositione fundatur, est prædicatum repugnans Essentiæ, utpotè essentialiter communicabilis, & idem cum omnibus Relationibus, ideoque licet sit idem cum spiratione activa, quæ opponitur passivæ, ex illa non participabit prædicatum oppositionis, & distinctionis, quod ei repugnat: at verò respectu Filiationis non est prædicatum repugnans, utpotè incommunicabilis, sicque poterit ei convenire ratione spirationis activæ, quam includit.

107. Objicies 7. Spiratio activa non distinguitur à Paternitate, neque mediante Filiatione, quam tamen exigit essentialiter; ergo neque Paternitas, & Filiatio distinguentur realiter ab Spiritu Sancto, etiam mediante spiratione activa, licet illam necessariò exigant. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia spiratio activa, utpotè communicabilis Patri, & Filio, non exigit Filiationem, ut per illam opponatur Patri, & ab illo distinguatur, sed ut per *illam completur in ratione principii spirativi partialis*: at verò Paternitas, & Filiatio, utpotè incommunicabiles, postulant spirationem activam, ut per eam formaliter opponantur passivæ, & ab Spiritu Sancto distinguantur. Accedit, quod spiratio activa non exigit essentialiter esse terminum Paternitatis; exigunt tamen Paternitas, & Filiatio respectu spirationis passivæ.

108. Instabis: Natura Divina etiam exigit spirationem activam, imò & alias Relationes oppositas; & tamen non ideò distinguit Personas radicaliter; ergo licet Paternitas, & Filiatio exigant spirationem activam, non ideò distinguent Patrem, & Filium ab Spiritu Sancto radicaliter. Respondeo distinguendo majorem: Natura Divina exigit spirationem activam, & alias Relationes oppositas ut quid communicabile, & non ultimò terminatum; concedo majorem: ut terminus ultimus, seu ut suppositum incommunicabile; nego majorem; sola autem exigentia suppositi propter incommunicabilitatem alteri suppositi includit oppositionem radicaliter. Et hujus ratio est, quia Natura Divina ita exigit spirationem activam, ut simul exigat passivam: at verò Paternitas, & Filiatio ita exigunt spirationem activam, ut quia sunt subsistentiæ, respuant spirationem passivam.

SECTIO

SECTIO VI.

Utrùm Proprietates constituentes, & distinguentes Personas sint absolutæ: an Relativæ?

109. PERSONAS Divinas constitui proprietatibus absolutis tenuit *Guillerm. Parisiens. tract. de Trinit. Ripa in* 1. *dist. 26. & 27.* & alii apud Doctores infra citandos, & hanc sententiam ut probabilem voluit defendere *Scot. in* 1. *dist. 26. q.* 1. §. *Tertia opinio*; eandemque secuti sunt aliqui Recentiores, quos tacito nomine refert *P. Ruiz d. 87. de Trinit. sect.* 1. *n. 9.* Advertes tamen prædictos Authores non negare in Deo Relationes reales, quibus Personæ divinæ formaliter opponuntur, & distinguuntur, sed in qualibet proprietate distinguere rationem formalem subsistendi à ratione formali originis, & Relationis, dicereque Personas divinas constitui per illam primam formalitatem tanquam per aliquid absolutum, cui superadvenit ratio originis, & Relationis.

110. Hanc tamen sententiam appellavit Bannez hæreticam: Carthusian. erroneam: P. Ruiz temerariam, periculosam, & errori proximam: Idem sentit P. Arrub. licet P. Soar. solùm illam dicat improbabilem; & P. Vasq. non posse damnari, si loquatur de solo constitutivo, non autem de distinctivo; siquidem putat hæc esse separabilia. Ego autem perspectis authoritatis, & rationum momentis existimo esse prorsùs periculosam; ejus tamen fundamenta infra proponam, & dissolvam: Igitur:

111. Conclusio sit: Proprietates constituentes Personas Divinas non sunt absolutæ, sed relativæ. Ita *D. Thom.* 1. *p. q. 40. art. 2. & de potent. q. 8. art. 3. Durand. in* 1. *dist. 26. q.* 1. *n. 14. Caiet. Bannez. Canar. P. Molin. P. Valent. ad locum cit. D. Thom. Richard. Ocham. Gabr. Ægid. Henricus, P. Soar. lib. 7. de Trinit. cap. 5. n. 5. P. Vasq.* 1. *p. d. 158. cap. 5. P. Arrub. d.* 111. *cap. 5. d. 21. R. Ruiz d. 87. de Trinit. sect. 2. P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 6. n. 15. P. Præpositt. q. 29. art. 4. dub. 1. P. Amicus d. 20. sect. 2. num. 32. P. Arriaga d. 51. sect. 3. num. 17. P. Granad. tract. 12. d. 3. sect. 4. P. Compton. tom. 1. d. 58. sect. 2. n. 5.* & alii apud citatos. Probatur 1. authoritate Sacræ Scripturæ Matth. 28. 10. ibi: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: ubi Christus Dominus propriis nominibus, ut notant Patres, Personas divinas significavit; sed nomina illa sunt relativa, & non absoluta; ergo &c. Confirmatur, quia in Sacra Scriptura nunquam Personæ divinæ significantur nominibus absolutis, sed relativis; ergo signum est non constitui in suo esse personali per aliquid absolutum, sed per relativum; quis enim ut Petrum v. g. significaret nunquam ejus proprium nomen usurparet, sed aliud accidentale, & discreptivum?

112. Probatur secundò ex Concil. Later. *cap. Firmiter. de sum. Trinit.* ubi primùm nominat Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum sub his nominibus, & subjungit, *Trinitatem esse discretam per proprietates*, indicans has esse easdem, quæ illis nominibus significantur; significantur autem ut quid relativum. Et Concil. Florent. *sess. 18.* §. *Dixi equidem. Relatio*, inquit, *apud omnes tam Græcos, quàm Latinos Doctores Personas multiplicat.* Et *orat. pro unione*: *Per Relationes*, ait, *distinguuntur, per quas etiam constituuntur divinæ Personæ.* Idem habetur in Concil. Toletan. 11. *in confess. fidei cap.* 1. & Concil. Vormacien. *in confess. fidei*, ibi: *Quod Pater est, non ad se, sed ad Filium dicitur*: ex quibus satis constat Personas divinas non aliquo absoluto, sed relativo constitui.

113. Probatur tertiò authoritate Sanctorum Patrum *D. Nazianz. orat. 37. de Theologia. Ex his verbis*, ait, *quod genitus non sit, & quod genitus, & quod procedat, effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus appelletur.* Et D. Cyril. Alex. *lib. 2. Thesaur. cap. 3. & lib. 7. cap.* 1. ibi: *Sola diversitate Relationis, quæ diversis nominibus significatur, nec aliâ re ullâ distinguuntur.* Et D. Aug. *lib. 5. de Trinit. cap. 5.* docet *In Deo non esse, nisi substantiam, id est Essentiam, & Relationem, & quidquid ad se, & non ad aliud dicitur ad Essentiam pertinere*: & sæpè alibi, ex quo patet, quod proprium Personæ est, non esse quid absolutum, sed relativum. Idem tenent *D. Greg. Nyssen. lib. ad Ablabium. D. Damascen. lib.* 1. *Fidei cap.* 11. *D. Ansel. de Incarnat. Verb. cap. 3. D. Fulgent. ad* 1. *objection. Arianor. D. Athan. Dialog.* 1. *de Trinit. D. Hilar. lib.* 11. *de Trinit. D. Basil. contr. Eunom. & alii apud P. Ruiz cit.*

114. Probatur quartò rationibus: Prima ratio est, quia proprietas Personalis eo ipso, quod talis est, est incommunicabilis: tùm quia ita est expressum in Conciliis, & Sanctis Patribus: tùm etiam, quia quod est proprium, non potest esse commune; alioqui esset, & non esset proprium: esset, ut supponitur: non esset, quia alteri conveniret; sed nullum absolutum in Deo est incommunicabile: tùm quia ita constat ex Conciliis, & Sanctis Patribus, quatenùs docent, solam Relationem multiplicare Trinitatem; si autem Personæ haberent proprietates absolutas incommunicabiles, etiam his Trinitas multiplicaretur, ut patet: tùm etiam, quia Pater omnia communicat Filio præter esse Patrem, ut etiam docent Concilia, & Sancti Patre; esse autem Pater relativum est, & non absolutum; ergo nullum absolutum est proprietas personalis.

115. Confirmatur, quia omnis incommunicabilitas provenit ex limitatione, aut ex oppositione; sed in Deo non potest provenire ex limitatione; cùm sit ens simpliciter infinitum; ergo ex oppositione; non privativâ, aut contradictoriâ, cùm versetur inter extrema, sive proprietates positivas; non contrariâ, utpotè quæ provenit ex imperfectione, & incapacitate subjecti ad formas contrarias; hæc autem imperfectio in Deo esse non potest; ergo ex sola oppositione Relativa; ergo proprietates solùm sunt relativæ, & non absolutæ, cùm sola relativa, & non absoluta sint incommunicabilia.

116. Secunda ratio est, quia si proprietates personales essent quid absolutum; aut hoc absolutum communicaretur omnibus Personis; aut non: Si primum; ergo non esset earum proprium, cùm esset omnibus commune: Non secundum: tùm, quia conceptus absolutus entis divini dicit perfectionem simpliciter simplicem; omnis autem perfectio simpliciter simplex communicabilis est omnibus tribus Personis: tùm etiam, quia jam aliqua perfectio absoluta, & simpliciter esset in una Persona, quæ non esset in alia, quod non est dicendum; ergo &c.

117. Tertia ratio est, quia cùm Pater omnia, quæ habet, dederit Filio præter esse Patrem, Filius est prorsùs unum, & idem per omnia, quod Pater,

illo excepto, quod non est Pater; sed non ita esset, si Pater non constitueretur Pater formaliter per hoc, quod est esse Patrem, sed per aliam formalitatem absolutã; siquidem cùm talis formalitas constitutiva Patris non posset convenire Filio, Pater non esset per omnia prorsùs idem cum Filio præter esse Patrem, quia præter esse Patrem, adhuc haberet illam formalitatem absolutam, secundùm quam Filius non esset omninò idem, quod Pater; ergo &c.

118. Oppositum, ut diximus, tenuit *Guillerm. Parienſ. tract. de Trinit. Ripa in. 1. diſt. 26. & 27. Scot. in 1. diſt. 26. q. 1. §. Tertia opinio. Linconienſ. Lichet.* & aliquo modo tenuerunt *Ocham. in 1. diſt. 30. q. 4. Gabr. in 1. diſt. 30. q. 4. a. 1. & Gregor. in 1. diſt. 28. q. 2.* Pro quibus. Argues 1. Salomon Proverb. 30. 4. ad Patrem, & Filium Deum alludens: *Quod eſt*, inquit, *nomen ejus*, id est Patris, *& quod nomen Filii ejus, ſi noſti?* Ergo si quærit nomina propria Personarum Patris, & Filii ejus, consequens est, ut nomina relativa Patris, & Filii non sint eorum propria, sed alia, nempè absoluta nobis ignota. Resp. dato, quod ibi sermo sit de Patre, & Filio in Divinis (quod aliqui Interpretes negant) Salomonem solùm velle, Deum, & Personas Divinas esse ineffabiles, & ideò nullum nomen perfectè, & comprehensivè earum dignitatem nobis explicare.

119. Argues 2. D. Aug. *lib. 7. de Trinit. cap. 6.* docet, Personam Patris non ad Filium, aut ad Spiritum Sanctum, sed ad se dici; ergo Pater non dicit aliquid relativè, sed absolutè. Respondeo D. Aug. loqui de Persona Patris secundùm suum significatum formale, & commune, quo sensu præscindit ab absoluto, & relativo; non autem secundùm significatum materiale, & determinatum, quo sensu in Divinis dicit Relativum, in creatis autem absolutum.

120. Argues 3. Idem D. Aug. loco proximè citato: *Non aliud eſt*, inquit, *Deo eſſe, aliud Perſonam eſſe, ſed omninò idem*; sed esse Dei est quid absolutum; ergo etiam quid absolutum dicit Persona. Respondeo D. Aug. solum voluisse, eandem omninò esse Essentiam Dei, & Personæ; non autem quod Persona in ratione Personæ constitueretur aliquo absoluto, nempè Deitate, sicut constituitur Deus in ratione Dei.

121. Argues 4. Relationes supponunt extrema constituta: tum quia relatio est ad aliud; priùs autem est, rem esse in se constituam, quàm ad aliud ordinari: tum etiam quia relationes non referunt se ipsas, sed extrema, nempè Personas; sed extrema Relationum Divinarum sunt Personæ Divinæ; ergo tales Relationes supponunt Personas constitutas; non aliis relationibus; alioqui daretur processus infinitus; ergo proprietatibus absolutis.

122. Respondeo majorem esse veram in creatis, non autem in Divinis; diversa ratio est, quia relationes creatæ sunt accidentia, quæ proinde non constituunt extrema, sed eis constitutis adveniunt: at verò Relationes Divinæ sunt perfectissimæ substantiæ, ideòque extrema, sive Personas constituunt. Undè ad primam probationem majoris dicimus, priùs esse rem constitui in se, quàm ad aliud ordinari, quando ordinatio est accidentalis, ut est in extremis creatis: non autem quando ipsum ordinari est de ratione formali, & constitutivâ extremi, ut est de ratione Personæ Divinæ ad aliam ordinari. Ad secundam dicimus, Relationes Divinas constituentes Personas referendo se ipsas referre Personas; siquidem non referunt ut accidentales, sed ut perfectissimæ substantiæ.

Argues 5. Relationes terminantur ad absolutum; siquidem idem est terminus Relationis, qui est terminus productionis; terminus autem productionis est absolutus, nam ex Philosopho *Ad relationem non eſt per ſe motus*; sed terminus Relationis Divinæ est Persona; ergo hæc est quid absolutum. Resp. data majori (quam aliqui negant, ut alibi diximus) in creatis, illam tamen negando in divinis; diversa ratio est, quia relationes creatæ, cùm sint accidentales, supponunt extrema distincta, quæ referuntur, & terminant: at verò Divinæ, cùm sint subsistantiales, non supponunt, sed faciunt distinctionem extremorum; sola enim Relatio distinguit, ut docent Concilia, & Sancti Patres. Et hujus ratio est, quia in creatis distinctio provenit ex limitatione; in divinis autem ex oppositione, quæ solùm datur inter relativa. Undè ad probationem, concessa majori, negamus minorem in divinis, ad cujus probationem dicimus, ad relationem non esse per se motum in creatis, cùm ibi relatio sit accidens resultans; secùs autem in divinis, ubi Relatio est perfectissima substantia immediatè terminans productionem, & distinguens ipsum terminum productum. 123

Argues 6. Personæ creatæ constituuntur per absolutum; ergo etiam Personæ Divinæ; siquidem Perfectiones Divinæ ad similitudinem perfectionum creatarum concipiuntur. Respondeo negando consequentiam, ad cujus probationem dicimus, licet perfectiones Divinæ ad similitudinem creatarum concipiantur, non deberi in omnibus comparari; alioqui sicut personalitates creatæ sunt modi, & distinguuntur à parte rei à natura, hoc idem diceremus de divinis, quod est negandum. Undè in creatis sunt quid absolutum, quia licet tales sint, adhuc ob suam imperfectionem possunt multiplicari: aliter verò est in divinis, *in quibus* sola relativa multiplicantur, quia sola opponuntur; absoluta autem ob suam perfectionem sunt communia. 124

Argues 7. In Patre priùs est generare, quàm referri; siquidem hæc causalis est vera: *Ideò Pater refertur, quia generat*: non tamen è contra: sed in eo priori jam intelligitur cõstitutus in ratione Personæ; siquidem generare non potest, nisi Persona; ergo ante Relationem intelligitur Persona; non relativè; ergo absolutè. Confirmatur, quia formales rationes subsistendi, generandi, & referendi distinguuntur virtualiter; sed formalitas subsistendi constituens Personam non est relativa; siquidem antecedit formalitatem generandi, & referendi; ergo constituit Personam ut absoluta. Urgetur, quia sufficit distinctio *virtualis* inter Spirationem activam, & Paternitatem, ac Filiationem, ut hæ constituant formaliter Personas, non ita verò illa; ergo etiam sufficiet eadem distinctio, ut formalitas subsistendi constituat Personam, & non ita illam constituat formalitas referendi, sive relatio. 125

Respondeo primò cum communi sententia distinguente omnia illa prædicata ratione ratiocinatâ, Patrem in ea prioritate, *in* qua intelligitur generans, intelligi constitutum in ratione Personæ præcisivè, & confusè, neque absolutè, neque relativè formaliter, sed prout ab utroque præscindit. Et ratio est, quia proprietas relativa propter suam perfectionem, & eminentiam præstat plures effectus formales, nempè subsistentiæ, generationis, & relationis, ita ut sub conceptu subsi-

stentiæ 126

stentiæ constituat Personã;& cùm conceptus Personæ præscindat ab absoluto,& relativo,conceptus ille personalitatis non est personalitatis absolutæ, sed præscindentis ab absoluta, & relativa; sicque identicè, & implicitè est relativus; formaliter verò, & expresè est præscisivus. Unde ad confirmationem patet solutio ex dictis: ad instantiam verò de spiratione activa datur diversa ratio; siquidem conceptus Paternitatis & Filiationis, cùm de se sint determinatè relativi, jam antecedenter ad spirationem activam intelliguntur constituere Personas oppositas, easque supponit constitutas conceptus ipse Spirationis activæ: secùs autem est de conceptu Personæ præscindentis ab absoluta, & relativa.

127. Respondeo secundò juxta nostram doctrinam infra tradendam, negando majorem; neque enim in Patre priùs est, etiam virtualiter generare, quàm referri, cùm idem sit à parte rei virtualiter subsistẽtia, generatio activa, & relatio; siquidem cùm de his non cogamur verificare contradictoria per ordinem ad intrinsecum, in eodem priori, in quo intrinsecè Pater est subsistens, est etiam generans, & relatus, sine ulla prioritate, tam *in quo*, quia in Divinis nulla datur prioritas,& posterioritas durationis; quàm *à quo*, quia à parte rei virtualiter, neque generatio oritur à subsistentia, neque relatio à generatione. Undè illa causalis: *Ideo Pater refertur quia generat*: solùm est vera metaphysicè, & quoad nos. Ad confirmationem patet solutio ex dictis. Ad instantiam de spiratione activa datur diversa ratio, quia spiratio activa, ut supra diximus, distinguitur virtualiter intrinsecè à Paternitate, & Filiatione, quas proindè potest virtualiter intrinsecè supponere, ut supponit: at verò ratio formalis subsistendi, generandi, & referendi, non ita distinguuntur, sed solùm secundùm nostrum concipiendi modum, ut diximus, & infra dicemus.

128. Argues 8. Ex Natura, & subsistentia Divina fit unum per se; sed ex absoluto, & relativo non fit unum per se; cùm sint diversi generis; ergo Persona divina constituitur subsistentiâ, sive personalitate absolutâ, & non relativâ. Respondeo argumentum solùm habere locum: in creatis, ubi relativum non est substantia, neque intenditur per se; aliter verò in Divinis, ubi licet absolutum, & relativum sint diversi generis, relativum tamen est perfectissima substantia & est terminus, ac pertinet ad integritatem entis Divini. Confirmatur, quia plus distat subsistentia Verbi Divini à naturâ humanâ, quàm Natura Divina à subsistentiâ Divinâ relativâ; & tamen natura humana efficit unum per se cum subsistentia Verbi Divini; ergo &c.

129. Argues 9. Relatio realis debet referre aliud à se distinctum, & ad aliud realiter distinctum; sed hoc à se distinctum, & illud aliud realiter distinctum non est in Divinis ipsa Essentia Divina; ergo est aliqua proprietas absoluta antecedens Relationem, & Personam constituens. Respondeo negando consequentiam; Relatio enim refert totam Personam, à qua distinguitur, ut inclusa ab includente, quod satis est, ne dicatur referre se ipsam tantùm; & eam refert ad aliam Personam, quæ ab illa ratione Relationis sibi oppositæ realiter distinguitur, quod sufficit, ut diximus alibi.

130. Argues 10. Personalitas ex suo conceptu dicit incommunicabilitatem; sed eam non dicit Paternitas; ergo hæc non constituit Personam Patris. Probatur minor primò, quia Paternitas, cùm non sit infinita, non est de se hæc, sive singularis; omnis autem incommunicabilitas supponit singularitatem. Secundò, quia cùm omnis Relatio æqualiter se habeat ad Essentiam; aut omnis est incommunicabilis; aut nulla; siquidem omnem communicabilitatem, aut incommunicabilitatem habent ab Essentia; sed non omnis Relatio est incommunicabilis; Spiratio enim activa est cõmunis Patri,& Filio;ergo &c. Tertiò, quia si per impossibile productio Spiritus Sancti præcederet generationem Verbi, Paternitas esset communis Spiritui Sancto, sicut modò cõmunis est Filio, & Patri Spiratio activa; siquidem in factâ suppositione uterq; per eandem Intellectionem, & vim generativam communem gigneret Filium; sicut modò Pater, & Filius per eandem volitionem, & vim spirativam communem spirant Spiritum Sanctum; ergo &c.

Respondeo negando minorem: Ad primam 131.
ejus probationem, negamus majorem: neque enim ut Paternitas sit singularis, requiritur infinitas, (licet talis sit Paternitas in genere Paternitatis, ut supra diximus;) nam personalitas creata est singularis, & incommunicabilis, cùm tamen sit finita. Ad secundam negamus majorem quoad secundam partem; licet enim Relationes Divinæ æqualiter se habeant ad Essentiam, non ita se habent inter se; siquidem inter se distinguuntur, & opponuntur suis propriis rationibus formalibus, quarum una potest esse communicabilis, & altera incommunicabilis. Ad tertiam dicimus; aut in facta suppositione impossibili Paternitas Divina esset eadem, quæ nunc; aut non: Si primum, talis suppositio se ipsam destruit; supponit enim Paternitatem fore communicabliem, cùm tamen esset incommunicabilis, sicut modo est: Si secundum, nihil mirum, si foret communicabilis, & quod ex uno impossibili aliud sequeretur; jam enim esset alia Paternitas alterius rationis diversæ.

Argues 11. Persona, ut supra diximus, definitur: 132.
Rationalis naturæ individua substantia; sed in tali definitione, quæ etiam comprehendit Personam Divinam, non exprimitur, neque innuitur aliquid relativum; ergo Personalitates in Divinis non sunt quid relativum, cùm etiam tales non sint in creatis. Respondeo negando consequentiam; licet enim talis definitio non exprimat, non tamen excludit relationem; sicque est indifferens ad absolutum in creatis, & ad relativum in Divinis. Patet, quia etiam quando *Ens* definitur, non exprimitur relatio; & tamen sub nomine *Ens* intelligitur etiam relativum.

Argues 12. Suppositum præcedit actionem; si- 133.
quidem res priùs est in suo esse, quàm in suo operari; ergo Pater in divinis nequit constitui in ratione suppositi per Relationem, sive Paternitatem. Probatur consequentia, quia si Pater in ratione suppositi constitueretur Relatione, cùm relatio sit simul naturâ, & cognitione cum correlatione, utpotè quæ sine illa intelligi nequit, sequeretur Filium præcedere suam generationem; siquidem intelligeretur in eo signo, in quo intelligeretur suppositum Patris; hoc autem, si constitueretur Paternitate, præintelligeretur generationi; ergo Filius ut correlativum Patris præintelligeretur suæ generationi; consequenterque Filius priùs intelligeretur, quàm produceretur; hoc autem non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur.

Resp hoc argumentũ eandem vim habere, quàm 134.
habet argumentum iam adductum *n. 125.* ut consideranti patebit, sicque eadem responsio adhibenda est; negamus igitur Suppositum Divinum quidquid)

(quidquid sit de creato) re ipsa præcedere suam originem activam, aut relationem, qua refertur ad Filium productum, licet præcedat passivam, & terminum à se productum prioritate originis tantùm, non autem naturæ, durationis, aut cognitionis; sicque à parte rei non priùs Pater est potens producere, quàm actu producat; sicut non priùs est potens intelligere, quàm actu intelligat; siquidem in divinis posse, & esse sunt idem. Undè illa causalis: *Ideò Pater producit, quia est potens producere*: solùm est vera ex nostro modo concipiendi, sicut supra diximus de illa: *Ideò Pater refertur, quia generat*: ex quo non sequitur, Filium præcedere suam generationem, ut consideranti patebit. Ex dictis.

135. Colliges primò, proprietates personales virtualiter à parte rei constituere Personas divinas non solùm prout sunt subsistentiæ, sed etiam prout sunt origines, & Relationes, tùm transcendentales, tùm prædicamentales, ut statim dicemus; siquidem omnes hæ formalitates à parte rei virtualiter non sunt diversæ, sed in eadem proprietate relativa includuntur. Secundò, quando Patres aliquando dicunt, Personas divinas constitui originibus; aliquando constitui Relationibus, sub his nominibus significare eandem proprietatem Relativam, licet diverso modo conceptam. Tertiò ex hoc loquendi modo occasionem sumpsisse Scholasticos, ut inquirerent: Utrùm Personæ Divinæ constituantur subsistentiis, sive absolutis; aut Originibus; aut Relationibus? pro quo sit:

SECTIO VII.

Sub qua ratione formali quoad nos proprietates Personales constituant Personas?

136. ADvertes in qualibet proprietate Personali triplicem conceptum distingui posse, ita tamen ut unus in alio includatur absque distinctione virtuali perfecta, sed solùm sint distincti secundùm majorem, aut minorem expressionem ipsorum conceptuum, ut statim dicemus: Primus conceptus est Hypostasis, sive subsistentiæ: Secundus Originis: tertius Relationis. Undè si proprietas personalis concipiatur ut ultimus terminus complens Naturam Divinam in ratione existendi per se incommunicabiliter, dicitur Hypostasis, sive subsistentia: si concipiatur ut via ad Personam productam, est origo activa: si autem concipiatur ut purus respectus in facto esse ad aliud, ut purum terminum, est Relatio. De his omnibus conceptibus, sive formalitatibus procedit præsens quæstio: pro qua sit:

137. Difficultas 1. Qualiter hujusmodi conceptus, sive formalitates distinguantur in qualibet proprietate Personali? Dico 1. Hujusmodi formalitates non distinguuntur ex natura rei. Probatur tùm ex supra dictis de distinctione ipsarum proprietatum à Natura: tùm etiam quia hujusmodi distinctio repugnat simplicitati Divinæ, quæ cum illa non compatitur, ut vidimus; ergo &c.

138. Dico 2. Hæ formalitates non distinguuntur per conceptus synonymos. Ita *P. Vasq. 1. p. d. 158. cap. 4. n. 18.* Probatur, quia tunc conceptus, & nomina sunt synonyma, quando illis respondet idem omninò objectum absque ulla diversitate, ut *gladius*, & *ensis*; sed non ita se habent conceptus Hypostasis, originis, & Relationis in Divinis; licet enim significent idem objectum materiale, illud tamen significant in diversis rationibus; ergo hujusmodi nomina non sunt synonyma.

Dico 3. Hæ formalitates non distinguuntur virtualiter distinctione objectivâ perfectâ, & cum fundamento in re. Ita *Durand. in 1. dist. 26. q. 1. n. 18.* & alii. Probatur, quia si hujusmodi rationes sic distinguerentur, forent quidem diversæ formalitates, saltem virtualiter, ut est Essentia, & Relatio; sed non ita sunt; ergo &c. Probatur minor, quia ut sunt diversæ formalitates à Relatione, aut sunt formaliter relativæ, aut absolutæ: Non primum; siquidem implicat esse formaliter relativum, & distingui formaliter à Relatione: Non secundum, quia absoluta in Deo sunt communia, & non propria, neque constitutiva, & distinctiva Personarum; origo autem, & Hypostasis sunt propria, & distinctiva Personarum; ergo non sunt formæ absolutæ; consequenterque tales rationes non distinguuntur distinctione perfectâ objectivâ. 139.

Confirmatur primò, quia quæ in Deo distinguuntur virtualiter perfectè cum fundamento in re, ita se habent, ut uni formalitati conveniat à parte rei aliquid, quod alteri non conveniat; sic enim convenit Essentiæ communicari, & non ita convenit, imò repugnat Relationi, quæ sic ab Essentia distinguitur; sed nihil convenit à parte rei Origini, quod etiam non conveniat Hypostasi, & Relationi; ergo &c. Secundò, quia si ratio Originis, & Hypostasis sic distinguerentur à Relatione, cùm etiam sic distinguerentur ab Essentia, siquidem cum illa non communicarentur, sequeretur dari aliquid medium inter Essentiam, & Relationem; sed hoc non debet admitti; ergo &c. 140.

Dico 4. Hujusmodi rationes distinguuntur sola ratione ratiocinante secundùm nostrum modum concipiendi, & per conceptus inæquales quoad expressionem, ita ut sint una, & eadem formalitas objectiva, diverso tamen modo concepta. Hæc præsupponitur ab omnibus ferè, quatenùs docent, Personas constitui, & distingui Originibus, Relationibus, & Hypostasibus. 141.

Probatur, quia licet prædictæ rationes sint objectivè idem, negari non potest, esse plures secundùm conceptus formales, quibus talis ratio exprimitur modò ut origo, modò ut Hypostasis, modò ut relatio; sed hoc sufficit ad distinctionem secundùm rationem, & per conceptus inæquales, sive inadæquatos, & quoad majorem, vel minorem expressionem; ergo hæc admittenda est inter prædictas rationes, seu formalitates. 142.

Objicies 1. Hujusmodi formalitates *ita identificantur* inter se, ut æquipolleant perfectionibus distinctis ex natura rei in creatis, quales sunt personalitas, productio, & relatio; sed hujusmodi æquipollentia est fundamentum distinctionis virtualis, ut patet ex supra dictis; ergo &c. Respondeo negando minorem, si æquipollentia, sive connotatio sit contra ipsam naturam formalitatum, quæ sunt distinguendæ, ut est in præsenti; nam cùm de natura, & intrinseca ratione proprietatis divinæ sit, esse relativam; siquidem sola relativa in Deo sunt propria, & sola multiplicantur, indè est, quod origo, & Hypostasis, quæ sunt proprietates Personarum, & in illis multiplicantur, non possint distingui propriè à relationibus, sed illas includere, saltem confusè: Et cùm Relatio divina sit essentialiter substantia, & incom-

incommunicabilis alteri Personæ, ipsamet est proprietas personalis, sicque indistincta à ratione Hypostasis.

144. Objicies 2. Quando duæ rationes ita se habent, ut quod à parte rei dicitur de una, possit de alia negari, tales rationes ad minimum distinguuntur virtualiter perfectè, ut patet ex supra dictis; sed dicimus, Patrem producere per originem, & non per Relationem; & referri per Relationem, & non per originem; ergo Origo, & Relatio distinguuntur virtualiter perfectè. Respondeo negando minorem; cùm enim Pater non producat, nisi per aliquid sibi proprium, nihil autem habeat proprium, quod non sit relativum, indè est, quod à parte rei, imò & per intellectum cum fundamento, non possimus dicere, non generare per Relationem, licet ita dici possit secundùm conceptus magis, aut minùs expressos.

145. Difficultas 2. Sub qua expressione harum rationum Reationes divinæ constituant Personas? Variæ sunt de hac re sententiæ. Alii enim dicunt, constituere Personas sub conceptu expresso originis: Alii sub conceptu expresso Relationis: Alii verò sub conceptu expresso subsistentiæ, sive Hypostasis. Quid autem tenendum à nobis sit, ex dicendis constabit. Igitur.

146. Dico 1. Si Personæ divinæ sumantur secundùm se, & à parte rei, formaliter constituuntur Relationibus adæquatè sumptis secundùm omnes prædictas formalitates Hypostasis, Originis, & Relationis. Hanc à nullo existimo fore negandam, licet Authores diversimodè loquantur de hac materia, ut infrà videbimus. Ita videntur tenere *P. Soar. lib. 7, de Trinit. cap. 6. n. 1. P. Vasq. 1. p. d. 158. P. Amicus d. 20. n. 62. P. Arriaga* expressè *d. 51. sect. 3. n. 19.* Probatur primò, quia Relatio à parte rei constituit Personam secundùm omne, quod à parte rei includit formaliter; sed à parte rei includit formaliter omnes prædictas rationes, ut patet ex dictis; ergo secundùm omnes à parte rei constituit formaliter Personas. Secundò, quia Persona per id formaliter constituitur à parte rei, per quod est à parte rei incōmunicabilis, & distincta; sed talis est à parte rei per relationem adequatè sumptam secundùm omnes formalitates, per quam à parte rei est incommunicabilis, distincta, & opposita; ergo &c.

147. Dico 2. Personæ Divinæ sumptæ quoad nos, & secundùm nostros conceptus inadæquatos non constituuntur formaliter Relationibus sub expressione originis. Est contra *D. Bonavent. in 1. dist. 26. q. 2. & 3. & dist. 27. per totam*, & contra *Aureol. in 1. dist. 26. art. 2. column. 3. & 2.* qui licet aliter loquatur, idem videtur sentire. Probatur primò ex Concil. Florent. *orat. pro unione cap. 6* ibi: *Non enim generare, & genitum esse, quod originis est, constituit principaliter Personam*: ubi terminus principaliter idem valet, atque formaliter quà origo; ergo &c.

148. Probatur secundò, quia in creatis, ad quorum similitudinem distinguimus in Deo rationes subsistendi, Originis, & Relationis, terminus subsistendi non consistit in origine; siquidem hæc supponit ultimum terminum substantialem, cùm *actiones sint suppositorum*; ergo eâdem ratione, proportione habita, idem dicendum est in divinis. Tertiò, quia Personalitas concipitur constituere Personam per modum actûs permanentis, seu ut dicitur in facto esse; sed origo non ita concipitur, sed per modum viæ, & operationis; ergo &c. Quartò, quia origo concipitur ut actus secundus medius inter principium productivum, & terminum producibilem; sed Personalitas concipitur ut actus primus ex parte principii, & ut in facto esse ex parte termini; ergo &c.

149. Dices 1. D. Fulg. D. Damascen. D. Justin. D. Ambr. D. Hilar. & alii Sancti Patres expressè dicunt, Personas Divinas distingui, & constitui originibus; ergo &c. Respondeo hos, & alios Sanctos Patres, aut loqui de constitutione Personæ in se, & à parte rei, quo sensu origo coincidit cum significato materiali, seu proprietate, ut virtualiter distinctâ à Natura: aut si loquantur de origine quoad significatum formale quoad nos per analogiam ad creaturas, solùm velle, Personas distingui per origines quasi effectivè, non tamen formaliter; licet enim origo sit causa veluti effectiva distinctionis Personarum, potest tamen non esse causa formalis. Patet in creatura, quæ à Deo distinguitur per productionem effectivè, quia ab illo effectivè procedit; & tamen per suum esse ab eo formaliter distinguitur.

150. Dices 2. In Personis Divinis nihil est proprium, nisi Origo, & Relatio; sed Origo est prior Relatione; siquidem Persona ideò refertur, quia originat, aut originatur, non verò è contra; quod autem priùs est proprium, priùs constituit; ergo &c. Respondeo negando majorem; nam præter rationem Originis, & Relationis datur etiam in proprietate ratio subsistentiæ, ut diximus, quæ quoad nos priùs intelligitur, quàm origo, ut patebit ex infrà dicendis.

151. Dices 3. Origo est magis independens, quàm Relatio; siquidem sublatâ per intellectum origine, tollitur Relatio; sublatâ verò per intellectum Relatione, adhuc intelligitur Origo, ac proindè Persona; ergo hæc propriè, aut saltem magis propriè constituitur Origine. Respondeo quidquid sit de illa majori, aut minori independentiâ; cùm enim conceptus subsistentiæ priùs intelligatur, quàm conceptus principii, & Originis, illa est formalis ratio constituens Personam, ut ex infrà dicendis constabit.

152. Dico 3. Personæ Divinæ sumptæ quoad nos non constituuntur formaliter Relationibus sub expressione Relationis. Est contra communem sententiam, quam tenent *Durand. in 1. dist. 26. q. 1. n. 15. & dist. 27. q. 1. Gabr. dist. 26. q. 1. art. 2. dub. 4. Scot. in 1. dist. 28. q. 3. § ad quæst. & quodlib. 4. ad argum. principal. Henricus 2. p. sum. art. 56. q. 3. Carthusian. in 1. dist. 26. q. 2. P. Soar. lib. 7. de Trinit. cap. 6. & 7. n. 9. P. Vasq. 1. p. d. 158. cap. 5.* & alii, quos citat, & sequitur *P. Ruiz de Trinit. d. 87. sect. 5. n. 2. & d. 89. sect. 1. n. 1.* contra eos tamen.

153. Probatur primò, quia Personalitates Divinæ concipiuntur, & sic debent concipi quoad nostrum modum concipiendi, ad instar personalitatum creatarum, & per analogiam ad illas; sed hæ non constituunt personas sub aliquo conceptu relationis, ut per se patet; ergo neque sic constituent Personalitates Divinæ, saltē formaliter expressè. Confirmatur, quia sicut in creatis distinguuntur in se personalitas, origo, & relatio, ita quoad nos distinguuntur in divinis; sed in creatis personalitas in se non est relatio; ergo neque in divinis quoad nos concipietur constituere Personam ut Relatio formaliter expressè.

154. Probatur secundò, quia in proprietate personali Patris v. g. prior est quoad nos ratio subsistentiæ, quàm Originis, & Relationis; siquidem Pater ideò est Pater, quia generat; ideò generat, quia est talis Persona; sed in eo priori, quo intelligitur subsistens, intelligitur constitutus in

ratione Personæ ; ergo &c.

155. Probatur tertiò, quia si Pater v. g. in ratione Personæ constitueretur Relatione formaliter quoad nos, sequeretur priùs habere Filium, quàm generare ; sed hoc ex terminis repugnat ; ergo &c. Probo sequelam ; quia Paternitas, & Filiatio ut Relationes sunt simul ; sed ratio Personæ præintelligitur ad generationem, ut ostendimus ; ergo si Paternitas ut relatio formaliter constituit Personam, præintelligitur ad generationem simul cum Filiatione ; consequenterque priùs intelligitur Pater habere Filium, quàm generet, quod non est dicendum.

156. Dicent primò cum *Caiet. 1. p. q. 40. art. 4. & Torres. ibid. art. 2. & 4.* Relationem in divinis dupliciter accipi posse : Primò ut conceptam : Secundò ut exercitam : priori modo, dicit, concipi, ut in se existentem, seu ut afficientem illum, cui convenit, & sic constituere Personam, & esse priorem origine : Secundo autem modo intelligi ut tendentem ad terminum, & sic dici Relationem, quæ originem subsequitur. Et in hoc sensu explicant D. Thom. loco cit. quatenùs ibi docet Relationem, posse dupliciter considerari : primò ut proprietatem Personalem, & ut sic Personam constituere : secundò ut Relationem, & ut sic solùm referre.

157. Sed contra primò, quia aut Relatio ut concepta est forma referens ad aliud : aut non : Si primum ; ergo est Relatio exercita ; nihil enim est relatio exercita, quàm forma formaliter referens : Si secundum ; ergo non constituit ut Relatio formaliter, quod intendit probare ; siquidem quod non refert formaliter, non est relatio, cùm de ratione relationis sit referre.

158. Secundò, quia non minùs implicat concipere Relationem, ut constituentem Personam, quin Persona concipiatur ut relata, quàm concipere rationale constituens hominem, quin apprehendatur homo ut rationalis ; sed homo non potest sic apprehendi nisi ut rationalis exercitè ; ergo neque Persona sic concipi, nisi ut exercitè relata ; sed antequam concipiatur ut relata concipitur ut subsistens ; ergo non per Relationem, sed per subsistentiam constituitur in ratione Personæ formaliter.

159. Dicent secundò cum *Capreol. in 1. dist. 26. q. 1. Ferrar. lib. 4. gent. cap. 26.* & aliis Thomistis, Relationem dupliciter considerari posse : Primò secundum esse *in* ; in quo sensu constituit Personam, & antecedit generationem : Secundò secundùm esse *ad*, in quo sensu subsequitur generationem, & non constituit, sed refert Personam, & hanc dicunt esse mentem D. Thom. loco cit.

160. Sed contra est primò, quia Relatio secluso esse *ad* per intellectum, non concipitur ut relatio ; siquidem relatio constituitur in esse relativo formaliter per esse *ad*, sine quo non est relatio ; sicut homo sine rationali non est homo ; ergo prout sic non constituit Personam ut Relatio. Secundò, quia relatio non aliter concipitur in suo esse *in*, nisi referendo ; ergo in eodem priori, quo concipitur in esse ut relatio, concipitur, & debet concipi secundùm esse *ad*.

161. Oppones 1. Personalitates constituunt Personas, quà propriæ, & distinctæ ; idem enim est constitutivum proprium, quod distinctivum, ut supra diximus ; ideoque quod à nobis concipitur ut constitutivum proprium, eo ipso concipitur ut distinctivum ; sed Personalitates non sunt propriæ, ac distinctæ, nisi quà Relationes, ut constat ex Concil. Florent. *Sess. 18.* ubi expresè dicitur, in divinis solam Relationem distinguere ; ergo &c. Respondeo Personalitates constituere quidem Personas, quà sunt earum propriæ, ac distinctæ ; solùm autem esse proprias ac distinctas quà Relationes, aut identicè, & implicitè ; aut formaliter, & explicitè, & non solùm ut formaliter explicitè Relationes, prout infrà dicemus. Undè ad Concil. cit. dicimus, loqui de Relatione, prout hæc distinguitur virtualiter intrinsecè à Natura, quo sensu distinguitur à ratione subsistendi.

162. Oppones 2. Aut Personalitas, prout concipitur antecedere Paternitatem v. g. & constituere Personam, concipitur formaliter ut Relatio : aut non : Si primum, habetur intentum : Si secundum ; ergo concipitur ut absolutum ; siquidem nihil aliud est conceptus absolutus, quàm conceptus non relativus ; consequenterque Personæ Divinæ constituuntur virtualiter, saltem quoad nos absolutis, quod supra negavimus ut periculosum, temerarium, & erroneum, & videtur falsum ; siquidem nullum datur fundamentum, ut concipiamus in Deo prædicatum aliquod absolutum, quod non sit communicabile. Respondeo Personalitatem prout concipitur antecedenter ad rationem expressam Relationis, constituere quidem formaliter Personam, non tamen formaliter expresè ut Relatio, neque ut quid absolutum, sed ut abutroque præscindens, juxta ea, quæ infra dicemus ; cùm enim hoc argumentum habeat in hac re specialem, & non parvam difficultatem, ut ei satisfaciamus sequentem Sectionem instituemus.

163. Dico 4. Personæ Divinæ sumptæ quoad nos, & secundùm nostros conceptus inadæquatos constituuntur formaliter Relationibus sub expressione Hypostasis, sive subsistentiæ. Ita *Capreol. in 1. dist. 26. q. 1. a. 3. Ferrar. 4. contr. gent. cap. 26. Marsil. in 1. dist. 29. art. 1. dub. 1. ad 1. & 2. & art. 4. ad 13. Canar. 1. p. q. 40. art. 4. p. 3. Bannez ibid. Albert. Magn. 1. p. q. 34. memb. 1. Alex. 1. p. q. 59. memb. 3. Henricus 2. p. sum. art. 58. q. 4. & art. 56. q. 3. & 4.* quos citat, non tamen sequitur *P. Ruiz. d. 89. de Trinit. sect. 1. num. 3. P. Tanner.* qui idem tenet *d. 4. q. 4. dub. 6. n. 22. P. Arrub. d. 112. cap. 5. n. 19. P. Valent. 1. p. q. 14. sua. punct. 2. §. Sit jam tertia assertio.* ubi dicit esse ad mentem *D. Thom. 1. p. q. 40. art. 1. & 4. P. Amicus d. 20. sect. 3. n. 65. P. Arriaga 1. p. d. 51. sect. 3. n. 21.* ubi etiam pro hac sententia citat *P. Soar. lib. 7. de Trinit. cap. 7. num. 12. P. Granad. tract. 11. d. 3. n. 26.*

164. Probatur primò, quia in qualibet proprietate Divina personali, ut supra diximus, concipimus tres conceptus distinctos quoad nos per majorem, aut minorem expressionem, nempè Subsistentiæ, Originis, & Relationis ; sed non constituit Personam sub conceptu expresso Originis, neque Relationis, ut patet ex dictis ; ergo eam constituit sub conceptu expresso subsistentiæ, & ultimi termini.

165. Probatur secundò, quia proprietas Personalis in Divinis per conceptus inadæquatos accepta correspondet subsistentiæ, origini, & relationi creatæ, ad quarum analogiam concipitur ; sed in creatis, non origo, neque relatio, sed subsistentia constituit formaliter à parte rei personam creatam ; ergo etiam in Divinis, non origo, neque relatio, sed subsistentia constituet formaliter quoad nos Personam Divinam. Argumenta, quæ contra hanc conclusionem fieri poterant, jam soluta manent ex supra dictis, & ex dicendis solventur.

SECTIO

SECTIO VIII.

Expenditur præcipuum hujus difficultatis punctum.

166. QUONIAM proprietates Personales constituunt Personas formaliter quoad nos, & secundùm nostros conceptus inadæquatos, non quà Origines, neque quà Relationes, sed quà Subsistentiæ formaliter: Difficultas est: An hæc formalitas subsistendi, prout antecedit quoad nos, & quoad nos distinguitur à ratione originis, & relationis, concipiatur ut absoluta?

167. Aliqui, cum quibus videtur sentire *P. Arriaga cit. à n. 22.* nullum judicant inconveniens, quod Personæ Divinæ ex parte nostri inadæquati modi concipiendi concipiantur ut constitutæ absolutis, seu quasi absolutis; sic enim *P. Arriaga cit. n. 26.* assignat modum concipiendi Personas Divinas absque conceptu relativo, & per modum absoluti; siquidem Personalitas Patris, inquit, potest concipi ut subsistentia terminans æquè primò Intellectionem, & Amorem: Personalitas Filii, ut terminans primariò Intellectionem, & secundariò Volitionem: Personalitas verò Spiritus Sancti, ut terminans primariò Volitionem, & secundariò Intellectionem, qui conceptus, inquit, nihil dicunt relativum. Favent huic modo explicandi *D. Thom. D. Bonav. Alens. Marsil. & Gabr. imò & D. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 6 apud P. Soar. lib. 7. de Trinit. cap. 8. n. 8.* quatenùs docent Personam Divinam dicere de formali aliquid absolutum.

168. Non placent primò, quia etiam quoad modum loquendi vitandum est, Personas Divinas constitui absolutis. Secundò, quia juxta communem sententiam non minùs virtualiter per rationem distinguitur ratio subsistendi à ratione referendi, quàm distinguitur Natura à Relatione, sive proprietate; sed hoc sufficit ut Natura sit simpliciter quid absolutum, & non ita proprietas; ergo etiam sufficeret, ut ratio subsistendi diceretur simpliciter quid absolutum, quod non est dicendum. Tertiò, & principaliter, quia nullum prædicatum concipiendum est in Deo contra id, quod in eo est; sed in Deo præter essentialia nullum est prædicatum absolutum; ergo falsò conciperetur ut absolutum, quod absolutū non est. Unde licet possimus præscindere à relativo, quia abstrahentium non est mendacium; non tamen possumus ei affigere rationem absoluti; hoc enim esset fingere in Deo sine ullo fundamento, quod in Deo non est.

169. Alii Recentiores ut difficultatem effugiant, dicunt, rationem subsistendi præscindere tam ab absoluto, quàm à relativo formali, non tamen præscindere à relativo radicali; nam proprietas personalis, inquiunt, dupliciter considerari potest: primò adæquatè, & prout sic concipitur ut Relatio formaliter: secundò inadæquatè, & prout sic potest concipi, non ut Relatio formalis, sed ut Relatio radicalis; hæc autem Relatio radicalis sufficit saltem quoad nos, ut constituat, & distinguat Personas. Confirmatur exemplo Paternitatis, & Filiationis, quia Pater, & Filius per illas distinguuntur etiam ab Spiritu Sancto, non quia per illas opponantur formaliter Spiritui Sancto; hoc enim præstat formaliter Spiratio activa, sed quia ei opponuntur radicaliter, quatenùs exigunt Spirationem formalem; ergo similiter licèt formalitas subsistendi non includat formalitatem referendi, sicque non sit formaliter Relatio, cùm tamen sit Relatio radicalis, hoc sufficit, ut constituendo distinguat.

170. Sed contra primò, quia aut illa relatio radicalis dicit conceptum absolutum; aut relativum; nam inter hæc non datur medium in singularibus, ac determinatis: Non relativum; siquidem ab eo præscindit, ut determinata formalitas; ergo absolutum, quod negabunt. Secundò, quia esse relationem radicalem non est contra rationem absoluti; siquidem Natura Divina est perfectissimè absoluta, cùm tamen sit relatio radicalis, sive radix relationis; ergo dici posset Personas Divinas constitui, ac distingui relationibus radicalibus, id est absolutis exigentibus Relationes formales, quod non dicent. Tertiò, quia Relatio radicalis videtur exprimere respectum, saltem trāscendentalem; sed ratio subsistendi formaliter antecedit, & præscindit ab omni respectu transcendentali, tam principii, quàm principiati. Undè:

171. Ad confirmationem dicimus, exemplum Paternitatis, & Filiationis non facere ad rem: tùm quia illæ non præscindunt à relativo formaliter, sed secundùm idem esse relativum, quo inter se formaliter opponuntur, opponuntur etiam radicaliter, & veluti transcendentaliter Spiritui Sancto: tùm etiam, quia ibi militat eadem difficultas; nam cùm cōstituant Personas secundùm formalem rationem subsistendi præsisivè à ratione referendi, debēt eâdem ratione concipi ut distinctæ ab Spiritu Sancto; & tamen non sunt proximæ, & immediatæ radices spirationis activę. Igitur, ut difficultati respōdeam:

172. Dico 1. Significatum formale Personæ, nempè *Personalitas*, prout abstrahit à divinâ, & creatâ præscindit ab absoluto, & relativo. Ita cum *D. Thom. 1. p. q. 29. a 4.* tenent communiter Theologi, quos citant, & sequuntur *P. Soar. lib. 7. de Trinit. cap. 8. n. 4. & P. Vasq. 1 p. d. 127. cap. 2.* Probatur, quia Personalitas prout sic est quid commune Personalitati Divinæ, & creatæ, & ad utramque indifferens; ergo non est quid absolutum; alioqui non esset communis Personalitati Divinæ; cùm in Divinis nulla detur Personalitas absoluta; neque quid relativum, alioqui non esset communis personalitati creatæ; cùm in creatis nulla detur personalitas relativa; ergo est aliquid præscindens ab absoluto, & relativo. Confirmatur, quia accidens prout est quid commune ad absolutum, & relativum, neutrum dicit, sed ab utroque præscindit; ergo etiam Personalitas prout est communis ad relativam Divinam, & ad creatam absolutam, neutram, dicet sed ab utraque præscindet. Neque dicas, conceptum alicujus entis eo ipso, quod præscindit à relativo, esse absolutum. Non, inquam, hoc dicas; siquidem absolutum non constituitur per carentiam præsisivam relativi, sed per suam intrinsecam differentiam oppositam differentiæ relativi.

173. Dico 2. Significatum formale Personæ Divinæ, id est, *Personalitas Divina* prout abstrahit à Personis Patris, Filii, & Spiritus Sancti dicit, saltem implicitè esse relativum. Ita intelligo Authores citatos *num. 152.* Probatur, quia esse Personalitatem Divinam nihil aliud est, quàm esse Personalitatem, quam Natura Divina exigit, & quæ etiam exigit Naturam Divinam; sed Natura Divina neque exigit, neque exigitur à Personalitate ut sic, sed à sola Relativa; ergo eo ipso, quod significatur Personalitas ut divina, saltem implicitè, aut identicè

innuitur Relativa. Confirmatur ex oppoſito, quia etiam perſonalitas creata ſignificata ut creata, ſaltem implicitè, & identicè innuit aliquid abſolutum, quidquid alii cenſeant in contrarium; ergo &c.

174. Oppones 1. Si per impoſſibile Perſonalitas Divina eſſet abſoluta, adhuc eodem, quo nunc ſignificaretur nomine; & tamen tunc neque implicitè, neque identicè ſignificaretur ut relativa; ergo &c. Reſpondeo quidquid ſit, ſignificaretur nè eodem nomine, an non; ſiquidem nomina ex intentione imponentis dependent; tunc ſicut non ſignificaretur eadem dignitas, ita neque eadem Perſonalitas. Accedit, quod uno impoſſibili admiſſo, mirum non eſt ſi aliud ſequatur; alioqui dicamus de facto ſignificare ſimpliciter abſolutum, quia tunc, ſaltem identicè abſolutum ſignificaret.

175. Oppones 2. Perſonalitas Divina optimè intelligitur per hoc, quod ſit Perſonalitas à ſe; hoc autem, neque implicitè dicit relativum; ergo &c. Reſpondeo negando minorem: idem enim eſt Perſonalitas à ſe, atque exigens Aſeitatem, ſive Naturam Divinam, quam Aſeitas conſtituit, & quam ipſa Aſeitas, ſive Natura Divina exigit: talis autem Perſonalitas eo ipſo eſt relativa, ut diximus.

176. Dico 3. Perſonalitas Divina determinatæ Perſonæ, v. g. Patris dicit non ſolùm relativum, ſed etiam tale relativum. Probatur, quia ut jam determinata non eſt indifferens ad alias Perſonalitates Divinas, ſed ſignificatur ut jam determinata ad Patrem v. g. ergo dicit ſaltem implicitè non ſolùm relativum, ſed etiam tale relativum.

177. Hinc fit, ut tam ſignificatum formale Perſonalitatis, quàm Perſonalitatis relativæ, quàm taliter relativæ poſſit concipi ut aliquid ſingulare, aut per ſe, aut, ut ita dicam, per accidens: per ſe, prout eſt ſingularitas ipſa talis Perſonalitatis; per accidens, prout concipitur tanquam ratio communis Perſonalitatis, & Perſonalitatis relativę, quæ concipitur ut ſingulariſata per identicam ſingularitatem. Undè quia in quolibet individuo quoad nos omnes gradus ſingulariſati diſtinguuntur, ideò in eadem Perſona Divina ſingulari cõcipimus ut formalitates ſingulares diſtinctas quoad nos rationem ſubſiſtendi, rationem Originis, & rationem Relationis. Ex dictis.

178. Concluſio ſit: Quando dicimus, proprietates Perſonales conſtituere Perſonas, non quà origines, neque quà relationes formaliter, ſed quà formaliter ſubſiſtentias, non ideò ſequitur Perſonas Divinas conſtitui quoad nos abſolutis, ſed ſolùm conſtitui formalitate ſubſiſtendi præſcindente ſecundùm explicitum à relativo, licet non ita præſcindat ſecundùm implicitum, ſecundùm quod eſt quid relativum; ac proindè ſemper Perſonæ Divinæ conſtituuntur Relativis, & non abſolutis. Totum hoc patet ex hactenùs dictis, ſi attentè conſiderentur. Imò hoc non ſolùm eſt verum de Perſonalitate Divina, prout eſt indifferens ad omnes Perſonalitates Divinas, ſed etiam de qualibet determinatâ; ſiquidem quando concipitur una Perſona ut determinatè, & ſingulariter ſubſiſtens, exprimitur ſolus gradus ſubſiſtendi veluti extrinſecè ſingulariſatus per determinatam ſingularitatem, quæ ſolùm prout ſic implicitè, & veluti in confuſo attingitur: ſic enim poſſumus unum animal, vel unum hominem ſingularem concipere, & ſignificare expreſsè ſolùm quoad rationem animalis, vel hominis, quin expreſsè, ſed tantùm implicitè concipiamus, & ſignificemus formalitatem differentiæ illius.

Objicies 1. Illa formalitas ſubſiſtendi non concipitur ut relativa tranſcendentaliter; ſiquidem ratio ſubſiſtendi concipitur ut antecedens rationem principii, & originis; neque ut relativa prædicamentaliter; ſiquidem relatio ut prædicamentalis concipitur ut ſubſequens rationem originis; ergo videtur concipi ut abſoluta, quod non eſt dicendum. Reſpondeo negando antecedens quoad ſecundam partem, eſt enim relativa prædicamentaliter ſecundùm implicitum, licet non ita concipiatur ſecundùm explicitum, ſic enim præſcindit à relativo, præſcindere autem à relativo non eſt concipere aliquid per modum abſoluti.

Inſtabis: Perſonalitas Divina concipitur conſtituere per analogiam ad perſonalitates creatas; ſed hæ ſunt abſolutæ; ergo etiam illa ut abſoluta concipietur, quatenùs ut relativa non concipitur. Reſpondeo negando conſequentiam; licet enim concipiamus Perſonalitates Divinas per analogiam ad creatas, neque ad id opus eſt, quod illas concipiamus poſitivè ut abſolutas, aut ut non relativas, ſed ſatis eſt, quod illas concipiamus præſciſivè non ut relativas, quo ſenſu concipiuntur ut priores Relationibus, & talis conceptus præſcindit ab abſoluto, & relativo.

Objicies 2. Subſiſtentia prout præſcindit à relativo, & abſoluto eſt communis Divinæ, & creatæ; ſed hîc loquimur de ſubſiſtentia prout conſtituit ut divina; ergo aut illa formalitas non eſt ſubſiſtentia Divina, quia præſcindit à relativo; aut ſubſiſtentia Divina conſtituit, ut quid abſolutum. Reſpondeo ad majorem, ſubſiſtentiam, prout præſcindit à relativo, & abſoluto, eſſe communem divinæ, & creatæ, quando concipitur ut quid indifferens, & perfectâ præciſione: aliter verò quando concipitur ut quid determinatum veluti extrinſecè, & præciſione minùs perfectâ, quæ aliquo modo attingit ipſam determinationem, nempè rationem ipſam relativam.

Objicies 3. Difficultas procedit de conſtitutione cujuſque Perſonæ ſingularis; ſed nullus conceptus rei ſingularis videtur poſſe præſcindere ab abſoluto, & relativo; ſiquidem implicat concipi ſecundùm ſuum eſſe determinatum, & non concipi, aut ut abſolutum, aut ut relativum; ergo illa formalitas conſtituens Perſonam, aut eſt abſoluta, quod implicat; aut eſt relativa, quod negamus. Reſpondeo ad minorem, nullum conceptum rei ſingularis formaliter poſſe præſcindere ab abſoluto, & relativo: poſſe tamen conceptum rei ſingularis identicè præſcindere, ſaltem expreſsè ab abſoluto, & relativo: at verò formalitas ſubſiſtendi, licet concipiatur ut jam determinata, & ſingularis, talis tamen eſt, non formaliter, ſed identicè, ut ſupra diximus; ut potè quæ ſecundùm ſe poteſt eſſe communis; ſicque poteſt ſaltem expreſsè præſcindere ab abſoluto, & relativo.

SECTIO IX.

Quot ſint in Deo Subſiſtentiæ?

GRAVIS eſt præſens difficultas, de qua inter Theologos triplicem invenio Sententiam: Prima Sententia docet in Deo unicam eſſe ſubſiſtentiam, abſolutam, modificatam

modificatam tamen tribus relationibus, quæ rationi subsistendi addunt incõmunicabilitatem. Ita *Durand. in* 1. *dist.* 26. *q.* 1. *n.* 6. *& dist.* 33. *q.* 1. *n.* 37. *& in* 3. *dist.* 1. *q.* 2. *num.* 7. *Scot. in* 3. *dist.* 1. *q.* 2. §. *ad quæstionem, & in* 1. *dist.* 4. *q.* 2. *& dist.* 26. *q. unica, & quodlib.* 5. *art.* 3. *ad* 3. *Albert.* 1. *p. sum. q.* 43. *memb.* 1. *&* 2. *art.* 1. *&* 2. *Argentina in* 1. *dist.* 26. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 3. *& ad* 8. *& in* 3. *dist.* 5. *q.* 1. *art.* 2. *Marsil. in* 1. *q.* 30. *art.* 2. *ad* 4. *&* ad 10. *Capreol. in* 1. *dist.* 26. *q.* 1. *art.* 1. *concluf.* 3. *& in* 3. *dist.* 1. *q.* 1. *art.* 3. *Deza in* 1. *dist.* 26. *q.* 1. *& in* 3. *dist.* 1. *q.* 1. *Ferrar. lib.* 3. *contr. gent. cap.* 26. & alii.

184. Secunda Sententia asserit, dari quidem tres subsistentias Relativas realiter distinctas, & unam absolutam communem, & identificatam tribus Personis. Ita *Paludan. in* 3. *dist.* 1. *q.* 2. *Caiet.* 1. *p. q.* 30. *art.* 4. *& in* 3. *dist.* 3. *art.* 2. *&* 1. *p. q.* 3. *art.* 3. *& q.* 19. *art.* 4. *Gabr. quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 4. *Richard. art.* 1. *q.* 2. *ad* 1. *Almain. q.* 1. *art.* 3. *dub. ult. Ocham. in* 3. *q.* 1 quos citat, & sequitur *P. Soar. tom.* 1. *in* 3. *p. d.* 11. *sect.* 3. *& lib.* 4. *de Trinit. cap.* 11. & 14. tenent etiam *Banneʒ* 1. *p. q.* 39. *art.* 2. *Alvareʒ* 3. *p. q.* 3. *a.* 3. *Zumel.* 1. *p. q.* 30. *a.* 1. *P. Molin.* 1. *p. q.* 29. *a.* 2. *d.* 3. *P. Fonf. lib.* 5. *Met. cap.* 8. *q.* 5. *sect.* 5. *P. Bellarm. tom.* 1. *lib.* 2. *de Christo. cap.* 15. *P. Granad. in* 1. *p. tract.* 4. *d.* 5. *sect.* 3. & alii.

185. Tertia Sententia affirmat præter tres subsistentias Relativas realiter distinctas, nullam dari in Deo subsistentiam absolutam communem omnibus tribus Personis. Ita *Alex.* 1. *p. q.* 57. *memb.* 3. *& 3. p. q.* 2. *memb.* 3. *D. Bonav. in* 1. *dist.* 23. *art.* 2. *q.* 1. *&* 2. *Henricus* 2. *p. sum. a.* 53. *q.* 6. *ad* 4. *& quodlib.* 5. *q.* 8. *Aureol. in* 1. *dist.* 26. *a.* 4. §. *Restat ergo. Geneb. lib.* 2. *de Trinit. P. Vasq.* 1 *p. d.* 125. *cap.* 3. *P. Mendoza in quodlib. q.* 3. *P. Valent.* 1. *p. quæst. sua* 13. *punct.* 2. *& lib.* 3. *controv. de Trinit.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d.* 34. *de Trinit. sect.* 1. dicens esse *D. Thom.* 1. *p. q.* 39. *art.* 4. tenent etiam *Zuniga d.* 5. *de Trinit. dub.* 10. *memb.* 1. *P. Amicus d.* 21. *n.* 18. *P. Becan. tract.* 2. *cap.* 3. *q.* 4. *concluf.* 1. *& de Incarn. cap.* 4. *q.* 2. *n.* 5. *Gamachæus hic cap.* 4. *Lorca de Incarn. d.* 24. *n.* 2. *P. Præpoſit. q.* 29 *art.* 4. *dub.* 3. *n.* 21. *P. Tanner. d.* 4. *q.* 1. *dub* 6. *n.* 8. *P. Albertin. tom.* 2. *de subſtant. coroll.* 11. *dub.* 1. *P. Arrub. d.* 108. *cap.* 3. *& d.* 109. *cap.* 2. *P. Arriaga* 1. *p. d.* 51. *sect.* 2. *P. Vekenus hic d.* 34. *cap.* 3. *P. Compton. tom.* 1. *d.* 57. *sect.* 3. *num.* 2. *P. Alarcon. tr.* 5. *d.* 4. *cap.* 3. *& 4. P. Rhodez. tom.* 1. *d.* 6. *q.* 2. *sect.* 6. & alii.

186. Resolutio sit: In Deo sunt tres subsistentiæ Relativæ. Ita Doctores citati pro secunda, & tertia sententia, quorum *P. Ruiz. cit. sect.* 2. *n.* 1. dicit ita hujus resolutionis certitudinem esse fidei conjunctam, ut sine errore negari non possit. Probatur primò authoritate Concilior. ex Concil. Nicæn. 1. *lib.* 2. §. *In lib. Job. Una*, ait, *Divinitas S. Trinitatis in tribus subsistentiis perfectis æqualibus consideratur.* Idem habet § *Cùm sit copiosa.* Et Concil. Nicæn. 2. *act.* 3. *in Confess. fidei. Unam Deitatem*, ait, *in tribus subsistentiis indivisim discretam, & distinctim unitam.* Et idem repetit sæpiùs eodem loco cit. Et Concil. Constantinop. 1. *&* 2. ibi collat. 2. *Si quis*, ait, *non confitetur unam Deitatem in tribus subsistentiis, sive Personis adorandam, anathema sit.* Et Concil. Later. 2. sub Martin. 1. *Consult.* 5. *can.* 1. *Si quis*, inquit, *non confitetur, secundùm Sanctos Patres, propriè, & verè Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem in Unitate, & Unitatem in Trinitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus, anathema sit.* Et idem habet Concil. Florent. *in litteris union. sess. ult.* sub Eugen. IV. ex quibus satis apertè constat dari in Deo tres subsistentias relativas; ergo &c.

Probatur secundò authoritate Sanctor. Patrum. 187.
D. Justin. *q.* 17. *ad Orthodoxos. Unus est*, ait, *Deus uno, & individuo subsistantiæ, sed tres Personæ divisione consistentiarum.* D. Athan. *tom.* 2. *quæst. q.* 7. *Tres Personas*, inquit, *Confiteor, tres subsistentias, tria propria, tria individua, tres characteres.* Et D. Greg. Nyssen. *orat. Catechet. cap.* 3. docet in Trinitate idem esse *distinctum, ac discretum consistentiâ, & hypostasi.* Et *lib. de Trinit. Tria*, ait, *unumquodque in propria subsistentia Personæ.* Et D. Damascen. *lib.* 1. *fidei cap.* 9. *Tres*, inquit, *hypostases, id est subsistentiæ, & Personæ.* Et D. Amb. *in Symbol. Apostol. cap.* 2. *Catholicum est*, inquit, *ut & unum Deum secundùm unitatem subsantiæ fateamur, & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum in suâ quemque subsistentiâ sentiamus.* Idem habent *D. Greg. Nazianʒ. orat.* 25. *ad Arian. n.* 52. *D. Chrysost. ad Heb.* 1. *hom.* 2. *D. Cyril. Alex. Dialog. de Trinit. lib.* 2. *D. Epiphan. hæres.* 73. *D. Hilar. lib. de Synodis*, §. *Volens D. Hieron. tom.* 9. *epist.* 17. *Theodoret. ad Hebr.* 1. *ad illud: Figura subsantiæ*, & alii.

Dicent primò, Concilia, & Sanctos Patres in- 188.
telligi posse de subsistentia, non in abstracto, sed in concreto, quo sensu idem est esse in Deo tres subsistentias, atque tres subsistentes, seu habentes subsistentiam; non autem quod sint tres rationes formales subsistendi. Sed contra, quia concreta substantiva non multiplicantur in Deo, nisi multiplicata ratione formali, ut cum D. Thom. *hic q.* 30. *art.* 4. docent Doctores Catholici. Et patet ex principiis fidei, nam ideò tres Personæ Divinæ non sunt, neque dicuntur tres Dii, quia non multiplicatur Deitas, quæ est significatum formale, licet sint tres habentes Deitatem. Et in Christo Domino una tantùm est Persona, quia non multiplicatur personalitas, quæ est ratio formalis, licet Naturæ habentes sint duæ; sed ex Conciliis, & Patribus citatis multiplicatur susibstentia substantivè; ergo &c.

Dicent secundò, subsistentias ibi sumi, non 189.
substantivè, sed adjectivè pro subsistentibus. Sed contra, quia licet nomen abstractum in divinis quandoque usurpetur pro concreto propter identitatem prædicati pro subjecto, nunquam tamen absolutè sumitur pro adjectivo; siquidem absolutè prolatum continet sensum diversum, & improprium; sic enim licet tres Personæ Divinæ dici possint adjectivè tres Omnipotentes, tres Increati, tres Immensi, nunquam tamen dicuntur absolutè tres Omnipotentes, &c. juxta Symbolum D. Athan. & multò minùs dici possunt tres Omnipotentiæ, sumpto abstracto pro concreto; siquidem eo ipso intelligeretur Omnipotentia in concreto substantivè, Concilia autem, & Patres absolutè dicunt dari in Deo tres subsistentias, sicque locuti sunt de multiplicatione substantiva.

Dicent tertiò, in Deo esse quidem tres subsi- 190.
stentias incommunicabiles ita tamen ut rationem subsistentiæ habeant à subsistentia Essentiæ absolutâ, & communi, à se autem ut à proprietatibus personalibus habeant solam incommunicabilitatem, qua constituuntur Personæ in ratione Personarum.

Sed contra, quia sequeretur: Primò, Unio- 191.
nem Humanitatis Christi Domini non esse factam in subsistentia sub ratione subsistentiæ, sed tantùm incommunicabilitatis contra illud D. Athan. in Symbol. ibi: *Perfectus homo ex anima rationali, & humanâ carne subsistens*: Ubi de Unione ad subsistentiam loquitur. Secundò non esse in Deo tres

subsistentias, sed tres incommunicabilitates contra Concil. & Patres supra citatos, qui tres subsistentias expresè asserunt. Tertiò, subsistentiam formaliter, prout est subsistentia, non continere in sua quidditate incommunicabilitatem, quod est falsum, ut ex dicendis constabit; ergo si in Deo concedunt tres incommunicabilitates, etiam debent concedere in Deo tres subsistentias.

192. Probatur tertiò rationibus: Prima ratio est, quia in Divinis admittuntur tres Personalitates realiter distinctæ, quales sunt proprietates illæ Relativæ constituentes Personas, de quibus supra; sed non intelligitur Personalitas, quin intelligatur subsistentia; siquidem Personalitas solùm addit supra subsistentiam connotationem naturæ rationalis completæ; Subsistentia enim est gradus veluti magis universalis, qui per suppositalitatem limitatur ad substantias completas, & per personalitatem ad rationales, cùm Persona, ut diximus, definiatur: *Rationalis naturæ individua substantia*, id est subsistentia; ergo &c.

193. Secunda ratio est, quia Persona per id formaliter subsistit, per quod formaliter redditur incommunicabilis, ut patet in creatis; sed Personæ Divinæ per Relationes redduntur formaliter incommunicabiles, ut ipsi Adversarii fatentur; ergo per illas formaliter subsistunt; alioqui si Relationes solùm essent ratio incommunicabilitatis, & subsistentiam supponerent, sequeretur illas inexistere in re subsistente; hoc autem est contra rationem suppositi, quam ipsi Adversarii dicunt constitui per Relationes; siquidem implicat, quod aliquid sit ratio suppositi, & secundùm eandem rationem inexistat in illo, illud supponendo, cùm nihil possit supponi, nisi jam subsistendo; ergo &c.

194. Tertia ratio est, quia Concilia, & Sancti Patres, ut in Christo Domino defendant unicam Personam, profitentur, unicam esse illius subsistentiam; ergo si in Trinitate non essent tres subsistentiæ, non concederent tres Personas.

195. Quarta ratio est, quia Unio Hypostatica facta est ad subsistentiam Verbi Divini; siquidem facta est immediatè ad id, quod tali naturæ deerat; ei autem deerat sola subsistentia; sed talis Unio facta est ad aliquid proprium ipsius Verbi: tùm quia ita definitum fuit in Concil. Tolet. 6. in Confess. Fidei, ibi: *Solus Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ, non in unitate Divinæ Naturæ, id est, in eo, quod proprium est Filii, non quod commune est Trinitati*: tùm etiam, quia si in aliquo communi, tota Trinitas foret incarnata; ergo cùm sola Relatio Filii sit illius propria, sola Relatio tam in Filio, quàm in aliis Personis habet rationem subsistentiæ; sed Relationes sunt tres; ergo in Deo tres dantur subsistentiæ Relativæ.

196. Quinta ratio est, quia Personæ Divinæ constituuntur, & distinguuntur subsistentiis, ut docent Concilia, & Sancti Patres, & patet ex supra dictis; sed distinguuntur solùm per id, quod est eis proprium, & non commune; ergo id, quod est eis proprium, est subsistentia; sed solæ Relationes Personales sunt eis propriæ, & distinctæ; hæ autem sunt tres; ergo tres sunt in Deo subsistentiæ.

197. Objicies 1. D. Aug lib. 7. de Trinit. cap. 4. *Omnis*, inquit, *res ad se ipsam subsistit, quantò magis Deus.* Idem tenent alii Patres, qui etiam docent, subsistere esse ad se; sed Relationes sunt ad aliud; ergo non possunt habere rationem subsistentiæ; consequenterque non sunt in Deo tres subsistentiæ relativæ. Respondeo primò apud D. Aug. loc. cit. & alios Patres sumi subsistere pro perfectè existere, ut infra dicemus: nos autem loquimur de subsistentia propriè dicta, prout est ultimus terminus incommunicabilis. 192.

Respondeo secundò D. Aug. & alios Patres intelligendos esse de significato formali subsistentiæ, quæ pro ut abstrahit ab absoluta creata, & relativa divina est ad se, hoc est ad constituendum unum per se cum natura: hoc tamen non tollit, quominùs significatum materiale subsistentiæ Divinæ sit relativum; sicut enim Relationes, licet tales sint, constituunt Personas Divinas, quod non reperitur in creatis, ita etiam in Divinis potest subsistere esse ad se, absque eo, quod excludat esse relativum, sive ad aliud.

Objicies 2. Unius naturæ substantialis una tantùm est subsistentia; sed Natura Divina est una tantùm; ergo unicâ tantùm subsistentiâ absolutâ, & non triplici relativâ subsistit. Respondeo distinguendo majorem: Unius naturæ substantialis una tantùm est subsistentia, si natura ipsa sit creata, & finita; transeat major: si sit increata, & infinita; nego majorem: diversa ratio est, quia Natura Divina, cùm sit infinitè communicabilis, & alioqui non possit communicari per multiplicationem sui ipsius, exigit communicari per multiplicationem suppositi, seu subsistentiæ, sicque licet sit in se una, potest triplici subsistentiâ terminari: at verò natura creata, cùm sit finitè communicabilis, potest per multiplicationem sui ipsius communicari; ac proindè ad sui multiplicationem debet ejus subsistentia necessariò multiplicari. Dixi *transeat major*, quia, An sit possibilis natura creata naturaliter subsistens pluribus subsistentiis? Quæstio est metaphysica, de quâ nos jam alibi in *Met. tr. 2. d. 4. a n. 136.* 193.

Inferes: Ergo cùm Natura Divina sit infinitè communicabilis, infinitæ erunt in Deo subsistentiæ propter infinitam communicationem ipsius Naturæ, non multiplicatione Naturæ, sed subsistentiarum. Respondeo negando illationem; cùm enim in Deo *ad intra* duplex tantùm sit operatio, nempè Intellectûs, & Voluntatis, duplex tantùm est processio realis, prout supra diximus. 194.

Objicies 3. In divinis perfectio simpliciter simplex non multiplicatur realiter; sed subsistere est perfectio simpliciter simplex; siquidem in quolibet ente melius est subsistere, quàm non subsistere; Relationes autem multiplicantur realiter; ergo &c. Respondeo primò cum P. Ruiz, & aliis, subsistentias Relativas dicere quidem perfectionem simpliciter simplicem, sed eandem, ideoque licet multiplicentur rationes subsistendi, non multiplicari perfectionem simpliciter. Non placent, quia perfectio recurrit cum ente; sed multiplicatur entitas relativa; ergo etiam perfectio relativa. 195.

Respondeo secundò cum aliis admittentibus in Deo subsistentiam absolutam, solam rationem subsistendi absolutè esse perfectionem simpliciter, & non ita subsistendi relativè; sicque multiplicatâ ratione subsistendi relativè, non ideò multiplicatur perfectio simpliciter. Cùm tamen & subsistentiam absolutam, & Relationes Divinas esse perfectiones simpliciter negemus. Respondeo tertiò, concessa majori, negando minorem; subsistere enim prout abstrahit ab absoluto, & relativo non est perfectio simpliciter, quia aut limitationem, aut oppositionem importat, ut supra diximus. 196.

Objicies 4. Deus prout præscindit à Personis est

est subsistens subsistentiâ absolutâ; sed una subsistentia non potest ulterius subsistere per alias; ergo Relationes non sunt subsistentiæ, sed diversi modi incommunicabilitatis ejusdem subsistentiæ absolutæ. Respondeo negando majorem; Deus enim prout præscindit à Personis, tam determinatè, quàm indeterminatè formaliter non subsistit propriè loquendo, sed identicè, prout ex dicendis constabit.

204. Objicies 5. Natura Divina non terminatur ultimò his Relationibus; siquidem terminata per Paternitatem, adhuc est terminabilis Filiatione, & terminata per Filiationem, adhuc est terminabilis spiratione passivâ; ergo neutra habet rationem subsistentiæ, cùm neutra sit ultimus terminus. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus esse veram de Natura Divina specificativè sumpta, non autem reduplicativè; eadem enim Natura, quæ terminatur Paternitate, terminatur etiam Filiatione, & Spiratione passiva; sed prout est terminata Paternitate, non est terminabilis Filiatione, aut Spiratione passiva, aut è contra, quod sufficit, nam de ratione ultimi termini non est, quod natura, quam terminat, specificativè sumpta, & ut distincta à termino, non possit alio termino terminari, sed quod reduplicativè sumpta cum termino ultimo non possit ulteriùs terminari; cùm autem ita se habeat Natura divina cum his tribus relationibus, omnes hæ tres relationes sunt illius subsistentiæ. Vide alibi à nobis dicta *in Metaphys. tract. 2. d. 3. à num. 363.* ubi etiam multa diximus de sequenti conclusione, quam prætermittere noluimus, quia præcipua in hac materia. Vide igitur pro illâ cit. loco à *num. 396.* pro qua tamen iterùm sit:

SECTIO X.

Utrùm in Deo admittenda sit subsistentia aliqua absoluta?

205. Uamvis in hac difficultate *P. Soar. & P. Vasq.* locis supra cit. in aliquibus conveniant, in aliis tamen differunt quoad rem ipsam, & non in solo nomine. Conveniunt primò (neque differre possunt) in eo, quod nullus admittit in Deo aliquam rationem absolutam, quæ reddat Deum omninò incommunicabilem, & sit ultimus terminus constituens Personam, aut semipersonam, ut volebat Cajet. apud *P. Soar. Lusit. in Met. tract. 2. d. 2. num. 205.* Secundò conveniunt, quatenùs uterque concedit Naturæ Divinæ suam existentiam subsistantialem independenter à Relationibus.

206. Differunt primò in re, quatenùs *P. Soar. tom. 1. 3. p. d. 11. sect. 3. §. Dico primò.* docet, existentiam Naturæ Divinæ illam reddere, non solùm subsistantialiter existentem, id est, non in subjecto, quod commune est etiam existentiis subsistantialibus creatis, sed etiam reddere illam existentem in se, & per se, id est nullo indigentem sustentante, aut re, aut ratione distincto, ut in se, & per se existat. At verò *P. Vasq. 1. p. d. 125. num. 9.* docet Essentiam Dei per existentiam illam tantùm non compleri nostro modo intelligendi, ut per se esse possit sine aliquo alio, id est, sine modo illo relationis, quo suppositum constituitur, in quo satis differt à *P. Soar.* quoad rem.

207. Differunt secundò quoad vocem, quatenùs *P. Soar.* existentiam illam per se vocat subsistentiam, & *P. Vasq.* id simpliciter negat, & conformiùs quidem ad Concil. & Sanct. Patres, ut latè ostendit *cap. 4.* cujus ratio est (præter alias, de quibus statim,) quia subsistentia est ultimus terminus ultimò complens naturam, illamque reddens incommunicabilem; sed hanc incommunicabilitatem nullum prædicatum absolutum in Deo potest includere; absoluta enim in Deo omnia sunt communia; ergo &c. His positis.

Dico 1. In Deo prout præscindit à Personis datur 208.
subsistentia absoluta, si sermo sit de subsistentia lato modo, & impropriè. Ita *P. Arriaga 1. p. d. 51. sect. 2. n. num. 7. P. Amicus 1. p. d. 21. num. 9.* Probatur, quia subsistentia prout sic sumpta, nihil aliud est, quàm existentia absoluta perfectissima debita Naturæ Divinæ, etiam ut præcisæ à Relationibus, per quam ipsa Natura Divina sit independens ab omni subjecto, & supposito distincto; sed hujusmodi existentiam habet Natura Divina, prout præscindit à Personis; ergo prout sic habet hujusmodi subsistentiam absolutam, impropriè, & lato modo subsistentiam nuncupatam.

Dices 1. Existentia creata non habet hanc ra- 209.
tionem subsistentiæ impropriè, & lato modo dictæ; ergo neque illam habebit Existentia Divina. Respondeo dato antecedente, quod etiam poterat negari cum P. Arriaga cit. negando consequentiam; diversa ratio est, quia existentia creata, cùm sit imperfecta, & incompleta in genere existendi, ideò indiget complemento distincto, quo compleatur, qualis est ejus subsistentia: at verò Existentia Divina, cùm sit perfectissima, ideò non ex indigentia, sed ex fœcunditate postulat subsistentias relativas, quibus compleatur in ratione suppositi.

Dices 2. Relationes Divinæ habent suas exi- 210.
stentias proprias relativas, ut supra diximus, virtualiter distinctas ab existentia absoluta Naturæ; ergo addendo illas Naturæ, eam complent in ratione existentis formaliter; alioqui non efficerent cum illa unum per se; neque enim ex duobus entibus completis fit unum per se. Respondeo negando consequentiam, ad cujus probationem, dicimus ad efficiendum unum per se, sufficere, quod Relationes Divinæ compleant Naturam in ratione suppositi incommunicabiliter; & natura illas compleat in ratione principii perfectè operativi in ordine ad tertium constitutum, qualis est Persona Divina.

Dico 2. In Deo prout præscindit à Personis non 211.
datur subsistentia absoluta propriè dicta. Ita Doctores supra citati *num. 185.* Probatur primò authoritate in sexta Synodo *act. 11. & 13.* ibi: *Sabellianorum ista est pravitas, in unam subsistentiam tres confundere subsistentias.* Et infra: *Utrumque*, ait, *esse impium, tam singularitas circa subsistentiam, quam ternalitas in Naturis.* Et infra: *Neque*, inquit, *substantias confundentes, & in unam eas subsistentiam deducentes:* Et D. Damascen. *epist. de Trisagio. Trinitatem*, ait, *impossibile est dicere unam hypostasim.* Et infra: *Non est autem ipsorum communis una hypostasis; Deitas autem communis est trium hypostasum una existens.* Et D. Ambr. *in Symbol. Apostol. cap. 2. Sabellius*, inquit, *docuit unam subsistentiam esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unamq; trinominem personam.* Et D. Hilar. *lib. de Synodis. Non unum subsistentem, sed unam substantiam non differentem.* Idem habent *D. Iustin. cap. 17. ad Orthodoxos. D. Athan. dialog. 1. contr. Anomœum.*

D. Greg.

D. Greg. Nyssen. lib. de different. essent. D. Cyrill. Alexand. lib. 1. Thesaur. cap. 9. adversus Arianos. & alii.

212. Confirmatur, quia cùm inter Patres Græcos, & Latinos concordatum sit, Hypostasim idem esse formaliter, atque subsistentiam, admittere in Deo subsistentiam absolutam idem esset, atque admittere Hypostasim absolutam; sed hoc erroneum est; ergo &c. Dicent, Hypostasim, & subsistentiam recurrere solùm in natura intellectuali incommunicabili, non autem communicabili. Sed contra primò, quia hoc non est recurrere subsistentiam cum hypostasi; siquidem habent diversum significatum. Secundò, quia ideò usurpant subsistentiam pro hypostasi, & è contra, quia utraque importat incommunicabilitatem naturæ intellectualis, qualem non habet in Deo aliquid absolutum.

213. Probatur secundò rationibus: Prima ratio est, quia subsistentia propriè dicta, ut constat ex ejus conceptu, & definitione, de qua nos in *Met. tr. 2. d. 3. n. 7.* est ultimus terminus naturæ substantialis; sed nullum absolutum in Deo est, neque potest esse ultimus terminus Naturæ Divinæ; siquidem in Deo omne absolutum ulterius terminatur per subsistentias relativas; ergo &c. Confirmatur, quia quod in relativo subsistit eo ipso non terminatur, neq; subsistit in absoluto; siquidem in absoluto subsistere esset ultra terminum absolutum non extendi; sed hoc est falsum; siquidem omne absolutum in Deo terminatur relativo; ergo &c.

214. Dicent, solam subsistentiam creatam ob suam limitationem, aut Divinam Relativam propter suam oppositionem esse ultimum terminum; divinam verò absolutam ob suam infinitatem posse ulteriori termino relativo communicari. Sed contra, quia hoc nihil aliud est, quàm dicere id, quod vocant subsistentiam, non esse subsistentiam; siquidem de ratione subsistentiæ est, quod sit ultimus terminus; alioqui dicant etiam dari suppositum, aut personam absolutam; siquidem eodem modo possunt dicere, solùm esse de ratione personæ creatæ, aut divinæ Relativæ, quod ultimò terminetur, & non ita esse de ratione personæ absolutæ.

215. Secunda ratio est, quia subsistentia propriè dicta est essentialiter incommunicabilis termino, cùm sit ipsa positiva, & proxima radix incommunicabilitatis negativæ, ut constat ex conceptu, & definitione subsistentiæ tradita loco proximè citato; sed omne absolutum in Deo est communicabile termino relativo, ut est definitum in Concil. Florent. *Sess. 18.* ergo nullum absolutum in Deo habet, neque habere potest rationem subsistentiæ propriè dictæ. Confirmatur, quia semel concesso, quod aliquid communicabile sit propriè subsistentia, nulla ratio assignari potest, cur spiratio activa non sit etiam propriè subsistentia; siquidem tota ratio, cur talis non est, consistit in eo, quod sit communicabilis Patri, & Filio; hoc autem non est concedendum; alioqui essent quatuor subsistentiæ relativæ, quod est, temerarium, ut patet ex supra, & alibi dictis; ergo &c.

216. Dicent primò, spirationem activam ideò non esse subsistentiam, quia advenit Patri, & Filio jam constitutis in esse subsistentis per Paternitatem, & Filiationem. Sed contra, quia ex hoc sequitur, aut Paternitatem, Filiationem, & Spirationem passivam non esse propriè subsistentias, quia adveniunt Naturæ jam constitutæ propriè in esse subsistentis per subsistentiam absolutam; aut Naturam non supponi propriè subsistentem ante subsistentias Relativas; consequenterque nullam dari in Deo subsistentiam absolutam propriè.

217. Dicent secundò, dari diversam rationem; siquidem spiratio activa advenit Naturæ jam subsistenti relativè, hoc est ultimò terminatæ: at verò Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva adveniunt Naturæ subsistenti solùm absolutè, & non ultimò terminatæ. Sed contra primò, quia spiratio activa advenit Naturæ posterior Paternitate, & Filiatione; ergo advenit Naturæ non ultimò terminatæ; consequenterque erit propriè subsistentia. Secundò, quia si subsistentia absoluta est propriè subsistentia; implicat in adjectis, quod Natura Divina per illam subsistat, & per illam non ultimò terminetur, cùm de ratione subsistentiæ propriè dictæ sit, quod sit ultimus terminus; ergo Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva adveniret Naturæ ultimò terminatæ; consequenterque aut non essent subsistentiæ, aut talis etiam esset spiratio activa.

218. Dicent tertiò, spirationem activam ideò non esse subsistentiam, maximè verò Paternitatem, Filiationem, & Spirationem passivam, quia illa advenit ut forma, non autem ut terminus; hæ autem adveniunt ut termini, & non solùm ut formæ. Sed contra, quia non assignatur ratio, cur Paternitas (sicque de aliis) adveniat ut terminus, & non solùm ut forma, spiratio verò activa adveniat ut forma, & non ut terminus, nisi quia illa advenit incommunicabiliter; hæc autem communicabiliter, cum quo stare non potest ratio termini ultimi, neque subsistentiæ, sicque talis non est spiratio activa, sicut neque talis erit ratio illa subsistendi absoluta.

219. Tertia ratio est, quia talis subsistentia communis absoluta, aut est necessariò admittenda in Deo; aut non: Non primum: tùm quia Natura Divina sufficienter subsistit, & terminatur tribus subsistentiis Relativis: tùm etiam, quia si illa fuisset necessaria, hæ fuissent superfluæ; siquidem Pater, Filius, & Spiritus Sanctus plenè, & perfectè subsisterent per illam subsistentiam absolutam communem; cùm tamen sine errore negari non possint in Deo tres subsistentiæ Relativæ: Si secundum; ergo admittenda non est in Deo, cùm sit superflua, in Deo autem nihil superfluum debeat admitti.

220. Argues 1. authoritate *Epist.* Agathonis Papæ, quæ habetur in 6. Synodo. *act. 4. & 17.* ibi: *Confitemur*, inquit, *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non tres Deos, sed unum Deum, non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum, seu Personarum unam subsistentiam*: ubi apertè dicit dari in Deo unam tantùm subsistentiam; non relativam; ergo absolutam, & communem omnibus Personis. Respondeo non esse legendum, nisi *trium subsistentiarum unam substantiam*, ut notarunt *P. Vasq. P. Ruiz*, & alii supra citati, fuit enim error editionis, in qua posuerunt *subsistentiam*, cùm deberent ponere *substantiam*.

221. Argues 2. D. Aug. *lib. 7. de Trinit. cap. 4. Omnia res*, ait, *ad se ipsum subsistit, quantò magis Deus.* Et *cap. 5. Hoc est*, inquit, *Deo esse, quod subsistere, & ideò si una essentia Trinitas, una etiam substantia.* D. Hieron. *epist. 57. ad Damasum. Taceantur*, inquit, *tres hypostases, si placet, & una teneatur.* Idem ferè habent *D. Dionys. cap. 1. de Divin. nomin. D. Hilar. lib. 7. de Trinit. D. Cyril. Alex. D. Leo Magn. serm.*

serm.1.de Pentecost.cap.3.D.Isidor. lib.2. de different. cap. 4. & alii, quos videre licet apud *P. Ruiz cit. sect. 8. & 9.* qui omnes videntur admittere in Deo unam subsistentiam absolutam omnibus Personis communem. Respondeo D. Aug. sicut omnes alios Patres locutos fuisse de subsistentia, prout recurrit cum existentiâ perfectâ, quo pacto Deo competit ratione Naturæ; non autem de subsistentia, prout recurrit cum ultimo termino incommunicabili, quæ sola est propriè subsistentia, de qua est sermo, & dicimus nullam dari in Deo absolutam, ut patet ex dictis.

222. Argues 3. Subsistere est independere ab aliquo sustentante; sed Natura Divina secundùm se ita se habet; siquidem non pendet, neque sustentatur à Personalitatibus; imò potiùs eas quodammodò sustentat; alioqui processiones divinæ in Deo essent ex indigentia essendi; ergo &c. Respondeo primò cum communi, & probabiliter, subsistere impropriè esse independere ab aliquo sustentante; secùs autem subsistere propriè; hoc enim superaddit incommunicabilitatem alteri supposito.

223. Respondeo secundò cum aliis, subsistere idem esse, atque independere ab aliquo sustentante ut à termino; non autem ut à subjecto, seu (quod idem est) atque in suo ultimo termino sistere: at verò Natura Divina, prout præscindit à Personis, non concipitur ut sistens in suo ultimo termino; siquidem ulterius inexistit termino relativo, sicque antecedenter ad subsistentias Relativas nullam habet subsistentiam absolutam. Neque ex hoc sequitur, quod processiones Divinæ sint ex necessitate essendi absolutè, sed ex necessitate essendi terminativè, & suppositaliter, quod non implicat. Patet, quia sicut Deus eodem sensu dicitur indigere suâ Omnipotentiâ, ut possit, suâ Scientiâ, Intellectu, & Voluntate, ut sciat, intelligat, & velit, idque sine ulla imperfectione, ita etiam sine ulla imperfectione dici potest indigere suis subsistentiis relativis, ut subsistat.

224. Addo Naturam Divinam habituram eandem, imò majorem indigentiam respectu subsistentiæ absolutæ, si daretur; siquidem hæc necessaria esset, ut Natura Divina compleretur in existendo; sicque in ea argueret defectum complementi ad existendum; consequenterque imperfectionem: at verò non ita arguunt subsistentiæ Relativæ; siquidem supponunt Naturam perfectissimè completam in ratione existendi, & solam addunt incommunicabilitatem necessariam ad productiones, quæ cùm sint potiùs ex fœcunditate, quàm ex necessitate, etiam talis manet ipsa incommunicabilitas.

225. Argues 4. Essentia Divina, prout præscindit à Personis, dicitur unus Deus in concreto; sed omne concretum substantiale includit subsistentiam; ergo Essentia Divina prout sic includit subsistentiam, non relativam, utpotè ab illa præscindentem; ergo absolutam. Respondeo primò, data majori, distinguendo minorem: omne concretum substantiale includit subsistentiam, aut propriam, aut impropriam; concedo minorem: semper propriam; nego minorem: Essentia autem Divina, prout præscindit à Personis, includit subsistentiam impropriam in sua existentia, prout supra diximus, sicque etiam concretum *Deus* est minùs proprium.

226. Respondeo secundò distinguendo majorem: Essentia Divina, prout præscindit à Personis, dicitur unus Deus in sensu reali, & identico; concedo majorem: in sensu formali, & metaphysico; nego majorem: non ita dicitur formaliter, quia prout sic formaliter non habet subsistentiam; ac proindè est sola Deitas, & non Deus; dicitur tamen unus Deus à parte rei, & identicè, quia à parte rei est idem cum subsistentiis Relativis, cum quibus à parte rei concrescit.

227. Instabis: In Concil Rhemens. ita habetur: *Credimus simpliciter, Naturam Divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin Divinitas sit Deus, & Deus Divinitas*; ergo videtur definire, divinitatem, prout præscindit à Personis esse Deum in concreto, & Deum esse Deitatem dicentem aliquam subsistentiam; non relativam; ergo absolutam. Respondeo Concil. loqui de Deo, & Deitate in sensu identico; non autem in sensu formali, in quo nihil definivit.

228. Urgebis: Concil. docet in nullo sensu catholico posse negari, *quin Divinitas sit Deus, & Deus Divinitas*; ergo si in sensu formali Divinitas negatur esse Deus, sensus formalis non est catholicus; consequenterque est falsus. Respondeo mentem Concilii esse, ut in nullo sensu absoluto, & communi negari possit, Deum esse Deitatem, & Deitatem esse Deum, quia negatio absolutè, & in sensu communi prolata, cùm sit malignantis naturæ, & neget omnia, negaret etiam in sensu identico, quod non est admittendum: quod tamen non tollit, quominùs in sensu formali reduplicativo, & scholastico divinitas quà divinitas formaliter non sit Deus in concreto, aut è contra, quod etiam locum habet in contraria sententia, ut consideranti patebit. Quod autem hæc sit interpretatio Concilii, est evidens; siquidem agebat contra Gilbertum, qui, ut supra diximus, asserebat distinctionem realem inter Deitatem, & Personalitates, sicque Deitatem absolutè non esse Deum.

229. Replicabis: Antequam revelaretur Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, jam cognoscebatur Deus naturaliter; naturaliter enim demonstrabatur à Philosophis unus Deus, prout alibi diximus; sed non ita cognoscebatur cum subsistentiis relativis, hæ enim ignorabantur; alioqui Mysterium Sanctissimæ Trinitatis naturaliter cognosceretur contra id, quod supra diximus; ergo cum subsistentiâ absolutâ; consequenterque hæc datur in Deo. Respondeo distinguendo minorem: non cum subsistentiis relativis determinatè; concedo minorem: indeterminatè; nego minorem: cognoscebatur enim cum aliqua subsistentia indeterminatâ, & abstrahendo ab eo, quod esset, aut non esset absoluta, vel Relativa; una tantùm, aut tres; quod satis erat, ut cognoceretur Deus in concreto, cùm jam aliquam denotaret subsistentiam. Undè si fortè assererent in Deo subsistentiam absolutam, errarent ex ignorantia modi subsistendi divinitatis.

230. Dices: *Hic Deus* est communis Patri, Filio, & Spiritui Sancto; sed *hic Deus* dicit aliquam subsistentiam, cùm dicat Deitatem in habente, sive in subsistente; neque enim potest Deitas haberi, nisi à subsistente, cùm omnis alius modus dicat imperfectionem; cum subsistentiâ autem relativâ non est communicabilis; ergo illam non dicit, neque indeterminatè, sed solam absolutam communem. Respondeo distinguendo majorem: est communis secundùm illud, quod Natura Divina dicit de formali, & expressiùs; concedo majorem: secundùm illud, quod solùm connotat, aut dicit de formali minùs expresè, nempè subsistentiam; nego majorem: undè argumentum non urget.

231. Argues 5. Substantia non est completa ; consequenterque neque perfecta, nisi in concreto ; siquidem subsistentia est complementum, & perfectio naturæ ; sed Deitas, prout præscindit à Personis, est substantia completa perfectissima ; ergo est in concreto ; non cum subsistentia relativa, utpotè ab illa præscindens ; ergo cum absoluta. Respondeo distinguendo majorem : substantia non est completa, nisi in concreto, si sumatur in ratione suppositi ; concedo majorem : in ratione naturæ ; nego majorem : Undè Deitas in abstracto est completa in ratione Naturæ divinæ, licet non ita sit in ratione suppositi. Neque indè sequitur esse imperfectam positivè, cùm nunquam sit absque perfectione sibi debita ; sed solùm præcisivè, prout non concipitur cum omni sua perfectione, etiam in ratione suppositi ; quod etiam ipsi Adversarii tenentur concedere ; siquidem de Natura, prout præscindit à subsistentia absoluta, verum est dicere, quod præscindat à complemento subsistendi absolutè, sicque à perfectione in ratione subsistendi.

232. Argues 6. Ideò in Deo non daretur subsistentia absoluta, quia omnia absoluta in Deo communicantur, de ratione autem subsistentiæ est incommunicabilitas ; sed de ratione subsistentiæ absolutè sumptæ solùm est terminare, & complere Naturam ; incommunicabilitas autem solùm sequitur, aut subsistentiam creatam absolutam ratione suæ imperfectionis ; aut Relativam Divinam ratione suæ oppositionis ; ergo cùm Natura Divina, prout præscindit à Personis, habeat illam completionem, & terminationem in sua perfectione absoluta, suam habet subsistentiam absolutam, licet communicabilem. Respondeo primò concedendo totum, si sermo sit de subsistentiâ impropriè dictâ, qualis est in Deo existentia illius perfectissima ; negando autem, si sermo sit de subsistentia propriè dicta juxta superiùs dicta.

233. Respondeo secundò negando minorem : Primò, quia liberè assumitur, tribuere subsistentiæ solam rationem terminandi, & complendi ; sicut enim Philosophi intendunt definire animal absolutè acceptum : *Est vivens sensitivum* : ita ut nullum assignari possit, quod tale non sit ; ita etiam intendunt definire subsistentiam absolutè acceptam : *Ultimus terminus, & complementum naturæ substantialis*, ita ut nulla possit dari, quæ talis non sit ; sed illa in Deo talis non esset ; siquidem postularet ulterius communicari, & terminari ; ergo non haberet rationem subsistentiæ.

234. Secundò, quia sequeretur, subsistentias relativas in Deo esse, & non esse perfectiores illâ subsistentiâ absolutâ in ratione terminandi : esse, quia ultra illam rationem terminandi, & complendi, adderent rationem incommunicabilitatis, quæ est ultima perfectio, & ratio differentialis subsistentiæ : non esse, quia in Deo omnia absoluta sunt perfectiones simpliciter ; Relativa autem solùm sunt perfectiones secundùm quid. Tertiò, quia cùm in ratione terminandi sit perfectius reddere naturam incommunicabilem, & hoc habeant subsistentiæ creatæ, sequeretur, posse dari aliquam, quæ solùm habeat illam rationem minùs perfectam terminandi, & complendi naturam ; consequenterque dari in creatis subsistentiam communicabilem ; hoc autem nullus admittit ; ergo &c.

235. Instabis : Natura Divina, prout præscindit à Personis, est incommunicabilis, saltem supposito à parte rei distincto ; ergo id habet per subsistentiam absolutam. Respondeo negando consequentiam ; nam si ita esset incommunicabilis per aliquam subsistentiam, foret etiam incommunicabilis Paternitati, &c. sicut enim una materia non completur per aliam ; neque una forma physica per aliam ; ita neque una subsistentia rigorosa per aliam. Confirmatur ex doctrina Adversariorum, quia Natura Divina, prout præscindit à subsistentia absoluta, adhuc esset eodem modo incommunicabilis ; non per aliam subsistentiam ; alioqui daretur processus infinitus ; ergo per se ipsam ; ergo hoc idem habebit, ut dicimus, sine subsistentia absoluta, prout præscindit à Relationibus. Undè tota illa completio, & terminatio provenit ab ipsâ existentia Dei perfectissima, quam diximus subsistentiam impropriè.

Inferes : Ergo Humanitas Christi Domini, 234
cùm sit perfectissimè existens, etiam sic à suâ existentiâ terminabitur, & complebitur impropriè, licet propriè, & incommunicabiliter subsistat per subsistentiam Verbi Divini. Respondeo negando illationem ; diversa ratio est, quia existentia divina, cùm sit infinitè perfecta, est completa in genere existendi, sicque in hoc genere non eget complemento ; alioqui in tali genere careret hac perfectione ; ideoque ratione hujus complementi potest dici subsistentia, licet impropriè : at verò existentia creata Christi Domini, licet sit perfecta, cùm tamen sit finita, & limitata, id non habet, ideoque non potest dici subsistentia, neque impropriè, utpotè quæ terminatur, completur, & subsistit incommunicabiliter per subsistentiam Verbi Divini.

Argues 7. Natura Divina, prout præscindit à 235
relationibus, concipitur ut principium operationum, tam *ad intra* per Intellectum, & Voluntatum, quàm *ad extra* per Omnipotentiam ; siquidem hæ perfectiones sunt absolutæ : in Deo autem omne absolutum est prius relativo ; sed non potest ita concipi sine aliqua subsistentia : tùm quia *Actiones sunt suppositorum* : tùm etiam quia *operatio supponit esse* ; & *Actus secundus supponit actum primum* ; priùs enim est rem perfici in suo esse, quàm id alteri dare ; & constitui in actu primo, quàm in actu secundo ; subsistentia autem perficit, & complet esse, illudque constituit in actu primo ; ergo hæc prout sic datur in Deo ; non relativa, utpotè ab illa præscindens ; ergo absoluta.

Respondeo primò cum *P. Ruiz cit. sect. 10. n. 6.* 236
Deum, sive Naturam divinâ antecedenter ad Relationes concipi ut subsistentem ad operationes per rationem communem subsistendi, licet non per subsistentias Paternitatis, Filiationis, &c. Non placet, quia aut per rationem communem intelligit subsistentiam divinam in communi ; aut aliquam subsistentiam indeterminatam, & vagè sumptam : Non primum : tùm quia subsistentia in communi non est terminus naturæ singularis exercitè : tùm etiam, quia ratio communis subsistendi convenit Naturæ divinæ ratione subsistentiarum singularium ; sicque non potest priùs concipi in Deo, quàm ipsæ subsistentiæ singulares : Non secundum, quia sicut Deus ante Relationes concipitur ut determinatè potens intelligere, & velle, ita etiam determinatè subsistens ; sicut enim operatio absolutè supponit esse absolutè, ita operatio determinata supponit esse determinatum.

Respondeo secundò distinguendo minorem 237
cum communi ; non potest ita concipi sine aliqua subsistentia, aut propriâ, aut impropria ; concedo minorem : propriâ tantùm ; nego minorem : impropriam autem habet Natura divina in sua existentia,

existentia, prout supra diximus, quæ sufficit; siquidem in illa habet Natura divina omne esse existendi, consequenterque verum terminum, quin ad illum egeat termino, sive subsistentiis relativis; sicut suis subsistentiis egent naturæ creatæ, utpotè quarum existentiæ sunt imperfectæ; sicque Natura divina solùm eget subsistentiis Relativis, ut existat incommunicabiliter.

240. Dices: Natura non potest operari nisi ultimò terminata; sed Natura divina antecedenter ad Relationes operatur; ergo est terminata per subsistentiam absolutam. Respondeo negando majorem: tùm quia ut alibi diximus *in Met. tract. 2. d. 3. à n. 470. & d. 4. n. 51. & 71.* si aliqua natura existeret divinitùs absque omni subsistentia, ut posse diximus *d. 3. cit. à n. 439.* adhuc posset operari; siquidem subsistentia non est conditio per se requisita ad operandum: tùm etiam quia in opinione Adversariorum Natura divina cum sola subsistentia absoluta operatur; & tamen non est ultimò terminata. Undè malè adducunt proloquium illud: *Actiones sunt suppositorum*, cùm teneantur dicere cum fide, Naturam divinam cum subsistentia absoluta non esse suppositum, & tamen cum illa operari dicant, sicque nomine suppositorum debent intelligere, sicut nos intelligimus, res singulares, nempè *Actiones sunt rerum singularium.*

241. Respondeo tertiò ad argumentum distinguendo majorem: Natura Divina, prout præscindit à Relationibus, concipitur ut principium operationum ut *quo*, concedo majorem: ut principium *quod*; nego majorem: concipitur ut principium *quo*, quia formalis ratio producendi *ad extra* est Omnipotentia; & *ad intra* est Intellectus, & Voluntas, quæ prædicata, cùm sint absoluta, sunt priora relativis: non ita verò concipitur ut principium *quod*, quia principium *quod* productivum *ad extra* non est sola Natura divina cum Omnipotentia ut sic, sed ut subsistens triplici subsistentia; & principium *quod* productivum *ad intra* respectu Filii est totus Pater; & respectu Spiritus Sancti est Pater, & Filius: potest autem principium *quo* operationis esse prius principio *quod*, ut patet in creatis, ubi forma, quæ est principium *quo* genitoris, est prior, quàm suppositum, quod ultimò denominatur tanquam principium *quod.*

242. Instabis 1. Licet respectu operationis notionalis, qualis est generatio, principium *quod* sit Pater, respectu tamen operationis essentialis, qualis est Intellectio, solùm absolutum est principium *quod*; ergo hoc debet constitui aliquâ subsistentiâ absolutâ. Respondeo supponi falsò, quod Intellectio, & Volitio essentiales sint propriè operationes: solùm enim grammaticaliter significantur per modum actionis, cùm tamen tales non sint; est enim Deus essentialiter intelligens; respectu autem operationis impropriæ sufficit principium singulare, & impropriè subsistens. Patet, quia omnia Attributa Divina, imò & ipsa subsistentia absoluta, quam admittunt, concipiuntur emanare à Natura divina, quam tamen non supponunt subsistentem propriè, sed impropriè, id est perfectissimè existentem.

243. Instabis 2. Si principium *quo ad extra* concipitur priùs relativis, priùs intelligentur possibilia, quàm Personæ Divinæ; hoc autem est falsum; siquidem magis necessariæ sunt Personæ Divinæ, quàm possibilia; ergo &c. Respondeo primò retorquendo argumentum in Adversarios; siquidem admittentes subsistentiam absolutam antecedenter ad Relativas, admittunt totum principium *quod* in ordine ad possibilia priùs, quàm Relationes; consequenterque ipsa possibilia priora absolutè, quàm Personas; sed hoc non judicant inconveniens; ergo neque illud judicare debebant.

244. Respondeo secundò negando majorem, nam in eo priori, aut solùm intelligitur Omnipotentia secundùm suum conceptum primarium ut potentia fœcundissima ad producendum quidquid non implicat, si non implicet: aut solùm concipitur ut potentia absoluta ad possibilia, non ut possibilia pro eodem priori, sed pro posteriori Personarum: sicut in priori, quo forma concipitur antecedere subsistentiam concipitur ut potentia generativa *ut quo* in ordine ad generandum, non pro eodem priori, sed pro posteriori subsistentiæ.

245. Argues 8. Natura Divina prout præscindit à Personis includit omnem perfectionem simpliciter simplicem; sed subsistere est perfectio simpliciter simplex; siquidem perfectio simpliciter simplex, ut diximus, est illa, quæ comparata ad quodlibet ens, ut ens, melior est ipsa, quàm non ipsa; respectu autem cujusque entis meliùs est subsistere, quàm non subsistere; ergo &c. Respondeo primò cum Patre Arriaga negando majorem, nam etiam Relationes divinæ, ut tenent aliqui, sunt perfectiones simpliciter simplices; & tamen Natura divina eas non includit formaliter.

246. Respondeo secundò distinguendo minorem: subsistere radicaliter est perfectio simpliciter simplex; concedo minorem: subsistere formaliter; nego minorem: subsistere radicaliter est perfectio simpliciter simplex, quia exigere habere suum complementum, & ultimum terminum est perfectio rei non indigentis ulteriori termino, cui nulla alia perfectio major, aut æqualis opponitur, & hoc habet Natura divina ut præscindens à subsistentia: at verò subsistere formaliter non est perfectio simpliciter simplex; siquidem cùm includat essentialiter incommunicabilitatem, excludit communicabilitatem, quæ est perfectio simpliciter; quod autem excludit unam perfectionem simpliciter, non potest esse perfectio simpliciter simplex.

247. Respondeo tertiò negando absolutè minorem, si loquamur de proprio subsistere, nam ut subsistere prout sic esset perfectio simpliciter simplex, deberet in quolibet meliùs esse ipsa subsistentia, quàm non ipsa, ut cum communi Theologorum dicit argumentum; non ita tamen est; siquidem meliùs est Naturæ Divinæ communicari, quàm non communicari tribus Divinis Personis; sicque non ei est meliùs subsistere, quàm non subsistere propter incommunicabilitatem, quam essentialiter defert ratio subsistendi.

248. Instabis: Si Deus unam tantùm haberet subsistentiam absolutam, hæc esset perfectio simpliciter simplex; ergo subsistere ex suo conceptu dicit perfectionem simpliciter simplicem. Resp. suppositionem implicare in terminis; siquidem supponit Deum, fore Deum sine communicabilitate infinita, quæ est perfectio simpliciter: aut fore communicabilem per productionem Naturæ divinæ, quæ importat limitationem. Undè subsistere ex suo conceptu importat disjunctivè, aut limitationem, ut fit in creatis, aut oppositionem, ut fit in divinis; utrumque autem destruit rationem perfectionis simpliciter, sicque repugnat in Deo esse aliquod subsistere absolutum, in quo nullum absolutum dicit limitationem, nec oppositionem.

249. Urgebis: Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio,

à Filio, ex communi Theologorum sententia Spiratio passiva non se opponeret Filiationi, imò cum illa identificaretur; siquidem tota Essentia Filii communicaretur Spiritui Sancto, & inter se non distinguerentur realiter; & tamen tales Relationes essent veræ subsistentiæ; ergo de ratione subsistentiæ non est, quod alteri non communicetur, aut ei opponatur. Respondeo tales Relationes in facta suppositione, neque esse easdem, neque rigorosas subsistentias, saltem subsistentiam Filii ob rationem supra factam.

250. Argues 9. Si Natura divina per solas subsistentias relativas subsisteret, non subsisteret in omni genere, neque esset in omni genere completa; siquidem cùm subsistentiæ Relativæ solùm sint tales in certo genere, non possunt illud præstare; Nemo enim dat, quod non habet; sed illud non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando majorem; nam præterquam quod Natura sit in sua existentia perfectissimè completa, incommunicabilitas, quam accipit à qualibet subsistentia relativa, est completa respectu cujusque alterius suppositi; siquidem quælibet ex illis est ultimus terminus, sicque in omni genere.

251. Instabis: Quælibet relatio solùm est subsistentia in certo genere, nempè Paternitas in genere Paternitatis, sicque de aliis, ac proindè in eo solùm genere reddit Naturam subsistentem; ergo &c. Respondeo quamlibet relationem esse quidem subsistentiam in certo genere, nempè relativo; non tamen in genere subsistendi; siquidem cùm quælibet sit ultimus terminus respectu omnium aliorum terminorum, quælibet reddit Naturam incommunicabilem, & ultimò terminatam in omni genere. Addo, argumentum posse in Adversarios retorqueri, quia positâ subsistentiâ absolutâ, Natura divina secundùm esse absolutum non subsistit subsistentiis relativis, sed per illas ulterius subsistit, & terminatur; & tamen Natura subsistens subsistentiâ absolutâ, ut dicunt, subsistit, & terminatur in omni genere subsistendi; ergo etiam sic subsistet per quamlibet subsistentiam relativam, licet quandiu unâ subsistit, adhuc non subsistat per aliam.

252. Argues 10. Præter Verbum notionale admittitur in Deo Verbum absolutum, & essentiale; ergo etiam præter subsistentias relativas admittetur in Deo subsistentia absoluta. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia illud verbum absolutum, & essentiale est necessarium in Deo, quatenùs Deus, prout præscindit à Personis, concipitur intelligens, non autem datur Intellectio sine actione, & termino producto quoad nos: at verò subsistentia illa absoluta necessaria non est; siquidem Deus, prout præscindit à Personis, ab existentia sua habet, quidquid illa subsistentia præstaret, sicque illam non habet, imò neque habere potest, redderetur enim incommunicabilis Personis.

253. Instabis: Verbum illud essentiale est Deo necessarium, ut per illud intelligat essentialiter; ergo etiam ei necessaria erit subsistentia absoluta, ut per illam subsistat absolutè. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia cùm verbum essentiale, sive conceptus divinus non sit perfectio potentiæ in actu primo, ei non debetur, sicque ejus indigentia non arguit imperfectionem, neque defectum in ipsa potentia illum exigente, ut intelligat, & compleatur in actu secundo: at verò subsistere, cùm sit complere existentiam, illius exigentia argueret in ipsa existentia defectum in existendo, & carentiam perfectionis sibi debitæ; hæc autem non debent admitti in existentiâ simpliciter perfectâ in omni genere, qualis est existentia divina.

254. Argues 11. In Divina Natura, & in natura creata illud datur discrimen, quod hæc, seclusâ personalitate, sit incompleta, illa verò completa; sed non subsistentiâ relativâ, dicimus enim, illâ præcisâ, esse completam; ergo subsistentiâ absolutâ. Respondeo negando consequentiam, si sermo sit de subsistentiâ absolutâ propriè dictâ, solùm enim prout sic completur per suam existentiam perfectissimam, & independentem ab omni alia entitate distinctâ, & postulantem subsistentiam solùm, ut compleatur in ratione suppositi incommunicabilis, in quo satis distinguitur à natura creata, ut patet ex supra dictis.

255. Argues 12. cum *P. Granad. tract. 4. d. 5. sect. 5.* Subsistentiæ Relativæ immediatè, & formaliter solùm reddunt subsistentem Sapientiam, quæ sola formaliter, & immediatè communicatur Verbo, & Amorem, qui formaliter etiam, & immediatè communicatur Spiritui Sancto, quantùm est ex vi formalis processionis; sed subsistentia non minùs debetur Naturæ, ac reliquis Attributis, cùm sint substantiæ, cujus proprium est subsistere; ergo concedenda est peculiaris subsistentia, quâ Natura, & reliqua Attributa immediatè subsistant. Multum fidit in hoc argumento P. Granad. quod latè prosequitur loco cit. Si tamen aliquid valet, solùm probat, Naturam Divinam vendicare quidem propriam subsistentiam, non absolutam, sed illam, quæ immediatè terminat Sapientiam, & Amorem; neque enim minùs est substantia Natura Divina, quàm sunt Sapientia, & Amor. Igitur.

256. Respondeo data majori, negando *minorem*, si sermo sit de subsistentiâ propriè dictâ, *quod est* terminari ultimò personaliter; nam cùm sola Sapientia, & Amor sint fœcundi *ad intra*, & per se primò formaliter, & immediatè communicentur, indè est, quod Sapientiæ, & Amori formaliter, & immediatè debeatur subsistentia propriè dicta, non verò Naturæ, aut reliquis Attributis, quæ non sunt fœcunda *ad intra*: si tamen sermo sit de subsistentia impropria, prout coincidit cum existentia per se completa, hæc communis est omnibus prædicatis divinis; siquidem omnia sunt verè, & propriè substantiæ completæ, & perfectissimè existentes, ut diximus.

SECTIO XI.

De Notionibus Divinarum Personarum.

257. Difficultas 1. Quid sit, & quomodò definiatur Notio? Advertes primò, Notionem dupliciter sumi posse: primò formaliter; secundò objectivè: Notio formalis est ipsa notitia, sive cognitio cujusque rei: Notio autem objectiva est id, quod ex parte objecti est ratio cognoscendi connotando ipsam Notionem formalem.

258. Advertes secundò Notionem formalem tripliciter sumi posse: primò latissimè pro quacunq; cognitione; quævis enim notitia, sive cognitio in hoc sensu, & acceptione dicitur Notio. Secundò magis strictè pro cognitione tantùm distinguente unam rem ab alia, abstrahendo ab hoc, quod distinctio sit

sit secundùm naturam, aut personam. Tertiò strictissimè pro sola cognitione distinguente personas ejusdem naturæ, de qua intelligendus D. August. *lib. 5. de Trinit. cap. 6.* ibi: *Alia notio est*, ait, *quâ intelligitur Genitor, alia quâ Ingenitus*: licet hæc possint etiam accipi de conceptu objectivo.

259. Advertes tertiò, Notionem objectivam etiam tripliciter accipi: Primò latissimè pro quolibet conceptu objectivo cujusque rei, sicque unaquæque res, prout objicitur cognitioni, dicitur Notio objectiva. Secundò magis strictè pro differentiâ propriâ, sive essentiali, & specificâ, sive genericâ, quâ cognitâ, possumus discernere unam rem ab alia, quo sensu aliqui Patres Attributa, & proprietates communes omnibus Personis dicunt esse notiones, quibus Deus discernitur à creaturis. Tertiò strictissimè, prout limitatur ad proprietatem, seu proprietates, quibus Personæ ejusdem naturæ inter se discernuntur, quo sensu Notio est veluti character, sigillum, insigne, vel nota, per quam una persona inter alias ejusdem naturæ discerni potest, ab illisque nostrâ cognitione distingui. Hoc posito.

260. Conclusio sit: Notio in hac ultima acceptione, in qua illam hîc sumunt Theologi definitur ex D. Thom. *1. p. q. 32. art. 3. Id, quod est propria ratio cognoscendi Personam divinam.* Et ex eodē D Thom. *art. 2.* constat hujusmodi rationem sumen iam esse in abstracto, tanquam formam, sive proprietatem, qua una Persona ab alia dignoscitur, id est, cognoscitur tanquam distincta, nè cum alia confundatur.

261. Hinc colliges ad rationē notionis prout sic sumptæ tres requiri conditiones: Prima conditio est, ut sit forma, seu quasi forma permanens. Probatur primò, quia de ratione signi est, quod sit permanens; sed notio, ut diximus, est signum, character, sigillum, & nota rei dignoscendæ; ergo necessariò debet esse forma permanens. Secundò, quia sola forma permanens dici solet proprietas; sed notio recurrit cum proprietate; ergo necessariò debet significari per modum formæ permanentis, & non per modum viæ. Undè licet actiones notionales, sive origines, nempè *generare*, &c. satis distinguant Personas, non dicuntur notiones, quia significantur per modum viæ, & non per modum formæ permanentis.

262. Secunda conditio est, ut notio non solùm sit forma discernens, sed etiam significans, aut directè, aut indirectè aliquam singularem perfectionem, sive dignitatem in Persona. Probatur, quia Persona dicit singularem perfectionem, sive dignitatem; sed notio est proprietas Personæ; ergo debet necessariò dicere aliquam perfectionem, sive dignitatem singularem ipsius Personæ. Undè cùm productio, aut producibilitas nihil dicāt, quod non contineatur in præciso conceptu generationis activæ, vel passivæ, consequenterque nihil dicant singulare, indè est, quod inter Notiones non numerentur.

263. Tertia conditio est, ut notio significetur in abstracto. Probatur, quia Notio, ut diximus, est forma discernens; sed concretum, cùm dicat subjectū, seu quasi subjectum, quod est aliquid communicabile pluribus, non ita discernit; ergo sola forma in abstracto potest vendicare rationem notionis propriè sumptæ. Alias conditiones assignat *P. Amicus d. 24. à n. 8.* quæ cùm magis videantur explicationes, quàm conditiones diversæ à tribus assignatis, ideò de illis mentionem non facimus.

Difficultas 2. Utrùm in Personis Divinis admittendæ sint hujusmodi Notiones? 264.

Affirmativa sententia tenenda cum *Magist. in 1. dist. 26. cap. 2. & dist. 28. cap. 1. D. Thom. 1. p. q. 32. art. 2. Albert. 1. p. q. 39. memb. 2. art. 1. p. 2. & 3. Alex. 1. p. q. 68. memb. 3. & 5. art. 6. Henrice 2. p. art. 55. q. 4. D. Bonav. in 1. dist. 26. art. unico q. 4. & dist. 33. art. 1. q. 3. & 4. Durand. in 1. dist. 26. q. 2. n. 7. & 8. Argent. Richard. Aureol. Scot. in 1. dist. 28. q. 1. ad 3. Gabr. Marsil. Carthusian. Capreol. Cajet. P. Soar. lib. 5. de Trinit. cap. 9. & lib. 7. cap. 1. P. Molin. 1. p. q. 32. art. 2. d. 2. P. Vasq. 1. p. d. 136. P. Ruiz d. 46. de Trinit. sect. 2. n. 5. P. Valent. P. Amicus d. 24. sect. 1. n. 3. P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 5. n. 5. P. Arrub. d. 117. cap. 1. n. 5. P. Præpositi. 1. p. q. 32. art. 2. n. 2. P. Arriaga 1. p. d. 49. n. 44. P. Compton. tom. 1. d. 51. sect. 3. n. 3.* & alii.

Probatur 1. authoritate Patrum, qui sæpè utūtur nomine *Notionis* ad significandam, & dignoscendam distinctionem Divinarum Personarum, ut D. Justin *in exposit. fidei de Trinit. pag. 2 Illud ingenitus*, ait, *& subsistentiæ modus notæ sunt, quibus interstinguuntur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Et D. Aug. *lib. 5. de Trinit. cap. 6. Alia notio est*, ait, *quâ intelligitur Genitor, alia, quâ Ingenitus.* Et D. Basil. *lib. 2 contr. Eunomium: Proprietates*, inquit, *ac notæ, quasi characteres quidam, & formæ in substantia inspectæ distinguunt.* Et *in epist. 43. Necessarium est*, ait, *ut per proprias quasdam notiones inconfusa habeatur in Triade comparatio.* Et D. Cyril. Alex. *lib. 1. Thesaur. cap. 5. Generare*, ait, *notio Patris est.* Idem habent *D. Greg. Nyssen lib. de Different. Essent. D. Epiphan. hæres. 73. D. Damascen. epist. de Trisagio. D. Nazianz. orat. 29 de dogmat. D. Cyprian. lib. de Cardinal. Christ. cap. de Nativit. & alii apud P. Ruiz cit.* 265.

Probatur secundò ratione, quia *Notio*, ut diximus, est perfectio, seu dignitas specialis, & propria in abstracto sumpta, per quam una Persona ab alia discernitur, & distinguitur; sed in Personis Divinis, præter illa, quæ sunt omnibus communia, datur perfectio, seu dignitas unicuique propria, significata in abstracto, quæ est signum discernendi, & distinguendi unam Personam ab alia; ergo in Personis Divinis dantur hujusmodi Notiones. 266.

Hinc colliges non posse sine errore, aut temeritate damnari illum loquendi modum Sanctorum Patrum à tota Ecclesia usurpatum, & meritò damnari à Theologis *Præpositivum, & Gregor. in 1. dist. 26. & 27. q. unica art. 2. & Major. in 1. dist. 26. q unica*, non admittentes in Personis Divinis hujusmodi Notiones in abstracto significatas, quorum sententiam temerariam, & perniciosam theologicis disputationibus vocat *P. Ruiz cit. sect. 4. num. 1.* idque: Primò, quia contra communem sensum Sanctorum Patrum, & Scholasticorum. Secundò, quia Scholastici damnant temeritatis eum, qui asserit Notiones esse pauciores, quàm quinque; ergo à fortiori eum, qui omnes negat. Tertiò, quia talis sententia impedit expeditam rationem defendendi distinctionem Personarum, quatenùs de medio tollit voces ad explicandam talem distinctionem. Attamen: 267.

Objices 1. D. Aug. *lib. 5. de Trinit. cap. 6.* ibi: *Alia est Notio, quâ intelligitur Genitor, alia, quâ Ingenitus*; sed quod intelligitur, per conceptus formales intelligitur; ergo &c. Resp. intelligi quidem aliquid per conceptus formales immediatè, mediatè verò posse intelligi in alio, sive per aliud objectivè, tanquam per signum, & hoc dicitur Notio 268.

à D. Aug. qui loco citato duas Notiones objectivas cognoscit in Patre.

269. Objicies 2. Notio dicit formam aliquam in abstracto; sed forma in abstracto non admittitur in Deo: Primò, quia repugnat ejus simplicitati distinctio Notionis à Persona. Secundò, quia simplicia se ipsis cognoscuntur; non autem medio signo. Tertiò, quia non magis dicit Pater, quàm Paternitas; ergo non sunt admittendæ in Deo hujusmodi notiones. Respondeo negando minorem cum Patribus, & Conciliis significantibus Perfectiones Divinas, tam absolutas, quàm relativas nominibus abstractis. Ad primum dicimus, distinctionem solius rationis non obstare simplicitati Divinæ, ut patet ex supra dictis. Ad secundum, simplicia cognosci se ipsis, id est non per aliquid distinctum à parte rei, maximè autem per aliquid distinctum virtualiter, & quoad nos. Ad tertium, Patrem dicere Essentiam, & Paternitatem; cùm hæc solam dicat Paternitatem, saltem ex modo dicendi, licet aliundè Essentia includatur, aut non includatur in illa, de quo jam supra.

270. Objicies 3. Idem non est in se ipso, ut docet Philosophus *4. Phys.* sed Notiones, si darentur, identificarentur cum Personis; ergo Notiones non sunt in Personis. Respondeo distinctionem rationis ratiocinatæ satis esse, ut *Notio* dicatur esse in Persona, quasi in alio.

SECTIO XII.

Quot Notiones sint admittendæ in Divinis Personis?

271. DIco 1. Notiones sunt quinque, nec plures, nec pauciores, nempè *Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio Passiva, & Spiratio activa.* Ita *D. Thom. 1. p. q. 32. a. 3. & 4. Albert. 1. p. q. 39. memb. 2. a. 1. p. 1. ad 1. Alex. 1. p. q. 68. memb. 3. D. Bonav. in 1. dist. 25. art. unico, q. 4. Henricus 2. p. art. 55. q. 4. Durand. in 1. dist. 24. q. 2. n 7. & 8. Argent. dist. 27. q. unica, a 1. Aureol. dist. 29. a. 4. Capreol. Cajet. Canar. P. Molin. 1. p. q. 32. a. 2. d. 2. P. Vasq. 1. p. d. 137. P. Valent. 1. p. q. 6. punct. 4. P. Amicus d. 24. sect. 2. P. Soar. lib. 5. de Trinit. cap. 10. n. 9. P. Ruiz d. 47. de Trinit sect. 1 n. 2. P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 5. n. 7. P. Arrub. d. 117. cap. 2.* & alii. Et hanc resolutionem adeò certam judicant Scholastici, ut temerarium dicant assignare plures, aut pauciores, etiam si solùm quoad modum loquendi augeantur, aut minuantur, ut dicit *P. Ruiz cit. n. 10.* nam si augeantur, aut minuantur quoad rem ipsam, erit hæresis, ut docet idem *P. Ruiz cit. n. 11.*

272. Probatur primò authoritate Sanctor. Patrum, qui ut proprias Personarum Notiones memorant Innascibilitatem, aut Ingignentiam, deinde Paternitatem, & Filiationem, ac denique processionem, seu Spirationem, ut videre est apud *P. Ruiz cit. d. 46. sect. 2. & 3. & d. 52. & 53.* licet non omnes eisdem nominibus utantur, & nonnulli unam, aut alteram Notionem prætermittant.

273. Probatur secundò rationibus: Prima ratio est, quia his omnibus, & solis conveniunt conditiones Notionibus assignatæ; ergo &c. Secunda ratio est, quia tot dantur Notiones in Personis Divinis, quot in eis dantur perfectiones, & dignitates speciales, quibus dignosci, distingui, & discerni possunt; sed hæ sunt quinque, duæ scilicet in Patre, nempè Paternitas, & Innascibilitas; in Filio una, scilicet Filiatio; in Patre, & Filio simul sumptis alia, nempè Spiratio activa; & in Spiritu Sancto alia, nempè Spiratio passiva; ergo &c.

274. Tertia ratio est, quia Personæ Divinæ multiplicantur per origines; ergo constituuntur, & distinguuntur per Relationes, quæ fundantur in originibus, vel sunt ipsæ origines; consequenterque per illas dignoscuntur; sed hæ Relationes sunt quatuor, nempe Relationes Genitoris, & Geniti; Spiratoris, & Spirati, quibus adjungitur Innascibilitas, quâ denotatur, Patrem esse primam Personam, quod per solam Paternitatem non satis innotescit, cùm videamus in creatis non esse contra rationem patris ab alio procedere; ergo cùm hæ rationes dignoscendi, & discernendi Personas sint quinque, etiam quinque sunt earum Notiones.

275. Quarta ratio est, quia ex D. Dionys. duplex est via cognoscendi Deum, altera per affirmationem, altera per negationem; sed Personæ Divinæ per affirmationem cognoscuntur solùm per quatuor Relationes, quæ necessariò consurgunt ex duabus processionibus, quatenùs in unaquaque processione duæ Relationes concurrunt, altera principii producentis, altera termini producti: per negationem autem cognoscitur Persona Patris, quatenùs à nullo principio ducit originem, ideòque Innascibilitas ei tribuitur, & ad numerum aliarum Notionum adjungitur, sitque quinarius Notionum numerus; ergo &c.

Duplex est opposita sententia: Prima asserit, 276
pauciores esse Notiones, excluditque præsertim *Innascibilitatem.* Ita *Gabr. in 1. dist. 28. q. unica a. 2. & 3. conclus. 2. & 3.* Secunda sententia tenet, plures esse Notiones, quàm quinque. Ita *Scot in 1. dist. 28. q. 1. post §. Ad argumenta hujus quæstionis,* ubi in solutione *ad 3.* sextam Notionem Filio addit, quam appellat *Inspirabilitatem,* dicitque consistere in privatione processionis per voluntatem, eo modo, quo *Innascibilitas* Patris consistit in privatione cujusque processionis. Igitur propria sententia.

Objicies 1. In Divinis solùm admittitur numerus ternarius ex Concil. Lateran. *cap. Damnamus, de Sum. Trinit.* ergo non sunt admittendæ quinque Notiones; alioqui admitteremus in Deo numerum quinarium. Respondeo Concil. solùm damnare majorem numerum rerum, quàm ternarium; at verò quinarius numerus Notionum non est quinarius rerum; siquidem *Innascibilitas,* cùm sit negatio, non est res; neque etiam spiratio activa est res, cùm non sit distincta à Patre, & Filio; sicut Essentia cùm sit idem realiter cum Relationibus non auget numerum trium rerum. Unde sicut admittimus quatuor Relationes, non tamen quatuor res, ita etiam quinque Notiones, non tamen quinarium numerum rerum. 277

Objicies 2. Innascibilitas non est Notio specialis respectu Patris; siquidem, prout dicit negationem nativitatis, seu Filiationis, convenit etiam Spiritui Sancto; ergo Notiones non sunt quinque. Respondeo negando majorem, ad cujus probationem dicimus, Innascibilitatem hìc non sumi pro sola negatione Generationis, quo pacto posset convenire Spiritui Sancto, sed absolutè pro negatione cujusvis processionis ab alio principio, quo pacto est propria solius Patris, ejusque Notio specialis. 278

Instabis: Essentia Divina, cùm sit à se, habet negationem cujusvis processionis; consequenterque dicitur ab aliquibus Patribus Innascibilis; ergo Innascibilitas non est propria Notio solius 279

Patris,

Patris, Respondeo negando consequentiam; nam diverso modo dicitur Innascibilis Essentia, atque Pater; Pater enim ita est Innascibilis, ut non solùm neget principium *à quo* ratione sui, sed etiam ratione cujusvis suppositi, cui communicetur, aut de quo essentialiter prædicetur; siquidem Pater nulli communicatur, & de nullo essentialiter prædicatur, quod dicatur genitum: at verò Essentia Divina, licet ratione sui sit formaliter innascibilis, essentialiter tamen prædicatur, & communicatur Filio, qui est nascibilis, sive genitus. Undè Essentia Divina est indifferens, ut dicatur innascibilis, aut nascibilis, ratione saltem Personarum, quibus identificatur, & de quibus dicitur essentialiter: at verò Pater positivè dicitur innascibilis absolutè, quatenùs nec ratione sui, nec ratione alterius, de quo essentialiter prædicetur, dicitur nascibilis. Quando igitur Patres dicunt Essentiam Innascibilem, loquuntur de illâ solùm ratione sui: aut illam sumunt notionaliter pro Persona Patris, quo pacto explicandus est D. Hilar. *lib. 11. de Trinit.* qui sicut dicit Essentiam ingenitam, ita etiam dicit genitam, sumendo illam pro Filio.

280. Objicies 3. Notio debet esse dignitas, & perfectio, ut supra diximus; sed non ita est Innascibilitas, cùm sit negatio; negatio autem cùm sit purum nihil, perfectionem non dicit, cùm perfectio recurrat cum ente; ergo &c. Respondeo primò cum *P. Vasq. d. 137. cap. 5.* negando minorem: Innascibilitas enim, sicut alia negativa in Deo, supponit pro aliquo positivo, nempè pro modo subsistendi Patris, in quo dignitas aliqua nostro modo concipiendi apparet, & per negationem à nobis cognoscitur; sicque in illo positivo, non autem in hac negatione consistit ratio Notionis.

281. Sed contra, quia in Patre nihil est positivum præter Essentiam, Paternitatem, & Spirationem activam; sed illud positivum constituens Innascibilitatem non esset absolutum Essentiæ; hæc enim prout dicitur Innascibilis, non constituit Notionem, ut patet ex proximè dictis: non esset relativum Relationum, singulæ enim Relationes singulas constituunt Notiones; ergo &c.

282. Dicit P. Vasquez loco cit. *num. 18.* significatum positivum constituens Notionem Innascibilitatis esse Paternitatem, sub peculiari tamen conceptu primæ originis, & principii, sub quo non additur relatio nova realis, sed rationis; siquidem relationis realis non datur alia nova relatio realis. Sed contra primò, quia Paternitas est una tantùm relatio; ergo etiam una tantùm Notio; alioqui cùm Filiatio possit etiam terminare plures conceptus, poterit etiam constituere plures Notiones. Secundò, quia ille conceptus primi principii, aut sumitur pro habitudine ad secundum, nempè ad secundam Personam; aut pro habitudine ad priorē, nempè ad alium, qui sit prior Patre: Si primum, id nihil aliud est in Trinitate, quàm esse Patrem: Si secundū, nihil aliud est, quàm negatio prioris. Undè.

283. Respondeo secundò cum *P. Soar. lib. 8. de Trinit. cap. 2. n. 7. P. Granad. tr. 7. d. 2. n. 5.* & aliis apud illos, Innascibilitatem esse Notionem sumptam pro formali, id est, secundùm esse negativum, quod dicit de formali juxta D. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 7. ibi: *Cùm ingenitus*, inquit, *dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit dicitur.* Et D. Cyril. lib. 1. Thesaur. cap 3. *Non est ingenitum*, ait, *substantia, sed substantiam, de qua dicitur, non esse tali modo*: hoc tamen negativum dicit perfectionem, non positivam, sed negativam; siquidem non esse ab alio, etiam sistendo in ipsa negatione, perfectio est; consequenterque Notio negativa distincta à Paternitate.

284. Objicies 4. Omnis Notio est proprietas; sed omnis proprietas in Divinis Personis est Relatio, qualis non est Innascibilitas; ergo hæc non est Notio. Respondeo distinguendo minorem: omnis proprietas est Relatio, aut formaliter, aut fundamentaliter; concedo minorem: semper formaliter; nego minorem: Innascibilitas autem est Relatio fundamentaliter, formaliter autem per negationem explicatur.

285. Objicies 5. *Inspirabilitas*, quæ convenit Filio; & *Ingenerabilitas*, quæ convenit Spiritui Sancto, non constituunt proprias Notiones respectu Filii, & Spiritûs Sancti; ergo neque ita constituet *Innascibilitas* respectu Patris. Respondeo primò negando consequentiam; diversa ratio est, quia Innascibilitas dicit propriam dignitatem primæ Personæ, scilicet non esse ab alio; quam tamen non dicunt Inspirabilitas, & Ingenerabilitas, cùm æquè perfecta sit processio per Intellectum, atque est processio per Voluntatem.

286. Respondeo secundò cum *P. Soar. lib. 5. de Trinit. cap. 10. n. 7.* negando etiam consequentiam, & assignando diversitatem, quia Inspirabilitas, & Ingenerabilitas, sicut & aliæ negationes, quæ aliis Personis tribuuntur, solùm sunt consequentes ad Origines, & Relationes, & sub eâ ratione à nobis concipiuntur, ideòque non numerantur ut Notiones ab illis distinctæ: at verò Innascibilitas Patris præcedit aliquo modo Relationes, & hoc nomine est peculiariter necessaria ad dignoscendam primam Personam, ut diximus, ideòque inter Notiones numeratur.

287. Objicies 6. Ideò admittenda esset Notio Innascibilitatis, quia per illam cognoscimus Personam Patris; sed hæc per se ipsam ratione suæ positivæ dignitatis meliùs cognoscitur, quàm per negationem, ut constat ex D. Cyril. lib. 1. Thesaur. cap. 1. *Qui Patrem*, inquit, *nominavit Deum, ab ipso significavit, quod est: qui verò Ingenitum dixit, ab eo, quod non est. Quod autem ab eo, quod est, quàm ab eo, quod non est, commodiùs Deum nominamus, indè perspicuum erit*; ergo Innascibilitas ratione negationis non est Notio. Respondeo meliorem quidem, & profundiorem esse cognitionem Personæ Patris, quando pervenit ad penetrandam ipsam Personam per se ipsam ratione suæ positivæ dignitatis; meliorem tamen, & commodiorem esse cognitionem negationis, quam formaliter dicit Innascibilitas, quatenùs viam aperit huic profundiori penetrationi; siquidem intellectus humanus non potest inchoare cognitionem illius dignitatis, quam Innascibilitas dicit de materiali, nisi per cognitionem hujus negationis, quam de formali dicit Innascibilitas.

288. Objicies 7. Notio non est medium, per quod devenimus in cognitionem Personæ, sed est ipsa ratio Personæ, quâ cognitâ, eo ipso cognoscitur Persona; atqui cognitâ negatione processionis, quam dicit Innascibilitas formaliter, non cognoscitur eo ipso Persona Patris; ergo Innascibilitas non est illius Notio. Respondeo negando majorem: neque enim ipsa solâ ratio Personæ, sed etiam medium immediatum, prædicabile, & convertibile cum ipsa Persona, & ex illa necessariò consequens nostro modo intelligendi, est illius Notio; nam etiam in illo verificatur definitio Notionis, de quâ supra.

289. Objicies 8. Sancti Patres, quando Personarum proprietates, seu Notiones numerant, Innascibilitatem

bilitatem omittunt, ut omittit D. Nazianz. *orat. 37. Unum est tria*, ait, *si proprietatum rationem habeas.* D. Cyril. *lib. 2. Thesaur. cap. 3.* Et D. Athan. *Dialog. 1. de Trinit. contr. Anomœum: Gignere*, ait, *& gigni, emittere, & procedere, sive emitti inter se differunt*; ergo Innascibilitas non est proprietas, neque Notio. Respondeo Sanctos Patres, licet omiserint Innascibilitatem aliquibus in locis, non ideò negare illam esse Notionem; qui enim unum affirmat, alterum non negat. Præsertim cùm aliis in locis de Innascibilitate mentionem faciant, illamque explicent.

290. Objicies 9. Innascibilitas, licet sit Notio, non est distincta Notio à Paternitate; siquidem Sancti Patres numerando Notiones, sæpè cùm Innascibilitatem commemorant, omittunt Paternitatem, sicque videntur Innascibilitatem pro Paternitate ponere, ut D. Just. *in exposit. fidei de Trinit.* D. Naz. orat. 13. & 23. *Patris proprietas*, inquit, *hæc est, quod Ingenitus sit: Filii quod genitus: Spiritûs Sancti, quod procedit.* D. Damascen. *lib. 1. fidei cap. 2. Unum, idemq; esse*, inquit, *præter ignascibilitatem, nascentiam, & processionem*; ergo Notiones in Divinis Personis non sunt quinque. Respondeo hos, & similes alios Patres aliquando sub Paternitate comprehendere Innascibilitatem, & aliquando sub Innascibilitate comprehendere Paternitatem, ut rectè D. *Bonavent. in 1. dist. 26. q. 4. art. unico ad 2.*

291. Objicies 10. Notio est propria unus Personæ; siquidem de ratione Notionis est, quod sit ratio dignoscendi, & distinguendi unam Personam ab alia; sed spiratio activa est communis Patri, & Filio; ergo non est Notio; tùm quia quod est commune pluribus, non potest unum ab alio discernere: tùm etiam quia Filius non communicat cum Patre in Notionibus, ut ait D. Basil. *epist. 43. Nullam prorsùs Notionum communicationem secundùm proprietatem suam, tam cum Patre, quàm cum Spiritu Sancto habet.*

292. Respondeo Notionem esse propriam unius Personæ, si sit ratio dignoscendi unam tantùm Personam ab alia: si tamen talis sit respectu duarum Personarum, per quam dignoscantur, & distinguantur ab alia tertia, tunc potest esse illis communis, ut spiratio activa est communis Patri, & Filio, qui per illam distinguuntur ab Spiritu Sancto, qui si ab illis non spiraretur, ab illis non distingueretur, ut infrà dicemus. Neque obstat testimonium D. Basil. qui solùm loquitur de Notionibus personalibus, ut notant, & insinuant verba illa: *Secundùm proprietatem suam*: at verò spiratio activa non est Notio personalis propria Filii, quà talis, sed Patri, & Filio communis sub ratione unius principii, sicque dicitur proprietas, non unius Personæ, sed unius principii, & vendicat rationem Notionis.

293. Inferes: Ergo etiam processio passiva communis Filio, & Spiritui Sancto erit specialis Notio, qua distinguantur à Patre. Respondeo negando illationem; diversa ratio est, quia processio passiva non est una, & eadem in Filio, & Spiritu Sancto, sed sunt diversæ processiones, sicque diversæ Notiones, contentæ tamen inter quinque numeratas. Instabis: Spiratio activa non constituit Personam; ergo neque illam distinguet; consequenterque non erit Notio. Respondeo ex argumento solùm inferri non esse Notionem personalem; non tamen non esse Notionem.

294. Urgebis: De hac Notione Spirationis activæ non meminerunt Patres, præsertim Antiqui; ergo non datur talis Notio. Respondeo argumentum solùm probare, quod olim non fuerit satis explo-ratus, & definitus numerus Notionum, quantùm ad earum distinctionem ab invicem, earumque peculiaria nomina abstracta. Additur quod D. *Athanas. Dialog. 1. contr. Anomœum. D. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 11. Et D. Greg. lib. 30. Moral. cap. 5. aliàs cap. 8.* aliis licet vocibus, idem ipsum significarunt, quod affert Notio Spirationis activæ.

Dico 2. Si nomen *Notio* sumatur magis stricte, aut 295.
solum prout significat proprietatem constituentem Personam: aut solùm prout significat Relationes reales, Notiones tunc erunt pauciores, quàm quinque. Ita *P. Ruiz d. 37. de Trinit. sect. 1. n. 9.* Probatur prima pars, quia Notiones constituentes Personas sunt tantùm tres, nempè Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva; ergo &c. Probatur secunda pars, quia Relationes reales sunt tantùm quatuor, nempè Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & passiva, ut patet ex supra dictis; ergo &c.

SECTIO XIII.

Solvuntur argumenta augentia numerum Notionum.

PRo augendo numero quinario Notionum stat *Scot. in 1. dist. 28. q. 1. §. Ad argumenta hujus quæstionis* in solut. *ad 3. & P. Arriaga 1. p. d. 49. n. 44.* quatenùs dicit, re ipsa posse admitti, alias esse Notiones, sicque posse poni pro Filio *Inspiratus*, & pro Spiritu Sancto *Ingenitus*, licet *n. 45.* dicat, de facto à Theologis solùm usurpari Innascibilitatem, utpotè quæ sola significat perfectionem, & dignitatem quandam, quæ non est in aliis: Pro illis: 296.

Argues 1. *Innascibilitas*, prout consistit in negatione cujusque processionis, est Notio Patris; ergo etiam *Inspirabilitas*, prout consistit in negatione processionis per voluntatem, erit Notio Filii. Respondeo primò cum aliquibus juxta ea, quæ supra diximus *num. 285.* negando consequentiam; diversa ratio est, quia Inspirabilitas (idemque de *Ingenerabilitate* respectu Spiritûs Sancti) non ostendit aliquam dignitatem Filii: at verò Innascibilitas ostendit in Patre dignitatem primi principii, & fontalis originis. Sed contra, quia sicut est dignitas Patris à nullo principio esse, ita est dignitas Filii ita esse à Patre, ut sit per processionem, quæ non sit spiratio, sed generatio; & est dignitas Spiritûs Sancti esse per processionem, quæ non sit generatio, sed spiratio. Undè. 297.

Respondeo secundò juxta ea, quæ supra diximus cum *P. Soar. num. 286.* negando consequentiam; diversa ratio est, quia *Inspirabilitas* includitur in Notione propria Filii, saltem subsistendi consequentiâ; nam eo ipso, quod noscitur esse Filium, noscitur generari, & non spirari (idemque cum proportione de Ingenerabilitate respectu Spiritûs Sancti) ideoque non constituit diversam Notionem à Filiatione: at verò *Innascibilitas* in Patre non includitur in Paternitate subsistendi consequentiâ; siquidem potest dari Pater, qui non sit innascibilis, ut cernitur in creatis. Neque dicas, Innascibilitatem includi in tali Paternitate, nempè divinâ. Non, inquam, hoc dicas, nam hoc idem innotescit per Innascibilitatem formaliter, ideoque necessario fuit eam constituere diversam Notionem. 298.

Argues 2.

299. Arglies 2. In Patre dantur aliæ Notiones præter numeratas Innascibilitatis, & Paternitatis; siquidem in eo dantur *Potentia* generandi, & *generatio* actualis, quæ explicant dignitatem talis Personæ, & antecedunt Paternitatem; ergo &c. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, Potentiam generandi, & generationem actualem, etiam prout antecedunt quoad nos, & distinguuntur à Paternitate, non constituere diversas Notiones; siquidem implicitè involvuntur in ipsi Paternitate subsistendi consequentiâ; nam eo ipso, quod innotescit esse Patrem, consequenter notificatur Potentia generandi, & generatio actualis; ideò enim est Pater, quia generat, & ideò generat, quia potest generare. Idem etiam dicendum est de *Inspirabilitate* in Patre, quæ etiam includitur in Innascibilitate; quatenùs hæc dicit negationem essendi ab alio omni modo.

300. Argues 3. In Filio dantur aliæ Notiones præter Filiationem; siquidem esse *Imaginem*, *Verbum*, & *Conceptum* sunt dignitates propriæ Filii, quæ tamen non explicantur per hoc, quod est, esse Filium, ut consideranti patebit; ergo &c. Respondeo negando antecedens, & ejus probationem quoad ultimam partem; nam esse Imaginem, Verbum, & Conceptum Patris, sufficienter innotescit per id, quod sit Filius; nam ex eo, quod sit Filius, benè sequitur subsistendi consequentiâ, esse Imaginem, Verbum, & Conceptum Patris.

301. Instabis: Potest dari Filius, qui non sit imago intentionalis, neque Verbum, neque Conceptus patris, ut patet in creatis; ergo illæ dignitates in divinis nõ innotescunt per id, quod est esse Filium. Respondeo negando consequentiam: tales enim dignitates, licet non innotescant per esse filium ut sic, innotescere tamen per esse talem Filium, nempè per esse Filium Divinum.

302. Inferes: Ergo etiam Innascibilitas in Patre innotesceret per esse talem Patrem, nempè Deum; consequenterque non efficiet diversam Notionem à Paternitate. Respondeo negando illationem; diversa ratio est, quia cùm in Deo supponatur notum, solùm esse operationem Intellectûs, & voluntatis *ad intra*, generatio Filii noscitur esse per Intellectum, sicque esse Filium involvit rationem imaginis, Verbi, & Conceptûs: at verò esse Patrem Deum solùm innuit habere Filium similiter Deũ, quod tamen non explicat rationem primi principii; hoc enim explicatur per Innascibilitatem, ideoque est specialis Notio respectu Patris.

303. Argues 4. In Patre, & Filio dantur aliæ dignitates, per quas distinguuntur ab Spiritu Sancto præter Relationem Spiratoris; siquidem dantur potentia Spirativa, & actualis productio, quæ etiam sunt dignitates antecedentes Relationem; ergo &c. Respondeo eodem modo, quo supra *n. 299.* potentiam scilicet spirativam, & actualem productionem involvi subsistendi consequentiâ in spiratione activâ; nam ex eo, quod Pater, & Filius sint spirantes relativè, benè sequitur, habere potentiam spirativam, & actu spirare.

304. Argues 5. In Spiritu Sancto, præter spirationem passivam, dantur aliæ Notiones; siquidem datur ratio *termini spirabilis*, *doni*, *amoris*, *&c.* ergo Notiones non sunt tantùm quinque. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, ut proximè, eas rationes Spirabilis, doni, & Amoris includi subsistendi consequentiâ in spiratione passiva; nam ex eo, quod Spiritus Sanctus spiratur, innotescit, esse spirabilem, esse per voluntatem, sicque donum, & Amorem.

305. Argues 6. In Patre non esse ab alio, est illius Notio specialis, qualis est *Innascibilitas*; ergo etiam in Spiritu Sancto esse illum, à quo non est alius, erit illius Notio specialis, qualis erit *Improductivitas*; siquidem non datur major ratio, cur esse primum in Patre sit specialis Notio, & non ita sit esse ultimum in Spiritu Sancto. Respondeo primò cum communi, *Improductivitatem* in Spiritu Sancto, (idem dici solet de *Impotentia* generandi in Filio,) non declarare aliquam dignitatem, licet non dicat imperfectionem; siquidem esse infœcundum nulla est dignitas: at verò esse Innascibilem, ut diximus, dicit dignitatem, quia dicit rationem primi principii, quæ est dignitas, & perfectio, quam dignitatem non dicit esse ultimum, licet nullam dicat imperfectionem.

306. Dices: Notiones sunt ad cognoscendum Mysterium Trinitatis; sed non potest cognosci, Personas esse tantùm tres, nisi cognoscendo primam ut Innascibilem, & tertiam ut improductivam; ergo &c. Respondeo Notiones non esse ad cognoscendum Mysterium Trinitatis, ut Trinitas est, hoc enim aliundè ex Fide constat, sed ad distinguendas, & dignoscendas Personas secundùm speciales earum dignitates; cùm autem *Improductivitas* in Spiritu Sancto nullam dicat specialem dignitatem, utpotè qui sufficienter dignoscitur per processionem passivam, ideò non est illius Notio specialis distincta ab aliis.

307. Respondeo secundò ad argumentum, *Improductivitatem* involvi subsistendi consequentiâ in Spiratione passivâ; siquidem in Deo, ubi solùm est productio per Intellectum, & voluntatem, eo ipso, quod spiratio est per voluntatem, intelligitur esse ultimam. Undè est diversa ratio de Innascibilitate; hæc enim non satis innotescit ex præcisa ratione Paternitatis, ut diximus, & patet increatis.

308. Argues 7. D. Cyril. Alex. *lib. 1. Thasaur. cap. 6.* videtur Patri addere specialem Notionem præter Paternitatem, dùm ait: *Notio perfectionis fœcunditas est.* Et D. Greg. Nyssen. *lib de Different. essent.* videtur assignare duplicem Notionem Spiritûs Sancti, nempè mediatam processionem à Patre, & immediatam à Filio, quam appellat dependentiam, id est, originem passivam, ratione cujus existere non potest, nisi Patre, & Filio producente. Et D. Aug. *serm. 38. de Tempor.* duas videtur Notiones Filio, & Spiritui Sancto superaddere, nempè, quod Filius sit ab uno tantùm, à duobus tamen sit Spiritus Sanctus; ergo &c. Respondeo cum P. Ruiz cit. omnes has Notiones non esse diversas ex assignatis, sed veluti earum partes, quæ in illis involvuntur subsistendi consequentiâ, & magis explicant proprietates Personales. Ex dictis.

309. Colliges primò, hoc nomen *Notio* potuisse accipi minùs propriè pro quacunque formalitate, quomodocunque distinctâ ab alia formalitate, quæ peculiaris est uni, aut duabus Personis, & quâ cognitâ, meliùs cognoscitur differentia talis Personæ, quâ ab alia distinguitur; & sub hac acceptione concedi potest, Notiones esse plures, quàm quinque, ut patet ex dictis, & tenet *P. Ruiz cit. d. 37. sect. 1. n. 8.* Aliter tamen dicendum, si loquamur de Notionibus, prout in proprio sensu à Theologis usurpantur, quatenùs scilicet specialem aliquam perfectionem, & dignitatem dicunt in Personis, prout supra diximus.

310. Colliges secundò, Notionem Personarum non recurrere cum earum proprietate. Patet primò, quia

quia latè omnia, quæ res habet à se, sunt illius propria, non tamen omnia sunt Notio illius; sic enim Attributa sunt proprietates Dei, nec tamen sunt Notiones. Secundò, quia proprietas magis strictè sumpta, est, quæ uni tantùm Personæ convenit; in hoc autem sensu, licet omnis proprietas sit Notio, non tamen omnis Notio est proprietas; nam spiratio activa est Notio, cùm tamen sit communis Patri, & Filio. Tertiò, quia proprietas sumpta strictiùs solùm comprehendit, ut diximus, Relationes constitutivas Personarum, in quo sensu spiratio activa, & Innascibilitas non sunt proprietates, cùm tamen sint Notiones, ut diximus. Undè solùm recurrent, si proprietas sumatur pro illo, quo una Persona ab alia dignoscitur, & discernitur, tanquam per aliquid sibi peculiare.

31. Colliges tertiò, Notiones, si sumantur pro formali, omnes distingui inter se realiter. De tribus Relationibus Personalibus satis patet: De Innascibilitate, & Spiratione activa etiam non est negandum. Probatur prima pars, quia Innascibilitas secundùm quod dicit de formali est negatio, ut supra diximus, & infrà dicemus; negatio autem à positivo realiter distinguitur, ut distinguitur ens à non ente. Probatur secunda pars, quia Notiones secundùm suum formale involvunt respectum rationis ad potentiam, respectu cujus est Notio; siquidem omne signum instrumentale dicit de formali respectum rationis ad potentiam, ut alibi diximus; sed hujusmodi respectus non potest non distingui realiter ab aliis; sic enim Attributa Divina realiter distinguuntur secundùm suum formale; ergo etiam sic distinguentur Notiones, cùm dicant secundas intentiones, ut ipsa Attributa.

DISPUTATIO VI.

De Persona Patris.

SECTIO I.

Utrùm, & quomodò nomen Pater *sit proprium primæ Personæ?*

1. CUM jam dixerimus de iis, quæ communia sunt tribus Divinis Personis, quantùm spectat ad illarum esse, & constitutionem, dicendum nunc sequitur per tres sequètes Disputationes de ipsis tribus Personis sigillatim. In hac igitur disputatione de prima Persona, quæ est Pater, sermo erit, cujus dignitatem nullus hæreticorum per se loquendo inficiatur; unus tamen Valentinus apud *P. Valent. d. 2. q. 1. punct. 1. §. 2.* illi negavit rationem Personæ asserendo esse Spiritum, quasi ratio Personæ corporeitatem induceret: Igitur sit:

2. Difficultas 1. Utrùm prima Persona dicatur Pater propriè, & absque ulla metaphora? Advertes hoc nomen *Pater* dupliciter sumi in divinis: Primò essentialiter: Secundò notionaliter: Essentialiter dicitur Deus Pater omnium creaturarum, aut per metaphoram, propter curam, & solicitudinem, quâ providet creaturis: aut per adoptionem, propter gratiam Sanctificantem, quâ creaturam rationalem adoptat in filium, & hæredem gloriæ constituit; & hoc sensu nomen Patris convenit toti Trinitati, ut est unus Deus juxta illud Job. 38. *Quis est pluviæ Pater.* Et illud Deuteron. 32. *Nonnè ille est Pater tuus.* Et illud *Sapient. 14. Tua autem Pater providentia gubernat*: Et illud orationis Dominicæ: *Pater noster, qui es in cœlis.* Notionaliter autem sola prima Persona est Pater propter generationem Verbi, quæ sola est propriè generatio, ut infrà dicemus, quia est ad communicandam realiter eandem Naturam Divinam. Hoc posito.

3. Resolutio sit: Prima Persona propriè, & absque ulla metaphora dicitur Pater. Probatur primò authoritate Scripturæ 1. Joan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Et Joan. 5. & 8. 27. *Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum.* Et Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Et 1. Joan. 5. *Ut simus in vero Filio ejus JESU Christo*; verus autem Filius non est, nisi de vero Patre; ergo &c.

4. Confirmatur ex illo Ephes. 3. *Ex ipso omnis paternitas in cœlo, & in terrâ nominatur.* Undè D. Dionys. *de divin. nomin. cap. 2.* & D. Damascen. *lib. 1. fidei cap. 9.* colligunt nomen paternitatis à Deo derivatum esse ad creaturas. Neque dicas D. Paulum loco citato nomine *paternitatis* significare cognationem, & familiam, ut constat ex originali græco, & ibi observat. D. Hieron. Non, inquam, hoc dicas, quia in omni cognatione, & familiâ radix, & caput, à quo derivatur unitas, & conjunctio cognationis, est aliqua Paternitas; ergo si à Patre Æterno derivatur omnis cognatio, ab eo derivatur omnis paternitas; consequenterque est Pater.

5. Probatur secundò authoritate *Concil. & Sanctor.* Patrum. Ex Concil. Nicæno *lib. 2. §. Sancta, & magna*: ibi: *Verè Filium veri Patris.* Et D. Greg. Nazianz. *orat. 50.* ex verbis cit. Concil. refert: *Patrem verum, qui genuit verum Filium.* Et D. Epiphan. hæresi 69. 75. Et D. Cyril. Alex. *Dialog. de Trinit. lib. 2. & lib. 3. Thesaur. cap. 2. Verus Filius*, inquit, *propter quem Deus Pater est verus.* Idem habent *D. Basil. lib. 1. & 2. contr. Eunom. D. Amb. D. Fulgent. D. Hieron. Theodoret. apud P. Ruiz d. 51. sect. 1. & 2.*

6. Probatur tertiò ratione, quia illa Persona dicitur propriè Pater, quę aliam producit per veram generationem; sed ita se habet prima Persona respectu secundæ, cui ex vi suæ formalis processionis tribuit eandem substantiam, & Naturam; ergo propriè dicitur illius Pater. Confirmatur, quia in Deo sunt verè, & propriè Relationes reales, ut supra diximus; sed non sunt aliæ, nisi Patris, Filii, Spiratoris, & Spiritûs Sancti, ut etiam supra diximus; ergo Deo convenit Relatio Paternitatis.

7. Hinc colliges rationem Patris reperiri in prima Persona, & modo perfectiori, quàm in creatis: Primò, quia sicut est Prima omnium Causa, est etiam primus Pater, ut ait D. Cyril. *lib. 19. Thesaur. cap. 4. Deus*, inquit, *primus Pater est, quia primus omnium genuit.* Secundò, quia est Pater substantialiter, & non accidentaliter, ut ait D. Epiphan. cit. & D. Cyril *lib. 12. Thesaur. cap. 5.* ubi profitetur *Ex Patre essentialiter prodire Filium.* Tertiò, quia est Pater ab æterno, & in æternum, cùm alii aut non sint patres, aut tales sint tempore, aut desinant esse tales per mortem filiorum. Quartò, quia

quia ita est Pater, ut non possit esse Filius, neque alia Persona esse Pater, ut ponderat D. Athan. contr. Arian. *orat. 2. In illis solùm consistit, ut Pater semper sit Pater, & Filius semper sit Filius.* Quintò, quia solus integrè Pater, neque enim partem paternitatis dividit cum matre, ut fit in creatis, de quibus D. Nazianz. orat. 35. *Nec ex uno, sed ex utroque parente nascimur, ac proindè dividimur*: nempè filiationem quasi dividendo in duos parentes.

8. Difficultas 2. Utrùm nomen Patris in Divinis ita sit proprium solius primæ Personæ, ut nulli alteri conveniat? Affirmativè. Probatur primò ex illo Symbol. D. Athan. *Unus Pater, non tres Patres.* Secundò, ratione, quia prima Persona per Paternitatem constituitur, & distinguitur ab aliis in ratione Personæ; sed id, per quod aliquid constituitur, & distinguitur, ita est illius proprium, ut alteri non conveniat; quod enim est cõmune, & ratio conveniendi cum alio, nõ potest esse ratio differendi ab illo; ergo cùm nihil dicatur Pater sine Paternitate; alioquì posset aliquid dici album sine albedine, dariquè effectus formalis sine causa formali; & Paternitas soli primæ Personæ conveniat, sola prima Persona, & non alia dicitur, & est Pater.

9. Difficultas 3. Utrùm priùs dicatur Deus Pater *ad extra* respectu creaturarum, quàm prima Persona dicatur Pater *ad intra* respectu secundæ Personæ? Advertes quæstionem posse procedere de triplici prioritate, nempè temporis, dignitatis, & rationis: de quavis igitur procedat difficultas, dicendum est, nomen Patris priùs dici de prima Persona *ad intra* respectu secundæ, quàm dicatur de Deo *ad extra* respectu creaturarum.

10. Probatur 1. pars, quia prima Persona *ad intra* necessariò, & ab æterno generat secundam Personam, nempè Filium; ergo necessariò, & ab æterno est Pater respectu illius; sed non ita est Pater respectu creaturarum; siquidem non dicitur illarum Pater, nisi posita illarum productione; hæc autem est in tempore, & libera, atque contingens; ergo prior est ratio Patris *ad intra*, quàm *ad extra*.

11. Probatur 2. pars, quia nobilior, ac dignior est modus generandi *ad intra*, quàm *ad extra*, ut patet ex ipso principio productivo, & ex termino producto; siquidem principium *ad intra* est Intellectus, & *ad extra* est Omnipotentia: terminus *ad intra* est Persona Divina, terminus *ad extra* est quid creatum: deinde modus generandi *ad intra* est immanens, qualis non est productio *ad extra*; ergo prius, & dignius est nomen Patris notionalis *ad intra* per ordinem ad secundam Personam, quàm nomen Patris essentialis *ad extra* per ordinem ad creaturas.

12. Probatur 3. pars, quia omnia necessaria in Deo sunt priora liberis, ut satis patet; sed Paternitas respectu æterni Filii est omninò necessaria, & respectu creaturarum est libera, & contingens; ergo Paternitas *ad intra* est prior, etiam prioritate rationis, quàm Paternitas *ad extra*. Advertes tamen hanc difficultatem maximè coincidere cum illa de principio *ad intra*, & *ad extra*, de quibus jam supra *d. 3. num 183.* remissivè ad ea, quæ diximus in *Phys. tract. 1. d. 1. à n. 16.* ubi diximus productionem, & relationem, per quam prima Persona denominatur, & constituitur actualiter Pater, esse priorem productione, & relatione *ad extra*, per quam Deus denominatur actualiter Creator, & Pater creaturarum, saltem impropriè, & per analogiam, contrarium tamen diximus de principio in actu primo formaliter sumpto, & in ratione principii, quæ omnia videri possunt loco citato, & juxta quæ intelligenda sunt, quæ in præsenti difficultate dicimus.

13. Difficultas 4. Utrùm Paternitas sit prima proprietas personalis primæ Personæ? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 33. P. Soar. lib. 8. de Trinit. cap. 1. n. 1. P. Martinon. d. 28. sect. 1. n. 3.* & alii. Probatur, quia in Patre nihil est proprium præter Paternitatem, & Innascibilitatem; siquidem Spiratio activa est communis Patri, & Filio, præterquam quod sit consequens Paternitatem, & Filiationem, ut supra diximus; sed Paternitas, utpotè constituens primam Personam in suo esse positivo, est prior Innascibilitate, quæ solùm addit negationem, ut diximus, & infra dicemus; omnis autem negatio propria alicujus Personæ supponit illius constitutionem positivam, in qua fundatur; ergo Paternitas est prima proprietas primæ Personæ.

14. Dices 1. In prima Persona priùs intelligitur Innascibilitas, quàm Paternitas; siquidem hæc causalis est vera: *Ideo prima Persona est Pater, quia est Innascibilis*: non verò è contra; ergo Paternitas non est prima proprietas: tum quia supponit aliam priorem, nempè Innascibilitatem: tum quia cùm Innascibilitas sit negatio, & sit prior, debet supponere aliquid positivum in quo fundetur, & hoc positivum, cùm non sit aliquid commune tribus Personis, erit aliquid proprium primæ Personæ, sicque illius prima proprietas.

15. Respondeo negando antecedens, & ejus probationem, illa enim causalis à parte rei virtualiter non est vera; imò potiùs è contra; siquidem cùm à parte rei in Patre solùm reperiatur Paternitas, & Natura; in Paternitate autem fundetur Innascibilitas personalis, hæc est vera: *Ideò Pater est Innascibilis, quia est Pater*: non tamen è contra. Addo, etiam quoad nos priorem esse Paternitatem, quàm sit Innascibilitas. Patet, quia Innascibilitas fundatur in Paternitate, non sub conceptu præciso Paternitatis; siquidem reperitur pater nascibilis, ut fit in creatis: non sub conceptu præciso Personæ, aut principii; siquidem aliæ Personæ sunt nascibiles, & Filius est principium; sed sub conceptu talis Personæ, & principii, seu (quod idem est) talis Patris, quæ ratio, cùm sit singularis, est ultima, & ut sic fundat Innascibilitatem, quæ supponit omne positivum Patris; consequenterque Paternitatem.

16. Instabis: Ratio talis Personæ quoad nos est prior, quàm ratio talis principii, & talis Patris; sed in eo priori, in quo intelligitur talis Persona, intelligitur Innascibilis; ergo &c. Respondeo priorem esse quoad nos rationem talis Personæ secundùm expressum, & prioritate veluti universalitatis, non verò secundùm implicitum, & prioritate essendi; nam ratio Personæ, quæ exprimitur, est secundùm expressum universalis, & concipitur ut singularisata veluti extrinsecè per rationem propriæ differentiæ, quæ non adeò expressè concipitur; sicque in eo priori quoad nos intelligitur talis Persona Innascibilis, non ratione expressi, sed ratione impliciti, prout supra diximus.

17. Dices 2. D. Aug. *lib. 5. de Trinit. cap. 6.* docet, Patrem adhuc fore Ingenitum, quamvis Filium non genuisset; ergo esse Ingenitum habet se independenter, & antecedenter ad Paternitatem; consequenterque non Paternitas, sed Innascibilitas est prima illius proprietas. Respondeo D. Aug. solùm velle, rationem Patris ut sic non inferre Innascibilitatem; siquidem potest aliquis pater esse

genitus, ut in creatis: hoc tamen non tollit quominùs talis Paternitas inferat Innascibilitatem talis Personæ. Additur, quod si per impossibile Deus non generaret, non foret idem Deus, nec proindè haberet hanc Innascibilitatem primæ Personæ, quam modò habet, sed aliam; sicut non foret eadem Persona relativa, sed absoluta.

18. Dices 3. Innascibilitas est diversa notio à Paternitate, ut diximus; sed diversa Notio diversam importat dignitatem, non subsequentem; ergo antecedentem ad Paternitatem; consequenterque illa, & non Paternitas est prima proprietas Patris. Respondeo ut Innascibilitas sit diversa Notio à Paternitate satis esse, quod importet diversam dignitatem quoad nos formaliter, licet eandem materialiter: at verò Paternitas ostendit dignitatem Patris, Innascibilitas verò talem Paternitatem, quæ à nullo principio habet esse, sicque Paternitatem subsequitur; ac proindè Paternitas est prima Patris proprietas.

SECTIO II.

Qualisnam sit radix proxima, & immediata Paternitatis?

19. CUM in Patre præter Essentiam concedamus Paternitatem, quâ constituimus primam Personam, eamque dicimus primam Patris proprietatem; sicut in Filio admittimus Filiationem, eamque productam verè, & realiter à Patre. Inquirendum hîc venit, undènam Paternitas adveniat Essentiæ, ut cum illa constituat primam Personam? Pro quo:

20. Dico 1. Paternitas Divina non advenit Essentiæ per propriam, & realem productionem; sive non habet principium reale, à quo à parte rei procedat per propriam, & realem productionem, ut habent Filiatio, & Spiratio passiva. Ita *P. Molin. 1. p. q. 27. a. 3. d. 4. §. Cautè usus sum. P. Soar. lib. 8. de Trinit. cap. 1. n. 2. P. Ruiz d. 52. de Trinit. sect. 5. num. 3.* ubi dicit, erroneum esse concedere, Paternitatem esse productam; siquidem cùm prima Persona sit simpliciter improducta, talis etiam dicenda est Paternitas, quâ constituitur; idque:

21. Probatur primò, quia si Paternitas haberet principium reale, à quo esset à parte rei per veram, & realem productionem, cùm ipsa Paternitas sit constitutiva primæ Personæ, ut supra diximus, etiam ipsa prima Persona diceretur producta; sed hoc non est dicendum; siquidem cùm non posset à se ipsa produci, aliam priorem se supponeret, à quâ produceretur, quod est contra fidem; ergo &c.

22. Probatur secundò, quia si Paternitas esset ab Essentia, eique adveniret per veram, & realem productionem à parte rei; à parte rei, & ante opus intellectûs esset distincta ab ipsa Essentia; siquidem non potest dari producens, & productum realiter sine distinctione reali; sed admittere hujusmodi distinctionem à parte rei inter Essentiam Divinam, & Relationes est temerarium, & parùm tutum, ut patet ex supra dictis *d. 4. à n. 288.*

23. Probatur tertiò, quia sequeretur: Primò, Patrem non esse principium, & fontem totius divinitatis, imò è contra, Divinitatem esse principium, & fontem Patris, quod est contra doctrinam Concilior. & Sanctor. Patrum. Secundò, tres dari productiones, & processiones in Divinis, earumque primam neque esse Generationem, neque Spirationem, neque actionem immanentem Intellectûs & Voluntatis. Tertiò, Essentiam Divinam, prout præscindit à Personis includere aliquam proprietatem non communicabilem ipsis Personis, nempè esse principium reale Paternitatis, quæ formalitas realis nulli trium Personarum convenit. Quartò, dari processum infinitum; siquidem, ut Essentia Divina esset principium reale Paternitatis à parte rei, deberet constitui in ratione talis principii per aliquam proprietatem sibi specialem, & ratione cujus distingueretur à Paternitate ex naturâ rei, quo posito, aut talis proprietas esset producta, aut improducta: Si primum, deberet ab aliquo produci, de quo eadem erit quæstio, sicque in infinitum: Si secundum, hoc idem dicimus de Paternitate; sed hæc, quæ ex opinione contraria sequuntur, non sunt admittenda; ergo neque sententia ipsa, ex qua illa sequuntur.

24. Dico 2. Paternitas advenit Essentiæ, & ab illa resultat quoad nos per emanationem, sive resultantiam virtualem. Ita *P. Molin. cit. P. Ruiz cit. n. 8.* Probatur primò, quia non minùs improducta sunt in Deo absoluta, quàm Paternitas; siquidem cùm nulla absoluta in Deo sint distincta ex natura rei, nulla etiam possunt produci, cùm productio talem distinctionem requirat; sed Attributa absoluta censentur quoad nos veluti emanare ab Essentia, veluti proprietates à suâ Naturâ ergo idem dicendum de Paternitate Divina, imò & de Spiratione activa.

25. Probatur secundò, quia subsistentia creata, cùm sit modus substantialis modificans naturam creatam, illam supponit in genere causæ materialis, & quodammodo efficientis, ab illaque quocunque modo existente resultat, tanquam proprietas à sua natura; ergo idem cum proportione dicendum de subsistentia increata, & improducta, qualis est Paternitas. Confirmatur, *quia causa efficiens, quæ producit naturam creatam, eo ipso* producit etiam ejus subsistentiam; ergo Natura Divina, quæ non est producta, sed existit independenter à quolibet principio, eo ipso, quod existat, secum affert suam subsistentiam, non absolutam, hanc enim non habet, ut supra diximus; ergo relativam, nempè Paternitatem. Attamen:

26. Difficultas est: Utrùm Paternitas resultet immediatè quoad nos ab Essentia, non sub ratione Essentiæ, sed ab illa ut intellectiva est? Affirmativè. Ita *P. Molin. 1. p. q. 27. art. 3. d. 4. §. Tertium est, & q. 40. a. 2 d. 2. memb. 3. P. Martinon. d. 28. sect. 1. n. 4.* Probatur primò, quia Paternitas, etiam sub ratione hypostasis, non convenit primò, & immediatè Essentiæ, ut Natura est absolutè; sic enim non est fœcunda; subsistentiæ autem Relativæ conveniunt Naturæ ut fœcundæ; alioqui non essent tres; siquidem una tantùm sufficeret ad terminandam Naturam quâ talem: non convenit etiam Naturæ, ut volitiva est formaliter, ut patet; ergo naturæ, ut est intellectiva.

27. Probatur secundò, quia Paternitas secundùm se, & ut distinguitur ab Essentia, est actio, & Relatio producentis Filium; sed Filius producitur ab Essentia ut intellectiva; ergo hæc proout sic est ratio, cur Deo conveniat Paternitas, illiusque veluti radix immediata, & fundamentum. Confirmatur, quia in creatis virtus sub quâ causa operatur, est ratio, seu fundamentum, à quo censetur resultare relatio causæ; ergo idem erit in Divinis, secluſis imperfectionibus; sed in Divinis Intellectio essentialis est principium generationis; ergo illa

illa erit fundamentum, & radix immediata, à quâ censetur emanare Paternitas.

28. Oppositum tenent *Ægid. d. 11. dub. 6. P. Soar. lib. 8. de Trinit. cap. 1. n. 7.* quatenùs existimant, solam Essentiam Divinam perfectè constitutam in ratione Essentiæ, sive Naturæ præcisè sumptam esse fundamentum, & radicem, à qua resultat, & emanat Paternitas: Pro illis: Argues 1. Quævis natura substantialis creata est proxima radix suæ connaturalis subsistentiæ sub præcisâ ratione naturæ; sed Paternitas est connaturalis subsistentia Naturæ Divinæ; ergo ab illa tanquam à radice dicetur emanare, saltem secundùm nostrum modum concipiendi per analogiam ad naturam creatam.

29. Respondeo Paternitatem esse quidem subsistentiam Naturæ, & connaturalem, quatenùs ab illa postulatur, ut etiam postulatur Filiatio, & Spiratio passiva, non tamen esse illius adæquatam propter fœcunditatem ejusdem Naturæ Divinæ, quæ etiam postulat alias subsistentias. Et hæc est major ratio argumenti, quia natura creata, quà natura, cùm eam adæquet illius subsistentia, & reddat incommunicabilem simpliciter, ideò quà natura est illius fundamentum, & radix: at verò Paternitas Divina, cùm non adæquet Naturam Divinam, nec reddat, illam terminatam, & incommunicabilem sub præcisâ ratione Naturæ, sed sub ratione formali intelligentis, ideò ipsum intelligere essentiale est fundamentum, & radix ipsius Paternitatis, & non ipsa Natura sub ratione præcisâ Naturæ; sic enim solùm foret fundamentum, & radix subsistentiæ absolutæ, si hæc admitteretur.

30. Undè miror quod P. Soar. qui concedit Naturæ Divinæ quà Naturæ subsistentiam absolutam, illi etiam concedat Paternitatem ex ea ratione, quod sit prima ejus subsistentia, sicque debita Naturæ, ut intelligatur subsistens. Et multò magis demiror, quod P. Soar. neget, Essentiam se ipsam intelligentem esse fundamentum, & radicem Paternitatis, cùm doceat Essentiam esse fundamentum Paternitatis, & aliunde docuerit, Essentiam constitui in sua ratione per Intellectionem actualem, quæ proindè est ratione prior, quàm ipsa Paternitas.

31. Argues 2. Personalitas non sequitur operationem Naturæ, imò est prior, cùm actiones sint suppositorum; sed Intellectio est operatio; ergo non potest intelligi prior ratione, quàm Paternitas, quæ est prima Personalitas; consequenterque hæc non habet illam ut radicem, à qua emanet. Respondeo Intellectionem Divinam significari quidem per modum operationis, non tamen esse operationem, id est actionem, sed esse prædicatum essentiale ingrediens ipsam rationem Naturæ; ac proindè esse priorem ipsa Paternitate, possèque illius radicem esse. Unde quando dicitur Personalitatem esse priorem operatione, sive actione, intelligitur de actionibus propriis, quales sunt creatæ; imò solùm quoad denominationem; aut quatenùs suppositalitas est necessaria ad existentiam completam naturæ.

32. Argues 3. Ex Intellectione ut sic solùm sequitur repræsentatio rei intellectæ, aut terminus aliquis productus, si jam sit aliquod principium, à quo produci possit; sed Paternitas neque est repræsentatio, neque terminus Intellectionis productus; ergo neque sequitur ex Intellectione. Respondeo Paternitatem neque esse repræsentationem, neque terminum productum, esse tamen productionem ipsius termini, nempè Verbi producti; cùm autem ex Intellectione sequatur terminus, debet etiam ex illa sequi productio ipsius termini, quæ quidem productio, cùm non distinguatur ab hypostasi, & Relatione, prout supra diximus, sed sit eadem formalitas sub diversis expressionibus, posito quod secundùm unam sit ratione posterior Intellectione, ita se habet simpliciter secundùm reliquas expressiones.

33. Argues 4. cum D. Bonav. *in 1. dist. 27. 1. p. q. 2.* Pater in creatis ideò est pater, quia generat; sicque ipsa generatio est fundamentum paternitatis; ergo idem erit in Divinis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in creatis datur propria distinctio inter generationem, & relationem paternitatis, sicque hæc potest in illa fundari: at verò in divinis cùm talis distinctio non detur, sed eadem forma sit subsistentia, generatio, & relatio, non potest dici, quod Paternitas fundetur in generatione, sed solùm fundabitur in Essentia prout intellectiva est.

34. Addo, dato, quod Paternitas, prout quoad nos sub diversa expressione fundatur in generatione, concipiatur in illâ radicari, jam tunc Paternitas non concipitur ut prima proprietas, sed prima proprietas erit tunc ipsa generatio, de qua redit eadem difficultas, in quo scilicet talis proprietas radicetur, seu quæ sit ratio, cur prima Persona generet.

35. Argues 5. Si Intellectio essentialis esset radix Paternitatis, ubicumque illa esset, etiam esset Paternitas; sed hoc est falsum; siquidem in Filio, & Spiritu Sancto est Intellectio essentialis, non tamen Paternitas; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem: etiam esset Paternitas, si non obstaret oppositio; transeat major: si obstaret, ut obstat oppositio; nego majorem: nam cùm Paternitas sequatur Intellectionem ut illius terminus relativus, opponitur per se primò Filiationi, & Spirationi passivæ, prout supra diximus, ideoque non reperitur in Filio, neque in Spiritu Sancto per identitatem.

36. Argues 6. Hæc causalis non est vera: *Ideo Pater est Pater, quia intelligit:* alioqui Filius, & Spiritus Sanctus essent Pater, quia intelligunt; ergo Intellectio non est radix Paternitatis. Respondeo licet illa causalis in illis terminis non sit vera; hanc tamen esse veram: *Ideo Pater est Pater, quia intelligit à se:* hoc est, non per Intellectionem ab alio communicatam: at verò Filius & Spiritus Sanctus intelligunt per Intellectionem communicatam à Patre Filio, & ab utroque Spiritui Sancto, ideòque non sunt Pater.

37. Et ratio à priori est, quia Natura, seu Intellectio Divina, ita est radix Paternitatis, ut simul etiam sit radix Filiationis, & Spirationis, diverso tamen modo; siquidem Paternitas ei convenit proximè, & immediatè à se; Filiatio autem ei convenit ut Intellectioni jam communicatæ per productionem; & spiratio passiva ei convenit ut volitioni per processionem communicatæ. Ex quo patet, Naturam Divinam ex se postulare terminari tribus subsistentiis oppositis; siquidem cùm ita exigat terminari, ut simul exigat communicari; communicari autem non possit, nisi producendo per Intellectum, & voluntatem, secùm defert primum terminum Intellectionis communicandæ, ex quo oritur secundus terminus Intellectionis communicatæ, & indè tertius terminus communicatæ volitionis.

SECTIO III.

De Innascibilitate primæ Personæ.

38. NOn adeò frequenter utuntur Scholastici abstracto *Innascibilitas*, quàm concreto *Innascibile*, seu potiùs *Ingenitum*. Multiplex est significatum hujus nominis *Ingenitum*, sive *Innascibile*, ut videre est apud *P. Ruiz d. 52. sect. 1. & 2.* aliis tamen omissis significationibus: Primò *Ingenitum* recurrit cum Increato, quo sensu Ariani usurpabant hanc vocem, quando dicebant Patrem est Ingenitum, id est Increatum, ut sic dicerent Filium genitum, id est creatum. Undè Sancti Patres, ut videre est apud *P. Ruiz cit.* nè viderentur Arianis consentire, non utebantur eo nomine tanquam proprio Patris; siquidem Ingenitum, prout recurrit cum Increato commune est omnibus Personis, cùm omnes sint Increatæ.

39. Secundò hoc nomen *Ingenitum* negat propriam generationem, idemque est *Ingenitum*, atque non Filius, in quo sensu etiam non est proprium Patris; siquidem etiam Spiritus Sanctus non est Filius. Tertiò sumitur *Ingenitum* rigorosè, quatenùs significat id, quod nullo modo est, aut procedit ab alio, in qua acceptione sumitur in præsenti; neque ut sic immediatè opponitur genito, ut ex D. Nazianz. *orat. 35. n. 36.* notavit *P. Soar. lib. 8. de Trinit cap. 2. num 3.* siquidem *genitum* ex communi usu non dicitur de quocunque procedente quovis modo, sed de solo procedente per propriam generationem; *Ingenitum* autem dicitur, quod nullo modo procedit, sicque plùs negatur per *Ingenitum* quàm affirmatur per *genitum*; & in hoc sensu neutrum convenit Spiritui Sancto. Hoc posito.

40. Difficultas 1. Utrùm *Ingenitum* esse sumptum pro eo, quod nullo modo ab alio procedit, sit proprium solius Patris? Affirmativè. Ita Concilia, & Sancti Patres infrà citandi *P. Soar. lib. 8. de Trinit. cap. 2. n. 2. P. Vasq. 1. p. d. 140. cap. 2. P. Ruiz d. 52. de Trinit. sect. 3. num. 1.* ubi oppositum dicit fore erroneum. *Torres. 1. p q. 33. art. 4. P. Amicus d. 25. sect. 2. n. 31. P. Martin. d. 28. sect. 2. num. 8. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 1. num. 8. P. Arrub. d. 121. cap. 1. n. 3. P. Præposit. 1. p. q. 33. art. 4. P. Compton. tom. 1. d. 63. sect. 2. n. 3.* & alii. Probatur primò authoritate Concilior. ex Concil. Antiochen. *1. in profess. fidei.* decernente, *esse unum Deum Ingenitum sine principio.* Concil. Nicæn. *lib. 2. §. Sæpenumero*: ibi: *Unus*, ait, *Ingenitus Deus, & Pater.* Et Concil. Toletan. 6. cap. 1. & Toletan. 11. *in profess. fidei*: ibi: *Spiritus Sanctus*, inquit, *nec ingenitus, nec genitus creditur, nè aut si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus.* Et Concil. Syrmiens. *can. 16.* pro eodem accipit *Deum Innascibilem*, atque Patrem; ergo &c.

41. Probatur secundò authoritate Sanctorum Patrum D. Athan. *in quæst. de Natur. Dei q. 5. Proprium*, ait, *Patris Ingenitum esse, Filii verò genitum, Spiritûs Sancti procedere*, & sæpè alibi. D. Cyril. Alex. *epist. ad Alexandrum. Unus est*, inquit, *Ingenitus Pater.* Et D. Cyrill. *Hierosolym. Cateches. 11. Unus, est Pater ingenitus, qui Patrem non habet.* Et D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 26.* ibi: *Pater solus*, ait, *non est de alio, ideò solus appellatur Ingenitus*, & sæpè alibi. Idem tenent *D. Justin. in exposit. fidei. D. Gregor. Nyssen. lib. de fide ad Simplicium. D. Chrysost. hom. 5. de Incomprehens. Dei Naturâ. D. Basil lib. 2. contr. Eunom. D. Epiphan. in Ancorat. D. Damascen. lib. 1. fidei cap. 9. & cap. 11.* & alii.

42. Probatur tertiò ratione, quia *Ingenitus* ex usu Theologorum, & prout à nobis hîc accipitur, sumitur pro eo, quod nullo modo âb alio procedit; sed sola prima Trinitatis Persona, nempè Pater, à nullo principio est, aut procedit; ergo solus Pater est Ingenitus. Probatur Minor primò ex fide in Symbol. D. Athanas. ibi: *Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus.* Secundò ratione, quia supposito, quod tres tantùm sint Personæ Divinæ, & quod secunda procedat à prima, & tertia procedat à prima, & secunda, ut supra ostendimus ex Scriptura, Conciliis, & Sanctis Patribus, sequitur per evidentem consequentiam, primam Personam à nullo principio procedere, sed esse improductam, & Ingenitam.

43. Patet, quia aut illud principium, à quo procederet, esset aliquid creatum; aut aliquid increatum: Non primum; tùm quia nulla creatura potest continere in sua virtute productiva ens divinum: tùm etiam quia omne creatum procedit realiter à Deo, & à tota Trinitate; sicque supponit essentialiter ens divinum in esse reali; quod autem supponitur, non potest produci ab eo, quod illud supponit, ut sit: Non secundum; siquidem hoc divinum producens non potest esse ipsa divinitas; hæc enim est idem realiter cum Patre; productio autem realis non potest dari absque distinctione reali producentis, & producti: neque potest esse secunda, aut tertia Persona; siquidem cùm procedant à prima, illam essentialiter supponunt ordine originis, sicque non possunt ad illam supponi in ratione principii; implicat enim mutua suppositio, & productio secundùm eandem realem existentiam; ergo &c.

44. Objicies 1. Aliqui ex antiquis Patribus videntur damnare hoc nomen *Ingenitum* tanquam præstigiosum, ut damnat D. Athan. *orat. 2. contr. Arianos*; tanquam inauditum in Ecclesia, ut damnat D. Amb. *lib. de Incarnat. cap. 8. & 9.* & D. Epiphan. *hæres. 73.* Et D. Chrysost. *orat. 1.* ad illa verba: *In principio erat Verbum*: quasi impias, & alienas ab Scriptura respuit has voces *Ingeneratum*, & *generatum.* Et sic similiter habent alii; ergo &c. Respondeo hos, & similes alios Patres tamdiu damnasse illud nomen, quandiu Ariani illo abutebantur, & nomine Ingeniti significabant Increatum, ut assererent solum Patrem esse Increatum, Filium autem creatum, quæ erat eorum hæresis; postea autem in vero sensu acceptum, & usurpatum esse ab Ecclesia, & Theologis, prout patet ex dictis.

45. Objicies 2. In divinis sola Relatio distinguit, ut constat ex Concil. Florent. *sess. 18.* atqui si *Innascibilitas* esset propria solius Patris, hæc etiam illum distingueret ab aliis Personis; ergo &c. Respondeo distinguendo majorē: sola Relatio distinguit positivè; concedo majorem: etiam negativè; nego majorem: *Innascibilitas* autem secundùm quod addit formaliter supra Relationem est quid negativum, ut infrà dicemus, & sic etiam formaliter negativè Patrem distinguit, qui positivè distinguitur per Paternitatem; imò & per ipsam Innascibilitatem, si sumatur pro materiali, & positivo, sic enim est ipsa Paternitas, quæ Patrem positivè distinguit ab aliis Personis.

46. Objicies 3. Non repugnat mutua causalitas in creatis, ut patet primò in causa efficiente, & finali: secundò in causa materiali, & formali, quæ se mutuò

mutuò causant: tertiò in causis efficientibus; siquidem effectus in eodem instanti, in quo producitur, potest suam causam reproducere; ergo etiam non repugnabit mutua productio in divinis; sicque licet Pater sit principium Filii, & Spiritûs Sancti, poterit mutuò ab eis procedere. Respondeo negando antecedens, si sermo sit de mutua causalitate physica, & quoad primam, & realem existentiam, prout alibi diximus in Physica; nam cùm causa physicè influens supponatur existens, ut præstet existentiam effectui, implicat supponere ipsum effectum, & illi præstare primam existentiam; alioqui supponeret, & non supponeret effectum existentem; supponeret, quia ab illo causaretur; nulla autem causa non existens potest physicè causare; non supponeret, quia ei ut causa præstaret ipsam existentiam; hæc autem implicant. Undè:

47. Ad probationes dicimus, causam finalem non movere, quia existit, sed ut existat; sicque ejus existentia non est physica in ratione causæ, sed moralis, & apprehensa. Similiter causa materialis secundùm suam existentiam non dependet influxu physico à forma, sed quatenùs per eam perficitur, ideoque effectus formalis non est materia, sed ipsa forma ut ei applicata. Deindè in causis efficientibus, dato, quod effectus in eodem instanti, quo fit, possit divinitùs reproducere suam causam, semper ipsa causa reproducta supponitur primò producta, & existens independenter ab effectu reproducente, quem solùm supponit ut reproducta: at verò hoc non potest reperiri in divinis, ubi non potest dari reproductio, cùm ibi productio, sive fit per Intellectum, sive per Voluntatem sit unica, adæquata, & necessaria, ut ex terminis patet. Præterquam quod semper deveniendum est ad aliquid per se primò improductum, à quo originaretur tota series reproductionum.

48. Difficultas 2. Utrùm hæc *Innascibilitas*, sive improducibilitas Patris possit naturali ratione ostendi? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 1. de Trinit. cap. 4. n. 3. P. Amicus d. 25. sect. 2. à n. 33. P. Avendano sect. 23. §. 1. n. 562.* Probatur, quia ubi dantur producentes, & producti, necessariò sistendum est in aliquo primo producente, quod producat, & non producatur; sed in serie Divinarum Personarum, ut habemus ex fide, datur producens, & productum; ergo necessariò sistendum est in aliquo principio, quod producat, & non producatur; sed hoc in divinis est solus Pater; ergo &c.

49 Probatur hæc minor, quia si Paternitas, quæ Patrem constituit, esset ab aliis Personis; aut esset ab alia à se producta; aut ab alia improducta: Non primum, quia implicat mutua productio, ut diximus, & statim dicemus: Non secundum, neque enim datur major ratio, cur sistendum sit in alia Persona improducta, & non ita sistendum sit in ipsa Persona Patris; ergo &c. Confirmatur, quia si Pater non esset improductus, sed ab alia Persona produceretur, aut produceretur ab illa per generationem, aut per spirationem, aut per productionem alterius generis: Non primum, tùm quia jam Pater non posset alium Filium generare; siquidem tota vis generativa tunc esset adæquata in prima prnductione: tùm etiam quia tunc Pater non esset Pater, sed Filius: Non secundum, tùm ob eandem rationem: tùm etiam quia cùm talis productio esset prima, jam in divinis productio per voluntatem, qualis esset spiratio, non supponeret productionem per Intellectum, quod non est dicendum: Non tertium, siquidem in agente per Intellectum, & Voluntatem nulla alia datur productio, quàm per Intellectum, & Voluntatem; ergo &c.

Oppones 1. Personæ Divinæ possent esse infinitæ; ergo in nulla sistendum esset, quæ esset prima, & improducta; siquidem cùm infinitum non habeat primum producens, in quo necessariò sistendum sit, nunquam sistendum erit in aliquo primo improducto. Respondeo negando antecedens; repugnat enim rationi naturali dari infinitam productorum seriem, quin detur primum producens in quo sistatur, & à quo improducto sint omnia producta. Patet, quia aut tota illa collectio esset productorum; aut non, sed aliquod daretur improductum: si hoc secundum; ergo habemus intentum: Si primum, aut debet admitti aliquid productum sine producente, quod implicat ex terminis: aut admittenda est mutua productio, quod etiam implicat; siquidem mutuò producentia existerent, & non existerent: existerent, quia se mutuò producerent, quod stare non posset sine existentia, ut diximus: non existerent, quia mutuò producerentur, quod autem producitur, non existit, cùm, ut existat, producatur; alioqui priùs esset, quàm esset, quæ omnia implicant contradictionem; ergo &c. 50.

Instabis: Non repugnat mutua causalitas, seu productio in diverso genere; sed non videtur magis repugnare mutua causalitas in diverso genere, quàm mutua productio in eodem genere principiorum; ergo &c. Respondeo negando majorem, ut patet ex proximè dictis, & ex dictis supra *n. 47.* 51.

Urgebis: Licet prædicta demonstratione ostendatur, Patrem non posse primò produci, non tamen ostenditur implicare illius secundariam productionem, sive reproductionem; ergo Pater potest ab aliis Personis saltem reproduci. Respondeo demonstrationem esse quidem ad ostendendam primam improductionem Patris, quod intendimus, quia de secundaria illius productione nulla est dubitatio apud hominem cognoscentem Mysterium Trinitatis; licet id posset quispiam affirmare, si talis Mysterii non haberet exactam cognitionem, & solùm sciret esse processiones intra Deum; hic enim non videtur posse evidenti argumentatione refelli, ut ait P. Avendan. cit. *n. 562.* 52.

Inferes: Ergo non implicat talis reproductio in divinis. Respondeo negando illationem: primò ob rationem supra assignatam *n. 49.* Secundò, quia talis reproductio, aut esset libera, aut necessaria: Non primum, siquidem cùm reproductio sit actio vera, & physica, ac indistincta realiter à Deo, pertinensque ad modum essendi integralem ipsius Dei, non potest esse libera, & indifferens (de hac enim libertate indifferentiæ, & non à coactione loquimur;) alioqui posset non esse; quod autem est indistinctum à Deo, non potest non esse: Non secundum; alioqui Persona reproducta non posset sine illa existere; hoc autem est falsum; siquidem Persona, quæ diceretur reproduci, ut primò produceret, deberet præcedere cum perfectissimâ existentiâ; alioqui non posset perfectissimam Personam producere; ergo &c. 53.

Replicabis: Talis reproductio esset necessaria, non ut Personæ perfectè existant; sed ut sint æquales in virtute producendi; ergo &c. Respondeo negando antecedens: Primò, quia talis modus productionis non efficeret, ut Pater esset Verbum, & Spiritus Sanctus, neque ut Verbũ esset Spiritus Sanctus; sicque non ex illa probatur æqualitas in producendo. Secundò, quia Pater producit 54.

Verbum,

Verbum; & Pater, & Verbum producunt Spiritum Sanctum primaria productione; & non sic primariò producerent Personæ reproducentes, ut patet; sicque non salvaretur æqualitas illa in producendo.

55. Oppones 2. Non demonstratur ratione naturali, primam Personam non produci à Naturâ Divinâ; atqui si ab illa produceretur, jam Pater non esset primum producens; ergo ratione naturali non demonstratur, Patrem esse improductum; consequenterque neque primum producens. Respondeo resolutionem solùm procedere de aliquo primo producente, quod quidem demonstratur, & in quo sistendum est: Utrùm autem hoc sit Pater; an verò Natura Divina, non demonstratur ratione naturali; deducitur tamen ratione theologica ex suppositis principiis de fide; siquidem cùm Natura Divina juxta principia de fide sit idem cum Personis Divinis, ut supra diximus; sicque ratione talis identitatis non possit esse productiva Personarum, juxta superiùs dicta, benè sequitur, solum Patrem esse primum producens improductum, idque ex ratione factâ *n. 48.*

SECTIO IV.

Vtrùm Ingenitum esse *dicatur de Essentia, Filio, & Spiritu Sancto?*

56. ADvertes primò, Essentiam Dei esse ingenitam sensu longè diverso dici à quibusdam Catholicis, quàm ab Arianis; hi enim contendebant, Essentiam Dei consistere in eo, quod sit Ingenitus, ita ut qui nosset esse Ingenitum, eo ipso Essentiam Dei penetrasset, ut refert, atque refutat D. Athan. *dialog. 1. de Trinit. contra Anomæum,* D. Basil. *lib. 1. contra Eunom.* & D. Nazianz. *orat. 32.*

57. Advertes secundò, sensum quæstionis hîc solùm esse: An *Ingenitum esse* conveniat Essentiæ, aut huic Deo, prout præscindit à Personis, idque tanquam negatio, vel privatio consecuta necessariò Essentiam? Pro quo. Advertes tertiò, *Ingenitum* etiam prout negat quamlibet processionem à quolibet principio dupliciter accipi: Primò cum positiva repugnantia procedendi: Secundò sine positiva repugnantia cum mera indifferentia. His positis.

58. Dico 1. Essentiæ Dei non convenit esse *Ingenitam* in eo sensu, quo Ariani dicebant, Essentiam Dei consistere in eo, quod sit *Ingenitus.* Est de Fide. Ita *P. Ruiz d 52. sect. 6. n. 3.* Probatur primò, quia esse *Ingenitum* formaliter dicit quid negativum; materialiter verò Paternitatem, in qua fundatur ipsa negatio; sed Essentia Dei, cùm sit ens reale, & positivum, non potest consistere in negativo; neque etiam in ipso positivo Paternitatis; alioqui Filius, & Spiritus Sanctus non haberent Essentiam Dei, quia non habent Paternitatem; ergo &c.

59. Probatur secundò, quia Essentia Dei convenit omnibus tribus Personis; sed esse *Ingenitum* est proprium solius Patris, ut supra diximus; ergo &c. Confirmatur ex D. Basil. lib. 4. contra Eunom. ibi: *Nec definitio igitur, nec proprium Dei est Ingenitum esse, non enim convertitur.* Et subdit rationem: *Nam*, inquit, *Filius, cùm sit Deus, Ingenitus non est*; ergo &c.

60. Dico 2. Esse *Ingenitum* sumptum cum positiva repugnantia procedendi ab alio, non convenit Essentiæ Divinæ, neque huic Deo, prout præscindit à Personis. Ita *P. Ruiz cit. n. 10.* Probatur, quia *Ingenitum* prout sic excludit à subjecto quamlibet processionem à principio, sive per productionem sui formaliter; sive per productionem alicujus suppositi, cui communicatur, & de quo essentialiter prædicatur; sic enim *Incorporeum*, prout est proprium Spiritûs, excludit corpus à quolibet supposito, de quo Spiritus essentialiter prædicatur; sed Deitas, sive Essentia Divina, sive hic Deus non est hoc modo Ingenitus; siquidem prædicatur essentialiter de Filio, qui est genitus, & non Ingenitus; & de Spiritu Sancto, qui non est Ingenitus, sed procedens; ergo &c.

61. Oppones 1. D. Athan. dialog. 1. de Trinit. contra Anomæum. *Pater*, inquit, *Filius, & Spiritus Sanctus Ingenita sunt Essentia.* Et D. Ephrem serm. de Pœnitent. *Unam*, dicit, *consubstantialis Trinitatis Naturam Ingenitam.* Et D. Basil. lib. 5. contra Eunom. *Ingeniti appellatio*, ait, *significat, quomodo se habeat substantia Dei, & quod nata non sit.* Et D. Hilar. lib. de Synodis frequenter dicit. *Innascibilem substantiam*: seu *Innascibilem Essentiam.* Idem habent D. Epiphan. *hæres. 76.* D Justin. *lib. 1. de natural. auscultat.* Et Concil. Toletan. 1 *in assert. fidei*, ubi anathematizat eum, *qui dixerit* Deitatem *nascibilem esse.*; ergo &c. Respondeo Sanctos Patres, & Concil. cit. dixisse Essentiam Divinam esse Ingenitam, & Innascibilem in eo sensu, quod effectorem non habeat.

62. Oppones 2. Illud dicitur Ingenitum, quod non procedit à principio, nec est productum; sed Essentia Divina, sive hic Deus, prout præscindit à Personis, non procedit à principio, neque est productus; ergo Ingenitus. Respondeo argumentum solùm probare, Essentiam Divinam, sive hunc Deum non habere causam efficientem; non tamen ei convenire esse Ingenitum in supposita acceptione, ut patet.

63. Dico 3. Esse *Ingenitum* sumptum sine positiva repugnantia, & cum mera indifferentia, convenit Essentiæ Divinæ, sive huic Deo, prout præscindit à Personis. Ita *P. Ruiz cit. n. 12.* Probatur, quia Ingenitum prout sic ratione sui neque postulat procedere, neque non procedere, sed est indifferens ad utramque proprietatem; sed Deitas, sive Essentia Divina, sive hic Deus ratione sui prout præscindit à Personis non postulat procedere, neque non procedere, sed est indifferens, ut nullo modo procedat, prout est in Patre, & ut aliquo modo procedat, prout est in Filio, & in Spiritu Sancto, quatenùs convenit Personis procedentibus, & illis communicatur; ergo de Essentia, sive de hoc Deo prout sic potest dici *Ingenitus.* Confirmatur, quia de animali prout sic sumpto, & abstracto cum indifferentia possumus dicere esse irrationale; siquidem animalitas, prout sic ratione sui, nec postulat esse rationalem, neque irrationalem, sed est indifferens ad utrumque; ergo &c,

64. Dico 4. Simpliciter loquendo, & absque aliquâ declaratione, non licet concedere Filium esse *Ingenitum.* Ita *D. Athan. lib. 2. de Personis, & lib. 5. de Trinit. D. Basil. lib. 2. contr. Eunom. D. Cyril. Alex. lib. 1. Thesaur. cap. 1. & 4. D. Fulgent. ad object. 5. Arianor.* & alii, quos citat, non tamen sequitur *P. Ruiz cit. sect. 7. n. 3.* Probatur primò, quia hoc nomen *Ingenitum* jam ex usu Ecclesiæ, & ex Patribus citatis receptum est tanquam proprium

solius

solius Patris, ut supra diximus, & ut negans quamlibet processionem à quolibet principio; ergo &c.

65. Probatur secundò ex D. Hilar. lib. 4. de Trinit. ubi de Filio. *Non Innascibilis*, inquit, *ne Patri adimat, quod Deus unus sit.* Et lib. 9. *Nativitas*, inquit, *non est consecuta, ut Innascibilis effecta sit.* Et Concil. Syrmicens. *can. 26.* anathematizat eum, qui *Innascibilem, & sine initio dicat Filium.* Idem habent Concil. Sardic. *in profess. Fidei.* & Toletan. 1. *in assert. Fidei*; ergo &c.

66. Objicies 1. cum Arianis: Aut plures sunt Ingeniti; aut unus: Si primum; ergo plures sunt Dii: Si secundum; ergo Filius non est Ingenitus, sed solus Pater; consequenterque solus Pater est Deus: Filius autem est creatura. Respondeo non Filium, sed solum Patrem esse Ingenitum, prout Ingenitus idem est, atque à nullo procedens; esse tamen tres Ingenitos, prout Ingenitus idem est, atque increatus, sive non factus; ex quo non sequitur, neque esse tres Deos; neque Filium esse creaturam, ut patet ex supra dictis.

67. Objicies 2. Genitum, & ingenitum differunt naturâ, nec sunt ejusdem substantiæ; sed Pater est Ingenitus; ergo etiam Filius; alioqui different naturâ, & substantiâ. Respondeo negando majorem, quæ absolutè est falsa; licet quodam modo sit vera, si sermo sit de Genito, & Ingenito quoad proprietates personales, quæ quasi specificè distinguuntur, in quo sensu locutus est D. Nazian. orat. 35. ad object. 7. *Quid per Ingenitum*, inquit, *& Genitum intelligis? Si ipsam Ingeniti, & Geniti proprietatem, non idem sunt: sin autem ea, quibus hæc insunt, quid vetat, quominùs idem sint?*

68. Dico 5. Spiritus Sanctus simpliciter loquendo non est Ingenitus. Ita *D. Nazian. orat. 50. D. Basil. lib. 3. contr. Eunom. D. Ambr. in symbol. Apost. cap. 3. D. Isidor. lib. 7. Etymolog. cap. 3. §. 2. D. Ansel. in Monolog. cap. 54.* & alii, quos citat & sequitur *P. Ruiz. d. 52. de Trinit. sect. 8, num. 7.* Probatur primò ex Concil. Nicæn. *in profess. fidei*, dicente *Spiritum Sanctum non Ingenitum, nec Genitum.* Concil. Toletan. 11. & Concil. Syrmicens. can. 19. *Si quis*, ait, *Spiritum sanctum Paraclitum dicens, Innascibilem Deum dicat, anathema sit.* Et D. Hilar. lib. de Synodis. *Impiissimum est*, inquit, *Innascibilem Deum eum dici, qui ad consolationem nostram sit missus à Filio.* Et D. Aug. serm. 38. de Tempore. *Spiritus Sanctus*, ait, *nec Ingenitus, nec Genitus alicubi dicitur*; ergo &c.

69. Probatur secundò ratione, quia hoc nomen *Ingenitum*, ut diximus, negat quamlibet processionem à quolibet principio; sed id solius Patris est proprium, ut diximus; nam Spiritus Sanctus est à Patre, & Filio; ergo &c.

70. Objicies 1. D. Athan. dialog. 1. de Trinit. *Spiritus Sanctus*, inquit, *non habet Patrem: ergo ipse est Ingenitus: Itaque ingenitum esse non est proprium Patris.* Idem ferè dicunt D. Nazian. *serm. de Epiphania.* D. Epiphan. *hæres. 76.* D. Ambr. *de Incarnatione cap. 9.* ergo &c. Respondeo D. Athan. & alios Patres dicentes. Spiritum Sanctum esse Ingenitum, solùm voluisse esse Increatum, sumpsisseque nomen *Ingenitum*, prout idem est, atque Increatum, sive non factum; non autem, prout idem est, atque à nullo procedens, in quo sensu solus Pater, & non Filius, neque Spiritus Sanctus dicitur Ingenitus.

71. Objicies 2. Omne, quod est, aut est genitum, aut Ingenitum; sed Spiritus Sanctus non est genitus; ergo Ingenitus. Respondeo negando majorem: *Ingenitum* enim non accipitur quasi contradictorium *geniti*, ita ut sit idem, quod non genitum, sed accipitur prout negat plus, quàm affirmat genitum, ut supra diximus; siquidem hoc affirmat solummodò generationem propriè dictam; *Ingenitum* autem accipitur prout negat quamlibet processionem, sicque solius Patris, & non Spiritûs Sancti est proprium.

SECTIO V.

Quid dicat Ingenitum, *seu Innascibile de formali; & quid de materiali?*

PRIMA sententia quorundam Antiquorum asserit, *Ingenitum*, sive Innascibile dicere de formali relationem positivam, quæ sit opposita relationi geniti; sicut inæquale, & dissimile dicunt positivas relationes oppositas æqualitati, & similitudini Rejicitur primò cum *D. Bonav. in 1. dist. 28. q. 1.* & aliis communiter; quia sequeretur esse in Deo quinque Relationes; siquidem præter quatuor supra assignatas additur Relatio Innascibilitatis. Secundò, quia admissa Relatione Innascibilitatis, debet admitti quarta Persona, quam correlativè respiciat; sicut enim Pater non eandem Personam respicit Relatione Spiratoris, quam respicit Relatione Patris; ita etiam distinctam Personam deberet respicere ut est Innascibilis relatione Innascibilitatis, si hæc foret realis, & positiva. 72.

Tertiò, quia Relatio hæc Ingeniti, prout opponitur cuilibet processioni passivæ, (qualiter esset propria Patris) deberet habere pro termino *Ingenitorem* prout opponitur cuilibet productioni activæ; sed *Ingenitor* prout sic non est quid reale, sed merum figmentum, ad quod non potest terminari relatio aliqua realis, & positiva; ergo &c. Dicent Ingenitorem prout terminat Relationem Ingeniti, esse Filium, & Spiritum Sanctum non producentes Patrem. Sed contra, quia Filius, & Spiritus Sanctus non respiciunt realiter Patrem, nisi ut producti ab illo; quod autem illum non producant, non est aliquis respectus realis, sed mera negatio; alioqui deberet admitti sexta alia relatio realis communis Filio, & Spiritui Sancto, prout est Ingenitor Patris Ingeniti. 73.

Secunda sententia docet *Ingenitum*, sive Innascibile dicere de formali quid positivum, quod positivum explicat per universalem authoritatem, seu primitatem in originando, quam Pater habet supra cæteras Personas: aut per fontalem plenitudinem divinæ fœcunditatis. Rejicitur, quia sequeretur, Innascibilitatem formaliter comprehendere simul Paternitatem, & Spirationem activam; siquidem prima Persona per illas constituitur formaliter pincipium universale, & fontalis origo cujuslibet Personæ; sed hoc non est dicendum: tùm quia Innascibilitas est Notio distincta à Paternitate, & aliis Relationibus, ut diximus: tum etiam, quia Paternitas, & Spiratio activa non debent conflari in unam Relationem, cùm sint Relationes, & Notiones distinctæ; ergo &c. 74.

Tertia sententia, quam sequimur, affirmat, *Ingenitum*, seu Innascibile dicere de formali solam negationem. Ita *D. Thom. 1. p. q. 33. art. 4. ad 1. & q. 40. art. 3. ad 3. & in 1. dist. 28. q. 1. art. 1. & 2. Alexand. 1. p. q. 60. memb. 2. Albert. 1. p. q. 39. memb. 1. & 2.* 75.

1. & 2. art. 1. D. Bonav. in 1. dist. 26. art. unico q. 4. & dist. 28. art. unico. q. 1. & 2. Magist. in 1. dist. 28. & ibid. Richard. art 2. q. 1. & 2. Durand. q. 1. a. 1. Scot. q. 2. Gabr. q 1. Argent. q. 1. art. 1. Aureol. art. 1. Capreol. q. 1. Carthus. q. 1. Major. q. unica. Henricus 2. p. art. 55. q. 5. ad 4. & 5. & alii, quos citat, & sequitur *P. Ruiz. d. 53. de Trinit. sect. 2. n. 8.* tenent etiam *P. Soar. lib. 8. de Trinit. cap. 2. num. 6. P. Vasq. 1. p. d. 140. cap. 3. n. 11. P. Valent. 1 p. q. 5. a. 6. punct. 4. P. Arrub. d. 121. cap. 3. n. 14. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 1. n. 10. P. Præposit. 1. p. q. 33. art. 4. n. 19. P. Molin. 1. p. q. 33. art. 4. P. Alarcon. tr. 5. d. 7. cap. 1. n. 9. P. Compton. tom. 1. d. 63. sect. 2. n. 4. P. Granad. 1. p. tract. 7. d. 2. n. 5. P. Amicus d. 25. d. 51. P. Martin. d. 28. sect. 2. n. 12. P. Rhodez d. 6. q. 3. sect. 1.* & alii.

76. Probatur primò authoritatate Patrum, qui *Ingenitum*, sive Innascibile per negationem explicant, tanquam per rationem formalem, sic explicant *D. Nazian. orat. 32. & 35. D. Athan. Dialog. 2. de Trinit. contr. Anomæum. D. Basil. lib. 1. contr. Eunom. & lib. 2. & 3. sect. 2. D. Epiphan. hæres. 76. D. Cyril. Alex. lib. 1. Thesaur. cap. 2. & 3. & sæpè alibi. D. Damascen. lib. 2. de fide. & D. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 3. 5. & 6.* ibi: *Cùm verò Ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit, dicitur.* Idem habet Concil. Toletan. 11. *in profess. fidei: Patrem*, ait, *non genitum, non creatum, sed Ingenitum profitemur, ipse enim à nullo originem ducit*; ergo &c.

77. Probatur secundò rationibus: Prima ratio est, quia nihil positivum potest assignari, quod sit ratio formalis *Ingeniti*, seu Innascibilis, ut patet ex impugnatione aliarum Sententiarum; ergo &c.

78. Secunda ratio est, quia nominibus Dei nihil positivum significatur, nisi substantia, aut relatio; sed nomen *Ingenitum*, prout est proprium Patris non significat substantiam; alioqui aliqua substantia esset propria solius Patris, quæ non esset communis Filio, & Spiritui Sancto: non significat relationem: aut enim hæc esset distincta à quatuor assignatis, quod implicat, ut supra diximus: aut esset ipsa Paternitas sola; aut Paternitas ipsa simul cum spiratione activa, quod etiam implicat; siquidem cùm Innascibilitas sit diversa Notio ab illis, etiam diversum debet habere significatum formale; ergo &c.

79. Tertia ratio est, quia in eo distinguitur nomen negativum à positivo, quod illud dicit formaliter negationem, & non ita positivum; sed *Ingenitum* sive Innascibile est nomen negativum; siquidem particula *in* denotat carentiam nascibilitatis, cui opponitur Innascibile; ergo &c. Confirmatur, quia Innascibilitas, & nascibilitas opponuntur contradictoriè; sed nascibilitas importat aliquid positivum, ut patet; ergo Innascibilitas importabit quid negativum.

80. Argues 1. ex D. Aug *lib 5. de Trinit. cap. 7.* ibi. *Non ergo*, inquit, *receditur à relativo prædicamento, cùm Ingenitus dicitur*; ergo ex mente D. Aug. *Ingenitum* dicit positivum relationis. Respondeo primò sensum D. Aug. esse, cùm dicimus Ingenitum, non recedi à prædicamento Relationis, aut negando, aut affirmando; dicendo enim *genitum* relationem affirmamus; dicendo autem *Ingenitum*, relationem negamus. Respondeo secundò D. Aug. loqui de significato materiali *Ingeniti*, quod est Paternitas, ratione cujus Pater est Ingenitus radicaliter.

81. Argues 2. Ita se habet Paternitas, & Innascibilitas in Patre, sicut se habet Filiatio, & nascibilitas in Filio; sed hæ important rationem positivam in Filio; ergo etiam illæ in Patre. Respondeo negando majorem: Filiatio enim, & nascibilitas in Filio important rationem positivam, quia sunt ipsamet relatio Filii, quæ est positiva: at verò Paternitas, & Innascibilitas, cùm sint diversæ Notiones in Patre, diversum habent significatum formale; sicque illa positivum, hæc autem negativum habet significatum formale.

Argues 3. Innascibilitas dicit dignitatem primæ Personæ, cùm sit illius Notio, ut supra diximus, ad quod requiritur, quod dicat dignitatem personæ; sed dignitas est aliquid positivum; ergo &c. Respondeo primò, dignitatem aliquando dicere aliquid positivum, aliquando solùm negativum, & ita dicit Innascibilitas, quæ licet solam negationem dicat, adhuc est dignitas, & perfectio Personæ; siquidem non esse ab alio ullo modo, etiam sistendo in ipsa negatione, dignitas & perfectio est, ut supra diximus *d. 5. n. 283.* 82.

Respondeo secundò, Innascibilitatem dicere dignitatem materialiter, & secundariò; sic enim dicit Paternitatem: non autem formaliter, & primariò; sic enim dicit negationem. Respondeo tertiò, Innascibilitatem dicere dignitatem suppositivè; non autem significativè: aliquando enim aliud est, quod significatur formaliter; & aliud, pro quo supponitur: undè potest negatio significari formaliter, & tamen supponere pro positivo; sic enim quando dividimus animal in rationale, & irrationale, irrationale formaliter importat negationem; supponit tamen pro differentia positiva. 83.

Argues 4. Esse *à se*, esse *Infinitum*, & esse *Immensum* dicit de formali aliquid positivum; ergo etiam sic dicet esse Innascibile. Respondeo primò esse à se dicere quid positivum, quia non est nomen negativum, sicut est Innascibile: si tamen explicetur per hoc, quod est non esse ab alio, tunc significatur ut formaliter negativum, *licet* supponat pro positivo. De Infinitate, & Immensitate eodem modo philosophantur plures, atque de Innascibilitate. Neque obstat, quod Infinitas, & Immensitas sint Attributa positiva; hoc enim verum est sumptâ Infinitate, & Immensitate pro materiali, pro quo supponunt, non autem pro formali. 84.

Respondeo secundò negando consequentiam; diversa ratio est, quia *Infinitum*, & *Immensum* importat negationem negationis, quod æquipollet affirmationi, ideoque dicit positivum; nam esse finitum (idemque dicendum de Immensitate) dicit negationem ulterioris tendentiæ; ergo Infinitum ex oppositio dicet formaliter ulteriorem, & ulteriorem tendentiam perfectionis sine termino; at verò *Innascibilitas* dicit simplicem negationem, quia opponitur processioni, quæ est aliquid positivum per eam negatum, sicque solùm importat negationem de formali. Idem dicendum de *Incorporeo*, quod dicit formaliter simplicem negationem corporis: & de *Indivisibili*, quod dicit formaliter negationem divisibilitatis positivæ. 85.

Instabis: Innascibilitas, sive non esse ab alio simpliciter, idem est, atque esse à se simpliciter; sed esse à se dicit quid positivum; ergo etiam sic dicet non esse ab alio, sive esse Innascibile. Respondeo distinguendo majorem: idem est, atque esse à se secundùm significatum materiale; concedo majorem: secundùm formale; nego majorem: sic enim Innascibile dicit quid positivum, & esse à se dicit positivum. 86.

Argues 5. *Ingenitum*, sive *Innascibilitas* dicitur à multis Patribus modus substantiæ, sive existendi, 87.

sive

sive modus, quo Deus est, ut patet ex D. Justin. *in exposit. fidei*, ibi: *Si verò*, inquit, *Ingeniti vocabulum consideres, substistentiæ modum significare id invenies.* Idem habent *D. Basil. lib. 3. contr. Eunom. sect. 2. D. Greg. Nyssen. lib. ad Ablabium. D. Cyril. lib. 1. Thesaur. cap. 3. & D. Damascen. lib. 1. fidei cap. 9.* sed modus substantiæ, aut existentiæ realis, non potest non esse realis, & positivus; ergo &c.

88. Respondeo primò, nomina multoties supponi, non pro suo significato formali negativo, sed pro materiali fundamento, à quo procedit negatio: sic densiores nubes appellantur tenebræ; & sic citati Patres *Ingenitum*, sive Innascibilitatem supposuerunt pro illius significato materiali, nempè pro Paternitate, quæ est realis, & positiva. Secundò vocabulum *modus* accipi ibi à Patribus analogicè, prout dicitur de modo positivo, & negativo, ut expressit *D. Basil. lib. 5. contr. Eunom. & D. Cyril.* loco cit. ibi: *Non est*, inquit, *Ingenitum substantia, sed substantiam, de qua dicitur, non esse tali modo, significat.*

89. Argues 6. Sancti Patres aliquando nomine *Ingeniti*, & Innascibilitatis intelligunt realem proprietatem, ut intellexerunt D. Nazianz. D Athan. D. Damascen. D. Cyril. & alii apud P. Ruiz cit. ergo &c. Respondeo hos, & similes Patres supposuisse *Ingenitum*, & Innascibile pro suo significato materiali; non autem pro formali, quod dicunt, esse quid negativum, ut patet ex supra dictis.

90. Argues 7. Quidquid Deo convenit, aut est ad se ipsum, aut ad aliquid; sed esse *Ingenitum* non est ad se ipsum esse, ut ait D. Aug. *lib. 5. de Trinit. cap. 7.* ibi: *Cùm dicitur Ingenitus, non ad se ipsum dicitur*; ergo est ad aliquid; consequenterque relativum, & positivum. Respondeo D. August. cit. *cap. 6.* dixisse *Ingenitum* dicere formaliter negationem, ut diximus *num. 76.* quod hîc non negat, licet dicat *Ingenitum* esse ad aliquid; aut enim loquitur de *Ingenito*, sive *Innascibili* sumpto pro materiali; aut si pro formali, loquitur reductitè, quatenùs omnis negatio ex communi Philosophorum reducitur ad prædicamentum, in quo ponitur fundamentum in quo fundatur, & affirmatio, quam excludit.

91. Argues 8. Omnis proprietas ponit aliquid in eo, cujus est proprietas; sed *Ingenitum*, sive Innascibile est proprietas Patris, ut supra diximus; ergo aliquid positivum ponit in Patre. Respondeo primò distinguendo majorem: ponit aliquid, sive positivum, sive negativum; concedo majorem: semper positivum; nego majorem: si enim proprietas est positiva, ponit aliquid positivum: si autem negativa, ponit aliquid negativum, ut ponit *non lapis* in homine, & sic ponit *Ingenitum* in Patre.

92. Respondeo secundò data majori, & minori, distinguendo consequens: aliquid positivum ponit in Patre ratione sui significati materialis; concedo consequentiam: sic enim ponit Paternitatem, quæ est positiva, & realis: ratione sui significati formalis; nego consequentiam: sic enim solam dicit negationem, ut diximus.

93. Argues 9. Si *Ingenitum* solam dicit negationem, sequeretur chymæram esse ingenitam; siquidem à nullo principio potest procedere; consequenterque esse Ingenitum non erit proprium solius Patris; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Respondeo primò negando sequelam; neque enim *Ingenitum* dicit meram negationem, sicut dicit chymæra, sed connotat aptitudinem procedendi à principio secundùm communem rationem Personæ Divinæ, ideoque est privatio, ut infra dicemus; juxtà quam proprietatem repugnat chymæræ dici Ingenitam.

Respondeo secundò negando sequelam quoad 94.
ultimam partem; *Ingenitum* enim ex opposita omninò ratione convenit Æterno Patri, & Chymæræ, sive impossibilibus; nam chymæræ, sive impossibilibus convenit ob summam eorum imperfectionem; cùm enim sint essentialiter non entia, non possunt esse capacia alicujus perfectionis, nec quidem per passivam productionem, & communicationem, sicq; dicuntur Ingenita, sive non posse procedere ab alio ob suam summâ imperfectionem: at verò Pater Æternus dicitur *Ingenitus* ob suam summam perfectionem; cùm enim quidditativè sit ens à se, & per omnimodam improductionem, & incommunicationem habeat omnia à se, non est capax ullius productionis, aut communicationis ab alio. Undè Pater Æternus dicitur *Ingenitus* ratione fundamenti positivi essentialiter includentis omnem perfectionem à se: impossibilia autem ratione fundamenti negativi essentialiter excludentis omnem cápacitatem participandi ullam perfectionem, etiam per communicationem ab alio.

SECTIO VI.

Quid sit hoc formale, quod dicit Ingenitum: & in quo fundetur?

Difficultas 1. Utrùm *Ingenitum*, sive 95.
Innascibilitas in Patre sit mera negatio; an privatio, saltem minùs propria? Hoc secundum. Ita *P. Soar. lib. 8. de Trinit. cap. 2. n. 7. P. Ruiz d. 53. de Trinit. sect. 3. num. 4. P. Amicus d. 25. n. 65. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 1. n. 10.* & alii supra citati. Probatur primò, quia est negatio in subjecto apto, saltem genericè ad habendam formam; siquidem cùm aliæ Personæ Divinæ producantur, licet productio repugnet tali Personæ in individuo, ut ita dicam, nempè Patri, debetur tamen Filio, & Spiritui Sancto, qui sunt Personæ ejusdem ordinis cum Patre; sicque convenit Patri saltem genericè ratione aliarum Personarum; sed hoc satis est ad rationem privationis, saltem minùs propriæ, ut patet in carentia visionis, quæ reperitur in talpa, & dicitur prout sic privatio, licet non sit carentia formæ in subjecto apto in individuo, sed solùm in specie, aut in genere, quatenùs animalia ejusdem generis cum illâ visionem postulant; ego &c.

Probatur secundò, quia si *Ingenitum* diceret de 96.
formali puram negationem, non foret proprium solius Patris; siquidem chymæra, & alia figmenta impossibilia dicuntur simpliciter ingenita, & innascibilia, quia à nullo possunt produci; sed *Ingenitum* est proprium solius Æterni Patris; ergo debet sumi prout dicit privationem, & non meram negationem. Confirmatur primò ex D. Nazianz. *orat. 35.* ibi: *Ingenitum*, inquit, *& genitum inter se opponuntur, ut habitus, & privatio.* Secundò, quia nisi Filius, & Spiritus Sanctus haberent eam formam, seu habitum, quem formaliter excludit *Ingenitum* ut privatio, sequeretur *Ingenitum* non esse Notionem, neque proprietatem distinguentem Patrem ab illis; cùm tamen Pater ideò dicatur *Ingenitus*, ut denotetur, ejus Personæ repugnare

processionem passivam, quam habent aliæ Personæ Divinæ, & hac ratione ab illis distinguatur; ergo &c.

97. Objicies 1. Omnis privatio, cùm sit carentia formæ debitæ subjecto, involvit imperfectionem in ipso subjecto, quatenùs caret tali forma sibi debita; sed in Personis Divinis non est admittenda imperfectio; ergo neque ratio privationis. Respondeo majorem esse veram de privatione propria, quæ est carentia formæ debitæ eidem subjecto in individuo, quod illa caret; non autem de impropria, quæ solùm privat formâ debitâ alteri subjecto ejusdem generis, ut se habet Innascibilitas, quæ solùm privat Patrem processione debita aliis Personis, non sibi.

98. Objicies 2. D. Justin. *lib. 1. de Natural. auscult.* in confutatione dogmatum Aristotelis: *Ingenitum*, inquit, *in generalibus quidem privationem significat, in quæ cadit generatio; in æternis autem generationem omninò negat præteritam æquè, ac futuram*: ex quibus verbis constat, *Ingenitum* dicere de formali puram negationem. Respondeo D. Justin. eo loco disputare cõtra Philosophos ethnicos, quibus tunc non expediebat ostendere, quid de ratione privationis participaret *Ingenitum* in divinis, sed quod generatio, qualem cognoverunt Philosophi, repugnaret rebus æternis.

99. Difficultas 2. Utrùm hæc privatio, quam dicit *Ingenitum*, sive Innascibile, fundetur proximè, & immediatè in Paternitate? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 8. de Trinit. cap. 2. n. 9. cum D. Thom. 1. p. q. 33. art. 4. P. Ruiz d. 53. sect. 5. P. Arrub. d. 121. cap. 5. num. 19. P. Amicus d. 25. n. 57.* & alii. Probatur primò, quia *Ingenitum*, sive Innascibilitas, cùm sit negatio privativa, ut diximus, debet fundari in aliquo positivo; sed non apparet in Patre aliquod positivum, in quo possit fundari, nisi Paternitas; ergo &c.

100. Probatur secundò, quia *Innascibilitas* est negatio propria solius Patris; ergo debet fundari in aliquo positivo, quod sit proprium solius Patris; sed sola Paternitas est illius propria; Essentia enim est communis omnibus Personis; ergo in sola Paternitate immediatè fundatur; cùm in Patre nihil detur positivum præter Essentiam, & Paternitatem.

101. Probatur tertiò, quia cùm *Innascibilitas* sit negatio, & ut talis debeat fundari in aliquo positivo, aut hoc positivum esset ipsa Essentia Divina, ut ait Henric. *p. 2. sum. art. 57. q. 1.* aut ratio patriarchalis dignitatis, seu primi principii, ut dixerunt Alexand. *1. p. q. 69. memb. 2.* & Albert. *1. p. q. 39. memb. 1.* aut ratio formalis plenitudinis, ut docuit D. Bonav. *in 1. dist. 28. art. unico q. 1. & 2.* aut ratio Authoris, principii universalis, seu primi, ut tenuit Durand. *in 1. dist. 28. q. 1. art. 2. n. 9.* aut Primitas ad omnem emanationem, ut dixit Richard. *in 1. dist. 28. art. 2. q. 1. & 2.* sed in nulla ex his formalitatibus fundatur immediatè Innascibilitas; ergo &c.

102. Probatur Minor, quia omnes assignatæ formalitates (de Essentia enim jam constat *n. 100.*) non addunt in Patre præter rationem principii productivi, nisi solam negationem procedendi ab alio; non enim assignabilis est alia ratio, quam illæ addere possint; sed negatio procedendi ab alio nequit fundare rationem *Ingeniti*; siquidem cùm negatio procedendi ab alio sit ipsamet negatio, quam formaliter dicit *Ingenitum*, esset fundamentum sui ipsius, quod non est dicendum; ergo in sola Paternitate fundatur, cùm aliud non appareat.

Oppones 1. Ex D. Epiphan. *hæres. 76.* Pater est *Ingenitus, eo quòd ipsa per se ingenita Natura est*; ergo Natura, & non Paternitas fundat privationem, quam dicit *Ingenitum*. Respondeo negando consequentiam; nam D. Epiphan. solùm voluit docere, rationem fundandi esse de quidditate intrinseca Patris, propter quam est Persona Ingenita. 103

Oppones 2. Ex D. August. *lib. 5. de Trinit. cap. 6.* ibi: *Non hoc est dicere Ingenitum, quod est Patrem dicere: quia & si Filium non genuisset, nihil prohiberet eum dicere Ingenitum.* Et infrà: *Nec ideò quisque pater, quia ingenitus, nec ingenitus ideo, quia pater.* Ex quibus constat: primò, negationem ingeniti posse esse sine Paternitate; & è contra: secundò, Paternitatem non esse rationem, propter quam sit Ingenitus; ergo Paternitas non est fundamentum immediatum negationis Ingeniti. 104

Respondeo cum *P. Ruiz cit. sect. 5. n. 18.* D. August. locis citatis solùm probare, Paternitatem, in quantùm est productiva alterius Personæ, & prout explicitè, & formaliter refertur ad Personam productam, non esse immediatam rationem fundandi privationem, de qua loquimur; sed solùm illam fundare quatenùs prima personalitas est, & prima Hypostasis, de quo infrà. Undè D. August. primo loco supponit, quod Pater esset Persona, licet non genuisset, ideoque dicit, etiam si non genuisset, neque haberet Filium, ac ideò non esset Pater, adhuc fore Ingenitum, quia adhuc foret Persona Divina, ac si Deus esset unica Persona. In secundo autem loco loquitur de explicito conceptu Paternitatis, sub quo Paternitas non est fundamentum immediatum negationis Ingeniti, ut infrà dicemus.

Oppones 3. Si Paternitas fundaret negationem *Innascibilitatis*, hæc esset illâ posterior; siquidem Paternitas esset illius fundamentum; *omne autem* fundamentum est prius re fundatâ; sed hoc est falsum; siquidem Paternitas, & Filiatio sunt simul, utpotè correlativæ; Innascibilitas autem non est posterior Filiatione; sicque neque Paternitate; ergo &c. Respondeo Innascibilitatem esse posteriorem Paternitate sub conceptu expresso Hypostasis, sub qua ratione est illius fundamentum, qui conceptus non est simul Filiatione, sed prior illâ, sicut etiam est prior ipsâ Paternitate, quatenùs explicitè respicit Filium. De hoc tamen infrà. 105

Oppones 4. Relationes positivæ in Deo ideò sunt reales, quia ex natura rei fundantur in Essentia Divina; ergo etiam Relatio negativa (sic enim appellat Innascibilitatem Henricus supra cit.) ex natura rei fundabitur in Essentia Divina; sicut enim ex natura Essentiæ Divinæ est, quod in aliqua Persona sit ratio, & principium *quo* producendi aliam; sic etiam in aliqua Persona erit ratio, ut illa Persona non producatur ab alia; consequenterque erit fundamentum negationis producibilitatis. Respondeo argumentum ad plurimum probare, Essentiam Divinam fundare Innascibilitatem remotè; non autem proximè; sic enim solùm dicimus fundari in Paternitate. De hoc tamen infrà. 106

Difficultas 3. sub qua ratione Paternitas sit immediatum, & proximum fundamentum Innascibilitatis? Advertes, Paternitatem, licet à parte rei sit una, & eadem entitas in Patre, posse tamen quoad nos sub triplici conceptu considerari, prout supra diximus, nempè sub conceptu Originis, Relationis, & Hypostasis, sive subsistentiæ; 107

sub

sub quo igitur ex his conceptibus fundet immediatè Innascibilitatem, est præsens difficultas: pro qua:

109. Dico 1. Innascibilitas à parte rei fundatur in Paternitate secundùm omne, quod Paternitas includit à parte rei. Probatur, quia Innascibilitas, cùm sit negatio realis, & à parte rei, debet à parte rei fundari in Paternitate, prout est à parte rei; sed Paternitas à parte rei includit non solùm rationem Hypostasis, sed etiam Originis, & Relationis; ergo prout sic à parte rei est fundamentum Innascibilitatis.

110. Dico 2. Paternitas, si sumatur quoad nos, solùm sub conceptu primæ Hypostasis est immediatum, & proximum fundamentum Innascibilitatis. Ita *P. Ruiz de 53. de Trinit. sect. 5. P. Amicus d. 25. n. 57.* & videntur tenere *P. Soa. lib. 8. de Trinit. cap. 2. n. 9. P. Granad. tract. 8. d. 4. n. 4. P. Præposit. 1. p. q. 33. a. 4. n. 20.* & alii, licet non expressis verbis. Probatur primò, quia Pater non ideò est Innascibilis, quia Pater, ut patet ex supra dictis; siquidem talis poterat esse respectu Filii, & tamen esse ab alio; & poterat non esse ab alio, & tamen Filium non generare, juxta illud D. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 6. ibi: *Nec ideò quisque Pater, quia Ingenitus; nec Ingenitus ideo, quia Pater*; ergo ideò est Innascibilis, quia taliter Pater, id est, quia constitutus Paternitate sub conceptu primæ Hypostasis; ergo Paternitas sub hoc conceptu primæ Hypostasis est ratio fundans Innascibilitatem. Secundò, nam ex eo, quod Pater habeat Hypostasim primam simpliciter, sequitur immediatè non esse ab alio priori, seu esse simpliciter Innascibilem; implicat enim habere primam Hypostasim, & esse ab alio priori; esset enim, & non esset prima Hypostasis, ut patet; ergo Innascibilitas fundatur immediatè in ratione primæ Hypostasis.

111. Objicies 1. Ratio primæ Hypostasis coincidit cum ratione primi principii, seu fontalis originis aliarum Personarum; sed Innascibilitas non fundatur immediatè in ratione primi principii, seu fontalis originis aliarum Personarum; siquidem si per impossibile Pater alias Personas non produceret, adhuc posset esse innascibilis; ergo neque fundabitur immediatè in ratione primæ Hypostasis. Resp. primò negando majorem; ratio enim primæ Hypostasis non sumitur in ordine ad aliquam Personam posteriorem, cujus sit primum principium, & fontalis origo, sed in ordine ad aliam priorem, à quâ procedat; sic rationes illæ, licet in prima Hypostasi sint idem formaliter confusè, distinguuntur tamen, saltem secundùm expressum, & ut sic dicimus Hypostasim fundare Innascibilitatem. Secundò, si Pater per impossibile non produceret alias Personas, non futuram eandem Paternitatem; sicut neque eandem Innascibilitatem.

112. Objicies 2. Paternitas etiam sumpta sub ratione primæ Hypostasis, est quid relativum; ergo adhuc ut Relatio est fundamentum immediatum Innascibilitatis. Respondeo esse quid relativum formaliter confusè, non tamen formaliter expressè; sic enim est quid absolutum, sub qua expressione dicimus esse rationem formalem fundandi Innascibilitatē, præscindendo à formalitate Relationis, & Originis, licet in illis etiam fundetur confusè, quod non negamus, ideò enim diximus à parte rei fundari in Paternitate secundùm omne, quod includit.

113. Inferes: Ergo admittitur in Persona Patris aliqua perfectio constitutiva illius, quæ sit absoluta, & aliis Personis non communicabilis. Respondeo cum P. Amico cit. *n. 67.* non repugnare admittere in Personis Divinis aliquam rationem absolutam partialem & incompletam; sic enim in illis admittimus rationem entis, substantiæ, & formæ hypostaticæ, qui conceptus formaliter sunt absoluti; siquidem cùm Personalitates Divinæ sint perfectiones reales, & substantiales, necessariò includunt reales conceptus entis, substantiæ, & formæ hypostaticæ. Undè solùm repugnat concipere hujusmodi formalitates ut absolutas sub ultimo, & quasi differentiali conceptu constitutivo Personæ; & sic non concipimus Paternitatem, quando illam concipimus sub conceptu expresso primæ Hypostasis, sed ab illo ultimo conceptu, & differentiali, per quem ultimò perfectè constituitur Persona Patris, præscindimus; cùm constitutio Personæ Divinæ sit hypostaticè incommunicabilis.

114. Objicies 3. Natura Divina est prima radix, ratione cujus ipsa Paternitas sub ratione primæ Hypostasis exigit essentialiter primò terminare Naturam; siquidem cùm sit proprietas Naturæ substantialis, ab illa habet, quod sit talis, vel talis essentiæ, & exigentiæ; ergo ipsa Natura, & non Paternitas sub ratione primæ Hypostasis, est prima radix, & fundamentum Innascibilitatis. Resp. argumentum solùm probare, Naturam divinam esse radicem & fundamentum Innascibilitatis remotè, & mediatè; non autem proximè & immediatè; sic enim est sola Paternitas sub conceptu primæ Hypostasis, sive subsistentiæ primò, & à se terminantis Naturam.

115. Difficultas 4. Utrùm Paternitas sit prior Innascibilitate? Dico 1. Si Paternitas sumatur quoad nos inadæquatè sub solo conceptu primæ Hypostasis, est prior Innascibilitate. Ita *P. Soar. lib. 8. de Trinit. cap. 1. n. 1. P. Amicus d. 25. n. 64.* Probatur, quia omne fundamentum est prius forma fundata in illo; sed Paternitas sub conceptu expresso primæ Hypostasis est proximum & immediatum fundamentum Innascibilitatis; ergo est prior prout sic, quàm Innascibilitas.

116. Dico 2. Si Paternitas sumatur sub conceptu etiam inadæquato Originis, aut Relationis, est posterior Innascibilitate. Probatur, quia expressio Originis, aut Relationis advenit Paternitati sub ratione primæ Hypostasis jam in tali ratione constitutæ; sed talis constituitur, & denominatur formaliter per Innascibilitatem; ergo sicut ratio Originis, aut Relationis supponunt rationem primæ Hypostasis; ita etiam supponunt Innascibilitatem.

117. Objicies contra primam conclusionem: Priùs est, Patrem non esse ab alio, sive esse à se simpliciter, quàm esse ad alium, nempè ad Filium; sed per Innascibilitatem habet non esse ab alio, & per Paternitatem est ad Filium; ergo Paternitas est posterior Innascibilitate. Respondeo argumentum solùm probare Innascibilitatem esse priorem Paternitate sub conceptu expresso Relationis, aut Originis, ut diximus in secunda conclusione; non tamen esse priorem Paternitate sub conceptu primæ Hypostasis, quod in prima conclusione negavimus.

118. Quærendum hîc erat: Utrùm, & quomodo Pater sit principium totius Deitatis? Principium, & Author Filii? Principium, & Fons totius Trinitatis? An Filius possit dici principium Spiritûs Sancti? An Pater possit dici causa Filii: & Pater, ac Filius causa Spiritûs Sancti? An Filius, & Spiritus Sanctus possint dici principiati, & causati? Quia tamen de his, aliisque similibus jam supra diximus

d. 3. sect. 11. per totam, ideò hîc de illis nihil dicendum, ex dictis enim loco citato constat.

119. Primò, Patrem dici posse *Principium*, & *Authorem* Filii; & Filium posse etiam dici Principium Spiritûs Sancti; non posse tamen dici *Causas*; præsertim inter Latinos; quidquid sit inter Græcos, qui nomine *Causæ* significant principium. Secundò, Personas productas posse dici *principiatas*, & habere principium conferens illis esse: non tamen absolutè habere *principium*, aut *initium*; siquidem hujusmodi locutiones absolutè prolatæ significant principium, aut initium durationis, quod dici non potest de Personis Divinis; cùm omnes sint ab æterno.

120. Tertiò, Patrem posse etiam dici *Principium*, & *Fons* totius Divinitatis, siquidem Pater est principium totius communicationis possibilis divinitatis, nempè Filio, & Spiritui Sancto: & est principium Personarum productarum, quæ totam divinitatem includunt. Non tamen ita potest dici de Filio, licet simul cum Patre communicet divinitatem Spiritui Sancto: tùm quia est contra modum loquendi Conciliorum, & Sanctorum Patrum, à quo recedere non licet; solùm autem ita loquuntur de Patre: tùm etiam, quia esse *Principium*, & *Fons* totius Divinitatis, est esse principium communicandi Divinitatem omnibus Personis, & omni modo possibili communicationis, quod solus habet Pater, & non Filius, qui solùm cum Patre communicat divinitatem Spiritui Sancto: tùm denique quia solus Pater est simpliciter primum *principium*, & *fons* Deitatis, utpotè qui solus illam non accipit ab alia Persona.

121. Quartò, Patrem posse etiam dici *Principium*, & *Fontem* totius Trinitatis; siquidem omnis multiplicatio Personarum productarum est à Patre. Neque ex hoc sequitur, Patrem dicendum etiam esse principium sui ipsius, quatenùs etiam ipse in Trinitate includitur; nam Adamus dicitur principium totius generis humani, in quo includitur, non tamen sui ipsius. Unde dici *Principium* totius Trinitatis significat, Patrem esse principium omnium divinarum Personarum producibilium, quod est verum: sicut quando dicitur principium totius Deitatis, significatur, esse principium totius communicabilitatis possibilis Naturæ Divinæ. Vide de his *P. Soar. lib. 8. de Trinit. cap. 3. P. Amicum d. 25. sect. 1. & P. Ruiz. de Trinit. d. 48. 49. & 50.* ubi latiùs de hac re.

DISPUTATIO VII.

De Persona Filii.

SECTIO I.

Vtrùm secunda Persona propriè sit Filius?

1. DIFFICULTAS 1. Utrùm processio Verbi Divini sit propriè generatio? Affirmativè. Est de Fide. Ita omnes Doctores Catholici. Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ Psal. 109. ibi: *Ex utero ante Luciferum genui te.* Et ad Hebr. 1. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et Isai. 53. ibi: *Generationem ejus quis enarrabit.* Et Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre* Et Proverb. 8. ubi Sapientia Increata se ipsam ita manifestat: *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram.* Et Ecclesiast. 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Et sæpè alibi.

2. Probatur secundò authoritate Conciliorum, & Sanctorum Patrum. Concil. Nicæn. in Symbol. ibi: *Genitum non factum.* Idem definitur in Concil. Constant. 1. Ephesin. 1. Toletan. 1. & 11. In Symbol. D. Athan. *Filius à Patre solo est non factus, nec creatus, sed genitus.* Et D. Fulgent. ad 2. object. Arianor. *Quis*, inquit, *Filium dicat, & genitum nesciat? Quis Patrem valeat credere, quem non consideret genuisse?* Et D. Basil. homil. 28. contra Sabellian. *Ex Patre Filius*, ait, *non mandato factus, sed ex illius naturâ genitus est.* Et D. Epiphan. hæres 62. ibi: *Perfectus existens Pater in substantia, & Filius perfectus existens semper in substantia, ex Patre in veritate genitus, Filius genuinus.* Idem habent omnes alii Patres, quorum plures adducit *P. Ruiz. d. 4. de Trinit. sect. 1. & 2.*

3. Probatur tertiò ratione, quia secunda Persona procedit per originem, & est vivens à vivente juxta illud Joan. 5. 26. *Sicut Pater habet vitam in semet ipso, ita dedit Filio habere vitam*: Est etiam à principio conjuncto, quia Pater communicat Verbo, non partem suæ substantiæ à se divisæ, ut fit in creatis, sed totam & indistinctam suam substantiam: deindè est in similitudinem, imò in identitatem Naturæ; sed hæc constituunt veram, & propriam generationem, ut ex dicendis constabit; ergo &c.

4. Objicies 1. Ex D. Basil. *lib. 2. contr. Eunem.* Verbum Dei non debet dici *genitura*; ergo neque *genitum.* Respondeo negando consequentiam; nam *genitura* dicit rem imperfectam, qualis est fœtus abortivus: Undè nihil mirum, quod non dicatur de Verbo; de quo tamen propriè dicitur genitum, non solùm de præterito, sed etiam de præsenti, ut infrà dicemus.

5. Objicies 2. Ex eodem D. Basil. lib. 5. *contr. Eunom.* generatio ex humanis transfertur in Deum; ergo generatio Verbi non est propria generatio. Antecedens patet ex cit. loco D. Basil. *Nec Filius*, inquit, *nec generatio Deitatis proprium est, sed ex humana generatione adductum*; ergo &c. Respondeo ex his solùm sequi, generationem non esse solius Verbi, sed dari etiam in humanis; non autem sequi, generationem Verbi non esse propriam, & veram generationem, ut fatetur idem D. Basil. loco cit. qui post pauca subdit: *Generat Deus*, ait, *non ut homo: generat autem verè, & edit Verbum verè.*

6. Objicies 3. Si datur verus Filius Dei à Deo verè genitus; aut hic antecessit suam generationem; aut non: Si primum; aut illam antecessit actu; & hoc non; alioqui priùs esset Filius, quàm genitus: aut illam antecessit potentiâ; & hoc etiam non; siquidem in Deo *ad intra* non potest dari potentia reducibilis ad actum: Si secundum, erit quid creatum, & factum ex nihilo, quod neque est Deus, neque Filius Dei, ut intendebant Ariani; ergo &c. Respondeo Arianos in hoc esse delusos, quod nomine antecessionis intelligebant prioritatem durationis, cùm tamen in Mysterio Trinitatis nulla sit prioritas, aut posterioritas durationis, sed solius originis, quæ solùm importat processionem unius ab alio, & stare potest cum coexistentiâ,

stentiâ, & necessitate in omni priori. Undè Filius secundùm ordinem originis antecedit suam generationem actu quoad Naturam ; potentiâ verò quoad Personalitatem, quæ neque unquam excluſit actum, neque est per receptionem, sed per identitatem Naturæ.

7. Objicies 4. Aut illa generatio est præsens ; & hoc non, alioqui Filius esset in *fieri*, seu *generari*, & non in *esse* perfecto: aut est præterita; & hoc etiam non, alioqui daretur mutatio in Deo ; siquidem aliter se haberet nunc, atque se antea habuit : aut est futura ; & hoc etiam non, alioqui Filius nunc non est Filius, sed erit; ergo &c. Respondeo supponi falsum in Æternitate intrinseca Dei dari præteritum, & futurum ; hæc enim sunt differentiæ nostri temporis ; Æternitas autem est tota simul, & quantùm est ex se est intrinsecè præsens omnibus differentiis temporis imaginarii, & extrinseci.

8. Objicies 5. Generatio propriè dicta importat imperfectionem ; ideò enim non reperitur in Angelis, sed in solis substantiis corruptibilibus : & ex multorum Patrum locutione non admittitur in Deo propriè Generatio, & Filiatio ; ergo &c. Respondeo negando antecedens: Generatio enim, prout præscindit à creata, & Increata, dicit perfectionem, & ut aliqui volunt simpliciter; siquidem prout sic solùm importat communicationem Naturæ ; communicari autem est proprietas boni, & perfecti. Undè sola generatio creata habet admixtam imperfectionẽ, quæ dedecet substantias incorruptibiles, quales sunt Angeli, quæ alioqui non possunt generare alias incorruptibiles, cùm hoc earum virtutem excedat. Quando autem Patres dicunt non dari in Deo generationem, & Filiationem ,. loquuntur de illis, prout reperiuntur in creatis.

9. Difficultas 2. Utrùm secunda Trinitatis Persona, nempè Verbum Divinum sit verè, ac propriè Filius ? Affirmativè. Est etiam de Fide. Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ, Psalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Matt. 3. *Hic est Filius meus dilectus.* Matt. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Luc. 1. *Et Filius Altissimi vocabitur.* Rom. 8. *Proprio Filio suo non pepercit.* Et 1. Joan. 5. *Simus in vero Filio ejus.* Proverb. 30. *Quod est nomen ejus, & quod nomen Filii ejus, si nosti ?* Et Joan. 3. *Filium suum Unigenitum daret.* Et sæpè alibi.

10. Probatur secundò ex Concil. Nicæn. §. Quomodò, lib. 2. *Naturâ Filius æterni Dei.* Et §. Sæpè numero. *Ex substantiâ Patris genitus Unigenitus ejus Filius.* D. Athan. dialog. 1. de Trinit. cont. Anomæum. *Filius est*, inquit, *ex hypostasi ut generatus.* Et in Symbol. *Unus Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii, &c.* Et D. Basil. lib. 5. contr. Eunom. cap. 12. *Unus Filius æterna generatione natus.* Et D. Nazian. orat. 50. ex verbis Concil. Nicæn. dicit : *Patrem verum, qui genuit Filium verum.* Idem habent *D. Epiphan. hæres. 62. D. Cyril. Alexan. lib. 1. Thesaur. cap. 9. & lib. 3. cap. 1. D. Hilar. lib. 3. de Trinit.* & alii.

11. Probatur tertiò ratione, quia secunda Persona, nempè Verbum, procedit per veram, ac propriam generationem, ut diximus, & infra dicemus; sed id est esse verum, & naturalem Filium ; ergo secunda Persona est verus, & naturalis Filius Dei.

12. Oppones : Secunda Persona dicitur *Primogenitus*, ut patet Rom. 8. *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Idem dicitur Hebr. 1 Coloss. 1. Apocal. 1. Ecclesiast. 24. Sed Primogenitus dicit habitudinem ad alios fratres secundogenitos, qui tamen non sint Deus ; ergo neque talis erit secunda Persona. Confirmatur primò, quia Filius quà Filius constituitur hæres universorum juxta illud ad Heb. 1. *Quem constituit hæredem universorum* ; sed non constituitur hæres, nisi quà homo ; ergo solùm quà homo est Filius ; consequenterque non datur Filius ab æterno. Secundò, quia Christus quà homo dicitur Filius naturalis ; ergo non est cur dicamus secundam Personam esse Filium. Ita Ariani, Ætiani, & Eunomiani. Respondeo tamen primò, secundam Personam dici *Primogenitum*, non positivè, sed negativè; de hoc tamen infra.

13. Respondeo secundò, *Primogenitum* includere relationem realem, & æternam Geniti ad Patrem, & relationem rationis, atque temporariam prioritatis ad fratres adoptivos, quæ prioritas, aut est durationis; aut perfectionis, & dignitatis; aut principii, & causæ, non solùm efficientis, sed etiam exemplaris, & finalis. Neque tamen ex hoc sequitur, eos fratres debere esse ejusdem ordinis ; siquidem Sol habet hanc prioritatem ad Stellas, imò ad sublunaria ; cùm tamen sint diversi ordinis. Ad primam confirmationem dicimus, non constitui hæredem quà Filium ; sic enim est Deus æqualis, & Dominus omnium ; sed solùm constitui hæredem hominem, qui est Deus, & Filius Dei ; idque secundùm quod homo est, id est secundùm naturam humanam. Ad secundam negamus consequentiam ; ex eo enim Christus Dominus dicitur Filius naturalis Dei, quia involvit Personalitatem Filii Dei, nempè Verbi, quæ est Filiatio naturalis, & æterna.

14. Difficultas 3. Utrùm Verbum Divinum, & Filius Dei idem sint, & quoad Personam, & quoad Naturam ? Affirmativè. Est de Fide. Ita *Magist. in 1. dist. 27. D. Thom. 1. p. q. 34. a. 2. ad 3. Alexand. 1. p. q. 62. memb. 1. a. 4. ad Argum. Albert. 1. p. q. 30. memb. 1. D. Bonav. in 1. dist. 31. a. 1. q. 1. Henric. quodlib. 6. q. 1. Ricard. in 1. dist. 27. a. 2. q. 4. ibid. Gabr. Aureol. Capreol. Deza*, quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 58. de Trinit. sect. 3. n. 3. P. Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 1. n. 7. P. Arrub. d. 123. cap. 2. n. 3.* Probatur primò ex illo Joan. 1. ubi loquens de Verbo Divino, quod erat in principio, addit: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Et ne putaretur esse Filium secundùm solam humanitatem, subjunxit infra : *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse narravit.*

15. Probatur secundò authoritate Sanctor. Patrum. D. Ignatius *epist. ad Magnesian. Filius*, inquit, *est ipsius Patris Verbum, non prolatum, sed substantiale.* Et D. Aug. *lib. 7. de Trinit. cap. 2. Eo Filius*, ait, *quo Verbum. & eo Verbum, quo Filius.* Et D. Athan. *orat. 2. contr. Arian. Eo ipso*, inquit, *quo Verbum Patris sui est Filius, & Filius est Verbum Patris.* Et D. Hilar. *lib. 7. de Trinit. Verbi appellatio in Dei Filio de Sacramento nativitatis est, sicut & sapientiæ, & virtutis.* Idem habent *D. Nazian. orat. 36. D. Basil. hom. 16. in Joan. 1. D. Greg. Nyssen. epist. contr. Apollinar. D. Cyril. lib. 1. Thesaut. cap. 5.* & alii.

16. Probatur tertiò ratione : Prima ratio est, quia si Verbum, & Filius non sunt una, & eadem Persona ; aut aliquis non erit Persona ; & hoc non, quia tam Verbum, quàm Filius vendicant sibi necessaria ad rationem Personæ ; siquidem Natura Divina terminatur incommunicabiliter Relatione Verbi, & Filii : aut erunt duæ Personæ distinctæ ; & hoc etiam non ; siquidem jam darentur plures Personæ, quàm tres, quod est contra fidem ; ergo &c.

Secunda

17. Secunda ratio est, quia secunda Persona ideò procedit, ut Filius per propriam generationem, quia ex vi suæ processionis formaliter procedit ut vivens à vivente in similitudinem Naturæ, ut patebit ex dicendis; sed hanc similitudinem continet Filius potiùs, quàm Spiritus Sanctus, quia Filius procedit per Intellectum, ut Verbum illius, & imago perfectissima principii producentis; ergo ratio formalissima Verbi, & Filii est eadem; consequenterque non habent à quo inter se propriè distinguantur.

18. Dixi *non habent à quo inter se propriè distinguantur*, quia si sermo sit de distinctione secundùm diversas expressiones, non est dubium, posse nos distinguere illas duas rationes; ita ut, licet eadé sit formalitas, quâ secunda Persona est Verbum, & quâ est Filius, eadem tamen formalitas, prout exprimit ordinem viventis procedentis à vivente in similitudinem Naturæ, sit Relatio Filii; & prout exprimit ordinem procedentis similis quoad repræsentationem objectivam, id est intentionalem, sit Relatio Verbi: quæ tamen duæ rationes, cùm inter se non habeant oppositionem, non sunt distinctæ propriâ distinctione, quâ solùm distinguuntur in Deo, quæ opponuntur, sed distinguuntur tantùm secundùm majorem expressionem, ut supra diximus de ratione Hypostasis, & Relationis. Ita *P. Ruiz cit. n. 6.*

19. Objicies 1. Plura sunt Scripturæ loca in quibus videtur significari, Verbum, & Filium distingui inter se, ut Actor. 10. *Verbum misit Filiis Israël Evangelizans per* JESUM-*Christum*. Et Hebr. 1. dicitur de Filio: *Portans omnia Verbo virtutis suæ*. Et Apoc. 1. *Testimonium perhibuit Verbo Dei, & testimonium* JESU-*Christi*; ergo sunt distincta *Verbum*, & *Christus*, qui est Filius Dei. Respondeo primò, citata loca posse intelligi de Christo Domino, qui licet quoad Personam non distinguatur à Verbo, sive Filio Dei, distinguitur tamen, quatenùs addit naturam humanam.

20. Respondeo secundò, primum illum locum non procedere de Verbo Divino, sed de verbo Evangelico, idest de annunciatis per Christum. Secundus locus etiam non procedit de Verbo Divino, sed de imperio, quo Deus omnia fecit. Tertius facit hunc sensum, testimonium, quod de Divino Verbo præbuit Joannes, est testimonium Jesu Christi, quia Verbum, & Christus idem sunt. Ita P. Soar. cit.

21. Objicies 2. Sequeretur, hæc nomina *Verbum*, & *Filius* esse synonyma; hoc autem non admittitur; ergo &c. Resp. negando sequelam; licet enim propriè non distinguantur, distinguuntur tamen per majorem expressionem, ut diximus, quatenùs scilicet *Verbum* exprimit rationem Imaginis intentionalis; *Filius* autem rationem Imaginis naturalis, quod satis est, ne voces simpliciter sint synonymæ, licet aliundè eandem Relationem significent.

22. Difficultas 4. Utrùm processio Spiritûs Sancti sit propria generatio, dicaturque Spiritus Sanctus genitus, & Filius? Negativè. Est de fide. Ita *P. Soar. lib. 11. de Trinit. cap. 5. num. 1. P. Ruiz d. 4. de Trinit. sect. 5. n. 4. P. Amicus d. 18. num. 98.* & alii supra cit. Probatur primò ex Symbol. D. Athan. *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Quod idem profitentur Concil. Toletan. 1. sub Leone I. & Toletan. 11. *in profess. fidei.*

23. Probatur secundò, quia si processio Spiritûs Sancti esset generatio, Spiritus Sanctus diceretur *genitus*, & *Filius*; consequenterque Verbum Dei non esset Filius Dei unigenitus, & unicus; hoc autem est contra illud Joan. 1. *Unigenitus, qui est in sinu Patris.* Joan. 3. *Ut Filium suum unigenitum daret.* 1. Joan. 4. *Filium suum Unigenitum misit Deus in mundum.* Et in Symbol. Apostol. *Filium ejus unicum.* In Symbol. Nicæn. *Filium Dei unigenitum.* In Concil. Nicæn. *lib. 2. §. Sæpè numero. Unus*, inquit, *ex eo genitus Unigenitus Filius Deus Verbum*; ergo &c.

24. Probatur tertiò ex Sanctis Patribus D. Basil. *lib. 3. contr. Eunom.* ibi: *Spititus Sanctus nec Ingenitus, nec genitus, quia unus unigenitus.* Et *lib. de Spiritu Sancto cap. 18. Spiritus Sanctus non per generationem, ut Filius à Patre veniens, sed tanquam Spiritus oris ejus.* Et D. Nazianz. *orat. 37. n. 21. Nec Spiritus*, ait, *est Filius, quia ex Deo est*; *unus enim unigenitus, sed quod Filius.* Et D. Damascen. *lib. 1. Fidei cap. 9. Unigenitus*, inquit, *quod solus ex solo Patre singulariter est genitus.* Et D. Athan. *Dialog. 3. de Trinit. Nec enim scriptum est: Spiritus ex me genitus est, sed, ex me procedit*, & sæpè alibi. Et D. Epiphan. *hæresi 69. Filium Unigenitum, & Spiritum Sanctum non genitum.* Idem habent D. Justin. *in exposit. fidei. D. Ambros. Symbol. Apost. cap. 3. D. Hilar. lib. 12. de Trinit. D. August. lib. 12. de Trinit. cap. 5. & serm. 38. de Tempor. D. Isidor. lib. 7. etymolog. cap. 3. & 4. D. Ansel. epist. de proces. Spirit. Sanct. cap. 2. 3. & 4. D. Fulgent. de fide ad Petr. cap. 1.* & alii.

25. Probatur quartò ratione à priori ex eo, quod processio Spiritûs Sancti non sit generatio, licet evadat similis in Natura, ut constabit ex infra dicendis. Confirmatur, quia duæ processiones ejusdem rationis sunt impossibiles in Deo; siquidem unica processio propter suam infinitatem exhaurit totam potentiam generativam Dei; nam Intellectio Divina, cùm sit infinita, sicut exhaurit omne objectum intelligibile, ita prorumpit in Verbum repræsentans adæquatè omne intelligibile; sicque non ei restat Verbum aliud producendum, præter illud unicum adæquatum ipsi Intellectioni, & toti collectioni omnium objectorum intelligibilium; ergo &c.

26. Dices: Verbum aliquando vocatur etiam *Primogenitus* ut ad Colos. 1. *Primogenitus omnis creaturæ*, & aliis locis, de quibus supra *n. 12.* Et interdum, qui fratres habet, si primogenitus sit, vocatur in Scriptura *unigenitus*, ut legimus de Salomone Prov. 4. ibi: *Ego filius fui patris mei, tenellus, & unigenitus coram matre mea*; ergo &c. Respondeo cum *P. Soar. lib. 11. de Trinit. cap. 5. num. 2.* in primo loco, Christum Dominum vocari *unigenitum* ut Deum, & *primogenitum* ut hominem in ordine ad alios filios Dei adoptivos. In secundo autem loco vocavit Salomon se ipsum *unigenitum* aut quia, cùm esset primogenitus, aliquo tempore fuit unigenitus; aut per metaphoram ad exaggerandum eximium amorem parentum erga illum. Ex dictis.

27. Colliges primò contra Sabellianos, secundam Personam, qui est Filius, esse realiter distinctam à prima. Patet, quia Filius naturalis realiter procedit à Patre; alioqui non dabitur propria ratio Filii, nec Patris; sed non intelligitur realis productio absque reali distinctione inter producens, & productum; ergo &c.

28. Secundò contra Arianos, secundam Personam verè, & propriè esse Deum. Patet, quia Filius naturalis necessariò debet esse ejusdem Naturæ cum Patre; siquidé ex vi suæ formalis processionis debet procedere

procedere similis in natura; sed Pater Naturâ, quam includit, est verus Deus; ergo etiam secunda Persona per eandem individuam Naturam à Patre acceptam erit verus Deus.

29. Tertiò, secundam Personam ita esse propriè Filium, ut illius Filiatio nulli alteri sit communis; sic enim dicitur *Vnigenitus*. Pro qua unitate notandum, quod Joan. *Epist. 1. cap. 3.* commendans charitatem Patris, qui dedit nobis, *ut Filii Dei nominemur, & simus*, cap. 4. addit, *Filium suum unigenitum misit Deus in mundum*; indicans diversitatem esse inter nos, qui Filii nominamur, & secundam Personam, quæ est *Vnigenitus*; sicque in longè diverso ordine contineri. Ex quo etiam patet rationem Filii ita esse propriam solius secundæ Personæ, ut nulli alteri ex divinis Personis conveniat; siquidem sola illa procedit per veram generationem, ut infrà dicemus.

30. Quartò, secundam Personam rectè dici à Sanctis Patribus *Homousion*, id est, ejusdem essentiæ cum Patre, quod quidem nomen maximè cavillabant hæretici negantes consubstantialitatem Personarum divinarum, ut ait *P. Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 3.* qui etiam *cap. 19.* docet, secundam Personam posse dici *Autotheos*, id est, ipsemet Deus, & verissimè Deus cum Patre; à quo tamen nomine abstinuerunt aliqui Sancti Patres, quia illud detorquebant hæretici, ut significarent secundam Personam esse Deum à se ipso, & non à Patre per generationem, ut ait idem P. Bellarm. loco citato.

31. Quintò, secundam Personam nō rectè appellari hoc voce; *genitura*; siquidem non solet significare rem genitam, sed generationis actionem. Similiter nō licet significare Filium Dei nominibus, quæ aliis viventibus etiam insensibilibus cōceduntur, qualia sunt *genimen, germen, fœtus, fructus, progenies*, & similia: Primò, quia Scriptura sacra talia nomina non tribuit Filio Dei. Secundò, quia nullus pater, aut mater filium suum talibus nominibus vocare consuevit. Tertiò, quia etiam rebus inanimatis accommodantur. Undè si aliquando Sancti Patres Filium Dei appellant *prolem, sobolem, germinationem, genimen Patris, fœtum, & partum, germen, progeniem, fructum Dei Patris*, id tantùm fecerunt ad ornatum, & varietatem orationis, usurpando prædicta nomina generalia, quæ etiam insensibilibus tribuuntur, ita tamen, ut in eodem sermone, & scripto disertis verbis professi fuerint veram, propriissimam, & perfectissimam quidditatem generationis, & Filii Dei. Vide *P. Ruiz cit. d. 4. sect. 4.* qui etiam addit *sect. 5. n. 15.* nomina consanguinitatis, aut cognationis, nempè *mater, frater, compater, avus*, aut *nepos*, longè distare à perfectione generationis divinæ, sicque Personis Divinis, nisi per blasphemiam tribui non posse.

SECTIO II.

Quânam ratione ostendatur processionem Verbi, non autem Spiritûs sancti esse generationem?

32. QUM de fide certum sit, ut patet ex supra dictis, solam secundam, & non ita tertiam Personam esse Filium; & hujus, non verò Spiritûs Sancti processionem esse veram generationem, hujusce tamen asser-

tionis de fide rationem assignare, non est ita facile, ut ad id declarandum sibi satis videatur D. Aug. *lib. 3. contr. Maximin. cap. 14.* dùm dicit: *Quid autem inter nasci, & procedere interfit, de illa excellentissimâ Naturâ loquens, explicare quis potest?* Et infrà: *distinguere inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.* Et *tract. 99. in Joan. Quid illic interfit*, inquit, *inter procedere, & agere, longum est quærendo differere; & temerarium, cùm differueris, definire.* Undè temerariam appellat *P. Ruiz d. 5. sect. 1. n. 6.* sententiam Aureol. *in 1. dist. 9. p. 1. art. 4. §. 2.* dicentis *demonstrativè probari generationem*; eò quod Deus se ipsum verè, & realiter generavit, si se ipsum verè, & realiter intellexit. Hanc eandem difficultatem in explicanda generatione divina fatetur. D. Chrysost. Hebr. 1. hom. 2. *Dico*, inquit, *quoniam Filium genuit ex se ipso; sed nescio, qualiter intellectu hoc percipiam.*

33. Hanc etiam difficultatem fassus est D. Amb. *lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 5. Si Paulus*, ait, *ea, quæ audivit raptus in tertium cœlum, ineffabilia dicit, quomodo nos exprimere possumus paternæ generationis arcanum, quod nec sentire potuimus, nec audire?* Quia tamen major hujusce quæstionis difficultas pendet ab eo, quidnam sit propria generatio? priùs apponenda est generationis definitio, ejusque explicatio, & postea rationes, in quibus fundantur Doctores, ut dicant processionem Verbi, & non ita processionem Spiritûs Sancti esse propriè, & verè generationem: Igitur.

34. Supponendum est, generationem dupliciter considerari posse: primò magis latè, & prout ex Philosopho *lib. 5. Phys.* dicitur: *Productio ex præsupposito subjecto*; sive *Mutatio de non esse ad esse*; in quo sensu hîc non habet locum; siquidem prout sic est communis substantiis, & accidentibus; viventi, & non viventi. Secundò strictiùs, & prout est tantùm propria viventium, in quo sensu potest hîc habere, & habet locum, definiturque à *D. Thom. 1. p. q. 27. art. 2. Processio viventis à vivente à principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ.* Quæ definitio, præterquam quod desumatur ex Philosopho *lib. 7. Met. cap. 8.* communiter recipitur ab omnibus tam Philosophis, quàm Theologis.

35. Particula *processio* ponitur loco generis; reliquæ verò loco differentiæ. Per particulam *viventis à vivente* excluditur: primò processio non viventium, ut ignis ab igne: secundò processio viventis non cognoscitivi, ut arboris ab arbore, quæ solùm metaphoricè, & impropriè dicitur genita, & filia; siquidem nomine *viventis* hîc intelligitur vivēs perfectum, nempè operans per cognitionem, & amorem. Imò etiam excluditur productio partium ipsius viventis, siquidem solum suppositum dicitur vivens.

36. Particula *à principio vitæ conjuncto* denotat principium activum; undè generatio Hevæ ex costa Adami non fuit propria generatio; & à generante debere conferri genito aliquid de sua substantia, quod in substantia geniti includatur: Undè neque creatio Adami, neque Angelorum fuit generatio, quia licet processerint viventes à Deo vivente, non tamen Deus illis communicavit substantiam suam, aut ejus partem. Particula *in similitudinem naturæ* significat: primò genitum debere procedere à generante similem in eadem natura, saltem specifica; ideoque processio vermis ab homine non est generatio filii. Secundò, ut advertit *P. Granad. tract. 2. d. 5. n. 2.* genitum debere procedere prout sic similem ex vi suæ processionis formaliter,

maliter, & primariâ intentione naturæ. Undè neque Hevæ productio fuit generatio, neque Heva Adami filia, quia non accepit naturam humanam ex vi processionis à costa, sed ab Omnipotentia Divina: neque homo, licet alium produceret per transubstantiationem, illum generaret, quia licet evaderet similis in natura suo principio, id non haberet formaliter ex vi suæ processionis, quæ prout sic erat æquè indifferens ad producendum leonem. Undè in definitione generationis addi solet explicationis gratiâ particula illa *ex vi suæ processionis formaliter*.

37. Dices: Leopardus, & mulus non sunt specificè similes leoni, & pardo; equo, & asinæ; & tamen sunt eorum filii ergo &c. Respondeo primò cum aliquibus non esse similes per accidens, & ex impedimento. Sed contra est primò, quia ex vi illius generationis non poterat per se alius effectus oriri. Secundò, quia etiam per accidens non erunt filii; si autem non obstante dissimilitudine in natura specifica, sunt filii; ergo stat vera generatio filii sine similitudine specifica. Igitur.

38. Respondeo secundò, generationes illas esse monstrosas, & imperfectas, quo sensu mulus, & leopardus dici possunt filii monstrosi, & imperfecti, re tamen dicuntur filii, quia uterque parens ex se, & intentione naturæ intendebat suam speciem, quam saltem imperfectè, & partialiter referunt mulus, & leopardus; definitio autem procedit de generatione habitâ secundùm rectum naturæ ordinem.

39. Ex hac igitur generationis definitione sic explicata, & ab omnibus recepta oritur præsens difficultas, cur scilicet sola processio Verbi, non autem Spiritûs Sancti sit generatio; siquidem generationis definitio non minùs videtur cõpetere processioni Spiritûs Sancti, quàm processioni Verbi Divini. Patet, quia utraque est processio *viventis à vivente cognoscitivo*, ut per se patet; est *à principio vitæ conjuncto*; siquidem non minùs Spiritus Sanctus est de substantia Patris, & Filii, quam Filius est de substantia Patris: procedit *similis in natura*, non solùm specificè, sed etiam numericè; siquidem eadem numero Natura est incommunicata in Patre, & communicata in Filio à Patre, & communicata in Spiritu Sancto à Patre, & Filio, idque ex vi processionis utriusque in Filio per viam Intellectûs, & in Spiritu Sancto per viam Voluntatis, quæ sunt veluti potentiæ ejusdem Naturæ, per quas eadem substantia, seu Natura æqualiter communicatur; ergo uterque videtur procedere viâ generationis. Unde arguebant Hæretici: Aut Spiritus Sanctus procedit à solo Patre; aut à solo Filio; aut ab utroque: Si primum; ergo erit Filius, & Frater Verbi: Si secundum; ergo erit Filius Filii, & nepos Patris: Si tertium; ergo uterque erit ejus Parens, alter Pater, & mater alter; quod si neges, sequitur non esse consubstantialem Patri, & Filio, quod intendebant.

40. Hæc est præsentis quæstionis difficultas, ad cujus etiam intelligentiam notandum est, totum discrimen inter processionem Verbi, & Spiritûs Sancti in eo esse, quod processio Verbi sit per viam Intellectûs; processio autem Spiritûs Sancti sit per viam Voluntatis, & in hoc discrimine omnes fundare rationem, cur una sit generatio, altera verò non. Tota igitur difficultas est in assignanda ratione, cur processio per viam Intellectûs sit generatio; & non ita sit generatio processio per viam Voluntatis, cùm tamen utrique processioni videatur competere definitio generationis, ut patet ex dictis. Relictis multis Antiquorum dictis, quæ nihil, aut ferè nihil faciunt ad præsentem difficultatem, & videri possunt apud *P. Ruiz d. 8. de Trinit. sect. 2.* solas aliquorum Recentiorum rationes præcipuas apponemus. Sit igitur.

SECTIO III.

Apponuntur, & refutantur aliquæ rationes minùs probabiles.

PRima ratiò est *Scot. in 1. dist. 13. §. Ad quæstionem, & Aureol. in 1. dist. 5. art. 2. propos. 4.* affirmantium, processionem per Intellectum distingui se ipsa formaliter à processione per voluntatem, & illam ex natura sua esse generationem, non verò istam; nec oportere ulteriùs rationem quærere, cur distinguantur, nisi quia tota ratio formalis unius, non est tota ratio formalis alterius. Sed contra est primò, quia hanc rationem quærimus, quâ una constituatur ut generatio, & non ita constituatur altera. Secundò, quia hæc ratio nihil prorsùs declarat, nisi quid habendum sit de fide, nempè processionem Verbi esse generationem, & non ita processionem Spiritûs Sancti; nos autem quærimus rationem theologicam, quâ videamus, quid nam habeat altera ut sit generatio, & non habeat alia, cùm tamen non obstante diversitate, utraque sit processio *viventis à vivente à principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ*. In idem videntur incidere qui dicunt, distingui propter terminos productos, ut docere videntur *Ægid. in 1. dist. 13. a. 2. & Argentin. ibid. q. 1. a. 2.* neque enim assignant quid reperiatur in uno termino, per quod formaliter distinguatur ab alio. 41

Secunda ratio est *Durand. in 1. dist. 4. q. 1. n. 8. & 17.* & aliorum dicentium, rationem, ob quam processio Verbi Divini est generatio, non ita verò processio Spiritûs Sancti, esse, quia Verbum procedit ab uno; processio autem ab uno est per modum naturæ, ideoque generatio: at verò processio Spiritûs Sancti est à duobus; processio autem à duobus est per modum Voluntatis quodammodo moderantis virtutem, ideòque non est generatio. Quæ ratio videtur desumpta ex *D. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 27.* Ubi docet, generationem, quæ est à duobus, necessariò esse ab uno ut patre, & ab alio ut matre, quod cùm in Divinis sit absonum, & Spiritûs Sancti processio sit à duobus, non ideò est generatio. 42

Sed contra est: Primò, quia non obstante quod Spiritus Sanctus procedat à duobus, procedit ut *vivens à vivente à principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ*; ergo &c. Secundò, quia licet Spiritus Sanctus procedat à duobus suppositis, procedit ab illis ut ab uno principio proximè determinato ad unum; procedere autem ab uno principio sic determinato ad unum, non est procedere per modum voluntatis, sed per modum naturæ. Tertiò, quia licet plura supposita concurrant ad unam productionem, si tamen sunt per se requisita, & necessariò, ac sine præcedente deliberatione conveniunt ad talem productionem, agunt ut natura, & per modum naturæ, non verò per modum voluntatis; sed ita se habent duo supposita Patris, & Filii ad productionem Spiritûs Sancti; ergo &c. Neque obstat ratio D. Aug. nam sicut Filius procedit à Patre sine matre, ita Spiritus Sanctus diceretur procedere à duobus ut ab uno principio 43

Spirativo

Spirativo sine matre; sicut enim in utroque supposito est eadem virtus Spirativa, ita etiam in utroque esset eadem virtus generativa, ut illum generarent.

44. Tertia ratio est *D. Bonavent. in 1. dist. 13. q. 2.* & aliorum, qui sentiunt, processionem Verbi esse generationem, quia est per modum naturæ; processionem autem Spiritûs Sancti non esse per modum naturæ, ideòque non esse generationem; quid verò sit procedere per modum naturæ, quid autem non? Non satis explicant hi Doctores.

45. Sed contra, quia procedere per modum naturæ, non est idem, atque procedere necessariò; alioqui cùm tam Spiritus Sanctus, quàm Verbum procedant necessariò, utriusque processio esset per modum naturæ; consequenterque generatio. Item non est idem, atque procedere ex fœcunditate Naturæ, ut innuit D. Bonav. siquidem tam Spiritus Sanctus, quàm Verbum procedunt ex fœcunditate Naturæ Divinæ, quæ utrique communicatur æqualiter. Non item est idem, atque procedere immediatè à Natura; siquidem in sententia horum Doctorum, ut supra diximus, neutra processio est immediatè à Natura, sed una est immediatè ab Intellectu, & alia est immediatè à Voluntate, utraque verò remotè à Natura.

46. Dicent, procedere per modum naturæ, esse procedere per primam operationem; quia autem Verbum procedit per Intellectum, qui naturâ suâ est prior, procedit per modum naturæ; & non ita Spiritus Sanctus, utpotè qui procedit per secundam operationem, nempè per viam Voluntatis. Sed contra, quia ut benè *P. Arriaga 1. p. d. 47. sect. 2.* esse primam, aut secundam operationem est quid accidentarium respectu generationis, ut patet ex illius definitione: tum quia in creatis generatio non est prima naturæ operatio. Deindè secundo, & tertio loco genitus, non est minùs filius, neque minùs genitus, quàm primò genitus; sicque Spiritus Sanctus, si alioqui ejus processioni competit tota generationis definitio, ut videtur competere, erit secundò genitus; consequenterque Verbum non erit Unigenitus Filius.

47. Quarta ratio est *Richard. Victor. lib. 6. de Trinit. cap. 18. Alens. 1. p. q. 42. memb. 2. & 3. & quæst. 43. memb. 2. Major. in 1. dist. 13. q. 1. P. Zuniga d. 2. dub. 2. memb. 9.* dicentes ideò Verbum generari, quia accipit Naturam cum fœcunditate ad illam alteri communicandam, nempè Spiritui Sancto; & ideò Spiritum Sanctum non generari, quia Naturam non accipit cum tali fœcunditate, quod probant: Primò ex Concil. Florent. *in litter. unionis ad Græcos*, ubi dicitur eos, qui negant Spiritum Sanctum procedere à Filio, consequenter negare eum esse Filium, ac si ex fœcunditate, quâ Spiritui Sancto communicat cum Patre Naturam, probet Filium esse Filium. Secundò, quia nomine *Naturæ* in definitione generationis, intelligitur *fœcunda*; siquidem natura definitur *principium operationum*; undè qui non accipit naturam ut fœcundam, non exit perfectè similis in natura, quia illam non accipit ad operandum; ac proindè non procedit ut Filius per generationem.

48. Rejicitur communiter, & meritò, gratis enim additur definitioni generationis particula illa *fœcunda*, seu *communicanda*: Primò, quia ad generationem solùm requiritur, quod sit *processio viventis à vivente à principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ*, quin addatur fœcundæ; ut supra diximus. Secundò, quia si nomine *naturæ* intelligitur *fœcunda*, & *communicanda*, non æquè Spiritus Sanctus acciperet Naturam, ac Verbum; siquidem non illam acciperet secundùm adæquatum conceptum Naturæ, quia illam non accipit communicandam alteri; quod tamen est falsum. Tertiò, quia mulus est verè filius, licet naturâ suâ sit infœcundus, ut communiter supponitur. Quartò, quia licet Verbum Divinum non esset productivum Spiritûs Sancti, adhuc esset verè Filius; siquidem Filius non constituitur Filius per virtutem spirativam, sed formaliter constituitur per processionem passivam per Intellectum; licet autem non esset spirativus, adhuc intelligeretur procedere formaliter per Intellectum, ac proindè Filius. Quintò, quia Filius non accipit Naturam, ut est fœcunda in Patre, id est ad generandum, cùm non generet, sed spiret; & tamen est Filius; ergo licet Spiritus Sanctus non accipiat Naturam, ut est fœcunda in Patre, & Filio, id est absolutè ad producendum, adhuc tamen erit Filius, quod ipsi negant.

Neque obstant in contrarium adducta: Non primum ex Concil. Florent. Hoc enim solùm probat, quod si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non daretur hic Filius Dei: tùm quia non distingueretur ab Spiritu Sancto, ut infra dicemus: tum etiam, quia non haberet proximam virtutem spirandi, quâ sublatâ, tolleretur hic Filius Dei. 49. Non secundum, tum quia nomine *naturæ* in definitione generationis intelligitur eadem essentia saltem specifica; eadem autem Natura, non specifica, sed numero est, quæ communicatur Spiritui Sancto, ac Verbo: tum etiam, quia Natura communicata Spiritui Sancto est idem principium operationum, quod est in Patre, & Filio, licet in Patre generet, & in Filio spiret ratione proprietatum, quæ non communicantur. Præsertim quia in Spiritu Sancto non est minùs intelligens, & volens, quàm in Patre, & Filio, quæ sunt quasi operationes essentiales *ad intra*; neque minùs creans, quæ est realis operatio *ad extra*.

Quinta ratio desumitur ex *D. Thom. 1. p. q. 27. a. 4.* quem sequuntur *Capreol. in 1. dist. 9. a. 1. ad 2. Cajet. & Bannez 1. p. q. 24. a. 4. Ferrar. 4. contr. gent. cap. 11. & 19.* & alii Thomistæ, quibus accedunt *Deza, P. Ruiz d. 6. sect. 1. & sequent. P. Granad. tr. 2. d. 5. sect. 5. P. Tanner. d. 4. q. 2. dub. 8. n. 11. P. Valent. q. 1. sua punct. 4. P. Molin. 1. part. q. 27. a. 4. P. Præposit. 1. p. q. 27. a. 5. dub. 3. P. Rhodez tom. 1. d. 6. q. 2. sect. 3. § 5.* & alii dicentes processionem Verbi esse generationem, quia cùm procedat per intellectum, ex vi suæ processionis formaliter procedit simile principio generanti; siquidem de ratione intellectûs est tendere in terminum, qui sit expressa similitudo objecti; constituitur enim quis intelligens per id, quod habet rei intellectæ similitudinem; generatio autem, ut diximus, est in similitudinem naturæ: processionem verò Spiritûs Sancti non esse generationem, quia cùm procedat per voluntatem, ex vi suæ processionis formaliter non procedit similis producenti; siquidem de ratione voluntatis est tendere in terminum, qui sit, non similitudo, sed impulsio in objectum; constituitur enim quis volens per id, quod habet inclinationem in rem volitam, non autem per id, quod in se habet similitudinem rei amatæ. 50.

Hæc ratio in his terminis sic absolutis efficaciter refutatur; siquidem confundit similitudinem realem cum similitudine intentionali; nam similitudo, quæ requiritur ad generationem, & constituit verum Filium, est realis in natura, & non intentionalis 51.

tionalis, qualis datur inter cognitionem, & objectum, ut per se patet in generatione creata; sed in eorum opinione, cùm Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis formaliter æquè procedat realiter similis in eadem Natura, tam procedit vivens à vivente à principio vitæ conjuncto in similitudinem Naturæ, quàm Verbum; ergo etiam sic procedet per generationem. Confirmatur, quia ex eo, quod Verbum Divinum procedat formaliter simile intentionaliter Personis Divinis, & possibilibus, ex quorum cognitione procedit, ut infra dicemus, non procedit simile similitudine Filii geniti; & tamen ea similitudo est intentionalis respectu objecti; ergo etiam ex eo, quod procedat simile Naturæ Patris in ratione objecti, non ideò procedet ut Filius, sed quia procedit realiter simile in Natura; sed etiam Spiritus Sanctus procedit realiter similis in Natura, utpotè quæ ei realiter communicatur; ergo &c. Propter hoc variè varii conantur explicare hanc rationem D. Thom. Undè:

52. Sexta ratio est, ad generationem, & rationem Filii requiri non solùm quod procedat similis in Natura, sed etiam ut imago generantis, id est ad illud ex vi suæ processionis repræsentandum expressa; cùm autem Verbum Dixinum, non solùm exeat simile in natura, sed etiam ut imago Patris, utpotè ad illum repræsentandum tanquam illius Verbum; non ita verò Spiritus Sanctus, ideò illud, non autem hic est Filius. Confirmatur primò, quia in creatis, qui perfectiùs patrem repræsentat facie, moribus &c. dicitur verè filius; qui autem non ita benè eum repræsentat, non videtur ejus filius. Secundò, quia unus ignis v. g. non dicitur filius, neque imago alterius, à quo procedit, quia non procedit ad eum repræsentandum, quamvis accipiat eandem naturam. Tertio, quia Sancti Patres docent, ideò esse Filium, quia est Verbum; est autem Verbum, quia procedit ut imago ad repræsentandum. Ita *Torres. 1. p. q. 27. a. 2. Canar. & P. Vasq. ibid. d. 115. cap. 7.*

53. Rejicitur tamen evidenter, quia aut P. Vasquez loquitur de imagine intentionali; aut de naturali reali: Si primum, id ad generationem, & rationem Filii non requiritur, ut proximè ostendimus: Si secundum; ergo id sufficit; sed eo admisso, non minùs videtur Spiritus Sanctus imago realis naturalis Patris, quàm Verbum: Patet primò, quia procedere ut imago naturalis realis ad repræsentandum expressa, nihil aliud est, quàm procedere simile in Natura ex vi, & intentione processionis; sed non minùs Spiritus Sanctus, quàm Verbum ex vi suæ processionis procedit similis in eadem Natura, ut concedit ipse P. Vasq. ergo &c.

54. Secundò, quia ad realem imaginem solùm requiritur similitudo, seu repræsentatio, & processio; ideò enim Pater, licet repræsentet Filium propter similitudinem in Natura, non est ejus imago, quia ab illo non procedit; sed Spiritus Sanctus realiter repræsentat in eadem Natura alias Personas, & ab eis realiter procedit; ergo erit imago realis. Tertiò, quia ut Spiritus Sanctus sit imago realis producentis, opus non est quod sit Verbum; siquidem proprius conceptus imaginis, qui communis est Filio Divino, & creato, reperitur in creato absque ratione Verbi, solùm quia accepit per productionem naturam similem; sed hoc idem reperitur perfectissimè in Spiritu Sancto; ergo &c.

55. Ex his patet prædictam explicationem P. Vasq. non subsistere. Unde ad primam confirmationem etiam patet, non obstare illum communem modum loquendi, & moralem existimationem de repræsentatione filii respectu patris facie, moribus, &c. siquidem etiam si genitus eam repræsentationem non habeat, adhuc tamen est verè filius, si à patre accipit physicè naturam. Ad secundam dicimus unum ignem esse imaginem alterius ignis, à quo procedit, ut omnes concedunt; non tamen esse ejus filium, quia non procedit vivens à vivente. Ad tertiam patebit Sanctorum Patrum intelligentia, cùm infra ostenderimus, solùm Verbum ex vi suæ processionis esse imaginem realem; ideò enim Sancti Patres dicunt esse Filium, quia est imago realis.

SECTIO IV.

Refutantur aliæ aliorum Doctorum rationes.

SEptima ratio rationem D. Thomæ aliter explicans est *P. Ruiz supra cit. d. 6 de Trinit. à sect. 1. usque ad sect. 8.* ubi asserit ideò Verbum Divinum generari, & non ita Spiritum Sanctum, quia Verbum Divinum ex vi suæ processionis procedit simile substantialiter suo principio infinitâ, & omnimodâ similitudine intra lineam similitudinis; non ita verò Spiritus Sanctus. Itaque duplicem lineam distinguit *P. Ruiz. cit. sect. 8.* alteram viâ Intellectûs, & alteram viâ Voluntatis: linea Intellectûs, inquit, ex suo conceptu habet esse ad expressionem similitudinis, etiam prout abstrahit ab Intellectione divinâ, & creatâ: at verò linea Voluntatis ex suo conceptu non vendicat similitudinem; siquidem prout abstrahit à creata, & Increata solùm importat impulsum in objectum, non autem similitudinem. Unde quia Verbum procedit ex vi suæ processionis, quæ quidem ex suo conceptu est in linea similitudinis, & secundùm conceptum specificum divinæ similitudinis est substantialis, & infinita, procedit ut imago, & Filius: at verò Spiritus Sanctus, quia ex vi suæ processionis est in linea Voluntatis, quæ ex suo conceptu non dicit similitudinem, licet alioqui ut contracta in Deo sit Natura, ideò non exit in sua linea ut imago, ac proindè neque ut Filius. 56.

Rejicitur etiam facilè hæc explicatio P. Ruiz ex definitione ipsius generationis, quam ipse admittit *sect. 6. n. 3.* nam ad generationem solùm requiritur, quod sit *processio viventis à vivente à principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ* ex vi talis processionis; sed hoc totum competit Spiritui Sancto; ergo parùm juvat illa distinctio, seu fictio linearum. 57.

Dicent, definitionem hanc generationis non competere Spiritui Sancto, quia ex vi suæ processionis non est in linea, quæ ex suo conceptu importat similitudinem, sed solum impulsum. Sed contra est: Primò, quia linea similitudinis computata ad generationem non incipit à similitudine abstracta; nam prout sic indifferens est ad similitudinem intentionalem, & realem, sed à similitudine reali in Natura; atqui in hoc sensu non minùs Spiritus Sanctus, quàm Verbum, videtur esse in linea similitudinis realis; siquidem Spiritus Sanctus non minùs accipit cum Voluntate Naturam Divinam, quàm illam accipit Verbum cum Intellectu; ergo &c. 58.

Secundò, quia in creatis (unde sumitur tota 59.

generationis

generationis intelligentia) processio, quæ est generatio non est in linea similitudinis, prout abstrahit ab intentionali, & reali, sed prout est in determinata linea similitudinis realis, propter quam est vera generatio; ergo similiter in Divinis; sed processio Spiritus Sancti, licet non sit in linea, quæ ex abstracto conceptu sit similitudo, est tamen in linea, quæ in contracto, & determinato conceptu est similitudo realis; ergo erit etiam vera generatio.

60. Tertiò, quia processio Verbi, licet ex conceptu abstracto processionis divinæ non habeat, quod sit in similitudinem, quia tamen ex conceptu specifico processionis Verbi est in similitudinem, est vera generatio; ergo similiter licet processio Spiritus Sancti ex conceptu abstracto impulsûs non habeat, quod sit similitudo, quia tamen ex conceptu specifico processionis Pærsonæ Divinæ est similitudo realis Naturæ, erit vera generatio.

61. Quartò, quia quidquid speciale similitudinis habet Verbum præ Spiritu Sancto, est similitudo intentionalis; sed Verbum non generatur propter similitudinem intentionalem, ut supra diximus, sed propter realem; siquidem similitudo intentionalis impertinens est ad generationem; datur enim generatio sine similitudine intentionali, & è contra, ut patet in creatis; ergo cùm Spiritus Sanctus ex vi suę processionis habeat similitudinem realem, erit genitus, & ratio impulsûs erit impertinens ad generationem, quatenùs datur impulsus sine generatione, & è contra.

62. Octava ratio est, ideò Verbum Divinum generari, non verò Spiritum Sanctum, quia Verbum procedit adæquatè simile principio producenti, & non ita Spiritus Sanctus. Hæc est explicatio, quam pro D. Thom. cit. adducit *P. Amicus d. 18. sect. 7. n. 158.* ubi pro se citat *S. Thom. 1. p. q. 27. a. 2. & lib. 4. contr. gent. cap. 11. Sylvium 1. p. q. 27. art. 4. & Gabr. in 1. dist. 13. a. 1.* Requiritur igitur, inquiunt, ad generationem, quod genitus procedat similis adæquatè, id est secundùm totam naturam, saltem specificè; ideò enim vermes ab homine producti non dicuntur ejus filii, quia solùm exeunt ei similes inadæquatè, id est in natura generica, non autem specifica; cùm autem solùm Verbum, & non Spiritus Sanctus, procedat adæquatè simile, solùm Verbum, & non Spiritus Sanctus, dicitur generari.

63. Hoc igitur, ut probent, distinguunt in Deo quandam rationem Naturæ remotam, & veluti genericam, quæ est per modum potentiæ; & quandam rationem proximam, ac veluti specificam, per quam scilicet Natura proximè completur in ratione Naturæ, & est veluti complementum potentiæ productivæ; hæc autem, dicunt, solùm communicatur Verbo ex vi suæ processionis; siquidem cùm Verbum procedat per Naturam, prout est Intellectus; & Spiritus Sanctus per Naturam, prout est Voluntas; Intellectus verò compleatur per objectum in ratione principii intelligentis, & non ita per objectum compleatur Voluntas in ratione amantis, principium specificum Verbi non est sola illa ratio Naturæ remota communis Verbo, & Spiritui Sancto ex vi suæ, & illius processionis, sed etiam ratio objecti intelligibilis, quâ ipsa Natura proximè est productiva Verbi, & non Spiritûs Sancti; ideòque solùm Verbum procedit adæquatè simile, diciturque generari, & non ita procedere, neque generari dicitur Spiritus Sanctus.

64. Non nobis placet hæc explicatio, etiam si P. Amicus loco cit. dicat Doctissimis Viris sæpiùs in disputationibus agitata vehementer placere: Primò, quia falsum est, Naturam Divinam, quocunque modo communicetur Spiritui Sancto ex vi suæ processionis, non communicari adæquatè, etiam secundùm rationem specificam; ex hoc enim sequitur Spiritum Sanctum ex vi suæ processionis non esse adæquatè Deum; imò neque esse Deum; siquidem absque illa ratione specifica non consisteret Deitas; sicut non consistit humanitas v. g. absque sua specifica ratione; omnes autem docent Spiritum Sanctum ex vi suæ processionis procedere ut Deum.

Secundò, quia licet verum sit, potentiam intellectivam compleri per objectum, aut ejus speciem; & Essentiam divinam per se præstare cõcursum objectivum tam sui, quàm omnium objectorũ; concursus tamen in ratione objecti, est tantùm intentionalis, ad imaginem scilicet intentionalẽ; non verò realis naturalis ad imaginem realem naturalem: tum quia objectum, nec per se, nec per speciem vitaliter concurrit: tum etiam quia quodcunque complementum ex parte objecti supponit naturam subjecti completam in ratione naturæ; hæc autem prout sic completa non minùs communicatur Spiritui Sancto, quàm Verbo, similitudo verò intentionalis est impertinens ad rationem generationis, ut sæpè jam diximus; ergo non minùs Spiritus Sanctus dicetur generari, quàm Verbum. 65.

Tertiò, quia leopardus v. g. est verè filius leonis, & pardi; & tamen non exit adæquatè similis formaliter principio generanti; ego &c. Dicent sufficere, quod exeat similis in multis, & in ratione specificâ æquipollenter, quatenùs species leonis, & species pardi conjunguntur in unam tertiam speciem, qui æquipollenter est leo, & pardus. Sed contra; ergo Spiritus Sanctus erit Filius, utpotè qui in multo pluribus exit similis suo principio, & æquipollenter, saltem ex vi suæ processionis, tantum accipit à suo principio per voluntatem, quantum accipit Verbum Divinum per Intellectum. 66.

Quartò, quia Verbum non procedit simile suo principio in fœcunditate generandi; ergo hac ratione non procedit adæquatè simile suo principio; & tamen est verè Filius; ergo &c. Dicent, prædicatum fœcunditatis involvere aliquid Notionale; sicque non oportere, quod in hoc non exeat simile. Sed contra, quia, excepto Notionali, quidquid essentiale communicatur Filio, communicatur etiam Spiritui Sancto; ergo procedunt æquè similes in Natura; consequenterque tam Verbum, quàm Spiritus Sanctus dicetur generari. 67.

Nona ratio est *P. Arrub. d. 98. cap. 4.* asserentis Verbum, generari, non autem Spiritum Sanctum, quia Verbum procedit simile in Naturâ divina, non solùm ex vi processionis Divinæ, quod etiam competit Spiritui Sancto, sed etiam ex vi talis processionis Divinæ, nempè per Intellectum, quod non habet Spiritus Sanctus. Sed contra, quia procedere simile ex vi processionis Divinæ, est procedere formaliter ut Deus realiter, quod habet tam Verbum, quàm Spiritus Sanctus; procedere autem ex vi talis processionis, nempè per Intellectum, est procedere simile intentionaliter, quod impertinens est ad rationem generationis, ut supra diximus; ergo cùm tam Verbum, quàm Spiritus Sanctus illud primum habeant, tam hic, quàm Verbum procedunt per generationem. 68.

Decima ratio asserit, Verbum generari, quia non solùm procedit simile in Natura, sed etiam in 69.

suppositò; siquidem ejus principium constituitur per subsistentiam, cui correspondet subsistentia Verbi: at verò principium Spiritus Sancti completur per spirationem activam, quæ non est subsistentia, cùm tamen ei correspondeat spiratio passiva, quæ est subsistentia. Ita *P. Alarcon. tract. 5. d. 8. cap. 17.* Sed contra est: Primò, quia falsum est ad generationem requiri similitudinem in supposito; siquidem Christus Dominus est verè Filius genitus à Beata Virgine; & tamen non est ei similis in supposito.

70. Secundò, quia Verbum non est simile Patri in supposito realiter, sed solùm intentionaliter, quæ similitudo impertinens est ad rationem generationis; & similitudo in ratione subsistentiæ est veluti generica, non verò specifica, quæ ad rationem generationis requiritur, ut diximus. Tertiò, quia Spiritus Sanctus, licet procedat à Patre, & à Filio, ut ab uno Spiratore, ab illis tamen procedit ut à duobus suppositis; ac proindè etiam exit similis in supposito, sicque procedet per generationem.

71. Undecima ratio est, ideò Verbum Divinum generari, non autem Spiritum Sanctum, quia licet utrique communicetur Natura ex vi suæ processionis; Verbo tamen communicatur viâ Intellectûs, nempè ut est radix intelligendi; & Spiritui Sancto viâ Voluntatis, nempè ut est radix amandi. Undè distinguit in Natura Divina principium veluti remotum intelligendi, & principium veluti remotum amandi; & quia illud suâptè naturâ est prius, communicatur viâ Intellectûs ut prima ratio Naturæ; sicque per generationem formaliter; quod tamen non habet sub conceptu formali principii remoti amandi. Ita aliqui Recentiores, & videtur hanc esse explicationem *P. Compton. tom. 1. d. 65. sect. 6. à n. 2.*

72. Sed contra est: Primò, quia aut Natura Divina consistit formaliter adæquatè in solo conceptu principi intelligendi; aut etiam inadæquatè in conceptu principii amandi: Non dicent primum: tum quia non solùm Intellectus, sed etiam Voluntas est proprietas Naturæ Divinæ; quælibet autem proprietas in ipso conceptu naturæ radicatur, & non in aliquo extra naturam: tum etiam, qui alioqui solùm Verbum ex vi suæ processionis acciperet Naturam etiam remotè, seu radicaliter sumptam, & non ita illam reciperet Spiritus Sanctus, quod non dicent: si dicant secundum, sequitur: Primò Verbum non procedere adæquatè Deum ex vi suæ processionis; siquidem non accipit adæquatam rationem formalem Naturæ, quod dici non potest: Secundò, etiam Spiritum Sanctum generari; siquidem ex vi suæ processionis non minùs accipit Naturam secundùm partialem conceptum Naturæ, quàm illam accipit Verbum secundùm suum conceptum etiam partialem.

73. Contra est secundo, quia licet in Natura prior sit conceptus principii intelligendi remoti, quàm principii remoti amandi, unus tamen est veluti radix alterius; ergo Spiritui Sancto ex vi suæ processionis communicatur idem principium, licet remotius sit uno gradu respectu Spiritus Sancti, quàm Verbi, & uterque procedet per generationem, ratione cujus accidentarium est, quod principium intelligendi sit, aut non sit ita remotius.

74. Duodecima ratio est quorumdam Recentiorumdocentium, ideò Verbum generari, quia procedit per dictionem; nam *dictio* supponit pro re dictâ, & Patrem dicere se Verbo, idem est, atque communicare se ipsum: at verò *spiratio*, cùm non supponat pro re spirata, licet secum deferat etiam Naturam, id tamen non habet ex suâ formali ratione, ideòque processio Spiritus Sancti non est generatio.

Sed contra est: Primò, quia *dictio* supponit pro re dicta intentionaliter; cùm sit ad communicandam rei cognitionem, non autem realiter: at verò communicatio intentionalis non facit ad generationem, ut diximus, cùm possit stare generatio sine communicatione intentionali, & è contra. Secundò, quia Pater non solùm dicit Verbo Naturam, sed etiam Personas, imò & omnia possibilia, sicque *dictio* supponit non solùm pro Natura Divina, sed etiam pro Personalitatibus, & possibilibus; & tamen non ideò Verbum accipit realiter Personalitates per generationem; ergo idem dicendum de Naturâ dictâ. 70

Decima-tertia ratio docet, processionem Verbi esse generationem, quia est per Intellectum, qui est potentia operans uniendo sibi objectum, aut immediatè, aut mediante specie, quâ veluti semine ipsa potentia fit fœcunda ad generandum, veluti parturiendo notitiam, quæ ideò dicitur partus, sive conceptus: cùm autem id non reperiatur in processione Spiritûs Sancti, qui procedit per voluntatem, quæ non ita operatur, neque ejus actus dicitur partus, sive conceptus, ideò Spiritus Sanctus non dicitur generari. Ita aliqui Recentiores cùm *Lezana tomo 1. in 2. p. d. 1. q. 3. §. Pro hujus autem.* 71

Sed contra est: Primò, quia Intellectus prout sic solùm fit fœcundus intentionaliter ad generandum partum intentionalem, nempè cognitionem; non autem realiter, & naturaliter ad partum realem, & naturalem, quale est Verbum. Dicent, hoc solùm fieri in intellectu creato, non autè in Increato, qui fœcundatur objecto increato ad generationem substantialem, & naturalem. *Sed contra* est secundò, quia fœcunditas, quam *Intellectus Divinus* accipit ab objecto etiam increato, quocunque modo sumatur, formaliter, & primariò solùm est ad producendam cognitionem, quæ est partus, & conceptus intentionalis, sicque solùm est ad generationem intentionalem; & si etiam est naturalis, est tantùm secundariò, quatenùs producitur terminus, nempè Verbum ejusdem Naturæ cum producente; quod cùm etiam prout sic posset convenire Spiritui Sancto, posset etiam dici generari. 72

Tertiò, quia Intellectus Divinus etiam fœcundatur objecto creato ad cognitionem, seu conceptum illius; & tamen ejus productio non dicitur generatio realis naturalis, sed tantùm intentionalis; ergo similiter productio Verbi, ex eo tantùm, quod sit ab Intellectu fœcundato objecto increato, solùm erit generatio intentionalis, non verò realis naturalis. Quartò, quia sicut Intellectus Divinus fœcundatur objecto increato ad producendam ejus cognitionem; ita etiam Voluntas Divina fœcundatur eodem objecto increato ad producendum ejus amorem; & tamen hæc fœcunditas non sufficit ad generationem; ergo neque illa. 73

SECTIO

SECTIO V.

Proponitur, & stabilitur Sententia tenenda.

79. VLTIMA, & mihi verior sententia est, ideò Verbum Divinum generari, non ita verò Spiritum Sanctum, quia Verbũ ex vi suæ processionis formaliter, immediatè, & primariò accipit Naturam Divinam, prout hæc consistit in Intellectione Divina; quam tamen ex vi suæ processionis non accipit Spiritus Sanctus formaliter, immediatè, & primariò, sed solùm concomitanter, identicè, & consequenter. Ita *P. Soar. lib. 11. de Trinit. cap. 5. & 6.* à quo aliquo modo discrepabimus quoad modum explicandi cum *P. Arriaga 1. p. d. 47. sect. 8.* ut ex dicendis constabit. Supponit igitur hæc nostra sententia, Naturam Divinam consistere formaliter in Intellectione Divina, ad cujus intelligentiam.

80. Advertes primò, Essentiam, seu Naturam Divinam, prout alibi jam diximus, dupliciter posse accipi; aut realiter; aut virtualiter: realiter prout includit adæquatè quidquid realiter est Deus: virtualiter prout virtute distinguitur tanquam Natura à suis proprietatibus. Et in hac ratione virtuali adhuc dupliciter considerari potest; aut virtualiter intrinsecè, prout independenter ab omni distinctione rationis Natura distinguitur à proprietatibus sic virtualiter distinctis, sive proprietates sint quid absolutum, sive quid relativum: aut virtualiter extrinsecè, prout scilicet metaphysicè, & quoad nos consistit in aliquo prædicato per rationem distincto ab aliis prædicatis sic metaphysicè consideratis.

81. Advertes secundò, Essentiam, seu Naturam Divinam physicè realiter sumptam consistere in existentia à se in omni genere perfectionis, tam absolutæ, quàm relativæ: physicè virtualiter, seu virtualiter intrinsecè sumptam consistere in Intellectione divina: metaphysicè, seu virtualiter extrinsecè consideratã consistere in Aseitate, quæ omnia latè tradidimus *in Met. tr. 1. d. 3. sect. 17. & 18.* ideòq; hîc non sunt repetenda, cùm ibi videri possint.

82. Advertes tertiò nomine Naturæ, prout per generationem est communicabilis, non posse intelligi Naturam physicè realiter sumptam, id est secundùm omnem suam realitatem. Patet, quia cùm Natura prout sic includat etiam perfectiones relativas, secundùm has non est natura communicabilis; siquidem Verbo communicatur Natura, non verò Paternitas; & Spiritui Sancto communicatur eadem Natura, non tamen Paternitas, & Filiatio. Non item potest intelligi Natura solùm metaphysicè, & quoad nos sumpta. Patet, quia communicatio Naturæ formaliter, prout distincta est ab iis, quæ formaliter non communicantur, datur à parte rei independenter ab omni conceptione nostri intellectûs; siquidem, sublatâ omninò omni consideratione extrinsecâ rationis, à parte rei Verbum generatur, non verò Spiritus Sanctus; Natura communicatur, non verò Paternitas; Verbum procedit formaliter per Intellectum, non verò per Voluntatem; Spiritus Sanctus formaliter per Voluntatem, non verò per Intellectum, &c. Unde nomine Naturæ prout sic communicabilis intelligenda est Natura virtualiter intrinsecè sumpta juxta ea, quæ diximus loco supra citato in Metaphysica. His positis.

83. Conclusio sit: Verbum Divinum ideò dicitur generari, & esse Filium, & non ita dicitur generari Spiritus Sanctus, neque esse Filium, quia Verbum ex vi processionis suæ formaliter, & primariò procedit simile in eadem Naturâ Divinâ, id est in Intellectione divina: at verò Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis formaliter, & primariò nõ procedit similis in Natura Divina, nempè in Intellectione, sed in amore, qui est veluti proprietas consequens Naturam, nempè Intellectionem.

Probatur ex definitione generationis supra appositâ, quia generatio, ut diximus, est *Processio viventis à vivente à principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ*, saltem in specie infima, idque formaliter ex vi suæ processionis; sed hoc solùm competit processioni Verbi, non autem Spiritûs Sancti; ergo &c. 84. Probatur minor, in qua est tota difficultas, idque facilè, quia procedere ex vi suæ processionis in similitudinẽ Naturæ, nihil aliud est, quàm quod formale principium talis processionis sit ipsa Natura producentis; sed formale principiũ processionis Verbi est Intellectio, in qua consistit Natura virtualiter intrinsecè sumpta; & formale principium processionis Spiritûs Sancti est Volitio, quæ ut virtualiter intrinsecè distincta ab Intellectione non est Natura, sed proprietas; ergo &c.

Confirmatur à priori, quia omne agens naturaliter intendit assimilare sibi terminum in ea forma, quâ agit, ut cum *D. Thom. 1. p. q. 41. a. 5.* tenet communis tum Philosophorum, tum Theologorum doctrina; ideoque si forma, quâ agens agit est ipsa natura, intendit per se primò assimilare sibi terminum in natura ut fit in homine, in quo quia potentia generandi est illius forma, homo per generationem hominis intendit in forma hominis assimilare sibi filium: si autem formæ, quâ agit non est natura, sed veluti proprietas, intendit per se primò assimilare sibi terminum in tali forma, nempè proprietate, ut fit in igne, in quo quia potentia calefaciendi est illius calor, ignis per calefactionẽ intendit per se primò assimilare sibi passum in calore, qui est ejus proprietas, non autem in forma, quæ est ejus natura; sed potentia productiva Verbi est Intellectio, & potentia productiva Spiritûs Sancti est Volitio, ut supra diximus *d. 3. à num. 95.* Intellectio autem est Natura, & non ita Volitio; ergo Verbum ex vi suæ processionis formaliter ex primariâ intentione procedit simile in Natura; consequenterque generatur ut Filius; & nonita procedit, neque generatur Spiritus Sanctus. 85.

Hæc quidem videtur esse sententia D. Thomæ loco proximè citato, ubi post rationem proximè adductam concludit: *Illud ergo*, inquit, *est potentia generativa in aliquo generante, in quo genitum similatur generanti; Filius autem Dei similatur Patri gignenti in Natura Divina: Unde Natura Divina in Patre est potentia generandi in ipso.* Ex quo patet secundùm mentem D. Thom. aliter communicari Naturam Divinam Verbo, & aliter Spiritui Sancto, nam Verbo communicatur ex vi suæ processionis formaliter, & primariò, & sic communicatur Intellectio, cum qua etiam identicè, & secundariò communicatur Volitio: at verò Spiritui Sancto ex vi suæ processionis formaliter, & primariò communicatur Volitio, cum quâ etiam identicè, & concomitanter communicatur Natura, sive Intellectio; alioqui discursus D. Thomæ nihil concluderet, si Natura eodem modo utrique communicaretur, quod quidem fieret, si tam Intellectio, quàm Volitio esset formaliter Natura. 86.

Contra hanc nostram conclusionem adduci possunt 87.

possunt ea omnia argumenta, quæ contendunt probare, Naturam Divinam virtualiter physicè, seu intrinsecè sumptam non consistere in Intellectione. Item omnia illa, quæ probare intendunt, Intellectionem Divinam non distingui virtualiter intrinsecè à Volitione Divinâ; sed cùm hæc omnia soluta jam sint in loco supra à nobis citato in *Met. tract. 1. d. 3. sect. 17. & sect. 20.* ibi videri poterunt. Adhuc tamen.

88. Argues 1. D. Thom. proximè cit. quærens: An potentia generativa, & spirativa sit Essentia? Respondet affirmativè; ergo videtur sentire, Essentiam, sive Naturam esse principium Spiritûs Sancti, sicut est Verbi. Confirmatur ex Concil. Florent. sess. 58. ubi Joannes Theologus docet, Naturam Divinam, concurrere ad productionem Spiritûs Sancti, ut principium communicativum. Respondeo D. Thom. & Joannem Theologum nomine Essentiæ, seu Naturæ ibi intelligere idem, atque absolutum, ita ut sit sensus, potêtiam productivam *ad intra* consistere in aliquo essentiali, prout essentialia distinguuntur à Notionalibus, ut supra diximus; non autem prout inter absoluta comparatur principium Verbi ad principium Spiritûs Sancti, ut patet ex discursu ejusdem D. Thomæ supra adducto.

89. Argues 2. In Deo potest distingui conceptus Naturæ à conceptu potentiæ intellectivæ; & conceptus potentiæ intellectivæ à conceptu Intellectionis: similiter distingui potest cõceptus Naturæ à conceptu potentiæ volitivæ; & cõceptus potentiæ volitivæ à conceptu volitionis; sed hoc posito, tam Intellectus, & Voluntas, quàm Intellectio, & Volitio sunt veluti proprietates Naturæ, quarum ipsa Natura est radix, sicque Natura in ipsa radice, non autem in Intellectione consistit; ergo cùm eadem sit radix Intellectionis, & Volitionis, non minùs communicatur Natura per Volitionem, quàm per Intellectionem; consequenterque tam Verbum, quàm Spiritus Sanctus dicentur procedere similes in Natura, ac proindè generari; aut si hoc negatur de Spiritu Sancto, etiam poterit de Verbo negari. Hoc argumento valdè premitur P. Soar. & omnes illi, qui cum eo affirmant, solam dari distinctionem rationis inter Intellectũ, & Voluntatem Divinam, quam etiam admittunt inter Naturam, & Intellectum; inter Intellectum, & Intellectionem. Sed juxta nostra principia supra, & jam alibi apposita loco supra citato.

90. Respondeo concessa majori, si sermo sit de sola distinctione rationis, seu virtuali extrinseca; non autem si sermo sit de distinctione virtuali intrinseca: nam distinctio virtualis intrinseca in absolutis solùm reperitur inter Intellectum, & Voluntatem, seu quod idem est, inter Intellectionem, & Volitionem. Et hujus ratio est, quia solùm de his cogimur verificare à parte rei duo contradictoria, qualia sunt: Intellectio est formaliter principium Verbi, & non Spiritûs Sancti: Volitio est formaliter principium Spiritûs Sancti, & non Verbi: Verbum procedit formaliter per Intellectionem, & non ita procedit Spiritus Sanctus: Spiritus Sanctus procedit formaliter per Volitionem, & non ita procedit Verbum; hæc autem stare non possunt à parte rei sine aliqua distinctione à parte rei; non reali, neque formali; ergo virtuali intrinsecâ, prout alibi diximus. Unde:

91. Advertes in Deo, cùm sit agens rationale, duos tantùm ordines operationum *ad intra* reperiri, nempè ordinem intelligendi, & ordinem volendi; processio igitur Verbi pertinet ad ordinem intelligendi; processio verò Spiritûs Sancti pertinet ad ordinem volendi; cùm tamen Deus sit agens perfectissimum, in ordine intelligendi non distinguitur intrinsecè radix, & potentia ab actu intelligendi, sive ab intellectione actuali, sed simul ac semel per eandem virtutem formaliter intrinsecè est essentialiter potens intelligere, & actu intelligens; sicut essentialiter est potens existere, & actu existens. Similiter in ordine volendi ratio potentiæ non distinguitur ab actu amandi; siquidem nulla contradictoria assignari possunt, quæ à parte rei debeant verificari de potentia, & actu, & quorum ratione cogamur talem distinctionem admittere inter illos; sicut cogimur admittere inter ordinem intelligendi, & ordinem amandi, de quibus à parte rei verificantur contradictoria, qualia sunt, quod Verbum procedat formaliter ordine intelligendi, & non ordine volendi; & Spiritus Sanctus è contra. Cùm igitur ordo intelligendi sit ex suâ ratione prior, inde est quod in eo consistat Natura virtualiter intrinsecè; non autem in ordine volendi, qui cùm sit posterior, est veluti illius proprietas; & quod Verbum procedens ordine intellectionis, procedat simile in Natura, & generetur ut Filius. Hæc ad intelligentiam conclusionis, hîc enim supponimus potiùs, quàm probamus, Naturam Divinam virtualiter intrinsecè consistere in Intellectione.

92. Argues 3. Generatio communiter ab omnibus definitur: *Processio viventis à vivente à principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ*, quin addatur particula illa *ex vi suæ processionis formaliter*; ergo gratis additur talis particula; sed, illâ sublatâ, definitio competit etiam processioni Spiritûs Sancti; ergo &c. Respondeo particulam istam involvi implicitè in illa alia *in similitudinem naturæ*; siquidem processio debet esse talis, quæ tendat in eam similitudinem ex suâ speciali ratione. Undè negatur illa minor; neque enim Spiritui Sancto competit procedere ex vi suæ processionis formaliter in similitudinem Naturæ, sed Amoris.

93. Argues 4. Quod agens intendat per se primariò assimilare sibi terminum in ea forma, quæ est ratio agendi, est falsum; siquidè homo est v. g. non solùm sibi assimilat filium in formâ, quâ agit, sed etiam in materia, quæ non est ratio agendi; ergo corruit explicationis fundamentum. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, hominem solùm materialiter assimilare sibi filium in materia; hæc enim tanquam subjectum præsupponitur ad generationem: Intentio tamen agentis est introducere formam, quæ est potior pars, & distinctiva compositi, quod ipsa constituit in propria specie hominis.

94. Instabis: Ratio agendi in homine generante est potentia generativa; & tamen homo non intendit assimilare sibi filium in potentia generativa, cùm hæc sit distincta à natura, sed in ipsâ natura, & forma substantiali; ergo agens non intendit assimilare sibi terminum in ea forma, quâ agit. Resp. (dato cum aliquibus, quod potêtia proximè generativa sit accidens distinctum à substantia, ut est sententia communior,) potentiam generativam solùm esse rationem agendi instrumentaliter, agit enim nomine substantiæ, cùm non possit esse causa principalis, qualis est ipsa forma substantialis: at verò generans intendit assimilare sibi terminum in ea forma, quæ agit principaliter, & nomine proprio, nempè in forma ipsius generantis, quæ est causa principalis, & principium generans remotum.

Urgebis:

95. Urgebis: Volitio Divina est veluti proprietas Intellectionis, sive Naturæ Divinæ; ergo sicut potentia generativa operatur nomine formæ, ita etiam volitio operabitur nomine Intellectionis, seu Naturæ; sed illa processio à potentia generativa operante nomine formæ est generatio; ergo etiam erit generatio processio Spiritus Sancti à volitione operante nomine Intellectionis, seu Naturæ Respondeo negando utramq; cõsequentiam; falsum enim supponitur, principium proximum semper operari nomine remoti; nam solùm sic operatur, quando per se non est sufficiens ad productionem termini per se intenti à natura.

96. Patet in igne, cujus calor est principium proximum, tùm ad producendum calorem, tùm ad producendum alium ignem; & tamen calor operatur nomine proprio alium calorem, quia sufficiens est ad illum producendum, & in hoc terminus assimilatur producenti ratione caloris; operaturverò alium ignem nomine ignis, cujus est virtus operativa, quia ad hunc terminum producendum non sufficit solus calor, sed requiritur forma ignis, in qua ignis producens sibi assimilat alium ignem: cùm igitur volitio Divina sit principium Spiritûs Sancti nomine proprio, siquidem Spiritus Sanctus ex intentione primaria suæ processionis procedit ut Amor, potest Amor ex vi suæ processionis sibi vendicare ut principale principium ipsum Amorem, sicut calor calorem, sicque cùm non sit processio Amoris ab Amore, seu volitione nomine Intellectionis, seu naturæ, non est generatio.

97. Argues 5. Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis formaliter, & primariò procedit ut Deus; ergo ex vi suæ processionis formaliter, & primariò procedit similis in forma Deitatis, nempè in Natura, sicut Verbum; consequenterque per generationem. Probatur antecedens, quia Spiritus Sanctus est formaliter Deus; sed est formaliter Deus per processionem ab alio, & non à se; ergo ex vi suæ processionis procedit ut Deus; siquidem quidquid competit Spiritui Sancto in facto esse, ei competit in fieri suæ processionis, sicque si in facto esse est formaliter Deus, in ipso fieri processionis procedit formaliter ut Deus.

98. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem, concessa majori, & minori, negamus consequentiam, & ad illius probationem dicimus, quidquid competit Spiritui Sancto in facto esse, ei quidem competere in ipso veluti fieri, non tamen ex primaria intentione producentis; aliud enim est esse formaliter Deum, idque per processionem, & aliud id habere ex primaria intentione producentis; nam etiam homo in facto esse includit formaliter materiam; & tamen eam non habet ex primaria intentione generantis; sicque licet per generationem habeat tam materiã, quàm formam, solam tamen formam, non autem materiam habet ex primaria intentione generantis. Undè.

99. Notandum est illud *ex vi suæ processionis* dupliciter intelligi posse: Primò latè, quatenùs quidquid communicatur, communicatur per processionem, seu ratione processionis: Secundò strictiùs, quatenùs processio ex primaria intentione agentis in illud tendit: primo modo competit Spiritui Sancto esse formaliter Deum, quia non aliter, quàm per processionem Deitatem habet: secundo modo solùm ei competit esse Amorem; solùm enim Verbo competit ex primaria intentione procedere ut Deum, sicque simile in Natura.

100. Instabis 1. Spiritus Sanctus procedit formaliter ut Persona Divina; siquidem procedit ut Persona; non ut creata; ergo Divina; ergo procedit formaliter ut Deus; siquidem Hypostasis priùs ordinatur ad Naturam, quàm ad ejus proprietatem; priùs enim intelligitur subsistens divinitas, quæ est Natura, quàm volens per volitionem, quæ est proprietas. Respondeo Spiritum Sanctum ex primaria intentione non procedere neque ut Personam Divinam, neque ut Personam; sic enim solùm procedit ut Amor subsistens, qui conceptus præscindit à ratione Personæ, quæ est *Rationalis naturæ individua substantia.* Dixi *ex primaria intentione*, quia concomitanter, identicè, & ex secundaria intentione sicut procedit etiam ut Deus, ita & ut Persona Divina.

101. Instabis 2. Spiritus Sanctus procedit formaliter ut amans; ergo à fortiori ut intelligens: *Nihil enim volitum, quin præcognitum*; sed procedere formaliter ut intelligens, si Natura consistit in Intellectione, est procedere formaliter ut Deus; ergo &c. Respondeo negando antecedens; neque enim procedit formaliter, & primariò ut amans, sicque neque ut intelligens, sed ut Amor subsistens, ut diximus.

102. Instabis 3. Natura Divina per se, & immediatè petit Personalitatem Spiritûs Sancti; sed illam non potest habere, nisi per processionem; ergo formaliter illi conjungitur immediatè ex vi ipsius processionis; consequenterq; Spiritus Sanctus procedit formaliter, & immediatè ut Deus. Resp. ex dictis, Naturam Divinam per se, & immediatè postulare Personalitatem Spiritûs Sancti habendam quidem per processionem, sed non ex primaria intentione producentis.

103. Instabis 4. Processio Spiritûs Sancti est ipsa formalis cõmunicatio eorum, quę ei communicantur, ut supra diximus; sed ei communicatur Natura; ergo est formalis communicatio Naturæ; sed ex vi communicationis competit forma communicata ei, cui communicatur; ergo ex vi suæ processionis ei competit Natura; consequenterque procedit ut Deus. Respondeo processionem Spiritûs Sancti esse quidem ipsam formalem communicationem eorum, quæ ei communicantur, diverso tamen modo comparari ad terminos communicatos; nam ad amorem comparatur ut ad suum terminum formalem, & primarium; ad intellectionem verò ut ad terminum concomitantem, & secundarium: sicut etiam processio Verbi, prout est communicatio, comparatur primariò & formaliter ad intellectionem, secundariò autem, & concomitanter ad Volitionem: sic enim in sententia asserente, naturam, & proprietates in creatis produci eadem actione, talis actio per se primò tendit ad naturam, secundariò autem, & concomitanter ad proprietates.

104. Urgebis: Illud primariò intenditur in termino, quod est priùs in tali termino; sed in Spiritu Sancto priùs est intellectio, quàm volitio; ergo ei primariò intenditur communicari intellectio. Respondeo primò negando majorem: nam in homine prior est materia, quàm forma; & tamen priùs intenditur forma, quàm materia: & priùs existunt media, quàm finis; & tamen priùs, & per se intenditur finis, quàm media. Respondeo secundò, data majori, negando minorem: Intellectio enim solùm intelligitur prior in Patre, & in Filio, quàm in Spiritu Sancto, in quo prior intelligitur volitio, quàm intellectio; licet enim concomitanter simul, ac semel ei communicetur

intellectio, illud tamen communicatur per se primò, quod per se primò intenditur; hoc autem est volitio.

105. Infertur 1. Ergo Personæ Divinæ ex vi suarum processionum nō sunt æqualiter Deus; ipsæq; processiones non sunt æquales; hoc autem dici non potest; ergo &c. Respondeo negando illationem, nam Personæ Divinæ ut tales sunt, & earum processiones ut reales processiones sunt, non solùm important terminos formales, sed etiam quidquid in Deo est absolutum, & identicè communicatur; ut sic autem sunt omninò æquales: quod necessariò dicendum est in omnium sententia; siquidem in omni sententia verum est, quod Verbo ex vi suæ processionis formaliter communicetur intellectio, & non ita volitio; & Spiritui Sancto ex vi suæ processionis formaliter communicetur volitio, & non ita intellectio, cùm tamen diversa perfectio sit formaliter intellectio, atque est volitio formaliter.

106. Infertur 2. Ergo Spiritus Sanctus, saltem realiter procedet per generationem, & erit Filius; siquidem realiter procedit in similitudinem naturę ex vi suæ processionis; licet enim Intellectio, & volitio distinguantur virtualiter, realiter tamen sunt omninò idem, sicq; realiter competet Spiritui Sancto definitio generationis, & erit Filius. Respondeo primò, argumentum, si aliquid valeret, probare utique Spiritum Sanctum esse etiam realiter Verbum, & Verbum esse realiter Spiritum Sanctum; siquidem intellectio, & volitio realiter sunt idem; ergo si ex hoc non sequitur Spiritum Sanctum esse realiter Verbum, neque sequetur esse realiter Filium.

107. Respondeo secundò negando illationem, & antecedens probationis illius; nam procedere realiter in similitudinem Naturæ ex vi suæ processionis semper innuit sensum formalem. Et ratio est, quia intellectio, & volitio, licet realiter sint idem, tamen ut comparantur ad processiones distinguuntur virtualiter intrinsecè per æquipollentiam realem, hoc est, ita se habent, ac si realiter distinguerentur. Undè sicut non valet: *Natura est idem realiter cum Paternitate: Natura communicatur realiter: ergo Paternitas realiter communicatur*: idque propter mirabilem illam æquipollentiam, seu distinctionem, ita etiam non valet: *Intellectio est idem realiter cum volitione; volitio communicatur realiter Spiritui Sancto ex vi suæ processionis; ergo eodem modo Intellectio communicatur realiter*: siquidem propter eandem æquipollentiam distinctionis, licet utraque communicetur absolutè, alia, nempè volitio communicatur primariò, & formaliter; alia verò, nempe intellectio solùm identicè, & secundariò. Et hæc sufficiant pro quæstione hac difficillima, in qua usurpandum semper est illud Isai. 53. 8. *Generationem ejus quis enarrabit*: & dicere cum D. Damascen. lib. 1. fidei cap. 2. *Quoniam quidem est differentia generationis, & processionis didicimus: Quis verò sit modus hujus differentiæ nequaquam. Quamvis autem ista intelligere non possumus, tamen ita esse veraciter confitemur, & credimus*: addereque cum D. Athan. serm. 3. contr. Arian. *Neque propterea sacris Scripturis diffidendum est, quia hujusmodi quæstionem satis explicare non possumus.*

SECTIO VI.

An, & quâ ratione secunda Trinitatis Persona sit, & dicatur Verbum?

CUM ex hactenùs dictis constet, secundam Trinitatis Personam esse verè, & propriè Filium Dei, ejusque processionem à prima Persona esse verè & propriè generationem, nunc inquirendum nobis est: An, & qualiter hic Filius Dei sit, & dicatur Verbum Dei? Pro quo sit? 108.

Difficultas 1. Quid, & quotuplex sit Verbum? 109.
Dico 1. licet Verbum frequenter in Scriptura sumatur pro re mentis, aut oris verbo significata juxta illud Exod. 9. *Cras faciet Dominus verbum istud*: non tamen in hac acceptione hìc à nobis usurpatur, utpotè quæ figurata est, quatenùs nomen signi ad rem significatā transfertur: sed solùm hìc sumitur verbum in propria acceptione, sub qua est quid analogum ad verbum mentis, oris, & imaginationis, sive phantasiæ, licet hoc ultimum ab aliquibus non dicatur verbum; siquidem verbum, cùm sit terminus locutionis, solùm conceditur a gentibus rationalibus, quæ sola propriè loquuntur; cùm autem phantasia in bruto, & in homine sit ejusdem rationis, & in bruto non subeat hanc denominationem, non est cur illam subeat in homine, & illius terminus dicatur verbum.

Dices: Terminus locutionis oris dicitur verbum; ergo etiam sic dicetur terminus phantasiæ. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia os externum, quatenùs magis subditur, & obedit rationi, quàm phantasia, magis participat dignitatem rationis; ideò terminus *locutionis* externæ dicitur verbum; & non ita dicitur terminus locutionis internæ, sive phantasiæ. 110.

Dico 2. Verbum definitur: *Est quid ore prolatum tanquam rei alicujus signum*. Ita *P. Molin. 1. p. q. 27. a. 1. d. 7.* quæ definitio competit omni voci aliquid significanti, quæ prout est quid voce prolatum dicitur *verbum proferentis*; siquidem proferens appellatur *loquens*, seu *dicens tale verbum*; ipsa verò prolatio vocatur *generatio*, seu *productio* verbi; ut autem est signum rem aliquam significans, dicitur *verbum illius*. Undè: 111.

Colliges primò, omne verbum duorum dici verbum, unius nempè ut *dicentis* id verbum; & alterius, ut rei per idem verbum dictæ, seu significatæ. Patet in hac voce *lapis*, quæ vox dicitur verbum meum, id est à me prolatum, & *dicitur* verbum *lapidis* tali verbo dicti, sive significati. 112.

Colliges secundò, in solis agentibus rationalibus reperiri *verbum*; siquidem sola rationalia, ut diximus, propriè loquuntur, utpotè quæ sola proferunt signa animo manifestandi, in quo propriè consistit locutio. Unde nec voces brutorum, neque termini producti per eorum cognitiones dicuntur *verbum*. 113.

Colliges tertiò, speciem impressam, licet sit quid productum ad repræsentandum objectum, non tamen esse *verbum*; cùm non sit producta per locutionem, neque ab intellectu, sed emanet ab objecto. Idem etiam dicendum de speciebus memorativis, quæ etiam non producuntur animo manifestandi, neque possunt habere rationem manifestativam in facto esse, qualem habet *verbum*, sed ad 114.

plurimùm

plurimum in fieri, & veluti remotam, qualem etiam habent species impressæ.

115. Colliges quartò, *verbum* importare duos respectus, sive habitudines, alterum ad proferentem, qui est respectus effectûs ad causam: alterum ad rem significatam, qui est respectus signi ad significatum. Unde Philosophus conceptus, qui propriè sunt verba, appellat signa.

116. Colliges quintò, *loqui*, seu *dicere* idem esse, atque manifestare; hanc verò manifestationem, si sumatur *in fieri*, dici, & esse prolationem, seu productionem verbi, & esse illam actionem, quâ producitur conceptus, sive quâ formatur verbum oris: si autem sumatur in *facto esse*, esse ipsum verbum productum, sive formatum; quod proindè verbum est locutio formalis; ejus verò productio est locutio effectivè, seu causaliter; siquidem cùm *loqui* sit manifestare; solus autem conceptus, siue vox significativa sint formaliter repræsentativa, sicque formaliter manifestativa; sola illa sunt formales locutiones, quibus manifestamus audientibus res significatas, sive locutas. Sed cum hoc discrimine inter verbum mentale, & vocale, quod per vocale non percipimus res dictas, nisi priùs audito ipso verbo: per mentale autem, ipso inaudito, res ab eo dictas percipimus. Ex dictis oritur.

117. Difficultas 2. Utrùm respectus illi, quos *verbum* formaliter importat, sint prædicamentales: an transcendentales? Dico 1. Respectus verbi ad loquentem est transcendentalis, tam in verbo creato, quàm Increato. Ita *P. Molin. 1. p. q. 27. a. 1. d. 7.* licet solùm quoad primam partem. Probatur, quia hujusmodi respectus in verbo ad loquentem, nihil aliud est, quàm productio passiva; sed hæc tam in verbo creato, quàm in Increato est respectus transcendentalis, & non prædicamentalis ad suum principium productivum; ergo &c.

118. Quod autem hæc ratio probet etiam in Verbo Increato, quod P. Molin non admittit. Patet, quia licet ibi non reperiatur actio, sive *fieri* propriè dictum, ut reperitur in creatis; reperitur tamen propria, & vera productio activa, & passiva, quæ licet includant rationem relationis, ab ea tamen distinguuntur secundùm majorem, aut minorem expressionem, ut supra diximus; sed actio, & passio sunt respectus transcendentes ad sua principia; ergo etiam sic erunt productio activa, & passiva; sed *Verbum* Increatum dicit de formali hunc respectum producti; ergo illum dicit transcendentem, licet præscindendo à quavis imperfectione creata. Confirmatur, quia ratio *dicti, prolati, & producti*, quæ est respectus *verbi* ad principium dicens, proferens, & producens, non dicit relationem formaliter, sed solùm fundamentum relationis; hoc autem est respectus transcendens; ergo &c.

119. Dico 2. Respectus *verbi* ad rem significatam, tam in verbo creato, quàm Increato, non est prædicamentalis, etiam rationis; sed est transcendentalis. Probatur, quia respectus *verbi* ad res significatas coincidit cum respectu signi; sed hic, prout alibi diximus in *Log. tract. 3. d. 1. à n. 43.* non est prædicamentalis; siquidem sublatâ quavis relatione, sive reali, sive rationis, adhuc signum ducit in cognitionem rei significatæ ob illam proportionem, & habitudinem, quam cum illa habet; ergo neque sic erit in Verbo ad res significatas, sed dicet respectum transcendentalem, qualis est respectus signi ad significatum.

120. Advertes primò, me hîc non velle, neque dicere, verbum secundùm se, & secundùm omnia, quæ dicit, esse relatum transcendens, sed solùm dicere, respectus illos, quos verbum dicit de formali, esse transcendentales, & non prædicamentales; siquidem cùm sint habitudines ad suos terminos, non est, cur non dicamus esse transcendentales.

121. Advertes secundò *P. Molin. cit. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 2. n. 19. P. Præpositi. 1. p. q. 34. a. 3. P. Amicum d. 26. sect. 1. n. 16.* & Theologos communiter dicere, respectû Verbi Increati ad creaturas repræsentatas, imò & ad Essentiam divinam, esse respectum rationis, sicq; prædicamentalem; quibus ego etiâ subscribo, dummodo intelligantur de respectu superaddito, qui quidem est prædicamentalis rationis, non tamen si loquantur de respectu constitutivo verbi. Patet, quia verbum, ut tale sit, minimè pendet ab intellectu fingente, & efformante relationem illam rationis; ergo non potest per illam constitui in ratione verbi, licet illam fundet, quatenùs in Deo, cùm sit diversi ordinis à creaturis, non potest fundari relatio prædicamentalis realis; imò neque ad se ipsum, cùm in Deo non admittatur distinctio realis inter Essentiam, & Relationes.

122. Difficultas 3. Utrùm secunda Persona propriè dicatur *Verbum*? Varii in hac re fuerunt hæreticorum errores, ut videre est apud *P. Ruiz d. 55. de Trinit. sect. 2.* quia tamen de Verbo, ut Verbum est, non solùm errarunt hæretici, sed etiam ab aliquo catholico in dubium fuit revocatum, an secunda Trinitatis Persona dicenda sit verè, & propriè Verbum? aliqua indiget explicatione præsens difficultas, pro qua:

123. Advertendum est cum *Cajet. 1. p. q. 34. art. 2. P. Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 2. num. 1.* hanc vocem *propriè* dupliciter accipi posse: Primò prout opponitur termino *Metaphoricè*, in quo sensu hîc disputandum à nobis est: Secundò prout opponitur termino *commune*, in quo sensu disputabimus Sectione sequenti. Hoc posito:

124. Dico 1. Secunda Trinitatis Persona est, & dicitur Verbum. Est de Fide. Ita *D. Thom. 1. p. q. 34. a. 1. P. Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 2. n. 6.* & alii infra citandi. Probatur primò ex Sacra Scriptura, Psalm. 32. ibi: *Verbo Domini Cœli firmati sunt.* Et Psalm. 44. *Eructavit cor meum verbum bonum.* Et Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et infra. *Et Verbum Caro factum est.* Et 1. Joan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Et Apoc. 19. *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei.* Et Ecclesiast. 1. *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis*; ergo &c.

125. Probatur secundo authoritate Sanctorum Patrum. D. Ignat. epist. ad Magnesian. *Per JESUM Christum*, inquit, *Filium suum, qui est Verbum ipsius, non pronunciatum, sed substantiale.* D. Clem. Roman. epist. 1. ad Jacobum. *Deus ergo Pater*, ait, *secreti Sacramenti vocabulum est, cujus verè Filius est Verbum.* Et D. Cyril. lib. 7. Thesaur. cap. 1. *Patris Verbum*, inquit, *Filius est, neque est aliud verum Patris Verbum, quàm Filius.* Et D. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 13. *Dicitur*, ait, *relativè Filius, relativè dicitur & Verbum.* Et lib. 6. cap. 2. *Verbum quidem solus Filius accipitur.* Et D. Athan. orat. 2. contra Arian. dicit *Verbum verum, & unicum Dei.* Et D. Anselm. in Monolog. cap. 45. *Liquet*, inquit, *Filium esse verum Verbum.* Ex quibus locis tam Sacræ Scripturæ, quàm Sanctorum Patrum satis constat errorem contrarium esse expressam hæresim Alogianorum, quia à D. Epiphan. *hæres. 51.* dicti sunt *Alogiani*,

Alogiani, id est, sine verbo, quia scilicet Verbum Divinum negabant.

126. Dico 2. Secunda Trinitatis Persona est, & dicitur verè, & propriè Verbum Patris, prout terminus *propriè* opponitur *metaphoricè*. Ita *D. Thom. 1. p. d. 34. a. 1.* ubi retractâ sententiâ quam tradiderat *in 1. dist. 27. q. 2. a. 2. & q. 4. de veritat. art. 2.* absolutè definit, *Verbum* non nisi personaliter, idque de solo Filio propriè dici. *Magist. in 1. dist. 27.* & cum illis omnis Theologorum Schola, uno excepto Durand, *in 1. dist. 2. q. 3.* qui negat secundam Personam esse propriè Verbum, quatenùs alibi existimavit, Filium in Divinis procedere per Naturam, & non per Intellectum, quod est de ratione Verbi, cujus sententiam ut erroneam supra rejecimus *d. 3. n. 94.* & hanc etiam ut erroneam hîc rejicimus cum *P. Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 2. num. 6. P. Montoya d. 55. sect. 4. P. Amico dub. 26. n. 12. & 16. P. Tanner, d. 4. q. 4. dub. 2. num. 3. P. Arrub. 1. p. d. 123. cap 4. P. Vasq. P. Compton. P. Præposit. P. Arriaga d. 52. sect. 2. num. 9. P. Becan. cap. 5. quæst. 1. P. Martin. d. 29. sect. 1.* & alii.

127. Probatur primò ex locis Sacræ Scripturæ supra citatis *num. 124.* & Sanctorum Patrum, ex quibus cum eisdem Sanctis Patribus sic conficitur argumentum, quia verba Scripturæ, Concil. & Patrum frequenter, & absolutè prolata debent accipi in proprio, & rigoroso sensu, nisi aliundè aut Fides, aut inconveniens aliquod evidens oppositum convincat; sed illud habet ratio Verbi in divinis respectu Filii, & nullum est inconveniens, quod oppositum convincat; ergo &c.

128. Probatur secundò, quia ad propriam rationem Verbi interni requiritur: Primò, quod sit naturaliter repræsentativum rei, utpotè quod est signum naturale: Secundò, quod maneat intra loquentem: Tertiò, quod sit realiter expressum, seu productum ab intelligente: Quartò, quod sit ad communicandam audienti cognitionem, quam loquens de rebus in se habet; sed hæc omnia competunt Verbo Divino; ergo &c. Confirmatur ex definitione *Verbi* supra tradita, quia verbum, ut patet ex illius definitione, constituitur formaliter, cùm sit signum, duobus respectibus, altero per ordinem ad loquentem, & altero per ordinem ad rem, quam loquens intendit manifestare; sed id habet secunda Persona; siquidem cùm sit terminus locutionis mentalis, sive dictionis, per se primò ex vi suæ productionis formalis respicit principium intelligens, à quo producitur; & cùm sit imago expressa perfectissima, repræsentat ipsum objectum intellectionis; ergo &c.

129. Objicies 1. De ratione verbi est reddere loquentem formaliter intelligentem, ut patet in verbo creato; sed Pater in divinis non ita redditur intelligens per Filium; alioqui non ex fœcunditate, sed ex necessitate intelligendi illum produceret; ergo &c. Resp. negando majorem; neque enim de ratione verbi absolutè, etiam creati, est reddere loquentem intelligentem; nam in creatis verbum vocale est verè, & propriè verbum; & tamen non reddit, imò supponit loquentem intelligentem, & est ad generandam cognitionem in audiente.

130. Instabis: Saltem de ratione verbi interni, & mentalis est reddere loquentem formaliter intelligentem, ut patet in verbo mentali creato; sed non ita Pater redditur intelligens per Filium in divinis ob rationem factam; ergo &c. Respondeo majorem esse veram in creatis, non autem in divinis, idque ob eandem rationem assignatam, quia scilicet productio verbi creati, cùm sit ex indigentia intelligendi, non supponit, sed reddit potentiam formaliter intelligentem: at verò productio Verbi Increati, cùm sit ex fœcunditate, & non ex necessitate intelligendi, non reddit, sed supponit producentem jam intelligentem.

131. Objicies 2. Quod procedit ab intellectu constituto in actu secundo, id est, jam formaliter intelligente, procedit per modum speciei memorativæ, aut habitûs, non verò per modum verbi; sed ita procedit Filius à Patre in divinis, ut ex dictis constat; ergo &c. Respondeo primò majorem esse veram in creatis, non autem in divinis; diversa ratio est: Primò, quia Intellectus Divinus, ut constitutus in actu secundo intelligendi, est maximè fœcundus; non ita verò creatus; ideò ille, non tamen iste potest adhuc prout sic constitutus producere Verbum. Secundò, quia intelligés creatum per verbũ internum solùm sibi loquitur intelligendo, ad quod non est necessaria nova productio verbi: at verò Pater Æternus intelligens loquitur Filio Verbum producendo, sicque etiam si supponatur intelligens, Verbum ex fœcunditate producit.

132. Respondeo secundò negando absolutè majorem, nam etiam in creatis reperitur verbum internum productum ab intellectu constituto in actu secundo intelligendi; tum quia ut diximus in Logica *tract. 3. d. 3. à num. 662.* Angeli loquuntur per conceptus directivos in audientem, qui tamen procedunt ab Intellectu Angelico jam intelligente: tùm etiam quia in homine intellectus factus intelligens per unum judicium potest aliud in se producere.

133. Objices 3. Verbum est medium inter loquentem, & audientem; sed Filius non est aliquid medians inter Patrem, & se ipsum; siquidem à se ipso non distinguitur; medium autem distinguitur ab extremis; ergo &c. Respondeo *negando majorem*, si sermo sit de verbo interno; neque enim opus est, quod sit medium inter loquentem, & audientem; nam etiam in creatis loquens, & audiens est idem intellectus producens, & recipiens in se verbum creatum; inter idem verò, & se ipsum non datur medium. Undè in divinis potest idem esse verbum, & audiens; siquidem Pater non aliter loquitur, quàm producendo Filium, sive Verbum, cui Scientiam suam communicat per illam productionem.

134. Objicies 4. Filius in Divinis eadem ratione dicitur Verbum, quâ dicitur *sermo, ratio, cogitatio, vox,* & *lingua Patris*; sed hæc dicuntur de illo solùm metaphoricè, non autem propriè; ergo &c. Respondeo negando majorem: neque enim illa dicuntur de Filio tam propriè, sicut de eo dicitur *verbum*; siquidem *sermo*, & *ratio* dicunt intellectionem complexam: Verbum autem in divinis dicit terminum intellectionis simplicis. Deinde *Cogitatio* dicit cognitionem cum inquisitione veritatis; *lingua*, & *vox* sunt instrumenta oris externi, quæ omnia arguunt imperfectionem non admittendam in Deo, sicque solùm metaphoricè de illo dicuntur, quando à Patribus de Deo affirmatur: at verò verbum internum dicit perfectissimam rationem imaginis, qualis est Filius Dei, sicque de illo verè, & propriè affirmatur Verbum.

135. Difficultas 4. In quonam conveniant, & differant *Verbum* Increatum, & creatum? Dico 1. Verbum Increatum, & creatum mentale conveniunt: Primò, quia utrumque est spirituale, & permanens, non autem transitorium, ut est verbum vocale. Secundò, quia utrumque est immanens in

in ipso, & intra ipsum intelligentem. Tertiò, quia utrumque repræsentat naturaliter, & non ad placitum, neque ex accidenti, seu concomitanter, sed per se, & ex vi suæ processionis; siquidem utrumque est ipsummet intelligere ejus, à quo procedit, ex quo omnia hæc subsequuntur.

136. Dico 2. Verbum Increatum, & creatum in multis differunt: Primò, quia verbum creatum est accidentale: Increatum autem substantiale, & per se subsistens, quod non minuit, imò perficit rationem Verbi, ut à simili patet in Sapientia Divina subsistente & accidentali creata. Secundò, quia verbum creatum est forma constituens intelligens in actu secundo principium à quo producitur; non ita tamen Verbum Increatum, ut patet ex supra dictis. Tertiò, (quod ex præcedenti sequitur,) quia creatum producitur ex indigentia intelligendi: non ita verò Increatum, sed ex infinita perfectione, & fœcunditate, ut patet ex supra dictis.

SECTIO VII.

An Verbum in Divinis sit tantùm personale: aut etiam essentiale?

137. HÆc præsens quæstio spectat ad aliam significationem vocis *propriè*, de qua supra, prout scilicet *propriè* opponitur termino *commune*, & idem hîc valet, ac quærere: An *Verbum* ita propriè dicatur de Filio, ut de illo dicatur personaliter, non autem essentialiter? seu, quod idem valet: An dici Verbum sit proprium solius secundæ Personæ? seu: An præter Verbum Notionale, quod est proprium solius secundæ Personæ, detur etiam Verbum essentiale propriè dictum, quod sit commune omnibus tribus Personis?

138. Conclusio sit: In Divinis *Verbum* non dicitur de Deo propriè, nisi personaliter, idque de solo Filio. Ita *D. Thom. 1. p. q. 34. art. 1.* ubi priorem suam sententiam retractat, quâ *in 1. dist. 27. quæst. 2. art. 2. & q. 4. de Verit. art. 2.* asseruerat *Verbum* tam essentialiter, quàm personaliter dici de Deo. *Magist. in 1. dist. 27. Alex. 1. p. q. 62. memb. 2. Albert. 1. p. q. 30. memb. 2. ad 3. & ad 6. Henricus 2. p. sum. art. 40. q. 7. & quodlib. 5. q. 26. ad 2. D. Bonav. in 1. dist. 27. p. 2. art. 1. q. 1. & 2. Scot. ibid. q. 2. & 3. Richard. art. 2. q. 2. Aureol. art. 3. dub. 2. Gabr. q. 3. art. 2. Ægid. q. 2. art. 3. Carthus. q. 3. Argent. q. unica art. 4. Capreol. q. 2. art. 1. Ferrar. 4. contr. gent. cap. 13. P. Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 3. n. 2. P. Vasq. 1. p. d. 141. cap. 3. P. Ruiz d. 57. sect. 2. P. Amicus d. 26. n. 17. P. Molin. 1. p. q. 34. art. 1. d. unica. P. Valent. 1. p. q. sua. 8. punct. 1. P. Arrub. d. 123. cap. 6. P. Tannet. d. 4. q. 4. dub. 2. n. 6 P. Præposit. 1. p. q. 34. art. 1. & 2. n. 2. P. Arriaga d. 52. sect. n. 9. P. Compton. tom. 1. d. 64. sect. 1. n. 3. P. Alarcon. tract. 5. d. 8. cap. 3. n. 3.* & alii.

139. Probatur primò ex sacra Scriptura, & Sanctis Patribus locis supra citatis, præsertim Apoc. 19. ubi loquens de Christo Domino Filio Dei: *Et vocabatur nomen ejus Verbum Dei*; particula autem *nomen ejus* proprietatem designat. D. Cyril. Alex. *lib. 7. Thesaur. cap. 1. Verbum*, ait, *Joannes Filium appellat, ut hoc nomen quasi proprium, & ipsius esse Filii maximè significativum, elegisse videatur.* Et infrà: *Nec est aliud verum Verbum Patris, quàm Filius.* Et D. Aug. *lib. 6. de Trinit. cap. 2. Verbum*, inquit, *solus Filius accipitur, non simul Pater, & Filius tanquam ambo unum verbum.* Et *lib. 7. de Trinit. cap. 2. Pater*, inquit, *& Filius simul una Essentia, & una Sapientia; sed non Pater, & Filius simul ambo unum Verbum, quia non simul ambo unus Filius ..... Eo quippè Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius.* Ex quibus, aliisque Sanctorum Patrum locis satis constat, *Verbum* dici propriè de Deo personaliter, solùmque competere secundæ Trinitatis Personæ, cui solùm tùm Scriptura, tùm Sancti Patres hoc nomen accommodant.

140. Probatur secundò rationibus: Prima ratio est, quia *Verbum* propriè acceptum dicit respectum ad loquentem, & productionem realem; siquidem est verè dictionis terminus; sed nullum essentiale in Deo producitur, aut habet respectum realem productionis ad Deum, sive ad aliquam Personam; ergo &c.

141. Secunda ratio est, quia Essentia, prout alibi diximus, consistit in ipsa cognitione divina; sed repugnat, Essentiam consistere in Verbo propriè dicto; siquidem cùm hoc debeat esse terminus dictionis, eo ipso debet supponere Essentiam ipsius dicentis, cujus est Verbum; ergo &c.

142. Tertia ratio est, quia inauditum est in Ecclesia, propriè loquendo, esse in Deo duplex Verbum, seu duo verba, unum personale, & alterum essentiale; alioqui Filius posset dici Verbum de Verbo, & dari in Divinis *Verbum Verbi*; hoc tamen à Sanctis Patribus, præsertim D. Aug. valdè alienum est; ergo &c. Confirmatur, quia in Deo unum est Intelligere, à quo realiter procedit Verbum, ut supra diximus; ergo unum tantùm in Deo est Verbum; siquidem unius Intelligere, non duo, sed unum debet esse Verbum.

143. Oppositum tenet *Durand. in 1. dist. 27. q. 3.* ubi asserit, *Verbum* in Divinis *propriè* dici essentialiter tantùm, de secunda autem Persona dici, non *propriè* sed sola appropriatione, eo quod formaliter per Intellectum non procedat. Quæ sententia meritò ab omnibus censetur erronea, ut supra ostendimus. Alii verò dixerunt, *Verbum* & essentialiter, & personaliter dici posse. *Ita D. Thom. in 1. dist. 27. q. 2. art. 2. & q. 4. de Verit. art. 2. quem sequuntur Capreol. in 1. dist. 27. art. 1. q. 2. concluf. 4. Ferrar. 4. contr. gent. cap. 13. §. Considerandum secundò*: pro quibus.

144. Argues 1. Ad Hebr. 1. 3. *Portans*, inquit, *omnia verbo virtutis suæ*: ubi nomen *Verbum* sumitur essentialiter, sicut sumitur nomen *virtus*. Idem facit illud Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Accedit authoritas aliquorum Patrum, quatenùs *Verbum* essentialiter accipiunt aliquando, ut videtur accipere D. Ambr. *lib. unico de Filii Divinit.* ibi: *Sive lumen de lumine dicas, sive Verbum de Verbo..... quodcunque de eo dixeris, unius tamen essentiæ Patrem, & Filium credas.* Et idem habent D. Damascen. *lib. 1. Fidei cap. 6.* & D. Basil. *lib. 5. contr. Eunomeum cap. 11.* ubi Spiritum Sanctum appellat verbum: *Dei quidem Verbum*, inquit, *Filius est; Filii autem Verbum Spiritus*; sed non illum dicit Verbum ratione Personæ; ergo ratione Essentiæ; consequenterque in Deo est Verbum essentiale.

145. Respondeo dato, quod in illis Scripturæ locis, & aliis similibus *Verbum* sumatur essentialiter, prout essentialiter denotat aliquid commune toti Trinitati, ibi sermonem esse de locutione, sive verbo *ad extra*, quo Deus manifestat se ipsum creaturis imperando, producendo, &c. at verò nos hîc loquimur de Verbo *ad intra*, qui est solus Filius, sicque solùm de Deo dicitur personaliter. Ad illud D. Amb. dicimus, ibi non asserere, Filium

esse *Verbum de Verbo* ; id enim affirmare temerarium est, ut dicit *P. Ruiz. cit. sect. 5. n. 11.* sed supponens quod aliquis id dixisset, præcipit servari fidem consubstantialitatis, ita ut quamvis aliquis appellarit *Verbum de Verbo*, credat tamen identitatem Essentiæ. Ad locum D. Basil. dicimus, Spiritum Sanctum appellare *Verbum Filii* impropriè, & metaphoricè, ut ait D. Thom. *1. p. q. 34, art. 2.* metaphora autem consistit in eo, quod sicut proprium verbi est procedere ab aliqua persona, & emitti ad manifestandos ejus sensus, & voluntatem, sic Spiritus sanctus procedit, & emittitur à Filio, ut fidelibus manifestet sensus, & voluntatem Patris, & Filii juxta illud Joan. 15. *Quem ego mittam vobis à Patre, ille vos docebit.*

146. Argues 2. In divinis *Amor* non solùm dicitur Notionaliter de Spiritu sancto, sed etiam essentialiter; ergo similiter *Verbum* non solùm Notionaliter, sed etiam essentialiter dicetur de Filio. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia *Amor* ex usu Philosophorum, ac Theologorum sumitur, tùm pro ratione formali amandi; tùm pro termino realiter producto: primum datur in Deo essentialiter: secundum Notionaliter: at verò *Verbum* propriè sumitur solùm pro termino locutionis formalis, qui est solus Filius sumptus notionaliter.

147. Argues 3. In Divinis *Sapientia* tùm essentialiter, tùm notionaliter dicitur; siquidem non solus Filius dicitur sapientia Patris, sed etiam cuilibet Personæ convenit propriè *Sapientia*; ergo etiam Verbum. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est jam assignata, quia *Sapientia*, sive *Scientia* sumitur, tùm pro formali ratione cognoscendi, & sic datur in Deo essentialiter: tum pro termino producto, in quo illa includitur, & sic datur in Filio notionaliter: at verò *Verbum*, ut diximus, propriè sumitur pro solo termino locutionis formalis, sicque solùm notionaliter. Undè *Sapientia* essentialiter accepta non est Verbum, quia prout sic non dicit respectum realem ad loquentem: Verbum autem est ipsa *Sapientia*, quia illam includit.

148. Argues 4. In divinis *dicere* non solùm notionaliter, sed etiam essentialiter prædicatur; siquidem dicitur de omnibus Personis juxta illud D. Ansel. *in Monolog. cap. 6.* ibi: *Qualibet Persona Trinitatis se ipsam, & alias dicit*; ergo etiam Verbum & notionaliter, & essentialiter prædicabitur; cùm sit terminus *dictionis*, quæ se habet ad Verbum ut productio; productio autem, & terminus productus sibi mutuò proportionantur. Respondeo negando antecedens quoad secundam partem; neque enim *dicere* propriè sumptum prædicatur in Deo essentialiter, sed est tantùm prædicatum Notionale. Undè D. Ansel. locutus est de *dicere* improprio, prout est idem, atque cognoscere, quælibet enim Persona & se, & alias cognoscit.

149. Argues 5. Omnis cognitio est *Verbum*; sed cognitio in Deo dicitur essentialiter; ergo etiam *Verbum*. Respondeo distinguendo majorem: omnis cognitio est *Verbum* aut propriè, aut impropriè; concedo majorem: propriè semper; nego majorem: neque enim omnis cognitio est *Verbum* propriè dictum, nisi solùm in creatis, ubi omnis cognitio est producta ex indigentia cognoscendi: nõ ita tamen in Deo, cujus Essentia est cognoscere.

150. Argues 6. In divinis *loqui*, seu *dicere* non est generare; siquidem Pater dicit se ipsum, non tamen se ipsum generat; ergo *dicere*, prout præscindit à generatione, est prædicatum essentiale; ergo etiam sic erit *Verbum*. Respondeo *dicere* absolutè non esse idem, atque *generare*; siquidem in creatis *dicere* non est *generare*; est tamen idem, atque realiter producere verbum; hæc autem productio in Deo est generatio. Præterea sicut in creatis productio verbi non est productio rei dictæ per verbum, sed solius verbi; ita in Divinis productio Verbi non est generatio rei manifestatæ per Verbum, sed solius Verbi: Undè licet Pater dicat se, & omnia Verbo, non tamen se, & omnia generat, quia non dicit se, & omnia ut Verbum, sed Verbo se, & omnia dicit.

151. Argues 7. *Verbum* creatum non consistit in relativo, sed in absoluto; ergo etiam divinum; sed omne absolutũ in Deo est essentiale; ergo &c. Resp. quidquid sit de verbo creato; Increatum enim necessariò importat Relationem; siquidem importat distinctionem à proferente; in divinis autem sola relatio distinguit; cùm tamen verbum creatum per solam qualitatem absolutam, & relatione transcendentali ad proferentem sufficienter ab illo distinguatur.

152. Argues 8. Licet *Verbum* ex universali consuetudine approprietur soli Filio, tamen ex vi nominis solùm importat actum intelligendi, qui est essentialis, ut patet ex illo D. Ansel. *in Monolog. cap. 60.* ibi: *Nihil aliud est summo Spiritui dicere, quàm quasi cogitando intueri*: ubi illud *dicere* idem valet, atque intelligere per actum essentialem omnibus Personis communem; ergo &c. Respondeo negando antecedens: & ad illud D. Anselm. dicimus cum D. Thom. *1. p. q. 34. art. 1. ad 3.* locutum fuisse de verbo impropriè, accipiendo ibi *dicere* pro intelligere: qui tamen eodem *lib. cap. 37.* expresse docet, *Verbum* relativè dici ad eum, cujus est Verbum: *Verbum*, inquit, *hoc ipsum, quod verbum est, aut imago, ad alterum est, quia non nisi alicujus Verbum est, aut imago.*

153. Argues 9. Sublatâ omni *productione intra* Deum, Deus æquè perfectè se ipsum, & omnia diceret, atque nunc; siquidem *Verbum* non ponitur in Deo ex indigentia, ut per illud simpliciter, aut meliùs intelligat, ita ut sine illo neque simpliciter, neque æquè benè intelligat; sed implicat esse in Deo *dicere* sine verbo; ergo *Verbum* importat aliquid essentiale, & non personale. Respondeo negando majorem: neque enim in Deo præcisâ omni productione *ad intra*, maneret proprium *dicere*, utpotè quod præter respectum ad objecta dicta, importat etiam respectum ad terminum productum, quo mediante objecta dicuntur, & repræsentantur; cùm autem sublatâ omni productione, nullus daretur terminus productus, consequenter neque proprium *dicere*, sed tantùm remaneret *intelligere*, quo Deus & se & reliqua à se cognosceret.

154. Argues 10. Si Deus esset una tantùm Persona, adhuc haberet Verbum, quo intelligeret; sed non haberet illud productum: siquidem tunc nulla esset productio in Deo, quia nulla daretur Persona producta; omnis autem productio *ad intra* terminatur ad aliquam Personam; ergo haberet illud identificatum cum Essentia; consequenterque Verbum est essentiale, & non personale. Respondeo juxta proximè dicta, Deum in facta suppositione non intellecturum *Verbo* à se producto, sed solo actu absoluto intelligendi, qui non est propriè *Verbum*, ut patet ex supra dictis: *Verbum* enim in Deo non est necessarium ad intelligendum, sed tantùm ad loquendum, & ad fœcunditatem Naturæ; sicque Deus in eo casu esset intelligens, non tamen loquens, neque fœcundus.

Argues

155. Argues 11. *Verbum* est actus vitalis immanens, quo ipsum intelligens constituitur vitaliter immanenter tale; sed omnes Personæ Divinæ ita sunt intelligentes; ergo per Verbum essentiale, utpotè quod solùm est vitaliter immanens in omnibus; personale enim solùm manet in Persona, cujus est. Respondeo distinguendo majorem: est actus vitalis immanens terminatus relatione producti ad dicentem; concedo majorem: non ita terminatus; nego majorem: Undè Personæ Divinæ sunt vitaliter immanenter intelligentes, non per aliquod *Verbum* essentiale, quod nullum est in Deo, sed per ipsum actum essentialem intelligendi, qui propriè Verbum non est.

156. Argues 12. Omne intelligens intelligendo concipit *Verbum*; siquidem *Verbum* ideò ponitur, ut intelligenti sit ratio intelligendi; sed omnes Personæ Divinæ sunt intelligentes; ergo omnes concipiunt *Verbum*; non personale; ergo essentiale. Respondeo majorem esse veram, quando *Verbum* non supponitur adæquatè productum, ut supponitur adæquatè productum à Patre, ideoque reliquæ Personæ intelligentes illud non producunt, sed solùm intelligunt *Verbo* à Patre producto. Undè ad probationem majoris dicimus, *Verbum* quidem in nobis poni ex necessitate intelligendi, non ita tamen in Deo, sed tùm propter necessitatem loquendi; siquidem salvari nequit locutio absque reali distinctione loquentis, & audientis: tùm propter fœcunditatem Naturæ, quæ essentialiter postulat adæquatam communicationem sui non solùm per actum volendi, sed etiam intelligendi.

157. Argues 13. Nullus vocaliter dicit verbo ab alio, sed à se vocaliter prolato; ergo etiam nullus dicet verbo mentali ab alio, sed à se mentaliter prolato; atqui si in Divinis solus Filius esset *Verbum*, solus Pater se ipsum verbo diceret, quia solus Pater tale Verbum profert, quod tamen non videtur dicendum; siquidem quævis Persona se ipsam, & reliqua omnia dicit; non verbo personali; ergo essentiali; consequenterque datur Verbum essentiale.

158. Respondeo argumentum licet verum probet de verbo creato, falsum tamen esse de Verbo Increato; diversa ratio est, quia Verbum Increatum ratione Notitiæ absolutæ, quam includit, identificatur cum omnibus Personis, atque adeò potest aliqua Persona intelligere verbo ab alio producto: at verò verbum creatum non potest uniri, nisi cum eo, à quo producitur; cùm autem intelligens, ut intelligat, debeat informari ipso actu intelligendi, ideò nequit unus intelligere verbo ab alio producto.

SECTIO VIII.

Vtrùm solus Pater soli Filio propriè loquatur?

159. DIco 1. Patet *Verbo*, non sibi, sed Filio loquitur. Ita *P. Amicus d. 26. num. 37.* Probatur, quia illi loquens dicit, & loquitur, cui suam cognitionem sui, & aliarum rerum communicat; sed Pater non sibi, sed Filio communicat hujusmodi cognitionem; siquidem non producit Verbum ex necessitate, sed ex fœcunditate intelligendi; ergo Pater non sibi, sed Filio dicit, & loquitur.

160. Neque obstat, ut ait *P. Alarcon. d. 8. cap. 5. n. 12.* quod Filius ut audiens non distinguatur à Verbo; siquidem audiens in divinis nihil aliud est, quàm recipiens notitiam à loquente, ad quod opus non est, quod audiens distinguatur à notitia, seu à verbo, sed satis est, quod distinguatur à loquente, à quo per productionem ipsam cognitionem accipit communicatam; & sic distinguitur Filius à Patre.

161. Hinc sequitur primò, in eo maximè distingui Verbum creatum, & Increatum, quod loquens per verbum creatum sibi ipsi *ad intra* loquitur juxta illud Matth. 9. 3. *Quidam de Scribis dixerunt intra se*: id est cogitaverunt. Et infrà 21. *Dicebat enim intra se.* Et Matt. 16. 7. *At illi cogitabant intra se dicentes*; siquidem sibi ipsis producendo verbum mentis objectum manifestabant: at verò Pater loquens per Verbum Increatum non sibi, sed Filio se, & omnia manifestat. Secundò sequitur, quod sicut solus Pater est loquens, ita solus Filius est audiens, ut ex dicendis constabit. Undè:

162. Dico 2. Solus Pater soli Filio *ad intra* propriè dicit, & loquitur. Ita *P. Amicus d. 26. n. 34.* & videntur tenere *Ægid. d. 10. n. 32. & 33. P. Arriaga d. 52. n. 11.* quatenùs dicunt, Patrem per Verbum, non sibi, sed ipsi Verbo loqui. Probatur prima pars, quod solus Pater propriè dicat, & loquatur, quia dicere, & loqui idem est, atque producendo *Verbum* aliquid manifestare; sed solus Pater *Verbum* producit, & omnia, quæ novit, Verbo manifestat; ergo solus Pater propriè dicit, & loquitur.

163. Probatur secunda pars, quod Pater soli Filio dicat, & loquatur, quia Pater soli Filio per productionem Verbi communicat formaliter mentem, seu cognitionem sui, & omnium, quæ novit; ergo soli Filio propriè dicit, & loquitur.

164. Hinc colliges primò contra *P. Ruiz. d. 60. sect. 4. 5. & 6.* neque Filium loqui ad Patrem, quia Patri nihil communicat: neque Patrem, & Filium loqui ad Spiritum Sanctum, quia illi non communicant formaliter cognitionem, sed amorem: neque Spiritum Sanctum loqui ad Patrem, & ad Filium, quia illis nihil communicat. Undè si aliqui Patres apud *P. Ruiz cit.* aliter quandoque videntur docere, intelligendi sunt de dicere, seu loqui minùs propriè, quatenùs solùm volunt, quamlibet Personam, & se, & alias cognoscere.

165. Colliges secundò, omnes Personas Divinas, prout sunt unus Deus, loqui *ad extra* creaturis rationalibus, se ipsum illis per communicationem suæ notitiæ manifestando: primò Beatis per claram visionem, ut fit in patria. Secundò per cognitiones internas, tùm evidentes, seu cum *evidentia in attestante*, ut dicitur à Theologis, ut sæpè fit in via Prophetis: tùm inevidentes, ut per fidem, aut per aliqua signa sensibilia, ut accidit reliquis viatoribus, juxta illud D. Paul. ad Heb. 1. 1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.* Tertiò dicitur etiam Deus loqui creaturis irrationalibus, quatenùs eas producit, aut aliter disponit, sed impropriè, cùm non sint propriæ auditionis capaces.

166. Advertes tamen hìc in his omnibus proportionaliter distinguendas esse, & locutionem in Deo loquente, & auditionem in creatura auscultante. Undè locutio Dei est, actus ipse Divini Intellectûs, quatenùs per externum signum ordinatur ad manifestandum se ipsum creaturæ: auditio autem est, actus ipse intellectûs creati, quo creatura formaliter percipit locutionem Dei per tale signum sibi manifestatam.

167. Colliges tertio, solum *verbum* propriè dici ut verbum; non tamen solum propriè dici ut *objectum*; seu

seu quod idem est, solum *verbum* esse terminum productum dictionis; nō tamen solum esse terminum repræsentatum, seu manifestatum. Patet, quia omnia, quæ repræsentantur in *Verbo*, verbo propriè *dicuntur*, & sic omnes Personæ Divinæ, imò & creaturæ propriè dicuntur, prout repræsentantur; nihil tamen propriè *dicitur* productivè, nisi solum verbum. Unde oportet distinguere *dici verbum*, & *dici verbo*: Primum enim soli Filio competit: Secundum autem omnibus, quæ verbo repræsentantur; sicque Filius dupliciter *dicitur*: primò productivè ut *Verbum*: secundò objectivè se ipso ut verbo.

168. Colliges quartò, dari differentiam inter hos terminos *intelligere*, *generare*, *dicere*, & *loqui* activè ex parte Patris; nam *intelligere* dicitur essentialiter, & non importat aliquid notionaliter, sed solum conceptum essentialem connotando objectum: *generare* exprimit respectum generantis ad terminum productum secundùm Naturam, in qua est similis præscindendo à ratione Verbi: *dicere* importat respectum ad *Verbum* productum ut Verbum: *loqui*, præter respectum ad *Verbum*, importat etiam respectum ad audientem, qui respectus nihil aliud est, quàm ipsa relatio Patris sub diversa expressione concepta.

169. Colliges quintò ex opposito dari etiam differentiam inter eosdem terminos passivè sumptos, nempè *intelligi*, *generari*, *dici*, & *audire* ex parte termini; nam *intelligi* dicit terminationem intelligentiæ essentialis, quæ terminatio competit omni objecto, tam *ad intra*, quàm *ad extra*, videturq; importare formaliter respectum rationis: *generari* competit soli secundæ Personæ, & importat realem respectum ad generantem præscindendo ab expressione Verbi: *dici* productivè importat respectum *Verbi* ut Verbi ad dicentem; *dici* autem objectivè importat terminationem, seu respectum rei dictæ ad *verbum* dicentis: primo modo *verbum* dicitur solius Patris ut dicentis *verbum*, quia *verbum* à solo Patre producitur: secundo modo dicitur *verbum*, non solùm Patris, ut dicti, sed etiam Spiritûs Sancti, & omnium, quæ Verbo dicuntur, seu repræsentantur: *audire* importat respectum audientis ad loquentem, ex quo fit, ut *locutio*, & *auditio* realiter distinguantur, quatenùs locutio importat notitiam simul, & relationem dicentis; auditio verò importat eandem notitiam ut communicatam simul cum relatione verbi dicti.

SECTIO IX.

An, & quâ ratione Verbum Divinum dicatur Verbum *creaturarum?*

170. ANTE resolutionem quæstionis advertendum est primò, omne verbum importare duplicem respectum, unum ad dicentem, & alterum ad rem ipso verbo dictam; siquidem cùm *verbum* sit prolatum, sive expressum ad repræsentandum aliquid, necessariò dicit; tum respectum ad proferentem, tum ad rem repræsentatam. Secundò, Verbum Divinum, cùm sit propriissimè verbum, importare utrumque hunc respectum necessariò; quia tamen repræsentat, non solùm omnia, quæ sunt formaliter in Deo, sed etiam creaturas, saltem secundariò, etiam ad creaturas dicit respectum, qui formaliter est relatio rationis, fundamentaliter verò est ipsa fœcundissima Verbi repræsentatio. His positis.

Difficultas 1. Qualiter Verbum dicat hujusmodi respectus? Dico 1. Verbum Divinum formaliter, & in recto importat relationem realem ad dicentem. Ita *D. Thom. 1. p. q. 34. a. 1. Sylvius ibid. P. Amicus d. 26. sect. 1. n. 29.* & alii. Probatur primò ex D. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 2. ibi: *Eò Filius, quòd Verbum, & eò Verbum, quòd Filius*; sed quà Filius importat formaliter, & in recto relationem realem Filii ad Patrem; ergo etiam quà Verbum illam importabit ad dicentem. 171

Probatur secundò ratione, quia Verbum Divinum importat relationem integrantem, & complentem rationem Filii intellectualis; sed Verbum Divinum in ratione Filii importat formaliter, & in recto relationem realem ad genitorem; ergo etiam sic illam importabit in ratione Verbi ad dicentem. Confirmatur, quia relatio Verbi est eadem cum relatione Filii, ut patet tum ex D. Aug. proximè: tum ex D. Damasc. epist. de Trisagio ubi docet, Filium, & Verbum *unius hypostaseos esse ostensiva*; sed relatio Filii ad Patrem est realis, & à Filio dicitur formaliter, & in recto; ergo idem dicendum est de relatione Verbi ad dicentem. 172

Dico 2. Verbum Divinum importat etiam formaliter, & in recto respectum, sive expressionem objecti. Ita *D. Thom. q. 4. de verit. a. 5. P. Amicus cit. n. 30.* Probatur primò ex D. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 2. ubi docet in conceptu Verbi includi Sapientiam. *Quoniam verò*, inquit, *& Verbum Sapientia est*; sed Sapientia dicit de formali, & in recto respectum, & expressionem objecti; ergo & Verbum. 173

Probatur secundò ratione, quia *Verbum* est intellectualis imago omnium objectorum, ex quorum notitia, sive habituali, ut *in nobis*, sive actuali, ut in Deo procedit; siquidem Verbum est quædam intellectualis manifestatio; hæc autem fit per expressionem, seu imaginem objecti, cujus est manifestatio; sed imago intellectualis dicit de formali, & in recto expressionem objecti, cujus est imago; ergo etiam Verbum. 174

Dico 3. Verbum Divinum principaliùs dicit respectum, sive expressionem objecti, quàm respectum ad dicentem. Ita *D. Thom. proximè. Ferrar. 4. contr. gent. cap. 13. §. Ad secundum dub. P. Amicus cit. num. 31.* Probatur, quia *Verbum* in Deo sumitur per analogiam ad verbum creatum; sed sicut verbum creatum vocale ex hominum placito; ita mentale ex naturâ suâ principaliter ordinatur ad significandam manifestationem loquentis, minùs verò principaliter respectum ipsius ad dicentem; ergo idem dicendum de Verbo Increato. 175

Advertes tamen, expressionem objecti, quæ in Verbo Increato principaliter importatur, non esse expressionem objecti creati, sed Increati, hanc enim primariò, illam autem secundariò, & materialiter importat. Patet, quia Æternus Pater Æterno suo Verbo primariò intendit manifestare se ipsum, & omnia, quæ ipsum essentialiter constituunt, secundariò autem, & consequenter creaturas, ut terminos extrinsecos suæ potentiæ; ergo expressio objecti, quæ principaliter importatur in Verbo Increato, non est expressio objecti creati, sed Increati. 176

Objicies 1. contra proximè appositam conclusionem: Verbum importat proprietatem personalem; sed hæc principaliter dicit respectivum, 177

qualis

qualis est respectus ad dicentem, & non absolutum, qualis est expressio objecti; ergo &c. Confirmatur, quia Verbum importat respectum formaliter complentem relationem Filii intellectualis; sed hæc relatio principaliùs dicit respectum ad dicentem; ergo &c. Respondeo Verbum importare quidem proprietatem personalem, sed non æquè primò, ac proprietatem absolutam. Eodem modo dicimus ad confirmationem, verbum quidem importare respectum complentem filiationem intellectualem, non tamen æquè principaliter, atque ipsam repræsentationem objecti.

178. Objicies 2. Eo modo Verbum includit respectum ad dicentẽ, quo Filius ad generantem; sed Filius principaliùs importat respectum ad generantem, & minùs principaliter respectum ad naturam; ergo etiam Verbum principaliùs importabit respectum ad dicentem, & minùs principaliter expressionem objecti. Respondeo negando majorem: aliquid enim explicitè dicit Verbum, nempè expressionem objecti, quam explicitè non dicit Filius. Et ratio est, quia *Verbum* est in Deo per analogiam ad verbum creatum; hoc autem principaliùs dicit manifestationem objecti, ut potè ad id impositum; ergo sic etiam dicet Verbum Increatum.

179. Objicies 3. Verbum est nomen Personæ; sed Persona in Divinis principaliùs significat relationem, & minùs principaliter Naturam; siquidem illam formaliter, hanc verò materialiter importat; ergo &c. Respondeo minorem esse veram de Persona significata sub expressione Personæ; non autem sub expressione Verbi; sic enim principaliùs dicit manifestationem, sivè expressionem objecti.

180. Difficultas 2. Utrùm Verbum Divinum propriè dicatur esse Verbum creaturarum? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 34. a. 3. ad ult. & q. 4. de veritat. a. 5. ad 2. & 4. Ferrar. ibid. §. Nec obstat. Aureol. in 1. dist. 27. p. 2. a. 3. Navar. q. 4. Torres. 1. p. q. 27. a. 1. d. 6. q. 3. propos. 5. P. Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 9. n. 12. P. Vasq. 1. p. d. 143. cap. 3. n. 12. P. Amicus d. 26. n. 49. P. Arrub. 1. p. q. 34. a. 3. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 2. n. 18. P. Præpos. 1. p. q. 34. a. 3. n. 6.* & alii. Probatur, primò quia Verbum propriè dici solet, non solùm illius, à quo est, sed etiam illius de quo est expressivum; sed Verbum Divinum, non solùm est à Patre per productionem, sed etiam est expressivum creaturarum, quas repræsentat; siquidem cùm sit comprehensivum, & adæquetur Cognitioni Divinæ, quidquid hæc cognoscit, necessariò debet illud repræsentare; cognoscit autem creaturas, sicque Verbum debet illas repræsentare; ergo &c.

181. Probatur secundò, quia Scientia Divina, non solùm dicitur Scientia Dei, à quo est, & veluti producitur, sed etiam creaturarum, quas repræsentat; ergo etiam Verbum, non solùm dicetur Patris à quo producitur, sed etiam creaturarum, quarum est expressivum, & repræsentativum. Probatur tertiò, quia Verbum Divinum, non solùm dicitur Verbum Patris ut dicentis, sed etiam ut dicti, qua ratione dicitur etiam Verbum Spiritûs Sancti, totius Trinitatis, & omnium, quæ sunt formaliter in Deo; siquidem ea omnia Verbo dicuntur; sed etiam creaturæ Verbo dicuntur; ergo &c. Confirmatur, quia Spiritus Sanctus dicitur Amor, non solùm Patris, & Filii, à quibus producitur, sed etiam Essentiæ, totius Trinitatis, & creaturarum, quæ omnia habet pro objecto; ergo etiam Verbum Divinum dicetur Verbum, non solùm Patris, à quo producitur, sed etiam Essentiæ, totius Trinitatis, & creaturarum, quæ omnia habet pro objecto suæ repræsentationis.

182. Oppositum tenent *D. Bonav. in 1. dist. 27. p. 2. a. 1. q. 2. ad penult. Alens. 1. p. q. 62. memb. 1. a. 4. Richard. a. 2. q. 3. ad 3. P. Ruiz d. 62. sect. 3. num. 7.* Pro quibus. Argues 1. authoritate D. Anselm. in Monolog. cap. 32. ibi: *Verbum*, inquit, *quo creatura dicit, nequaquam similiter est verbum creaturæ, quia non est ejus similitudo, sed principalis essentia*; ergo &c. Respondeo D. Anselm. non negare, Verbum Divinum dici posse Verbum creaturarum absolutè, sed solùm velle, non esse Verbum creaturarum ea ratione, quâ est Verbum Patris, ut patet ex termino *similiter*; siquidem Patris est Verbum, ut dicentis, & dicti per realem similitudinem Naturæ; creaturarum verò ut dictarum, & similitudine intentionali.

183. Argues 2. Ideò Verbum est Patris Verbum, quia & Patrem primariò repræsentat, & ab eo procedit; sed non procedit à creaturis, nec eas primariò repræsentat; ergo &c. Respondeo Verbum dupliciter dici Patris Verbum, ut patet ex supra dictis: primò, ut dicentis, & sic solius Patris est Verbum, ut diximus; secundò, ut dicti, & sic tum Patris, tum omnium, quæ dicuntur objectivè, est Verbum, licet primariò dicat objectum Increatum; secundariò autem creatum, ut diximus; hoc enim non tollit quominùs utrumque absolutè dicat, & utriusque sit Verbum.

184. Argues 3. Spiritus Sanctus non est propriè *donum* creaturarum, quarum est amor; ergo neque Verbum erit Verbum creaturarum, quarum est cognitio. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia *donum* est actualis communicatio; Spiritus Sanctus autem, licet sit Amor creaturarum, non est actualis communicatio secundùm suum esse intrinsecum, & necessarium; ideoque non est *donum* creaturarum: at verò *verbum* est actualis repræsentatio à loquente expressa; cùm autem Verbum Divinum sit actualis repræsentatio creaturarum, est earum Verbum. Imò retorqueri potest argumentum: Spiritus Sanctus, quia est capax communicationis, dicitur donabilis creaturis; ergo Verbum Divinum, quia est creaturarum expressio, dicetur earum *Verbum*.

185. Difficultas 3. An Verbum Divinum dicatur *verbum* creaturarum ratione notitiæ absolutæ: an potiùs ratione proprietatis personalis? Prima sententia asserit, esse verbum creaturarum convenire Verbo Divino ratione solius notitiæ absolutæ. Ita *D. Thom. 1. p. q. 34. a. 3. ad 1. & q. 4. de verit. art. 5. ad 4. Scot. quodlib. 8. art. 3. & in 2. dist. 1. q. 1. Richard. in 1. dist. 27. art. 2. q. 3. ad 1. Major. q. 4. Capreol. q. 2. a. 1. concluf. 5. P. Molin. 1. p. quæst. 27. art. 1. d. 7. P. Soar. lib. 9. cap. 6. Ferrar. 4. contr. gent. cap. 13. Cajet. 1. p. q. 34. a. 3.* & alii.

186. Non placent; quia quod convenit verbo ratione solius notitiæ essentialis, convenit omnibus Personis; siquidem essentialia omnibus sunt communia; sed dicere respectum ad creaturas ut dictas, & manifestatas, non convenit omnibus Personis; alioqui creaturæ dicerentur æquè benè Patre, & Spiritu Sancto, ac dicuntur verbo, quod tamen est falsum; ergo dicere respectum ad creaturas ut manifestatas, non convenit omnibus Personis, sed soli Verbo; consequenterque non ratione solius notitiæ essentialis.

187. Dices: Si Verbum Divinum non repræsentaret creaturas, non esset earum Verbum; ergo ideò est

earum Verbum, quia illas repræsentat; sed eas repræsentat ratione solius notitiæ essentialis, utpotè quæ sola est repræsentativa; ergo &c. Respondeo argumentum solum probare, notitiam essentialem repræsentativam creaturarum requiri ad rationem Verbi earum, non tamen sufficere, quod intendimus.

188. Instabis: Si ad rationem Verbi creaturarum non sufficeret sola notitia essentialis, & absoluta, Deus connecteretur cum creaturis, non solùm ratione absoluti, sed etiam alicujus relativi; atqui hoc non videtur dicendum; siquidem omnis respectus Dei *ad intra* communis est, & indivisibilis toti Trinitati, quod non habent relativa; ergo &c. Respondeo concedendo majorem de connexione cum creaturis ut dictis per Verbum; non autem ut producibilibus absolutè per potentiam, ut amabilibus per amorem, aut cognoscibilibus per cognitionem; licet enim tota Trinitas cognoscat, amet, aut producat creaturas indivisibiliter, ut unus Deus; non tamen tota Trinitas illas dicit ut *Verbum*, ut patet ex dictis.

189. Secunda sententia tenet, hunc respectum verbi ad creaturas, seu esse Verbum creaturarum, convenire Verbo ratione solius proprietatis personalis. Ita *D. Bonav. in 1. dist. 27. p. 2. art. 1. q. 2. fine. Henricus 2. p. sum art. 59. q. 5. Aureol in 1. dist. 27. art. 3. dub. 4.* Non placent, quia dicere respectum ad creaturas, ut dictas, & manifestatas, includit essentialiter respectum ad creaturas, ut repræsentatas; siquidem dicere respectum ad aliquid, ut manifestatum, est connotare illud, ut ab aliquo alicui locutione manifestandum; hoc autem essentialiter involvit notitiam expressivam, & declarativam objecti manifestandi; cùm loquens non manifestet alteri objectum, nisi mediâ notitiâ expressivâ illius; sed Verbum Divinum nequit dicere respectum ad creaturas, ut repræsentatas ratione solius proprietatis personalis; siquidem hæc est sola ratio producti ad producentem; nulla autem relatio divina est repræsentativa objecti; alioqui aliquod objectum cognosceret una Persona, quod alia non cognosceret; ergo &c.

190. Dices: Esse verbum creaturarum est prædicatum notionale; alioqui conveniret etiam aliis Personis, quibus omnia sunt communia præter notionalia; sed nullum prædicatum notionale competit Deo ratione alicujus absoluti; ergo esse Verbum creaturarum ei competit ratione solius relativi, seu proprietatis personalis. Respondeo esse Verbum creaturarum, prædicatum quidem esse notionale ratione tamen significati inadæquati, non verò adæquati: Undè argumentum solùm probat, quod non dicatur Verbum creaturatum ratione solius absoluti, sed etiam relativi, ut infrà dicemus.

191. Tertia sententia, quam ut probabiliorem sequimur, docet, Verbum Divinum respicere creaturas, ut dictas, & manifestatas, seu esse Verbum creaturarum ratione utriusque perfectionis, & notitiæ essentialis, quam quidditativè includit, & proprietatis, sive relationis personalis, quâ constituitur in ratione Verbi ut sic. Ita *P. Vasq. 1. p. d. 144. cap. 2. P. Ruiz d. 62. sect. 2. n. 4. P. Zuniga d. 9. dub. ult. P. Amicus d. 26. sect. 2 n. 72.* Probatur primò, quia ad rationem verbi duo sunt necessaria: Primum, quod repræsentet objectum dictum: Secundum, quod ut repræsentatio procedat ab Intellectu; alioqui non erit *Verbum*, sed pura cognitio; atqui primum convenit Verbo Divino ratione notitiæ absolutæ; utpotè quæ sola est repræsentativa: Secundum autem ratione proprietatis, sive relationalis personalis; utpotè quæ sola est processio realis; ergo &c.

Probatur secundò, quia si Deus se, & creaturas cognosceret, non tamen produceret Verbum, solùm daretur cognitio Dei, & creaturarum, non tamen Verbum; ergo Verbum dicit, & cognitionem absolutam repræsentantem, & proprietatem personalem productam; consequenterque verbum ratione utriusque simul dicitur verbum. Confirmatur, quia si ratio Verbi creaturarum consisteret in sola ratione notitiæ absolutæ, cùm hæc sit communis toti Trinitati, ut sunt omnia absoluta, quælibet Persona esset Verbum creaturarum, sicut est cognitio; sed hoc est falsum; siquidem denominatio Verbi, ut diximus, non est essentialis, sed notionalis; ergo &c. 192

Probatur tertiò, quia in divinis locutio activa dicentis, passiva verbi, & res verbo dicta sibi correspondent; sed locutio activa præter notitiam essentialem, includit etiam proprietatem personalem Personæ proferentis; & locutio passiva præter eandem notitiam essentialem, includit etiam proprietatem personalem verbi prolati; ergo etiam res dictæ ipso verbo, præter respectum, quem dicunt ut cognitæ ad notitiam essentialem cognoscentem, & repræsentantem, dicent etiam rationem dicti, seu manifestati, provenientem quidem remotè à dictione activa loquentis, proximè autem à dictione passiva verbi producti; consequenterque Verbum creaturarum includit & notitiam essentialem expressivam earum, & proprietatem notionalem productam. 193

Dices: Ex hoc solùm sequitur, hunc respectum convenire verbo ex peculiari modo, quo ei ex vi suæ processionis debetur notitia essentialis communis manifestativa rerum; non autem ex vi suæ propriæ proprietatis notionalis; ergo &c. Respondeo negando sequelam; ideò enim verbo debetur illa notitia essentialis communis ex vi suæ processionis, quia ex vi suæ Personalitatis illam exigit, ut complementum dictionis passivæ, quâ constituitur personalitas verbi, mediante quâ, ipsum verbum peculiarem respectum dicit ad res, se ipso dicendas, & manifestandas. 194

Ex dictis patet ratio, cur Joan. 1. dicatur specialiter de Verbo Divino: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: siquidem in agente intellectuali, qualis est Deus, verbum internum est initium totius operis juxta illud Ecclesiast. 37. *Initium omnis operis verbum*: quia autem in verbo interno Divino, tanquam in exemplari continentur, & repræsentantur omnia agibilia, & Verbum Divinum ex vi suæ processionis habeat repræsentare creaturas, ideò ei tribuuntur omnia opera *ad extra* specialiter; non quod non procedant indivisibiliter à tota Trinitate, & Scientia Divina ut exemplar, non sit aliquid essentiale omnibus Personis commune, sed quia modus habendi hanc scientiam ex vi suæ processionis, est specialis in verbo. Ex quo etiam deducitur, Verbum Divinum respectu creaturarum esse, non solùm expressivum, sed etiam factivum; respectu autem Essentiæ Divinæ, & Personarum solùm esse expressivum. 195

SECTIO

SECTIO X.

Vtrum, & qualiter Verbum *dicatur* Sapientia *Patris: & Pater intelligere* Verbo?

196. QUOD Verbum Divinum dicatur *Sapientia* Patris, est communis Sanct. Patrum locutio. Ita loquitur *D. Athan. orat. contra Gregales Sabellii. D. Nazian. orat. 1. apologet. D. Amb. l. de fide cap. 2. D. Aug. lib. 7. de Trinit. à princip. D. Anselm. in Monolog. cap. 46.* habentque fundamentum in D. Paul. *1. Cor. 1.* ubi Christum Dominum appellat *Dei Virtutem, & Sapientiam*; quod in libris sapientialibus frequenter dicitur de Filio Dei. Dubium igitur solùm est: Qualiter Verbum Divinum dicatur *Sapientia Patris?* pro quo:

197. Notandum est primò, hanc vocem *Sapientia* dupliciter sumi posse in hac locutione: *Verbum est Sapientia Patris*: Primò pro sapientia essentiali: Secundò pro Sapientia Notionali, sive genita. In prima acceptione videntur loqui Sancti Patres locis supra citatis; siquidem cùm Sapientia essentialis in Patre, & in Filio sit eadem; & Filius sit illa Sapientia, ideò verè dici potest *Sapientia Patris*; facit enim hunc sensum: *Verbum est illa Sapientia, quæ est Pater*: quod est verum. In secunda acceptione (quæ etiam est usitata, ut notat D. Augustin.) sumitur sæpè in libris sapientialibus, potestque verè dici: *Verbum est Sapientia Patris*: quatenùs effi cit hunc sensum: *Verbum est Sapientia à Patre per generationem communicata*, quod etiam est verum.

198. Notandum est secundò, hunc secundum sensum accipiendi Sapientiam pro Notionali, esse usitatiorem, juxta quem tunc frequentiùs dicitur Verbum Sapientia genita, quando ex contextu sermonis particula *Patris* denotat processionẽ Verbi; ideoque absolutè solum Verbum dicitur Sapientia Patris, quia solum ex vi suæ processionis habet Sapientiam à Patre per generationem communicatam: & non ita dicitur Spiritus Sanctus, nisi oppositum exprimatur: sicut è converso, solus Spiritus Sanctus dicitur ob eandem rationem Amor Patris, & Filii, & non ita dicitur Verbum; sic enim utrumque ex communi usu, & acceptione dependet.

199. Difficultas major est: Utrùm Pater dici possit sapiens *sapientiâ genitâ*? seu quod idem est: Intelligere *Verbo*? Suppono primò, ut certum, Patrem cognoscere se, & omnes alias res, tam creatas, quàm increatas in Verbo. Patet, quia cùm Verbum ex vi suę processionis accipiat Intellectionem, in qua omnia perfectissimè repræsentantur, illâ cognitâ in Verbo, est ratio cognoscendi omnia, quæ repræsentat; cùm autem repræsentet omnia tam creata, quàm Increata, omnia Pater in Verbo cognoscit

200. Suppono secundò, non posse rectè dici, Patrem intelligere formaliter *Verbo*, aut *sapientiâ genitâ*. Patet, quia nihil formaliter intelligit, nisi per id, quod est forma, & ratio formalis intelligendi; sicut nihil fit album nisi per id, quod est ratio faciens formaliter album; sed Verbum non est ratio formalis intelligendi; alioqui ejus productio esset ex necessitate ad intelligendum, & non ex fœcunditate potentiæ intellectivæ; ergo &c.

201. Suppono tertiò, rectè dici posse, Patrem intelligere *Verbo* cum addito, id est, notionaliter, seu effectivè. Patet, quia hoc idem est, atque dicere, Patrem producere effectivè, seu veluti effectivè Verbum, quod formaliter intelligit, quod est verum. Undè tota difficultas est: an absolutè, & sine addito dici possit, *Pater intelligit, vel cognoscit, vel sapit Verbo, aut sapientiâ genitâ*?

202. Negativa resolutio tenenda est cum *D. Thom. 1. p. q. 37. art. 1. & 2. Scot. in 1. dist. 32. q. 2. Gabr. q. 1. P. Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 10. n. 5. P. Tanner d. 4. q. 4. dub. 2. n. 33.* & alii. Probatur primò, quia hæc: *Pater est cognoscens, intelligens, seu sapiens sapientiâ genitâ*: est falsa; siquidem eam ut talem retractavit D. Aug. *1. Retract. cap. 26. & lib. 6. de Trinit. cap. 1. & 2. & lib. 7. cap. 1. & 3.* ergo etiam falsa erit hæc: *Pater cognoscit, seu intelligit Verbo*: cùm sint æquivalentes.

203. Dicent hanc: *Pater intelligit Verbo*: cùm significet actionem, posse admitti; siquidem benè potest dici, quod Pater intelligat producendo verbum: illam verò: *Pater est intelligens verbo*: esse falsam; siquidem cùm significet effectum formalem, falsum est, quod Pater formaliter intelligat verbo, cùm Verbũ non sit forma, neque quasi forma reddens formaliter intelligentem. Sed contra, quia ex hoc sequitur id ipsum, quod negant; siquidem: *Pater intelligit verbo*: & *Pater est intelligens verbo*: sunt omninò idem; sicut omninò est: *Petrus intelligit*: atque *Petrus est intelligens*: *Ignis calefacit*: atque *Ignis est calefaciens*: ita ut, si ibi datur aliqua differentia, sit tantùm grammaticalis, quæ ad rem significatam impertinens est; sed prima significat actionem, & non effectum formalem, sicque est vera; idem etiam dicendum erit de secunda, quod ipsi negant.

204. Probatur secundò, quia *intelligere* est denominatio proveniens ab eo, quod est subjecto ratio intelligendi; sed Verbum Divinum non est Patri ratio intelligendi; siquidẽ Pater non ideò intelligit, quia verbum producit; alioqui illud produceret ex necessitate intelligendi; sed ideò verbum producit, quia intelligit, ideoque ex fœcunditate illud producit; ergo &c. Confirmatur, quia in eo signo, quo Pater est constitutus ad generandum Filium, jam est sapiens, & intelligens omnia; siquidem Filius producitur à Patre sapiente, & intelligente; sed non est sapiens, & intelligens verbo pro eo signo, cùm pro eo signo non sit verbum, sed pro sequente; ergo &c.

205. Probatur tertiò, quia si Pater diceretur intelligere verbo, significaretur accipere à verbo Sapientiam, & intelligentiam; sed hoc est falsum; siquidem Pater nihil accipit à Verbo, imò Verbum omnia à Patre accipit; ergo &c. Confirmatur, quia ex eo, quod Pater per verbum nihil ultra generet: & Pater, ac Filius per Spiritum Sanctum nihil ultra spirent; neque Pater dicitur generare Verbo; neque Pater, & Filius spirare Spiritu Sancto; sed Pater per verbum nihil ultra intelligit, ac antea intelligebat; ergo non potest dici intelligere verbo.

206. Oppositum tenent *P. Vasq. 1. p. d. 151. cap. 4. n. 22. P. Arrub d. 133. cap. 1. n. 8. P. Alarcon. tract. 5. d. 8. cap. 4. n. 3.* & alii: pro quibus: Objicies 1. Ex eo, quod Pater, & Filius vi amoris producant Spiritum Sanctum, verè dicitur: *Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto*; ergo etiam ex eo, quod Pater producat verbum vi Intellectionis, verè dicetur: *Pater intelligit verbo*. Respondeo negando antecedens; neque enim Pater, & Filius diligunt se

Spiritu Sancto, quia illum producunt, sed quia in illo uniuntur, tanquam in eo, qui ex vi suæ processionis est amor mutuus; non quod formaliter diligant per ipsum Spiritum Sanctum, qui est Amor notionalis, sed quia formaliter se diligunt eo amore, quem ex vi suæ processionis per se primò ei communicant, quo sensu dicuntur etiam diligere creaturas Spiritu Sancto; sicque argumentum pro nobis potiùs, quàm contra nos facit, ut consideranti patebit.

207. Infers: Ergo similiter Pater dicetur etiam intelligere Verbo, quia intelligit eâ intelligentiâ, quæ ex vi suæ processionis per se primò communicat Verbo. Respondeo hujusmodi sensum verum quidem esse, ut patet ex dictis; quia tamen usitatus non est in Verbo æquè, ac in Spiritu Sancto; ideò locutio illa absoluta in Spiritu Sancto habet jam determinatè verum sensum; non ita tamen in Verbo, in quo est dubia, & in rigore falsa.

208. Objicies 2 Intellectus abstrahens universale effectivè, dicitur absolutè abstrahere universale: & differentia faciens differre effectivè, dicitur absolutè faciens differre; ergo etiam Pater producens Verbum veluti effectivè, dicetur intelligere Verbo absolutè. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia denominatio abstrahendi, & faciendi differre, est de se indifferens ad rationem effectricem, & formalem; ideòque satis est effectivè facere abstractionem, aut differentiam, ut dicatur absolutè intellectus abstrahens universale; aut differentia effectiva faciens differre: at verò intelligere significat determinatè, non solùm actionem, sed etiam formam, quæ est subjecto ratio formalis intelligendi: imò juxta Philosophum, cùm intelligere sit quoddam pati, magis exprimit passionem, quàm actionem; sicque non potest Pater producens Verbum dici intelligere Verbo absolutè, quia Verbum non est forma faciens intelligere.

209. Addo, Argumentum retorqueri posse; nam ex eo, quod intellectus effectivè producat repræsentationem universalis, non dicitur effectivè universalis, sive ut ita dicam *universari*; & ex eo, quod differentia effectivè faciat differre, non ideo differentia dicitur differentiâ differre; ergo similiter ex eo, quod Pater producat Verbum, non ideò dicetur Verbo intelligere.

210. Objicies 3. Veluti à priori: Quoties effectus producitur sub respectu, & ordine ad denominandum subjectum, vel objectum, potest sumi in casu effectivo, id est in ablativo instrumenti, sive modi, sive causæ, & ejus principium construi cum subjecto, vel objecto sumpto in accusativo, ut, *Ignis calore lignum calefacit: Intellectus conceptu verum intelligit: Voluntas amore bonum diligit, &c.* Sed Verbum Divinum producitur sub respectu, & ordine ad denominandum objectum dictum, cognitum, & intellectum; sicut Spiritus Sanctus producitur sub respectu, & ordine ad denominandum objectum dilectum, & amatum; ergo &c.

211. Respondeo argumentum solùm valere, quando denominatio secundùm suam propriam rationem reflectit supra principium, ut sit in exemplis adductis, secùs verò quando denominatio ex vi significationis non ita potest reflectere supra principiū, ut non potest in præsenti. Patet, quia ignis, (idemque dicendum de Intellectu, & Voluntate,) dicitur calore calefacere, quia *calefacere* est denominatio de se indifferens ad rationem effectivam, & formalem calefaciendi, sicque effectivè quadrat in principium: at verò *intelligere* ex sua formali significatione importat rationem, & receptionem ejus, quod intelligenti est ratio formalis intelligendi, quam cùm non habeat Verbum respectu Patris, non quadrat in Patrem intelligere Verbo. Addo retorqueri posse argumentum, quia si *calefacere* importaret necessariò receptionem in agente, non diceretur ignis calefacere per solam actionem; sed intelligere absolutè ita se habet; ergo &c.

212. Objicies 4 Quoties propositio affirmativa ita absolutè profertur, ut ex modo significandi non inducat determinatum sensum, satis est, quod in aliquo sensu verificetur, ut possit absolutè proferri; sed hæc: *Pater intelligit Verbo*: ex modo significandi non inducit determinatum sensum, & est affirmativa; potestq; verificari in aliquo sensu; siquidem verum est, Patrem intelligere Verbo notionaliter, sive effectivè, prout supra diximus; ergo verum erit dicere absolutè: *Pater intelligit Verbo*: & se, & omnia, quæ ipsum Verbum repræsentat Respondeo negando minorem; hæc enim: *Pater intelligit Verbo*: licet sit affirmativa, habet sensum determinatum falsum; siquidem significat, Patrem intelligere Verbo ut formâ intelligendi, quod est falsum, ut patet ex dictis: alioqui dicant hanc: *Pater est intelligens Verbo*: posse etiam verificari, utpotè quæ est idem cum illa, & habet eundem sensum affirmativum.

213. Objicies 5. Hæc: *Pater dicit, seu loquitur Verbo*: est vera; ergo etiam vera erit hæc: *Pater intelligit Verbo.* Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia dicere, aut loqui Verbo, nihil aliud est, quàm producendo Verbum exprimere res dictas, quas Pater verbo exprimit producendo; sicque productio Verbi formaliter est dictio, seu locutio, potestque dici verè, Patrem dicere, seu loqui Verbo: at verò *intelligere* Verbo est, Verbum esse Patri rationem formalem intelligendi, quod dici non potest, cùm Verbum non sit formalis intellectio Patris, sicque non potest verè dici, Patrem intelligere Verbo.

214. Objicies 6 Hæc: *Pater intelligit in Verbo*: est vera; ergo etiam hæc: *Pater intelligit Verbo*: cùm idem valeat. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Pater in primâ solùm dicitur intelligere in Verbo suo tanquam in objecto, & imagine, ac exemplari omnium, & se, & omnia, quæ repræsentat, non tamen dicitur reddi intelligentem: at verò in secunda dicitur reddi intelligentem Verbo, quod est falsum, cùm Verbum non sit forma reddens Patrem formaliter intelligentem, ut diximus.

215. Dices: Pater etiam in se, & in Spiritu Sancto omnia cognoscit; ergo non solùm ea cognoscit in Verbo Respondeo argumentum jam non probare contra conclusionem: licet tamen quoad hoc quælibet Persona Divina sit ratio objectiva cognoscendi, & se, & omnia; id tamen specialiter reperitur in Verbo, quatenùs ex vi suæ processionis est imago expressa ad repræsentandum: qua ratione etiam Beati dicuntur communiter videre in Verbo creaturas.

216. Quæres hîc: Utrùm hæc. *Filius est sapiens sapientiâ genitâ*: sit vera? *P. Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 10. n. 9. & P. Vasq. 1. p. d. 151. cap. 7.* dicunt, hanc propositionem posse accipi in triplici sensu: Primò, si ablativus ille: *sapientiâ genitâ*, denotet ordinem originis, sumaturque veluti efficienter, ac si dicamus: *Filius est sapiens à sapientiâ genitâ*: &

& in hoc sensu est falsa; siquidem Filius non procedit à sapientiâ genitâ, sed ab ingenita, qualis est Pater: in quo sensu etiam Spiritus Sanctus non est Amor cum ordine originis; neque enim verum dices, Spiritum Sanctum amare se ipso cum ordine originis, sivè effectivè suo modo.

217. Secundò sumi potest in eo sensu, in quo ablativus ille: *sapientiâ genitâ*: denotet ordinem causæ veluti formalis, sicut homo dicitur rationalis formaliter suâ differentiâ, in quo sensu est etiam falsa; siquidem Filius non est formaliter sapiens per sapientiam genitam notionalem, sed per essentialem ingenitam; quod idem cum proportione applicandum est Spiritui Sancto.

218. Tertiò sumi potest in eo sensu, in quo denotet ordinem subjecti, & causæ veluti materialis, in quo sensu est vera; efficit enim hunc sensum: *Filius est sapiens se ipso, qui sapientia genita est*: quod est verum; idemque cum proportione dici potest de Spiritu Sancto. Quid autem dicendum sit de hac: *Pater est sapiens sapientiâ ingenitâ*? Aliqui eam admittunt, & quidem in tertio sensu est vera: in secundo autem etiam admitti potest, si *sapientiâ ingenitâ* sumatur pro essentiali, in quo sensu de omnibus Personis verificabitur: non autem si sumatur pro notionali, ut patet ex supra dictis: si tamen sumatur in primo sensu nullo modo est vera, sed semper falsa, ut consideranti patebit.

SECTIO XI.

Vtrùm nomen Imago *sit proprium Filii in Divinis?*

219. DIFFICULTAS 1. Qualisnam sit definitio, ac divisio Imaginis? Dico 1. Imago definitur à Philosopho 6. Topicor. cap. 2. *Id, cujus generatio est per imitationem*: Unde juxta hanc definitionem duo sunt de ratione imaginis: primum quod detur productio: Secundum quod detur similitudo; adeo ut unum sine alio non constituat quidditatem imaginis; & tam productio sit ab eo, cujus est imago, quàm similitudo cum illo, cujus etiam imago est. Cùm autem omne illud, quod fit per imitationem, semper repræsentet prototypon, ad cujus imitationem producitur, indè est quod omnis imago sit suo modo repræsentativa, & inserviat ut medium ad cognitionem sui prototypi.

220. Meliùs tamen in præsenti definitur Imago à Theologis cum de D. Aug. lib. 83. quæst. q. 74 sic: *Imago est perfecta similitudo ad suum prototypum repræsentandum expressa*: Ex qua definitione tres oriuntur conditiones requisitæ ad veram rationem imaginis: Prima, ut sit perfecta similitudo; ut autem talis sit debet esse, non solùm secundùm convenientiam genericam, sed saltem specificam; defectu cujus vermis v. g. qui ab homine procedit non est illius imago.

221. Secunda conditio est, ut verè procedat à suo prototypo, quod innuitur particulâ illâ *expressa*; defectu cujus, etiam in humanis pater non est imago filii, licet ei perfectè sit similis, quia ab eo non procedit. Tertia conditio est, ut hanc repræsentationem habeat ex vi suæ processionis; defectu cujus Heva non fuit imago Adami, licet ei fuerit similis, quia eam similitudinem cum eo non habuit ex vi naturalis modi procedendi ab eo, sed aliundè ex divina Omnipotentia.

222. Advertes tamen primò, prædictam processionem requisitam ad rationem imaginis tripliciter sumi posse: primò *effectivè*, quatenùs unum effectivè procedit ab alio, quæ processio inservit ad rationem imaginis naturalis, in quâ productum per processionem effectivam evadit simile in unitate naturæ cum producente; & sic filius in creatis dicitur imago naturalis patris. Secundò *exemplariter*, sic statua Petri exemplariter ab illo procedit, & producitur; non quidem immediatè, sed mediante ideâ ipsius Petri existente in mente artificis, producta tamen ab ipso Petro ut objecto, mediâ sui specie impressâ; quæ processio inservit ad rationem imaginis artificialis, quatenùs productum prout sic procedit simile prototypo producenti, non quidem quoad naturam, sed quoad figuram. Tertiò sumitur processio *intentionaliter*, sive intellectualiter, & sic procedit species, sive expressa, sive impressa ab objecto, quæ processio inservit ad rationem imaginis intentionalis, quatenùs productum procedit simile repræsentativè prototypo producenti.

223. Advertes secundò, quamlibet ex his processionibus proportionatè sumptam sufficere ad rationem imaginis. Patet, quia tam imago naturalis, quàm artificialis, & intentionalis dicuntur verè imagines; sed unaquæque vendicat suam propriam productionem, & similitudinem; ergo quævis ex his productionibus sufficiens est ad rationem imaginis.

224. Dices cum P. Soar. *lib. 9. de Trinit. cap. 8. num. 8.* de ratione imaginis non est, quod procedat exemplariter ab eo, cujus est imago; siquidem filius in creatis est imago patris, quin ab eo procedat exemplariter. Respondeo primò, nos non asserere, omne illud, quod habet rationem imaginis, debere procedere exemplariter à suo prototypo; sed solùm sufficere ad rationem imaginis, quod aliquid sic procedat exemplariter.

225. Respondeo secundò negando antecedens; credo enim semper ad rationem imaginis intervenire productionem exemplarem; nam cùm imago sit origo per imitationem, quæ sine exemplari esse non potest; solùm enim exemplar imitatur, inde est, quod necessaria sit processio exemplaris ad rationem imaginis. Unde ad probationem dico, filium in creatis etiam procedere exemplariter à patre semel, quod procedit ad illius imitationem; quæ quidem imitatio, licet non intendatur ab immediato agente, intenditur tamen ab ipsa natura, quod satis est ad rationem exemplaris latè sumpti. Contra prædictam tamen definitionem:

226. Oppones 1. Unus ignis ab alio productus non est illius imago; & tamen verè ab eo procedit similis in natura specifica; ergo &c. Respondeo primò cum aliquibus negando majorem: in re enim definitio imaginis videtur igni ab alio producto convenire, sicque habere rationem imaginis illius.

227. Respondeo cum communi, data majori, & minori, negando consequentiam; ratio est, quia (ut aliqui dicunt,) in igne producto non manet aliquid de substantia ignis producentis, quod videtur necessarium ad rationem imaginis. Non placent: Primò, quia hoc requisitum liberè inducitur; neque enim in definitione imaginis reperitur. Secundò, quia in arboribus, & plantis manet aliquid de substantia producentis medio semine; & tamen una arbor, sive planta non dicitur imago alterius. Igitur.

228. Respondeo tertiò negando eandem consequentiam, ratio est, quia ex communi acceptione no-

men *Imago* propriè solùm dicitur de animantibus; sicut etiam nomen *filius*; de aliis verò, præsertim omogeneis, solùm impropriè, & translatitiè. Et hujus ratio est, quia ignis, & arbores habent inter se eandem fermè similitudinem etiam quoad formam externam, & natura in illis solùm intendit conservationem, & non repræsentationem, quod est proprium imaginis: at verò animantia habent specialem quandam similitudinem, secundùm quam specialiter repræsentant parentes, etiam quoad aliqua signa externa; & natura in illis intendit non solùm conservationem, sed etiam repræsentationem, ideoque & filii, & imagines dicuntur eorum, à quibus producuntur.

229. Oppones 2. Dantur veræ imagines, quin à suis prototypis procedant, ut patet: primo in statua Cæsaris v. g. quæ est vera illius imago; & tamen à Cæsare non procedit: Secundò in cognitione, quam habet Angelus de lapide v. g. quæ est vera imago ipsius lapidis; & tamen ab ipso lapide non procedit per speciem à lapide emissam, sed à Deo infusam: Tertiò in Ideis Divinis, quæ sunt imagines creaturarum; & tamen à creaturis non procedunt; ergo &c.

230. Respondeo negando antecedens, ad cujus primam probationem dicimus, statuam Cæsaris procedere à Cæsare, mediante illius specie, quam de illo habet artifex, & à qua dirigitur. Ad secundam dicimus, cognitionem illam Angeli de lapide procedere etiam ab ipso lapide, mediâ ejus specie, quæ licet à Deo infundatur, est tamen species lapidis habens se intentionaliter loco illius, & ejus nomine ad sui cognitionem concurrit. Ad tertiam negamus Ideas Divinas esse imagines creaturarum; sunt enim tantùm similitudines exemplares, ut communiter dicitur.

231. Oppones 3. Dantur veræ imagines absque similitudine specifica; Cognitio enim, species impressa, & figura artificialis sunt veræ imagines; & tamen non habent similitudinem specificam cum suo prototypo, ut per se patet; ergo &c. Respondeo primò cum aliquibus negando antecedens, ad cujus probationem dicunt, prædictam Imaginis definitionem, ejusque explicationem procedere de imagine naturali; non verò intentionali, & artificiali, quales sunt cognitio, species, & figura. Sed contra, quia prædicta definitio competit Imagini, prout præscindit ab omni vera imagine, & ut ab omni est participabilis. Undè:

232. Respondeo secundò negando antecedens, & ejus probationes: cognitio enim, & species impressa habent similitudinem specificam cum suo prototypo, si non in essendo, in repræsentando intentionaliter, quatenùs scilicet intelligibiliter prototypon repræsentant secundùm propriam, & specificam naturam. Similiter figura artificialis etiam est specificè similis suo exemplari artificialiter, id est, secundùm figuram arte inductam, quæ sola ab artifice intenditur. Undè perfecta similitudo imaginis intelligenda est juxta illius divisionem: Pro quo:

233. Dico 2. Imago potest dividi in Naturalem, & Artificialem: Naturalis est, quæ ex natura sua inseparabiliter habet repræsentare suum prototypon, ut filius habet repræsentare patrem: Artificialis est, quæ ope artis repræsentat, ideoque solùm participat rationem imaginis quoad figuram externam contingenter inductam, & à materia separabilem, ut statua Cæsaris Cæsarem figurat, & repræsentat. Deindè Imago naturalis dividi potest in Realem, & intentionalem: Realis est illa, quæ importat similitudinem in natura quoad substantiam, qualis est similitudo hominis filii ad patrem hominem: Intentionalis est illa, quæ importat similitudinem repræsentationis notificantis rem, ut in se est, quo pacto se habet cognitio v. g. respectu objecti, à quo procedit.

234. Notandum tamen est primò, Imaginem naturalem communiter usurpari pro reali; sicque Imaginem solere dividi in Naturalem, prout etiam involvit realem, & in Intentionalem, ac Artificialem. Secundò Imaginem, tam Realem, quàm Intentionalem dici posse Naturalem, prout naturale opponitur artificiali.

SECTIO XII.

Qualiter ratio Imaginis Filio competat in Divinis?

235. Dico 1. Filio in Divinis competit ratio Imaginis. Probatur primò ex illo 2. Cor. 4. *Qui* (id est Christus) *est imago Dei.* Et ad Colos. 1. *Imago Dei invisibilis.* Et Sapient. 7. *Imago bonitatis illius.* Et ad Hebr. 1. *Figura substantiæ ejus.* Et eodem sensu vocatur *character*, *sigillum*, *facies*, *candor lucis æternæ*, *& splendor gloriæ*, quæ nomina apud Patres idem sonant, atque Imago.

236. Probatur secundò ex Sanctis Patribus. D. Greg. Thaumaturg. *in regul. fidei. Deus*, inquit, *de Deo, figura, & imago Deitatis.* Et D. Athan. *Dialog. 2. de Trinit. Filium*, inquit, *esse ipsius Essentiæ imagnem, dixit Apostolus.* Et D. Basil. *lib. 2. contra Eunom.* docet *Imaginem esse consubsistentem cum prototypo.* Et D. Cyril. *lib. 2. Thesaur. cap. 2. Imago*, inquit, *Patris Filius est.* Et D. Amb. *lib. 2. Exameron. cap. 5. Filius*, inquit, *omnia Patris quasi imago exprimit.* Et in his terminis res est de fide: quâ autem ratione id Filio conveniat, nonnullas continet difficultates infrà discutiendas, & decidendas.

237. Dico 2. Ratio imaginis nequit Deo convenire essentialiter, sed tantùm personaliter: seu quod idem est, Ratio imaginis in Deo non est absoluta, & essentialis, sed relativa, & notionalis. Ita *Magist. in 1. dist. 27. q. 5. D. Thom. 1. p. q. 35. art. 1. & 2. & lib. 4. contr. gent. cap. 11. D. Bonav. in 1. dist. 31. p. 2. art. 1. & 2. Scot. in 1. dist. 10. quæst. unica ad 1. Capreol. Caiet. Canar. P. Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 8. & 9. P. Vasq. 1. p. d. 145. P. Ruiz d. 64. de Trinit. sect. 3. n. 1. P. Amicus d. 26. sect. 6. num. 191.* & nemo inter Scholasticos dissentit, uno excepto Durando infrà citando.

238. Probatur ex definitione Imaginis supra traditâ, & explicatâ, quia de ratione Imaginis, ut diximus est, quod procedat ab eo, cujus est imago; sed nulla perfectio absoluta in divinis procedit, aut habet originem ab aliquo, cujus possit esse Imago; siquidem nulla perfectio absoluta in divinis est producibilis; ergo &c.

239. Dices: Aliquando Scriptura, & Sancti Patres tribuunt Essentiæ Divinæ rationem Imaginis; ergo &c. Respondeo Scripturam, & Sanctos Patres, si quando id dicunt, sumere Imaginem pro exemplari, inter quod, & Imaginem hoc datur discrimen, quod exemplar est quidem simile suo exemplarizato, ab eo tamen non procedit, neque habet originem, sed potiùs est illius originativum: at verò Imago, & est similis, & originem habet à suo prototypo. Sit tamen:

Diffi-

240. Difficultas 1. Utrùm ratio Imaginis verè, & propriè competat Filio in Divinis? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. d. 35. Caiet. ibid. D. Bonav. in 1. dist. 31. p. 2. art. 1. q. 1. Capreol. in 1. dist. 27. q. 2. Henricus quodlib. 4. q. 2. P. Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 8. n. 2. P. Amicus d. 26. n. 192. P. Arrub. d. 127. cap. 2. n. 7. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 2. n. 10. P. Vasq. 1. p. d. 145. cap. 2. P. Molin. 1. p. q. 35. art. 1. d. unica*, & alii. Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum locis supra citatis *n. 235. & 236.* & aliis in locis apud Doctores cit. præsertim P. Ruiz.

241. Probatur secundò ratione, quia Filio in Divinis conveniunt omnes conditiones necessariæ ad rationem Imaginis, de quibus supra; siquidem procedit à Patre, habet similitudinem cum Patre, non solùm in specifica, sed etiam in numerica Natura, idque ex vi suæ processionis formaliter; ergo &c. Confirmatur, quia Filius ea ratione est Imago, quâ est Filius; sed est propriissimè, & perfectissimè Filius; ergo & Imago.

242. Oppositum docuit Durand. *in 1. dist. 28. q. 3.* ubi negat in divinis esse propriam, & veram rationem Imaginis, cujus sententiam erroneam, aut temerariam censent Doctores supra citati, pro illa tamen: Objicies 1. Si Filius in Divinis esset propria Imago Patris, aut talis esset ratione Naturæ, aut ratione proprietatis: Non primum, quia Pater, & Filius in Natura non habent similitudinem, sed identitatem: Non secundum; quia proprietas Patris est Paternitas, proprietas Filii est Filiatio; Filiatio autem, & Paternitas non sunt specificè similes, imò potiùs dissimiles; ergo &c.

243. Respondeo cum *P. Soar. P. Vasq. & P. Amico* infrà citandis Filio convenire rationem Imaginis & ratione Essentiæ, & ratione proprietatis; siquidem Imago importat & similitudinem, quæ non potest convenire ratione proprietatis; & processionem, quæ non potest convenire ratione Essentiæ, ut patet. Quid autem principaliùs importet? Videtur dicendum, principaliùs importare Naturam, quia ab ea principaliùs provenit expressio, sive repræsentatio ad rationem Imaginis requisita. Neque obstat, quod habeant identitatem in Natura; satis enim est, quod distinguantur in Personis; siquidem opus non est, quod ratio formalis fundans similitudinem sit ratio distinctionis, ut patet ex supra dictis, & patebit ex infra dicendis.

244. Objicies 2. De ratione Imaginis est, quod procedat ab exemplari præcognito, seu ab Idea existente in mente producentis, sed Filius non procedit ab exemplari præcognito, aut ab Idea aliqua; hoc enim dicit dependentiam exemplarizati ab exemplari; ergo &c. Respondeo primò data majori, negando minorem; Filius enim procedit ab exemplari præcognito, & quasi Idea existente in mente Patris; supponit enim in mente Patris ordine originis, tam Patris, quàm sui ipsius exemplar. Neque indè sequitur, Filium esse factum, aut dependentem; nam sicut processio est, ut à puro principio producente, & non ut à causa per dependentiam; ita est ab exemplari, ut à puro imitabili, non verò ut à causa per dependentiam; neque enim hîc sumitur exemplar prout dicit excessum perfectionis, & majoritatem, sed puram rationem æqualiter imitabilem.

245. Respondeo secundò cum aliquibus negando majorem; neque enim, ut dicunt, ad rationem imaginis naturalis opus est, ut procedat ab exemplari præcognito; hoc enim solùm videtur competere imagini artificiali; aut etiam purè intentionali. Imò etiam imago intentionalis creata, nempè cognitio, non procedit ab exemplari præcognito. Quidquid tamen de hoc sit, re verâ Filius in Divinis procedit ex cognitione sui, & omnium, quæ sunt in Deo, ut infrà dicemus.

246. Objicies 3. Ideò cogeremur admittere, Filium in Divinis habere propriam rationem Imaginis, quia id affirmat Scriptura, & Sancti Patres; sed etiam homo in Scripturis appellatur Imago Dei, ut constat Gen. 1. Ecclesiast. 17. & 1. Cor. 11. quin ideò dicatur propriè Imago Dei; ergo &c. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia Sancti Patres, & Ecclesia intelligunt loca Scripturæ respectu Filii in Divinis de vera, & propria ratione Imaginis; non ita verò respectu hominis. Secundò, quia respectu hominis datur ex opposito evidens ratio, & absurdum; non ita respectu Filii in Divinis. Tertiò, quia in Scripturis homo potiùs dici solet factus ad imaginem Dei, quàm Imago Dei, ut significetur imperfectio motûs tendentis, & nunquam attingentis perfectam rationem imaginis: at verò Filius in Divinis dicitur absolutè Imago Dei Patris.

247. Objicies 4. Si Filio in Divinis conveniret propria ratio Imaginis, ei ita conveniret ratione Intellectionis; siquidem de ratione Imaginis est manifestare imaginatum, illud repræsentando; sola autem Intellectio repræsentat, & exprimit; sed non ei ita convenit; siquidem de ratione etiam Imaginis est procedere à suo prototypo; Intellectio autem in Deo à nullo procedit; ergo &c. Respondeo rationem Imaginis convenire Filio in Divinis ratione Intellectionis, non essentialis, sed notionalis, ut constabit ex statim dicendis.

248. Difficultas 2. Utrùm Imago conveniat Filio ratione proprietatis Personalis: an ratione Essentiæ communis? Triplex est in hac re sententia: Prima asserit rationem Imaginis convenire Filio in Divinis ratione solius proprietatis personalis. Ita *D. Bonav. in 1. dist. 31. p. 2. art. 1. q. 1. & 2. Aureol. dist. 27. p. 2. art. 3.* & alii. Secunda sententia docet, rationem Imaginis convenire Filio ratione solius Essentiæ, connotatâ tantùm proprietate personali. Ita *Alens. 1. p. q. 61. memb. 2. art. 1. & 2. D. Thom. in 1. dist. 28. q. 2. art. 2. Zumel. 1. p. q. 35.* & videtur esse *P. Granad. 1. p. tract. 9. d. 11. sect. 3.*

249. Tertia sententia, quam ut probabiliorem tenendam judicamus, affirmat, rationem Imaginis convenire Filio in Divinis ratione utriusque tam Essentiæ communis, quàm proprietatis personalis. Ita *P. Soar. lib. 9. de Trinit cap. 8. num. 5. P. Vasq. 1. p. d. 145. cap. 5. num. 15. P. Amicus d. 26. sect. 7. num. 211. P. Arrub. d. 127. cap. 4. num. 25. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 2. n. 23. P. Præposit. 1. p. q. 35. dub. unico. P. Arriaga 1. p. d. 52. sect. 3. n. 18. P. Compton. tom. 1. d. 64. sect. 3. num. 1.* & alii. Probatur, quia ad rationem Imaginis, ut patet ex supra dictis de ejus definitione, requiritur, & ut sit similis suo prototypo, & ut ab eo producatur; sed Filius in Divinis habet, quod sit similis Patri ratione Essentiæ, & quod ab eo procedat, ratione proprietaris personalis; siquidem Filius ratione Relationis dicitur productus, & non similis, imò dissimilis Patri; & ratione Essentiæ dicitur similis, & non productus, imò improductus; ergo ratione utriusque & Essentiæ, & personalitatis dicitur Imago Patris.

250. Confirmatur, quia ad Hebr. 1. 3. dicitur Filius: *Figura substantiæ ejus.* Et in Concil. Antiochen. appella-

appellatur: *Imago Divinitatis, Essentiæ, virtutis, & gloriæ.* Et D. Cyril. Epist. 10. approbatâ in Concil. Ephesin. *Propter eandem,* inquit, *quam cum illo habet Essentiam, & imago, & character, & splendor est gloriæ ejus.* Ex quibus locis satis constat, Filium dici imaginem Patris, quia cum illo habet eandem Essentiam, ratione cujus habet cum illo similitudinem. Deindè ex D. Anselm. in Monolog. cap. 37. *Verbum,* inquit, *hoc ipso, quod Verbum est, aut imago, ad alterum est, quia non nisi alicujus verbum est, aut Imago:* Ex quo constat ad rationem Imaginis necessariam esse proprietatem personalem, sive relationem, secundùm quam Filius est à Patre, & ad Patrem; ergo &c.

251. Objicies 1. pro prima sententia: Imago est objectiva apparentia rei, ad id vi suæ originis ordinata; siquidem quidquid facit aliud sic apparere, est illius Imago; sed Verbum Divinum ratione solius personalis proprietatis est objectiva apparentia Patris, ad id ex vi suæ originis producta; siquidem ratione illius perfectionis est talis apparentia, ratione cujus distinguitur ab Spiritu Sancto; ab eo autem distinguitur, non ratione Essentiæ communis, sed proprietatis personalis; ergo &c.

252. Resp. 1. argumentum, si probat, solùm probare de imagine artificiali, & intentionali, nõ autem naturali, qualis est Filius respectu Patris; hęc enim cõsistit in cõvenientia ejusdem naturæ cum imaginato, ut patet in creatis, ubi filius est imago patris, quem in se ipso per ejusdem naturæ specificæ unitatem refert, ac repræsentat. Respondeo secundò negando minorem, falsum enim est Verbum Divinum esse objectivam apparentiam Patris ratione solius proprietatis personalis; siquidem talis est, tum ratione ejusdem numero Naturæ, tum ratione similitudinis intentionalis, ratione cujus Patrem in se ipso intelligibiliter repræsentat, & exprimit; exprimit autem ratione notitiæ cõmunis. Unde ad probationem dicimus, Verbum esse apparentiam objectivam Patris per aliquam perfectionem distinctam ab Spiritu Sancto, quatenùs ipsa objectiva apparentia Patris completur, non solùm per notitiam communem, sed etiam per proprietatem personalem, per quam distinguitur ab Spiritu Sancto.

253. Objicies 2. Res in esse objectivo apparenti non est imago rei existentis in se ipsa, ratione alicujus absoluti; siquidem prout sic non est aliud à re in se ipsa existente; neque enim rosa, quę lucet in mente, est alia à rosâ in se ipsâ existente, sed solùm talis est ratione objectivæ apparentiæ; sed Verbum ratione essentiæ absolutæ nõ est aliud à Patre; ergo prout sic non est illius Imago, sed ratione solius apparentiæ objectivæ, qualis est proprietas personalis, quam habet ex vi suæ specialis processionis. Resp. negando majorem, ejusque probationem; nam verbum creatum est repræsentativum rei *ad extra* formaliter per aliquid absolutum, nempè per ipsam qualitatem absolutam à potentia, & objecto productam. Deindè falsum est, rem, quæ lucet in mente, esse eandem cum re in se ipsa existente, cùm in nobis realiter distinguatur, tanquam verbum mentis, in quo relucet res *ad extra* in suo esse intentionali, à re ipsa in propria natura existente: licet in Deo cognitio repræsentans, & objectum repræsentatum sit idem, quia idem sunt in Deo ratio cognoscendi, & cognitum.

254. Objicies 3. D. Aug. *lib. 5. de Trinit. cap. 13.* docet Verbum eodem modo relativè dici Imaginem, quo Filium; sed dicitur relativè Filius ratione solius proprietatis personalis; ergo & Imago. Respondeo ex D. Aug. solùm sequi, imaginem includere etiam relationem producti ad prototypon producentem, eamque esse eandem cum relatione Filii ad Patrem, quod concedimus; non tamen quod eodem modo importetur ab Imagine, atque à Filio; ad hoc enim principaliùs importatur Relatio, Essentia autem minùs principaliter: at verò ab Imagine principaliùs importatur Essentia, ratione cujus est expressiva, & imitativa sui prototypi; minùs verò principaliter relatio ipsa producti ad producens. Undè argumentum solùm probat, Filium, & Imaginem referri ad Patrem, & ad prototypum eâdem relatione, non tamen eodem modo.

255. Hinc colliges, licet ratio Imaginis conveniat Filio ratione utriuq; tam Essentiæ, quàm proprietatis personalis, dicere tamen principaliùs Essentiã; proprietatem verò personalem minùs principaliter. Patet primò ex supra dictis *num. 175.* ubi egimus de Verbo; in illo enim, & in Imagine eadem pænè est ratio. Secundò, quia Imago id principaliùs importat, in quo cum imaginato convenit; sed cum eo convenit in unitate, & convenientia naturæ, aut externæ speciei; ergo &c. Tertiò, quia Imago dicitur ab *imitando*; sed imitatur suum prototypum in natura, aut figura externa, ut *illud* in se ipsa referat, & exprimat, quoad fieri potest; ergo &c.

256. Objicies 4. pro secunda sententia: Imago dicit similitudinem ad suum prototypum, ut patet ex definitione Imaginis, de qua supra; sed Verbum dicit similitudinem ad Patrem ratione Essentiæ, non autem proprietatis personalis; in hac enim potiùs opponitur, & dissimilatur, quàm assimilatur Patri; ergo &c. Respondeo argumentum solùm probare, rationem imaginis convenire Verbo ratione Essentiæ, non tamen solius Essentiæ adæquatè; hoc enim etiam habet ratione proprietatis personalis, ob rationem supra factam.

257. Difficultas 3. Qualis nam Imago *Patris sit Filius?* Dico 1. Filius non est Patris Imago artificialis. Est certa apud omnes. Probatur primò, quia artefacta solùm illa vocantur, quæ ad materiam externam pertinent; ideòque neque res spirituales, ut Angelus; neque actus interni, etiam si ab aliqua scientia dirigantur, dicuntur artificiales, neque ipsa scientia sic dirigens dicitur propriè ars; sed in Deo nulla à fortiori datur materia externa; ergo &c.

258. Probatur secundò, quia illud dicitur artificiale, quod habet artificium aliquod superadditũ rei, seu compositio naturali; ex quo fit, ut simplex medicamentum dicatur naturale, & non artificiale; medicamentum autem, quod ex aliqua commixtione resultat, dicatur artificiale; sed hujusmodi artificium non datur in Deo; ergo neque ratio Imaginis artificialis.

259. Probatur tertiò, quia quod est artificiale procedit ab arte media voluntate, sive liberè, sive necessariò concurrente; non autem per modum puræ naturæ; nam quæ sic procedunt per modum naturæ, ut ab ipsa etiam arte procedunt habitus, & species, non sunt artefacta, sed naturalia; atqui in Deo nihil datur quod sic procedat ab arte; ergo neque Imago artificialis. Dixi *media voluntate, sive liberè, sive necessariò concurrente*, quia si quis artifex esset necessitatus ad exequenda ea, quæ ars ei dictaret: quæstio esset de nomine, an talis effectus dicendus esset artificialis.

260. Dico 2. Filius in Divinis est naturalis realis Imago Patris. Probatur, quia Filius ex vi suæ processionis formaliter accipit eandem naturam, non solùm specificam;

specificam, sed etiam individuam, quæ consistit in Intellectione Divina, ut alibi diximus, quam habet Pater, & quem naturaliter realiter imitatur juxta illud Joan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum*; ergo &c.

261. Dices: Filius accipit eandem numero Naturam cum Patre; sed ubi Natura est eadem non datur Imago, sed identitas; ergo &c. Respondeo negando minorem; identitas enim Naturæ non tollit rationem Imaginis, ut patet ex dictis, imò potiùs illam perfectissimam constituit. Patet, quia cùm ad rationem Imaginis requiratur convenientia in natura, ut patet ex supra dictis, quò major, & perfectior fuerit hæc convenientia cum prototypo, eò major, sive perfectior erit ratio Imaginis: sed non potest esse major, neque perfectior convenientia, quàm quæ est per identitatem formæ, à qua provenit similitudo; hanc autem habet Filius cum Patre in Divinis, licet alioqui requiratur distinctio, & processio, quæ satis est quod proveniat à proprietate personali, ut diximus; ergo &c.

262. Dico 3. Filius in Divinis est etiam intentionalis Imago Patris. Ita *P. Arriaga 1. p. d. 52 sect. 3. n. 16. P. Martin. d. 29. sect. 3. n. 16.* & alii. Probatur, quia Filius in divinis ex vi suæ processionis, non solùm est repræsentativus, ut Filius, quod spectat ad Imaginem naturalem realem, sed etiam ut Verbum, quod spectat ad intentionalem repræsentationem; atqui secundùm utramque repræsentationem procedit realiter à Patre; siquidem non solùm procedit ut Deus formaliter, sed etiam ut perfectissima cognitio; ergo &c.

263. Dices 1. De ratione Imaginis intentionalis est, quod procedat à suo prototypo concurrente per modum objecti, aut per se immediatè, aut per speciem; sed concursus, quo Filius à Patre procedit, non est concursus per modum objecti, sed Naturæ; ergo &c. Respondeo de ratione Imaginis intentionalis esse, quod procedat à suo prototypo concurrente per modum objecti terminativè, & per modum principii productivè; concursus enim objecti per modum principii, sive per se immediatè, sive per speciem, non est minùs physicus, & realis, quàm quilibet alius concursus: concursus autem, quo Filius à Patre procedit, non solùm est per modum objecti terminativè, sed etiam per modum principii productivè; siquidem non solùm procedit ut Filius, sed etiam ut Verbum; eadem enim Natura, quæ est primarium objectum Verbi, est etiam ejus principium formale *quo*, non solùm ut est perfectissima Natura, sed ut est species intelligibilis, seu potiùs perfectissima intelligentia omnium intelligibilium; sicque Verbum ut Imago intentionalis procedit à Patre.

264. Instabis: Pater in ratione objecti solùm se habet ut terminus cognitus cognitione essentiali, quæ per productionem realem solius proprietatis communicatur Filio; sed Spiritus Sanctus, imò & creaturæ, hac eadem ratione sunt termini cogniti, quin tamen Verbum sit eorum Imago intentionalis, ergo neque talis erit respectu Patris. Respondeo Patrem in ratione objecti solùm se habere ut terminum cognitum respectu cognitionis essentialis: at verò respectu Verbi includentis ipsam cognitionem, etiam se habere ut principium productivum, ut diximus; hoc autem non reperitur, neque in Spiritu Sancto, neque in creaturis; siquidem ita habent rationem termini cogniti, ut non habeant rationem principii productivi respectu Verbi.

265. Dices 2. Cognitio, quam Angelus habet de re materiali, licet sit illius repræsentatio expressa, non tamen est illius imago intentionalis; ergo licet Filius in Divinis sit realis naturalis Imago Patris, non tamen erit illius Imago intentionalis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia cognitio Angeli de re materiali, licet sit illius repræsentatio expressa, ab illa tamen non procedit, neque per se immediatè, neque mediante aliquâ specie ab ipso objecto emissâ, sed per speciem à Deo infusam: at verò Filius in Divinis, non solùm procedit ut repræsentativus Patris, tanquam Filius, sicque ut illius Imago realis naturalis, sed etiam ut Verbum, sicque ut illius Imago intentionalis. Undè:

266. Notabis hîc, Imaginem naturalem realem in Filio, & intentionalem à parte rei, tam realiter, quàm virtualiter coincidere; siquidem prout sic eadem est cognitio, & Natura Dei: at verò quoad nos distingui secundùm diversas expressiones; sicut proportione habitâ diximus supra de Verbo, & Filio. Patet, quia præscindendo à cognitione, & Natura Divina, neque omnis cognitio est natura, neq; omnis natura est cognitio, ut cernitur in cognitione, & natura creata; neque enim illa est natura, neque hæc est cognitio.

SECTIO XIII.

Vtrùm solus Filius, & solius Patris sit Imago?

267. DIFFICULTAS 1. Utrùm solus Filius vere, & propriè sit Imago? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 35. a. 2. D. Bonav. in 1. dist. 31. p. 2. art. 1. q. 2. Richard. Victor. lib. 6. de Trinit. cap. 19. Rupert. lib. 2. de Trinit. cap. 2. D. Athan. in decret. Synod. D. Chrysost. hom. 74. in Joan. D. Basil. hom. 27. D. Nazian. in Apologet. D. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 2. D. Anselm. in Monolog. cap. 37.* quos citat & sequitur *P. Arrub. d. 127. cap. 2. n. 9.* tenent etiam *P. Vasq. 1. p. d. 145. cap. 2. P. Molin. 1. p. q. 35. a. 2. d. unica. P. Amicus d. 26. sect. 6. n. 192. P. Arriaga 1. p. d. 52. sect. 3. num. 18. P. Ruiz d. 64. de Trinit. sect. 4. n. 1. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 2. n. 24. P. Præpos. 1. p. q. 35. a. 2. dub. unic. n. 4. P. Compton. tom. 1. d. 64. sect. 2. num. 2.* & alii.

268. Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, & in primis ex Epist. ad Rom. 8. ibi: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri Imaginis Filii sui.* Et 2. Cor. 4. *Qui*, nempè Christus, *est imago Dei.* Et ad Coloss. 1. *Qui est imago Dei invisibilis.* Et ad Heb. 1. *Figura substantiæ ejus.* Et Sapient. 7. *Imago bonitatis illius.* Et sæpè alibi. Et ex D. Athan ubi proximè. *Quod si eum*, inquit, *Imaginem nomines, Filium hoc ipso eum esse indicaveris.* Et D. Cyril. Alex. lib. 3. cap. 1. *Propter hoc*, inquit, *Filius Verbum, & Imago Dei est, quia ex ipso Patre verè ac propriè genitus est.* Hoc idem habent *D. Gregor. Nyssen. lib. de differen. Essent. Concil. Ephesin. in Confess. fidei. Theodoret. Origen. D. Ambr. D. Hilar.* & alii Patres apud *P. Ruiz. cit.*

269. Probatur secundò ratione, quia Imago propriè dicta, ut patet ex illius definitione, de qua supra, est similitudo ad repræsentandum procedens à suo prototypo; sed solus Filius est similitudo ad repræsentandum procedens à suo prototypo; siquidem solus Filius est Verbum ex vi suæ processionis formaliter

maliter procedens ut simile in Natura, perfectèque repræsentans suum prototypum, nempè Patrem; ergo solus Filius est Imago.

270. Confirmatur primò, quia solus Filius est propriè Filius, & verbum; sed ea ratione, qua est Filius, est Imago naturalis, & ea ratione, quâ est verbum, est Imago intentionalis; ergo solus Filius est Imago. Secundò, quia si Spiritus Sanctus esset etiam Imago, aut esset Imago artificialis: aut intentionalis: aut naturalis; cùm alia non appareat: Non primum, quia non est artefactum: Non secundum; quia non est verbum, aut terminus per Intellectum productus: Non tertium: tùm quia non procedit per se primò similis in Natura, sed in Amore: tùm etiam, quia si esset Imago naturalis, nulla videtur esse ratio, cur etiam non sit Filius, quod tamen est erroneum.

271. Argues 1. pro Durand. *in 1. dist. 28. q. 3. art. 3.* Aliqui Sancti Patres appellant Spiritum Sanctum Imaginem Patris, & Filii; sic enim habet D. Greg. Thaumaturg. *in regul. fidei: Spiritus Sanctus*, inquit, *Imago Filii perfecta perfecti.* Et D. Athan. *in Epist. 1. 3. & 4. ad Serapionem*: ibi: *Est*, inquit, *ipse Spiritus Imago Filii.* Et D. Basil. *lib. 5. contr. Eunom. cap. 6. Christus*, ait, *est Imago invisibilis Dei*; *Imago verò Filii Spiritus.* Et D. Cyril. Alex. *lib. 13. Thesaur. cap. 1. Deus igitur verus*, inquit, *Spiritus Sanctus est, quoniam Filii Dei, qui est verus Deus, Imago perfectissima est.* Et D. Damascen. *lib. 1. fidei cap. 18. Imago Patris*, ait, *est Filius, & Filii Spiritus Sanctus.* Idem habent *D. Epiphan. hæres. 76. D. Amb. lib. 1. de Spirit. Sanct. cap. 6. D. Chrysost. 2. Cor. 1. hom. 3.* & alii; ergo &c. Respondeo hos Patres, (& si qui sunt similes.) minùs propriè uti nomine *Imago* erga Spiritum Sanctum, illud sumentes pro perfecta similitudine, ut ostenderent, omnes tres Divinas Personas esse Deum æqualiter, & habere eandem Naturam contra hæreticorum errores, de quibus supra.

272. Argues 2. Omnes conditiones requisitæ ad rationem veræ Imaginis, de quibus supra, conveniunt Spiritui Sancto; siquidem est realiter similis Patri, & Filio ob eandem Naturam, quam cum illis habet; ab eis realiter procedit; & ex vi suæ processionis habet, quod eis sit similis; ergo &c. Respondeo Spiritum Sanctum esse realiter similem Patri, & Filio, & ab eis realiter, procedere similem ex vi suæ processionis, materialiter tamen, non verò ex vi suæ processionis formaliter, seu ex primaria intentione talis processionis, quod sicut ad rationem Filii, ita ad rationem Imaginis requiritur, ut diximus.

273. Argues 3. Negari non potest, quod Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis formaliter accipiat Amorem, ratione cujus Pater, & Filius sunt unus Spirator; sicque eâdem unitate, seu similitudine Amoris repræsentat principium spirativum, eo modo, quo Verbum eadem unitate, & similitudine cognitionis repræsentat principium generativum; sed Verbum prout sic est vera Imago Patris; ergo etiam sic erit Spiritus Sanctus respectu Patris, & Filii.

274. Respondeo argumentum solùm probare, Spiritum Sanctum ex vi suæ processionis non esse minùs similem principio spirativo, quàm sit Filius principio generativo; non tamen æquè esse Imaginem; siquidem ad rationem Imaginis non satis est similitudo, & processio, ut patet in uno igne, vel calore ab alio igne, vel calore producto, in quibus datur similitudo, & processio, non tamen ratio Imaginis propriè. Et hujus ratio à priori est, quia omnis Imago est ad repræsentandum expressa, quæ, si est naturalis, dicit repræsentationem prototypi viventis cognoscitivi secundùm naturam: si intentionalis, secundùm cognitionem: si verò artificialis, secundùm figuram: at verò virtus spirativa formaliter, neque est Natura, neque cognitio, neque figura, sed habet se per modum impulsûs, ut per se patet, & supra diximus.

Argues 4. Filius in quantùm est Imago Patris, 275. appellari solet *character*, & *sigillum* Patris, sive Dei; sed etiam Spiritus Sanctus sic vocatur à Sanctis Patribus, ut vocatur à D. Athan. *Epist. ad Serapionem: Ipse Spiritus*, inquit, *sigillum, & unguentum est, in quo omnia inungit, & signat verbum*; ergo &c. Respondeo nomen *sigillum* (idemque de nomine *character*) esse analogum, quod primariò sumitur pro Imagine expressa, & producta, qualis est Filius respectu Patris: secundariò autem per analogiâ accipitur pro causa efficiente, & imprimente signaculum & imaginem, quâ res aliquâ cognoscatur, & sic accipitur pro Spiritu Sancto, quatenùs ut causa efficiens imprimit in hominibus characterem, & sigillum Christi per gratiam, utpotè cui specialiter appropriatur sanctificatio. Addo cum *P. Ruiz. cit. sect. 6. n. 15.* aliquando vocari *sigillum*, eo quod sit postrema Persona, claudens numerum Trinitatis; quo sensu vocatur etiam complementum.

Argues 5. Filius, quia est Imago Patris, in qua 276. cernitur ipse Pater, appellatur *facies* Patris; sed eadem appellatio tribuitur Spiritui Sancto, ut patet ex illo Psal. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam*: ad quæ verba D. Cyril. *lib. 13. Thesaur. cap. 2. Spiritum Sanctum faciem Patris appellat, quoniam ostendit ipsam Essentiam Dei*; ergo &c. Respondeo nomen *facies*, licet per metaphoram Deo tribuatur, aptiùs tamen quadrare in Filium, quàm in Spiritum Sanctum, cui etiam cum aliqua similitudine tribui potest, quatenùs, *sicut facies ducit* in cognitionem hominis, ita Spiritus Sanctus nos ducit in cognitionem Dei juxta illud Joan. 14. *Ille vos docebit omnia.*

Difficultas 2. Utrùm Filius in Divinis solus Pa- 277. tris sit Imago? Affirmativè. Ita cum communi Doctores supra cit. Probatur, quia Imago illius tantùm dicitur Imago, à quo ut à prototypo procedit; sed Filius in Divinis à solo Patre procedit, ut est de fide, & constat ex sæpè dictis; ergo &c. Hinc patet Filium neque Essentiæ, neque sui ipsius, neque Spiritus Sancti, neque creaturarum esse, aut dici posse Imaginem.

Objicies 1. ex illo ad Hebr. 1. ibi: *Qui cùm sit* 278. *Splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*: ubi videtur significari, Filium esse Imaginem Essentiæ, & substantiæ Patris; ergo &c. Respondeo, sensum locutionis illius esse, ut Filius sit figura, sive Imago subsantiæ, id est consubstantialis, & secundùm eandem Naturam; non autem purè intentionalis.

Objicies 2. Filius in Divinis non solùm est Ver- 279. bum Patris, sed etiam Essentiæ, sui, Spiritûs Sancti, & creaturarum, ut supra diximus; ergo etiam Imago. Respondeo Filium esse Verbum solius Patris, ut dicentis, quamvis Essentiæ, sui, Spiritus Sancti, & creaturarum sit etiam, ut dictorum, Verbum: cùm autem à solo dicente, qualis est solus Pater, procedat, quod necessarium est ad rationem Imaginis, ideò solius Patris est Imago.

Inferes: Ergo saltem erit Imago intentionalis 280. Essentiæ, sui, Spiritûs Sancti, & creaturarum: tùm

tùm quia ombium est similitudo intentionalis: tùm etiam quia ab illis intentionaliter, seu intelligibiliter procedit. Respondeo negando illationem: tùm quia respectu Essentiæ, & sui non est similitudo; hæc enim importat distinctionem: tùm etiam, quia licet sit similitudo Spiritûs Sancti, & creaturarum, non tamen est eorum Imago, quia ulterius requiritur processio; ab illis autem non procedit. Neque etiam verum est, quod Filius procedat ab Essentia, à se, ab Spiritu Sancto, aut creaturis, etiam intentionaliter; siquidem totus concursus, tam realis, quàm intentionalis tribuitur Patri *ut quod*, ratione quidem Essentiæ,
281. quæ est ratio formalis *ut quo*.

Instabis: Essentia Divina concurrit loco omnium objectorum; sed hoc satis est, ut verbum dicatur procedere ab objectis intentionaliter; ergo &c. Respondeo negando majorem; neque enim Essentia concurrit nomine alterius, sed proprio; prout scilicet in se, & ex se habet, quod sit omnium intelligibilium virtus: cætera autem solùm se habent terminativè in ratione objecti.

282. Infers: Ergo Filius neque respectu Patris erit Imago intentionalis; siquidè Pater in ratione dicti, solùm se habet terminativè. Respondeo negando illationem: Pater enim cùm in ratione Essentiæ formaliter non solùm habeat, quod sit producens realiter, ut Pater, sed etiam quod sit producens intentionaliter, ut objectum, coincidit ratio Imaginis realis cum ratione Imaginis intentionalis, ut supra diximus, sicque Filius respectu Patris, non solùm est Imago realis naturalis, sed etiam intentionalis.

SECTIO XIV.

Ex quarum rerum cognitione formaliter procedat Verbum Divinum?

283. Quod Verbum Divinum procedat ex cognitione Divina ut ex formali, & specifico principio, ideoque sit Verbum, satis cōstat ex sepè dictis. Cùm tamen Cognitio Divina, utpotè comprehensiva, se extendat ad omne cognoscibile, sicque ad omne, quod est formaliter, & eminenter in Deo; sive ad omne ens divinum, & creatum: quæstio satis controversa est inter Doctores Scholasticos: Utrùm Verbum Divinum ex horum omnium cognitione formaliter, & per se procedat: an potiùs ab aliquorum cognitione per se formaliter procedat; ab aliorum autem cognitione solùm materialiter, & concomitanter?

284. Advertes primò, hîc in præsenti *per se formaliter* procedere, idem esse, atque ita procedere, ut si à tali cognitione non procederet, aut nullo modo procederet; aut non cum tantâ perfectione, quantâ modò procedit Verbum: procedere autem *materialiter*, *& concomitanter*, idem esse, atque ita procedere, ut talis cognitio habeat se tantùm materialiter, concomitanter, & per accidens ad totam perfectionem Verbi. Aliis terminis significari solet, ita ut procedere formaliter ex cognitione alicujus objecti, sit procedere ab ea cognitione, ut est cognitio talis objecti: procedere autem concomitanter, sit procedere ex cognitione, quæ est de tali objecto; non tamen ut est de tali objecto.

285. Advertes secundò, quatuor esse, quæ per modum objecti terminant Scientiam, sive Cognitionem Patris, ex cujus Notitia gignitur Verbum; nempè Essentia Divina, ejusque Attributa; Personalitates; creaturæ possibiles; & futura contingentia, sive absoluta, sive conditionata, de quibus omnibus excitatur difficultas. Advertes tertiò, manifestum esse, Verbum Divinum procedere formaliter ex cognitione, quæ est de omnibus, etiam liberis, & contingentibus; solùmque esse dubium: utrùm procedat formaliter ex ea cognitione, ut est de omnibus? In hac sectione disputabimus: An Verbum Divinum procedat formaliter ex cognitione eorum, quæ sunt in Deo, sive absoluta, sive Relativa: in sequenti autem, An procedat formaliter ex cognitione creaturarum, sive possibilium, sive futurarum, & existentium: Sit igitur:

286. Difficultas 1. Utrùm Verbum Divinum procedat per se formaliter ex cognitione omnium absolutorum, quæ sunt in Deo, id est, Essentiæ, & Attributorum? Affirmativè. Ita cum *D. Thom. Scot. & aliis* tenent ut certum *P. Soar. lib. 9. cap. 4. n. 1. P. Vasq. 1. p. d. 142. cap 3. P. Ruiz d. 61. de Trinit. sect. 1. n. 4; P. Amicus d. 26. sect. 2. num. 87. P. Arriaga 1. p. d. 52. sect. 4. n. 21.* & alii infrà citandi. Probatur prima pars primò, quia cùm Verbum Divinum procedat formaliter per cognitionem, talis cognitio alicujus objecti debet esse cognitio perfectissima; sed hujus cognitionis objectum est maximè Essentia Divina; siquidem in omnium sententia est objectum formale Intellectionis Divinæ, ei tribuens specificam rationem; consequenterque vim productivam nostro modo intelligendi; ergo &c.

287. Probatur secundò, quia Essentia Divina est illud, in quo Verbum assimilatur Patri, secundùm formalissimam rationem Verbi; sed non ei assimilatur in Essentia, nisi quatenùs est Imago producta per Intellectionem perfectissimam Essentiæ; ex eo enim provenit, quod sit conceptus Essentiam perfectissimè repræsentans; ergo &c.

288. Probatur tertiò, quia Verbum procedit formaliter per actum intelligendi Dei; ergo per illum actum ut terminatum ad objectum primarium, sine quo intelligi non potest; sed objectum primarium illius actûs est ipsa Divinitas; siquidem sicut ille actus est ipsum intelligere per essentiam, ita ipsa Divinitas est per se primò intelligibilis per essentiam; ergo ipsa Divinitas est objectum primarium illius actûs; consequenterque Verbum Divinum procedit formaliter ex cognitione Divinitatis.

289. Probatur secunda pars primò, quia Verbum Divinum debet formaliter procedere ex cognitione perfectissima, & comprehensiva Essentiæ Divinæ, prout hæc est objectum primarium Cognitionis; sed non ita procederet, nisi procederet ex cognitione Essentiæ, & Attributorum; siquidem omnia absoluta, sive sint de essentia Deitatis, sive sint illius passiones quoad nos, pertinent ad objectum primarium cognitionis Divinæ comprehensivæ, sine quorum cognitione adæquata non esset Deus perfectè beatus; ergo &c. Confirmatur primò, quia Verbum Divinum debet procedere ex Cognitione Essentiæ, ut in se est; sed Attributa sunt perfectiones constituentes Essentiam, ut in se est, etiam virtualiter; ergo &c. Secundò, quia nulla assignabitur ratio in contrarium, quæ oppositum suadeat; ergo &c.

290. Probatur secundò, quia Pater gignendo dedit Filio omnes suas perfectiones, præter esse Patrem, ut supra diximus cum Sanctis Patribus;

sed hujusmodi sunt omnia Attributa; ergo omnia gignendo dedit Filio; sed non aliter dat, nisi quatenùs intelligendo producit expressam Imaginem, & conceptum perfectionis intellectæ; ergo ad ea communicanda necessariò requiritur intellectio perfectissima omnium Attributorum; consequenterque ex illa procedit formaliter Verbum.

291. Notabis primò cum *P. Vasq. cit.* hanc resolutionem veram esse, etiam in Sententia Scoti distinguentis Attributa Divina ab Essentia formaliter à parte rei; siquidem adhuc prout sic uniuntur in unâ, eâdemque cognitione paternâ constituendo per se objectum adæquatum perfectissimæ cognitionis, qualis debet esse illa, ex qua formaliter procedit Verbum Divinum.

292. Secundò, similiter esse veram in quacunque sententia de constitutivo Naturæ Divinæ; nam sive Natura Divina consistat in Intellectivo radicali, sive in Rationali divino, sive in Aseitate, sive in alio prædicato, semper Natura ipsa, & Attributa constituunt unum, & idem objectum primarium. Tertiò in nostra sententia, (de qua alibi in Metaphysica,) asserente, Essentiam Divinam consistere metaphysicè in Aseitate; physicè autem virtualiter in Intellectione actuali, prout distinguitur virtualiter à volitione, Verbum Divinum formaliter procedere à cognitione tùm Intellectionis, tùm volitionis. Adhuc tamen contra conclusionem:

293. Oppones 1. Aliqua absoluta sunt contingentia, ut scientia, & volitio libera; sed Verbum Divinum, cùm sit maximè necessarium, non potest procedere formaliter ex cognitione contingentium; ergo &c. Respondeo negando majorem de prædicatis absolutis divinis secundùm suum esse intrinsecum; quidquid sit de terminatione ad extrinsecum, de qua infrà.

294. Oppones 2. Verbum Divinum procedit formaliter ex cognitione objecti primarii; sed sola Essentia est objectum primarium cognitionis Divinæ; siquidem illud est objectum primarium, quod est ratio motiva cognoscendi secundarium; Essentia autem est ratio cognoscendi Attributa; ergo &c. Respondeo data majori, de qua infrà, distinguendo minorem: sola Essentia est objectum primarium cognitionis Divinæ, prout nomine Essentiæ intelligitur quidquid abstrahit à relativis; trâseat minor: prout intelligitur, quod abstrahit ab Attributis absolutis; nego minorem: nam omne absolutum per se cognoscitur in re, licet quoad nos possit Essentia concipi formaliter ut ratio motiva cognoscendi Attributa.

295. Oppones 3. Verbum Divinum procedit formaliter, & per se à sola Natura; sicut Spiritus Sanctus formaliter, & per se procedit à solo Amore; sed cognitio Naturæ supponit ipsam Naturam, tanquam objectum; ergo id, à quo Verbum procedit formaliter, non est cognitio Naturæ, sive Essentiæ, sed ipsa Natura, quam præsupponit. Respondeo concessâ majore, sumpto nomine *Natura* pro sola cognitione divina; & negando minorem: sola enim cognitio, quæ ab objecto specificatur, procedit, & dependet, qualis est creata, ipsum objectum propriè supponit: cognitio autem, quæ à se habet, quod sit perfectissima cognitio, qualis est divina, simul, ac semel est objectum, & cognitio sui ipsius. Undè Essentia, seu Natura Dei formaliter sumpta est ipsum intelligere, tam sui ipsius, quàm reliquorum omnium absque ulla præsuppositione objecti. Addo, prioritatem in ratione objecti non tollere prioritatem in ratione Naturæ, cùm sint in diverso genere. Sed de hoc infrà.

Instabis: Cognitio Divina, ut est cogni- 296.
tio sui ipsius, est cognitio reflexa; sed Verbum Divinum non procedit ex cognitione reflexâ, sed directâ; ergo &c. Respondeo negando majorem de reflexione formali, & cum fundamento in re; licet quoad nos, & absque fundamento ex parte objecti, concipiatur, ut reflexio; alioqui, cognita ipsa reflexione, daretur alia, & hac cognitâ, etiam daretur alia, sicque in infinitum. Undè ipsa cognitio Divina est per essentiam cognitio sui ipsius absque ulla distinctione, licet quoad nostrum concipiendi modum possint reflexiones in infinitum multiplicari: processio autem Verbi Divini formaliter non est à cognitione divina, prout à nobis fingitur, sed prout in re est cognitio virtualiter distincta à volitione.

Difficultas 2. Utrùm Verbum Divinum proce- 297.
dat per se formaliter ex cognitione totius Trinitatis, nempè Patris, sui ipsius, & Spiritus Sancti? Multiplex est in hac re sententia. Prima sententia asserit, Verbum Divinum procedere per se formaliter ex sola cognitione Deitatis, & Attributorum præcisè; non autem ex cognitione alicujus relativi. Ita *Scot. in 1. dist. 10. fine, & dist. 32. & in 2. dist. 1. q. 1. & quodlib. 14.*

Secunda sententia docet Verbum Divinum pro- 298.
cedere per se formaliter ex cognitione intuitiva Deitatis, & Paternitatis, abstractivâ tamen Verbi ipsius, & Spiritûs Sancti. Ita aliqui Thomistæ, quos tacito nomine citat P. Ruiz infrà citandus, cum *Caiet. 1. p. p. 34. art. 3.* licet *P. Ruiz.* dicat ei falsò adscribi.

Tertia sententia affirmat, Verbum Divinum 299.
procedere per se formaliter ex cognitione intuitiva Deitatis, Patris, & Filii; non verò ex cognitione Spiritus Sancti. Ita *P. Vasq. 1. p. d. 142. cap. 4. P. Turrian. q. 34. art. 3. d. 18. dub. 2. Ægid. Lustan. tom. 1. de Beatit. lib. 5. q. 4. art. 4. §. 5. num. 4. Putean. q. 34. art. 3. dub. 2. concluſ. ult.* quos citat, & sequitur *P. Alarcon. tract. 5. d. 8. cap. 8. n. 2.*

Quarta sententia tenet, Verbum Divinum pro- 300.
cedere per se formaliter ex cognitione totius Trinitatis. Ita *D. Thom. 1. p. q. 34. art. 3.* quem communiter sequuntur Theologi, *Zumel. ibid. q. 3. a. 1. concluſ. 4. P. Molin. 1. p. q. 34. art. 3. d. unica. P. Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 4. n. 4. Torres. q. 27. art. 5. d. unica. P. Ruiz d. 61. de Trinit. sect. 2. n. 1. P. Granad. 1. p. tr. 9. d. 5. P. Zuniga d. 9. dub. 4. & 5. Bannez 1. p. q. 34. art. 3. P. Valent. 1. p. q. 7. de Trinit. punct. 1. P. Amicus d. 26. sect. 3. n. 87. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 3. n. 10. P. Albertin. 2. predicam. Ad aliquid corol. 14. dub. 1. P. Arrub. 1. p. d. 124. cap. 3. n. 11. P. Præpoſit. 1. p. q. 34. art. 3. dub. 2. n. 14. P. Arriaga 1. p. d. 52. sect. 4. n. 21. P. Compton. tom. 1. d. 64. sect. 4. n. 3. P. Rhodez tom. 1. d. 6. q. 2. sect. 5. §. 1. P. Martin. d. 24. sect. 6. 7. & 8.* Et hæc quidem, ut probabilior, tenenda est: pro qua:

Dico 1. Verbum Divinum procedit formaliter 301.
ex cognitione totius Trinitatis. Probatur primò, quia Verbum Divinum procedit formaliter ex cognitione perfectissimè, & adæquatè comprehensiva, ut comprehensiva Deitatis; alioqui Verbum ex vi suæ processionis non esset perfectissimum, neque adæquatè comprehensivum; siquidem posset perfectius Verbum excogitari, nempè illud, quod esset cõprehensivum formaliter; sed Cognitio Divina non est perfectissimè, & adæquatè comprehensiva Deitatis, nisi ut est cognitio Personarum; ergo Verbum procedit formaliter ex cognitione, non solùm, quæ est de Trinitate, sed

sed etiam ut est cognitio Trinitatis.

302. Probatur minor, quia Cognitio non potest esse comprehensiva Deitatis, nisi comprehendat omnem perfectionem intrinsecam ipsius Deitatis, sicque etiam relativam: tùm quia non potest comprehendi Deitas, quin comprehendatur fœcunditas *ad intra*, nempè virtus generativa, & spirativa: tùm etiam, quia perfectiones Personales, licet non includantur in Deitate formaliter, sunt tamen illius proprietates, & perfectiones intrinsecę, ita ut si Deus non esset Trinus in Personis, non esset æquè perfectus; ergo &c.

303. Probatur secundò, quia Personæ Divinæ non sunt minùs fœcundæ in ratione objecti terminativi ad terminandam Cognitionem Divinam, quàm sunt prædicata absoluta; sed Verbum Divinum procedit formaliter ex cognitione Deitatis, & Attributorum; ergo etiam sic procedet ex Cognitione Deitatis, & Personarum.

304. Probatur tertiò, quia aut loquimur de cognitione formali, prout à parte rei est principium per se requisitum ad productionem Verbi: aut de Cognitione, prout concipitur quoad nos terminari ad absoluta præscindendo à relativis: Si primum, cognitio absolutorum, & relativorum est eadem formalissima cognitio absque ulla distinctione virtuali; sed ut est Cognitio Deitatis, & absolutorum est principium per se requisitum ad productionem Verbi; ergo etiam ut est cognitio Personarum: Si secundum; ergo non concipitur adæquatè, & ut est perfectissima cognitio, totaque imperfectio est ex parte nostri modi concipiendi; sed Verbum Divinum, ut concipiatur perfectissimum, & adæquatum Verbum, necessariò debet concipi, ut procedens ex adæquata, & perfectissima cognitione; ergo &c.

305. Probatur quartò, quia Verbum divinum procedit per se formaliter ex omni perfectione intrinsecâ, & absolutâ cognitionis Paternæ; sed Cognitio Trinitatis dicit in Cognitione Divina aliquam perfectionem intrinsecam, & absolutam, quam Deus non haberet, si Trinitatem non cognosceret; ergo &c.

306. Dico 2. Verbum Divinum procedit formaliter ex cognitione intuitiva, non solùm Essentiæ, & Attributorum, sed etiam omnium Personarum. Probatur primò, quia Verbum divinum procedit formaliter ex cognitione Paternâ perfectissimâ; sed perfectissima cognitio, (quando alioqui nihil obstat, quominùs talis sit, & ut talis concipiatur,) est intuitiva; ergo &c.

307. Probatur secundò, quia cognitio abstractiva, prout alibi diximus in Logica, aut talis est ob imperfectionem objecti non includentis essentialiter existentiam: aut ob imperfectionem ipsius cognitionis non attingentis objectum ut in se est; sed Cognitio Paterna, ex qua procedit formaliter Verbum, non est abstractiva priori titulo; siquidem existentia est de essentia cujusque Personæ, & prædicati divini: neque etiam secundo; siquidem Cognitio Paterna ex se habet omnem perfectionem, attingitque objectum ut in se est, & quantùm cognoscibile est, cùm sit omnium comprehensiva; ergo &c.

308. Probatur tertiò, quia Essentia Divina, quæ est veluti species intelligibilis omnium intelligibilium, est propria species Personarum illas repræsentâs in ratione objecti, non ut absentes formaliter, sed ut præsentes in eadem duratione; ergo intuitivè; sed Verbum Divinum procedit formaliter ex cognitione Paterna ut repræsentativa Personarum, ut diximus; ergo procedit ab illa ut intuitivè repræsentativâ.

309. Advertes hîc, quod diximus de Verbo divino, procedere scilicet formaliter ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter in Deo, dicendum etiam esse cum proportione de Spiritu Sancto, nempè procedere formaliter ex Amore omnium, quæ formaliter sunt in Deo; eadem enim in utroque est ratio; nam sicut Verbum Divinum formaliter procedit ex perfectissima cognitione, ita etiam Spiritus Sanctus ex perfectissimo Amore.

SECTIO XV

Solvuntur argumenta aliarum Sententiarum.

310. ARGUES 1. Verbum Divinum procedit formaliter ex cognitione solius objecti primarii; siquidem, posito objecto primario, intelligitur tota perfectio essentialis Cognitionis; cognitio enim non specificatur ab objecto secũdario, & materiali; sed Relationes Divinæ non sunt de objecto primario Cognitionis divinæ; siquidem non cognoscuntur ratione sui, sed Essentiæ, quæ sola est objectum motivum, & formale; objectum autem primarium est illud, ratione cujus cognoscitur secundarium; ergo Verbum divinum non procedit formaliter ex cognitione Personarum. Hoc argumentum tangit difficultatem de acceptione objecti primarii, & secundarii, de quo alibi dicendum, & jam diximus *tract. 1. d. 5. num.* 11. ideoque minùs urget, quia non satis constat de hujusmodi acceptione. Interim.

311. Resp. primò data majori, negando minorem, ad cuius probationem dicimus, Relationes cognosci ratione sui, saltem quantùm est ex parte actus; idem enim actus indivisibiliter terminatur ad Essentiam, & Relationes, prout hæ pertinent ad integritatem Deitatis, suntque illius perfectiones intrinsecæ; licet ex parte objecti Relationes cognoscantur ratione Essentiæ: sic enim, licet figura, & magnitudo cognoscantur ex parte objecti ratione lucidi, & colorati, pertinent tamen ad objectum primarium visionis.

312. Respondeo secundò negando majorem: quando enim objectum secundarium tale est, ut pertineat ad intrinsecam perfectionem objecti primarii, & arguat majorem perfectionem in cognitione, ipsa cognitio per se ad illud terminatur, ita ut si ad illud non terminaretur, non esset æquè perfecta; cùm autem Verbum divinum procedat formaliter ex cognitione perfectissima, procedit ex cognitione terminata ad perfectiones relativas; alioqui non procederet ex cognitione perfectissima.

313. Argues 2. Verbum divinum procedit formaliter ex cognitione illius objecti, ex cujus cognitione beatur Pater; sed Pater per se beatur ex cognitione solius absoluti; ergo &c. Respondeo primò, data majori, negando minorem; nam valdè probabilis, & communis est opinio asserens, ut diximus loco proximè citato, Relationes divinas pertinere ad objectum essentiale Beatitudinis, saltem respectu Dei; licet enim non sint perfectiones simpliciter simplices, ut diximus, sunt tamen perfectiones intrinsecè integrantes Deitatem, ut in se est in esse reali. Dixi, *saltem respectu Dei*, quia cùm Beatitudo Increata sit longè perfectior, quàm

creata, per se, & formaliter perfectiori modo terminatur ad suum objectum, ideoque non solùm ad absoluta, sed etiam ad relativa terminatur.

314. Respondeo secundò juxta opinionem asserentem, sola absoluta constituere objectum essentiale Beatitudinis, negando majorem; diversa ratio est, quia cognitio, prout est beatifica, attenditur penès objectum simpliciter satiativum, quale est solum absolutum: at verò Cognitio, prout est principium Verbi, attenditur penès objectū per se repræsentabile; cùm autem Relationes sint etiam repræsentabiles, ex earum etiam cognitione formaliter procedit Verbum, ut sit perfectissimum.

315. Argues 3. Verbum Divinum per se formaliter procedit ex eorum cognitione, ex quorum cognitione procedit ut Imago; sed non procedit ut Imago sui, neque Spiritûs Sancti, ut diximus; ergo neque ex sui, & Spiritûs Sancti cognitione procedit. Respondeo distinguendo majorem: ex quorum cognitione procedit ut Imago Patris; concedo majorem: ut Imago alterius objecti cogniti; nego majorem. Undè concessâ minori, negamus consequentiam; nam procedere per se ex cognitione sui, & Spiritûs Sancti, non est procedere à se, & ab Spiritu Sancto, quod requiritur ad rationem Imaginis, ut supra diximus, sed est procedere à Patre ut cognoscente Filium, & Spiritum Sanctum, sicque ab eorum cognitione procedit formaliter.

316. Instabis: Objectum est principium cognitionis, ad quam concurrit; ergo si Verbum procedit proximè ex cognitione sui, & Spiritûs Sancti in ratione objecti, procedit etiam remotè à se, & ab Spiritu Sancto; consequenterque ut eorum Imago, quod negavimus. Respondeo antecedens esse universaliter falsum, maximè in divinis; siquidem Cognitio Divina non accipit ab objecto vim repræsentativam, cùm ex se sit ipsa essentialis omnium repræsentatio. Undè respectu Cognitionis Paternæ Filius, & Spiritus Sanctus non habent se ut principium, sed ut terminus. Dixi *maximè in divinis*, quia etiam in creatis non omnis cognitio procedit ab objecto adæquato, ut patet in cognitione reflexa supra se ipsam, quæ licet habeat se ipsam pro objecto, à se ipsa tamen non procedit, neque est sui imago, sed tantùm repræsentatio.

317. Argues 4. Quamvis non produceretur Spiritus Sanctus, adhuc produceretur Verbum; siquidem cùm Spiritus Sanctus sit origine posterior Verbo, antequam intelligatur Spiritus Sanctus, jam perfectè, & adæquatè intelligitur Verbum independenter ab illo; ergo Verbum non procedit per se ex cognitione Spiritûs Sancti; siquidem si non esset Spiritus Sanctus, non esset ejus cognitio, cùm tamen adhuc esset Verbum.

318. Respondeo falsò supponere, si non esset Spiritus Sanctus, adhuc processurum hoc idem Verbum ab hoc eodem Patre; nam in ea suppositione impossibili neque Pater cognosceret Spiritum Sanctum, sicque non haberet eandem cognitionem, quam nunc habet, consequenterque neque eandem essentiam; neque Verbum esset expressivum Spiritûs Sancti; consequenterque non haberet idem principium, sive cognitionem à qua procederet, ac proindè non esset idem Verbum. Undè ad probationem dicimus, antequam intelligatur Spiritus Sanctus originativè, intelligi perfectè, & adæquatè Verbum originativè; non tamen antequam intelligatur Spiritus Sanctus objectivè, & terminativè; neque enim simultas, aut prioritas in ratione objecti, tollit posterioritatem originis, ut ex dicendis constabit.

Infertur: Ergo ideò Verbum est, quia est Spiritus Sanctus; consequenterque processio Verbi 319
pendet ab Spiritu Sancto. Respondeo hanc instantiam non habere majorem difficultatem in verbo, quàm in ipsa Cognitione Divina; siquidem cùm hæc repræsentet Spiritum Sanctum, etiam argui potest: *Ergo ideò Cognitio Divina est, quia est Spiritus Sanctus.* Ad hanc igitur æquivocationē dicimus; ideò Verbum est, quia est Spiritus Sanctus objectivè, seu terminativè; cōcedo illationem; quia est Spiritus Sanctus originativè; nego illationem: Undè per illos terminos solùm significatur connexio cognitionis cum objecto, & è contra; non autem processio aliqua in ratione principii, & principiati.

Argues 5. Specialiter contra secundam conclu- 320
sionem: Cognitio intuitiva terminatur ad objectum in se existens; sed in eo priori, in quo Pater est principium Verbi; Verbum, & Spiritus Sanctus nondùm intelliguntur in se existere; ergo in illo priori nondùm intelligitur cognitio intuitiva Verbi, & Spiritûs Sancti; consequenterque Verbum non procedit formaliter ex eorum cognitione intuitivâ. Probatur Minor, in qua est vis argumenti, nam inprimis Verbum non intelligitur in se existens, nisi in eo signo, in quo intelligitur productum; in eo autem priori, in quo Pater est prior Verbo, Verbum non intelligitur productum. Deindè quoad Spiritum Sanctum, cùm processio Verbi sit prior processione Spiritûs Sancti, in eo priori, in quo Pater gignit Verbum, non potest intelligi existens Spiritus Sanctus; alioqui intelligerentur in se existentes, antequā producti; ergo &c.

Advertendum est primò, hoc argumentum 321
continere duplicem fallaciam: Prima est, quia confundit prioritatem, & posterioritatem originis, seu *à quo* cum prioritate, & posterioritate durationis, seu *in quo*. Secunda est, quia arguit ex nostro imperfecto modo cognoscendi ad objectum, ut est in se, quod ut evites.

Advertendum est secundò, prioritatem, & po- 322
sterioritatem originis non tollere simultatem durationis; siquidem solùm consistit in eo, quod unum ab alio procedat, non tamen è contra, quod stare potest cum eo, quod utrumque in omni signo durationis coexistat; semper tamen unum ab alio procedendo, ut cernitur in causa, & effectu creatis, quæ in eodem instanti reali, in quo causa producit effectum sunt simul duratione reali, licet causa sit prior realiter prioritate originis, quia scilicet ita sunt simul causa, & effectus, actio, & terminus, ut hic procedat per actionem ab illa, non tamen è contra. Advertendum est tertiò, processionem Verbi à suo principio esse independentem à nostro modo concipiendi, & potiùs accommodandam esse nostram conceptionem processioni Verbi, quàm Verbum nostræ conceptioni. His positis.

Respondeo primò ad argumentum, concessa 323
majori, distinguendo minorem: in eo priori, quo Pater est principium Verbi, non dùm intelliguntur Verbum, & Spiritus Sanctus in se existere, tanquam in priori *à quo* originis; concedo minorem: tanquam in priori *in quo* durationis; nego minorem. Undè ad probationem concedimus, Verbum, & Spiritum Sanctum non intelligi existentes, nisi in eo signo, in quo intelliguntur producti; in omni autem signo durationis intelliguntur producti; siquidem prioritas originis solùm facit, ut

non

non habeant rationem principii producentis, sed termini producti, quod non tollit simultatem existentiæ, ut patet ex dictis; sicque Patrem esse priorem Verbo, & utrumque Spiritu Sancto, nihil aliud est, quàm Patrem esse principium Verbi, & utrumque Spiritûs Sancti, non tamen è contra: in omni autem signo, in quo Pater concipitur ut producens, debet concipi Filius ut productus; & in omni, in quo Pater, & Filius sunt producens, Spiritus Sanctus est productus; ex quo patet absque fundamento ex parte Dei concipi à nobis prioritatem, & posterioritatem durationis, cùm hæc non colligatur ex prioritate originis. Quia tamen aliqui admittunt in Deo inter divinas Personas prioritatem, & posterioritatem durationis, seu *in quo* per rationem saltem quoad nos.

324. Respondeo secundò distinguendo majorem: cognitio intuitiva terminatur ad objectum in se existens pro eo signo, in quo existit, aut existet; concedo majorem: in se existens in omni signo; nego majorem. Similiter distinguo minorem: in eo priori, quo Pater est principium Verbi, Verbum, & Spiritus Sanctus non intelliguntur in se existentes pro eodem signo priori, nempè Patris; transeat minor: pro posteriori signo, nempè Filii, & Spiritûs Sancti; nego minorem: hoc autem sufficit ad rationem notitiæ intuitivæ.

325. Patet, quia cognitio, quam Deus habet ab æterno de futuris, est intuitiva, prout terminatur ad eorum existentiam; & tamen hæc non est ab æterno, sed est, aut erit pro suâ determinatâ differentiâ, & posterioritate temporis; ergo similiter de Cognitione Patris respectu Filii, & Spiritûs Sancti, prout diximus. Idem cum proportione dici solet de cognitione, quam Deus, prout præscindit à Personis, easque concipitur antecedere, habet de ipsis Personis Divinis, quæ est intuitiva, quatenùs terminatur ad ipsas Personas ut existentes, non pro priori signo Deitatis, sed pro posteriori Personarum. Et juxta hunc modum dicendi admittunt aliqui, posse Personam productam concipi ut virtualiter futuram quoad nos respectu Personæ producentis. Sed de hoc jam alibi in Logica *tract. 4. d. 3. à num. 134.*

SECTIO XVI.

Vtrùm Verbum Divinum procedat formaliter ex Cognitione Creaturarum?

326. HActenùs diximus, Verbum Divinum procedere formaliter per se ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter in Deo: videndum nunc est; utrùm etiam sic procedat ex cognitione eorum, quæ in Deo sunt eminenter? Cùm autem quæ in Deo continentur eminenter sint creaturæ, quarum aliæ sunt possibiles, aliæ futuræ, & aliæ existentes, in hac Sectione solùm erit quæstio de Cognitione possibilium; in sequenti autem de cognitione aliarum: Sit igitur

327. Difficultas 1. Utrùm Verbum Divinum procedat per se formaliter ex cognitione creaturarum possibilium? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. & 4. contr. gent. cap. 13. D. Bonav. in 1. dist. 27. p. 2. art. 1. q. 2. Richard. ibid. art. 2. q. 3. Ægid. art. ult. q. 4. Gabr. in 1. dist. 27. q. 3. art. 3. dub. 1. concluſ. 2. Ferrar. 4. contr. gent. cap. 13. Caiet. 1. p. q. 34. art. 3. Bannez. Zumel. P. Molin. ibid. P. Valent. 1. p. q. 7. de Trinit. punct. 2. P. Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 6. n. 4.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 63. de Trinit. sect. 1. n. 3. & 4. P. Granad. 1. p. tract. 9. d. 6. n. 5. P. Amicus 1. p. d. 26. sect. 4. n. 126. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 3. n. 14. P. Præpoſit. 1. p. q. 34. art. 3. dub. 3. n. 23. P. Arriaga d. 52. sect. 4. n. 18. P. Zuniga d. 6. dub. 6. P. Compton. tom. 1. d. 64. sect. 6. n. 1. P. Martin. d. 24. sect. 6. P. Becan. de Trinit. cap. 5. P. Rhodez tom. 1. d. 6. q. 2. sect. 5. §. 2.* & alii.

Probatur primò ex D. Augustº. *lib. 15. de Trinit. cap. 13. & 4.* ubi inter alia dicit, *Verbum Divinum esse de omnibus, quæ sunt in Scientia Dei*: ubi particula *de* denotat formalem rationem procedendi; sic enim dicitur esse de substantia, de Memoria fœcunda Patris, &c. Accedit D. Ansel. *in Monolog. cap. 30.* ubi cùm dicat, Verbum non requirere creaturas futuras, dicit tamen simpliciter repræsentare creaturas, quasi dicat, requirere possibiles; alioquin eas non repræsentaret. 328.

Probatur secundò, quia Verbum Divinum procedit formaliter ex cognitione adæquatè, & perfectissimè comprehensiva, ut comprehensiva Deitatis; siquidem procedit ex cognitione adæquatè infinita, & illimitata; alioqui non esset verbum infinitum, & illimitatum; cognitio autem infinita, & illimitata Dei includit in suo conceptu formaliter rationem comprehensivæ; sed Verbum Divinum non procederet per se formaliter ex cognitione comprehensivâ, ut comprehensivâ Deitatis, nisi procederet formaliter ex cognitione possibilium; ergo &c. Probatur Minor, quia cognitio possibilium includitur formaliter in adæquatâ comprehensione Deitatis: tùm quia adæquata comprehensio Deitatis includit adæquatam comprehensionem Omnipotentiæ, & Idearum Divinarum; hæ autem non possunt perfectè comprehendi, nisi comprehensis possibilibus; cognitio enim comprehensiva causę includit cognitionem effectûs: tùm etiam quia cognitio adæquatè, & perfectè comprehensiva includit cognitionem omnium, quæ in objecto comprehenso sunt & formaliter, & eminenter; alioqui non esset illius comprehensiva; sed in Deitate çontinentur eminenter possibilia; ergo &c. 329.

Probatur tertiò, quia cognitio possibilium dicit in Cognitione Divinâ perfectionem intrinsecam absolutam, & simpliciter simplicem; sed Verbum procedit formaliter ex Cognitione includente omnem perfectionem absolutam in genere cognitionis; alioqui non procederet formaliter cum omni perfectione simpliciter, quæ est in Scientia Patris; neque esset per se adæquatum verbum notitiæ Patris dicentis; ergo &c. Probatur Major: Primò, quia licet possibilia secundùm se sint extra Deum, illorum tamen repræsentatio est perfectio Dei intrinseca, & absoluta; sicut eorum potentia productiva, & continentia eminentialis est perfectio Deo intrinseca; ergo &c. Secundò, quia, ut alibi jam diximus in Philosophia, non ideo creaturæ continentur in Omnipotentia; & repræsentantur in Idæis Divinis, quia sunt absolutè possibiles; imò ideò sunt possibiles absolutè, quia continentur in Omnipotentia, & in Idæis Divinis repræsentantur; nam si non ita continerentur, neque repræsentarentur, essent simpliciter impossibiles; ergo illa continentia, & repræsentatio dicit intrinsecam perfectionem in Deo, quæ si non daretur, neque Cognitio Divina, neque Verbum 330.

Divinum

Divinum ex illa procedens esset æquè perfectum; ergo ut tale sit, debet per se formaliter procedere etiam ex Cognitione creaturarum possibilium.

331. Oppositum tenent *Scot. in 1. dist. 2. q. 7. & dist. 32. q. 1. & in 2. dist. 1 q. 1. & quodlib. 14. §. Hic intelligendum est. P. Vasq 1. p. d. 143. cap. 3. P. Arrub. d. 125. cap. 5. n. 21. P. Turrian. q. 34. art. 3. d. 18. dub. 3. P. Albertin. tom. 2. in prædicam. Ad aliquid. q. 14. dub. 1. n. 8. P. Alarcon. tract 5. d. 8. cap. 9. n. 13. Ocham. in 1. dist. 27. q. 3. fine,* & alii: pro quibus: Argues 1. ex D. Anſel. *in Monolog. cap. 30.* ubi docet, licet nulla foret possibilis creatura, adhuc futurum esse Verbum in Deo; ibi: *Si ille cogitetur, inquit, nullâ aliâ existente essentiâ, sive aliis existentibus, necesse est Verbum coæternum illi esse cum illo*; ergo videtur sentire, Verbum per se non procedere ex cognitione creaturarum possibilium; alioqui non dixisset, adhuc futurum esse, creaturis non existentibus. Respondeo D. Anſel. solùm velle, Verbum Divinum adhuc fore, etiam si nullâ daretur creatura existens, aut futura, ut liquet ex verbis citatis; non autem si nulla foret possibilis.

332. Argues 2. Creaturæ possibiles non sunt de objecto primario Cognitionis Divinæ; sed Verbum Divinum procedit formaliter ex cognitione solius objecti primarii; secundarium enim habet se solùm per accidens, & concomitanter ad primarium, ejusque cognitionem; ergo &c. Respondeo 1. distinguendo majorem: non sunt de objecto primario secundùm se, seu quantùm est ex parte objecti; concedo majorem: secundùm quod sunt eminenter in Deo, & quantùm est ex parte actûs; nego majorem: eadem enim formalitas actûs, etiam virtualiter indivisibilis, tendit in Essentiam, quæ tendit in creaturas possibiles; siquidem non est comprehensivus Essentiæ, nisi videndo in ea ipsa possibilia.

333. Respondeo secundò concedendo absolutè majorem, & negando minorem: neque obstat, quod cognitio videatur solùm specificari ab objecto primario; neque enim specificatur ab eo nudè sumpto, sed ut connexo cum secundario; nam prout sic majorem dicit perfectionem in actu, & ex illo sic perfecto procedit Verbum formaliter; Adde tamen, Cognitionem Divinam non habere eam perfectionem ab objecto, ut supponitur in cognitione creata, sed ex se, cùm sit omnium repræsentatio, ut supra diximus.

334. Argues 3. Priùs intelligitur Verbum Divinum productum, quàm intelligantur cognita possibilia; siquidem cognitio Patris priùs terminatur ad quidquid est formaliter in Deo, quàm ad creaturas, sicque priùs terminatur ad Verbum; sed illa cognitio est intuitiva; ergo terminatur ad Verbum, ut priùs existens, & productum; consequenterque non requiritur per se cognitio possibilium ad ejus productionem. Respondeo negando majorem, ad cujus probationem dicimus cognitionem Patris priùs quoad nos terminari ad quidquid est formaliter in Deo, quàm ad creaturas, sicque priùs ad Verbum intuitivè, ut ad aliquid existens, & productum, non tamen pro eodem priori cognitionis, sed pro posteriori productionis juxta ea, quæ supra diximus *àn. 320.*

335. Dixi *quoad nos*, quia in re nulla est prioritas, aut posterioritas durationis, in qua Cognitio divina terminetur ad se, & postea ad creaturas, sed simul, ac semel naturâ cognoscuntur omnia necessaria, & ex eorum cognitione producitur Verbũ; per illam verò prioritatem quoad nos solùm significatur aliter concipi terminum cognitionis, & aliter terminum productionis. Undè ut terminus objectivus priùs est Verbum, quàm possibilia; ut terminus autem productus, intelligitur posterius possibilibus, pro. ut hæc sunt terminus objectivus.

Argues 4. Verbum Divinum est magis necessarium, quàm sunt creaturæ possibiles; siquidem 336.
habet necessitatem, quam habet Deus, quâ major non potest excogitari, & quam non habent creaturæ possibiles, quibus sublatis, non tolleretur Deus, hoc autẽ per impossibile sublato, illæ per locũ intrinsecum tollerentur; sed quod ita est magis necessarium, & independens, est priùs; ergo priùs est Verbum Divinum, quàm creaturæ possibiles; consequenterque non potest ab earum cognitione formaliter procedere.

Respondeo (quidquid alii respondeant) distin- 337.
guendo majorem: Verbum Divinum est magis necessarium, quàm sunt creaturæ possibiles, prout in se sunt; concedo majorem: prout repræsentantur in cognitione Divina; nego majorem: & hujus ratio est, quia prout in se sunt dependent ab omnipotentia, & Ideis Divinis, in qua dependentia consistit earum minor necessitas; sunt enim positivè possibiles, quia in Deo continentur, non tamen è contra: at verò prout repræsentantur in Cognitione divina, sunt ipsa earum repræsentatio Deo intrinseca, quæ non est minùs necessaria, ac divina, quàm est ipse Deus, & Verbum: Undè:

Notandum est, absolutè æquè necessariò esse 338.
creaturas possibiles, ac est productum verbum, siquidem connexio Dei cum illis est summè necessaria; dici tamen minùs necessarias, quia sunt necessariæ ratione Dei, non tamen est Deus necessarius ratione illarum. Neque obstat, quod si repræsentatio creaturarum in Deo concipiatur ratione objecti minùs necessaria, quàm repræsentatio Essentiæ, etiam concipiatur verbum magis necessariò procedere ex cognitione *Essentiæ, quàm* creaturarum; non, inquam, obstat, quia hoc non tollit summam necessitatem Verbi, sicut neque summam necessitatem Cognitionis Divinæ.

Argues 5. Priùs intelligitur Deus constitutus 339.
in suo esse intrinseco, sicque completè subsistens, triplici nimirum subsistentiâ, quàm intelligatur ordinari ad producendas creaturas; siquidẽ omnis respectus *ad extra* supponit ipsum esse *ad intra*; sed non intelligitur completè subsistens, nisi producto verbo; siquidem subsistit completè triplici subsistentiâ, quarum una est subsistentia Verbi; ergo &c.

Respondeo priùs intelligi Deum constitutum, 340.
& subsistentem triplici subsistentiâ, quàm ordinetur ad producendas creaturas, ordine essendi, non tamen ordine cognoscendi simul, & essendi; potest enim ordo cognoscendi esse prior ordine essendi, ut patet in Verbo, & Spiritu Sancto, qui priùs intelliguntur cognosci, & ex hac cognitione indè intelligitur esse Verbum, & deindè Spiritum Sanctum; ita tamen ut in omni ordine semper divina intelligantur priora; nam ordine cognoscendi, priùs intelligitur cognita Essentia, deindè Personæ, & deindè possibilia: ordine autem essendi, priùs intelligitur Deus, & processiones divinæ, quàm intelligantur producibiles in se creaturæ: at verò sicut priùs intelligitur cognosci verbum, quàm produci, ita priùs intelligi potest cognitio creaturarum, quàm productio verbi, quia illa est ordine essendi essentialis, hoc autem notionale. Et ratio est, quia licet in re omnia sint simul, quoad nos tamen Verbum cognoscitur ut productum, non pro eodem priori cognitionis, ex qua procedit, sed pro suo posteriori processionis; & creaturæ

creaturæ cognoscuntur ut producibiles, non pro eodem priori cognitionis,& processionis verbi,sed pro suo posteriori.

341. Argues 6.CognitioDivina,ut est cognitio possibilium, nullam perfectionem intrinsecam addit supra cognitionem Deitatis, ut est Deitatis cognitio; siquidem Deus in suo esse intrinseco est omninò absolutus à creaturis; alioqui esset ab illis dependens; sed Verbum Divinum non requirit per se ad sui productionem objectum illud, ex cujus cognitione non sit in Deo aliqua perfectio intrinseca; ergo &c.

342. Circa hoc argumentum tripliciter discurrit *P. Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 6. à num. 8.* Primò dicit, cognitionem possibilium non addere supra cognitionem Essentiæ formalitatem, seu perfectionem aliquam, etiam virtualiter distinctam, sed eandem indivisibiliter,quæ tendit in Essentiam,tendere etiá in possibilia.Secundò,si dicamus addere formalitatem cognitionis per rationem distinctam. Tertiò, si dicamus,cognitionem Essentiæ, quantùm est ex se, esse tam absolutam à possibilibus, quàm est ab existentibus, & futuris, solùmque ad ea extendi necessariò ratione termini non repugnantis; sicut extenditur contingenter ad futura, & existentia ratione termini contingentis. Ita *P. Soar.* qui licet priori modo tantùm admittat in Deo cognitionem possibilium,sentit tamen, omnibus his modis defendi posse, Verbum procedere formaliter per se ex cognitione possibilium.

343. Ego tamen probabilius censeo: Primò, Deum cognoscere possibilia; tum eadem cognitione indivisibili Essentiæ; tum cognitione virtualiter extrinsecè distinctâ: prima enim est cognitio creaturarũ in Essentia:secunda verò est cognitio creaturarum ex Essentia in se ipsis, de quo alibi in Materia de Scientia Dei: Secundò, admisso illo tertio modo extensionis ad creaturas, defendi non posse cohærenter, Verbum per se formaliter procedere ex cognitione possibilium, nisi etiam defendendo procedere similiter ex cognitione contingentium, quod tamen ipse *P. Soar.* probabilius negat *cap. 7. num. 3.* ut infra videbimus. Undè ad argumentum.

344. Respondeo negando majorem; cognitio enim possibilium addit perfectionem intrinsecam, sive indistinctam, sive distinctam virtualiter; siquidem talis cognitio non esset perfecta, imò non esset talis cognitio talis Essentiæ, nisi etiam esset cognitio possibilium. Unde ad probationem dicimus, Deum esse quidem absolutum ab omni respectu prædicamentali reali,seu formali ad creaturas; non tamen ab omni connexione, & repræsentatione reali, quæ nullam dicit dependentiam; neque enim Deus est propter creaturas, imò è contra, creaturæ sunt possibiles propter Deum. An autem hujusmodi respectus dicendus sit transcendentalis? Vide quæ diximus in *Physic. tract. 2 d. 5. à n. 245.* ubi diximus: An Omnipotentia divina sit relatum transcendens ad creaturas possibiles?

345. Instabis: Licet nullæ forent possibiles creaturæ, adhuc Deus esset perfectissimus in suo esse intrinseco; quis enim dicat, sublatâ possibilitate unius formicæ v. g. tolli etiam Dei possibilitatem, aut perfectionem? ergo cognitio possibilium nullam addit Deo perfectionem intrinsecam; consequenterque Verbum ex eorum cognitione non procedit formaliter. Respondeo negando antecedens; talis enim suppositio destruit principium possibilitatis, nempè Deum: sicut enim creaturæ sunt possibiles, quia continentur in Deo; ita solùm possunt considerari impossibiles; sublatâ potentiâ divinâ; sicque admissâ earum impossibilitate,destruitur potentiaDivina, quæ est principium possibilitatis earum.

346. Urgebis: Ut se habent creaturæ existentes ad Scientiam visionis; ita se habent possibiles ad scientiam simplicis intelligentiæ; sed Cognitio divina, ut est de existentibus non dicit perfectionem Deo intrinsecam; ergo neque ut est de possibilibus. Respondeo negando majorem; diversa ratio est, quia existentia, & futura nullam habent repræsentationem intrinsecam in Scientia divina, quam non supponant ut possibilia; siquidem quidquid repræsentatur de existentibus, & futuris, est aliquid possibile: at verò possibilia habent repræsentationem per se in Scientia Divina; nam sicut sunt quid distinctum à Deo, debent à Deo ut distincta cognosci; non autem cognoscerentur,si non repræsentarentur. Unde possibile est necessarium; futurum autem est contingens; at repræsentatio Deo in scientia necessaria non est contingens.

347. Argues 7. Ex cognitione illius objecti procedit Verbum, ex cujus cognitione beatur Pater; sed Pater non beatur per se ex cognitione creaturarum;ergo neque Verbum ex earum cognitione per se procedit. Omissis aliis solutionibus. Respondeo negando majorem; diversa ratio est, quia ut supra jam diximus, ad beatitudinem essentialem satis est cognitio, ut est cognitio objecti perfectissimi, & satiativi, quales non sunt creaturæ: at verò ad perfectionem Verbi producendi attenditur cognitio, ut est perfectissimum principium communicationis; ut sic autem includit omnem perfectionem cognitionis etiam attingentis possibilia; nam sicut de ratione Verbi absolutè est, quod sit expressivum dicentis; ita de ratione Verbi perfectissimi,quale est divinum, est, quod sit adæquatè, & perfectissimè expressivum Patris dicentis etiam possibilia.

348. Argues 8. Si Verbum Divinum per se procederet ex cognitione creaturarum possibilium, sequeretur esse earum Imaginem; siquidem Verbum est Imago objecti, ex cujus cognitione, seu specie originatur; Verbum autem originatur ex cognitione creaturarum; sequela autem est falsa; ergo &c. Respondeo negando sequelam, quia Verbum divinum procedit ex cognitione possibilium, prout solùm habent rationem termini; Verbum autem solùm est Imago illius objecti,quod non solùm habet rationem termini, sed producit, aut per se, aut per speciem ipsum Verbum.

349. Argues 9. Spiritus Sanctus non procedit formaliter ex amore creaturarum possibilium; ergo neque sic procederet Verbum ex earumdẽ cognitione. Respondeo primò,dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia cùm circa possibilia non detur Amor necessarius, Deus enim non dicitur amare creaturas, nisi *ad extra* producendas, sicque amore libero, ex hoc non potest per se procedere Spiritus Sanctus: at verò cùm circa possibilia habeat Deus scientiam, sive cognitionem necessariam, benè potest ex hac per se formaliter procedere Verbum.

350. Respondeo secundò, negando antecedens; Deus enim non solùm diligit necessariò seipsum, suamque Essentiam,sed etiam creaturas possibiles, ut terminos suæ Omnipotentiæ: unde sicut Verbum procedit per se ex cognitione possibilium, tanquàm ex objecto necessario, & per se requisito, & cognito cum ipsa Omnipotentia; ita etiam Spiri-

Spiritus Sanctus ex eorumdem amore procedit, tanquam ex objecto necessario, & per se requisito, ac dilecto cum ipsa Omnipotentia. Neque obstat quod Spiritus Sanctus dicatur tunc Amor creaturarum; siquidem etiam sic Verbum dicitur Verbum creaturarum, prout supra diximus.

351. Argues 10. Si Verbum procederet per se ex cognitione possibilium, sequeretur, Patrem priùs cognoscere creaturas, quàm eas cognoscerent Filius, & Spiritus Sanctus; sed hoc est falsum; siquidem omnes tres Personæ, sicut ex æquo producunt, & amant creaturas, ita ex æquo eas cognoscunt; ergo &c. Respondeo distinguendo sequelam; sequeretur, Patrem priùs cognoscere creaturas cognitione notionali; concedo sequelam: cognitione essentiali; nego sequelam: hoc autem esset absurdum; non ita verò illud, imò est necessarium. Et eodem modo dicendum de amore creaturarum.

352. Argues 11. In Deo illa sunt priora, quæ nullum dicunt respectum *ad extra*, & posteriora, quæ talem respectum dicunt; siquidem illa sunt priora, quæ sunt intimiora; intimiora autem sunt, quæ non dicunt respectum *ad extra*; sed productio Verbi nullum dicit respectum *ad extra*; cognitio autem creaturarum illum dicit; ergo prior est productio Verbi, quàm cognitio creaturarum; consequenterque Verbum ex earum cognitione non procedit formaliter.

353. Respondeo primò negando majorem; nam Omnipotentia in omni sententia est prior productione Verbi, cùm ex illius cognitione procedat Verbum; & tamen Omnipotentia dicit respectum ad creaturas, cùm nequeat concipi sine illis. Respondeo secundò negando minorem; constat enim ex communi Scholasticorum sententia, Verbum divinum involvere respectum ad creaturas; nam eo ipso, quod procedit ex earum cognitione, procedit cum respectu, saltè rationis ad illas.

354. Argues 12. Ex illis tantùm per se procedit Verbum, ex quibus originatur; sed non originatur ex creaturis possibilibus; ergo ex illis per se non procedit. Respondeo negando absolutè majorem; jam enim supra diximus, Verbum non solùm per se procedere ex illis, quæ ad ejus productionem requiruntur originativè, sed etiam ex iis, quæ requiruntur terminativè.

355. Argues 13. Si Verbum procederet per se ex cognitione creaturarum, sequeretur, Verbum vilescere, quatenùs ita procederet dependenter à cognitione creaturarum, ut sine illa esse non posset; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam: imò vilesceret Verbum, si ex cognitione creaturarum non procederet. Patet, quia vilesceret Scientia Divina, si creaturas ignoraret; ergo etiam vilesceret Verbum, si esset murum ad expressionem creaturarum; esset autem, si ex earum cognitione non procederet.

SECTIO XVII.

Utrùm Verbum Divinum procedat formaliter ex scientia libera creaturarum?

356. SEnsus quæstionis est: an sicut Verbum Divinum procedit formaliter ex Scientia simplicis intelligentiæ, quæ ut est de possibilibus, necessaria est, & abstractiva: ita etiam formaliter procedat ex scientia Visionis, quæ ut est de objecto cõtingenter existenti, aut futuro, intuitiva est, & libera? Sit igitur

Difficultas 2. Utrùm Verbum Divinum procedat per se formaliter ex cognitione futurorum, & existentium? Negativè. Ita videntur tenere *D. Thom. 1. p. quæst. 3. art. 34.* tenent ibi *Cajet. P. Molin. d. unica, Bannez, Zumel. q. 3ua 1. conclus. 5. P. Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 7. n. 3. Scot.* locis supra cit. ex quibus à fortiori sequitur *P. Vasq. 1. p. d. 143. cap. 1. P. Turrian. cit. P. Albertin. cit. P. Alarcon. tract. 5. d. 8. cap. 9. n. 13. P. Granad. tract. 9. d. 7. n. 5. P. Arrub. d. 125. cap. 2. n. 3. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 3. n. 19. P. Præposit. 1. p. q. 34. a. 3. dub. 3. num. 19. P. Becan. cap. 5. tract. 2. q. 3. conclus. 2. P. Amicus d. 26. sect. 5. num. 162. P. Martin. d. 24. n. 75.* & alii. 357.

Probatur primò à priori, quia ab ea cognitione per se formaliter procedit Verbum, à quâ si non procederet, aut nullo modo procederet; aut non procederet æquè simpliciter perfectum, ut omnes admittunt; sed Verbum Divinum ita procedit ex cognitione futurorum, & existentium, ut si ab illa non procederet, adhuc eodem modo, & æquè simpliciter perfectum procederet; ergo ab illa per se formaliter non procedit. Probatur minor, quia licet non essent futuræ, neque existentes creaturæ, quæ de facto sunt futuræ, & existentes, ut re ipsa potuerunt non esse, adhuc esset idem Verbum Divinum cum omni perfectione simpliciter, quam modò habet à Patre; siquidem, ut ex principiis fidei est evidens, cognitio contingentium, ut talis, nullam addit perfectionem intrinsecam Cognitioni Divinæ, quæ in Deo sit, positis futuris, & non esset, illis sublatis; neque quia dantur creaturæ existentes, datur aliquid formaliter positivum in Deo, quod non daretur, si illæ non existerent; ergo Verbum Divinum eodem modo, & æquè perfectum procederet, etiam si ex eorum cognitione non procederet; consequenterque à tali cognitione *per se formaliter* non procedit. 358.

Probatur secundò, quia Verbum Divinum est summè necessarium; cognitio autem contingentium, ut talis est, libera est, & contingens; ergo Verbum Divinum non potest per se formaliter ex illa procedere; siquidem terminus non potest esse magis necessarius, quàm sit ejus principium. 359.

Dicent primò, cognitionem contingentium esse necessariam disjunctivè, quatenùs Deus necessariò debet habere, aut cognitionem de his futuris, aut de eorum carentiis; licet enim utrumque extremum sit cõtingens determinatè; indeterminatè tamen alterum eorum est necessarium. Sed contra, quia Verbum Divinum habet esse determinatè necessarium; ergo debet prodire à principio determinatè necessario; alioquin esset æquè contingens, quatenùs solùm, aut necessariò est hoc Verbum, aut ejus carentia. 360.

Dicent secundò, cognitionem cõtingentium esse absolutè contingentem; ex suppositione tamen futurorum esse necessariam; sicque Verbum Divinũ ex tali cognitione ex suppositione necessaria procedere necessariò, & per se. Sed contra, quia illud, quod est necessarium ex suppositione omninò libera, est simpliciter liberum, & contingens; alioqui omnia contingentia dicerentur absolutè necessaria, quia omnia talia sunt ex suppositione; sed ita se habet illa scientia; ergo &c. 361.

Dicent tertiò cum P. Arriaga infra citando, in Verbo Divino distinguenda esse duo quasi partialia verba, alterum necessariorum, & alterum contingentium, & quoad primum esse omninò 362.

necessarium

necessarium; quoad secundum autem, quatenùs scilicet est expressivum futurorum, & contingentium esse contingens: sicut in ipsâ Scientiâ datur, & scientia necessaria, & scientia libera; neque enim, inquit, est major difficultas in Verbo, quàm in ipsa scientia.

363. Sed contra est primò, quia Scientia Divina non est per se formaliter scientia contingentium, sed id ei quasi extrinsecè accidit; esset enim eadem perfectissima in se, etiam variatis futuris; ergo idem dicendum de verbo. Secundò, quia indè sequitur, Verbum Divinum posse absolutè dici contingens; si enim per se includit rationem verbi contingentis, totum, quod ex contingenter conjunctis consurgit, absolutè est contingens. Tertiò, quia indè sequitur, posse dici, dari in Deo duo verba, alterum necessarium, & alterum contingens, sicut dicitur dari in Deo duplex Scientia, necessaria scilicet, & libera.

364. Totum audacter concedit P. Arriaga in re, licet non quoad modum loquendi propter usum, sed quàm periculosè alii judicent; præterquam quod: Sequitur primò, aliquod Verbum Divinum, imò totum hoc Verbum Divinum, quod per se formaliter tale est, potuisse non esse, quod quidem solis Arianis placere potest. Secundò, Verbum Divinum, quod per se, & formaliter tale est, dici, & esse posterius Spiritu Sancto. Patet, quia priùs sunt in Deo decreta libera, quàm scientia contingentium; ergo prior est processio Spiritûs Sancti, utpotè procedens ex iis decretis liberis, quàm processio verbi, utpotè procedens ex hac scientia libera. Undè cùm uterque per se formaliter procedat ex iis principiis ut liberis, hoc Verbum Divinum, ut per se formaliter procedit, erit posterius hoc Spiritu Sancto, ut per se formaliter procedit; & quod indè est Spiritus Sanctus, ut per se adæquatè talis est, non procedet adæquatè à Patre, & Filio, quo quid periculosius?

365. Probatur tertiò, quia si Verbum Divinum per se formaliter procedit ex cognitione libera futurorum, talis processio debet esse vera, & realis in se; siquidem quod in re convenit, non est aliquid fictum, aut per solam denominationem extrinsecam; sed hoc esse non potest; ergo &c. Probatur Minor, quia si processio prout sic esset vera, & realis, esset activa ex parte Patris, & passiva ex parte Filii; siquidem non minùs opponitur producens, & productum propter productionem contingentem, quàm propter necessariam; eo autem dato, aut ex parte Patris est eadem Paternitas, & ex parte Filii eadé Filiatio; aut aliquid Paternitati, & Filiationi superadditum: Non primum; siquidem Paternitas, ut supponitur, habet adæquatè suum terminum necessarium; productio autem termini necessarii non potest esse productio termini contingentis: Non secundum, quia illa nova, & contingens productio, aut esset accidentalis, quod non dices; aut substantialis, & tunc præterquam quod sit aliquid, quod simpliciter potuit non esse, quod est absonum; constitueret diversas Personas secundùm se contingentes; consequenterque dabitur unus Pater necessarius, & alius contingens, similiterque de Filio, quod non est dicendum.

366. Dicent, cognitionem contingentium, formaliter ut talis est, non esse Naturam, cujus communicatio sit Patris ad Filium; sicque non sequi dari alium Patrem, & alium Filium contingentem. Sed contra, quia licet cognitio contingentium non sit Natura respectu Patris, & Filii necessarii, erit tamen Natura Patris, & Filii contingentis; cùm etiam sit aliquid substantiale, & per veram productionem viventis à vivente communicatum.

367. Probatur quartò, quia ab ea cognitione formaliter procedit verbum, quam Pater formaliter, & non solùm radicaliter Filio communicat; sed Pater non communicat formaliter Filio cognitionem contingentium; ergo ex illa formaliter non procedit. Probatur Minor, quia tam decreta libera, quàm scientia libera de illis resultant æquè primò in tota Trinitate, eique immediatè conveniunt; siquidem priùs supponitur Natura in Patre, Verbo, & Spiritu Sancto, quàm intelligatur aliquid liberè decernere *ad extra*; sed quæ formaliter, & immediatè conveniunt toti Trinitati, jam communicatâ Naturâ, non communicantur formaliter, sed censentur resultare, positâ communicatione *ad intra*; ergo Pater non communicat formaliter Filio cognitionem contingentium; consequenterque Filius ex illa formaliter non procedit.

368. Dicent primò cum P. Arriaga; licet Filius priùs habeat Naturam, & hæc velit, & cognoscat liberè, Filium tamen neque velle, neque cognoscere liberè, quoadusque à Patre producatur ea terminatio libera, & identificetur Filiationi. Sed contra est primò, quia falsò fingit, requiri aliquam novam productionem, ut volitio, & scientia personarum terminentur ad objecta libera. Secundò, quia omnis productio in divinis est ad communicandum aliquid Personæ productæ; ergo si scientia libera supponitur jam in Filio, ut Filius est per resultantiam in Natura Filii, ad quid ultra requiritur nova illa productio, ut Filius illam dicatur habere?

369. Dicent secundò, eam scientiam resultare quidem in Natura Patris, & Filii, sed ut communicatam à Patre ipsi Filio, & ab utroque Spiritui Sancto; sicut enim in necessariis, inquit, ita in liberis ea terminatio convenit Patri à se immediatè, Filio autem à Patre, & Spiritui Sancto à Patre, & Filio. Sed contra est primò, quia jam supra diximus, falsò fingi in Deo novam illam productionem, & quidem ad communicandam per se formaliter terminationem liberam.

370. Secundò, quia spiratio activa, ut docet ipse *P. Arriaga d. 50. sect. 2. num. 10.* non communicatur formaliter Filio à Patre, sed solùm radicaliter ex eo, quod censeatur resultare in voluntate Patris, & Filii, posita productione verbi; ergo idem à fortiori dicendum erit de volitione, & scientiâ liberâ.

371. Tertiò, quia falsò supponit, posse eodem modo philosophari in his productionibus quoad terminationes liberas, atque quoad terminationes necessarias. Patet, quia Spiritus Sanctus, ut procedit ex amore libero est prior verbo, prout hoc procedit ex scientia libera, ut concedit ipse P. Arriaga; sed in productionibus necessariis Verbú est prius Spiritu Sancto; ergo non cohærenter potest dicere; sicut in necessariis attenditur prioritas originis; ita in liberis.

372. Dicent tertiò, decreta, & objecta libera esse priora in ratione objecti, posteriora autem in ratione originis. Sed contra, quia decreta libera omni modo antecedunt scientiam liberam; aliàs quia scientia esset causa rerum, tolleretque libertatem; ideòque omnes tenentur fateri, scientiam liberam non esse principium actûs liberi, sed illum omni modo supponere.

373. Oppositam sententiam tenent *P. Valent. 1. p. q. 34. punct. 2. & lib. 4. de Trinit. cap 3. P. Zuniga d. 9. dub. 7.*

dub. 7. P. Ruiz d. 63. de Trinit. sect. 4. n. 1. & acerrimè *P. Arriaga 1. p. d. 52. sect. 4. à num. 33. P. Compton. tom. 1. d. 64. sect. 7. n. 2. ubi pro se citat D. Thom. 1. p. q. 37. art. 2. ad 3. & q. 42. art. 6. ad 2. P. Rhodez tom. 1. d. 6. q. 2. sect. 5. § 2.* & alii: pro quibus: Argues 1. authoritate Concil. Florent. sæpè cit. quatenùs definit, *Omnia, quæ habet Pater dedisse Filio, præter esse Patrem*; Pater autem habet scientiam futurorum. Deindè ex D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 14.* ubi docet, Verbum nasci ex omnibus, quæ sunt in scientia Patris; in scientia autem Patris sunt etiam creaturæ futuræ, & existentes. Idem habet *tract. 21. in Joan. cap. 5. & lib. 80. quæst. q. 63.* ubi notandum, tam Concil. quàm D. Aug. loqui de omnibus indifferenter, sicque eodem sensu loqui de cognitione possibilium, atque futurorum; ergo &c.

374. Resp. facilè ad Concil. & D. Aug. Patrem scilicet omnia dedisse Filio præter esse Patrem; & Verbum esse de omnibus, quæ sunt in scientia Patris aut formaliter; aut radicaliter: nam Pater cõmunicando per se scientiã necessariam, radicaliter in ea ei communicat terminationem liberam; sicut alibi diximus, communicatâ voluntate, ei communicari radicaliter spirationem activam. Neque obstat, quod Concil. & D. Aug universaliter, & indifferenter loquantur, sic enim loquuntur, quia omnia in necessariis, aut formaliter, aut radicaliter continentur.

375. Argues 2. Verbum Divinum procedit formaliter ex cognitione adæquatè, & perfectissimè comprehensiva Deitatis, Omnipotentiæ, & voluntatis divinæ, ut supra diximus; sed hujusmodi cognitio includit per se notitiam contingentium; siquidem ex suppositione, quod aliqua existant, aut sint futura, non potest non ea repræsentare; alioqui non esset adæquatè, & perfectissimè comprehensiva; ergo &c. Respondeo concessa majori, negando minorem; perfectio enim cognitionis comprehensivæ non attenditur ex aliqua suppositione libera, sed absolutè: Undè licet scientia absolutè comprehensiva necessariò extendatur ex tali suppositione ad illa objecta, talis tamen extensio est accidentalis perfectæ illius comprehensioni, quæ eadem omninò esset, etiam si ad ea objecta non extenderetur, cùm de se habeat omnem repræsentationem, & solùm ei accedat libera, & extrinseca terminatio ad talia objecta; sicque ad perfectissimam comprehensionem solùm requiritur, quod attingantur, & cognoscantur omnes effectus possibiles.

376. Argues 3. Pater loquitur Filio non solùm de necessariis, sed etiam de contingenter futuris; sicque Verbum non solùm est Verbum necessariorum, sed etiam contingentium; atqui loqui in Patre est producere, sicut audire in Filio est produci, seu procedere; omnis autem productio, seu processio in divinis est per se, & non per accidens; alioqui etiam per accidens esset terminus productus; ergo Verbum divinum per se procedit ex cognitione contingentium.

377. Respondeo distinguendo majorem: Pater loquitur Filio, non solùm de necessariis, sed etiam de contingenter futuris radicaliter; cõcedo majorem: formaliter; nego majorem: Pater enim eatenùs communicat Filio Scientiam liberam contingentium, quatenùs formaliter ei communicat necessariam possibilium: & idem dicimus de auditione Filii; eatenùs enim verbum audit, & producitur verbum contingentium, quatenùs producitur verbum necessariorum, cui ex suppositione, quod sint futura, debetur extensio, & terminatio ad illa.

378. Argues 4. De ratione Verbi divini est, procedere ex cognitione omnium, quæ ipso dicuntur; sed Verbo divino dicuntur non solùm possibilia, & necessaria, sed etiam futura, & contingentia; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem: de ratione Verbi divini est, procedere ex cognitione omnium, quæ ipso dicuntur, ea tamen ratione, qua dicuntur; concedo majorem: aliter; nego majorem: à Patre autem non dicuntur per se, & formaliter contingentia, sed solùm radicaliter; sicque Verbum procedit ex eorum cognitione radicaliter, non autem formaliter.

379. Argues 5. Cognitio intuitiva futurorum dicit in Deo perfectionem infinitam, licet non distinctam à cognitione possibilium; sed Verbum, cùm debeat esse perfectissimum, postulat per se procedere ex cognitione dicente omnem perfectionem infinitam; ergo &c. Respondeo negando majorem; neque enim scientia futurorum, ut talis est formaliter, dicit in Deo cognitionem formaliter infinitam, sive distinctam, sive indistinctam, à cognitione necessaria; siquidem ut talis est formaliter, solùm addit cõnotationem ad res futuras, sine quâ ipsa cognitio divina eandem suam, totamque perfectionem necessariam, & *intrinsecam* retineret, ut per se patet.

380. Instabis: Licet cognitio possibilium non addat distinctam perfectionem supra cognitionem Essentiæ; tamen ut est cognitio possibilium est per se principium Verbi; ergo etiam licet cognitio contingentium non addat perfectionem distinctam supra cognitionem possibilium, erit per se principium Verbi. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia cognitio possibilium ita imbibitur in cognitione Essentiæ, ut hæc habeat necessariam connexionem cum possibilibus, ita ut non possit esse perfecta cognitio Essentiæ, nisi etiam *in Essentia* cognoscantur ipsa possibilia: at verò cognitio Essentiæ nullam intrinsecam connexionem habet cum contingentibus; siquidem sine illis potest intelligi cum omni suâ perfectione intrinseca. Dixi *dato antecedente*, quia, ut patet ex supra dictis, cognitio possibilium in se ipsis addit perfectionem virtualiter distinctam, saltem extrinsecè, supra cognitionem Essentiæ.

381. Argues 6. Verbum divinum per se postulat procedere, ut forma, & exemplar practicum omnium, quæ sunt in mente paterna, ut docet D. August. *lib. 6. de Trinit. cap. 10.* sed est exemplar, non solùm possibilium, sed etiam contingentium; ergo &c. Respondeo supponi falsum, Verbum divinum esse exemplar practicum contingentium ratione scientiæ visionis liberæ; cùm talis sit ratione scientiæ simplicis intelligentiæ, in quo sensu *intelligendus* est D. Aug. nam scientia libera non dirigit, sed supponit liberum decretum, & objectivam rerum futuritionem.

382. Argues 7. Verbum divinum est ipsum imperium, quo Deus imperat productionem creaturarum juxta illud Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*; sed imperium practicum non est respectu possibilium; ergo futurorum; consequenterque Verbum divinum ex eorum cognitione procedit. Respondeo Verbum dici imperium Patris appropriativè, (sicut ipsa externa operatio dicitur appropriativè de Patre,) quatenùs in verbo repræsentantur creaturæ factibiles; quod tamen non tollit, quominùs imperare, & producere *ad extra* immediatè conveniat toti Trinitati; sicque ex hoc non

sequi-

sequitur, Verbum per se formaliter procedere ex cognitione futurorum. Omitto alia, quæ in idem fermè recidunt, & ex dictis facilè solvi possunt.

383. Difficultas 3. Utrùm Verbum Divinum procedat per se formaliter ex scientia conditionata, nempè objectorum sub conditione futurorum? Negativè. Ita *P. Soar. lib. 9. de Trinit. cap. 7. num. 9. P. Amicus d. 26. num. 170. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 3. n. 21. P. Vasq. P. Albertin. P. Arrub. d. 125. cap. 3. num. 12.* & alii supra cit. Probatur eâdem ratione, quâ supra probavimus non procedere formaliter ex cognitione existentium, quia horum conditionalium determinata cognitio accidentaria est perfectæ comprehensioni Essentiæ; siquidem eadem maneret in se scientia perfectissima, & comprehensiva, si, ut re verâ poterant, non essent talia futura; sicut enim Deus prævidit conditionatam pœnitentiam Tyriorum, quia convertendi essent, poterat videre eorum impœnitentiam, si, ut poterant, convertendi non essent; ergo &c. Neque obstat, quod hæc futura non pendeant ex aliquo decreto in Deo actu existente: tùm quia satis est, quod sint objectivè libera: tùm etiam quia pendent à decreto etiam libero objectivè, in quo etiam fundatur eorum futuritio.

384. Ex dictis colliges primò, si dicamus cum communi, Deum cognoscere non entia necessaria, id est, impossibilia, etiam ex eorum cognitione procedere formaliter Verbum. Ita Authores cit. Probatur, quia talis cognitio pertinet per se ad perfectam comprehensionem Essentiæ; siquidem tam necessariò Deus cognoscit illa objecta impossibilia, quàm cognoscit possibilia; ergo &c.

385. Dixi, *si dicamus cum communi Deum cognoscere non entia impossibilia*, quia quæstio est: An Deus ea propriè cognoscat? Probabile enim est, eatenùs cognoscere impossibilia, quatenùs possibilia cognoscit, quorum mutuam repugnantiam identitatis perfectè cognoscit: sicut enim, ut alibi diximus in Metaphysica, ideò Deus non potest producere impossibilia, quia potest possibilia producere; ita dici potest, ideò cognoscere impossibilia, quia possibilia cognoscit. Dixi etiam *non entia necessaria*, quia non entia, seu negationes contingentes, ut negatio actualis existentiæ rei liberæ, non sunt minùs accidentariæ respectu perfectissimæ comprehensionis cognitionis divinæ.

386. Colliges secundò, quod hactenùs diximus de verbo comparativè ad Cognitionem Patris, dicendum esse cum proportione de Spiritu Sancto comparativè ad Amorem Patris, & Filii, seu unius Spiratoris, nempè ut procedat formaliter, non solùm ex Amore Essentiæ, Attributorum, & Personarum, sed etiam ex Amore necessario possibilium; non ita tamen ex Amore libero. Patet, quia sicut in comprehensione Essentiæ imbibitur cognitio omnis veritatis possibilis; ita in Amore Summi Boni, & summè perfecto, imbibitur Amor complacentiæ in omni bonitate possibili: Item sicut cognitio libera accidentaliter se habet ad absolutam perfectionem cognitionis; ita etiam Amor liber accidentaliter se habet ad summum, & absolutum Amorem; ergo &c. Sed de hoc infra.

DISPUTATIO VIII.

De Personâ Spiritûs Sancti.

SECTIO I.

An, & qualiter Spiritus Sanctus procedat à Patre, & à Filio?

TRES fuerunt de Spiritu Sancto principales hæreses: Prima fuit eorum, qui illi distinctam à Patre, & Filio Hypostasim negabant. Hanc præter Sabellianos, qui unam tantùm Personam in Divinis ponebant, contra quos jam supra egimus, docuerunt alii apud *D. Hieron. in Epist ad Galat. cap. 4. & apud D. Athan. in Dialog. 4. de Trinit.* Secunda eorum, qui eum divinitate spoliabant cum Ario, & Macedonio Constantinopolitano Episcopo, contra quos etiam jam supra diximus. Tertia fuit eorum, qui confitentes, Spiritum Sanctum esse æquè Deum, ac Patrem, & Filium, & à Patre procedere, negabant tamen procedere etiam à Filio; quo errore ad hæc usque tempora laborant Græci, & Armeni. Quis autem hujus erroris fuerit Author, nondùm apud omnes constat. Certum tamen est, errorem illum fuisse antiquum, ad illumq; abolendum plurima coacta fuisse Concilia, inter quæ jussu Eugenii IV. coactum fuit Concil. Florent. anno 1437. ubi Græci convenerunt cum Latinis; sed in patriam reversi, iterum in eundem errorem sunt relapsi, in quo pertinaciter perseverant usque in præsentem diem, qui error est potissima causa eorum Schismatis, & separationis ab Ecclesia Latina. Hujus erroris fundamenta infra proponemus, & dissolvemus. Sit igitur. 1.

Conclusio 1. Spiritus Sanctus, non solùm à Patre, sed etiam à Filio realiter procedit. Est de fide, Ita *D. Thom. 1. p. q. 36. art. 2. P. Soar. lib. 10. cap. 1. P. Vasq. 1. p. d. 146. P. Præposit. 1. p. q. 36. dub. 1. P. Ruiz d. 67. de Trinit. sect. 1. & sequent. P. Amicus d. 27. sect. 2 n. 19. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 5. num. 1. P. Arrub. d. 128. cap. 3. num. 12. P. Arriaga d. 53. sect. 1. P. Becan. cap. 6. sect. 2. P. Valent. d. 2. q. 10. punct. 3. P. Martin. d. 30. sect. 1. P. Molin. 1. p. q. 36. art. 2. d. 1. & 2.* & omnes alii Doctores catholici. 2.

Probatur primò authoritate Scripturæ Joan. 16. ubi loquens Christus Dominus de Spiritu Sancto: *Ille*, ait, *me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*: si ergo quæ annunciaturus est accipit à Filio, à Filio procedit; siquidem in divinis nequit una Persona aliquid accipere, nisi per originem. Undè D. Cyril. Alex. *lib. 11. in Joan. cap. 1. Quoniam*, ait, *consubstantialis Filio est, procedit q; per eum, omnem ejus habens virtutem, ideò ait*, quia de meo accipiet. Deindè Joan 15. *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre*: unam autem Personam ab alia mitti in divinis, est ab illa procedere ex D. Aug. *lib. 4. de Trinit. cap. 20. Ab illo itaque*, ait, *mittitur, à quo emanat.* Deindè 3.

Joan. 16. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*, excepta Paternitate; sed Pater habet potentiam spirativam, ipsamque spirationem activam; ergo hanc etiam habet Filius. Ubi notandum, loqui Christum Dominum de futuro, *accipiet, mittam*: tùm propter Æternitatem, in qua omnes differentiæ durationis continentur: tùm maximè propter effectum externum futurum, qui internam missionem supponit.

4. Probatur secundò ex Conciliis, in quibus hæc veritas definita est, nam in Concil. Nicæno, quod fuit septimum generale apud Græcos lectum est Symbolum cum illa expressione: *Qui ex Patre, Filioque procedit.* Et apud Latinos definitum est in Concil. Later. *cap. firmiter de sum. Trinit.* ibi: *Spiritus Sanctus*, inquit, *ab utroque pariter absque initio, & fine. Pater generans, Filius nascens, & Spiritus Sanctus procedens.* Et in Concil. Lugdun. *cap. 1. de sum. Trinit. Fatemur*, inquit, *quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed una spiratione procedit.* Et in Concil. Florent. *in litter. unionis*, præsentibus, & consentientibus Græcis definitum est, quod *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumq; esse subsistens, habet ex Patre, & Filio, & ex utroque æternaliter. ....procedit.* Hoc idem habetur in Concil. Ephesin. *tom. 1. cap. 14.* in Chalcedon. *art. 5 & 6.* in 6. Sxnod. *act. 17.* in Toletan. *1 cap. 21.* Toletan. *3. cap. 1.* & Toletan. *4. cap. 1.* & Toletan. 11. *cap. 1.* in Trident. *sess. 3.* & in aliis, quæ videri possunt apud Doctor. cit.

5. Probatur tertiò ex Sanctis Patribus ex D. Athan. in Symbol. ibi: *Spiritus Sanctus*, inquit, *à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Et Tertul. *lib. contr. Praxeam. Tertius*, inquit, *est Spiritus à Deo (Patre) & Filio.* Et D. Hilar. *2. de Trinit. ad finem: Spiritum Sanctum de Patre, & Filio authoribus esse, confitendum est.* Et D. Amb. *lib. 1. de Spir. Sancto cap. 10. Spiritus Sanctus*, ait, *cùm procedit à Patre, & Filio, non separatur à Filio.* Et D. Aug. *lib. 4. de Trinit. cap 20. Nec possumus dicere*, inquit, *quod Spiritus Sanctus, & à Filio non procedat; neque enim frustra idem Spiritus, & Patris, & Filii Spiritus dicitur.* Et *lib. 15. de Trinit. cap. 26. Sicut habet Pater*, ait, *in semet ipso, ut de illo procedat Filius, sic dedit Filio, ut de illo procedat Spiritus Sanctus.* Et D. Leo *1. Epist. 91. Alius est*, inquit, *qui genuit, alius, qui genitus est, alius, qui de utroque procedit.* Et ex Græcis D. Athan. *serm. 4 contr. Arianos & Epist. ad Serapionem:* ibi: *Mandat Apostolus, hæreticum hominem post unam, aut alteram correptionem devita..... nisi Spiritum Sanctum profiteantur Deum essentialiter ex Deo Filio existentem, ut nos profitemur, eos non recipias.*

6. Idem habent ex Græcis etiam D. Basil. *lib. 3. contr. Eunom. Dignitate namque*, ait de Spiritu Sancto, *ipsum secundum à Filio, cùm ab ipso esse habeat.* Et D. Epiphan. *hæres. 69.* de Spiritu Sancto dicit: *Ex Patre procedens, & de Filio accipiens.* Et *in Anchorat.* dicit, *Spiritum Sanctum esse ex Filio.* Et iterùm: *Esse ex Patre, & Filio, & ab utroque.* Et D. Chrysost. *tom. 5. hom. 1. de Symbol. Iste est*, inquit, *Spiritus de Patre & Filio procedens.* Et *hom. 2. Spiritum Sanctum dicimus Patri, & Filio coæqualem, & procedentem de Patre, & Filio.* Et D. Cyril. Alex. *lib. 13. Thesaur. cap. 2. Ex Filio*, inquit, *naturaliter, & substantialiter Spiritum Sanctum, sicut ex Patre, provenire credimus.* Idem habet *lib. 11. in Joan cap. 1. & 25. & lib. 12. cap. 56. & lib. 5. 6. & 7. Dialogor. de Trinit. & Epist. ad Nestorium*, habent etiam D. *Greg. Nyssen. lib. ad Ablatium. D. Greg. Thaumaturg. in regul. fidei*, & alii apud Doctor. cit.

7. Probatur quartò ex principiis, quibus utuntur ipsi Græci ad explicandam processionem Spiritûs Sancti. Primum est, Spiritum Sanctum *emitti, dari, profluere, emanare, procedere per Filium*; sed idem est, Spiritum Sanctum *per Filium*, atque *à Filio* procedere, ut fuit declaratum in Concil. Florent. ipsis Græcis approbantibus; ergo &c. Secundum est, Spiritum Sanctum esse *Imaginem, Verbum, Characterem, Sigillum* Filii; sed hæc omnia important originem ab eo, cujus sunt *Imago, Verbum, Character, & sigillum*; ergo &c.

8. Tertium est, Spiritum Sanctum esse *naturalem Spiritum Filii non minùs, quàm Patris*; sed ideò dicitur Spiritus Patris, quia à Patre procedit; ergo quia à Filio procedit, dicitur Spiritus Filii. Quartum est, quia Patrem comparant *Soli*, Filium *radio*, Spiritum Sanctum *splendori*; sed non minùs activè *splendor* procedit à *radio*, quàm *radius à Sole*; ergo & Spiritus à Verbo.

9. Quintum est, quia Filium vocant *fontem*, & *authorem* Spiritûs Sancti; sed hæc important principium originativum; ergo &c. Sextum est, quia dicunt, Spiritum Sanctum esse, sive existere *de essentia, de substantia, de hypostasi, de Persona Filii*; sed particula *de* præter consubstantialitatem importat etiam originem Personæ ab ea, de qua existit, aut subsistit; ergo si Spiritus Sanctus existit de substantia, seu hypostasi Filii, originatur à Filio. Septimum est, quia asserunt *eodem modo se habere Spiritum Sanctum ad Filium, sicut se habet Filius ad Patrem*; sed Filius se habet ad Patrem ut ab eo originatus; ergo etiam Spiritus Sanctus ad Filium ut originatus ab illo.

10. Probatur quintò rationibus: Prima est, quia Pater per generationem omnia communicat Filio, Paternitate excepta, ut patet ex supra dictis, & ex illo Christi Domini Joan. 16. *Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt*; ergo ei communicat vim spirandi; siquidem vis spirandi non opponitur Filiationi, sed spirationi passivæ; sed posità eadem vi spirandi in Patre, & in Filio, impossibile est, Patrem spirare Spiritum Sanctum, & simul illum non spirari à Filio, cùm processio Spiritûs Sancti immediatè, & adæquatè sit ab ipsa virtute spirandi; impossibile autem est, quod virtus in Patre, & in Filio sit eadem, & ab ea procedat Spiritus Sanctus, prout est in Patre, & non ita ab ea procedat, prout est in Filio; ergo &c. Confirmatur, quia ex eo, quod virtus productiva creaturæ sit eadem in omnibus Personis divinis, impossibile est produci creaturam ab una Persona divina, & non ab omnibus simul; ergo impossibile est, quod virtus spirandi sit eadem in Patre, & in Filio, & Spiritus Sanctus procedat ab illa in Patre, & non procedat simul ab ea in Filio.

11. Secunda est, quia in Divinis omnia sunt unum, ubi non obviat oppositio relativa; sed Pater, & Filius non opponuntur in virtute spirativa; ergo &c. Tertia est, quia, ut ex dicendis constabit, si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, ab eo non distingueretur; sed distinguitur, ut est de fide; ergo ab eo procedit.

12. Objicies 1. Nunquam Scriptura expressè asseruit, Spiritum Sanctum à Filio procedere, cùm tamen apertè dicat à Patre procedere. Joan. 15. ibi: *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*; ubi Christus Dominus, sicut dixit procedere à Patre, dixisset simul à se ipso procedere, si ab illo

illo procederet; sed ut ait D. Cyril. Hierosolym. *cateches. 16. Dicamus*, inquit, *de Spiritu Sancto ea tantùm, quæ scripta sunt, si quid autem scriptum non est, curiosè non scrutemur*; ergo Spiritus Sanctus à Filio non procedit.

13. Respondeo ad argumentum negativum non convincere, qui enim unum affirmat, alterum non negat. Præterquam quod loca scripturæ adducta, satis probant hanc veritatem; maximè accedente authoritate Sanctorum Patrum, & Concilior. atque etiam regulâ illâ D. Anscl. *lib. de Spirit. Sancto. Quod à Sacra Scriptura tribuitur uni Personæ, aliis tribuendum est, si cum illarum proprietate non repugnet.* Additur, processionem Spiritûs Sancti, licet non sit in Scriptura expresè quoad verbum *procedendi* à Filio, esse tamen expresè quoad rem significatam, quod satis est, ut hæc veritas potuerit ab Ecclesia definiri, ut fuit definita. Neque enim in Scriptura habetur expresè, quod Spiritus Sanctus sit consubstantialis, & coæqualis Patri, & Filio; & tamen hoc à multis Conciliis fuit definitum, & nobiscum credunt Græci. Cur autem Christus Dominus dixerit expresè procedere à Patre, & noluerit expresè dicere, quod à se procederet, rationem tetigit D. Aug. ut scilicet omnia referret ad Patrem, tanquam ad primum principium, & fontem totius divinitatis; cùm tamen aliundè id satis expresserit, cùm dixit: *Quia de meo accipiet*: & *quem ego mittam vobis à Patre.*

14. Instabis: Filius dicitur missus ab Spiritu Sancto Isai. 48. ibi: Et nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus: Idemque habetur, Isai. 61. & Luc. 4. & tamen Filius non procedit ab Spiritu Sancto; ergo &c. Respondeo Christum Dominum dici missum ab Spiritu Sancto, in quantùm homo, cujus missionis denominatio per communicationem idiomatum tribuitur etiam Verbo.

15. Objicies 2. In Concil. Nicæno compositum fuit Symbolum fidei ab omnibus credendum, quod in Concil. Constantinopol. 1. additâ particulâ *Ex Patre procedentem*, iterum fuit approbatum, & simul cautum, sicut & in Synodo Ephesina, sub anathemate, nè quis auderet aliam fidem componere, scribere, aut proferre, quàm quæ in dicto symbolo continetur; sed ibi non continebatur, nisi processio Spiritûs Sancti à Patre; ergo asserere, Spiritum Sanctum procedere à Filio, est contra decretum horum Conciliorum.

16. Respondeo ideò hoc in antiquioribus Conciliis non fuisse expresè definitum, quia de hoc puncto nulla erat exorta controversia, sed erant alii errores corrigendi: postquam verò controversia orta est inter Patres Græcos, & Latinos, veritas catholica constanter definita est in 7. Synodo Nicæna 2. & posteà confirmata in Concil. Lugdun. Lateran. & Florent. supra cit. in quibus Græci convenerunt, & consenserunt Erat tamen eadem veritas in ipsis antiquioribus implicitè contenta, ut ostendunt Doctores supra cit. præsertim *P. Soar. lib. 10. de Trinit. cap. 1. n. 8.* Neque in Concil. Constantinopol. & aliis hoc fuit declaratum, quia hæc causa tunc non agebatur, & ad confutandas hæreses, quæ tunc fuerant ortæ, sufficienter visum est illo tantùm modo loqui, quo loquitur Scriptura. Neque Ecclesia exprimendo processionem à Filio aliquid contrarium docuit fidei propositæ in eo Concilio, sed eadem expressiùs tradidit, quod potuit, & debuit; siquidem ad Ecclesiam, & Pontificem Romanum spectat res fidei declarare, quidquid Scholastici conquerantur.

17. Objicies 3. Multi ex Sanctis Patribus dicunt, Spiritum sanctum à Patre procedere, nulla facta mentione Filii, sic D. Athan. *Dialog. 1. de Trinit. Pater*, inquit, *emittit Spiritum Sanctum.* Idem habent *D. Nazianz. orat. 37. & 39. D. Cyril. Alex. Epist. ad Anastasium. D. Dionys. lib. de divin. nomin. cap. 2. Solus*, inquit, *fons supersubstantialis Deitatis est Pater.* D. Athan. *tom. 2. in quæst. q. 4. Deus, & Pater*, inquit, *ipse solus est causa duobus, & ingenitus.* Et D. Basil. *Epist. 43. Nullam*, inquit, *secundùm propriam notionem, communionem habet Filius cum Patre.* Idem habet D. Greg. Nyssen. *lib. de different. essentiæ.* Et D. Damascen. *lib. 1. Fidei cap. 11. Spiritum*, inquit, *per Filium esse dicimus, sed ex Filio Spiritum Sanctum non dicimus*; ergo &c.

18. Respondeo primò, hos Patres, (& si qui sint alii) nullam particulam exclusivam Filii ibi apponere, sicque argumentum nullius esse ponderis; siquidem qui unum affirmat, alterum non negat. Credendum igitur solius Patris mentionem fecisse, propter aliquos illius temporis hæreticos negantes processionem Spiritus sancti à Patre. Præsertim quia hi, aliique plures ex Sanctis Patribus Græcis, ut supra vidimus, processionem Spiritûs sancti à Filio asseruerunt, & si aliqui id negarunt; aut ideò sic locuti sunt, quia pro tunc non adeò expressus erat hic fidei articulus; aut solùm negarunt, Spiritum sanctum esse a Filio, ut à primo principio habente virtutem à se.

19. Respondeo secundò specialiter D. Athan. satis expresè docuisse, Spiritum sanctum à Patre, & Filio procedere, ut supra vidimus in ejus symbolo; undè quando solius Patris fecit mentionem, locutus est de Patre, tanquam de primo principio, sic enim à solo Patre procedit. In hoc etiam sensu intelligendi sunt omnes alii Patres, excepto D. Damascen. de quo statim. Ad illud tamen D. Basil. & D. Greg. Nyssen. quatenùs dicunt, Filium nullam habere communem notionem cum Patre, intelligendi sunt de Notione personali oppositâ Patri, qualis non est spiratio activa, quæ solùm opponitur spirationi passivæ.

20. Ad locum illum D. Damascen. respondet D. *1. p. q. 36. art. 2. ad 3.* eum fuisse in hoc Græcorum errore, sicque illius sententiæ non esse standum. Mihi tamen de tanto Patre id sentire, par non est: Primò, quia D. Damascen. expresè dixit, ut supra vidimus, Spiritum sanctum esse Imaginem Filii; nõ autem potest esse Imago Filii, quin ab illo procedat, cùm processio sit de quidditate Imaginis, ut diximus. Secundò, quia loco citato dicit, Spiritum sanctum esse *per Filium*; non autem potuit ignorare præpositionem *per* in sacris litteris significare efficientiam juxta illud Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Tertiò, quia eum vocat Spiritum Filii; hoc autem verificari non potest, nisi ratione originis à Filio. Quartò, quia ibidem comparat Spiritum sanctum *splendori*, Filium *radio*, & Patrem *Soli*; sed radius activè procedit à Sole, & splendor à radio; ergo sic procedit Spiritus à Verbo, sicut Verbum à Patre; ergo dicendum est, hunc Patrem non negasse simpliciter, Spiritum Sanctum à Filio procedere, sed solùm non procedere à Filio tanquam à primo principio, & fonte, ut ex illius verbis colligitur, quatenùs loquens de Patre: *Ipse enim*, ait, *fons est, & radii, & splendoris.*

21. Objicies 4. D. Maximus *Epist. ad Marinum* dicit, Latinos Patres non concedere, Filium esse causam, hoc est principium Spiritûs sancti. Et Leo III. Papa jussit scribi symbolum Constantinopolitanum absque additione *Filioque*, dicendo procedere

procedere à Patre, cùm tamen eo tempore jam fuisset additio facta. Respondeo D. Maximum intellexisse *causam* ut Latini intelligunt, non pro principio productivo simpliciter, sed productivo cum dependentia termini producti à principio producente. Ad illud Leonis III. dicimus id fecisse, ut servaretur memoria symboli Constantinopolitani, quæ nova explicatione obliterari poterat; & ut constaret nihil contrarium antiquitati doceri, sed integram retineri fidem antiquam, solis de novo positis explicationibus.

22. Objicies 5. Pater se solo est sufficiens principium Spiritûs sancti; alioqui non haberet à se adæquatam virtutem spirativam, sed haberet illius complementum à Filio, quod est falsum; ergo non est cur dicamus, Spiritum sanctum procedere à Filio. Respondeo primò, Patrem se solo esse sufficiens principium Spiritûs sancti quoad rationem formalem spirandi, licet non quoad conditionem suppositi; siquidem ad processionem Amoris mutui requiritur duplex Persona; ut ex infrà dicendis constabit.

23. Respondeo secundò, Spiritum sanctum procedere etiam à Filio, non ex defectu, seu indigentia potentiæ spirativæ in Patre, sed ex unitate ejusdem potentiæ spirativæ in Patre, & in Filio; siquidem ex suppositione, quod eadem virtus spirandi sit in utroque, non potest Spiritus sanctus ab ea produci, nisi prout est in utroque. Patet in productione creaturæ, quæ producitur à tota Trinitate, non ex defectu, seu indigentia virtutis in qualibet Persona, cùm quælibet habeat adæquatam virtutem producendi creaturam, sed quia ex suppositione quod eadem virtus sit in omnibus, non potest creatura ab illa produci, nisi prout est in omnibus, ideoque dicitur actiones Trinitatis *ad extra* esse indivisas.

24. Objicies 6. Si Spiritus sanctus procederet à Filio, & hic esset illius productivus, cùm Spiritus sanctus non sit etiam productivus alterius Personæ, sequeretur Filium, & Spiritum Sanctum non esse æquales; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam; nam Filius est æqualis Patri, licet Pater, & non Filius sit productivus, ut ipsi Græci affirmant; ergo etiam Filius, & Spiritus sanctus erunt æquales, licet ille, non verò iste sit productivus. Et ratio est, quia æqualitas Personarum attenditur penes Naturam, quæ in omnibus est eadem includens omnem perfectionem simpliciter.

25. Objicies 7. Si Spiritus sanctus procederet à Patre, & à Filio, cùm Pater, & Filius sint duo suppositа, erunt etiam duo principia; consequenterque Spiritus sanctus erit à duobus principiis, quod est error; ergo &c. Respondeo Patrem, & Filium, licet sint duo suppositа, non esse duo principia; siquidem habent eandem virtutem spirativam formaliter. De hoc tamen Sectione sequenti.

SECTIO II.

Qualiter Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedat?

26. CONCLUSIO 2. Spiritus Sanctus æquè procedit à Patre, atque à Filio; neque enim priùs, aut perfectiùs, nec principalius, aut magis propriè, immediatiùsque est ab uno, quàm ab alio. Ita *Magist. in 1. dist. 12. & 29. cap. ult. D. Thom. 1. p. q. 36. art. 3. P. Vasq. ibid. P. Soar. lib. 10. de Trinit. cap. 4. P. Arrub. d. 129. n. 6. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 5. num. 21. P. Amicus d. 27. sect. 4. n. 81. P. Arriaga 1. p. d. 53. sect. 1. n. 4. P. Granad. 1. p. tract. 10. d. 3. n. 3. P. Becan. P. Molin. 1. p. q. 36. art. 3. P. Martin.* & alii supra cit. Probatur primò ex communi sensu Ecclesiæ, & authoritate Patrum, quos inter D. Ansel. *Epist. de processione Spirit. Sanct. cap. 16.* rem totam expressis verbis declarat: *Non est*, inquit, *Spiritus Sanctus priùs de Patre, quam de Filio, nec de Filio, quàm de Patre: Nec major, nec minor est existens de Patre, quàm existens de Filio; nec magis, nec minùs est de uno, quàm de alio*; ergo &c.

27. Probatur secundò rationibus: Prima est, quia in Patre, & in Filio est eadem numero virtus spirandi, eaque tam propria Filii, quàm Patris; ergo æquè propriè, principaliter, & immediatè producit ut est virtus Patris, atque ut est virtus Filii; consequenterque Spiritus sanctus æquè propriè, principaliter, & immediatè procedit à Patre, & à Filio.

28. Secunda est, quia Pater, & Filius æquè propriè, & principaliter sunt Deus, licet Filius divinitatem habeat à Patre, & Pater à se; ergo æquè propriè, & principaliter sunt spirator, licet Filius à Patre habeat virtutem spirandi, & Pater à se. Tertia, quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus æqualiter creant, propter eandem numero potentiam, licet Pater à se, Filius à Patre, & Spiritus sanctus à Patre, & à Filio eam potentiam habeant; ergo etiam Pater, & Filius æqualiter spirabunt, licet Pater à se, & Filius à Patre habeant eam virtutem spirandi.

29. Quarta est, quia inæqualitas, (si daretur,) aut proveniret ex inæqualitate virtutis formalis spirandi; aut ex inæqualitate suppositi: Non primum; siquidem virtus formalis, nempè volitio, in utroque est eadem numero: Non secundum; siquidem Personalitates sunt æquales, nam *quod perfectionis* dicit in Patre esse Patrem, dicit etiam in Filio esse Filium; æquè enim identificantur Deitati; ergo cùm non appareat ex quo habeant inæqualitatem, æqualiter producunt, consequenterque Spiritus sanctus æqualiter ab utroque procedit.

30. Argues 1. authoritate D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 17.* ubi affirmat, Spiritum sanctum *principaliter* procedere à Patre, non absolutè, sed comparativè ad Filium: *Ideò*, inquit, *addidi principaliter, quia & de Filio Spiritus Sanctus procedere reperitur.* Idem habent D. Hieron. D. Greg. Nyssen. & Joannes Latinus in Concil. Florent. *sess. 24.* ubi de Filio: *Producit*, inquit, *& ipse Spiritum sanctum non principaliter, uti Pater.* Accedit modus loquendi Patrum Græcorum, quem usurpat D. Hilar. *lib. ult. de Trinit.* & approbat Eugenus IV. *in Decret. de unione*, nempè *Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere*; sed hæc omnia indicant aliquam inæqualitatem processionis Spiritûs sancti à Patre, & Filio; ergo &c.

31. Respondeo Patres tam Græcos, quàm Latinos illis locutionibus solùm velle significare, Spiritum sanctum non procedere à Filio, tanquam à primo principio, id est, improducto, quod est proprium solius Patris, à quo Filius habet virtutem productivam Spiritûs sancti; & hoc tantùm significatur illis locutionibus. Nunquam tamen concedendum est, Patrem producere, mediante Filio, cùm producat eâdem omninò virtute, & eodem omninò actu. Sic etiam dici non potest, Filium producere Spiritum sanctum per Patrem, id est, mediante Patre; maximè autem, si idem sit, atque

per

per virtutem acceptam à Patre; sic enim dicimus de Prætore gubernare per Regem, id est, per potestatem à Rege acceptam.

32. Argues 2. Spiritus sanctus procedit à Patre ut à principio à se, à Filio autem ut à principio ab alio; ergo ab illis procedit inæqualiter. Respondeo negando consequentiam; ea enim diversitas à se, & ab alio in principio non tollit æqualitatem spirandi, quia Spiritus sanctus non procedit à Patre, & Filio ut à duobus principiis, ut infra dicemus, sed ut ab uno spiratore, quatenùs Pater, & Filius, supposita generatione, æquè propriè, & per se habent eandem virtutem spirativam.

33. Instabis: Licet actio procedens à Causa Prima, & secunda sit eadem indivisibilis, ab illis tamen procedit inæqualiter, quia à Prima procedit per virtutem à se, à secunda autem per virtutem ab alio; ergo idem dicendum erit de processione Spiritûs sancti à Patre, & à Filio, in quibus licet virtus spirandi sit eadem, in Patre tamen est à se, in Filio autem ab alio. Respondeo negando antecedens quoad rationem assignatam; neque enim effectus creatus procedit inæqualiter à Causa Prima, & secunda, quia Prima est à se; secunda verò ab alio; sed quia Prima concurrit per diversam virtutem altiorem & independentem; secunda verò per virtutem inferiorem, dependentem, & subordinatam in ipsa operatione: at verò Filius, licet à Patre procedat, non ei subordinatur in spirando, neque per diversam virtutem à Patre spirat, sicque est idem, & non diversus spirator à Patre, cum quo æqualiter producit Spiritum sanctum, & eodem modo, ut infra dicemus.

34. Argues 3. Filius spirat propter Patrem, nempè per id, quod accipit à Patre; ergo magis propriè, & principaliùs spirat Pater, quàm Filius; siquidem, ut ait Philosophus: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Respondeo negando consequentiam, ad cujus probationem dicimus, proloquium illud solùm valere ubi forma participata ab alio multiplicatur, & est diversa; non autè ubi est eadem, ut eadè est virtus spirandi in Patre, & in Filio. Patet, nam Filius est æquè Deus, Omnipotens, Justus, &c. atque est Pater, quia Deitas, Omnipotentia, & Justitia in Patre, & Filio est eadè, licet Filio communicata à Patre; ergo ita erit æquè spirator, ac Patre, quia virtus spirativa est eadem, licet Filio communicata à Patre. Patet etiã in creatis, nam si eadem albedo reproduceretur ab uno subjecto in alio, hoc non esset minùs album, quàm illud, quia eadem albedo non potest magis, & minùs cõmunicare suum effectum subjecto alioqui capaci; ergo similiter.

35. Argues 4. Spiritus sanctus procedit à Filio immediatè, mediatè verò à Patre; siquidem inter Patrem, & Spiritum sanctum mediat suppositum Filii; ergo procedit ab illis inæqualiter. Respondeo negando, antecedens: æquè enim immediatè procedit Spiritus sanctus à Patre, & à Filio, tam immediatione virtutis, cùm virtus spirandi sit eadem numero in utroque; eadem autem virtus numero respectu sui non potest esse proxima, & remota: quàm immediatione suppositi, quia ipsa virtus est æquè indistincta ab utroque supposito, & utrumque est æquè intimum, & immediatum Spiritui sancto; neque enim hic priùs à Patre, quàm à Filio, aut à Filio, quàm à Patre procedit. Undè ad probationem.

36. Respondeo distinguendo antecedens: inter Patrem, & Spiritum sanctum mediat suppositum Filii ordine procedendi; concedo antecedens: ordine spirandi; nego antecedens: mediat ordine procedendi, quia priùs origine procedit Filius à Patre, quàm ab utroque procedat Spiritus sanctus: non autem mediat ordine spirandi, quia non priùs spirat Pater, quàm Filius, neque immediatiùs Filius, quàm Pater; siquidem, positâ processione Verbi, simul, ac semel sunt Pater, & Filius in spirando Spiritum sanctum.

37. Argues 5. Pater priùs origine, quàm Filius habet virtutem spirandi; ergo etiam priùs origine spirat, quàm Filius; consequenterque Spiritus sanctus inæqualiter ab illis procedit. Respondeo negando consequentiam: Pater quidem priùs origine habet virtutem spirandi, quatenùs illam habet à se, & communicat Filio; non tamen priùs spirat, quàm Filius, quia, ut supra diximus, non communicat Filio spirationem activam formaliter, sed tantùm radicaliter; sicque non supponitur origine spirans, sed simul cum Filio jam producto spirat Spiritum sanctum.

38. Argues 6. Spiritus sanctus procedit à Filio, ut à verbo proponente immediatè bonum; à Patre autem ut à proferente verbum; sed hæc aliquam inæqualitatem indicant; ergo &c. Respondeo negando majorem: nam propositio boni consistit in cognitione essentiali, quæ eadem est in Patre & Filio, imò & in Spiritu sancto, & solùm appropriativè tribuitur Verbo, quatenùs illam habet formaliter ex vi suæ processionis: Undè Spiritus sanctus procedit à Patre, & à Filio, ut ab uno spiratore, quâ ratione sunt unum, & idem principium spirativum æqualiter spirans.

39. Argues 7. Pater respectu virtutis spirativæ habet se ut *Proprietarius*; Filius verò ut *Usuarius*; siquidem Pater in spirando à nullo dependet, cùm id habeat à se: Filius verò dependet à Patre, cùm id habeat à Patre; sed *proprietarius* magis propriè rem possidet, quam *usuarius* ob rationem assignatam; ergo magis propriè spirat Pater, quàm Filius. Respondeo negando majorem: *usuarius* enim solùm habet usum, non proprietatem rei: Filius autem in divinis non habet solùm usum virtutis spirativæ, sed etiam proprietatem æquè perfectam, ac Pater, utpotè qui cum eâdem omninò perfectione, & necessitate eam possidet, ac Pater, licet hic à se, Filius verò à Patre; quod non tollit, quominùs Filius eam possideat cum eadem perfectione, & proprietate, ac Pater; sic enim æquè propriè est Deus, ac est Pater, licet Pater habeat à se Deitatem, Filius verò eam habeat à Patre.

40. Argues 8. Spiratio activa identificata Voluntati Divinæ constituit Spiratorem, sive principium spirans, quod immediatè spirat Spiritum sanctum; ergo hic non procedit immediatè à Patre, & Filio. Respondeo negãdo consequentiam: nam cùm hoc principium non distinguatur realiter à Patre, & Filio; imò subsistat subsistentiis Patris, & Filii, ejusque proprietas, nempè spiratio activa includatur in Paternitate, & Filiatione, non dicitur propriè mediare inter Personas producentes, & Spiritum sanctum productum; nihil enim dicitur mediare inter idem, & se ipsum. Neque etiam hoc principium facit, quod Spiritus sanctus per accidẽs procedat à Patre, & Filio; sicut nepos in creatis per accidens procedit ab avo; siquidem tale principium non distinguitur realiter à prima, & secunda Persona, easque postulat formaliter, & per se ad productionem Spiritûs sancti: at verò avus in creatis, & nepotis pater distinguuntur realiter, neque unus per se, & formaliter, sed per accidens alium postulat.

41. Dubium adhuc est: An Spiritus sanctus procedat à Patre,

à Patre, & Filio, non solùm æquè primò, & immediatè, ut diximus, sed etiam eodem modo? Affirmativè. Ita *P. Soar lib 10. de Trinit. cap. 4. num. 11. Magist. in 1. dist. 29. cap. ult. Altisiodor. 1. sum. cap. 3. Arimin. in 1. dist. 12. q. unica D. Thom. in 1. dist. 12. q. 1. art. 2, Marsil. q. 31. art. 3. Aureol. in 1. dist 12. art. 2.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 69. de Trinit. sect. 5. n. 2. P. Amicus d. 27. sect. 4. n. 107.* & alii Probatur, quia Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio ut ab uno, & eodem principio formaliter spirativo ad unũ determinatum terminum, & ad unicam spirationem determinato, ut est definitum in Concil. Lugdun. & Florent. definientibus, Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio *tanquam ab uno principio, & unica spiratione*; sed terminus procedens ab uno, eodemque principio formali summè determinato ad illum producendum per unam indivisibilem actionem, non potest, nisi uno, eodemque modo ab illo procedere; siquidem diversitas modi procedendi debet oriri ex aliquo principio formali diverso; ergo &c.

42. Dices 1. Non idem est procedere æqualiter, & procedere eodem modo; siquidem Filius, & Spiritus sanctus æqualiter, non tamen eodem modo procedunt à Patre, ut patet; ergo licet Spiritus sanctus æqualiter procedat à Patre, & Filio, non tamen procedet eodem modo. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Filius, & Spiritus sanctus sunt diversi termini, diversis processionibus, & à diversis principiis formaliter procedunt; ideoque, licet æqualiter, diverso tamen modo procedunt: at verò Spiritus sanctus est idem terminus ab eodem principio, & eâdem spiratione procedens; sicque non habet à quo desumatur diversitas aliqua in modo procedendi.

43. Dices 2. Spiritus sanctus exigit procedere à Patre ut locutore, & à Filio ut verbo; hoc autem dicit diversitatem in modo procedendi; ergo &c. Respondeo negando minorem: nam illa exigentia non est in ratione principii formalis, quod necessarium erat ad diversum modum procedendi; aliud enim est exigere duo suppositа, aliud illa exigere, ut diversa principia; exigit quidem Patrem, & Filium in ratione suppositi, sed utrumque ut sunt idem in ratione principii, ut infrà dicemus.

44. Advertes hîc primò, aliquam hîc esse controversiam inter Doctores citatos de modo loquendi in hac spiratione Patris, & Filii, quæ tota consistit in quibusdam locutionibus admittendis, aut non admittendis: undè vitanda est omnis comparatio; & propositiones, quæ diversitatem innuunt, & in Patribus, aut Scholasticis reperiuntur, intelligendæ sunt sano sensu, ita ut solùm significent, Patrem spirare à se, Filium verò per virtutem acceptam à Patre. Igitur.

45. Advertes secundò, has non esse admittendas: *Pater principaliùs spirat: solus Pater propriè spirat: Filius non ita propriè spirat, sicut Pater*: licet primam admittant *D. Bonav. in 1. dist. 12. q. 1. & 2. Durand. q. 2. Major. q. 1. Marsil. q. 15. art. 2. nec rejiciat Scot. q. 2. §. Ad argumenta*; alias autem teneant *Scot. cit. & Henricus in sum. art. 54. q. 7. ad 2.* Patet, quia prima fit per comparativum *principaliùs*: aliæ verò continent etiam sensum comparativum, qui semper in hac materia suspectus est; siquidem omne comparativum vi propriæ significationis importat inæqualitatem inter extrema comparata.

Advertes tertiò, aliquos admittere has: *Patr priùs authoritate spirat: Pater principaliter spirat: Pater, & Filius, quantùm ad ordinem Personarum producentium non æquè, seu uniformiter spirant*: primam enim admittunt *D. Bonav. & Marsil. cit.* Secundam *P. Vasq. 1. p. q. 36. art. 3. cum D. Thom. & Gabr. P. Amicus cit. n. 88.* Tertiam autem *Henricus cit. ad 1. Gabr. art. 2. conclus. 1.* quatenùs solùm denotant prioritatem originis; verè enim Patri convenit spirare ut primo principio, quod tantùm important prædictæ locutiones. Ego autem ab illis puto omninò abstinendum juxta ea, quæ supra docuimus. 46

Advertes quartò, faciliùs admitti posse has: *Pater spirat per Filium, seu mediante Filio: Filius immediatè tantùm; Pater tùm immediatè, tùm mediatè spirat*: Primam enim tenent Scholastici cum *Magist. in 1. dist. 12. & D. Thom. 1. p. q. 36. art. 3.* Secundam autem *Richard. Victor. lib. 5. de Trinit. P. Amicus cit. n. 90.* Patet, quia ordine procedendi, ut diximus, verè Filius mediat inter Patrem, & Spiritum Sanctum, & priùs procedendo à Patre, simul cum Patre spirat: sicut proportione habitâ, Abel immediatè tantùm ab Heva, ab Adamo autem tùm immediatè, tùm mediatè processit, quatenùs priùs Heva ab Adamo, & deindè ab Adamo, & Heva Abel processit. 47

Quid autem judicandum sit de his: *Spiritus procedit à Filio per Patrem, seu mediante Patre: Filius spirat propter Patrem?* Primam admittunt *Durand. in 1. dist. 12. q. 3. Torres. 1. p. q. 36. art. 3. P. Ruiz d. 69. cit. sect. 3.* quatenùs per illam significatur, Filium spirare per virtutem communicatam à Patre. Secundam admittit *Palatius in 1. dist 12. d. unica*, & non rejicit *P. Amicus cit. n. 4.* quatenùs efficit eundem sensum, quem efficit prima. Addit tamen P. Amicus non esse absolutè admittendas, licet censurâ aliquâ dignas non judicet. 48

SECTIO III.

Vtrùm Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio, ut ab uno principio, & duobus Suppositis?

Hæc quæstio etiam excitata est occasione erroris Græcorum; ut enim dicerent, Spiritum sanctum non procedere à Filio, sic arguebant contra Latinos: si Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio, utrumque exigit ad sui processionem; ergo exigit duo suppositа, à quibus procedat; sed duo suppositа, quæ exiguntur ut duo, sunt duo principia, saltem ut *quod*; ergo procederet à duobus principiis; quod tamen videtur esse contra locutionem Conciliorum, & Sanctorum Patrum. Ut igitur quæstioni, & argumento satisfaciamus: sit: 49

Difficultas 1. Utrùm Spiritus sanctus procedat à Patre, & Filio, ut ab unico principio Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 36. a. 4. P. Soar. lib. 10. de Trinit. cap. 7. n. 2. D. Bonav. Richard. P. Vasq. 1. p. d. 149. cap. 3.* qui sententiam contrariam dicit temerariam *P. Mol. 1. p. q. 36. art. 4. d. 4. P. Tanner. 1. p. d. 4. q. 4. dub. 7. n. 2 Torres. q. 36. art. 4. com. p. 2. P. Amicus d. 27. sect. 5. n. 112. P. Ruiz d. 70. de Trinit. sect. 1. n. 1. qui n. 14.* contrarium dicit temerarium, & periculosum *P. Præposit. 1. p. q. 36. art. 4. dub. 5.* ubi hanc sententiam dicit de fide *P. Arrub. d. 129. cap. 2. n. 10.* 50

ubi

ubi contrariam sententiam dicit temerariam, & errori proximam. *P. Arriaga d. 58. sect. 1. num. 5.* ubi contrariam dicit erroneam.

51. Probatur primò authoritate Concil. Lugdun. sub Greg. X. *cap. unico de sum. Trinit. in 6.* ibi: *Damnamus omnes, qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum sanctum ex Patre, & Filio procedere, sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre, & Filio, tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedat.* Et Concil. Florent. *sess. 25.* § *Quid equidem*, & §. *Ego ab ineunte*, & *in litter. unionis.* sub Eugenio IV. ibi: *Definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus à Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumq; esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ex uno principio, & unica spiratione procedit.*

52. Probatur secundò authoritate Sanctor. Patrum. Ex D. Greg. Nyssen. *orat. 1.* ad illud Gen. 1. *Faciamus hominem. Una*, inquit, *in utroque forma, & principium à Patre in Filio idem est.* Et D. August. *lib. 5. de Trinit. cap. 13. & 14.* ibi: *Fatendum est Patrem, & Filium principium esse Spiritûs sancti, non duo principia. Sed sicut Pater, & Filius unus Deus, & ad creaturam relativè unus Creator, & unus Dominus, sic relativè ad Spiritum sanctum unum principium.* Et D. Ansel. *Epist. de procession. Spirit. Sanct. cap. 11. Quoniam*, inquit, *sicut non credimus Spiritum Sanctum esse de hoc, unde duo sunt Pater, & Filius, sed de hoc, in quo unum sunt, ita non dicimus duo ejus principia, sed unum principium.* Idem habent *D. Nazianz. orat. 37. de Spirit. Sanct. & orat. 49. de Fide. D. Athan. orat. 5. contr. Arian. D. Isidor. lib. 1. de sum. bono cap. 15.* & alii.

53. Probatur tertiò ratione, quia substantiva non multiplicantur, nisi multiplicatâ ratione formali; aut quia solam formam dicunt in recto, ut aliqui dicunt; aut quia licet in recto dicant etiam suppositum, formam tamen dicunt principaliter, & per modum independentis, & non adjacentis, ut alibi diximus; sed nomen *principium* sive *Spirator* est substantivum, ratio autem formalis spirandi nempè voluntas, & ipsa actualis spiratio est realiter eadem in Patre, & Filio, ut supra diximus; ergo &c. Confirmatur, quia hac eâdem ratione tres Divinæ Personæ sunt unus Deus, unus Omnipotens, unus Justus, unus Creator, sive unum Principium creativum, non autem plures Dii, Omnipotentes, Justi, & Creatores substantivè, quia in omnibus substantivè eadem est Deitas, Omnipotentia, Justitia, & Creatio; ergo &c.

54. Oppositum temerè, ut ait *P. Soar. cit.* asserunt *Durand. in 1. dist. 29. q. 2. & 3. Arimin. in 1. dist. 12. q. 1.* dicentes, Patrem, & Filium in rigore non esse unum principium, sed potiùs duo, licet propter periculum aliter Patres loquantur ad declarandam unitatem virtutis spirativæ, quæ est eadem in utraque Personâ, & unitatem termini producti, illiusq; productionis. Ab illis parùm distant *Gabr. in 1. dist. 12. q. 1. art. 2. conclus. 2. & art. 3. dub. 1. Ocham. & Altisiodor. lib. 1. sum. cap. 2.* quatenùs dicunt, posse vocari unum, & duo principia diversis respectibus, admonendo tamen, ut cum Ecclesia loquamur, licet de rigore sermonis possint duo principia appellari: pro quibus:

55. Argues 1. D. Hilar. *lib. 2. de Trinit.* dicit, Spiritum sanctum esse à Patre, & Filio authoribus: *Spiritus*, inquit, *de Patre, & Filio authoribus confitendus est*; sed idem est author, atque principium; ergo &c. Respondeo D. Hilar. loco citato sumere nomen *authoribus* adjectivè pro eodem, atque producentibus, quo pacto sunt duo habentes authoritatem producendi, seu spirandi. Ita D. Thom. cit.

56. Argues 2. Concil. Lugdun. & Florent. cit. dicunt, Spiritum sanctum esse ex Patre, & Filio, *tanquam ab uno principio*; sed particula *tanquam* minuit rigorem sermonis, quasi minùs propriè dicatur unum principium; ergo &c. Respondeo particulam *tanquam* non esse diminutivam, sed ostensivam veritatis, ut est Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi* (seu tanquam) *unigeniti à Patre*: quæ interpretatio est evidens; siquidem Concil. eâ dictione utuntur ad definiendam veritatem contra hæreticos, & in utroque membro apposita est particula *tanquam*: ibi: *Tanquam ex duobus, non tanquam ab uno*: Undè quod in uno verè negat, in alio verè affirmat.

57. Argues 3. Hîc non est sermo de unitate principii *quo*, sive hoc consistat in volitione absoluta, sive in ipsa relatione spiratoris; siquidem manifestum est hanc, & illam esse unam, & eandem in Patre, & Filio; sed de principio *quod*, quod absolutè denominatur principium ut distinctum à termino; atqui non minùs Pater, quàm Filius, aut Filius, quàm Pater est principiũ *quod* Spiritûs sancti, & tale sunt in ratione suppositi, quod est duplex; ergo sicut sunt duo suppositа, ita dici possunt duo principia.

58. Respondeo hîc sermonem esse de unitate principii *quo*, non in abstracto, sed in concreto substantivè significato; ut sic autem est unum, & non duo; aliud enim est loqui de Patre, & Filio in ratione suppositi, in quo sensu sunt duo; aliud de illis loqui in ratione principii, in quo sensu sunt unum, ad quod non obstat multiplicitas suppositi. Patet, quia ut dicantur duo suppositа, nihil obstat unitas Naturæ, quæ de connotato significatur à ratione suppositi; ergo etiam, ut dicantur unum principium, nihil obstabit multiplicitas suppositi, quod de connotato significatur à ratione principii.

59. Argues 4. Hoc nomen *Principium*, quando Pater, & Filius dicuntur unum principium Spiritûs sancti, aut supponit pro Essentia Deitatis; aut pro virtute, seu potentia spirativa; aut pro actuali spiratione, sive relatione spiratoris; aut pro supposito aliquo determinato: Non primum; sicut enim essentia non generatur, neque spiratur, ita neque generat, neque spirat: Non secundum; siquidem Pater, & Filius sunt principium Spiritûs sancti; propriè autem loquendo non sunt virtus spirativa, nec actualis spiratio, nec relatio spiratoris: Non tertium; siquidem quocunque supposito determinatè assignato, falsum est dicere, Pater, & Filius sunt hæc Persona spirans; ergo supponit pro utroque supposito, quod est duplex; ac proindè duplex est principium Spiritûs sancti.

60. Respondeo cum *P. Soar. P. Ruiz, & P. Amico cit.* negando majorem quoad secundam partem; nam hoc nomen *principium* respectu Spiritûs sancti significat de formali virtutem, seu potentiam spirativam; de materiali autem, seu de connotato significat rationem suppositi communem, & veluti abstractam à duabus Personis, prout habet prædictam virtutem spirandi, operationem, & relationem spirationis. Patet, quia Pater, & Filius sunt unus Deus propter significatum formale, quod est unum, nempè *Deitas*, licet hæc necessariò postulet tria suppositа, in quibus subsistat, & quæ nomen

Deus non dicit determinatè, sed indeterminatè; ergo etiam Pater, & Filius erunt unum principium Spiritûs Sancti propter unitatem virtutis spirativæ, quæ est significatum formale; licet hoc necessariò postulet duo suppositа, quæ nomen *principium* dicat veluti in communi, & indeterminatè.

61. Argues 5. Si Pater, & Filius essent unum principium Spiritûs Sancti; aut essent unum principium, quod esset Pater, & hoc non; alioqui sequeretur, aut Filium esse Patrem; aut complexum ex Patre, & Filio esse idem, quod solus Pater: aut essent unum principium, quod non esset Pater, & hoc etiam non; alioqui sequeretur, Patrem non esse Patrem; ergo &c. Respondeo primò cum *D. Thom. 1. p. q. 36. art. 4. ad 4. D. Bonav. in 1. dist. 29. art. 2. q. 1.* & aliis, has propositiones: *Pater, & Filius sunt unum principium, quod est Pater*: aut *unum principium, quod non est Pater*: non esse contradictorias; siquidem in utraque affirmatur principalis copula, ideoque opus non est, quod illarum altera sit vera, imò utraque est falsa; sicut falsæ sunt hæ ob eandem rationem: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt unus Deus, qui est Pater*: aut *sunt unus Deus, qui non est Pater*. Cùm tamen argumentum possit sic instaurari: *Hoc unum principium spirativum est Pater*: *Hoc unum principium spirativum non est Pater*; quæ videntur esse contradictoriæ, cùm tamen utraque videatur esse falsa propter rationem in argumento factam.

62. Respondeo secundò cum *P. Ruiz cit. sect. 2. n. 9.* negativam illam: *Hoc principium spirativum non est Pater*: esse veram, intelligendo *Patrem* præcisè, quin indè sequatur, quod Pater non sit Pater, licet Pater, & Filius sint hoc principium spirativum; siquidem suppositio simplex mutatur in suppositionem personalem; sic enim si diceres: *Trinitas non est Pater*: intelligendo *Patrem* præcisè, non liceret syllogizare; *sed Trinitas est Pater, Filius, & Spiritus sanctus; ergo Pater non est Pater.*

63. Argues 6. Si Pater, & Filius de rigore sermonis dicendi essent unum principium Spiritûs Sancti, sequeretur, posse etiam dici *idem* principium Spiritûs Sancti: Primò, quia *unum*, & *idem* æquivalent in significatione, & mutuò se inferunt: Secundò, quia unum in substantia facit idem: Tertiò, quia idem, & diversum, seu distinctum immediatè opponuntur, ita ut, quolibet ente assignato, necessarium sit, aut esse idem, aut distinctum ab alio, Pater autem, & Filius non sunt diversa principia; ergo idem: Quartò, quia unitas virtutis spirativæ efficit, quod Pater, & Filius sint unum principium; ergo etiam identitas virtutis spirativæ efficiet, quod sint idem principium; sequela autem est falsa: Pater enim, & Filius de rigore sermonis non sunt *idem principium*; siquidem relativum *idem* refertur ad suppositum, non prout est activum, sicut refertur *principium*, sed prout est suppositum; Pater autem, & Filius non sunt idem, sed duo suppositа; ergo &c.

64. Respondeo cum *D. Thom. cit. art. 4. ad 6. Cajet. P. Ruiz cit. n. 12.* concedendo sequelam; nam absque improprietate concedi potest, quod Pater, & Filius sint idem principium Spiritûs sancti; siquidem relativum *idem* potest significare solam identitatem in præcisa ratione habentis virtutem spirativam; sicut *unum* principium significat unitatem illius; sic enim Pater, & Filius propter unitatè, & identitatem Deitatis, dicuntur unus, & idem Deus.

65. Argues 7. Hoc nomen *Principium* est adjectivum; siquidem non significat Personam, sicut *Pater*, & *Filius*; neque substantiam, sicut *Deus*, sed proprietatem Personæ; ergò ratio principii multiplicanda est pro numero suppositorum. Respondeo negando antecedens; *principium* enim est nomen substantivum, cujus ratio non pendet ex re significata, sed ex modo significandi; habet autem modum significandi substantivè.

66. Argues 8. Formale significatum *principii* est duplex in Deo, & in Patre: aut saltem in Patre, & in Filio; siquidem Paternitas est una ratio principii; spiratio activa est altera ratio principii: Deindè Pater habet rationem principii generativi, & Filius rationem principii spirativi; ergo saltem Pater, prout est principium generationis, & Filius prout est principium spirationis, erunt duo principia. Respondeo Deum nullo modo esse duo principia, sive consideres solam Personam Patris, ut est principium generans, & spirans; sive consideres duas Personas, nempè Patrem ut generantem, & Filium ut spirantem; sic enim efficaciter colligitur ex Concil. Lugdun. & Florent. ac ex Patribus supra cit. qui absolutè, & universaliter negant duo principia Spiritûs sancti, & clariùs expressit *D. Ansel. Epist. de Procession. cap. 11.*

67. Et hujus argumenti ratio est, quia ad pluralitatem substantivam, ut ait *D. Thom. cit. art. 4. ad 2.* requiritur, non solùm multiplicitas formæ, quæ dicitur de formali, sed etiam suppositorum: sic tres Divinæ Personæ assumentes eandem humanitatem, non dicerentur tres homines, sed unus homo: cùm autem Pater sit unum suppositum, licet haberet in se duas proprietates realiter distinctas principii, non potuisset appellari duo principia: & multò minùs, cùm duæ illæ rationes principii realiter identificentur in Patre, ut identificantur Paternitas, & spiratio activa. Deindè Pater, & Filius, licet sint duo suppositа, quia tamen in ratione principii Spiritûs sancti sunt unum ob unitatem formæ, debent appellari *simpliciter unum* principium. Hæc cum communi.

68. Nihilominùs ratione principii generativi, & spirativi existimo dici posse in Divinis duo principia, non simpliciter, sed cum addito: pro quo: Dico 1. Pater potest dici duplex principium respectu Filii, & Spiritûs sancti, non simpliciter, & reale, sed cum addito, nempè virtuale. Ita P. *Vasq. 1. p. d. 155. cap. 5. n. 17.* Probatur prima pars, quia virtus generativa, sive cõsistat activè in Intellectione, sive in Paternitate; & virtus spirativa, sive consistat activè in volitione, sive in relatione spiratoris, prout supra diximus, sunt idem realiter, cùm inter se non opponantur; sola autem quæ opponuntur, realiter distinguuntur; ergo sicut in Divinis non dantur realiter duæ potentiæ distinctæ; ita neque realiter, & simpliciter duo principia; consequenterque Pater non poterit dici duplex principium reale, & simpliciter.

69. Probatur secunda pars, quia virtus generativa, & spirativa in qualibet sententia, distinguuntur virtualiter; ergo licet Pater, & Filius non possint dici duplex principium respectu Spiritûs Sancti propter unitatem ejusdem virtutis spirativæ, quæ in utroque est una, & eadem; Pater tamen poterit dici duplex principium virtuale respectu Filii, & Spiritûs Sancti, propter multiplicationem virtutis generativæ, & spirativæ, quæ in Patre est virtualiter multiplex & distincta.

70. Dico 2. Pater ut est principium Filii, & Filius ut est principium Spiritûs Sancti, possunt dici duo principia, darique ad intra duo principia, non simpliciter, & realiter, sed virtualiter. Ita P. *Soar. lib. 10. de Trinit. cap. 7. n. 8. P. Arriaga 1. p. d. 53. n. 6.*

Proba-

Probatur prima pars ex proximè dictis *n. 68.* quia licet suppositа realiter distinguantur, non ita inter se realiter distinguuntur virtus generativa, & spirativa; sed concreta substantiva sequuntur unitatem, aut multiplicitatem formæ, seu quasi formæ; duo autem principia simpliciter, & absolutè important distinctionem realem, quæ quidem non datur inter virtutem generativam, & spirativam; ergo &c.

71. Probatur secunda pars etiam ex dictis, nam præterquam, quod suppositа ipsa realiter distinguantur, etiam ipsa virtus generativa, & spirativa inter se virtualiter distinguuntur; ergo Pater, & Filius benè poterunt dici duplex principium virtuale ad intra ratione duplicis illius virtutis virtualiter distinctæ.

72. Dices 1. Concil. Lugdun. & Florent. cit *n. 51.* absolutè negant, & universaliter, dari in Divinis duo principia. Et idem clarius expressit D. Ansel. cit. *Epist. de proces. Spirit. Sanct. cap. 11.* ibi: *Nec tamen*, inquit, *duo confitemur principia, unum Patrem ad Filium, alterum Patrem, & Filium ad Spiritum Sanctum: sicut non credimus alium Deum, de quo est Filius, & alium Deum Patrem, & Filium, de quo est Spiritus Sanctus: quamvis de eodem Deo, sive de eodem principio suo quisque modo sit, alter scilicet nascendo, alter procedendo*; ergo &c. Respondeo Concilia, & D. Ansel. solùm negare duo principia realia, seu actu in re ipsa distincta; non autem duo principia virtualia, seu virtute, & ratione distincta.

73. Dices 2. Si in Patre, & Filio dicerentur dari, prout sic duo principia, non solùm dicerentur duo principia virtualia, sed absolutè, & simpliciter; siquidem generatio, & spiratio activa solùm virtualiter distinguuntur; sicut distinguuntur Paternitas, & Relatio spiratoris; & tamen hæ dicuntur simpliciter & absolutè duæ relationes; & illæ sic dicuntur duæ processiones; sed illud supra negavimus; ergo & hoc negare debemus.

74. Respondeo negando majorem, ad cujus probationem datur diversa ratio: Primò, quia usus obtinuit, ut illæ productiones, & Relationes dicerentur duæ simpliciter ob rationes, quibus supra probavimus dari plures processiones reales: at verò in præsenti non datur usus, ut dicantur duo principia simpliciter, imò in contrarium stant Concil. Lugdun. & Florent. & D. Ansel. cit. Secundò, quia Relationes, & productiones significantur per modum respectûs ad terminum, sicque quando dicuntur simpliciter duæ, solùm denotatur habere duos terminos realiter distinctos, quod est verum: at verò *principium* significat per modum absoluti, undè si dicerentur simpliciter duo, denotaretur quidem distinctio realis, non terminorum, sed potentiarum, quod est falsum; neque enim in divinis datur distinctio realis inter potentias.

SECTIO IV.

An Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio ut à duobus suppositis?

75. ADVERTES primò, dubium non esse, Spiritum Sanctum procedere à duobus suppositis materialiter, quatenùs scilicet virtus spirativa est idem realiter, & aliundè connexa cum Paternitate, & Filiatione: qua ratione etiam creaturæ procedunt materialiter à tota Trinitate, non autem formaliter; quatenùs scilicet effectus *ad extra* procedunt per se, & formaliter à Deo ut uno, qui aliundè est etiam Trinus. Advertes secundò, quæstionem solùm esse de processione per se, & formali, & idem est, ac quærere: Utrùm Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis formaliter requirat, & per se respiciat Patrem, & Filium, non solùm ut sunt unum principium, sed ut sunt duo suppositа; ita ut virtus spirandi per se requirat duo suppositа, ut operetur, & Spiritus Sanctus, qui de facto datur, postulet à duobus procedere, non per accidens, sed per se, adeò ut necessariò esset alius Spiritus Sanctus, si à talibus duobus suppositis non procederet? His positis.

Difficultas 2. Utrùm Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio per se, & formaliter, ut à duobus suppositis? 76. Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 36. art. 4. ad 1. & de potent. q. 10. art. 2. ad 15. & in 1. dist. 11. q. 1. art 2. & 4. ad 2. & dist 29. q. unica art. 4. ad 2. Albert. Magn. 1. p. q. 31. memb. 1. ad 3. Alexand. 1. p. q. 43. memb. 3. art. 3. Richard. in 1. dist. 11. art. unico q. 3. Greg. ibid. q. unica art. 2. Henricus in sum. art. 54. q. 2. ad 7. 8. & 9. Argentin. in 1. dist. 11. q 3. Capreol. ibid. dist. 12. qu. unica conclus. 4. Ferrar. 4. contr. gent. cap. 25. Caiet. 1. p. q. 36. art. Canar. in 3. p. Comment. diff. ult. P. Valent. 1. p. q. sua 10. punct 5. P. Vasq. 1. p. d. 150. cap. 2. P. Soar. lib. 10. de Trinit. cap. 6. n. 2. P. Ruiz d. 71. de Trinit. sect. 1. n. 5. P. Amicus d. 27. sect. 6. n. 128. P. Granad. tr. 10. d. 4. P. Zuniga d. 11. dub. 4. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 7. n. 7. P. Arrub. d. 130. cap. 2. n. 4. P. Arriaga 1. p. d. 53. sect. 1. n. 5. P. Præposit. 1. p. q. 36 art. 4. dub. 6. n. 15. B. Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 27. P. Molin. 1. p. q. 36. art. 4. d 5. P. Compton. tom. 1. d. 66. sect. 3. n. 1. P. Rhodez tom. 1. d. 6. q 3. sect. 4. §. 3. fine. P. Alarcon. tract. 5. d. 9. cap. 4.* & alii.

Probatur primò ex Concil. Tolet. 11. *in profess. fidei*, 77. ex quo colligitur, Spiritum Sanctum respicere Patrem, & Filium, non solùm sub ratione unius spiratoris, sed etiam sub ratione Patris, & Filii, ut distincta suppositа sunt, non quidem ut correlativa formaliter, sed ut correlativa radicaliter, prout supra diximus: *In relativis*, inquit, *personarum nominibus, Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, & Spiritus Sanctus ad utrosque refertur.* Et infrà: *Similiter*, inquit, *Spiritus Sanctus, non ad se, sed ad Patrem, & Filium relativè refertur in eo, quod Spiritus Patris, & Filii prædicatur.* Ubi significatur characteristicam proprietatem Spiritûs Sancti esse, quod sit Spiritus Patris, & Filii; ergo &c.

Probatur secundò communi ratione, quia de ratione Spiritûs Sancti ex vi suæ processionis est, 78. quod procedat formaliter, & per se ut Amor mutuus Patris, & Filii, ut testantur D. Aug. *lib. 6. de Trinit. cap. 5. Spiritus Sanctus commune aliquid est Patris, & Filii, quidquid illud est.* Et *lib. 7. cap. 3. Spiritus Sanctus, sive summa Charitas utrumque conjungens, nosque subjungens.* Et D. Hieron. in Psal. 17. *Spiritus Sanctus nec Pater est, nec Filius, sed dilectio, quam habet Filius in Patre, & Pater in Filio.* Idem habent D. Amb. *in Symbol. Apost. cap. 1.* D. Isidor. *lib. 7. Etymolog. cap 3.* & Concil. Toletan. cit. *Neque Patris tantùm*, inquit, *neque Filii tantùm, sed simul Patris, & Filii Spiritus dicitur*; sed Amor mutuus per se requirit duos amantes, qui in eo uniuntur; siquidem Amor perfectissimus, qualis divinus est, debet esse amicitiæ, & concordiæ, quæ

non nisi inter plures admittitur, ut ait D. Greg. *hom. 17. in Evang.* ibi: *Et minùs, quàm inter duos, charitas haberi non potest*; ergo Spiritus Sanctus per se formaliter requirit pluralitatem Personarum; consequenterque procedit à Patre, & Filio, ut plures Personæ sunt sub ratione unius principii.

79. Dicent: Spiritus sanctus ex vi suæ processionis non solùm est Amor mutuus Patris, & Filii, sed etiam sui ipsius, quo scilicet Pater, & Filius amant Spiritum sanctum, & ab eo redamantur: & similiter ex vi suæ processionis est Amor creaturarum possibilium; & tamen non ideò requirit ex parte principii suum suppositum, aut suppositа creata; ergo etiam licet sit Amor mutuus Patris, & Filii, non ideò requiret per se formaliter eorum suppositа ex parte principii ex vi suæ processionis.

80. Hinc patet, prædictam rationem solùm probare, quod Pater, & Filius sint objectum Amoris, ex quo per se procedit Spiritus Sanctus; non tamen probare, quod Personæ, quæ sunt objectũ talis Amoris, prærequirantur per se formaliter ex parte principii. Et patet, nam si per impossibile ponamus, quod Spiritus Sanctus non procedat à Filio, & tamen ab eo distinguatur, adhuc Spiritus Sanctus procederet ex Amore mutuo, quin requirerentur duo suppositа ex parte principii, sed solùm ex parte objecti. Undè ex hoc valdè difficilè videtur assignare rationem, cur Spiritus Sanctus requirat per se illa duo suppositа. Adhuc tamen persistendo in ea communi ratione: Iterùm:

81. Probatur tertiò, quia cùm Spiritus Sanctus sit Amor mutuus, non solùm objectivè, quo sensu est Amor sui, & creaturarum, sed etiam productivè, utrumque suppositum Patris, & Filii est per se conditio ad spirandum, completque principium *quod* spirativum; siquidem cùm operatio per voluntatem supponat essentialiter priorem operationem per Intellectum, processio Spiritûs sancti, ut talis est, supponit processionem Verbi; ac proindè supponit Patrem constitutum in esse Patris, & Verbum in esse Verbi, sed tales constituuntur Paternitate, & Filiatione, non verò spiratione activa; ergo spiratio, ut talis est, requirit Patrem, & Filium; consequenterque Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis requirit per se formaliter duo illa suppositа.

82. Probatur quartò, quia ad spirandum requiritur, tùm ratio formalis spirandi, tùm distinctio principii à termino producto; sed hujusmodi distinctio non potest provenire à ratione formali spirandi; hæc enim est eadem in Patre, & Filio, & ab Spiritu Sancto indistincta; non à sola Paternitate; alioqui Spiritus Sanctus à solo Patre distingueretur; non à sola Filiatione; alioqui à solo Filio distingueretur; ergo debet provenire ab utroque; ac proindè utrumq; suppositum per se formaliter prærequiritur ad processionem Spiritûs sancti, qui ab utroque procedit,

83. Confirmatur primò, quia in Divinis non est distinctio realis sine origine reali; ergo neque distinctio per se sine origine per se; sed Spiritus Sanctus per se distinguitur realiter à Persona Patris, & Filii, non solùm in quantùm sunt unus spirator, sed etiam in quantum sunt Pater, & Filius; ergo per se formaliter ducit originem à Patre, & Filio in quantùm Pater, & Filius, hoc est in quantùm sunt duo suppositа distincta, spirantes tamen per eandem potentiam spirativam, eandemque spirationem actualem. Secundò, quia, ut supra diximus *d. 4. à num.* 188. non datur unum constitutum ex voluntate, & spiratione activa subsistens, quod sit principium *quod* Spiritûs Sancti, sed totum principium *quod* supponitur ad spirationem; sed hoc non potest esse in solo Patre, neque in solo Filio, ut diximus; ergo in utroque; consequenterque utrumque suppositum per se requiritur ad processionem Spiritûs Sancti.

84. Probatur quintò, quia cùm Pater, & Filius sint principium Spiritûs Sancti, aut uterque concurrit ad illius productionem per se necessariò; aut uterque, vel aliquis eorum concurrit ad illius productionem per accidens, & superfluè: Si primum, habemus intentum: Non secundum; siquidem infinitæ Dei perfectioni repugnat concurrere per accidens, & superfluè; uterque enim modus concurrendi arguit defectum in connexione principii cum termino producto, & in ipsa dignitate principii; sic autem per accidens, & superfluè concurrit quodcunque principium, quod per se necessariò non requiritur ad productionem termini, utpotè qui sine illo non minùs perfectè produceretur; ergo &c.

85. Oppositum sequuntur *Scot. in* 1. *dist.* 12. *q.* 1. §. *Contra istam. Durand. in* 1. *dist.* 11. *q.* 3. *& dist.* 12. *q.* 1. *n.* 8. *Ocham. in* 1. *dist.* 12. *q.* 1. *& q.* 2. *Gabr. dist.* 12. *q.* 2. *art.* 1. *Aureol. in* 1. *dist.* 12. *q. unica art.* 1. *& 3. Lichet. in* 1. *dist.* 12. *q.* 1. *Mayron. q.* 2. §. *Tertia*, videtur etiam *Baccon. in* 1. *dist.* 12. *q. unica art.* 2. pro quibus: Objicies 1. Illud per se respicit, & requirit terminus producibilis, sine quo intelligi non potest illius principium productivum; siquidem terminus solùm per se dependet à principio productivo, cùm solùm per se dependeat ab eo, à quo habet esse; solùm autem habet esse à principio productivo; sed principium productivum Spiritûs sancti intelligi potest absque eo, quod sint duo suppositа; siquidem hujusmodi principium est virtus spirativa adæquatè completa, & *subsistens*, hæc autem ut talis intelligitur *absque duobus* suppositis, cùm tota prout sic reperiatur tam in Patre, quàm in Filio seorsim sumptis; ergo &c.

86. Respondeo concessa majori, negando minorem, ad cujus probationem dicimus, in Patre (idem dico de Filio) esse quidem totam, & adæquatam virtutem spirativam completè subsistentem quoad rationem formalem virtutis spirativæ, & subsistentiæ; non autem quoad omnem conditionem per se requisitam in ordine ad spirandum Spiritum Sanctum; siquidem Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis supponit processionem per Intellectum, quæ ut talis in Divinis non intelligitur absque constitutione duarum Personarum. Undè licet virtus spirativa sit æquè perfecta in Patre, & in Filio, non potest æqualiter in uno, atque in duobus suppositis operari, quia ut operetur in productione Spiritûs Sancti, qui de facto datur, requirit logicè duplex suppositum ad complendam ipsam virtutem spirativam. Patet in virtute generativa, quæ æquè perfecta est in Patre, & in aliis Personis; & tamen in solo Patre potest generare, quia ibi solùm habet conditionem logicè requisitam ad generandum.

87. Dixi *Spiritûs Sancti, qui de facto datur*, quia si sumatur Spiritus Sanctus absolutè ut Amor divinus est, non requirit per se formaliter, & necessitate logica procedere à pluribus Personis; siquidem de ratione Amoris præcisè, solùm est, quod procedat à voluntate, præsuppositа cognitione intellectûs proponente objectum, quod stare potest, quin procedat à duobus suppositis,

Patet

Patet, quia si per impossibile Voluntas Divina à Patre non communicaretur Filio, adhuc ipsa Voluntas Divina haberet totam suam rationem intrinsecam, & essentialem, sicque posset producere Amorem substantialem; talis autem Amor esset Spiritus Sanctus, licet non ita perfectus, atque de facto est, ideoque diversus; ergo &c. Confirmatur, quia amor creatus, utpotè imperfectus, non requirit necessariò, quod sit mutuus inter duas Personas, sed solùm, quod præsupponat cognitionem proponentem objectum; ergo similiter de Amore Divino in facta suppositione. Ita *P. Soar. lib. 10. de Trinit. cap. 6. num. 5.* Neque dicas, Spiritum Sanctum, etiam quatenùs est Amor absolutè, supponere necessariò intellectionem personalem, nempè secundam Personam; hoc enim est falsum, nam in facta suppositione solùm supponeret Intellectionem essentialem, ne aliquid daretur volitum, quin esset præcognitum.

88. Objicies 2. Principium, & suppositum in Divinis coincidunt inter se; sed Spiritus Sanctus non procedit à Patre, & Filio ut à duplici principio, ut diximus; ergo neque ut à duplici supposito. Respondeo negando majorem; licet enim Pater, & Filius sint duo, quia duo habent supposita diversa, sunt tamen unum in ratione principii, quia unam tantùm habent voluntatem, quæ est principium formale: cùm autem ratio formalis sit una, licet suppositа, quæ sunt conditiones ad spirandum, sint plura, unum tantùm erit principium, quod, non per conditiones, sed per rationem formalem multiplicatur.

89. Objicies 3. Si per impossibile virtus spirativa existeret in uno tantùm supposito, adhuc intelligeretur terminus spirabilis; ergo hic non requirit per se duo suppositа; terminus enim non potest dari sine illo, quod ad illum per se requiritur. Respondeo in ea hypotesi impossibili, intelligi terminum spirabilem, sed alterius rationis, & ab uno tantùm supposito distincto, sed non hunc terminum spirabilem, qui de facto datur essentialiter supponens duas Personas constitutas, & distinctas, ut supra diximus: sicut enim Spiritus Sanctus, si à Filio non procederet, ab eo non distingueretur, ut infrà dicemus, neque esset hic Spiritus Sanctus, qui de facto datur: ita etiam, si unum tantùm suppositum esset spirativum, esset alius terminus spirabilis, non verò hic, qui virtutem spirativam respicit, ut subsistentem duplici supposito.

90. Objicies 4. Idem est sufficiens principium productionis per voluntatem, quod est sufficiens principium productionis per Intellectum; sed hoc intelligitur in uno tantùm supposito; ergo etiam illud. Respondeo negando majorem: licet enim absolutè idem possit esse sufficiens principium productionis per voluntatem, quod est sufficiens principium productionis per intellectum, ut cernitur in creatis: in Divinis tamen quoad omnes conditiones requisitas ex parte principii, non est sufficiens principium per voluntatem unum tantùm suppositum; siquidem processio per voluntatem requirit duo suppositа, cùm Spiritus Sanctus ordine procedendi productivè sit Amor mutuus, ut diximus.

91. Objicies 5. Creaturæ ex vi suæ productionis non requirunt per se Omnipotentiam subsistentem in tribus suppositis Trinitatis; nam si Deus non esset Trinus, esset tamen Omnipotens, adhuc eodem modo produceret creaturas; ergo neque Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis per se requiret virtutem spirativam ut subsistentem in duobus suppositis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia creaturæ intelliguntur esse terminus distinctus, & producibilis ab omnipotentia, etiam prout hæc præscindit à determinatis Personis: at verò Spiritus Sanctus non intelligitur terminus distinctus, neque spirabilis à virtute spirativâ, nisi hæc supponatur subsistens in Patre, & Filio; siquidem in ratione principii *quod* non distinguuntur ab Spiritu Sancto, nisi Paternitate, & Filiatione; & Spiritus Sanctus procedit ut Amor mutuus, qui non produceretur ut talis, nisi à duplici supposito procederet.

92. Objicies 6. Ad rationem principii adæquatam in Divinis solùm requiritur, & sufficit ratio formalis principii *quo*, & distinctio principii *quod*, ut alibi diximus; sed hæc reperiuntur, tùm in solo Patre, tùm in solo Filio; ergo duo suppositа, non per se, sed per accidens requiruntur ad productionem Spiritûs sancti. Resp. in solo Patre, & in solo Filio reperiri totam rationem principii *quo*, & distinctionis principii *quod*, non tamen totalem; non enim sufficit sola distinctio Patris, neque sola distinctio Filii, sed requiritur distinctio utriusque, ut uterque sit principium; nam si Filius non distingueretur ab Spiritu Sancto, hic ab eo non procederet. Undè hic Spiritus Sanctus requirit distinctionem, tam in Patre, quàm in Filio, quæ tamen non potest provenire à sola Paternitate, alioqui non distingueretur à Filio; neque à sola Filiatione, alioqui non distingueretur à Patre.

93. Dices: Satis est, quod hæc distinctio proveniat ab spiratione activa utrique communi, & cui spiratio passiva formaliter opponitur; ergo &c. Respondeo negando antecedens: nam spiratio activa non constituit, sed supponit constitutum principium *quod*; sicut autem illud supponit constitutum, ita supponit distinctum, cùm inter principium *quod*, & terminum non possit non esse distinctio.

94. Objicies 7. Si Spiritus Sanctus per se requireret procedere ex Patre, & Filio, tanquam ex duplici supposito, sequeretur, Patrem indigere Filio, & Filium Patre ad illius productionem; siquidem neque solus Pater, neque solus Filius esset adæquatum principium *quod* spirativum; sed hoc non est dicendum; ergo neque illud ex quo sequitur. Respondeo negando sequelam; neque enim illud consortium Patris, & Filii in spirando est ex indigentia, sed ex necessaria connexione, & ordine procedendi, quod omnes tenentur concedere: sicut enim Pater non potest absque sua proprietate generare, quod tamen non facit ex indigentia, sed ex necessaria connexione: ita Pater, & Filius non possunt spirare absque suis proprietatibus, quod tamen non faciunt ex indigentia, sed ex necessaria connexione. Deindè neque Filius potest subsistere sine Patre ut principio, neque Pater sine Filio ut termino suæ actualis productionis; & tamen id non provenit ex indigentia, sed ex perfectissima connexione; ergo non ex indigentia, sed ex perfectissima connexione provenit, quod Pater non possit spirare sine Filio, neque Filius sine Patre

95. Objicies 8. Si Spiritus Sanctus requireret per se procedere ex Patre, & Filio, tanquam ex duplici supposito, sequeretur, Patrem, & Filium esse duo principia spirativa, saltem inadæquata; sed hoc videtur erroneũ, ut patet ex supra dictis; ergo &c. Resp. negando sequelam; nam duo illa suppositа prærequisita sunt tantùm conditiones; unitas autem prin-

principii non desumitur ex diversis conditionibus per se requisitis, & connotatis, sed ex ipsa formali ratione principiandi, quæ est una, & eadem, ut constat ex supra dictis.

96. Objicies 9. Si utraque Persona Patris, & Filii requireretur per se ad productionẽ Spiritûs Sancti, & hic procedat per voluntatem, sequeretur, Patrem producendo Filium intendere ei communicare ut Filio per se, & formaliter volitionem, quæ est ipsum principium Spiritûs Sancti; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam; neque enim ad rationem Filii in Divinis requiritur communicatio volitionis formaliter, & per se, sed solùm Naturæ Intellectivæ, ut supra diximus, licet materialiter, & concomitanter ei etiam communicetur volitio; sicque hæc non communicatur Filio ut Filio per se formaliter, licet sic ei communicetur ut spiratori.

97. Objicies 10. Virtus spirativa non accipit à Paternitate, & Filiatione vim aliquam producendi, sed solam rationem subsistendi; alioqui neque in Patre, neque in Filio esset tota vis spirativa, ut patet; atqui pura ratio subsistendi non variat per se productionem termini, cùm non conferat ad rationem formalem producendi; eadem enim natura sub diversis suppositis, imò absque omni supposito, eundem effectum produceret; ergo &c. Respondeo virtutem spirativam non accipere à Paternitate, & Filiatione vim productivam, accipere tamen perfectam existentiam, & rationem subsistendi, non quamcumque, sed talem, ut sine illa omninò ei repugnet posse exire in actum spirandi.

98. Objicies 11. Si Spiritus sanctus procederet à Patre, & Filio ut à duobus suppositis per se requisitis ad spirandum, sequeretur Patrem, & Filium esse magis similes inter se, quàm sunt cum Spiritu Sancto; siquidem essent similes in spirando, seu virtute spirativa, quam non habet Spiritus Sanctus; sed hoc non videtur admittendum; ergo &c. Respondeo distinguendo sequelam: esse magis similes inter se, quàm cum Spiritu Sancto, si sermo sit de similitudine in aliqua ratione notionali; concedo sequelam: si de similitudine in natura, quæ præcipuè attenditur in Divinis, & quæ simpliciter significatur per nomen similitudo; nego sequelam: illud autem nullum est absurdum; neque enim variat similitudinem, neque impedit æqualitatem Personarum.

99. Objicies 12. Ideò ad productionem Spiritûs sancti requirerentur duo suppositа, quia Spiritus sanctus procedit ut nexus, & amor mutuus Patris, & Filii; sed ex hoc illud non infertur; siquidem denominatio illa mutuæ reciprocationis formaliter est quædam relatio rationis in Amore Divino, quæ nullam importat intrinsecam perfectionem; imò neque potest esse conditio necesseria ad spirandum, cùm sine illa possit integrè, & perfectè produci Spiritus Sanctus; ergo &c.

100. Respondeo primò negando minorem, & ejus probationem: falsò enim supponitur, rationem illam mutuæ reciprocationis esse quid rationis; nam nomine amoris mutui in præsenti intelligimus, aut terminum productum per voluntatem, nempè ipsum Spiritum Sanctum; aut volitionem, per quam ipse Spiritus Sanctus producitur; in utraq; autè acceptione amoris ratio mutuæ reciprocationis est formalitas realis, ut patet; nam Spiritus Sanctus quidditativè, & realiter respicit Patrem, & Filium tanquam duas Personas per eandem voluntatem, eâdemque dilectione se mutuò complectentes, qui respectus, sive relatio est quasi prædicamentalis, quatenùs non est absoluta, & essentialis, prout supra diximus: Volitio autem, per quam procedit Spiritus Sanctus, est ordo transcendentalis, realis tamen, quo volitio ipsa respicit utramque Personam, tanquam objectum mutuæ dilectionis, & tanquam principium productivum ejusdem amoris, qui est Spiritus Sanctus, sicque nulla ibi datur ratio mutuæ reciprocationis, quæ sit quid rationis.

Respondeo secundò, dato, quod ratio mutuæ 101.
reciprocationis sit rationis, & non realis, adhuc illius fundamentum esse quid reale, quod sufficit; siquidem ab illo fundamento reali provenit in amore mutuo virtus, ut sit spirativus, & ita indè provenit, ut præcisa ratione mutuæ reciprocationis, Amor iste non sit spirativus. Advertes tamen hîc, quando dicimus, Spiritum Sanctum esse mutuum Amorem, seu procedere per mutuam dilectionem, non esse intelligendam duplicem dilectionem ab una in aliam Personam, sed unam, & eandem simplicissimam, quæ cùm sit à duabus Personis, & illâ se invicem diligant, sortitur rationem mutui amoris, & dilectionis.

SECTIO V.

Vtrùm Spiritus Sanctus, si à Filio non procederet, adhuc ab illo realiter distingueretur?

NAM ex præcipuis rationibus theologicis, quibus Patres Latini contra Græcos argumentabantur, ut probarent Spiritum Sanctum à Filio etiam procedere, erat, ut supra vidimus, quia si ab illo non procederet, neque ab illo distingueretur; Græci autem fatebantur, Spiritum Sanctum distingui realiter à Filio; ergo etiam tenebantur fateri ab illo realiter procedere. Ut igitur vim hujus argumenti ostendant Scholastici, excitata est celebris hæc difficultas: An si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, adhuc ab illo realiter distingueretur? Pro quo: 102.

Advertes primò, in hac suppositione non quæri, 103.
an esset adhuc hic Spiritus Sauctus; cùm enim hic essentialiter includat respectum spirati ad Filium, quem tunc non includeret, quæstio destrueret suppositionem, supponitur enim, quod à Filio non procederet. Secundò, suppositionem procedere in casu, quo adhuc esset Deus, & concipereturr sine imperfectione; nam si supponatur, quod ei non repugnaret imperfectio, tolleretur proprius, & absolutus conceptus Deitatis. Tertiò, sensum quæstionis esse: an spectata perfectione Divini esse, si Spiritus Sanctus per impossibile à Filio non procederet, & adhuc darentur Filius, & Spiritus Sanctus, licet diversi ab his Personis, quæ de facto dantur, talis Filius, & Spiritus distinguerentur realiter inter se, supposito, quod inter illos non daretur ratio originis, sive productionis?

Resolutio negativa vera est, & tenenda cum 104.
D. Thom. 1. p. q. 36. art. 2. & lib. 4. contr. gent. cap. 24. & de Potent. q. 10. art. 5. Alex. 1. p. quæst. 43. memb. 4. Albert. 1. p. q. 31. memb. 3. D. Bonav. in 1. dist. 11. art. 1. q. 1. Durand. in 1. dist. 11, q. 2. Ægid. ibid. art. 1. q. 3. Argentin. in 1. dist. 11. q. 2. art. 2. Capreol. q. 1. art. 2. Marsil. in 1. q. 15. art. 3. ad 3.

Ferrar.

Ferrar. 4. contr. gent. cap. 24. Caiet. Canar. P. Molin. 1. p. q. 36. art. 2. d. 3. P. Valent. q. 5ua 10. de Trinit. punct. 3. P. Vasq. 1. p. d. 147. cap. 4. P. Soar. lib. 10. de Trinit. cap. 2. P. Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 26. P. Granad. tr. 10. d. 7. n. 5. P. Ruiz d. 68. de Trinit. sect. 4. n. 2. P. Zuniga d. 11. dub. 3. P. Amico d. 27. n. 59. P. Arrub. d. 131. cap. 2. n. 4. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 6. n. 2. & 5. P. Præpos. 1. p. q. 36. art. 4. dub. 3. P. Martin. d. 30. sect. 2. P. Arriaga 1. p. d. 53. sect. 4. num. 23. P. Veken. d. 37. cap. 3. P. Compton. tom. 1. d. 66. sect. 4. n. 6. P. Rhodez tom. 1. d. 6. q. 3. sect. 4. §. 2. quorum alii contrariam sententiam erroneam: alii periculosam in fide; alii improbabilem appellant: alii tamen, quorum unus est P. Vasq. eam ab omni gravi censurâ liberant, cum procedat ex suppositione impossibili, & eam defendat gravissima Scotistarum Schola.

105. Probatur primò authoritate Concilior. & Sanctor. Patrum apud Doctores citatos, quatenùs in Divinis omnem distinctionem Personarum reducunt ad rationem originis, & processionis; ergo sentiunt, sublatâ origine, & processione Spiritûs Sancti à Filio, tolli etiam eorum distinctionem. Probatur antecedens specialiter ex D. Gregor. Nyssen. lib. ad Ablabium, cujus verba explicat Bessarion Patriarcha Constantinopol. *orat. pro unione cap. 6.* ad finem *sess. 25.* Concil. Florent. ibi: *Eò distinguitur, inquit Nyssenus, Spiritus à Filio, quia per ipsum est; quasi diceret, quod cùm ambo à primo sint, non sufficienter distinguerentur, nisi alter per alterum esset*; ergo &c.

106. Confirmatur primò ex eodem D. Greg Nyssen. loco cit. ibi: *Per quod solùm discerni alterum ab altero deprehendimus, nimirum eò quod credimus, aliud quidem causam esse, aliud verò ex causa, & ex eo quod ex causa est*; ergo ex mente Nysseni totalis, & unica ratio distinguendi Spiritum Sanctum à Filio, est quia ab illo procedit tanquam à causa. Secundò, ex Joan. Theologo, qui in Concil. Florent. *sess. 18. §. Dixi equidem*, dicens ex sententia Patrûm Græcorum, incommunicabilitatem provenire ex vi relationis; incommunicabilitatem verò idem omninò esse, ac realem distinctionem, & cum ea converti, concludit: *Sola relatio*, inquit, *apud omnes Græcos, & Latinos Doctores, divinâ processione Personas multiplicat, ita ut non ullâ aliâ ratione, quàm vi relationis una Persona ab alia differat*; ergo sublatâ relatione, quæ processione multiplicet, nihil erit, quo Spiritus Sanctus à Filio differat.

107. Probatur secundò ex illo celeberrimo principio à Conciliis, Patribus, & Theologis unanimi consensu inculcato, ac recepto, quod, *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*; sed si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, nullam haberet ad Filium oppositionem relativam; siquidem hæc solùm fundari potest in origine; ergo neque haberet distinctionem realem à Filio. Confirmatur à priori, quia, (suppositis principiis fidei) omnis distinctio, aut provenit ex limitatione, & imperfectione unius saltem extremi; aut ex oppositione; sed in Divinis non potest provenire ex limitatione, & imperfectione; ergo ex oppositione; sed hanc non haberet Spiritus Sanctus ad Filium, si ab eo non procederet; ergo neque ab eo distingueretur realiter.

108. Dicent cum Scot. distinctionem in Divinis provenire quidem ex oppositione, sed aut formali, qualis est oppositio relationis ad terminum; aut disparatâ, qualis est oppositio suppositi ad diversum suppositum. Sed contra, quia oppositio disparata ideò talis est, quia datur inter extrema, quæ sine oppositione formali distinguuntur; sed quæ sine oppositione formali distinguuntur, ex limitatione, & imperfectione sortiuntur distinctionem; ideò enim in creatis omnia absoluta, ac distincta hanc habent oppositionem disparatam; hæc autem in divinis non habent locum; ergo &c. Accedit, quod hujusmodi oppositio disparata non sufficit inter generationem, & spirationem activam, ut inter illas detur distinctio realis; ergo neque sufficiet inter generationem, & spirationem passivam, ut sic realiter distinguantur.

Probatur tertiò ex perfectione Divina (& hæc est ratio principii supra positi,) quia unitas, & simplicitas pertinet ad perfectionem in Divinis, ubi per illam alia perfectio major, aut æqualis non excluditur; sed si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, neque Filiatio excluderet spirationem passivam, neque hæc Filiationem; siquidem non opponerentur originativè, ut diximus; ergo ad perfectionem termini producti pertinet, quod simul sit genitus, ac spiratus absque distinctione reali; ac proindè Spiritus Sanctus non distingueretur à Filio realiter, si ab eo realiter non procederet. 109.

Confirmatur primò, quia de facto ex parte principii generatio, & spiratio activa non distinguuntur realiter, quia non opponuntur originativè; sed ex parte termini in facta hypothesi; generatio, & spiratio passiva non opponerentur originativè; ergo non distinguerentur realiter. Secundò, quia generatio, & spiratio activa, quæ de facto non distinguuntur realiter, quia de facto non originantur, si per impossibile originarentur, in facta suppositione realiter distinguerentur; ergo è contra, generatio, & spiratio passiva, quæ de facto distinguuntur realiter, quia de facto realiter originantur, si per impossibile non originarentur, in facta suppositione non distinguerentur. Tertiò, quia ex hoc principio Intellectus, & Voluntas in absolutis, & principium generativum, & spirativum in notionalibus, licet dicant conceptus, ac rationes formaliter diversas, & disparatas, non distinguuntur realiter, quia realiter non originantur; ergo ubicunque non datur origo realis, neque dabitur realis distinctio; sed in facta suppositione Spiritus Sanctus non procederet à Filio realiter; ergo à Filio realiter non distingueretur. 110.

Oppositum tenent *Henricus quodlib. 5. q. 9. Bonavent. in 1. dist. 13. q. unica a. 5. Scot. in 1. dist. 11. q. 2. Lichet. ibid. Greg. q. 2. a. 2. Gabr. q. 2. a. 2. & 3. Aureol. in 1. dist. 11. art. 3. propos. 4. Mayron. q. 2. Rubio q. 1. art. 2. Ocham. q. 2. Carthusian. in 1. dist. 11. q. 2. ad finem. Richard. art. unico q. 2. Palat. d. 3. Faventin. d. 38.* & alii: pro quibus: Argues 1. ex D. Ansel. *Epist. de process. Spirit. Sanct. cap. 2.* ibi: *Quoniam*, inquit, *non dùm constat, quod Spiritus Sanctus de illo sit (id est de Filio,) & procedat, ideò non est Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus est Filius; quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus Sanctus verò non nascendo, sed procedendo.* Et cap. 4. sic concludit: *Ideò*, inquit, *non habet hic unitas illa vim consequentiæ; quia pluralitas obviat, quæ ex nativitate nascitur, & processione. Nam & si per aliud non essent plures Filius, & Spiritus Sanctus, per hoc solùm essent diversi*: ubi totam diversitatem, & distinctionem inter Filium, & Spiritum Sanctum deducit ex diversitate procedendi, quatenùs scilicet Filius *nascendo*, & Spiritus Sanctus *procedendo* originatur; sed hujusmodi processiones dari non etiam si à solo Patre procederent; adhuc enim Filius ab eo nasceretur, & Spiritus Sanctus procederet; ergo &c. 111.

112. Respondeo primò D. Ansel. in ea sententia non fuisse, ut manifestum apparet: tùm ex illo principio: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*: quod ipsi D. Ansel. tribuitur: tùm etiam quia infrà contrarium docet cap. 16. *Non est*, inquit, *Spiritus Sanctus priùs de Patre, quàm de Filio, nec de Filio, quàm de Patre: nec major, nec minor est existens de Patre, quàm existens de Filio; nec magis, nec minùs est de uno, quàm de altero.* Undè: Respondeo secundò, D. Ansel. loco cit. loqui disputativè, & quidem in sententia Græcorum, explicando scilicet, qua ratione in ea procedebatur: siquidem quandiu non erat expresè definitum, Spiritum Sanctum procedere à Filio, aliundè, quàm à processione ab illo, quærebatur inter illos distinctio, quam ipsi Græci fatebantur: an verò rectè quærerent? Non id definit D. Ansel. imò oppositum docet, ut patet ex dictis.

113. Argues 2. In facta hypothesi adhuc Filius constitueretur Filiatione, & Spiritus Sanctus spiratione passiva; sed idem est distinctivum, & constitutivum rei; ergo Filius, & Spiritus sanctus adhuc Filiatione, & spiratione passiva distinguerentur, licet hic ab illo non procederet. Respondeo distinguendo majorem: adhuc Filius constitueretur Filiatione, & Spiritus sanctus spiratione passiva indistinctis realiter, & diversæ rationis à Filiatione, & spiratione, quæ de facto sunt; concedo majorem: ejusdem rationis, & realiter distinctis; nego majorem: nam de facto Filiatio est radix spirationis activæ, completúque principium spirativum ut conditio, ratione cujus opponitur Spiritui Sancto, prout supra diximus: tunc autem talis non esset, sed haberet se ex parte termini simul geniti, & spirati; sicque non esset distinctivum adæquatum, sed inadæquatum ejusdem Personæ realiter.

114. Argues 3. Si Spiritus sanctus à solo Filio procederet, adhuc distingueretur à Patre, quia adhuc Pater constitueretur Paternitate, qua à Filio, & Spiritu Sancto distinguitur; ergo similiter, si procederet à solo Patre, adhuc à Filio distingueretur, quia adhuc Filius constitueretur Filiatione, qua à Patre, & Spiritu Sancto distinguitur, Respondeo hypothesim in antecedente factam dupliciter fingi posse: primò ita ut Spiritus sanctus non procederet à Patre, neque mediatè: secundò, ita ut solùm ab eo non procederet immediatè. Si primo modo, tunc à Patre non distingueretur, sicut non distingueretur à Filio, ut diximus; eadem enim est ratio, ut consideranti patebit. Si secundo modo, negamus consequentiam; diversa ratio est, quia in prima suppositione, licet Spiritus non procederet à Patre immediatè, procederet tamen saltem mediatè, sicut nepos ab avo, sicque inter ipsum, & Patrem esset oppositio mediata sufficiens ad distinguendum illum à Patre; alioqui Filius producendo immediatè Spiritum sanctum, produceret etiam mediatè Patrem, & suum productorem, quod non minùs implicat, quàm si illum produceret immediatè; esset enim, & non esset priùs, quàm Pater, ut consideranti patebit: at verò in secunda suppositione, cùm Spiritus sanctus neque immediatè, neque mediatè à Filio procederet, nullo modo ab illo distingueretur.

115. Instabis: In prima illa hypothesi Spiritus sanctus distingueretur à Patre; & tamen non haberet cum Patre oppositionem relativam, sed disparatam; siquidem solùm opponeretur relativè ei, à quo produceretur; produceretur autem à solo Filio, ut supponitur; ergo etiã in secunda suppositione adhuc distingueretur à Filio, cui opponeretur disparatè, licet non relativè, quia ab illo non procederet. Resp. negando minorem: neque enim illa oppositio esset tantùm disparata, sed directa, fundata in origine mediatâ procedentis, & producentis; qualis non esset illa inter Filium, & Spiritum sanctum, si hic ab illo non procederet; siquidem inter illos nulla esset oppositio directa, neque etiam mediata, sed omninò disparata, qualis de facto est inter generationem, & spirationem activam, quæ ideò non distinguuntur realiter, ut suprà diximus.

Argues 4. Generatio, & spiratio adhuc essent duæ processiones reales, ac diversæ; siquidem *generari*, & *spirari* sunt conceptus adæquatè, & essentialiter diversi: tùm quia generatio est per modum naturæ; spiratio autem per modum voluntatis: tùm etiam quia generatio naturâ suâ est prima processio; spiratio autem secunda; ergo adhuc genitus, & spiratus, sive Filius, & Spiritus sanctus essent termini realiter distincti; siquidem processio diversa realiter naturâ suâ habet terminum realiter diversum. 116.

Respõdeo negando antecedens: nam cùm inter generationem, & spirationem passivam nulla tunc daretur processio, nulla etiam daretur oppositio; ac proindè neque distinctio. Ad probationem dicimus *generari*, & *spirari* in Divinis esse conceptus adæquatè, & essentialiter diversos diversitate reali, posita tamen oppositione: illa verò sublata, esse conceptus adæquatè, & essentialiter diversos diversitate formali: sicut de facto *generare*, & *spirare* sunt conceptus adæquatè, & essentialiter diversi diversitate formali, non autem reali, defectu originis, & oppositionis, ut diximus. 117.

Neque obstat primò, quod generatio sit per modum naturæ; spiratio autem per modum voluntatis; nam etiam generatio activa est per modum naturæ, & spiratio activa per modum voluntatis; & tamen in Patre non distinguuntur realiter defectu originis; ergo idem eâdem ratione esset in Filio, si ab illo non procederet Spiritus sanctus. Secundò non obstat, quod generatio sit prima processio; spiratio autem secunda; nam etiam Intellectus in Divinis est prima potentia; voluntas autem secunda. Item generatio activa est prima processio; spiratio autem secunda; & tamen non distinguuntur realiter. Et hujus ratio est, quia illa prioritas, sublatâ oppositione reali, solùm denotat ordinem virtualem; quæ enim in creatis realiter, in Divinis solùm virtualiter distinguuntur, si non obviat oppositio. 118.

Argues 5. Si creaturæ per impossibile procederent à solo Patre, adhuc ab aliis Personis distinguerentur, manerentque constitutæ, & ab illis distinctæ; ergo etiam Spiritus Sanctus distingueretur à Filio, licet non ab illo, sed à solo Patre procederet. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est manifesta, quia creaturæ distinguuntur à Deo, non solùm ratione alicujus oppositionis formalis, sed etiam ratione suæ limitationis, & imperfectionis, secundùm quod nunquam possunt identificari Naturæ Divinæ: Undè per se non requirunt Trinitatem Personarum ad sui productionem, sed à Deo pendent, ut Deus est, tanquam à principio adæquato, à quo distinguerentur, etiam si per impossibile Deus non esset Trinus: at verò una Persona Divina non potest ab alia distingui ratione limitationis, aut imperfectionis, ut diximus, sed ratione solius oppositionis, quæ, sublata ratione originis, tolleretur inter Filium, & Spiritum Sanctum, & in illa tolle- 119.

tolleretur etiam distinctio.

120. Argues 6. Verbum, & amor creatus distinguuntur realiter, licet ab invicem non procedant; ergo idem dicendum esset de Amore, & Verbo Divino in facta suppositione. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio patet ex proximè dictis, quia verbum, & amor in creatis distinguuntur entitate sua ob limitationem, & imperfectionem: hæc autem cùm non detur in Divinis, sola oppositio potest inducere distinctionem, ideoque illâ sublatâ, tollitur etiam hæc.

121. Argues 7. Spiritus sanctus de facto non producitur à Filio, quà Filius est formaliter, sed quà spirator; alioqui principium spirativum non esset unum, sed duplex; constitueretur enim ex Paternitate, & Filiatione, quæ sunt rationes realiter distinctæ; & tamen de facto non solùm distinguitur à Filio, quà spirator est, sed etiam quà Filius est; alioqui quà Filius est, esset idem cum Spiritu sancto: sicut Pater quia non distinguitur à Filio, quà spirator est, est idem prout sic cum illo; ergo remanente in Filio sola oppositione disparatâ in ipsa Filiatione, & sublatâ oppositione relativa in ipsa spiratione activa, adhuc Spiritus sanctus distingueretur à Filio.

122. Respondeo primò cum Thomistis negando minorem; dicunt enim communiter, Spiritum sanctum non produci, consequenterque non distingui à Patre quà Patre, & à Filio quà Filio, sed ab utroque quà sunt unus spirator; quia Paternitas, inquiunt, est constitutivum Patris, & distinctivum à Filio, non verò ab Spiritu Sancto: & Filiatio est constitutivum Filii, & distinctivum à Patre, non verò ab Spiritu sancto, sicque existimant, non omne constitutivum esse distinctivum ab omni. Non placent, falso enim nituntur fundamento; siquidem ultimum constitutivum non potest non esse distinctivum; neque enim intelligitur, quomodò aliquid constituat Personam, & eam non distinguat ab eo, cujus non est constitutivum: præsertim, quia alioqui Paternitas, & Filiatio essent realiter idem cum Spiritu sancto, ut diximus, & sicut cum illo est idem ipsa Natura. Undè.

123. Respondeo secundò distinguendo majorem: Spiritus sanctus non producitur à Filio, quà Filio (idem est de Patre, quà Patre,) tanquam à principio *quo* formaliter; concedo majorem: tanquam à principio *quod*; nego majorem: nam Filiatio, & Paternitas complent principium spirativum *quod*; hoc enim ut tale sit supponitur subsistens Paternitate, & Filiatione. Undè concedimus etiam Spiritum Sanctum distingui à Patre quà Patre, & à Filio quà Filio; negamus tamen hanc oppositionem esse disparatam; licet enim non sit immediata, & veluti formalis; nam prout sic opponuntur ut unus spirator mediâ spiratione activâ; est tamen mediata, & radicalis; siquidem principium *quod*, si tale est essentialiter, non opponitur disparatè, sed essentialiter suo termino in ratione principii, & termini: nam oppositio disparata est illa, quæ provenit à limitata entitate rei, etiam secluſa ratione principii; hæc autem oppositio Patris, & Filii cum Spiritu Sancto, non provenit ex limitatione, neque si tolleretur ratio principii, ibi daretur.

124. Instabis: Essentia Divina est radix virtualis in Patre Paternitatis oppositæ immediatè, & formaliter Filiationi; & tamen non ideò Essentia opponitur Filio mediatè, & radicaliter; ergo etiam licet Filiatio, & Paternitas sint radix spirationis activæ, non ideò opponentur radicaliter, & mediatè spirationi passivæ. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Essentia ita est radix, & postulat Paternitatem, ut etiam sit radix, & postulet Filiationem, imò & spirationem passivam, cum quibus ob suam infinitam capacitatem postulat identificari, sicque nullam habet cum illis oppositionem: at verò Paternitas, & Filiatio ita sunt radix, & postulant spirationem activam, ut excludant passivam, cum qua non postulant identificari, cùm sint perfectiones secundùm quid, & relativæ, sicque illam excludunt, ut diximus, ideoque cum illa habent oppositionem saltem mediatam, & radicalem.

125. Argues 8. Petrus, & Paulus distinguuntur realiter inter se; & tamen inter se nullam habent oppositionem; ergo licet in facta suppositione Filius, & Spiritus Sanctus non opponerentur, adhuc realiter distinguerentur. Respondeo negando consequentiam; neque enim urget exemplum creaturarum, in quibus non repugnat imperfectio distinctionis ortæ ex propria earum limitatione, sicut & aliæ multæ imperfectiones, quin opus sit pro earum distinctione ad oppositionem recurrere, ut opus est in Divinis, in quibus omnia sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio, ut diximus.

126. Argues 9. Filius adhuc tunc generaretur, & non spiraretur, & Spiritus Sanctus spiraretur, & non generaretur; sed generari, & non spirari, & spirari, & non generari involvunt contradictionem, qualis est: *esse genitum, & non esse genitum*: *esse spiratum, & non esse spiratum*: nam si quod generatur, spirarerur, esset *non genitum*; & si quod spiratur, generaretur, esset *non spiratum*, idem enim valet *spiratum*, atque *non genitum*, & *genitum*, atque *non spiratum*; quæ contradictoria non possunt de eodem affirmari; ergo Filius, & Spiritus Sanctus adhuc in facta suppositione distinguerentur.

127. Respondeo primò cum aliquibus, tunc illas duas processiones passivas solùm distinguendas esse virtualiter intrinsecè; siquidem essent capaces illorum prædicatorum contradicentium, quæ cum sola distinctione virtuali intrinseca in Divinis salvari possunt, ut alibi diximus: indè tamen non inferri distinctionem realem inter Filium, & Spiritum Sanctum, quod debebat probare argumentum.

128. Respondeo secundò cum *P. Arriaga cit. n. 28.* dato, & concesso, quod sola distinctio virtualis intrinseca sufficiat ad salvanda illa contradictoria, sicque ex hac ratione argumento satisfiat, malè distinctionem illam virtualem admitti inter Filiationem, & spirationem passivam in facta suppositione. Patet, quia tunc nulla prædicata realia contradictoria convenirent Filiationi, quæ non etiam convenirent spirationi passivæ; siquidem tunc Filius, & Spiritus Sanctus essent idem realiter; ergo tunc realiter Spiritus Sanctus prodiret per Intellectionem, & Filius per volitionem; ergo nihil realiter affirmaretur de uno, quod non de alio realiter affirmaretur; consequenterque non eis convenirent prædicata contradictoria.

129. Dices: Ipsa Filiatio diceretur prodire per Intellectionem, & non per volitionem; & è contra spiratio per volitionem, & non per Intellectionem; ergo jam prædicarentur realia contradictoria de una, & non de alia. Respondeo cum eodem P. Arriaga, negando antecedens: quod enim dicimus de Filio, & Spiritu Sancto, dicimus etiam

de Filiatione,& ſpiratione paſſiva; in ea enim ſuppoſitione tam Filiatio quàm ſpiratio prodirent realiter ab eodem principio; ſiquidem tunc Intellectio, & volitio non diſtinguerentur neque virtualiter; nam ideò nunc præcisè diſtinguuntur, quia ſecunda Perſona realiter procedit per Intellectionem, & non per volitionem; hæc autem ratio tunc ceſſaret, quia nihil eſſet realiter procedens per Intellectum, quod etiam non procederet per voluntatem; ſicque neque Intellectio, & Volitio; neque Filiatio, & proceſſio inter ſe virtualiter diſtinguerentur, ſed præcisè eo tantùm modo, quo de facto diſtinguimus cognitionem divinam de Petro poſſibili à cognitione de Paulo poſſibili, id eſt ratione noſtra per comparationem ad diverſas creaturas.

130. Argues 10. Implicat, eundem terminum produci duabus productionibus adæquatis; alioqui neutra eſſet adæquata; hæc enim eſt illa, quâ poſitâ, vel ſublatâ, ponitur, vel tollitur terminus; non autem ita poneretur, vel tolleretur terminus, ſi poſſet produci duplici productione adæquata; ſiquidem cùm vi unius poneretur, non poneretur vi alterius, cùm jam ſupponeretur poſitus; & cùm altera tolleretur, non tolleretur ipſe terminus, cùm vi alterius ſupponeretur conſervatus; ergo implicat eandem Perſonam produci generatione, & ſpiratione ſimul, quæ ſunt duæ productiones adæquatæ tendentes ad terminos totales diverſos; conſequenterque adhuc Spiritus ſanctus diſtingueretur à Filio.

131. Reſpondeo negando conſequentiam, & ejus probationem; licet enim generatio, & ſpiratio paſſiva de facto ſint duæ productiones adæquatè diſtinctæ inter ſe, quia una habet ſuum terminum realiter diſtinctum ab alia; non ita eſſent in facta hypotheſi, in qua ſicut una foret Perſona æquivalens duabus Filii, & Spiritûs Sancti, ita una foret productio æquivalens duabus generationis, & ſpirationis. Undè ſicut neutra ab alia præciſa eſſet ſufficiens productio illius termini, qui ſimul eſſet Filius, & Spiritus ſanctus, adæquatè ſumpti, ita neutra ab alia præciſa eſſet productio adæquata, ſed inadæquata talis termini.

132. Argues 11. Generatio,& ſpiratio ſunt duæ productiones hypoſtaticæ; ſiquidem per hanc producitur hypoſtaſis Spiritûs Sancti, & per illam hypoſtaſis Filii; ſed implicat, duas productiones hypoſtaticas tendere ad unum terminum; nam productio hypoſtatica tendit ad ſubſiſtens per ſe, ſicque ad terminum per ſe diſtinctum; alioqui non ad ſubſiſtens per ſe, ſed ad exiſtens in alio tenderet, cùm illud hoc excludat; ergo implicat, eas tendere ad unum terminum; conſequenterque Filius, & Spiritus Sanctus adhuc in facta ſuppoſitione diſtinguerentur.

133. Reſpondeo negando majorem, falsò enim ſupponitur, generationem, & ſpirationem in facta ſuppoſitione fore duas productiones hypoſtaticas; eſſent enim una tantùm terminata ad unam, eandemque indiviſibilem Perſonam, quæ ſimul eſſet genita, & ſpirata. Undè ad probationem dicimus, in eo caſu per generationem non fore producendam hypoſtaſim Filii diſtinctam ab hypoſtaſi Spiritûs ſancti, ſed unam, & eandem æquivalentem ambabus; ſicque non ſequi, tunc producendam unam hypoſtaſim in alia, quia non duæ producerentur, ſed una indiviſibilis per unam indiviſibilem productionem.

134. Argues 12. In facta ſuppoſitione ſpiratio activa, aut eſſet in ſolo Patre; aut in Patre ſimul, & Filio, in hoc tamen ſine munere ſpirandi: ſi primum; ergo Filius ab illa diſtingueretur realiter, quin cum illa haberet oppoſitionem relativam; neque enim Filius procedit à Patre ut ſpirante, ſed ſolùm ut generante; ergo ſicut in hac, ita in ſupra facta ſuppoſitione poterit dari diſtinctio realis ſine oppoſitione relativa; conſequenterque Spiritus ſanctus diſtingueretur realiter à Filio, licet ab eo realiter non procederet. Si ſecundum; ergo Filius diſtingueretur realiter ab Spiritu ſancto, quin hic ab illo procederet; ſiquidem cùm Spiritus ſanctus ſic diſtingueretur à Patre à quo procederet, & ab ſpiratione activa per quam à Patre procederet, etiam ſic diſtingueretur à Filio, licet ab eo non procederet, utpotè in quo talis ſpiratio per identitatem reperiretur; ergo &c.

Reſpondeo admiſſa hypotheſi, quod ſpiratio 135.
activa aut eſſet in ſolo Patre; aut in Patre ſimul & Filio, in hoc tamen ſine munere ſpirandi, ex nullo hoc capite ſequi, Spiritum ſanctum diſtinguendum eſſe à Filio, ſi ab illo non procederet. Patet, quia in primo eventu, aut ſpiratio activa eſſet virtualiter intrinſecè diſtincta à Paternitate; aut omninò indiſtincta: Si primum, benè poterit Filius ab illa realiter non diſtingui, licet ſic diſtinguatur à Paternitate; ſiquidem ab hac realiter diſtinguitur, & non ita diſtinguitur à Natura, ſed ſolùm virtualiter; ergo ſic virtualiter poſſet diſtingui ab ſpiratione activa, ſicque argumentum non procedit. Si ſecundum, ipſa ſpiratio activa eſſetſe ipſa productio Filii, & Spiritûs ſancti, denominando unum genitum, & alium ſpiratum, ad eum modum, quo idem actus, qui ſimul eſſet amor Dei, & odium peccati, ſimul reſpiceret Deum, & peccatum, unique tribueret denominationem amati, & alteri odio habiti; ſicque ſimiliter in ea hypotheſi eadem virtualiter relatio poſſet reſpicere Filium ut genitum, & Spiritum ſanctum ut ſpiratum, ex quo conſtat ſpirationem *activam* habere oppoſitionem realem cum Filio, ſicut illam habet Paternitas, à qua procedit, utpotè quæ ab illa eſſet indiſtincta, ut ſupponitur.

In ſecundo autem eventu, quo ſcilicet ſpiratio 136.
activa eſſet in Patre ſimul & Filio, in hoc tamen ſine munere ſpirandi, tunc talis ſpiratio diſtingueretur à Filio virtualiter intrinſecè, in quo eventu Spiritus ſanctus poſſet diſtingui realiter ab ſpiratione activa, ſiquidem hæc in Patre eſſet principiû talis Spiritus ſancti; non ita tamen realiter diſtingueretur à Filio, quia in Filio non eſſet principium Spiritûs ſancti, neque cum illo haberet oppoſitionem; ſic enim Filius de facto diſtinguitur realiter à Paternitate, & cum illa habet oppoſitionem; non ita tamen opponitur, neque diſtinguitur ab Eſſentia, licet hæc cum illa ſit idem, & ſolùm diſtinguantur virtualiter intrinſecè; ſicque argumentum non probat.

SECTIO VI.

De Nominibus, quæ Spiritui Sancto tribuuntur.

TRia potiſſimum ſunt nomina, quibus 137.
in Scriptura, Conciliis, & Sanctis Patribus ſignificari ſolet tertia Trinitatis Perſona. Primò dicitur *Spiritus Sanctus*, ſic enim habetur, & appellatur à Chriſto Domino.

Domino. Matt. ultim. ibi : *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Et 1. Joan. 5. ibi : *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus.* Secundò appellatur *Amor* ; sic enim habetur 1. Joan. 4. *Dilectio ex Deo est.* Et infra : *Deus charitas est.* Ubi D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 17. 18. & 19.* per dilectionem ex Deo Spiritum Sanctum intelligit. Tertiò vocatur *donum* ; sic enim habetur Actor. 2. ibi : *Accipietis donum Spiritus Sancti.* Et cap. 8. *Quia donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* Et ab Ecclesia dicitur : *Donum Dei Altissimi.* His positis.

138. Difficultas 1. Utrùm nomen hoc *Spiritus Sanctus* soli tertiæ Personæ propriè conveniat ? Advertendum est, hoc nomen *Spiritus Sanctus* dupliciter sumi posse : Primò prout idem significat, quod est per spirationem, & idem valet, atque terminus perfectè, & sanctè spiratus : Secundò prout significat rem immaterialem, & secundùm se sanctam : Et prout sic adhuc potest dupliciter accipi : Primò ut est nomen complexum ex *Spiritu*, & *Sancto* : Secundò per modum unius simplicis dictionis impositæ specialiter ad significandum modum habendi spiritualitatem, & sanctitatem. Hoc posito.

139. Dico 1. Nomen *Spiritus Sanctus*, prout significat, quod est per spirationem, solius tertiæ Personæ est proprium : non autem prout significat rem immaterialem, & secundùm se sanctam. Probatur prima pars, quia sola tertia Persona per spirationem à Patre, & Filio procedit, estque terminus perfectè, & sanctè spiratus ; ergo &c. Probatur secunda pars, quia non sola tertia Persona est immaterialis, & secundùm se sancta, sed etiam Pater, & Filius ; ergo &c.

140. Dico 2. Nomen *Spiritus Sanctus* prout est quid complexum ex *Spiritu*, & *Sancto*, non est proprium solius tertiæ Personæ : maximè verò prout est dictio simplex significans modum habendi spiritualitatem, & sanctitatem. Probatur prima pars, primò quia prout est quid complexum etiam competit Patri, & Filio, quia etiam sunt *Spiritus*, & sunt *Sancti*, ut ait D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 19. Et Pater*, ait, *Spiritus, & Filius Spiritus ; & Pater Sanctus, & Filius Sanctus est.* Et D. Basil. *lib. 2. contr. Eunom. Non est*, inquit, *solum hoc nomen sanctitatis cum Patre, & Filio ipsi Spiritui Sancto commune, sed ipsa etiam Spiritûs appellatio* ; ergo &c.

141. Probatur secundò, quia proprium nomen in Divinis propriam hypostasim, & proprium subsistendi modum exprimit ; sed non ita exprimit nomen *Spiritus Sanctus* respectu tertiæ Personæ ; hæc enim subsistit ut terminus mutui amoris Patris, & Filii, quod non exprimitur per illud nomen complexè sumptum ; ergo &c. Confirmatur, quia quælibet Persona Divina constituitur in sua hypostasi per relationem ad suum correlativum ; sic enim constituitur Pater per relationem ad Filium, & Filius per relationem ad Patrem ; sed huic nomini *Spiritus Sanctus* prout sic sumpto nulla respondet correlatio ex parte Patris, & Filii, à quibus procedit ; licet enim Spiritus Sanctus dicatur Spiritus Patris, Spiritus Filii, non tamen è contra dicitur Pater Spiritûs Sancti, Filius Spiritûs Sancti ; ergo nomen *Spiritus Sanctus* prout sic non est proprium tertiæ Personæ.

142. Probatur secunda pars, quia nomen *Spiritus Sanctus* prout est simplex dictio imposita ad significandum modum habendi spiritualitatem, & sanctitatem soli tertiæ Personæ convenit ; siquidem sola ex vi suæ processionis formaliter accipit Amorem voluntatis, qui cùm sit per modum impulsûs, & omnia ad Deum referre amoris sit, & Sanctum, dicitur specialiter Spiritus sanctus ; ergo &c. Confirmatur, quia hoc nomen *Processio*, licet sit commune Filio in Divinis, quatenùs etiam Filius à Patre procedit, ex prima tamen impositione, defectu vocabuli appropriatur processioni solius tertiæ Personæ ; ergo etiam terminus ipsius processionis, nempè Persona procedens, cùm non habeat nomen sibi proprium, poterit sibi vendicare commune cæteris Personis, quale est nomen *Spiritus Sanctus* ; prout tamen habet vim unius dictionis.

Advertes pro prima cõclusione, cùm dixerimus, 143.
nomẽ *Spiritus sanctus*, prout significat quod est per *spirationem*, sive desumptum ab *spiratione*, esse proprium solius tertiæ Personæ, intelligendum esse, prout *Spiritus* dicitur à *passiva*, non autem *activâ spiratione* ; siquidem dictus ab *spiratione activa*, aut est communis toti Trinitati, si spiratio activa sumatur pro virtute spirandi *ad extra* ; aut est communis Patri, & Filio, si sumatur pro virtute spirandi *ad intra* ; siquidem *ad extra* omnes tres Divinæ Personæ indivisibiliter spirant juxta illud Joan. 3. *Spiritus ubi vult, spirat* ; & *ad intra* Pater simul & Filius spirant Spiritum sanctum.

Difficultas 2. Utrùm, & quo pacto hoc nomen 144.
Amor Spiritui Sancto conveniat ? Advertes, hoc nomen *Amor* dupliciter sumi in Divinis : primò *essentialiter*, sive pro essentiali : secundò *notionaliter*, sive pro notionali ; prout supra diximus de hoc nomine *Sapientia*, quod etiam sumi potest & pro essentiali, & pro notionali. Hoc posito.

Dico 1. Nomen *Amor*, si sumatur pro essentiali, non est proprium Spiritûs Sancti. Probatur, 145.
quia prout sic est quid absolutum, sicque commune omnibus tribus Personis ; in Divinis enim omnia absoluta sunt communia ; quod autem est alteri commune, non est alicujus proprium ; ergo &c. Confirmatur primò ex illo Sapient. 11. 25. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Et 1. Tim. 1. *Vult omnes homines salvos fieri* : quæ loca ad actum dilectionis communem omnibus Personis pertinent ; ergo &c. Secundò ex D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 17. Nescio*, ait, *cur sicut sapientia dicitur, & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & simul omnes, non tres, sed una Sapientia ; non ita & Charitas dicatur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & simul omnes una Charitas.* Tertiò, quia Intellectus, & actus intelligendi sunt quid absolutum commune omnibus Personis ; ergo etiam voluntas, & actus amandi erunt quid absolutum commune omnibus Personis.

Dico 2. Nomen *Amor*, si sumatur pro notionali, ut sæpè sumitur à Sanctis Patribus, est pro- 146.
prium solius Spiritûs sancti. Probatur primò ex illo 1. Joan. 3. *Dilectio ex Deo est.* Et infrà : *Deus Charitas est* : quæ loca ad Spiritum sanctum refert D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 17.* Secundò, quia solus Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis accipit Amorem, quatenùs immediatè identificatur Essentiæ Divinæ sub ratione Amoris, qui est ejus formale principium, non solùm communicativum, sed etiam productivum, ut supra diximus ; ergo &c.

Probatur tertiò, quia Filius ex eo, quod pro- 147.
cedat per Intellectionem, propriè dicitur *Sapiẽtia* ; ergo etiam Spiritus sanctus ex eo, quod procedat per volitionem, propriè dicetur *Amor*. Confirmatur, quia *Sapientia* sumitur in facto esse tanquã terminus Intellectionis, & sic supponit pro verbo ;

ergo etiam *Amor* poterit sumi in facto esse tanquam terminus volitionis, & sic supponet pro Spiritu sancto. Probatur consequentia, quia in Deo quilibet terminus procedens à principio, non potest esse absolutus, & essentialis, sed debet esse relativus, & notionalis; siquidem in Divinis sola relativa, & notionalia producuntur; sed *Amor* acceptus pro termino volitionis, est terminus procedens à principio producente per volitionem; ergo prout sic non poterit supponere pro Amore essentiali, & absoluto, sed pro notionali, & relativo; consequenterque pro sola tertia Persona.

148. Objicies 1. contra primam conclusionem: Si nomen *Amor* sumeretur pro essentiali, cùm omnia essentialia sint communia, etiam Spiritus Sanctus haberet hunc Amorem; sed hoc non videtur dicendum; siquidem, cùm quilibet amans amando producat aliquem terminum, si Spiritus sanctus amaret, etiam amando produceret aliquem terminum, quod est hæreticum; ergo &c. Respondeo negando minorem: licet enim Spiritus sanctus non amet, prout *Amor* accipitur notionaliter, & idem est, atque spirare amorem productum: amat tamen prout *Amor* accipitur essentialiter, & est idem, quod inclinari in bonum sub ratione boni. Neque prout sic amando producit terminum amoris: tùm quia ipse est terminus productus per eundem Amorem, & non potest se ipsum producere: tùm etiam, quia ultra terminum adæquatum Amoris, nihil est producibile per Amorem.

149. Objicies 2. Verbum, qui est terminus Intellectionis, nunquam accipitur essentialiter, sed tantùm notionaliter; ergo similiter Amor, qui est terminus volitionis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia ad significandam operationem Intellectûs datur copia vocum simplicium, quarum aliæ significant essentialem operationem intelligendi, ut *Sapientia*, & *Intellectio*: aliæ productionem notionalem, ut *dicere*, & *loqui*: aliæ terminum productum, ut *Verbum*: at verò in processione per volitionem, cùm sit inopia vocum, propter quam terminus productus caret nomine proprio, ideò necessitate cogente, illud accipit mutuatum, appellaturque *amor*, *dilectio*, *affectio*, *impulsus*, aut *inclinatio* ad rem amatam.

150. Difficultas 3. Utrùm, & quo sensu dicatur à Sanctis Patribus, Patrem, & Filium diligere se Spiritu sancto? Dico 1. Hæc: *Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto*: eodem modo accipienda est, quo illa: *Pater intelligit Verbo*: de qua supra; sicque utraque solùm per appropriationem dicitur vera. Patet, quia hæc: *Pater intelligit Verbo*: solùm per appropriationē potest esse vera, si sensus sit: *Verbum ex vi suæ processionis formaliter est ipsa Intelligentia, seu Sapientia, qua Pater intelligit, seu sapit*: ergo sic etiam vera erit illa: *Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto*: si sensus sit: *Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis formaliter est ipse Amor, quo Pater, & Filius se diligunt*; quod est verum. Advertes tamen, hunc loquendi modum esse magis usitatum apud Sanctos Patres loquentes de Spiritu Sancto, quàm loquentes de Verbo, sicque cautiùs de Verbo proferenda est illa: *Pater intelligit Verbo*: quàm de Spiritu sancto hæc: *Pater, & Filius diligunt Spiritu Sancto*.

151. Dico 2. In proprio sensu sicut hæc: *Pater intelligit Verbo*: non est vera: ita vera non est hæc: *Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto*. Probatur primò, quia sicut Pater non potest intelligere, nisi per rationem formalem intelligendi; ita Pater, & Filius non possunt diligere, nisi per rationem formalem diligendi; alioqui posset dari effectus formalis sine causa formali, sed neque Verbum est Patri ratio formalis intelligendi; neque Spiritus Sanctus est Patri, & Filio ratio formalis diligendi; alioqui non ex fœcunditate, sed ex indigentia intelligendi, & amandi producerentur; ergo sicut non est vera hæc: *Pater intelligit Verbo*: neque vera erit illa: *Pater, & Filius diligunt Spiritu Sancto*.

152. Confirmatur, quia ut se habet *intelligere* ad intelligentem, & producentem per Intellectum; ita se habet *diligere* ad diligentem, & producentem per voluntatem: & sicut *Verbum* est terminus productionis, & non aliter comparatur ad Patrem; ita *Spiritus Sanctus* est terminus suæ productionis, & non aliter ad Patrem, & Filium comparatur; sed Pater non intelligit verbo, sive termino producto; ergo neque Pater, & Filius diligunt Spiritu Sancto, sive termino spirato.

153. Probatur secundò, quia ideò hæc: *Pater intelligit Verbo*: sive, *Pater est Sapiens sapientiâ genitâ*; non est vera, quia *intelligere*, siue *sapere* dicit aliquid in Patre; Pater autem nihil recipit à suo genito, neque formaliter, neque effectivè, quas habitudines potest significare ablativum illud: *Verbo*, seu *sapientiâ genitâ*; sed hæc eadem ratio eisdem terminis, & cum eadem certitudine applicari potest ad Spiritum Sanctum, & dilectionem; siquidem etiam *diligere* dicit formalem perfectionem, & intrinsecam, quam Pater, & Filius nullo modo possunt habere ab Spiritu sancto; ergo &c.

154. Difficultas 4. Ex quarum rerum Amore per se, & formaliter procedat Spiritus Sanctus? Dico 1. Pater, & Filius amando suam Divinitatem producunt Spiritum Sanctum, sicque Spiritus Sanctus per se, & formaliter procedit ex amore Essentiæ Divinæ. Est certa, & communis. Probatur, quia Pater cognoscendo suam Essentiam producit Verbum; ergo illam amando producit Spiritum Sanctum; sicut enim Verbum non producitur ibi ex indigentia intelligentis, sed ex fœcunditate, ita & Amor; neque enim Amor Divinitatis in sua quasi specie est minùs fœcundus, quàm est Intellectio ejusdem Divinitatis in sua.

155. Dico 2. Spiritus Sanctus procedit etiam per se, & formaliter ex amore trium Divinarum Personarum. Est etiam communis apud Doctores, qui sentiunt Verbum Divinum procedere ex Cognitione totius Trinitatis, ut diximus supra *d. 7. à num. 300.* Probatur, quia Verbum procedit per perfectam Intellectionem, in qua, ut talis sit, & comprehensiva, includitur cognitio non solùm Essentiæ Divinæ, sed etiam Personarum; ergo etiam Spiritus Sanctus procedet per Amorem Dei perfectissimum, qui ut talis sit, & quasi comprehensivus, debet esse Amor, non solùm Essentiæ, sed etiam Personarum.

156. Confirmatur primò, quia in Deo non solùm est bonitas essentialis, quæ cõsistit in Essentiâ & Attributis, sed etiam personalis, quæ cõsistit in Personalitatibus, quæ secundùm proprium conceptum sunt perfectiones substantiæ Divinæ, & ipsarum Personarum, quas constituunt; ergo Amor Dei perfectus, & adæquatus, ex quo procedit Spiritus Sanctus, propriè, & per se tendit, non solùm ad Essentiam, sed etiam ad Personas. Secundò, quia sicut in Deo est aliquid reale *esse Deum*, & *esse Trinum*,

Trinum, ita in Amore Dei debet esse aliquid reale, & intrinsecum tendere non solùm in Naturam Dei, sed etiam in Personas; ergo Spiritus Sanctus, qui formaliter procedit ex Amore Dei perfecto, quatenùs perfectus est, procedit etiam formaliter ex Amore Personarum.

157. Dico 3. Spiritus Sanctus procedit etiam per se formaliter ex Amore spirationis activæ. Ita *P. Soar. lib. 11. de Trinit. cap. 2. n. 5.* Probatur, quia Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum ex Amore perfectissimo Divinitatis; sed spiratio activa pertinet ad comprehensivum, seu totalem Amorem Divinitatis; neque enim hæc totaliter amaretur, nisi omnia, quæ in ipsa formaliter sunt, simul amarentur; ergo illum producunt ex amore omnium relationum realium, quæ in ipsa sunt. Confirmatur, quia Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum ex amore ipsius Spiritûs Sancti, ut spirati; ergo etiam ex amore sui ipsorum, ut spirantium; consequenterque ut habentium ad ipsum realem respectum.

158. Dico 4. Spiritus sanctus procedit per se, & formaliter ex amore creaturarum possibilium; non ita tamen ex amore creaturarum futurarum, & existentium. Ita Doctores supra citati asserentes, Verbum Divinum procedere per se formaliter ex cognitione creaturarum possibilium, non tamen futurarum, & existentium. Probatur prima pars, quia sicut Verbum Divinum procedit per se, & formaliter ex cognitione perfectissimè comprehensiva, ita etiam sic procedit Spiritus sanctus ex amore perfectissimè comprehensivo; sed cognitio illa, ut talis sit, debet esse cognitio etiam creaturarum possibilium, ut supra diximus; ergo etiam, ut talis sit hic amor, debet esse amor etiã creaturarum possibilium; consequenterque Spiritus Sanctus ex tali amore formaliter procedit.

159. Confirmatur primò, quia sicut cognitio illa, ut comprehensiva possibilium, dicit perfectionem intrinsecam Deo, absolutam, & simpliciter simplicem, ita etiam hic amor, ut comprehensivus possibilium, dicit perfectionem Deo intrinsecam, absolutam, & simpliciter simplicem; sed Verbum Divinum procedit per se, & formaliter ex illa cognitione, quia perfectissima; ergo etiam Spiritus Sanctus sic procedit ex hoc amore, quia perfectissimus. Secundò, quia amor possibilium in Deo est actus tam necessarius, quàm est ipse Deus; ergo nihil desideratur, quominùs formaliter includatur in origine Spiritûs Sancti.

160. Probatur 2. pars primò, quia amor liber in Deo, qualis est amor creaturarum existentium, quatenùs est amor talium objectorum, est in Deo contingenter; ergo non potest esse formalis origo Personæ Divinæ, quæ maximè necessariò existit. Confirmatur, quia Verbum Divinum non procedit formaliter ex scientiâ liberâ visionis, quia cùm potuisset non esse in Deo, etiam potuisset non esse ipsum Verbum, quod non est dicendum; ergo ob eandem rationem Spiritus sanctus non procedit formaliter ex amore libero creaturarum existentium.

161. Probatur secundò, quia origo Spiritûs Sancti, cùm tota sit realis, & intrinseca Deo, amor objecti, per quem ille producitur, debet etiam esse formalitas positiva, & Deo intrinseca; sed amor rerum existentium, quatenùs talium objectorum est, non importat aliquod esse reale intrinsecum Deo, sed solam connotationem extrinsecam, quæ potuisset non esse; nihil autem reale, & intrinsecum Deo, potest non esse, cùm necessariò sit; ergo amor rerum existentium, prout talium objectorum est, non est talis, ut per illum possit Spiritus Sanctus formaliter procedere. Argumenta, quæ contra præcedentes Conclusiones adduci poterant, videri possunt supra *d. 7. à n. 331. & 373.*

SECTIO VII.

An Spiritus Sanctus propriè, & personaliter sit donum?

162. VT intelligamus qualiter Spiritus Sanctus *donum* sit, priùs intelligere debemus quid sit *donum*. D. Thom. *1. p. q. 38. art. 2.* cum Philosopho *lib. 4. Topicor. cap. 4.* ita *donum* definit: *Est irreddibilis donatio*: id est liberalis, orta ex amore, & benevolentia, sine onere alicujus solutionis; sicque excluduntur à ratione doni omnia, quæ donantur titulo onerosо, aut ex metu, & necessitate; siquidem, quod donum est, liberaliter dari debet. Hinc est, quod Essentia Divina, quã Pater dat Filio per generationem, & Filius cum Patre dant Spiritui Sancto per spirationem, non possit dici propriè *donum* respectu harum Personarum; siquidem eis communicatur ex necessitate, ut rectè notant *Durand. in 1. dist. 18. q. 1. Marsil. q. 21. art. 1. Canar. P. Molin. hic q. 38. P. Arrub. d. 134. cap. 1. n. 2.* Neque obstat D. Hilar. lib. 8 de Trinit. ubi vocat Essentiam Divinam *donum*, quod Pater Filio confert; siquidem ibi accipit vocem *donum* latè, & impropriè, solùm pro bono alteri communicato. Ex adducta definitione.

163. Advertes primò, particulam illam *donatio* non accipi pro actione donandi; neque enim de ratione doni est, quod actu detur, nam hoc pertinet ad actualem donationem, quæ donum non est; sed quod sit donabile, sicque accipi pro re donata, aut donabili alteri liberaliter; sic enim dicimus Regem habere dona, quæ conferat, licet non dùm actu illa contulerit, ut benè ad rem præsentem declarat D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 15.* dicens aliter intelligi cùm dicitur *donum*; hoc enim potest esse antequam detur; & aliter cùm dicitur *donatum*, quod nullo modo dici potest, nisi datum fuerit.

164. Advertes secundò, *donum* tria importare, nempè rem ipsam donatam, aut donabilem, respectum ad donantem, & respectum ad eum, cui donatur: Undè hîc est: Dubium 1. An donum necessariò, ut tale sit, debeat distingui realiter à persona donante? Negativè. Ita cum communi *Durand. in 1. dist. 18. q. 1. Marsil. q. 21. art. 1. notabil. 4. Canar. P. Mol. 1. p. q. 38. art. 1. Capreol. in 1. dist. 18. q. 1. P. Arrub. d. 134. cap. 1. num. 4.* & alii. Probatur primò ex D. Thom. *1. p. q. 38. art. 1. ad 1.* ubi docet, tres posse esse modos, quibus aliquid potest esse alicujus, quorum unum dicit esse per identitatem, additque hoc modo, *donum* non distingui à donante; ergo videtur sentire, non esse de ratione doni sic distingui à donante.

165. Probatur secundò, quia *donum* est res, quæ datur liberaliter; sed res data potest esse sine distinctione reali à dante; ergo & donũ. Probatur minor, quia Joan. 5. Pater dicitur dare Filio vitam, quam habet in semetipso. Et Joan. 10. *Pater* inquit Christus Dominus, *quod dedit mihi, majus omnibus est*: quæ verba de Natura communicata Filio explicat Concil. Later. *cap. damnamus de sum. Trinit.* vita autem, sive Natura, quam Pater dat, & communicat Filio, non distinguitur realiter ab ipso Patre; ergo

ergo non est de ratione rei datæ; sicque neque de ratione doni, quod realiter distinguatur à donatore.

166. Dubium 2. An sit de ratione *doni* distingui realiter à persona accipiente? Negativè. Probatur, quia ipsum esse creaturarum, quod Deus liberaliter confert ipsis creaturis, dici potest *donum*; & tamen ab illis realiter non distinguitur; ergo &c. Hinc infertur primò, ad rationem *doni* satis esse, quod *donum* distinguatur aut à donatore; aut ab illo, cui donatur. Secundò de ratione *doni* in communi non esse, ut relatione reali referatur ad personam dantem, aut accipientem, quia potest ab una, aut altera non distingui; sed satis esse ad alterum eorum sic referri; licet quando ab utroque distinguitur, ad utrumque sic referatur.

167. Advertes tertiò inter omnia dona, ipsum amorem, ex quo oritur liberalis beneficentia, speciali modo, & quasi per Antonomasiâ appellari *donum*; siquidem est primum donum, quod in liberali beneficentia necessariò reperitur. Advertes quartò, (cùm sit de essentia *doni*, ut sit ejus, à quo donatur, & fieri possit illius, cui donatur,) tribus modis aliquid esse alicujus: Primò per dominium, & subjectionem, qui modus *doni* non potest habere locum in Personis Divinis *ad intra*. Secundò per originem; sic enim Persona producta dicitur esse producentis. Tertiò per identitatem, qui modus etiam non repugnat in Personis Divinis. His positis,

168. Dico 1. Ratio *doni* propriè Deo convenire potest. Probatur, quia Deus est maximè liberalis, & creaturis rationalibus multis modis communicabilis, nempè per unionem hypostaticam, gratiam, & gloriam, idque non propter compensationem, aut commodum suum, sed nostrum; ergo &c.

169. Dico 2. Ratio *doni* in communi respectu creaturarum potest convenire Deo essentialiter, & communiter tribus Personis. Ita *P. Molin. cit. P. Arrub. cit.* Probatur, quia Deus, & quælibet Persona potest se ipsam dare liberaliter creaturis, & hoc illis convenit ratione Deitatis; ergo ratio *doni*, nempè quod est dantis per identitatem, Deo ut sic, & tribus Personis potest convenire. Confirmatur ex D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 19.* ubi dicit Spiritum Sanctum sic esse *donum*, ut etiam se ipsum det, ut Deus; ergo sicut quælibet Persona potest se ipsam dare, ita & donare.

170. Dico 3. Ratio *doni*, quod est alterius dantis, non per identitatem, sed per originem, convenit duabus Personis, nempè Filio, & Spiritui Sancto. Probatur tùm ex illo Isai. 9. *Filius datus est nobis*. Et Joan. 3. *Ut Filium suum Unigenitum daret*: tùm ex definitione doni: tùm etiam ex origine passiva, quæ convenit duabus Personis; ergo &c.

171. Dico 4. Esse primum *donum* ex vi suæ processionis formaliter est proprium solius Spiritûs Sancti. Ita *Magist. in 1. dist. 28. D. Thom. 1. p. q. 38. art. 2. & in 1. dist. 28. q. 1. & 2. Alexand. 1. p. q. 64. memb. 1. Albert. 1. q. 36. memb. 2. D. Bonav. in 1. dist. 18. art. unico q. 4. & 5. Richard. Hervæus. Aureol. Argentin. Ocham. Gabr. Major. Marsil. Capreol.* & alii, quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 75. de Trinit. sect. 1. n. 9. P. Soar. lib. 11. de Trinit. cap. 4. num. 6. P. Vasq. 1. p. d. 153. cap. 2. n. 8. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 4. n. 12. P. Arrub. d. 134. cap. 1. num. 9. P. Amicus d. 27. sect. 7. n. 151. P. Præposit. 1. p. q. 38. n. 2. P. Molin. 1. p. q. 38. d. unica. P. Arriaga 1. p. d. 53. sect. 3. n. 17.* & alii.

Probatur primò ex Scriptura, & Sanctis Patribus, nam Actor. 2. specialiter Spiritus Sanctus vocatur *donum*: *Accipietis*, inquit, *donum Spiritûs Sancti*. Et Actor. 8. *Quoniam*, ait, *donum Dei existimasti pecuniâ possideri*: ubi loquitur de Spiritu Sancto. Et Ecclesia Spiritum Sanctum appellat: *Donum Dei altissimi*. Et D. August. *lib. 7. de Trinit. cap. 4. Spiritus Sanctus*, inquit, *propriâ significatione, quâ etiam donum Dei dicitur, nec Pater, nec Filius est*. Ubi notandum est verbum *propriâ significatione*. Et *lib. 4. cap. 20. Sicut natum esse*, ait, *est Filio à Patre esse, ita Spiritum Sanctum donum Dei esse, est à Patre, & Filio procedere*. Hoc idem significant *D. Nazianz. orat. 37. n 72. D. Basil. lib. 5. contr. Eunom. cap. 7. D. Chrysost. tom. 3. serm. 2. in Pentecost. D. Athan. orat. 1. contr. Arianos. D. Amb. D. Cyril. D. Isidor.* & alii apud *P. Ruiz cit.* 172.

Probatur secundò, quia *donum* propriè, ut diximus, est *donatio irreddibilis*, seu gratuita sine spe, sive intentione retributionis, cujus fons est amor; ergo cùm *donum* ex amore tanquam ex fonte soleat proficisci, imò ipse amor sit primum quasi donum, ex quo reliqua per extrinsecam denominationem dicuntur dona, rectè, & propriè tribuitur illi Personæ, quæ & amor est, & ex amore procedit; sed solus Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis formaliter est Amor, & ex amore procedit, utpotè qui solus procedit formaliter per voluntatem; ergo solus propriè est, & dicitur *donum*. Confirmatur, quia inter Personas Divinas, solus Spiritus sanctus ita est *donum*, ut non sit etiam donans aliam Personam; ergo solus ille propriè est *donum*. 173.

Probatur tertiò, quia quod convenit uni Personæ, & non aliis, dicitur illius proprium constitutivum, & distinctivum; sed ratio doni, prout diximus, soli convenit Spiritui Sancto; licet enim quælibet alia Persona sit etiam primum donum, quatenùs quælibet alia est amor *essentialis*, quipotest liberè versari circa creaturas, nulla tamen alia præter Spiritum Sanctum, est amor ex vi suæ processionis formaliter; ergo solus Spiritus Sanctus est primum *donum* ex vi suæ processionis productus ut *donum* creaturarum, quibus donari potest. 174.

Oppositum tenet *Durand. in 1. dist. 18. q. 1.* ubi negat, *donum* convenire Spiritui sancto propriè, sed tantùm appropriatè: pro quo: Argues 1. *Donum*, ut ex illius definitione constat, est liberalis, & gratuita donatio; sed nulla Persona in Divinis procedit liberè, & gratuitò, sed necessariò, & naturaliter; ergo nulla propriè est *donum*. Resp. Spiritum Sanctum non dici donum formaliter per communicationem *ad intra*, quæ est necessaria, sed per communicationem aptitudinalem *ad extra*, quæ est libera, fundaturque in ipsa communicatione *ad intra*; nisi enim procederet ut distincta Persona *ad intra* ab ipso principio producente, non posset habere rationem doni *ad extra* liberaliter communicabilis. 175.

Argues 2. Inter donum, donatorem, & cui donatur debet intercedere distinctio realis, ut constat ex Philosopho loco supra citato; nam *donum* alicujus donum dicitur; sed Spiritus Sanctus, licet sic distinguatur à Patre, & Filio, à quibus procedit; non ita tamen distinguitur à se ipso quatenùs donum accipit; ergo &c. Respondeo Spiritum Sanctum, licet non distinguatur à seipso, respectu cujus non est, cui datur, sed quod datur, sive donum ipsum formaliter aliis communicabile, distingui tamen à creaturis, quæ sunt terminus, cui 176.

cui hoc donum est liberaliter communicabile.

177. Argues 3. Si Spiritus sanctus esset propriè *donum*, aut tale esset respectu sui ipsius; & hoc non; nullum enim dicitur donum respectu sui: aut tale esset respectu Filii, quatenùs scilicet datur à Patre in donum Filio; & hoc etiam non; siquidem inter dantē, & cui datur debet intercedere distinctio realis; inter Patrem autem, & Filium in ratione spirantis, seu dantis Spiritū nulla datur realis distinctio: aut tale esset respectu Patris, quatenùs scilicet datur à Filio Patri per mutuum amorem; & hoc etiam non; tùm ob assignatam rationem: tùm etiam quia si Spiritus Sanctus diceretur dari Patri à Filio, aut è contra propter solam Essentiæ identitatem, & Personarum circuminsessionem, eodem modo ob eandem rationem dici posset, Patrem, & Filium dari Spiritui Sancto; ergo &c.

178. Respondeo primò cum *Henrico in sum. p. 2. art. 61. q. 10. Ocham. & Gabr. in 1. dist.* 18. negando minorem quoad duas ultimas partes; dicunt enim Spiritum sanctum dici *donum* respectu Patris, & Filii, quatenùs à Patre datur Filio per impensū amorem, & à Filio datur per repensum amorem Patri, ut subsistat in eadem numero Natura. Non placent, quia eodem modo dici posset, Filium dari in donum Spiritui Sancto; siquidem etiam Filius producitur à Patre, ut subsistat in eadem Natura cum Spiritu sancto. Respondeo secundò negando majorem; est enim Spiritus Sanctus *donum* solùm respectu creaturarum, quibus tantùm est liberaliter communicabile.

179. Argues 4. Si Spiritus sanctus esset propriè *donum*; aut tale diceretur respectu principii, à quo per originem, ut per donationem accipit esse; & hoc non; nam etiam Filius sic per originem accipit esse à Patre: aut respectu creaturarum, quibus donari potest; & hoc etiam non; siquidem de facto Filius datus est nobis, non solùm per gratiam, & merita, sed etiam per Unionem Hypostaticam; ergo non solùm Spiritus Sanctus est *donum*; consequenterque hoc non est illius proprium.

180. Respondeo ex supra dictis constare, cur potiùs Spiritus Sanctus, quàm Filius, habeat formalem rationem doni; quia scilicet solus Spiritus Sanctus, & non Filius, procedit formaliter, ut Amor, qui est primum *donum*, & ipsa formalis ratio donandi, à qua omnia alia, quæ donantur, denominantur dona formaliter.

181. Argues 5. Proprietas constitutiva, & distinctiva Spiritûs Sancti est unica tantùm; sed hæc est spiratio passiva; ergo non est donatio, prout est diversa ab spiratione passiva; consequenterque ratio doni non est nota Characteristica Spiritûs sancti. Respondeo distinguendo majorem: est unica tantùm formaliter; concedo majorem: virtualiter, & secundùm conceptus explicitos, & inadæquatos; nego majorem: ratio autem doni constituit Personam Spiritûs Sancti inadæquatè; sicut ratio Imaginis constituit Personam Filii: non tamen illam constituit ratione connotati, quod dicit in obliquo, sed ratione fundamenti, quod dicit principaliter, & in recto; hoc autem est ipsa spiratio passiva, ut apta nata liberaliter communicari, quæ solùm secundùm conceptum explicitum, & inadæquatum distinguitur sub ratione doni ab ipsa spiratione passiva.

182. Instabis: Aut donatio sumitur passivè pro ipsa processione passiva Spiritûs Sancti; & sic recurrit cum illa: aut activè pro actuali, vel aptitudinali donatione, quâ Spiritûs Sanctus donatur, vel est aptus alteri donari; & sic cùm donatio activa, & passiva sint relationes oppositæ, non minùs quàm spiratio activa, & passiva, eadem Persona constitueretur relationibus oppositis; sed hoc implicat; ergo & illud, ex quo sequitur. Respondeo donationem, quâ Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio, & quâ donabilis est creaturis non recurrere, nisi secundùm conceptus implicitos, & inadæquatos, prout diximus; non autem secundùm explicitos, & etiam inadæquatos: neque prout sic sunt relationes oppositæ: tùm quia sunt respectu diversorum; prior enim est respectu principii spirativi; posterior verò respectu creaturarum; respectu autem diversorum non implicant in eodem subjecto relationes oppositæ; sic enim in eodem Petro possunt esse & relatio genitoris respectu unius, & relatio geniti respectu alterius: tùm etiam, quia prior relatio est realis, & secūdùm esse; posterior autem est relatio rationis, & secundùm dici.

183. Argues 6. Omne donum dicitur per ordinem ad possessorem; donum enim alicujus possessoris est donum; sed possessio correlativè respicit subjectionem; hæc autem dicit imperfectionem non admittendam in Deo; ergo neque admittenda est in Deo ratio doni. Respondeo distinguendo majorem: dicitur per ordinem ad possessorem, vel dominio, vel origine; concedo majorem: solùm dominio; nego majorem: at verò Spiritus sanctus est Patris, & Filii *donum*, non dominio, cui tantùm respondet subjectio, sed origine, cui tantùm respondet origo passiva in ipso dono originato.

184. Argues 7. Quidquid est proprium, & personale Spiritui Sancto, convenit ab æterno, & necessariò; sed non ita ei convenit esse *donum*; siquidem Deus liberè potuit decernere ab æterno, nulli creaturæ rationali donare Spiritum sanctum; ergo Spiritus sanctus potuit non esse donum ab æterno, neque necessariò; ac proindè id non est illius proprium, neque personale. Respondeo negando minorem: adhuc enim Spiritus sanctus in facta suppositione esset donum per intrinsecam aptitudinem, ut donetur, in qua consistit realis, & intrinseca ratio doni, ut supra diximus.

185. Instabis: Spiritus sanctus ex D. Isidor. *lib. 7. Etymolog. cap. 3. In tantùm*, inquit, *donum Dei est; in quantùm datur eis, qui per eum diligunt Deum*; sed non datur necessariò, nec ab æterno; ergo ab æterno, & necessariò non est donum. Respondeo sicut apud Dialecticos verba in definitionibus non dicunt actum, sed aptitudinem; ita apud Theologos plerumque doctrinalia verba Sanctorum, secundùm subjectæ rei exigentiam, non significant actum, sed aptitudinem, in quo sensu intelligendus est D. Isidor. nempè Spiritum sanctum esse donum in quantùm suâptè quidditate dari potest.

186. Inferes: Ergo quælibet creatura appellari potest donum; siquidem quælibet habet posse donari; consequenterque id non est proprium solius Spiritûs Sancti. Respondeo negando illationem; nulla enim creatura habet ab intrinseco primam radicem donabilitatis, quam habet Spiritus Sanctus, prout supra diximus; sed aptitudo creaturis conveniens consistit in denominatione prorsùs extrinseca donationis possibilis, per quam à Deo, aut ab alio possessore donari potest.

187. Argues 8. *Missio* non est proprietas personalis Spiritûs sancti, aut Filii; ergo neque talis erit donabilitas respectu Spiritûs sancti; sicut enim hæc primariò dicit ordinem ad donatorem, secundariò autem ad creaturas quibus donatur; ita etiam *Missio* primariò dicit ordinem ad Mittentem,

tem, secundariò autem ad creaturas rationales, ad quas Persona Divina mittitur. Respondeo cum *P. Ruiz cit. sect. 4. n. 7.* (dato, quod *Missibilitas* non sit proprietas personalis respectu Filii, de quo infrà) nõ ideò esse, quia in Filio non est realis formalitas præter ipsam formalitatem processionis, sed quia Missibilitas in Filio est denominatio extrinseca, sicut est ejus donabilitas, prout supra diximus: at verò in Spiritu sancto *Missibilitas*, nihil est aliud formaliter, quàm donabilitas; constat enim ex Novo Testamento, Spiritum Sanctum donari, quando mittitur, & ad illas Personas mitti, quibus donatur. Hæc interim, infrà enim dicemus: An, & quomodò *Missio* conveniat aliquibus Personis Divinis.

SECTIO VIII.

Resolvuntur aliquæ difficultates circa præcedentem doctrinam.

188. DIFFICULTAS 1. Utrùm Spiritus Sanctus habeat propriam rationem doni, non solùm ex amore essentiali, sed etiam notionali? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 11. de Trinit. cap. 4. n. 7. P. Arrub. d. 134. cap. 2. P. Præpos. 1. p. q. 38. n. 3. P. Amicus d. 27. n. 160.* & alii. Probatur, quia Verbum habet propriam rationem Imaginis ex Intellectione essentiali simul & notionali, ut supra diximus *d. 7. à n. 249.* ergo etiam Spiritus sanctus habebit propriam rationem doni ex Amore essentiali simul, & notionali.

189. Confirmatur primò quoad amorem essentialem, quia Spiritus sanctus constituitur in ratione doni per donabilitatem, quæ includit respectum ad creaturas; sed hunc respectum habet ratione essentiæ; ergo ratione Amoris essentialis habet esse donum. Confirmatur secundò quoad amorem notionalem, quia sicut Imago requirit distinctionem realem ab exemplari, à quo procedit, ita donum ab authore, à quo donatur, ut patet ex illius definitione, de qua supra, & ex D. August. *lib. 5. de Trinit. cap. 14.* dicente, donum esse id, quod refertur ad eum, qui dedit, & ad eos, quibus datur, sicque duplicem requirere distinctionem, & ab eo, à quo donatur, & ab eo, cui datur; sed amor essentialis non distinguitur à Patre, & Filio, qui sunt donatores hujus doni; ergo Spiritus sanctus non potest ab eo solo habere propriam rationem doni, sed ab eo, prout completur amore notionali passivo, qui à Patre, & Filio realiter distinguitur; consequenterque ab utroque simul habet rationem doni.

190. Dices 1. Spiritus sanctus indè habet propriam rationem doni, undè habet, ut sit liberaliter donabilis creaturis; sed id habet ex solo amore essentiali, qui solus est liber; amor enim notionalis est necessarius; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem: undè habet, ut sit liberaliter donabilis creaturis formaliter; concedo majorem: effectivè; nego majorem: licet autem Spiritus sanctus sit liberaliter donabilis effectivè ab amore essentiali, quatenùs solus hic est principium donandi *ad extra* omnia dona creata, cum quibus per modum primi doni, & rationis formalis donandi, donatur ipse amor: est tamen donabilis formaliter per amorem notionalem, quatenùs solus hic illum realiter distinguit ab ipso donatore.

191. Instabis: Spiritus sanctus habet, ut sit liberaliter donabilis effectivè ab amore essentiali; ergo ab illo habet propriam rationem doni, & non ab amore notionali, à quo id habet formaliter, cùm non detur major ratio. Respõdeo negando consequentiam; major ratio est, quia donum non est tale formaliter per respectum extrinsecum, sed per proprietatem intrinsecam; cùm igitur respectus ad efficiens sit extrinsecus, non potest illo constitui in propria ratione doni, sed per proprietatem, & relationem intrinsecam, licet cum ordine ad extrinsecum donatorem.

192. Dices 2. Id constituit Spiritum sanctum donum formaliter, quod est tanquam ratio donandi simul cum re ipsa creata; sed hic est solus amor liber; siquidem hic solus dari potest per modum liberæ terminationis *ad extra*; ergo &c. Respondeo negando minorem; ad cujus probationem dicimus, quod sicut donum duo requirit essentialiter, nempè liberam donabilitatem, & realem distinctionem à donatore; ita ab utroque amore, tam essentiali, & libero, quàm notionali, & necessario, habet veram, & propriam rationem doni.

193. Difficultas 2. Utrùm Spiritus Sanctus dici possit *Nostrum donum, Noster Spiritus*? Advertes primò, pronomina *Nostrum*, & *Meum* dicere habitudinem causæ, aut effectus in eo, de quo dicuntur, ut *Hic est meus pater*: *Hic est meus filius*: primum enim dicit habitudinem principii: secundum autem effectûs. Secundò, cùm quatuor sint causarum genera, quadruplicem habitudinem causæ, totidemque effectûs importare posse hujusmodi pronomina in eo, de quo prædicantur, nempè *Efficientis*, ad quam reducitur, *Exemplaris*, *Finalis*, *Materialis*, & *Formalis*. His positis.

194. Conclusio sit: In Divinis ea nomina possunt admittere pronomina *Meum*, & *Nostrum*, quæ important habitudinem causæ efficientis, & finalis: non autem quæ important habitudinem causæ materialis, aut formalis, aut termini ad suum principium. Est certa, & universalis regula, quam tradunt *D. Thom. in 1. dist. 18. q. 1. art. 5. D. Bonav. q. ult. P. Amicus d. 27. num. 165.* & alii. Probatur, quia ut pronomen verè de aliquo dici possit, debet de eodem verificari secundùm illum respectum, & habitudinem, quam ex propria notione importat; alioqui non verè, sed falsò diceretur; sed solùm prout sic verificabitur in Divinis, si adjungatur nominibus importantibus habitudinem causæ efficientis, & finalis, non autem importantibus habitudinem causæ materialis, aut formalis, aut termini ad suum principium; ergo &c.

195. Hinc colliges primò, verè dici posse: *Deus, Pater, & Creator noster*: siquidem hæc nomina important respectu nostri habitudinem causæ efficientis. Similiter de Filio: *Noster Salvator, Redemptor, Magister, Legislator*: non autem *Noster Filius, Verbum, Imago*: siquidem priora dicunt habitudinem principii: posteriora autem termini ad principium; *Filius* enim refertur ad Patrem; *Verbum* ad proferentem; *Imago* ad producentem, seu exprimentem. Item de Spiritu Sancto dici potest, quod sit: *Noster Spiritus, Donum, Sanctificator, Rector, Custos*: non autem: *Noster Spiritus Sanctus, Amor, Spiratus, Notionalis*: illa enim dicunt habitudinem principii; hæc autem termini ad principium.

196. Dices: De Spiritu Sancto verè dicitur: *Noster Spiritus*; ergo etiam sic dicetur: *Noster Spiritus Sanctus*. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia ex D. Thom. cit. nomen

Spiritus

Spiritus Sanctus impositum est ad significandam relationem termini ad principium spirativum: at verò nomen *Spiritus* ex propria notione potest admittere habitudinem principii ad terminum, ut patet ex illo Joan. 3. *Spiritus ubi vult, spirat.*

197. Colliges secundò, nomina, quæ significant perfectiones divinas in abstracto, non posse admittere pronomina *Meum*, & *Nostrum*; quia ex modo significandi dicunt habitudinem causæ formalis, sicque verè non dicitur: *Deitas, Æternitas, Immensitas nostra.* Undè si aliquando à Doctoribus usurpantur hujusmodi locutiones, ut de Christo Domino dicitur 1. Cor. 1. *Factus est nobis Sapientia, Justitia, Sanctificatio, Redemptio*: intelligendæ sunt exemplariter, & effectivè, non autem formaliter.

198. Difficultas 3. Quid reale, ac proprium significent nomina metaphorica Spiritûs Sancti? Præter nomina, quæ propriè Spiritui Sancto tribuuntur, de quibus hactenùs, aliqua sunt nomina ex Sacris litteris deprompta, quæ etiam Spiritui Sancto accommodantur metaphoricè, cujusmodi sunt, *Digitus Dei, Mens, Facies, Complementum, Signaculum, sigillum, odor, virtus, qualitas, Aqua, Ignis*, & similia: quæstio igitur est, an hujusmodi nomina intelligenda sint metaphoricè de Spiritu Sancto: & quid illa significent? pro quibus:

199. Dico 1. Hoc nomen: *Digitus Dei*: metaphoricè significat Spiritum Sanctum. Patet, quia quod Christus Dominus dicit Matt. 12. 28. *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmones*: idè omninò sic refertur Luc. 11. 20. *Si in digito Dei ejicio dæmonia.* Undè colligunt Sancti Patres, ubicumque Scriptura nominat digitum Dei, Spiritum Sanctum intelligi, ut Exod 8. *Digitus Dei est hic*: Et Deuter. 9. *Tabulas lapideas scriptas digito Dei.* Et ex illo probat Divinitatem Spiritus Sancti D. Amb. *lib. 7. in Luc. cap. 11.* Et illius consubstantialitatem, & processionem à Patre per Filium significari per metaphoram *digiti* notavit D. Cyril. *lib. 13. Thesaur. cap. 2.* Significari etiam illius virtutem operatoriam observavit idem D Cyril. & D. Amb. locis cit. Deindè significari pluralitatem gratiarum sub unitate Spiritûs docuit D. August. *lib. 2 quæst. q. 17.* Et in Psal. 143. vers. 1. qui videri possunt apud P. Ruiz *d. 73. sect. 1.*

200. Dico 2. Hæc nomina *Mens, Facies, Complementum, & Signaculum*, etiam metaphoricè dicuntur de Spiritu Sancto. Patet, quia 1. Cor. 2. dicit D. Paul. *Nos autem sensum Christi habemus*: ubi *Sensus* idem est, quod *Mens*, & Apostolum hoc loco intelligere Spiritum Sanctum exposuit *D. Cyril. lib. 13. Thesaur. cap. 2. & 3. & D. Greg. Nyssen. Epist. contra Apollinar.* Nomen *Facies*, licet magis congruat Filio, ut supra diximus, etiam per metaphoram dicitur de Spiritu Sancto ex illo Psal. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam.* Ubi D. Cyril. *lib. 13. Thesaur. cap. 2. Spiritum Sanctum*, inquit, *faciem Patris appellat.* Similiter esse *Complementum* Trinitatis scribit idem D. Cyril. *lib. 14. Thesaur. cap. 3.* & D. Basil. *lib. de Spirit. Sanct. cap. 18.* Et *vinculum* Trinitatis, & *signaculum* confessionis appellat D. Epiphan. *hæres. 62.*

201. Dico 3. Spiritus Sanctus dicitur etiam metaphoricè *sigillum, unguentum*, & *odor*. Patet, quia sigillum vocatur à Sanctis Patribus, quatenùs gratiæ charactere sigillat electos, ut docet D. Greg. Nyssen. *lib. de Trinit. ad Eustachium*, & D. Cyril. *lib. 13. Thesaur. cap. 3.* Et D. Athan. *Epist. ad Serapion*, ubi adducit illud ad Ephes. 1. *In quo credentes, signati estis in diem redemptionis.* Et adjungit: *Ipse Spiritus sigillum, & unguentum est, in quo omnia inungit, & signat Verbum.* Ubi etiam per nomen *unguentum* significat metaphoricè Spiritum Sanctum. Imò & *Epist. ad Serapion.* de eodem Spiritu Sancto sub nomine *unctionis*, & *odoris*, sic ait: *Hæc unctio*, inquit, *habitus est Filii, ut qui habet Spiritum dicat, Christi bonus odor sumus.* Idem habet *Dialog. 1. de Trinit.* & habet etiam D. Cyril. *lib. 11. in Joan. cap. 1. & 2.*

Dico 4 Spiritus Sanctus significatur etiam 202.
metaphoricè his nominibus: *Virtus, Qualitas, Aqua*, & *Ignis*. Patet, quia de Spiritu Sancto sic dicitur Luc. 1. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et Luc. 24. *Quoad usque induamini virtute ex alto.* Et Luc. 4. *Regressus est* Jesus *virtute Spiritûs in Galilæam.* Et Actor. 10. *Quomodò unxit eum Deus Spiritu Sancto, & virtute.* Et Rom. 15. *Ut abundetis in spe, & virtute Spiritûs Sancti*; quibus similia sunt 1. Cor. 2. 4. ad Ephes. 3. 16. & 1. Thess. 1. 5. & in omnibus sub nomine *virtus* intelligitur Spiritus sanctus. Idem etiam habet D. Amb. *lib. 2. de Spiritu sancto cap. 1. & 2.* Similiter sub nomine *qualitas* Spiritum sanctum significavit D. Cyril. *lib. 13. Thesaur. cap. 3. & lib. 6. Dialog. de Trinit.* ibi: *Spiritus sanctus*, ait, *quasi qualitas Sapientiæ Divinitatis.*

Sub eadem metaphora vocatur Spiritus san- 203.
ctus *Aqua*. Primò, quia sitim explet, id est appetitum boni. Joan. 7. *Si quis sitit veniat ad me, & bibat*: Et infrà: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Secundò, quia lavat. Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini.* Tertiò, quia extinguit ardorem concupiscentiæ. Isai. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Quartò, quia largè, & liberaliter diffunditur. Joan. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Dicitur etiam metaphoricè *Ignis*. Primò, quia inflammat charitatem. Secundò, quia purificat. Tertiò, quia transformat. De hoc Igne loquitur Christus Dominus Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram.* Et Actor. 2. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis* Et Matt. 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.*

DISPUTATIO IX.

De Comparatione Personarum inter se.

SECTIO I.

Utrùm inter Personas Divinas admittendus sit aliquis ordo prioritatis, & posterioritatis?

1. ADVERTENDUM hìc est, prioritatem esse, aut *numerationis*, aut *causalitatis*, aut *originis*, aut *durationis*, aut *excellentiæ*. Non est hìc sermo de prioritate *numerationis*; hæc enim cùm sit extrinseca, sive à Patre, sive ab Spiritu Sancto incipias numerationem, certum

est dari numerum ternarium Personarum. Neque etiam est sermo de prioritate *causalitatis*; siquidem ex sæpè dictis certum est, Personam producentem non esse causam Personæ productæ, si nomen *Causa* in proprio sensu accipiatur; licet Græci nomine *Causa* usi fuerint in eodem sensu, quo nos nomine *Principium*, prout supra diximus. Patet, quia causa dat esse simpliciter diversum effectui; & hic dicit indifferentiam ad esse; hoc autem non reperitur in productione divina. Undè supereſt, ut de prioritate originis, durationis, & excellentiæ agamus. Pro quo:

2. Difficultas 1. Utrùm inter Personas Divinas detur prioritas, & posterioritas originis? Multiplex est in hac re sententia: Prima negat inter Personas Divinas producentes, & productas omnem prioritatem, & posterioritatem, tam realem, quàm rationis, solùmque inter illas admittit realem ordinem originis absque ulla prioritate, & posterioritate reali, aut rationis, licet hanc rationis non neget in aliis perfectionibus, & Attributis Divinis. Ita *D. Thom. 1. p. q. 33. art. 1. ad 3. & q. 42. art. 3. Alenſ. 1. q. q. 46. memb. 2. D. Bonav. in 1. diſt. 20. q. ult. Richard. q. 3. Durand. diſt. 9. q. 2. & diſt. 12. q. 1. & diſt. 20. quæſt 2. Capreol. diſt. 29. art. 1. concluſ. 4. P. Molin. 1. p q. 42. art. 3.* & alii.

3. Secunda sententia negat prioritatem, & posterioritatem realem inter Personas Divinas, illam tamen admittit rationis, etiam inter reliquas perfectiones. Ita *Hervæus in 1. diſt 12. q. 1 Argent. in 1. diſt. 9. q. 1. art. 4. Torreſ. 1. p. q. 42. art. 3.* & alii. Tertia sententia admittit quidem inter Personas Divinas producentes, & productas prioritatem, & posterioritatem realem originis; sed inter perfectiones absolutas admittit etiam prioritatem, & posterioritatem realem, quam appellat naturæ. Ita *Scot. in 1. diſt. 5. q. 2. §. Secunda difficultas, & diſt. 7. §. contra iſtud, & in 2. diſt. 1. q. 1. §. Quantùm ad hoc.* ubi fusiùs.

4. Quarta sententia admittit solam prioritatem & posterioritatem realem originis inter Personas producentes, & productas; non tamen naturæ, neque inter ipsas Personas, neque inter reliquas perfectiones absolutas, inter quas solùm admittit prioritatem, & posterioritatem virtualem naturalis exigentiæ, & conceptibilitatis quoad nos. Ita *Henricus 2. p. ſum. art. 54. q. 5. Aureol. in 1. diſt. 1. art. 5. ad 4. Ocham diſt 9. q. 3. concluſ. 6. Arimin. q. unica art 2. concluſ. 2. Gabr. q. 3. art. 2. propoſit. 3. Marſil. q. 13. art. 2. concluſ. 2. Palat. d. 1. Zumel. 1. p. q. 42. art. 3. d. unica, propoſ. 2. P. Soar. lib. 4. cap. 15. de Trinit. num. 7. P. Vaſq. 1 p. d. 167. & 168. cap. 2. P. Ruiz d. 105. ſect. 5. Caiet 1. p. q 42. a. 3. Bannez ibid. P. Tanner. d. 4. q. 1. dub. 8. n. 8. P. Arrub. d. 146. cap. 1. n. 2. & 3. P. Zuniga d. 17. dub. 4. concluſ. 2. P. Præpoſit. 1. p. q. 42. P Granad. 1. p. tr. 12. d. 4. n. 3.* & alii, quos citat & sequitur *P. Amicus d. 22. ſect. 1.* Harum omnium sententiarum fundamenta infrà ponemus, & dissolvemus. Igitur.

5. Dico 1. Inter Personas Divinas necessariò admittendus est ordo realis. In hoc conveniunt omnes Scholastici. Probatur primò, quia ordo est habitudo plurium ad unum primum, sive ad unum principium, adeò ut non intelligatur pluralitas sine confusione, absque hujusmodi habitudine; sed in Deo dantur plures Personæ à parte rei sine ulla confusione, imò cum habitudine reali ad unum principium, quatenùs una est realiter ab alia; ergo datur realis ordo inter Personas Divinas. Undè si aliqui Sancti Patres negant hujusmodi ordinem inter Personas Divinas, ut videre est apud *P. Ruiz cit. ſect. 2.* intelligendi sunt de ordine dignitatis, perfectionis, aut durationis, de quo infrà.

6. Probatur secundò, quia ordo realis est, quem natura ipsa prædefinit, & sola ratio non potest ad libitum invertere; sed inter Divinas Personas est similis ordo; nam quod Pater sit principium Filii, & uterque Spiritûs sancti, non tamen è contra, non est ab aliqua extrinseca ratione præscriptum, aut invertibile, sed ab ipsâ intrinsecâ rei naturâ prædefinitum, & immutabile; neque enim ulla ratio potest ad libitum mutare, quod ipsa natura Patris, Filii, & Spiritûs sancti essentialiter exigit, nempè quod Pater sit à quo Filius, & uterque à quo Spiritus sanctus, & non è contra; ergo &c.

7. Dico 2. Inter Divinas Personas producentes, & productas datur prioritas, & posterioritas realis originis, quæ dici solet prioritas *à quo*. Ita Doctores cit. n. 4. Probatur primò authoritate Sanctorum Patrum D. Aug. *de triplici habitaculo cap. 6. Tunc*, ait, *juſtis manifeſtum erit, quomodo Pater non præceſſerit Filium tempore, ſed origine, nec Spiritum ſanctum.* Idem habet *lib. quæſt. veter. Teſtam. q. 122.* Et D. Basil *lib. 1. contr. Eunom. ad finem: Nos autem*, ait, *ſecundùm habitudinem cauſarum ad ea, quæ ex ipſis ſunt, Patrem Filio præponi dicimus.* Et Origen. *hom. 2. in Joan. 1. Præcedit*, inquit, *Pater Verbum, non naturâ, ſed causâ.* Et D. Ephræm. tom. 3. *Quod poſt Filium*, inquit, *Spiritum ſanctum dicimus, id non temporis, ſed Perſonæ eſt ſignificativum.* Et Richard. Victor. *lib. 5. de Trinit. cap. 7. Quod non potest*, inquit, *eſſe prius temporaliter, potest eſſe prius cauſaliter.* Idem habent *D. Hilar. lib. 12. de Trinit. D. Athan in Epiſt. ad Serapion. D. Chryſoſt. tom. 5. orat. 2. de Trinit. D. Epiphan. hæreſ. 62.* & alii apud *P. Ruiz cit. ſect. 4.*

8. Probatur secundò ratione, quia ordo, ut communiter tenent Scholastici cum *D. Thom. 2. 2. q. 26. art. 1.* dicit in suo conceptu aliquam rationem prioris, & posterioris; sed inter Personas Divinas datur ordo realis originis, ut diximus; ergo inter illas datur prioritas, & posterioritas realis originis.

9. Probatur tertiò, quia juxta naturalem originem Pater in Divinis est prima Persona, Filius secunda, & Spiritus sanctus tertia; sed ubi datur primum, secundum, & tertium, eadem ratione datur priùs, & posteriùs; siquidem priùs, & posteriùs essentialiter includitur in primo, & secundo, cùm primum sit prius respectu secundi, & secundum sit prius respectu tertii; ergo &c.

10. Probatur quartò, quia prioritas, & posterioritas originis consistit in eo, quod duo non sint simul origine, id est, quod unum sit principium alterius, non verò è contra; sed Personæ Divinæ non ita sunt simul origine; siquidem Pater est principium Filii, non tamen è contra; Pater, & Filius sunt principium Spiritûs sancti, non tamen è contra; neque enim Filius est producens Patrem, aut se ipsum simul cum Patre; neque Spiritus sanctus est producens Patrem, & Filium, aut se ipsum spirans cum utroque; ergo non habent simultatem, sed prioritatem, & posterioritatem originis.

11. Objicies 1. Sancti Patres videntur omnem prioritatem absque exceptione rejicere; sic Concil. Nicæn. *lib. 2. §. ſiquidem. Nihil*, ait, *in ea prius aliquando, ſed ſemper, & eodem modo exiſtentem individuam, & conſubſtantialem Trinitatem.* Et D. Athan. *in Symbol. In hac Trinitate*, ait, *nihil priùs, aut poſterius.* Et *in quæſt. de Natur. Dei q. 13. In Sancta Trinitate*,

Trinitate, nemo primus, & nemo postremus, sed simul Pater, simul Filius, simul Spiritus Sanctus. Et D. Nazian. *orat. 37. de Spirit. Sanct. Nec enim*, inquit, *hoc magis, illud minùs est Deus, nec hoc priùs, illud posteriùs.* Et D. Aug. *lib. 3. contra Maximinum cap. 14. Non genitorem ab eo*, inquit, *quem genuit, sed genitum à genitore mitti oportebat. Verum hoc non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ; non quod alter prior esset altero, sed quod alter esset ex altero.* Et D. Epiphan. *hæres. 69. Simul Pater*, ait, *simul Filius; coexistit Filius ingenito cum Deo, semper genitus ingenito genitus, neque cogitatione, neque momento præeminet Deus Filio.* Et D. Isidor. *lib. 2. Epist. 149. Trinitas, inquit, nec priùs, nec post, nec primum, & secundum, & tertium admittit*; ergo &c.

12. Respondeo Concil. & Sanctos Patres solùm negasse in Divinis prioritatem, & posterioritatem dignitatis, & durationis, ut ex quorumdam contextu satis constat; argumentabantur enim contra Arium, qui utramque prioritatem, & posterioritatem fingebat in Personis Divinis, ut supra diximus. Aut dic solùm excludere prioritatem, & posterioritatem simpliciter, & absolutè, quæ recurrit cum prioritate, & posterioritate durationis, quam Deo nolebant concedere; non autem cum addito illam limitante ad solam prioritatem, & posterioritatem originis.

13. Objicies 2. Talis prioritas, & posterioritas, aut esset ratione Essentiæ; aut ratione proprietatis, sive relationis: Non primum; siquidem Essentia, sive Natura est una, & eadem in omnibus Personis; idem autem non potest esse priùs, & posteriùs se ipso: Non secundum, quia proprietates, sive relationes sunt simul naturâ, & cognitione; inter illa autem, quæ sunt simul nõ datur unum priùs, & aliud posteriùs; ergo &c. Respondeo negando majorem quoad secundam partem; talis enim prioritas in Divinis datur ratione proprietatis, sivè Personæ; quatenùs scilicet constitutum ex Natura, & Paternitate est principium Filii. Neque obstat, quod relationes sint simul naturâ, & cognitione: tùm quia hujusmodi simultas non tollit ordinem originis; ergo neque prioritatem: tùm, quia Relationes Divinæ non sunt purè prædicamentales, ut supra diximus, sed perfectissimæ subsistentiæ, & productiones: Undè licet in creatis una relatio non præcedat aliam correlationem, sed positis fundamentis simul resultent; in Divinis tamen, cùm præter respectum ad terminum, in re ipsa constituant principium producens, & terminum productum, & solùm quoad nos secundùm expressum relationis non constituant, sub illa ratione potest una esse prior, & alia posterior.

14. Objicies 3. Ordo originis est ordo realis, & naturæ; sed hic ordo in Deo non admittit prioritatem; siquidem prioritas realis naturæ involvit dependentiam in eo, quod est posteriùs; in Divinis autem nulla admittitur dependentia, cùm hæc dicat imperfectionem, quatenùs dicit defectibilitatem in re dependente; ergo &c.

15. Respondeo distinguendo majorem: ordo originis est ordo realis, & naturæ, prout *naturæ* significat, tùm necessitatem essendi, tùm ordinem præcedendi ipsius rei naturæ convenientem; concedo majorem: prout dicit independentiam unius potentis existere sine alio, & istius dependentiam; nego majorem: hæc autem dependentia, sive posterioritas, & independentia, sive prioritas non datur in Divinis; cùm enim prioritas naturæ, qualis esset hæc, prout à Philosopho explicatur, communiter significet hanc independentiam unius potentis existere sine alio, & istius dependentiam, ut patet in causa, quæ prout sic in actu primo dicitur prior naturâ suo effectu; non ita una Persona est prior aliâ, sicque non datur inter illas hæc prioritas naturæ; est tamen una prior aliâ secundùm naturam originis, quatenùs una secundùm naturam suæ originis exigit præcedere alteri; in quo sensu aliqui vocant hunc ordinem Personarum prioritatem naturæ, cùm tamen in rigore talis non sit juxta explicationem Philosophi.

16. Scio alios aliter explicare prioritatem naturæ, nempè præscindendo à ratione dependentiæ, ita ut prioritas naturæ sit illa, quâ unum non infertur ex alio subsistendi consequentiâ, maximè verò è contra, ut, *est animal; ergo est homo: est homo; ergo est animal*: in quibus ex animali non rectè infertur homo, maximè autem ex homine infertur animal, sicque dicunt, animal esse priùs naturâ, quàm hominem, & hanc prioritatem naturæ dari in Divinis, quatenùs ex hac *Est Deus*: non sequitur; *ergo est Pater*: maximè verò è contra. Quamvis tamen non repugnet in Divinis hujusmodi prioritas subsistendi consequentiâ, prout infrà dicemus, non ideò datur inter Personas Divinas; siquidem inter illas datur mutua connexio, & determinata habitudo, ita ut rectè inferatur: *Datur Pater; ergo datur Filius*; & è contra: similiter: *Datur Spirator; ergo datur Spiritus Sanctus*; & è contra.

17. Objicies 4. Priùs, & posteriùs important excessum, & defectum; quod enim est priùs excedit, quod est posteriùs, in eo, quod sit priùs; & quod est posteriùs deficit ab eo, quod est priùs, in eo, quod sit posteriùs; sed in Divinis non est admittendus ullus excessus, aut defectus; ergo neque priùs, & posteriùs. Respondeo quidquid sit de aliis prioritatibus, aut posterioritatibus; prioritas quidem, & posterioritas originis nullum dicit excessum, aut defectum, ut patet ex dictis.

18. Difficultas 2. Qualiter, & inter quæ prædicata detur in Divinis hæc prioritas originis? Conclusio 1. Pater in Divinis non est prior origine formaliter ex eo, quod à nullo sit, sed ex eo, quod sit alterius productivus. Probatur, quia prioritas originis est positiva habitudo producentis ad productum; sicut posterioritas est positiva habitudo producti ad producens; sed producens non dicit illam habitudinem formaliter ex eo, quod non sit ab alio productus; siquidem posset non esse ab alio productus, & tamen non habere ullam prioritatem originis; quia posset non esse alterius productivus, ratione cujus esset prior origine; prioritati enim originis respondet posterioritas in eodem ordine; hæc autem tunc non daretur, quia non daretur passiva productio, in qua illa consistit; ergo &c.

19. Conclusio 2. Hæc prioritas originis non solùm datur inter Personas Divinas producentes, & productas, sed etiam inter earum potentias productivitatis, & producibilitatis, nec non inter ipsas formales origines activas, & passivas. Probatur, quia in omnibus his reperitur realis habitudo unius ad aliud spectans ad eundem ordinem originis; siquidem omnes istæ rationes suppositi producentis, virtutis productivæ, & formalis productionis complent unum, & eundem ordinem originis; consequenterque eundem ordinem prioritatis, & posterioritatis; ergo &c. Confirmatur, quia omnia hæc sibi proportionatè correspondent in ratione prioritatis, & posterioritatis; sicut enim

suppositum productivum præcedit terminum producibilem, ut principium *quod*; ita virtus productiva præcedit vim producibilem, ut ratio *quæ*, sive *per quam*; & origo activa passivam, ut ratio *quâ*; ergo &c.

20. Conclusio 3. Hæc prioritas, & posterioritas non datur inter relationes divinas, quatenùs ad instar relationum prædicamentalium concipiuntur resultare ex originibus. Ita *P. Amicus d. 22. n. 25.* Probatur, quia prout sic nullum exercent munus, nisi puri respectus; sed non est major ratio, cur una potius præcedat aliam in hoc munere, quàm è contra; siquidem idem munus, quod exercet una, exercet alia; ergo &c.

21. Conclusio 4. Non datur prioritas, & posterioritas realis originis, nisi inter realiter distincta. Probatur primò, quia prioritas, & posterioritas fundatur in distinctione; ergo ut prioritas, & posterioritas sint reales, debent supponere distinctionem realem extremorum; idem enim non potest esse prius, & posterius origine realiter. Secundò, quia ordo realis originis solùm datur inter illa, quorum unum producit, & aliud producitur; sed hæc necessariò distinguuntur realiter; siquidem idem non potest se ipsum realiter producere; alioqui jam esset, antequam produceretur; ergo &c.

22. Hinc colliges primò, neque Patrem esse priorem origine respectu generationis activæ; neque Patrem, & Filium, prout sunt unus spirator, respectu spirationis activæ; quia neque Pater generationem activam, neque spirator spirationem activam producit. Secundò, nullum absolutum, quatenùs constituit Naturam Patris formaliter, & per se, esse origine prius Filio; siquidem nullum absolutum, prout constituit Naturam Patris distinguitur à Filio, aut est illius productivum; quod autem non distinguitur ab alio, neque est illius productivum, non potest formaliter, & per se esse prius illo prioritate originis.

23. Conclusio 5. Pater per generationem activam priùs origine respicit Filium, quàm per spirationem activam Spiritum sanctum. Probatur, quia tam generatio, quàm spiratio passiva originantur à Patre; sed hæc essentialiter supponit illam; quando autem plures actiones sunt ab eodem principio, cum essentiali præsuppositione unius ad aliam, una est prior aliâ, & ipsum principium dicitur unam priùs originare, quàm aliam; ergo cùm generatio, & spiratio passiva originentur ab eadem Persona Patris cum prædicta præsuppositione, prior est generatio, quàm spiratio passiva; consequenterque Pater per illam activè priùs origine respicit Filium, quàm per hanc respicit activè Spiritum sanctum; ac proindè priùs dicitur generare, quàm spirare.

24. Difficultas 3. Utrùm præter realem prioritatem, & posterioritatem, admittenda sit in Divinis alia prioritas, & posterioritas virtualis, & quoad nos? Dico 1. In Divinis admitti potest virtualis prioritas, & posterioritas exigentiæ naturalis, & objectivæ conceptibilitatis. Ita *P. Amicus cit. num. 29.* Probatur, quia licet in Deo sit una simplicissima perfectio, nullam admittens distinctionem realem, præterquam inter relationes oppositas; ob ejus tamen eminentiam, qua omnes perfectiones possibiles continet, naturaliter exigit, ut quoniam ab intellectu creato non potest unico actu rectè, & ordinatè concipi, priùs debeat concipi secundùm unam perfectionem, quàm secundùm aliam; siquidem eodem ordine concipiendæ sunt quæ in Deo sunt virtualiter distinctæ, quo in creatis concipiuntur, sive existunt quæ realiter distinguuntur; sed in creatis existunt aliquæ realiter distinctæ, quarum una præcedit aliam prioritate, sive ordine reali, quæ tamen in Deo virtualiter distinguuntur; ergo debet una priùs concipi, quàm alia ordine, sive prioritate objectivæ conceptibilitatis, cùm in Divinis concipiantur perfectiones per analogiam ad creatas.

Confirmatur, quia realis identificatio plurium perfectionum in eadem formalitate, non tollit uniuscujusque perfectionem intrinsecam; sic enim Relationes Divinæ identificantur cum Essentia, quin tamen amittant, imò conservant intrinsecam oppositionem, quam mutuò habent; ergo etiam non tollet naturalem exigentiam, quam eædem perfectiones habent, ut una concipiatur prior aliâ; siquidem cùm conceptibilitas sit passio consequens entitatem, sicut tales perfectiones identificatæ retinent propriam entitatem, ita & propriam conceptibilitatem. 25

Hinc colliges, absoluta priùs concipienda esse, quàm relativa; inter absoluta priùs communiora, quàm minùs communia, ut ratio substantiæ priùs, quàm intellectivitas; hæc prior appetitivitate; actus intellectûs priùs, quàm actus voluntatis; actus voluntatis, quàm actus externæ executionis; sicque de aliis perfectionibus, tam absolutis, quàm relativis, aut ad invicem comparatis, aut seorsim consideratis proportionaliter ad ea, quæ actu distinguuntur. 26.

Dico 2. In Divinis admitti potest prioritas secundùm subsistendi consequentiam, non realis, sed rationis. Probatur prima pars: quia hæc prioritas tunc datur, quando ab uno non convertitur subsistendi consequentiâ ad alterum, ut diximus *num. 16.* sed multæ sunt perfectiones in Deo, in quibus non convertitur subsistendi consequentiâ ad alias, ut patet in absolutis, à quibus non convertitur subsistendi consequentiâ *ad relativas*; neque enim sequitur: *Hæc Persona est Deus*; ergo est *Pater*: maximè verò è contra; ergo &c. 27.

Probatur secunda pars, quia hæc prioritas eatenùs est realis, quatenùs prius separabile est ex natura rei à suo posteriore; sic enim animal est separabile, & potest ex natura rei existere sine homine, licet non sic possit homo existere sine animali; sed in Deo nullum prius prioritate subsistendi consequentiâ potest esse sine posteriore secundùm eandem subsistendi consequentiam; siquidem absoluta, quæ prout sic sunt priora relativis, non possunt sine illis esse, neque existere; ergo talis prioritas in Deo est rationis, & non realis. Confirmatur, quia hæc prioritas coincidit cum ea, quæ datur inter universalia, & particularia, sive inter superiora, & inferiora; sed hæc in Deo non est realis, sed rationis; siquidem in Deo commune, & proprium, sive superius, & inferius non distinguuntur realiter, sed sola ratione; ergo &c. 28.

Difficultas 4. Utrùm ea, quæ in Divinis sunt priora in uno genere, possint esse in alio posteriora? Affirmativè. Ita *P. Amicus d. 22. sect. 2. num. 39.* Probatur, quia in creatis, quæ in uno genere sunt priora, in alio sunt posteriora, ut patet in Materia, & Forma; in natura, & proprietatibus, in quibus Materia, & natura sunt priores formâ, & proprietatibus in genere causæ materialis, illis autem posteriores in genere causæ formalis: sic etiam agens est prius subjecto in genere efficientis eductivi, & posterius in genere subjecti 29.

subjecti subsistentantis; & Finis est prior in genere causæ moventis, & posterior agente in ratione exequentis; ergo etiam in Divinis non repugnabit, quod Pater sit prior Filio in ratione principii originantis, & simul cum illo in ratione correlativi mutuò respicientis, imò & posterior in ratione objecti, & termini specificantis, ac terminantis, cùm ad invicem prout sic supponantur.

30. Dices: Quod est prius origine est prius simpliciter; siquidem debet suo posteriori communicare esse simpliciter; quod autem communicat alteri esse simpliciter, debet esse ab illo omninò independens, & prius omni genere prioritatis, sicque simpliciter; sed quod ita est prius, nullo modo potest esse posterius illo, respectu cujus est prius; siquidem quod est prius simpliciter, supponitur sub omni ratione independens ab alio; ergo &c.

31. Respondeo distinguendo majorem: est prius simpliciter; ita ut per *prius simpliciter* intelligatur prius in omni genere; nego majorem: hoc enim non probat, sed supponit argumentum; cùm tamen stare possit prioritas originis cum posterioritate in alio genere, ut probavimus: ita ut per *prius simpliciter* intelligatur potior, & principalior ratio prioritatis, quæ Deo convenire potest; concedo majorem: nam inter omnes prioritates, quæ Deo possunt convenire, potissima est originis, sicque comparatione aliarum in Deo, est prioritas simpliciter; non tamen comparatione prioritatis durationis, quæ in Deo non datur, ut statim dicemus, & tamen principem habet locum, ut ait Philosophus.

32. Hinc colliges, hanc mutuam prioritatem in diverso genere admittendam esse, non solùm inter Personas Divinas, secundùm diversas rationes consideratas, sed etiam inter Attributa; inter actus Intellectus, & Voluntatis; inter ipsa objecta tales actus terminantia; & inter perfectiones absolutas, & respectivas ad invicem comparatas. Undè fit, quod non semper hæc mutua prioritas sit realis, sed aliquando realis ex una parte, virtualis, & rationis ex alia: aliquando virtualis, & rationis ex utraque juxta naturalem exigentiam extremorum, quæ mutuò comparantur ut priora, & posteriora secundùm diversas formalitates.

SECTIO II.

De Prioritate Durationis.

33. DIFFICULTAS est: Utrùm inter Personas divinas detur aliqua prioritas durationis, quæ dici solet prioritas *in quo*? Dico 1. Inter Personas Divinas non datur aliqua prioritas durationis realis, quę dici solet prioritas *in quo*. Est de fide. Probatur primò ex Symbol. D. Athan. ibi: *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius, sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, &c.* Idem definiunt passim Concilia, docent Sancti Patres, explicant Scholastici, universa Dei professetur Ecclesia contra Arianos, qui Verbum non esse coæternum Patri, sed posteriùs tempore factum impiè asserebant, prout supra vidimus.

34. Probatur secundò, quia si Pater v. g. esset prior Filio durationè reali, aut esset, quia generatio esset libera: aut quia esset successiva, sicque non posset esse tota simul: aut quia Pater in aliqua prioritate reali esset impeditus ad producendum: Non primum, nam processiones divinæ sunt necessariæ; siquidem omne ens divinum in se est simpliciter necessarium: Non secundum, nam præterquam quod generatio sit instantanea, omnis successio à Deo exulat, ut ab ente omninò immutabili: Non tertium, quia sive impedimentum procederet ab externo agente (cùm tamen nullum fuerit in æternitate,) sive ab interno, semper id denotat imperfectionem in Deo agente perfectissimo; ergo &c.

35. Objicies 1. pro hæreticis: Personæ Divinæ productæ habent principium; sed principiatum non est simul cum suo principio; alioqui esset antequam principiaretur; ergo inter Personas producentes, & productas datur prioritas, & posterioritas durationis realis. Respondeo Personas productas habere principium originis, non autem durationis, sicque inter illas dari prioritatem, & posterioritatem originis realis, ut diximus, non autem durationis, quam negamus.

36. Objicies 2. Illud, quod generatur, videtur extrahi de non esse ad esse, ac proindè incipere esse; sed quod incipit esse, non est æternum; ergo Filius, qui generatur, non est ab æterno cum Patre; consequenterque inter illos datur prioritas, & posterioritas durationis realis. Respondeo distinguendo majorem: illud, quod generatur mutabiliter, & contingenter, ut fit in creatis, extrahitur de non esse ad esse; concedo majorem: quod immutabiliter, & necessariò generatur, ut fit in divinis; nego majorem: sicut enim de essentia Patris est, quod actu generet, ita de essentia Filii est, quod actu generetur, sicque nulla est prioritas, in qua concipiatur non esse, licet in omni prioritate à Patre sit.

37. Objicies 3. Corruptio contraria est generationi; sed corruptio inducit desitionem; desitio autem supponit inceptionem; quod verò incipit est posterius tempore, quàm illud, à quo incipit; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem: corruptio est contraria generationi, quæ est mutatio; concedo majorem: generationi immutabili; nego majorem: huic enim corruptio non est contraria, sed impossibilis.

38. Objicies 4. Quando Filius genitus est, aut erat, aut non erat: Si erat, cur ergo genitus est? qui enim est, generatione non indiget: si non erat; ergo aliquando non fuit; consequenterque inter Patrem, & Filium datur prioritas, & posterioritas durationis realis. Respondeo explicando sophisticam Arianorum interrogationem: Filius quidem non erat, quando genitus est, absque generationis influxu, ut objiciebant Ariani, Filium extitisse in aliqua durationè præcedente æternitatem; nulla enim duratio potuit æternitatem præcedere: Filius tamen erat, quatenùs in quolibet tempore, & illius instanti, sicut in indivisibili æternitatis instanti simul Filius generabatur, & genitus erat.

39. Objicies 5. Aut Filius semper gignitur, & sic nunquam terminum, & perfectionem assequetur: aut semper est genitus, & sic quo pacto ad terminū sine via pervenit? aut aliquando gignebatur, & aliquando fuit genitus, & sic non semper eodem modo se habuit, sed mutatus est; ac proindè inter illum, & Patrem fuit prioritas, & posterioritas durationis realis; ergo &c.

40. Huic argumento respondet Calvinus *lib. 1. Instit. cap. 13. §. ult.* Filium semel genitum fuisse, nec jam generari; dicit enim, stultè fingi in Deo continuum actum generandi. Hoc tamen Calvini delirium repugnat D. Aug. *Epist. 174. ad Pascentium*, qui sic ait: *Semper gignit Pater, & semper nascitur Filius.* Et rationem affert optimam, quia

si

si Pater aliquando genuit, & postea destitit; ergo aliquando etiam cœpit gignere, & antea non gignebat; ergo Filius non est æternus. Igitur.

41. Respondeo Filium semper gigni, & tamen terminum, & perfectionem ultimam assequi: præterea fuisse semper genitum, & tamen ad terminum non pervenisse sine via, sed per viam, quæ est generatio; siquidem in productionibus instantaneis, & indivisibilibus, simul est produci, & esse productum, ideoque quod semper producitur, semper est productum, & semper assequitur terminum, & ultimam perfectionem; ac proindè via, & terminus non separantur duratione, nisi in productionibus successivis.

42. Objicies 6. Aut Filius præfuit in Patre actu; aut potentiâ; aut nullo modo: Si actu; ergo fuit, antequam gigneretur: si potentiâ; ergo in Deo est potentia passiva: si nullo modo; ergo ex nihilo factus est. Respondeo cum P. Bellarm. *tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 11.* rem aliquam dupliciter esse in potentia: primò in potentia activa agentis, quo pacto sunt suppositâ, quæ producuntur; & sic præfuit suppositum Filii in potentia activa Patris, quod nullam in Deo ponit imperfectionem, quam non dicit potentia activa, sed passiva: secundò in potentia passiva materiæ, quod convenit formæ, & non supposito, neque enim suppositum, sed forma educitur de potentia materiæ; & sic forma Filii, id est, Essentia ejus, quam D. Paul. ad Philipp. 2. vocat *formam Dei*, præfuit actu in Patre, non in potentia, quia est communis utrique. Undè cum dicitur: *si præfuit actu; ergo fuit, antequam gigneretur*: intelligendum est, non esse factam ipsam formam, sed communicatam, quod non est absurdum, imò necessarium, ut præexisteret, quæ communicanda erat; & quæ sonant prioritatem intelligenda sunt de prioritate originis, non autem durationis; Pater enim semper actu genuit, & gignit Filium. Vide supra quæ diximus *d. 1. à n. 54.* ubi multa poterant ex illis hîc apponi, non tamen apponuntur, nè eadem repetamus.

43. Dico 2. Inter Personas Divinas non datur prioritas durationis, etiam virtualis, & per rationem cum fundamento. Ita videntur sentire *P. Valent. 1. p. q. 5ua 16. punct. 4. P. Molin. 1. p. q. 42. art. 3. P. Amicus d. 22. n. 33.* quatenùs ibi nullam admittit in Divinis prioritatem *in quo*. Idem fortè sentiunt *P. Soar. & P. Vasq.* supra citati, qui de alio modo prioritatis intelligi possunt. Adverte tamen, me dixisse *cum fundamento*, quia occasione aliarum prioritatum, quas supra admisimus, sæpè concipitur à nobis in Divinis unum priùs alio existens; hoc tamen non est fundamentum prioritatis durationis virtualis, de qua loquimur, sed præcisionis; aliud enim est concipere unum sine alio præcisivè, & aliud concipere unum priùs existens, quàm aliud concipiatur existere, in quo consistit prioritas durationis virtualis cum fundamento; constat enim non omne quod præscindit esse prius duratione *in quo*. Hoc posito.

44. Probatur primò cum aliquibus, quia Personæ Divinæ constituuntur Relationibus; sed relationes sunt simul naturâ, existentiâ, & cognitione; ergo una Persona non potest cum fundamento concipi prior aliâ duratione virtuali. Non placent, quia Personæ Divinæ constituuntur relationibus, non sub conceptu formali Relationis, sed subsistentiæ; ergo licet sub conceptu formali Relationis sint simul, non ita sunt sub conceptu subsistentiæ; consequenterque prout sic poterit una esse, & concipi prior aliâ duratione virtuali. Patet in creatis, ubi pater, & filius, ut correlativa, sunt simul; & tamen in ratione personæ pater est realiter prior filio; ergo etiam in Divinis, licet Pater, & Filius ut correlativa sint simul, Pater sumptus inadæquatè sub conceptu Personæ, principii, & originantis, poterit concipi prior Filio sumpto sub conceptu Personæ, termini, & originati. Idem dici poterit cum proportione de Patre, & Filio respectu Spiritûs Sancti.

Probatur secundò cum aliis, quia inter Personas Divinas, ut diximus, solùm datur prioritas originis; 45.
nam si Personæ divinæ distinguerentur per impossibile absque origine, essent undequaque simul; sed prioritas originis non est prioritas durationis, & *in quo*, sed principii, & *à quo*; ergo absque fundamento admittitur prioritas durationis. Non placent, quia prioritas originis inter Personas Divinas est realis; ergo hæc poterit esse fundamentum prioritatis durationis virtualis. Patet in creatis, ubi licet duo in eodem instanti coexistant, si unum ab alio producatur, datur sufficiens fundamentum, ut unum virtualiter dicatur, & concipiatur duratione prius alio. Igitur.

Probatur tertiò, quia prioritas durationis est 46.
prioritas *in quo*; siquidem illud dicitur durare priùs, aut realiter, aut virtualiter, quod in aliquo priori existit, aut concipitur existere, posteriore non existente; ita ut hujusmodi prioritas dicat existentiam actualem unius, aut realiter, si sit realis, aut virtualiter, si sit virtualis, & negationem existentiæ alterius; sed in Divinis nulla est, aut concipi potest cum fundamento in re prioritas *in quo*; siquidem, cùm existentia actualis sit de essentia cujusque entis Divini, sicque Personarum; in nullo autem priori possit res concipi sine sua essentia, alioqui jam non conciperetur talis res; in nullo priori potest una Persona Divina concipi ut non existens; consequenterque neque una prior aliâ duratione, seu *prioritate in quo*; ergo &c

Oppones 1. Prioritas durationis virtualis con- 47.
sistit in eo, quod cum fundamento in re unum in aliquo signo exigat esse, & concipi priùs alio, quod existet, & concipiatur pro sequenti signo; sed ita se habet Persona producens respectu productæ; siquidem in Persona producente priùs est in suo esse ratio Personæ, principii, & originis, quàm Relationis, secundùm quam est simul cum Persona producta, sicque priùs exigit cognosci secundùm illas formalitates, quàm Persona producta; ergo inter illas potest concipi ratio durationis virtualis, Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, in Persona producente priùs esse rationem Personæ, principii, & originis, quàm sit simultas relationis, prioritate tamen originis, aut communitatis, aut naturalis exigentiæ, non autem prioritate durationis ob assignatam rationem.

Oppones 2. Prioritas in Divinis concipitur 48.
per analogiam ad prioritatem in creatis, ita tamen, ut quæ in creatis realiter, in Divinis solùm sint virtualiter priora; sed in creatis datur prioritas durationis realis inter personam producentem, & productam; ergo in Divinis poterit dari virtualis, & rationis. Respondeo non omnia, quæ in creatis reperiuntur realiter, posse in Divinis concipi virtualiter cum fundamento in re; alioqui possemus sic concipere in Deo compositionem virtualem, quia illam concipimus realem in creatis; undè similiter de duratione. Et ratio est, quia prioritas durationis, sicut & compositio virtualis, funda-

fundantur in aliqua imperfectione, qualis est potentialitas, quæ virtualiter importat negationem actualis existentiæ; talis autem conceptio, cùm non sit præcisiva, sed negativa, non est præter, sed contra perfectionem entis Divini.

49. Oppones 3. In eodem instanti realiter indivisibili datur prioritas, & posterioritas durationis virtualis, ut datur inter intentionem finis, & electionem mediorum propter suppositionem unius ad aliam; ergo etiam in æternitate, licet indivisibili, dabitur prioritas durationis virtualis inter producens, & productum ob similem suppositionem unius ad alium. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia de essentia entis creati non est actualis existentia, cùm sit ens simpliciter potentiale, sicque potest cum fundamento in re concipi, ut non existens pro eo priori, in quo concipitur ut existens illud ens, à quo dependet: at verò in Divinis aliter se res habet, ut diximus.

50. Oppones 4. In divinis cum fundamento in re possumus concipere rationem universalitatis, futuritionis, & discursus virtualis; ergo etiam rationem durationis virtualis. Respondeo negando antecedens ob eandem rationem, ut jam diximus in Logica *tract. 2. d. 2. à n. 38. & tract. 4. d. 3. à n. 163. & tract. 5. d. 4. à n. 187.*

51. Oppones 5. In Divinis præter prioritatem originis admittitur prioritas, quæ dicitur naturalis exigentiæ: item & prioritas secundùm subsistendi consequentiam; ergo etiam prioritas durationis virtualis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia prioritas naturalis exigentiæ, ut supra diximus, est illa, quâ secundùm ordinem rationis, unum exigit cognosci priùs alio, aut quia est magis commune, aut quia est radix alterius, sic in creatis dicuntur priora universalia, quàm particularia; & prior natura, quàm proprietates, quin tamen se antecedant duratione, saltem reali; quod etiam concedimus in Divinis, in quibus Natura exigit priùs cognosci, quàm Relationes, & principium priùs termino producto. Similiter prioritas secundùm subsistendi consequentiam, ut etiam diximus, tunc datur, quando ab uno non convertitur consequentia ad alterum; sic in creatis *animal* dicitur, & est prius *homine*, quia non convertitur: *Est animal; ergo est homo*: licet valeat: *Est homo; ergo est animal*: quod etiam concedimus in Divinis, in quibus absoluta sunt priora relativis, & communia propriis, quia non convertitur: *Est Deus; ergo est Pater*: licet valeat: *Est Pater; ergo est Deus*: sicut non convertitur: *Hæc substantia est Persona; est relata; ergo est Pater*: licet valeat: *Est Pater: ergo est Persona: est relata:* quæ prioritates, cùm solùm importent antecedentiam universalitatis, aut naturalis ordinis in cognoscendo, sine negatione actualis existentiæ, benè possunt in Divinis admitti: at verò prioritas durationis virtualis, cùm importet negationem existentiæ actualis, quæ est de essentia cujusque prædicati Divini, non potest sine imperfectione in Divinis admitti, quod tamen repugnat.

SECTIO III.

De Comparatione Personarum quoad æqualitatem.

SUPPONENDUM est primò, ea dici æqualia, quæ eandem habent quantitatem; ea verò similia, quæ habent eandem qualitatem, prout alibi diximus. Secundò triplicem dari quantitatem: prima dicitur quantitas molis, qualis datur in continuis, non tamen in Deo: Secunda dicitur quantitas numeri, qualis datur in discretis, & prout sic in Divinis datur inæqualitas numeri: Tertia dicitur quantitas perfectionis, qualis datur in omnibus rebus habentibus entitatem; siquidem perfectum, prout alibi diximus, recurrit cum ente, in quo sensu sit: 52.

Difficultas 1. Utrùm omnes Personæ Divinæ sint omninò æquales realiter, & à parte rei? Est de fide sententia affirmativa. Ita *D. Thom. 1. p. q. 42. art. 2. P. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 15. n. 4. P. Molin. 1. p. q. 42. art 1. d. 1. P. Vasq. 1. p. q. 42. a. 1. P. Tanner. d. 4. q. 1. dub. 8. n. 1. P. Arrub. d. 145. cap. 1. n. 1. P. Præposit. 1. p. q. 42. art. 1. P. Ruiz d. 103. sect. 2. n. 1.* & alii. Probatur primò authoritate Concil. Later. *2. cap. Firmiter de Sum. Trinit.* ubi de Patre, Filio, & Spiritu Sancto dicitur: *Coæquales, & coomnipotentes, & coæterni.* Et D. Athan. *in Symbol. Sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Et ibidem de Filio: *Æqualis Patri secundùm Divinitatem.* Et ad Philipp. 3. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Et Concil. Tolet. 6. *in profess. fidei. In hac Trinitate,* inquit, *tanta est unitas substantiæ, ut pluralitate careat, & æqualitatem teneat. Nec minor in singulis, quàm in omnibus; nec major in omnibus, quàm in singulis Personis manet* Et Ecclesia *in Præfat. Trinit. Et in Majestate adoretur æqualitas.* Et Joan. 5. *Quæcumq; Pater facit, hæc & Filius similiter facit.* Ubi de æqualitate potentiæ. 53.

Probatur secundò authoritate Sanctorum Patrum. D. Aug *lib. 3. contr. Maximin. cap. 7. Patri ergo Deo,* inquit, *Filius verus æqualis est* Et cap. 15 *Deus ergo,* ait, *cur non æqualem genuit Filium, cui nec anni necessarii fuerunt, nec Omnipotentia defuit.* Et D. Fulgent. *de fide ad Petrum cap. 1. Nemo alium,* inquit, *aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate: quia nec Filio, nec Spiritu Sancto, quantùm ad Naturæ Divinæ unitatem pertinet, aut anterior, aut major Pater est.* Et D. Greg. Nyssen. *Epist. contr. Apollinar. Una,* inquit, *& similis Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti efficacitas, una virtus, una potestas.* Idem habent *D. Chrysost. in Psal. 107. D. Cyril. lib. 1. Thesaur. cap. 9. & alii apud R. Ruiz cit.* 54.

Probatur tertiò ratione, quia æqualia dicuntur per negationem majoris, & minoris; ut ex Philosopho *10. Met. text. 15. 16. & 17.* probat D. Thom. *1. p. q. 42. art. 1.* sed in Personis Divinis non est majus, & minus: tùm quia ita habemus in Symbolo cit. tùm quia quælibet Persona Divina includit Naturam Divinam, quâ majus esse non potest, cùm includat omnem perfectionem simpliciter simplicem; ergo &c. Confirmatur ex D. Aug. *lib. 6. de Trinit. cap. 8. In his,* inquit, *quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse*; sed in Personis Divinis non est *melius esse*; ergo neque *majus esse*; ergo omnes sunt æquales. 55.

56. Probatur quartò, quia in hominibus, cæterisque animantibus inæqualitas filiorum provenit ex imperfectione principii generantis, & rerum generabilium, & corruptibilium, quæ non possunt à principio totam perfectionem habere, sed debent ad illam successivè tendere; sed talis imperfectio non potuit esse in principio generante Verbum, neque spirante Spiritum Sanctum; neque utraque Persona producta indiget successivo perfectionis incremento; ergo tam Filius, quàm Spiritus Sanctus fuit Patri æqualis ab æterno. Confirmatur ex D. Hilar. *lib. de Synodis. Tolle*, inquit, *corporum infirmitates, tolle conceptûs initium, tolle dolores, & omnem humanam necessitatem: omnis filius secundùm naturalem nativitatem æqualitas Patris est, quia est similitudo naturæ*; sed omnibus illis caret Deus; ergo Filium sibi æqualem generat Pater.

57. Objicies 1. pro Arianis: Joan. 14. de se ipso dicit Christus Dominus: *Pater major me est.* Et 1. Cor. 11. *Caput Christi Deus.* Et 1. Cor. 15. *Tunc & ipse subjectus erit ei.* Et Joan. 20. *Vado ad Patrem meum, & Patrem vestrum.* Et ad Philipp. 2. *Exinanivit semet ipsum formam servi accipiens*: quæ omnia inæqualitatem videntur significare; ergo &c. Respondeo prædicta loca intelligenda esse de Christo Domino secundùm quod homo est, ut communiter intelligunt Sancti Patres: si tamen aliqui ea intelligunt de Christo Domino secundùm quod Deus est, majoritas in Patre non sumitur pro inæqualitate reali, sed pro prioritate originis. Sic D. Nazianz. *orat. 36. Nam*, inquit, *quod ratione humanitatis Pater Filio major intelligendus sit, verè quidem dici potest, sed non perindè honorificè. Quid enim mirum, Deum homine majorem esse?* Et D. Athan. *orat. 2. contr. Arian. Pater*, inquit, *major me est, non quidem magnitudine, aut ætate, sed quia ex illo ortum habeat.* Idem habent *D. Cyril. lib. 2. Thesaur. cap. 3. D. Epiphan. hæres. 69. D. Damascen. lib. 1. Fidei cap. 9. D. Hilar. lib. 9. de Trinit.* & alii.

58. Objicies 2. Joan. 5. *Non potest Filius à se ipso facere quidquam.* Et *cap. 8. 28. A me ipso facio nihil.* Et infrà: *Ego ex Deo processi, & veni, nec enim à me ipso veni.* Et Joan. 16. de Spiritu Sancto loquens: *Non enim loquetur à semet ipso, &c.* cùm tamen Pater omnia à se faciat, habeat, & loquatur; ergo &c. Respondeo ex locis citatis solùm probari, quidquid Filius habet, sive in essendo, sive in operando (idemque de Spiritu Sancto respectu Patris, & Filii) habere à Patre communicatum, Patrem verò à se; hoc autem solùm ostendit diversum modum habendi, non tamen tollit æqualitatem, cùm in omnibus sint æqualiter omnes perfectiones. Ita D. Aug. *lib. 3. contr. Maximin. cap. 14. Ubi autem qui dedit, inquit, gignendo dedit: & qui accepit, nascendo accepit: non inopi subventum est, sed ipsa copia generata est. Nec potest qui accepit, ei, qui dedit, esse inæqualis, quia & hoc accepit, ut esset æqualis.*

59. Objicies 3. Joan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et Joan. 3. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus.* Et Joan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semet ipso; sic dedit & Filio vitam habere in semet ipso.* Et Joan. 6. *Ego vivo propter Patrem.* Et Joan. 10. *Pater quod dedit mihi majus omnibus est.* Et Joan. 13. *Omnia dedit ei Pater in manibus.* Et Joan. 17. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Et Matt. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Et Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Et Joan. 16. de Spiritu Sancto. *De meo accipiet.* Cùm tamen Filius non possit Patri neque mandatum, neque vitam, neque alia dare; ergo &c. Respondeo mandatum, sicut & alia à Patre data intelligi de Filio secundùm quod homo est: Quod si intelligatur de Filio secundùm quod Deus est, solùm intelligi, Filium procedere à Patre, qui quatenùs ei communicat Naturam, & omnia, absolutè quodammodo dat, & mandat; neque enim mandatum prout sic dicit imperium, & subjectionem, sicut neque acceptio dicit indigentiam, sed communicationem, originem, & processionem.

60. Objicies 4. ex D. Chrysost. ad Hebr. 1. & D. Aug. *lib. 6. de Trinit. cap. 16.* ubi dicit, licet Filius sit æqualis Patri, Patrem tamen non esse æqualem Filio; ergo &c. Respondeo D. Chrysost. & D. Aug. eo loquendi modo solùm innuere diversum modum habendi æqualitatem in Patre, & in Filio; siquidem cùm Pater non supponat Filium, Filius verò supponat Patrem, dicitur Filius quasi per accessum æquari Patri, non tamen Pater æquari Filio, cùm tamen absolutè sint æquales, quod est evidens; siquidem loquendo de æqualitate absoluto nomine significata, implicat unum esse alteri æquale, & non è contra, cùm æqualitas dicat carentiam excessûs in utroque extremo.

61. Objicies 5. Ubi est ordo primi, secundi, & tertii, non est æqualitas; sed in Divinis Personis datur hic ordo, ut patet tùm ex supra dictis: tùm ex D. Aug. *lib. 3. contr. Maximin. cap. 14.* ubi hoc sensu docet, *esse inter Divinas Personas ordinem naturæ*: tùm etiam ex communi modo loquendi, sic enim nominamus Personas, primam, secundam, & tertiam; ergo &c. Respondeo hunc ordinem naturæ nihil aliud esse, quàm ordinem originis, prout supra diximus, secundùm quem tantummodò dantur in Divinis Personis, prima, secunda, & tertia, quæ tamen denominationes nihil repugnant æqualitati, sicut non repugnat prioritas, & posterioritas originis, ut diximus.

62. Objicies 6. Æquale prout definitur ab Euclid. *Est illud, quod in terminis, neque excedit, neque exceditur*; sed Personæ Divinæ non habent terminos, quibus claudantur, cùm sint infinitæ; quod autem est infinitum non habet terminum, secundùm quem possit commensurari, dicique æquale, aut inæquale; ergo &c. Respondeo cum *D. Bonav. Alex. Albert. Richard.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 103. de Trinit. sect. 2. n. 11.* ad æqualitatem, ubi est summa identitas magnitudinis, quæ est quantitas virtutis, sive perfectionis, non esse necessarios terminos: neque ad æqualitatem perfectissimam, quæ consistit in omnimoda unitate magnitudinis spiritualis, requiri commensurabilitatem, licet requiratur ad æqualitatem extremorum habentium magnitudines numero, aut specie distinctas.

63. Additur, Personas Divinas, non obstante Immensitate, esse suo modo commensurabiles, quatenùs omnium objectorum collectio quodammodò mensurat Scientiam, Volitionem, & Potentiam Divinam; sicque tres Personæ Divinæ habent eandem mensuram collectionis omnium objectorum, quæ omnes tres sciunt, volunt, & possunt: similiter earum Immensitas quodammodò mensuratur omni spatio possibili; sicut etiam Æternitas omni tempore, seu durationi possibili.

64. Objicies 7. Quæ differunt specie, sunt inæqualis perfectionis; sed Personæ Divinæ sunt specie diversæ; ergo & perfectionis inæqualis. Respondeo primò data majori, negando minorem: neque enim Personæ Divinæ sunt specie, sed quasi primò diversæ, ut sunt differentiæ individuantes, quæ

quæ tamen sunt æqualis perfectionis, sicque idem dicendum de Personis Divinis. Resp. 2. negando majorem: duo enim conceptus humani terminati ad duas differentias individuantes Petri, & Pauli, sunt specie diversi; similiter tres uniones hypostaticæ trium Humanitatum ad tres Divinas Personas, sunt specie diversæ; & tamen tam hæ uniones, quàm illi conceptus sunt æqualis perfectionis.

65. Instabis: Essentiæ, ut communiter dicitur, variantur sicut numeri; ergo si sunt specie diversæ, non possunt esse æqualis perfectionis, sed una debet aliam excedere, sicut unus numerus excedit alium. Respondeo antecedens esse verum de speciebus subalternis, non autem disparatis. Illo tamen dato, solùm habere locum in creatis, non autem in Divinis, ob rationem factam.

66. Objicies 8. Generare dicit dignitatem; sed hæc est in solo Patre, non autem in Filio, neque in Spiritu Sancto; ergo non sunt æquales Patri. Respondeo distinguendo majorem: dicit dignitatem diversam secundùm relativum; concedo majorem: inæqualem; nego majorem: tanta enim dignitas est in Patre generare, quàm in Filio generari, (idemque de Spiritu Sancto cum proportione;) siquidem secundùm absolutum, sive rationem formalem principii generativi, eadem dignitas est in Patre, & in Filio; & secundùm conditionem relativam, non minor perfectio est proprietas Filii, quàm Patris, cùm utraque sit perfectissima subsistentia necessariò, & essentialiter identificata eidem Naturæ, & Deitati.

67. Objicies 9. Licet omnes Personæ Divinæ includant eandem Naturam, & prout sic sint æquales; proprietates tamen, quas etiam includunt, sunt inæquales; atqui si æqualibus inæqualia addas, quæ indè resultant, sunt inæqualia; ergo tales sunt Personæ Divinæ. Respondeo negando majorem quoad secundam partem, si loquamur de proprietatibus realiter. An autem dici possint virtualiter, & quoad nos inæquales? Dicemus infrà.

68. Difficultas 2. Utrùm æqualitas conveniat Personis Divinis ratione solius Essentiæ, non autem proprietatum Personalium? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 42. art. 4. Magist. in 1. dist. 31. cap. 1. & dist. 20. cap. ult. Alex. 1. p. q. 46. memb. 1. ad 2. 3. & 4. Albert. 1. p. q. 47. memb. 3. ad 3. Henricus 2. p. sum. art. 62. q. 3. ad 2. P. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 15. §. ult. P. Valent. 1. p. q. sua 16. punct. 1. ad 4.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz. d. 103. sect. 6. n. 8. P. Molin. 1. p. q. 42. art. 1. d. 2. §. Ad quintum*, & alii. Probatur primò ex D. Aug. *lib. 5. de Trinit. cap. 6. Quia Filius*, inquit, *non ad Filium relativè dicitur, sed ad Patrem, non secundùm hoc, quod ad Patrem dicitur, æqualis est Filius Patri, restat ut secundùm id æqualis sit, quod ad se dicitur. Quidquid autem ad se dicitur, secundùm substantiam dicitur. Restat ergo ut secundùm substantiam sit æqualis.* Idem habet *lib. 6. de Trinit. cap. 4. lib. 3. contr. Maximin. cap. 18. & D. Athan. serm. de Sanctiss. Deipara. D. Cyril. lib. 1. Thesaur. cap. 9. & lib. 2. cap. 3.*

69. Probatur secundò ratione, quia æqualitas, non secundùm quid, sed simpliciter, & absolutè considerata, fundatur in magnitudine totaliter, & simpliciter sumpta; sic enim qui duo corpora simpliciter dicit æqualia, totam unius quantitatem cum tota alterius quantitate comparat; alioqui si partem unius cum tota alterius quantitate, aut cum variis illius partibus comparet, aut inæqualem, aut pro libito æqualem dicet; sed totalis, & integra magnitudo perfectionis Personarum Divinarum, est unica tantùm Essentia; ergo unica Essentia est totum fundamentum æqualitatis in Personis Divinis, quatenùs in illam ut in unam totalem, ac plenam magnitudinem perfectionis coalescunt.

70. Dices 1. Personæ Divinæ sunt quantitates, sive magnitudines perfectionis realiter distinctæ secundùm suas peculiares rationes talis Personæ; siquidem ratio talis Personæ, nempe Paternitas, est entitas realis, & realis perfectio divina; ergo Personæ Divinæ prout sic possunt esse æquales realiter; & non solùm ratione Essentiæ. Respondeo distinguendo antecedens: sunt quantitates, sive magnitudines perfectionis realiter distinctæ, impropriè, & secundùm quid; concedo antecedens: propriè, & simpliciter; nego antecedens: sic enim solùm sunt magnitudines ratione essentiæ. Undè licet Paternitas, ut talis, sit perfectio realis, in unam tamen, & eandem coalescit cum Filiatione, & Spiratione passiva, ratione cujus ipsæ Personæ sunt simpliciter æquales.

71. Dices 2. Ubi est quantitas, sive magnitudo perfectionis, & nullus est excessus, aut inæqualitas, necessariò consequitur æqualitas; sed Personalitates relativæ sunt magnitudines perfectionis, & in illis nullus est excessus, aut inæqualitas, ut patet ex Symbol. D. Athan. ibi: *In hac Trinitate nihil majus, aut minus, sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales*; ergo &c. Respondeo majorem esse veram ubi quantitas, sive magnitudo est totalis, & integra; non autem si sit partialis, & non integra; tunc enim ad plurimum consequitur æqualitas tantùm secundùm quid, non autem simpliciter.

72. Instabis: Personæ Divinæ conveniunt realiter in communi perfectione Personalitatis, & relationis, & pro sic sunt unum in quantitate perfectionis relativæ, & notionalis; ergo secundùm illam sunt æquales. Respondeo illam convenientiam, & unitatem in quantitate perfectionis relativæ, non esse totalem, & integram totius quantitatis, sicque non sufficere ad æqualitatem simpliciter dictam, licet sufficiat ad æqualitatem secundùm quid.

73. Difficultas 3. Utrùm Personæ Divinæ dici possint inæquales virtualiter, & quoad nos? Affirmativè. Probatur, quia proprietates Personales, ut supra diximus, addunt supra Naturam Divinam perfectionem intensivam, saltem secundùm quid, licet non simpliciter; sed proprietates sunt saltem quoad nos virtualiter inæquales; siquidem actio ex suo conceptu est nobilior passione; ex se enim nobilius est agere, quàm pati; producere, quàm produci; in Divinis autem productio activa concipitur à nobis ad instar actionis, passiva verò ad instar passionis; ergo Personæ Divinæ possunt dici quoad nos inæquales ex illo principio: *Si inæqualia æqualibus addas, quæ indè resultant, sunt inæqualia.*

74. Confirmatur primò, quia inter Attributa absoluta, licet sint perfectiones simpliciter simplices, datur inæqualitas virtualis quoad nos, ut alibi diximus; ergo à fortiori inter prædicata relativa, quæ non sunt perfectiones simpliciter simplices, sed solùm secundùm quid, ut supra diximus; minùs enim repugnat comparatio inæqualitatis inter perfectiones secundùm quid, quàm inter perfectiones simpliciter. Secundò, quia proprietas Patris, & Filii sequitur immediatè Intellectum, una ut producens, & improducta, altera ut producta, & terminus; & proprietas Spiritûs Sancti sequitur imme-

immediatè voluntatem, ut terminus productus; sed Intellectus, & voluntas sunt quo ad nos inæqualis perfectionis; ergo sic etiam quoad nos erunt inæqualis perfectionis eorum termini producti.

75. Objicies 1. Aut Personæ Divinæ haberent hanc inæqualitatem virtualem ratione Naturæ: aut ratione proprietatum: Non primum; quia Natura est una, & eadem indivisibilis in omnibus, & singulis Personis: Non secundum, tùm quia proprietates non addunt supra perfectionem Naturæ perfectionem aliquam intensivam, secundùm quam possint dici inæquales; siquidem in Natura eminentiori modo præcontinentur: tùm etiam, quia proprietates secundùm se non sunt inæquales, utpotè quæ sunt æquè perfectissimæ subsistentiæ necessariò, & immediatè identificatæ Naturæ Divinæ; ergo &c.

76. Respondeo negando minorem quoad secundam partem; talis enim inæqualitas provenit ab ipsis proprietatibus, quæ inter se comparatæ concipiuntur quoad nos ut inæquales cum fundamento in re. Undè ad probationem dicimus: Primò, proprietates Personales non addere quidem supra Naturam perfectionem intensivam simpliciter, addere tamen intensivam secundùm quid. Neque obstat, quod in Natura modo eminentiori præcontineantur; neque enim præcontinentur formaliter, ut supra diximus, quo sensu esse formaliter subsistentem est perfectio Naturæ Divinæ. Secundò, proprietates secundùm se spectatas esse quoad nos inæquales, ut patet ex supra dictis. Neq; obstat, quod omnes sint perfectissimæ subsistentiæ necessariò identificatæ Naturæ Divinæ; hoc enim solùm probat esse realiter, & simpliciter æquales, non tamen virtualiter, & quoad nos, prout sequuntur, tanquam termini immediati, gradus perfectionis quoad nos inæquales, ut diximus.

77. Objicies 2. Si Personæ Divinæ ex inæqualitate proprietatum possent dici aliqua ratione inæquales, tales dicerentur realiter; hoc autem est contra fidem, ut patet ex supra dictis; ergo &c. Probatur Major, quia si Attributa Divina, quæ virtualiter, & quoad nos dicuntur inæqualia, distinguerentur realiter, essent realiter inæqualia; sed proprietates relativæ distinguuntur realiter; ergo si aliqua ratione possunt dici inæquales, tales dicentur realiter; consequenterque Personæ Divinæ dicentur realiter inæquales.

78. Resp. negando majorem; ut enim proprietates, & ex illis Personæ divinę, essent realiter inæquales, debebant nō solùm inter se, sed etiam à Naturâ realiter distingui; cùm autem sint eadem realitas cum Natura, quælibet ex ipsa Natura habet æqualem perfectionem, ut diximus. Ad probationem negamus consequentiam; diversa ratio est, quia Attributa Divina, si realiter distinguerentur, id haberent ex limitatione essendi, cùm essent res absolutæ, quo posito, non illis repugnaret realis inæqualitas: at verò proprietates relativæ distinguuntur propter oppositionem, quæ non inducit imperfectionem. Addo, benè posse res realiter distinctas esse realiter æquales, tùm quantitate molis, tùm perfectionis, ut supra, & alibi diximus.

79. Objicies 3. Concilia, & Sancti Patres, ut supra vidimus *n. 53. & 54.* absolutè docent, omnes tres Divinas Personas esse inter se coæternas, & coæquales, præsertim D. Athan. in Symbol. *Tōtæ tres Personæ*, inquit, *coæternæ sibi sunt, & coæquales*: ubi notandum est verbum illud *Tōtæ*, ex quo videtur colligi, esse coæquales non solùm quoad Naturam, sed etiam quoad proprietates, sicque etiam quoad nos. Respondeo Concilia, Sanctos Patres, & D. Athan. in Symbol. intelligendos esse de æqualitate reali, & à parte rei, non autem virtuali, & quoad nos, de qua tantùm hîc loquimur.

80. Objicies 4. Personæ Divinæ non possunt dici priores, & posteriores prioritate durationis, etiam virtuali, & quoad nos; ergo neque sic poterunt dici inæquales. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia ut illas concipimus priores, & posteriores prioritate durationis virtuali, & quoad nos, nullum habemus fundamentum in re, imò illud habemus in contrarium, ut patet ex supra dictis *n. 46.* at verò ut illas concipiamus inæquales habemus fundamentum, ex quo nullum sequitur inconveniens, neque ulla arguitur imperfectio in ipsis Personis.

81. Utrùm autem hæc Personarum æqualitas sit formaliter relatio aliqua realis, an rationis? Jam supra resolvimus *d. 4. à n. 69.* esse relationem rationis, sicque quæ ibi sunt dicta, non sunt hîc iterùm repetenda.

SECTIO IV.

De Circuminsessione Personarum Divinarum.

DIFFICULTAS sit: Quid sit *Circuminsessio*: & an Divinis Personis conveniat? Dico 1. Circuminsessio communiter à Theologis definitur cum D. Dionys. *de Divin. nomin cap. 2. Personarum aliarum in aliis omninò conjuncta, & nulla cum parte confusa mansio, & sedes.* Undè cùm à *sede* sit *sessio*, ex eo, quod sit aliarum Personarum in aliis sessio, dicta est *Circuminsessio*: quam D. Damascen. *lib. 1. fidei cap. 19.* sic etiam explicat: *Immanentia*, inquit, *& stabilitas hypostaseon invicem est: nam ipsæ, inseparatæ, & inabscedentes sunt ab invicem, inconfusam habentes invicem circuitionem: non quod commisceantur, aut confundantur, sed quod invicem inhabitentur.* Undè: 82.

Dico 2. Hæc Personarum Circuminsessio convenit, & datur in Personis Divinis. Est de fide. 83.
Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ. Joan. 1. *In principio erat Verbum*: id est *in Patre Filius*: ut exponunt *D. Athan. D. Cyril. D. Greg. Nyssen. D. Nazian. Origen. D. Aug. D. Clem. Alex. & D. Prosper.* Et Joan. 10. *Operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Et Joan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem..... Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Et Joan. 1. *Unigenitus, qui est in sinu Patris.* Et Joan. 17. *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te.* Et Coloss. 2. *In quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Et 1. Cor 2. *Quæ sunt hominis, nemo novit, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est: ita quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei.* Ubi D. Athan. *Epist. ad Serapionem*, supplendum putavit: *Nisi Spiritus Dei, qui in ipso est*: comparat enim cum verbis Joan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.*

Probatur secundò authoritate Sanctor. Patrum 84.
D. Fulg. *lib. de fide ad Petrum cap. 1. Spiritus*, inquit, *Unus in duobus, & uterque in idipsum. Pater in Filio, Filius in Patre, uterque in Spiritu Sancto.* Et D. Ansel. *in Monolog. cap. 57. Jucundum est*, inquit, *intueri in Patre, & Filio, & utriusque Spiritu, quomodò sint in se invicem tanta æqualitate, ut nullus alium excedat.* Et D. Athan. *Epist. ad Serapionem*, quæ incipit *Litteræ. Ubicumque*, inquit, *Pater*

dicitur,

dicitur, unà est cum eo & ipsius Verbum, & in Filio Spiritus. Si autem Filius nominatur, in Filio est Pater, nec Spiritus est extra Verbum. Idem habent idem *D. Athan. lib. 5. de unit. substant. Trinit. D. Hilar. lib. 9. de Trinit. D. Amb. in 2. Cor. 5. D. Hieron. in Isai. 45. D. Cyril. lib. 13. Thesaur. cap. 1. 2. & 4. D. Damascen. lib. 1. fidei cap. 10.* & alii.

85. In hac Divinarum Personarum Circuminsessione errarunt: Primò Ariani dicentes, Filium esse in Patre, sicut omnes creaturæ sunt in Deo, juxta illud Actor. 17. *In ipso vivimus, movemur, & sumus. Quomodò enim*, dicebant, *aliter Filius majorem se ipso Patrem capere poterit? Aut quomodò Filius minor majorem Patrem replere poterit?* Hoc Arianorum argumentum alludit ad alium aliorum errorē, dicentium, *Filium intrare in Patrem, & ut vas in vase messe.* Hos suppresso nomine refert Philastrius *in 2. Catalog. hæreseon.* & eos vocat D. Aug. *lib. de hæresib. cap. 58. Metangismonitas*, id est, *Transvasantes*, quatenùs dicebant, *Filium ut vas minus intrare in vas majus.*

86. Primum Arianorum errorem refert, & refutat D. Cyril. *lib. 3. de Thesaur. cap. 1.* ubi notat discrimen inter modum essendi creaturarum in Deo, & modum, quo Filius est in Patre. *Nos*, inquit, *gratiâ, & participatione in Deo vivimus, & movemur, & sumus: Filius verò secundùm Naturam, quasi à fonte semper vivo ex substantia Patris emanans.* Et infrà: *Non ergo*, inquit, *ut nos in Deo vivit, & est, sed naturaliter ipse vita est, & in Patre naturaliter est, unum cum ipso secundùm identitatem Essentiæ.*

87. Hinc colliges diversitatem, quâ Deus dicitur esse in creaturis, & quâ una Persona Divina est in aliâ. Primò, quia Deus in creaturis, sive per Essentiam, sive per Potentiam, sive per præsentiam est contingenter, quatenùs creaturæ contingenter sunt: at verò una Persona est in alia per identitatem ejusdem individuæ Naturæ. Secundò, Deus in creaturis est per potentiam illas producendo transeunter, & sine necessitate: at verò una Persona est in alia per potentiam immanenter, & vitâ mutuâ, ac necessariâ. Tertiò, Deus est in creaturis per præsentiam, cui inadæquatè, & contingenter correspondet præsentia creata: at verò una Persona est in alia per eandem, & adæquatam Immensitatem.

88. Secundum errorem notat, & rejicit D. Athan. *orat. 4. contra Arianos: Nec enim*, inquit, *ut illi arbitrantur, vicissim in se transuasantur, dùm ait: Ego in Patre, & Pater in me est: quasi vasa inania alter in alterum refusus.* Et refutant etiam alii Patres, dùm asserunt, & admonent, mutuam immanentiam Personarum non esse transfusionem, aut refusionem, ut docet D. Hilar. *lib. 7. de Trinit. Filius*, inquit, *in Patre non per transfusionem, refusionemq; mutuam, sed per viventis Naturæ perfectam nativitatem.* Adhuc tamen cum Catholicis:

89. Argues 1. Aristoteles *lib. 4 Phys. cap. 3. text. 23.* sequentes tantùm enumerat modos dicendi, aliquid esse in alio, nempè, ut totum in partibus: ut species in genere: ut genus in specie: ut forma, sive essentialis, sive accidentalis in subjecto: ut effectus in efficiente: ut in fine: ut in loco; sed nullus modus istorum potest convenire Patri, ut sit in Filio, neque Filio, ut sit in Patre; ergo &c. Respondeo primò negando consequentiam; licet enim Personæ Divinæ non sint in se invicem per Circuminsessionem aliquo ex prædictis modis, nullum est inconveniens; siquidem præter illos modos sunt alii innumeri secundùm usum authorum, quibus res creatæ dicuntur *esse in aliquo.* Imò ipse Philosophus eodem *lib. 4. Phys. cap. 12. text. 14. 15. & 18.* notat alios modos, quibus temporalia dicuntur esse in tempore, & numerabilia in numero. Accedit, Philosophum, cùm Mysterium Trinitatis non agnoverit, etiam ignorasse specialissimum modum, quo Personæ Divinæ sunt in se invicem Circuminsessione.

90. Respondeo secundò negando minorem; modus enim quo Personæ sunt in Essentia, Essentia in Personis, & una Persona in alia, habet analogiam aliquam cum aliquibus ex assignatis modis: Primò, quia præsentia secundùm Immensitatem, quæ est Ubi Divinum, quo una Persona est in alia, similis est existentiæ rei in loco, sive in spatio, quod replet. Secundò, modus, quo Essentia est in Personis, & ratione illius una Persona est in alia, similis est modo, quo natura est in supposito, qui modus reducitur ad illum, quo genus est in specie, aut quo species est in genere; siquidem Personæ quodammodo specie differunt, aut ad modum, quo forma substantialis dicitur esse in subjecto substantiali; & quilibet modus existit quasi forma in sua realitate; est enim Relatio, sive Personalitas Divina quasi modus afficiens Naturam divinam, prout supra diximus.

91. Argues 2. Quod exivit ab aliquo, non manet in eo; sed Filius ab æterno exivit à Patre, juxta illud Michææ 5. *Egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Ecclesiast. 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi.* Joan. 13. *Quia à Deo exivit, & ad Deum vadit.* Et cap. 16. *Credidistis, quia ego ab eo exivi. Exivi à Patre, &c.* ergo Filius non manet in Patre. Respondeo majorem esse veram de illo, qui exivit ab aliquo per motum localem, aut actionem transeuntem: non autem de illo, qui exivit per productionem immanentem, & intrinsecam ex ipsa substantia producentis, ut exivit Filius à Patre, quod in locis citatis significat verbum *exire* juxta *D. Nazian. Basil. Cyril. Hilar. Ambr. Hieron. Aug.* & alios.

92. Argues 3. Si una Persona est in alia, aut est ratione Essentiæ: aut relationis: aut utriusque: Non primum, quia ratione Essentiæ sunt unum, & idem; quatenùs autem sunt unum, non est una, & altera Persona, sicque non potest una esse in altera: & quatenùs sunt idem, non potest etiam una esse in altera, quia ex Philosophò *4. Physicor. cap. 3.* idē non potest esse in se ipso: Non secundum, quia prout sic opponuntur; oppositum autem, qua ratione opponitur, non potest existere in opposito: Non tertium ob rationes assignatas; ergo &c. Respondeo negando minorem; una enim Persona est in alia ratione Essentiæ, & relationis, & utriusque, ut infra dicemus *num. 105.*

93. Argues 4. Si Pater est in Filio, cùm Parer, & Filius sint idem Deus, Deus erit in Deo; sed hoc est falsum; siquidem idem nequit esse in se ipso, ut proximè diximus ex Philosopho; ergo &c. Respōdeo licet falsæ sint hæ: *Deus est in eodem Deo: Deus genuit eundem Deum*; aut *se ipsum Deum*: ut patet ex supra dictis *d. 5. sect. 3.* hanc tamen esse veram: *Deus est in Deo*: sicut veræ sunt istæ: *Deus est de Deo: Deus genuit Deum*: nam sicut in his supponitur pro Persona Patris, & Filii, ita in illa supponitur pro una Persona ex parte subjecti, & pro altera ex parte prædicati, sicque non est idem in se ipso, sed una Persona in altera per Circuminsessionem.

94. Argues 5. Si Pater est in Filio, & Filius in Patre, sequitur, Patrem esse in Patre, & Filium in Filio; nam sicut quidquid prædicatur de aliquo

subjecto, prædicatur de omni, de quo prædicatur tale subjectum, ita etiam quidquid est in aliquo, necesse est, ut in eodem sit omne, quod in eo est; ergo si Filius est in Patre, & Pater in Filio, omne, quod est in Filio erit in Patre, & omne, quod est in Patre erit in Filio; sed Pater est in Filio, & Filius est in Patre; ergo Pater erit in Patre, & Filius in Filio Respondeo si aliquid est in aliquo, in eodem quidem esse omne, quod in eo est, supposita tamen distinctione reali; defectu cujus conditionis, neque Pater est in Patre, neque Filius in Filio.

95. Argues 6. Ex hac circulari inexistentia sequeretur, quamlibet Personam esse aliam; consequenterque Patrem esse Filium, & natum de Patre; quia cui convenit filiatio, convenit nativitas, & generatio passiva; sequela autem non est admittenda; ergo &c. Probatur sequela, quia ille est Filius, in quo est Filiatio; sed in Patre est Filiatio; siquidem in Patre est Filius; Filius autem non est, nisi ubi est Filiatio; ergo in Patre est Filiatio; consequenterque Pater est Filius. Respondeo negando sequelam, ad cujus probationem dicimus, non esse Filium Personam illam, in qua est Filiatio per immanentiam, & præsentiam inseparabilis Immensitatis, ut est in Patre; sed Personam illam, esse Filium, in qua est Filiatio tanquam proprietas constituens, & realiter identificata cum Persona, ut est in solo Filio.

96. Argues 7. Quæ conveniunt Essentiæ Divinæ ut distinctæ à Personis, non dicuntur de Personis; nam Essentiæ Divinæ ut distinctæ à Personis convenit esse unam numero, communem tribus Personis, & de earum essentia; Pater tamen non est unus numero in ratione Personæ, neque communis tribus Personis, neque de earum essentia; sed esse in Patre, aut Filio, aut Spiritu Sancto, convenit Essentiæ Divinæ ut distinctæ à Personis; ergo non dicitur de Personis; consequenterque non poterit verificari, quod Pater sit in Filio, & Spiritu Sancto, & è contra. Respondeo licet esse in Patre, aut in Filio eo modo, quo Essentia divina est in illis, non conveniat Personis, neque de illis dicatur; ex eo tamen, quod Essentia sit in Patre, & Filio realiter identificata cum illis, provenire tanquam à radice, quod Pater sit in Filio tanquam subsistens in subsistente realiter distincto, viciissimque Filius in Patre.

97. Argues 8. Si singulæ Personæ forent mutuò in singulis, sequeretur, omnia divina fore maximâ confusione permixta; siquidem eorum singula, quæ uni Personæ insunt, inessent similiter aliis, & omnia inessent omnibus; sed hoc non est dicendum; alioqui in Divinis non esset summa distinctio, & discretio Personarum, & Personalium Proprietatum, sed illa confusio Anaxagoræ ponentis omnia in omnibus; ergo &c. Respondeo negando sequelam; licet enim in una Persona sint aliæ duæ cum omnibus, & singulis, quæ sunt in eisdem Personis, nulla sequitur confusio; siquidem realis earum distinctio reservat unicuique Personæ quidquid illius est proprium, nè identificetur cum alia Persona. Ideò Sancti Patres docentes, unam Personam esse in alia, monent id esse absque confusione Personarum, id est, absque identitate reali, ut docet D. Athan in Symbol. *Unum Deum in Trinitate*, inquit, *& Trinitatem in unitate veneremur. Neque confundentes Personas, neque substantiam separantes.*

98. Argues 9. Si unitas Essentiæ esset ratio sufficiens, ut Pater esset in Filio, sequeretur non alio modo esse in illo, quàm quo in illo, & in Patre est ipsa Essentia; siquidem quod inest alicui per alterum, non ei inest aliter, quàm secundùm modum illius, ratione cujus inest, ita ut si hoc insit per se, & intrinsecè, etiam illud, quod per illud inest, per se, & intrinsecè insit; sequela autem est falsa; siquidem Essentia est in Patre, & Filio essentialiter, & realiter identificata cum illis; Pater autem neque est de essentia Filii, nec cum illo realiter identificatur; ergo &c.

Respondeo negando sequelam, & ejus probationem, utpotè quæ universaliter non est vera; quod enim inest alicui per alterum, ferè semper ei inest aliter, quàm secundùm modum illius. Patet primò, quia *crescere, sentire*, & *progredi* inest homini per animam rationalem, & tamen non ei inest secundùm modum, quo homini inest anima, sed aliter. Secundò, quia *disgregativum visus* convenit homini per albedinem; & tamen homini convenit per accidens; albedini verò per se. Undè illud ad plurimum solùm est verum, quando prædicatum inest alicui subjecto, ratione alterius prædicati essentialis; tunc enim quod per se inest prædicato, per se etiam inest illius subjecto. 99.

Argues 10. Quando dicitur, Patrem esse in Filio, & Filium in Patre, aut significatur eadem habitudo, seu modus essendi unius in alio: aut diversus: Non primum: tùm quia cùm Filius sit in Patre ut in principio, etiam Pater esset in Filio, ut in principio, quod est falsum: tùm etiam, quia plerique Sancti Patres satis indicant, non eodem modo Filium esse in Patre, quo Pater est in Filio, præsertim D. Hilar. *lib. 3. de Trinit.* ibi: *Pater in Filio, quia ex eo Filius: Filius in Patre, quianon aliundè quod Filius:* Non secundum; alioqui non esset propriè Circuminsessio; siquidem ex Philosopho *4. Phys. cap. 3.* genus dicitur esse in specie, & species in genere; & tamen illa non dicetur Circuminsessio; ergo &c. 100.

Respondeo primò negando minorem quoad primam partem, significatur enim eadem habitudo, & modus communis omnibus Personis, quo invicem sunt alia in aliis; siquidem modus, quo quælibet Persona est in alia, est ratio Essentiæ, & Immensitas præsentiæ, suppositâ distinctione reali; Essentia autem, & Immensitas præsentiæ, est eadem communis omnibus Personis. Ita *D. Bonavent. in 1. dist. 19. p. 1. quæst. 4. art. 1. ad 5. Scot. ibid. q. 2. §. Contra istud. Henricus, Marsil. & P. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 16. num. 12. apud P. Ruiz infrà citandum.* Non placent, licet enim idem sit modus Circuminsessionis in omnibus Personis, quatenùs una consideratur esse in alia præcisè ratione ejusdem Essentiæ, aut Immensitatis omnibus communis: cùm tamen una Persona sit etiam in alia tanquam terminus productus in suo principio: aut tanquam principium vitæ in eo, cui vitam præbet, & hic modus sit diversus, diversus modus, & habitudo significatur, cùm dicitur, Patrem esse in Filio, & Filium esse in Patre. Undè: 101.

Respondeo secundò cum *D. hom. in 1. dist. 19. q. 3. art. 2. Albert. Carthus. in 1. dist. 19. q. 2.* quos cit. & sequitur *P. Ruiz d. 107. de Trinit. sect. 8. n. 15.* negando minorem quoad secundam partem; neque enim est idem modus, quo Pater est in Filio, & Filius est in Patre, sed diversus, ut patet ex dictis, & ex D. Hilar. loco cit. Neque obstat Circuminsessioni diversitas modi, dummodò reciproca inexistentia sit realis, qualis nō est inexistentia generis in specie, neque speciei in genere, ideoque 102.

ideoque non dicitur Circuminsessio. Additur, quod Circuminsessionis nomen denotat, esse personas, quæ in se invicem veluti sedent permanenter, atque morantur.

103. Argues 11. Licet Filius dicatur esse apud Patrem juxta illud: Joan. 1. *Et Verbum erat apud Deum*: non indè sequitur Patrem esse apud Filium, aut apud Spiritum Sanctum, neque Filium apud Spiritum Sanctum; ergo etiam licet Filius sit in Patre, non indè sequetur, Patrem esse in Filio, neque Filium in Spiritu Sancto, aut è contra. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia præpositio *apud* denotat subsistentiam, conjunctionem, & authoritatem principii, quam habet Pater respectu Filii, ideoque Filius dicitur esse apud Patrem, non tamen è contra: at verò præpositio *in* magis universaliter denotat præsentiam, & conjunctionem inseparabilem, quæ quasi per differentias contrahitur ad conjunctionem principii cum termino producto, & termini producti cum suo principio, ideoque & Filius in Patre, & Pater in Filio; & Pater & Filius in Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus in utroque est.

SECTIO V.

Utrùm quælibet Persona secundùm se totam sit in tota alia Persona?

104. PRÆSENS quæstio duas complectitur partes: Prima, an totus Pater sit in Filio, ita ut non solùm Essentia, sed etiam relatio seu proprietas Paternitatis sit in Filio, & Spiritu Sancto, & è contra. Secunda, an Pater totus sit in toto Filio, ita ut non solùm sit in Essentia Filii, sed etiam in relatione, seu proprietate Filiationis, & Spirationis passivæ, & è contra. Hoc posito.

105. Dico 1. Totus Pater, non solùm secundùm Essentiam, sed etiam secundùm proprietatem, sive relationem est in Filio, & Spiritu Sancto, & è contra. Ita Doctores infrà citandi *n. 109.* Probatur authoritate Sanctor. Patrum D. Cyril. *lib. 1. Thesaur. cap. 6. 7. & 8.* ubi docet, *hypostasim Filii esse in hypostasi Patris, sicut Solis splendor est in luce.* Et *lib. 3. cap. 1. Filius*, ait, *in Patre, & Pater in Filio est, sicut character, sicut imago, sicut splendor, ac similitudo Patris*; hæ autem voces omnes pertinent ad relativam proprietatem constitutivam Filii. Et D. Damascen. *lib. 1. fidei cap. 10. Tres hypostases in se invicem astruit, & immanentiam in se invicem hypostaseon*; hypostasis autem primariò, per se, & magis explicitè importat relativam proprietatem, quàm Essentiam; sicque non sola Essentia, sed tota Persona cum sua proprietate relativa est in alia Persona. Et D. Hilar. *lib. 6. de Trinit.* Patrem alloquens: *Cognovi te*, inquit, *in Deo Deum, non ex permixtione confusum, sed ex virtute Naturæ: dùm quod tu Deus es, in eo, qui ex te est, inesses. Non ut idem tu esses, & inesses; sed inesse te in eo, qui ex te esset, perfectæ nativitatis veritas edoceret.* Ubi notandum est illud: *Non ut idem*, ex quo significatur, inesse Patrem in Filio etiam secundùm id, in quo ab eo distinguitur. Idem habent *D. Amb. lib. 3. de Spirit. Sanct. cap. 1. D. Fulgent. ad q. 3. Ferrandi. D. Ansel. in Monolog. cap. 57.*

106. Dico 2. Totus Pater est in toto Filio, & in toto Spiritu Sancto, & è cõtra. Ita Doctores infrà citandi *n. 109.* Probatur primò authoritate Sanctor. Patrum D. Dionys. *de Divin. Nomin. cap. 2.* docuit, *divinas cœlestiaq; lumina tota in totis esse.* D. Greg. Nyssen. *orat. de Deitat. Filii. Totus Pater*, ait, *in toto Filio est, & totus Filius in toto Patre.* Et D. Basil. *Epist. 43. Totus Filius*, inquit, *in Patre manet, & totum vicissim in se ipso Patrem habet.* Et D. Athan. *orat. 4. contr. Arian. Est Pater in Filio*, inquit, *eo quod quidquid est Filius, id universim sit proprium substantiæ Patris.* Et D. Cyril. *lib. 3. Thesaur. cap. 1.* dicit: *Quia omnia Patris Filii sunt, conversim quoque*: verè *dicit: Ego in Patre, & Pater in me est.* Et D. Aug. *lib. 6. de Trinit. cap. 10. In summa Trinitate*, inquit, *tantum est una, quantum tres simul sunt; nec plus aliquid sunt duæ, quàm una, & in se infinita sunt. Ita & singula sunt in singulis, omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.*

107. Probatur secundò ratione, quia Christus Dominus Joan. 14. sic ait: *Qui videt me, videt & Patrem meum*; sed, qui videt Filium, non videret Patrem, si solùm videret Essentiam communem; opus enim esset videre insuper Personam Filii, & in ea Personam Patris; ergo non sola Essentia, sed etiam Personalitas Patris cernitur, & existit in tota Persona Filii.

108. Probatur tertiò, quia unaquæque Persona sigillatim sumpta tantæ perfectionis, & magnitudinis est, ut non sint aliquid majus, aut perfectius tres Personæ simul sumptæ, quàm una sigillatim ut ex D. Aug. proximè cit. diximus; sed hoc verificari non potest, nisi quia unaquæque Persona continet in se ipsa omnes perfectiones, etiam relativas aliarum Personarum, ut indicat idem D. August. ergo &c.

109. Dubium majus est: Utrùm non solùm Essentia, sed etiam Relatio personalis uniuscujusque Personæ sit primò, & per se in tota alia Persona? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 42. art. 5. Scot. in 1 dist. 19. q. 2. Aureol. ibid. p. 1. a. 1. & 2. Carthus. ibid. q. 1. Capreol. ibid. q. 1. Deza ibid. q. unica. Cajet. 1. p. q. 42. art. 5. Torres. ibid. D Bonav. p. 1. art. unico. Ocham. Gabr. in 1. dist. 19. q. 2. art. 3. Ferrar. 4. contr. gent. cap. 9. Marsil. in 1. q. 22. art. 2. P. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 16. n. 8. P. Vasq. 1. p. d. 169. cap. 2. P. Molin. 1. p. q. 42. art. 5.* & alii, quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 107. sect. 4. n. 8. & 9.* Probatur primò ex locis Sacræ Paginæ supra adductis *n. 83.* quæ simpliciter docent, Filium esse in Patre, & Patrem in Filio; sed hoc plenius, & perfectiùs verificatur, si totus Pater per se primò ratione sui totius sit in toto Filio, & è contra; ergo &c.

110. Probatur secundò ex Sanctis Patribus supra citatis *n. 84. 105. & 106.* qui asserunt, totum Patrem esse in Filio; sed non ita totus esset in Filio, si solùm ratione Essentiæ communis esset per se primò in Filio; per accidens autem, & ex consequenti ratione proprietatis personalis; siquidem jam tunc maneret extra Filium secundùm relationem Paternitatis, ita ut hæc non esset in Filio, nisi sola denominatione proveniente ab Essentia, quod tamen est contra Patres locis citatis; ergo &c.

111. Confirmatur primò, quia hypostasis magis principaliter, & formaliter dicit proprietatem relativam, quàm Essentiam; sed Sancti Patres, ut diximus, docent, hypostasim esse in hypostasi; ergo docent hypostasim, etiam secundùm relativum, esse in hypostasi principaliter, & formaliter. Secundò, quia formalitas, quæ reduplicatur, ut ratio, propter quam aliquid convenit, non se habet ad illud per accidens, & secundariò; sed Sancti

Patres

Patres supra citati reduplicant proprietates relativas, dùm dicunt, unam Personam esse in alia; siquidem dicunt, Filium esse in Patre, sicut *characterem, splendorem*, & *imaginem*; & Spiritum Sanctum esse in Patre, sicut *Spiritum oris*; hæ autem dictiones non tam ponuntur ad explicandam similitudinem, quàm ad denotandam reduplicationem formalitatis, secundùm quam una Persona postulat esse in alia; ergo &c.

112. Probatur tertiò, quia unam Personam esse in alia, non est formalitas purè absoluta, & essentialis, ut patet ex terminis; ergo per se, ac quidditativè continet aliquid relativum, & notionale; consequenterque per se, & quidditativè convenit Personis, etiam secundùm proprietatem relativam. Confirmatur, quia licet Essentia dicatur esse in Persona, & relatio dicatur esse in Persona sine reali distinctione extremorum; talis modus existendi in alio, non est realis; sicut realis non est modus, quo species dicitur esse in genere, & genus in specie; sed immanentia, secundùm quam Pater est in Filio, & Filius in Patre, est realis, & ut talis traditur à Patribus, & Scholasticis; unus autem non est realiter in alio, nisi realiter sit unus, & alius; ergo cùm Pater, & Filius sint unus, & alius realiter distincti secundùm proprietates relativas, secundùm illas per se sunt unus in alio.

113. Probatur quartò, quia hæc immanentia unius in alio, formaliter est intima præsentia suppositorum indissolubiliter conjunctorum ratione consubstantialitatis, & Immensitatis; sed ipsa Paternitas est intimè præsens, non tantùm Essentiæ, sed etiam Filiationi, & Spirationi passivæ, & indissolubiliter conjuncta cum illis ratione consubstantialitatis; ergo etiam Paternitas est per se primò in Filio, & Spiritu Sancto.

114. Oppositum tenent *Henricus 2. p. sum. a. 53. q. 10. Durand. in 1. dist. 19. q. 3. Richard. in 1. dist. 19. art. 2. q. 3. ad 1. & 3.* pro quibus: Argues 1. Si Paternitas esset in Filio, & Filiatio esset in Patre, Pater esset Filius, & Filius esset Pater; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando majorem, ut negavimus supra *n. 95.* aliud enim est esse Patrem, & aliud esse in Patre; sicut aliud est esse Deum in creaturis, & aliud esse creaturam: ut enim Pater esset Filius, & Filius esset Pater, debebat Paternitas esse in Filio, & Filiatio in Patre per identitatem Personæ, ita ut talibus Personalitatibus constituerentur, quod tamen est falsum, ut diximus loco citato; solùm enim vicissim sunt in Personis per identitatem Naturæ, & intimam Circuminsessionem.

115. Argues 2. Si una Persona esset per se primò in alia etiam secundùm proprietates relativas, jam hæ mutuò communicarentur; sed hoc est falsum, ut patet ex supra dictis; solùm enim absoluta sunt communia; ergo &c. Resp. negando majorē: in Divinis enim ea solùm communicantur, quæ identificantur: at verò proprietates relativæ sunt mutuò in Personis, non per identitatem in illis, sed per intimam cohabitationem, & inexistentiam in eisdem.

116. Argues 3. Si Pater esset in Filio etiam secundùm proprietatem relativam, Pater non solùm Naturam, sed etiam Paternitatem dedisset Filio; sed hoc est contra Concil. Florent. sæpius cit. dicens, Patrem omnia dedisse Filio præter esse Patrem; ergo &c. Respondeo negando majorem: non enim est idem, Patrem esse in Filio per Circuminsessionem, atque ei dare Paternitatem; siquidem Paternitas prout sic non est in Filio, ut ejus proprietas, sed ut proprietas Patris.

117. Argues 4. Proprietas est ratio distinguendi; ergo non potest esse ratio essendi in alia; consequenterque una Persona non est in alia secundùm Proprietatem. Respondeo rationem distinguendi non posse esse rationem essendi in alia per identitatem; posse tamen per intimam cohabitationem, & inexistentiam.

118. Argues 5. Si una Persona esset in alia etiam secundùm proprietatem, sequeretur, proprietatem Patris, & Spiritûs Sancti esse cum Verbo in Christo Domino; consequenterque non solam subsistentiam Verbi, sed etiam Patris, & Spiritûs sancti, terminare naturam humanam; sequela autem est falsa; ergo &c. Respondeo proprietates Patris, & Spiritûs Sancti esse quidem cum Verbo in Christo Domino, non tamen ut subsistentias Verbi, sed Patris, & Spiritûs Sancti. Undè licet ibi sint per Circuminsessionem, non tamen reddere subsistentem, & terminatam naturam humanam; sicut non reddunt subsistens ipsum Verbum.

119. Argues 6. Si Personæ Divinæ essent mutuò una in alia, fundarent relationem mutuæ præsentiæ, darenturque aliæ relationes in Divinis præter quatuor assignatas; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo Personas Divinas non fundare relationes reales mutuæ præsentiæ distinctas: tùm quia fundamentum est idem in omnibus, nempè eadem Immensitas: tùm etiam, quia proprietates relativæ ob sui infinitatem, sicut non fundant relationes reales similitudinis, æqualitatis, aut diversitatis distinctas, ita neque relationes præsentiæ, sed se ipsis intimè sibi mutuò quoad omnia respondent.

120. Argues 7. Illud, in quo est aliud, ut contentum in continente, debet excedere, aut esse plus aliquid, quàm illud, quod est in ipso; sic enim Pater ratione totius Patris excedit, & est plus aliquid, quàm Filius, prout existit in Patre ratione solius Essentiæ, & è contra; *sed non ita* Pater excederet Filium, neque Filius Patrem, prout unus est in alio, si ita essent ad invicem secundùm Essentiam, & proprietates relativas, ut consideranti patebit; ergo &c. Resp. majorem non esse universaliter veram; nam *Ubi* corporeū neque excedit, neq; excedditur à corpore locato: neque *spatium* excedit, aut exceditur à corpore, quod illud occupat: & totum est in partibus, & partes in toto, ut ait Philosophus *4. Phys. cap. 3. text. 23.* & tamen partes simul sumptæ non excedunt, neque exceduntur à toto. Undè si in creatis necessarium non est, ut illud verificetur; multò minùs in Divinis Personis, quarum modus in se invicem immanendi altior est, & nullum habens exemplum in rebus creatis.

121. Argues 8. Si aliquid secundùm se totum primò, & per se est in alio, etiam æquè primò est in illo alio quælibet ejus pars; ergo si Pater secundùm se totum æquè primò est in Filio, quælibet pars ipsius Patris æquè primò erit in Filio; consequenterque æquè primò erit in Filio Paternitas, ac Deitas Patris; sed hoc non est dicendum: alioqui sicut Filius dicitur Deus propter Deitatem, quæ est in eo, ita etiam diceretur Pater propter Paternitatem, quæ in illo est æquè primò, ac Deitas; ergo &c. Respondeo Paternitatem æquè primò, ac Essentiam esse in Filio, sed non eodem modo: Paternitas enim est in Filio non tanquam quid essentialiter eum constituens, ut constituit Deitas, sed ut suppositalitas cōstituens principium immanenter productivum, & intimè, ac indissolubiliter conjunctum,

conjunctum, & præsens Filio, qualis est Pater, ideoq; licet Filius sit Deus propter Deitatem, quam in se habet, non sequitur esse Patrem propter Paternitatem.

122. Argues 9. Esse ad aliquid, & esse in aliquo sunt habitudines diversæ; sed habitudo Patris ad Filium secundùm relationem est ad aliquid, nempè ad Filium; ergo secundùm eandem non est habitudo in aliquo, nempè in Filio; consequenterque Pater non est in Filio secundùm Paternitatem. Respondeo argumentum solùm probare, relationem non esse ipsam rationem formalem, in qua formaliter, & expresè consistit immanentia unius Personæ in alia: non tamen quod cum ipsis relationibus prout constituunt Personas realiter distinctas in eadem essentia, non sit per se conjuncta, & implicitè inclusa habitudo existendi in se invicem.

123. Argues 10. Quod non est commune duabus Personis, non potest esse ratio, propter quam una sit in alia; sed Paternitas, & Filiatio non sunt communes Patri, & Filio, imò per illas distinguuntur realiter; ergo non possunt esse rationes, propter quas Pater sit in Filio, & Filius in Patre. Respondeo negando antecedens: imò completa, & adæquata ratio, propter quam una Persona sit in alia, debet æquè primò constare, tam ex illa formalitate, quæ communis est utrique Personæ, quàm ex illis formalitatibus, quibus ab invicem realiter distinguuntur, ut patet ex rationibus adductis.

SECTIO VI.

De Missione Divinarum Personarum.

124. ADVERTENDUM est, sicut Deus habet quædam prædicata in tempore, quæ ei competunt in ordine ad creaturas, prout unus est essentialiter, & sunt communia toti Trinitati, dicunturque essentialia, ut esse *Creatorem, Conservatorem,* & *Dominum* rerum omnium: ita habere quædam alia prædicata in ordine ad creaturas, quæ etiam ei competunt in tempore, prout est distinctus personaliter, suntque propria Personarum, & dicuntur notionalia *ad extra*, ut esse *Missum*, *Incarnatum*, *Manifestatum*, &c. de quibus in præsenti agendum nobis est. Sit igitur:

125. Difficultas 1. Quid sit Missio? Missio ex suo generali conceptu propriè accepta prout colligitur ex D. Thom. *1. p. q. 43. art. 1.* & Scholasticis communiter definiri potest: *Processio unius ab alio ad aliquem terminum, seu ad aliquod munus, consilio, & authoritate mittentis peragendum.* Hinc colliges primò, *Missionem* importare duplicem respectum, unum missi ad mittentem, & alterum missi ad terminum, ad quem mittitur. Secundò, missum ex vi talis missionis incipere esse in termino, ad quem mittitur, aut simpliciter, ut sagitta v.g. missa à sagittario incipit esse in loco, in quo non erat: aut novo aliquo modo, ut Verbum Divinum, quod cùm ubique esset in creaturis, novo titulo, & modo incepit esse in Humanitate Christi Domini. Hoc posito.

126. Facilè intelligi potest, quid sit Missio Personæ Divinæ; *Est processio unius Personæ ab alia, à qua virtutem, seu authoritatem habet ad aliquod munus in creaturis specialiter peragendum.* Sive ut ait *P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 1. n. 6. cum D. Thom. 1. p. q. 43. art. 1. Durand. in 1. dist. 15. Cajet. Ferrar. in 4. contr. gent. cap. 23. Est processio unius Personæ ab alia cum habitudine, seu connotatione effectus temporalis.*

127. Difficultas 2. Utrùm, & quomodò Personis Divinis competat Missio? Dico 1. Missio, tam activa respectu Personæ mittentis, quàm passiva respectu Personæ missæ, convenit Personis Divinis. Est de fide, adeò ut nemo hactenùs Hæreticorum illam simpliciter negare sit ausus, licet eâ abutantur ad Divinarum Personarum inæqualitatem arguendam. Ita *Magist. in 1 dist. 15. D. Thom. 1. p. q. 43. art. 1. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 1. P. Molin. 1. p. q. 43. art. 1. P. Tanner. q. 4. d. 4. dub. 9. n. 1. P. Ruiz d. 108. de Trinit. sect. 1. n. 1. P. Amicus d. 28. n. 1. P. Præposit. 1. p. q. 43. art. 1. dub. 1. n. 2. P. Arrub. d. 147. cap. unico n. 1. P. Arriaga d. 55. n. 1.* & alii. Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ. Matth. 10. *Qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* Luc. 20. *Mittam Filium meum dilectum.* Joan. 3. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, &c.* Et cap. 4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Et cap. 6. *Ut credatis in eum, quem misit ille.* Et infrà: *Sicut misit me vivens Pater.* Et cap. 7. *Est verus, qui misit me.* Et infrà: *Ab ipso sum, qui misit me.* Idem habet *cap. 8. 10. 11. & 12.* Et ad Rom. 8. *Deus Filium suum mittens.* Et ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum,* & alibi.

128. Probatur secundò specialiter de Spiritu Sancto. Joan. 14. ibi: *Quem mittet Pater in nomine meo.* Et cap. 15 *Quem ego mittam vobis à Patre.* Et cap. 16. *Si autem abiero mittam eum ad vos.* Et ad Galat. 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui.* Et 1. Petr. 1. *Spiritu Sancto misso de cœlo.* Et Psal. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ,* & alibi; ergo &c. Probatur tertiò ratione, quia Personis Divinis convenit definitio Missionis; ergo & ipsa Missio.

129. Dico 2. Non solùm dona creata, quæ Filio, & Spiritui Sancto appropriantur, sed etiam ipsæ Personæ Filii, & Spiritûs Sancti sunt, & dicuntur missæ. Probatur primò, quia loca Scripturæ proximè citata manifestè denotant ipsammet Personam Divinam esse missam; siquidem Joan. 14. dicitur: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, &c.* munus autem advocati, consolatoris, magistri, docentis, & suggerentis non exercet accidentarium donum, & creatum, sed Persona subsistens, & increata; ergo &c.

130. Probatur secundò, quia Spiritus Sanctus, qui mittitur, est objectum Angelos beatificans, ut patet 1. Petr. 1 *Spiritu Sancto misso de cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere*; sed donum creatum non est objectum beatificans Angelos, sed solùm Personæ Divinæ; ergo non solùm dona creata, sed ipsæ Personæ mittuntur.

131. Probatur tertiò, quia non solùm dona creata, quæ appropriantur Personis Divinis, sed etiam ipsæ Personæ Divinæ dantur hominibus, ut patet ex illo ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et Isai. 9. 6. *Filius datus est nobis*; ergo non solùm dona creata, sed etiam ipsæ Personæ Divinæ mittuntur ad homines; siquidem, cùm Missio supra dationem solùm addat processionem æternâ, ut ex infrà dicendis constabit, quæcumque Persona mittitur, quando datur, si procedit à Persona dante.

132. Dico 3. Missio secundùm imperium, consilium, preces, nudam voluntatem, aut processionem localem non convenit Personis Divinis. Ita Doctores

supra citati. Probatur, quia Missio prout sic dicit imperfectionem; siquidem mitti per imperium solùm convenit inferiori respectu superioris: mitti per consilium solùm ei, qui erroris, & directionis est capax; mitti per preces solùm est ejus, qui non est in plena potestate mittentis: mitti per nudam voluntatem, solùm convenit ei, qui ex vi alienæ voluntatis, absque naturali dependentia, sive subordinatione facit aliquid: & mitti per processionem localem solùm est proprium illius, qui incipit esse, ubi priùs non fuerat, & desinit esse, ubi fuerat; quæ omnia imperfectionem dicunt in Deo non admittendam; ergo &c.

133. Dico 4. Missio sub ea ratione, sub quâ convenit creaturis, non competit Personis Divinis, nisi impropriè, & metaphoricè. Probatur, quia Missio prout sic includit omnes imperfectiones proximè enumeratas; ergo nequit prout [illegible] nisi impropriè, & metaphoricè convenire Personis Divinis.

134. Dico 5. Missio, prout illam explicabimus *n. 167.* verè, & propriè convenit Personis Divinis. Ita *Magist. in 1 dist. 14. 15. 16. & 17. D. Bonav. in 1. dist. 15. p. 1. q. 1. P. Ruiz d. 108. sect. 5. n. 12.* ubi contrarium dicit, non solùm improbabile, sed etiam temerarium. *P. Amicus d. 28. n. 12.* & alii. Probatur, quia Personæ Divinæ dicuntur missæ, ut constat ex locis Scripturę supra citatis; sed verba Scripturæ intelligenda sunt in proprio sensu, & non metaphoricè, quando ex opposito nullum sequitur inconveniens, neque eadem Scriptura, aut ratio obstat; nullum autem horum obstat quominùs Scripturæ loca in proprio sensu accipiantur, & Personæ Divinæ propriè, & verè dicantur missæ; ergo &c.

135. Probatur Minor, quia absque ulla imperfectione reperitur proprius conceptus Missionis, prout præscindit à creata, & increata in Missionibus Divinis; siquidem Filius verè, & propriè procedit à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, & uterque existit novo modo in termino, nempè Filius in humanitate per unionem hypostaticam, & Spiritus Sanctus in Justis per gratiam, & in signis per sui manifestationem; ergo &c. Confirmatur, quia licet in creatis non reperiantur conceptus generationis, Paternitatis, Filiationis, & processionis sine imperfectionibus, in Divinis tamen sine imperfectionibus reperiuntur propriè, & verè conceptus generationis, Paternitatis, Filiationis, & processionis divinæ; ergo etiam Missionis Divinæ, cùm eadem sit ratio.

136. Objicies 1. Aliqui Sancti Patres negant propriam Missionem Divinis Personis, ut negare videtur D. Greg. Nyssen. *orat. de Deitat. Filii*: ibi: *Penitùs*, inquit, *perspicuum esse arbitror, Divinam potentiam, atque Naturam, cùm ubique sit, ac per omnia pertingat, atque pervadat, & res universas complexa sit, mitti haud rectè dici.* Et D. Chrysost. *tom. 3. hom. de Spirit. Sancto: Igitur*, ait, *cùm dicit*: Mitto vobis Spiritum Sanctum: *Donum dicit Spiritûs Sancti; ut discatis, quod donum mittitur, Spiritus Sanctus autem non mittitur*; ergo &c. Respondeo hos Sanctos Patres expresè solùm negare Divinis Personis Missionem secundùm imperfectiones, secùndùm quas diximus competere creaturis, ut constare potest ex rationibus, quas ibidem subjungunt.

137. Objicies 2. Quæ in suo conceptu quidditativo dicunt imperfectionem, nequeunt propriè, sed tantùm metaphoricè Deo competere; sic enim metaphoricè, non autem propriè dicitur de Deo *Irasci, Pœnitere, Oblivisci*, & similia; sed Missio in suo quidditativo conceptu importat imperfectionem; siquidem Missio, aut est moralis, aut physica: Si primum; aut fit imperio, & authoritate mittentis; aut consilio: Si secundum, aut fit per impressionem virtutis, quâ res missa ad locum destinatum dirigitur, ut fit in sagitta; aut per distinctionem entitatis, ut cùm emittitur flos ab arbore, & splendor à Sole; sed hæc omnia dicunt imperfectionem, ut patet ex dictis *n. 132.* ergo &c. Respondeo negando minorem, si sermo sit de Missione prout abstrahit à creata, & increata, licet vera sit, si loquamur de Missione jam contracta ad creatam, de qua tantùm probant, quæ in argumento adducuntur.

Instabis: Non mittitur propriè, nisi qui aut à 138.
mittente discedit ad negotium aliquod peragendum authoritate mittentis, ut accidit in Missione morali: aut quod per propriam entitatem sitn disjungitur à suo principio, ut accidit in Missione physica; sic enim propriè non dicitur mitti palsio ab essentia; neque actus vitalis ab interno suo principio, utpotè quod ad Missionem propriè dictam requiratur localis separatio missi à mittente, qualis ibi non datur; sed hoc idem datur in Personis Divinis; ergo in illis non datur Missio propriè dicta.

Respondeo licet verum sit in Missione creata 139.
propter imperfectionem, & limitationem naturæ missi, & mittentis; id tamen non esse essentiale Missioni ut sic, & absolutè, cujus quidditas salvatur perfectè in reali egressu per originem missi à mittente cum communicatione potestatis ad novum aliquod munus peragêdum, ut infrà dicemus. Ad exempla adducta dicimus, neque passionem mitti ab essentia; neque actum vitalem à suo principio, quia ad Missionem requiritur habitudo ad terminum operandum extra mittentem, quam non habent passio, neque actus vitalis, cùm non producantur extra, sed intra suum *principium*.

Inferes: Ergo Personæ Divinæ, cùm producantur 140.
per immanentiam unius in alia, non dicentur propriè mitti. Respondeo negando illationem: licet enim Personæ Divinæ nequeant per se existere separatæ à suo principio, & extra illud: possunt tamen sic existere ratione externi effectûs, ad quem operandum à suo principio destinantur, & in ordine ad quem dicuntur propriè mitti.

Objicies 3. Angeli superiores non dicuntur mis- 141.
si ad externa ministeria, sed ad id dirigunt Angelos inferiores, quos illuminant, & quorum tantùm est mitti ob imperfectionem, quam dicit Missio ex parte missi; ergo à fortiori non dicentur propriè mitti Personæ Divinæ. Respondeo primò negando antecedens: nam Gabriël Archangelus fuit ex Superioribus Angelis, & tamen dicitur missus ad nunciandum Incarnationis mysterium Luc. 1. 26. *Missus est Angelus Gabriël à Deo, &c.*

Respondeo secundò, dato antecedente, negan- 142.
do consequentiam; diversa ratio est, quia Angeli ob limitationem suæ naturæ, nequeunt mitti ad inferiora absque aliqua ipsorum imperfectione, sicque congruentiùs est, ut hanc imperfectionem subeant Angeli inferiores, quorum curæ commissa sunt inferiora ministeria: at verò Personæ Divinæ absque ulla ipsarum imperfectione mitti possunt ad quæcumque opera externa peragenda, ut ex dicendis constabit.

Objicies 4. *Mitti* est missum aliter se habere 143.
in uno loco, quàm antea se habebat in alio; siquidem ratio, ob quam una Persona dicitur mitti

potiùs

potiùs ad unum ; quàm ad alium locum , est, quia aliter se habet in uno, quàm in alio loco ; sed Personæ Divinæ non possunt aliter se habere in aliquo loco , quàm antea, cùm sint ubique præsentes per Immensitatem ; ergo non dicentur propriè mitti. Respondeo majorem esse veram de misso creato, non autem increato , qui aliter existere, aut apparere potest , non per novam existentiam, aut mutationem sui , sed rei , in qua novo modo existere, & apparere dicitur, ut ex infrà dicendis constabit.

144. Objicies 5. Sequeretur,multa alia admittenda esse propriè de Divinis Personis , quæ tamen de illis solùm metaphoricè affirmat Scriptura , ut Joan. 16. *Exire à Patre : venire in mundum : Relinquere mundum : Redire,& reverti ad Patrem* : quæ, cùm dicant imperfectionē mutationis localis, non possunt de Deo, nisi metaphoricè dici ; ergo &c. Respondeo omnia admittenda esse in Deo in proprio sensu , quæ de Deo tradit Scriptura , dummodò non repugnet authoritas Sanctorum Patrum, & Scholasticorum , aut aliqua ratio Theologorum non adversetur. An verò , quæ in argumento adducuntur, sint propriè , aut metaphoricè accipienda ? Ex infrà dicendis constabit.

SECTIO VII.

In quonam consistat Missio in Divinis ?

145. ADvertes primò , (cùm modus indagandi Divina sint perfectiones creatæ relectis earum imperfectionibus ,) in quavis Missione creatâ depuratâ ab imperfectionibus , quas ut creata includit , tria remanere, quæ naturam Missionis ut sic quidditativè integrant,nempè qui mittit,qui mittitur,& terminus, ad quem mittitur; quæ tria requiruntur,& sufficiūt ad essentiam Missionis ut sic. Patet,quia Missio est essentialiter operatio duorum , nempè mandantis, & exequentis ; siquidem nemo se ipsum propriè mittit; & operatio dicit habitudinem ad terminum operabilem ; ergo sufficienter his tribus terminis, mittente scilicet, misso, & termino ad quem mittitur, intelligitur integra Missionis quidditas.

146. Advertes secundò,(cùm duplex sit Missio,physica scilicet, & moralis , ut infrà dicemus ,) duplicem etiam posse esse habitudinem mittentis ad missum, & missi ad mittentem, alteram physicam, si Missio sit physica , & alteram moralem , si moralis sit Missio. Illa, nempè physica, est per realem communicationem virtutis ad terminum,ad quem mittitur , physicè operandum : sic Sol per realem productionem mittit lumen ad aërem illuminandum : hæc , nempè moralis , est per solam moralem communicationem virtutis, aut dirigentis, si consilio, aut mandantis, si imperio , & auctoritate mittat.

147. Advertes tertiò , posse esse tertiam Missionem utriusque Missionis perfectionem participantem, & physicæ per realem communicationem virtutis executivæ , & moralis per moralem communicationem potestatis exequendi terminum juxta consilium,& imperium mittentis. Huic persimilis est Missio Personæ Divinæ , quæ utriusque Missionis physicæ, & moralis perfectionem eminentissimè participat , quatenùs Persona missa per originem simul cum Natura mittentis accipit virtutem , & potentiam operandi terminum, ad quem mittitur : nec non sapientiam , & voluntatem exequendi ipsum terminum juxtà voluntatem mittentis, sicque perfectissimè participat naturam utriusque Missionis physicæ , & moralis. His positis.

148. Difficultas sit : In quo præcipuè consistit ratio Missionis Divinæ? Triplex est Doctorū sententia : Prima docet Missionem in Divinis cōsistere in sola operatione temporali , per quam processio Personæ missæ in aliquo effectu creato manifestatur , cum respectu ad principium productivum , non Personæ missæ , sed operationis , quâ Persona missa manifestatur in creaturis. Ita *Magist. in 1. dist. 15. D. Thom. in 1. dist. 15. q. 3. art. 1. D. Bonav. in 1. dist. 15. p. 1. q. 2. & 4. Scot. dist. 14. q. unica. §. Licet autem. Gabr. q. 1. Marsil. in 1. q. 18. art. 1. 2. 3. & 4.* & alii.

149. Secunda sententia asserit ex opposito in sola processione æterna Personæ missæ consistere formaliter qnidditatem Missionis Divinæ. Huic favent *D. Cyril, lib. 12. Thesaur. cap. 15. D. Hilar. lib. 5. de Trinit. D. Greg. Magn. hom. 26. in Evangel.* & alii. Tertia sententia affirmat ad quidditatem Missionis Divinæ requiri , & processionem æternam Personæ missæ à mittente , & temporalem operationem , qua Persona missa peculiari modo manifestatur in creaturis. Ita *D. Thom. 1. p. q. 43. art. 1. Durand. in 1. dist. 15. q. 3. P. Valent. 1. p. q. 17. punct. 1. P. Molin. 1. p. q. 43. art. 2. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 1. num. 6. P. Vasq. 1. p. d. 170. cap. 2. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 9. n. 4. P. Amicus d. 28. n. 34. P. Ruiz d. 108. sect. 3. & 4. P. Arriaga 1. p. d. 55. sect. 2. n. 5. P. Arrub. d. 147. cap. unico,* & alii.

150. Dico 1. Quidditas Missionis Divinæ non consistit in sola processione,sive operatione tēporali manifestativa æternæ processionis Personæ missæ prout dicebat prima sententia : Probatur primò, quia Missio propriè dicta importat distinctionem realem missi à mittente, cum communicatione virtutis, & potestatis exequendi munus,ad quod à mittente destinatur ; siquidem Missio eò est minùs propria , quò magis recedit à distinctione reali missi à mittente ; ideoque impropriè quis à se ipso dicitur missus ; sed hæc non salvantur in Missione Divina per solam operationem temporalem *ad extra* ; siquidem per hanc , nec Persona missa distinguitur à principio mittente , nec ab eo accipit virtutem , & potestatem exequendi munus , ad quod destinatur ; cùm hoc sit tota Trinitas , actiones enim *ad extra* sunt indivisæ ; Persona autem missa non distinguitur prout sic à Trinitate,utpotè in qua includitur, sicque à se ipsa mitteretur, & acciperet virtutem exequendi ; ergo &c.

151. Probatur secundò , quia si quidditas Missionis Divinæ salvaretur in sola processione , sive operatione temporali *ad extra*,cùm etiam prout sic procedat , & operetur Pater , sequeretur , etiam Patrem posse propriè mitti , & dici missum ; sed hoc expresè negat D. Aug. *lib. 2. de Trinit. cap. 5.* ibi : *Pater solus*, ait , *nusquam legitur missus.* Cujus rationem assignat *lib. 4. cap. 20. Non enim*, inquit , *habet de quo missus sit, aut ex quo procedat* ; ergo &c.

152. Dicent , ideò Patrem non posse propriè mitti , quia à nullo procedit ; sit autem de quidditate missi , quod ab aliquo procedat, licet opus non sit, quod procedat ab eo,à quo mittitur; siquidem Filius non procedit ab Spiritu Sancto ; & tamen ab eo dicitur missus. Isai. 48. *Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus* : idemque habet *cap. 61.* quæ loca de Christo Domino, etiam ut Deo misso

ab Spiritu Sancto intelligunt *D. Athan. lib. 3. Assumpt. homin. & D. Ambr. de fide cap. 4.*

153. Sed contra, quia missus in Divinis eatenùs quidditativè postulat esse ab alio, quatenùs quidditativè postulat per realem originem accipere à mittente virtutem, & potestatem ad exequendum opus, ad quod destinatur; præcisâ autem hac ratione, non apparet necessitas, cur missus debeat esse ab alio; ergo poterit Pater, licet prout sic non sit ab alio, non secùs ac Filius, & Spiritus Sanctus, à tota Trinitate mitti.

154. Neque obstant testimonia Isaiæ adducta; siquidem à plerisque explicantur de Christo Domino ut homine, qui non solùm à Patre, sed etiam ab Spiritu Sancto, & à se ipso ut Deo, atque adeò à tota Trinitate missus est. Undè citati Patres, qui ea videntur intelligere de Christo Domino ut Deo, explicandi sunt de Missione latè sumptâ, & non de rigorosâ, de qua hîc est sermo.

155. Oppones 1. Nihil aliud est formaliter Personam Divinam mitti, quàm peculiari modo in creaturis existere, quo antea non existebat; sed hoc formaliter importat solam operationem, quâ Persona missa manifestatur in creaturis cum respectu ad principium effectivum talis operationis, ut patet ex D. Aug. *lib. 2. de Trinit. cap. 5. Si ergo*, inquit, *missus dicitur (nempè Filius) in quantùm apparuit foris in creatura corporali, &c.* ergo Missio Personę Divinæ formaliter consistit in sola operatione temporali cum respectu ad principium effectivum illius.

156. Respondeo negando minorem; neque enim Personam Divinam mitti, est utcunque illam novo modo existere in creaturis, sed per virtutem, & potestatem acceptam à mittente; ad hoc autem, ut diximus, requiritur distinctio personalis inter mittentem, & missum, quæ tamen non datur inter totam Trinitatem, quæ indivisibiliter operatur *ad extra*, & Personam missam, quæ in ipsa Trinitate includitur. Ad authoritatem D. Aug. dicimus, illum requirere quidem ad Missionem Personæ Divinæ productionem temporalem; non tamen negare, necessariam esse processionem æternam Personæ missæ à mittente, ut ex dicendis constabit.

157. Oppones 2. Quando compositum de aliquo prædicatur secundùm fieri, diverso modo se habet respectu facientis, ac facti: nam respectu facti debet utrumq; prędicari secũdùm esse, non tamen secundùm fieri, ut si dicas: *Petrus factus est homo albus*: oportet ut sit & homo, & albus: non tamen necessè est, ut fiat homo, sed sufficit, ut fiat tantùm albus: respectu autem facientis non est necessè ut faciat utrumque, sed alterum tantùm, ut dicens: *Pictor facit parietem album*: sufficit si tantùm faciat album, licet non faciat parietem; sed ex parte mittentis nihil aliud importat *mittere*, quàm facere missum existentem novo modo in alio; ergo cuicunque convenit facere alium novo modo existentem in aliquo, convenit mittere, licet non sit principium ipsius secundùm esse; sed hoc convenit toti Trinitati; ergo tota Trinitas dicitur mittere; consequenterque Missio Divina non includit processionem æternam, sed solam operationem temporalem.

158. Respondeo negando, Missionem nihil aliud importare ex parte mittentis, quàm missum facere existentem in alio, in quo antea non erat; addit enim præterea facere illum existentem in alio, in quo antea non erat, authoritativè per activam communicationem virtutis, & potestatis operandi terminum Missionis; hoc autem necessariò importat realem distinctionem inter mittentem, & missum.

Oppones 3. D. Chrysost. *tom. 3. hom. 3. de Spirit. Sanct. Ut discatis*, inquit, *quod donum mittitur; Spiritus autem non mittitur, Salvator dicit Apostolis: Manete in Hierusalem, donec induamini virtute ex alto, & sumetis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos.* Et D. Basil. *lib. 5. contr. Eunom. sect. 2.* ad illa verba Psal. 103. *Emitte Spiritum tuum, &c. Missionem*, ait, *vocat exitum ad opus, non de loco in locum migrationem.* Et D. Athan. *orat. 5. contr. Arian. Ex verbi missione per* JESUM, inquit, *conjunctionem illam intelligi convenit, quia Verbum cum* JESU *Mariæ Filio in unam Personam coaluit.* Et D. Aug. *lib. 2. de Trinit. cap. 5. Pater invisibilis unà cum Filio secum invisibili, eundem Filium visibilem faciendo, misisse eum dictus est.* Idem habent *D. Greg. Nyssen. orat. de Deitat. Filii. D. Ambr lib. 5. de fide ad gratian. cap. 3.* qui omnes videntur sentire, Missionem Personæ Divinæ solùm operationem temporalem illius manifestativam importare, non autem processionem æternam. Respondeo hos Sanctos Patres solùm velle, Filium, & Spiritum Sanctum per divinitatem præcisam à quolibet dono creato nec mitti, nec dari posse; non tamen negare ad rationem Missionis requiri etiam processionem æternam, ut ex dicendis constabit. 159.

Dico 2. Quidditas adæquata Missionis Divinæ non consistit in sola processione æterna Personæ missæ, ut asserebat secunda sententia. Probatur primò ex illo ad Galat. 4. *Ubi*, inquit, *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*; atqui si Missio in sola processione æterna consisteret, non in tempore, sed ab æterno fuisset; ergo &c. Confirmatur ex D. Aug. *lib. 2. de Trinit. cap. 5.* ubi ad citata verba: *Cùm itaque ait, misit Deus Filium suum factum ex muliere, satis ostendit, eo ipso missum Filium, quo factus est ex muliere. Quod ergo de Deo natus est, in hoc mundo erat. Quod autem de Maria natus est, in hunc mundum missus advenit.* Et *lib. 4. de Trinit. cap. 20. Non ergo*, inquit, *eo ipso, quod de Patre natus est, missus dicitur Filius: sed vel eo quòd apparuit hùic mundo Verbum caro factum: vel eoquod ex tempore cujusq; mente percipitur*; ergo &c. 160.

Probatur secundò ratione, quia nemo dicitur propriè mittere ea, quæ intra se ipsum operatur; siquidem *mittere* est aliquid extra se exequendum mandare; sed Persona mittens per æternam processionem, cùm sit actus immanens in Deo producente, nihil extra se operatur; ergo in sola processione æterna non salvatur quidditas adæquata Missionis. Confirmatur, quia mittere finaliter est ad manifestandam virtutem, & potestatem mittentis; sed sola processio æterna non est manifestativa virtutis, & potestatis mittentis; ergo &c. 161.

Dicent, Personam mittentem per æternam processionem operari aliquid extra se, quatenùs producit Personam missam extra principium realiter distinctum. Sed contra, quia non producitur extra principium totaliter; hoc autem requiritur ad Missionem propriè dictam. Patet, quia etiam actus vitalis creatus producitur realiter distinctus à suo principio vitali creato; & tamen non dicitur propriè missus, neque principium vitale dicitur illum propriè mittere, quia non producitur extra illud totaliter, sicut producitur lumen à Sole in externum subjectum; ergo &c. 162.

Objicies 1. D. Greg. Magn. *hom. 26. in Evang.* de Missione Filii sic loquitur; *Eo ipso à Patre Filius* 163.

mitti

mitti dicitur, quò à Patre generatur. Et de Spiritu Sancto: *Sed ejus Missio*, inquit, *ipsa processio est, quâ de Patre procedit, & Filio*; ergo ex mente Sancti Doctoris Missio Divina in sola processione æterna consistit. Respondeo primò D. Greg. locutum fuisse de Missione divina inadæquatè sumptâ; non autem adæquatâ, quæ etiam importat processionem, sive operationem temporalem; qui enim unum affirmat, alterum non negat.

164. Respondeo secundò D. Greg. eo loco accepisse Missionem pro emissione, inter quam, & Missionem hoc interest discrimen, ut ait *P. Amicus cit. n. 57.* quod emissio solùm denotat originem termini emissi ab emittente, est enim *emittere* extra mittere; undè quod aliquo modo producitur, licet intra principium productivum contineatur, emitti dicitur, quia ex vi productionis fit extra principium: at verò Missio importat communicationem authoritatis ad munus aliquod exercendum extra mittentem; sicque præter originem missi dicit etiam operationem temporalem *ad extra.*

165. Objicies 2. Missio, præsertim physica, est realis egressio termini à mittente, vi cujus accipit aliquod esse, quod antea non habebat, ut patet, tùm ex definitione Missionis: tùm exemplis; sic enim flos ab arbore, & lux à Sole dicuntur mitti per solam productionem floris ab arbore, & lucis à Sole; sed processio æterna Filii, & Spiritûs Sancti ita se habet; siquidem tam Filius per generationem, quàm Spiritus Sanctus per Spirationem accipiunt esse personale, quod non habebant ante generationem, & spirationem; ergo per solam processionem æternam dicuntur mitti.

166. Respondeo ad Missionem propriè dictam non satis esse, etiam si sit physica, ut terminus vi originis accipiat simpliciter esse: Primò, quia passio, & actus vitalis in creatis vi productionis accipiunt esse; & tamen non dicuntur mitti à suis principiis, ut supra diximus. Secundò, quia ad propriam Missionem requiritur, ut quod mittitur, fiat aliquo modo extra principium mittens, aut loco, & situ, ut in Missione creata; aut saltem operatione appropriatâ termino, ut in Missione increatâ. Tertiò, quia Missio propriè dicta supponit esse illius, quod mittitur, & superaddit novum respectum ad terminum, ad quem mittitur. Undè in hoc sensu neque lux à Sole, neque flos ab arbore propriè mittitur.

167. Dico 3. Adæquata essentia Missionis divinæ dicit utramque processionem, & æternam missi à mittente, & temporalem ejusdem processionis æternæ manifestativam, ut affirmabat tertia sententia. Probatur primò authoritate Scripturæ. Joan. 8. *Ego*, inquit, *ex Deo processi, & veni.* Et cap. 16. *Exivi à Patre, & veni in mundum.* Ubi per priora verba significatur processio æterna; per posteriora autem temporalis operatio; ergo utramque includit Missio Divina. Confirmatur ex D. Aug. *lib. 2. de Trinit. cap. 5.* ad citata verba: *A Patre exire*, inquit, *& venire in hunc mundum, hoc est mitti.*

168. Probatur secundò authoritate Sanctorum Patrum D. Hilar. *lib. 6. de Trinit. Non utique dici potest*, inquit, *id ipsum ex Deo exire, quod & venisse, nam utrumque significat; quoniam à Deo exivi, & veni.* Et infrà. *Natum ex Deo Filium, missumque confitetur. Nativitas itaque ejus, & adventus ostenditur, cum absolutissima significandæ proprietatis veritate.* Idem habent *D. Cyrill. 11. in Joan. cap. 9. D. Damascen. lib. 4. fidei cap. 19. D. August. lib. 4. de Trinit. cap. 20. & 21. D. Ansel. Epist. de process. Spirit. Sanct. & alii apud P. Ruiz. cit. sect. 3. & 4.*

Probatur 3. ratione, quia Missio, cùm sit quidam progressus missi à mittente ad novum aliquem effectum virtute mittentis operandum, dicit respectum ad mittentem, & ad terminum, ad quem mittitur, quorum primus consistit in processione æterna; secundus verò in tendentia ad ipsum terminum, quæ est ipsa operatio temporalis effectûs; ergo utrumque respectum essentialiter includit. Confirmatur, quia Sancti Patres quandoque explicant Missionem per processionem æternam, quandoque per accessum ad effectum temporalem, ut patet ex D. Aug. *in Joan. tract. 102. Exiit à Patre*, inquit, *quia de Patre est, & in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit*; ergo utrumque comprehendit, & in utroque essentialiter consistit. 169.

Argues 1. Arbor dicitur mittere flores, aut fructus, solùm quia illos producit; ergo etiã tam Filius, quàm Spiritus Sanctus dicentur mitti à suo principio productivo per solam processionem æternam. Respondeo 1. negando antecedens, flores enim, & fructus non dicuntur propriè mitti ab arbore, prout supra diximus *num. 166.* Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia ille modus mittendi in arbore est alterius rationis, quatenùs scilicet effectus à potentia mittitur ad actum, qui modus competere non potest Personæ Divinæ, quæ nunquam concipitur in potentia, sed semper in actu: cùm autem Missio de qua loquimur adæquatè sumpta supponat Personam mittendam ut præexistentem ad terminum, intelligi non potest sine tendentia temporali superadditâ illius processioni æternæ; sicque in utraque consistit. 170.

Argues 2. Mittens debet communicare misso voluntatem eundi ad terminum, ad quem mittitur; sed voluntas libera veniendi ad terminum, sive effectum temporalem non communicatur Personæ productæ à Persona producente; siquidem immediatè resultat in tota Trinitate; ergo &c. Respondeo illam voluntatem communicari Personæ productæ, saltem radicaliter, sic enim ut liberã censetur convenire Patri à se, Filio autem à Patre, & Spiritui Sancto à Patre, & Filio. 171.

Argues 3. Si Missio in Divinis consisteret in processione æterna, cùm Filius ab æterno potuerit assumere naturam humanam, sequeretur Missionem Divinam adæquatè sumptam posse esse ab æterno; sed hoc non est dicendum; siquidem Missiones Divinæ sunt temporales, ut infrà dicemus; ergo &c. Respondeo concedendo sequelam: neque enim ex illa sequitur aliquod inconveniens, foret tamen talis Missio diversæ rationis ab his, quæ de facto dantur, cùm hæ sint temporales, illa autem æterna, licet nunquam in sola processione necessaria, sed etiam in libera tendentia ad effectum creatum consisteret, ex quo nihil contra nos. 172.

Argues 4. Missio hîc non est idem, quod productio, neque missus est idem, quod productus; imò Missio sumitur pro legatione, & missus pro legato, ut de Filio dicitur Abdiæ 1. ibi: *Auditum audivimus à Domino, & legatum ad gentes misit*; ergo Missio, prout hîc accipitur, non importat habitudinem originis. Respondeo negando antecedens: Missio enim divina, prout sumitur in præsenti, complectitur eminentissimâ perfectione, non solùm legationem, quæ est Missio moralis, sed etiam substantialem productionem, quæ 173.

est Missio physica, per quam cum Essentiâ communicatur Personæ productæ consilium, potestas, authoritas, voluntas, & determinatio ad operandum, in quibus consistit, Filium esse missum, & legatum Patris: aut Spiritum Sanctum missum, & legatum Patris, & Filii; hæc autem Missio, & legatio non posset eis convenire, nisi per processionem substantialem. Ad supra citatum locum dicimus cum D. Hieron. ibid. intelligendum esse de Christo Domino, quem Deus legatum ad gentes misit.

174. Argues 5. Missio non importat processionem ab aliquo, sed solum acceptionem potestatis, authoritatis, & dominii; sic enim in humanis dicitur missus, & legatus, qui potestatem, & authoritatem accipit à mittente, & legante ad munus aliquod exercendum; atqui in Divinis Filius, & Spiritus Sanctus accipiunt potestatem, & authoritatem, ille quidem nascendo, iste autem procedendo; ergo licet ibi sit habitudo originis, non secundùm eam, sed secundùm acceptionem potestatis, & authoritatis ad operandum, dicetur Persona mitti, & legari.

175. Respondeo negando majorem de Missione divina, quæ licet sit unica, continet eminenter substantialem processionem, & in illa communicationem consilii, potestatis, authoritatis, & dominii; ideoque Persona dicitur mitti, & legari, non solùm moraliter quatenùs accipit potestatem, & authoritatem exercendi opus, ad quod mittitur, sed etiam physicè, quatenùs ea accipit cum Essentiâ per originem, & processionem æternam.

176. Argues 6. Persona, quæ mittitur, non incipit esse novo modo in creatura ex vi suę processionis, sed ratione effectûs, quem tota Trinitas operatur; sed ad rationem Missionis sufficit illud, cujus ratione Persona missa incipit novo modo esse in creatura; ergo processio secundùm originem non est de ratione Missionis. Respondeo negando minorem: Missio enim propriè dicta requirit exire ab aliquo principio tribuente substantiam, & cum illa potestatem, authoritatem, voluntatem, & determinationem ad operandum talem effectum, ratione cujus Persona missa incipiat esse novo modo in creatura per effectum sibi appropriatum.

177. Argues 7. Legatus dicitur à Rege missus ad aliquem effectum, licet nihil illius operetur, & exequatur; ergo etiam Persona Divina, licet nihil operaretur extra Deum, poterit appellari missa; sicque operatio *ad extra* non est de ratione Missionis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia homo, licet nihil exequatur illius negotii, ad quod mittitur, adhuc tamen de novo accipit potestatem, & mandata, moveturque localiter ad locum, ad quem mittitur, sicque potest appellari missus: at verò Persona Divina nullum horum accipit de novo, neque ulla alia ratione procedit extra Deum ad creaturas, nisi quatenùs in illis operatur novum aliquem effectum, ratione cujus sit, ubi antea non erat, aliter non potest dici missa.

178. Argues 8. Peccator potest de potentia absoluta justificari sine infusione gratiæ, aut alicujus doni inhærentis, per solam extrinsecam condonationem peccatorum, & extrinsecam acceptationem ad gratiam, & gloriam; sed tunc Spiritus Sanctus de novo habitaret in illa anima, & ad illam mitteretur, quin tamen de novo aliquem effectum causaret in illa; ergo quidditas Missionis non requirit productionem novi effectûs; quidditas enim rei non potest mutari, neque de potętia absoluta. Respondeo in eo eventu non fore Missionem simpliciter, & propriè dictam; sed posse appellari Missionem impropriè, & secundùm quid. De hoc tamen alibi.

Argues 9. Non est de ratione Missionis, quod 179.
missus novo modo incipiat existere in termino, ad quem mittitur; sufficit enim, si priùs ibi existens, accipiat de novo authoritatem, vel acceptam incipiat de novo exercere: sic enim existenti Londini potest Rex Lusitaniæ committere authoritatem de novo, aut illius exercitum ad aliquam causam, qui diceretur ejus legatus, non quia Londinum de novo veniret, sed quia ibi de novo accepit ejus authoritatem, aut ejus exercitium; ergo similiter Persona Divina dicetur missa, licet de novo non incipiat esse in termino, dummodò de novo acceptâ authoritate utatur. Respondeo argumentum involvere contradictionem; dicit enim Londini existentem posse dici Legatum, & missum per authoritatem ibi de novo acceptam, aut per novum illius exercitium, quin dicatur ibi de novo existere; cùm tamen quicumque de novo potestatem accipit, aut exercet priùs acceptam, eo ipso ibi incipiat existere moraliter præsens, ubi priùs non erat illo, sed alio modo.

SECTIO VIII.

Quid Missio principaliter dicat: & an dicenda sit temporalis?

CUm ex dictis constet, duplici quasi 180.
parte constitui Missionem, nempè processione æterna, & temporali operatione transeunte ad creaturas, restat nunc examinandum, quid nam dicat *principaliùs*, sive de formali; quid autem minùs principaliter, sive de materiali: & an dicenda sit æterna ratione processionis æternæ: vel potiùs temporalis ratione operationis temporalis ad creaturas. Pro quo sit:

Difficultas 1. Quid dicat principaliter Missio 181.
in Divinis? Prima sententia videtur affirmare, Missionem in Divinis dicere æquè primò, & processionem æternam, & operationem temporalem illius manifestativam, quatenùs constituens Missionem in utroque respectu, nullum alteri præfert, neque mentionem facit materialitatis, aut obliqui. Ita *S. Thom. 1. p. q. 43. art. 1. & 2. & 4. contr. gent. cap. 23. ad 3. Ferrar. ibid. D. Bonav. in 1. dist. 15. p. 1. art. 1. q. 1. & 2. Carthus. in 1. dist. 15. Cajet. 1. p. q. 43. art. 1. & 2. P. Molin. ibid. P. Valent. 1. p. q. 17. punct. 1. & alii apud P. Ruiz infra cit.*

Secunda sententia asserit, Missionem in recto, 182.
& principaliter dicere processionem æternam, in obliquo autem, & minùs principaliter temporalem respectum ad effectum creatum. Ita *Alexand. 1. p. q. 71. memb. 2. 3. & 4. & q. 72. per totam. Albert. 1. p. q. 32. memb. 2. art. 1. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 1. n. 6. P. Vasq. 1. p. d. 170. cap. 2. n. 6.* apud eundem *P. Ruiz* citandum.

Tertia sententia docet, Missionem dicere prin- 183.
cipaliter, & de formali processionem temporalem, æternam verò minùs principaliter, & de materiali. Ita *Richard. in 1. dist. 15. art. 1. q. 1. Scot. ibid. §. Videtur. & §. Licet autem. Argent. q. unica ad 2. Durand. in 1. dist. 15. q. 2. n. 7. Marsil. in 1. q. 18. art. 1. Gabr. in 1. dist. 15. q. unica. Capreol. ibid. q. 1. art. 1.*

n. 1. quos citat, & sequitur *R. Ruiz d. 108. sect. 6. n. 6. 7. & 8. P. Amicus d. 28. n. 39. P. Arriaga d. 55. sect. 3. n. 6.* Est probabilior. Probatur, quia quoties duo ita componunt unum tertium, ut alterum se habeat per modum determinabilis, & alterum per modum determinativi, semper illud se habet, ut quid materiale, & præsuppositum; hoc autem, ut quid formale, & completivum, ut patet in composito physico, & metaphysico, in quibus determinabile se habet ut materia, determinativum autem ut forma; sed ita se habet processio æterna in ordine ad Missionem; siquidem cùm sit indifferens ut contrahatur, vel non contrahatur ad naturã Misionis per operationem temporalem sui manifestativam, illa est determinabilis, hæc autem est illius determinativa; ergo illa se habet ut quid materiale, hæc verò ut quid formale ad naturam, sive rationem Misionis Divinæ componendam.

184. Confirmatur primò, quia posset esse processio æterna, quin daretur Misio, non tamen datur Misio sine processione temporali; ergo Misio principaliter, & de formali dicit processionem temporalem; æternam verò minùs principaliter, & de materiali. Secundò, quia inter formalitates creatas, quæ respiciunt terminum *à quo*, ut ab eo tendant ad terminum *ad quem*, magis formalis est respectus ad terminum *ad quem*, quàm respectus ad terminum *à quo*, qui censetur esse quasi materialis; ergo idem dicendum de respectu Misionis Divinæ per ordinem ad terminum *ad quem* comparatione respectu ejusdem Misionis per ordinem ad terminum *à quo*. Tertiò ex D. August. *lib. 4. de Trinit. cap. 20. Non ergo*, inquit, *eo ipso, quod de Patre natus est, missus dicitur Filius: sed vel eoquod apparuit huic mundo Verbum caro factum, &c.* ex quibus verbis satis colligitur, Misionem Filii principaliter, & de formali dicere processionem temporalem; æternam verò minùs principaliter, & de materiali.

185. Difficultas 2 Utrùm Misio Personæ Divinæ dicenda sit simpliciter temporalis, non autem æterna? Affirmativè. Ita *P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 1. num. 8. P. Ruiz d. 108. de Trinit. sect. 7. n. 1. P. Amicus d. 28. n. 40.* & alii supra citati *num. 182. & 183.* Probatur primò ex illo ad Galat. 4. ibi: *Cùm venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*; ex quo patet, Misionem dici temporalem. Confirmatur, quia Misio Filii promissa est Patriarchis ut futura Malach. 3. *Ecce veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis*: Et etiam ut futura promissa est Missio Spiritûs Sancti Joan. 14. *Quem mittet Pater in nomine meo.* Et cap. 15. *Quem ego mittam vobis à Patre*; sed quod est æternum non promittitur in futurum; ergo Misio non est
186. dicenda simpliciter æterna.

Probatur secundò ex D. August. *lib. 4. de Trinit. cap. 20.* ibi: *Quod ergo natum est ab æterno, æternum est; candor est enim lucis æternæ. Quod autem mittitur in tempore, à quoquam cognoscitur. Sed cùm in carne manifestatus est Filius Dei, in hunc mundum missus est in plenitudine temporis.* Ubi Misionem Filii dicit factam in tempore; ergo dicenda est simpliciter temporalis.

187. Probatur tertiò ratione, quia Misio Personæ Divinæ constat ex processione æterna, & temporali, ut supra diximus; sed quod constat ex æterno, & temporali, simpliciter est temporale; ergo Misio Divina dicenda est simpliciter temporalis. Confirmatur primò, quia constitutum ex anima spirituali, & materia corporali, est simpliciter corporale, & materiale; ergo &c. Secundò, quia Petrus hodie natus constat ex materiâ antiquâ, & formâ recente; & tamen non dicitur antiquus, sed recens homo; ergo &c. Tertiò, quia denominatio fit ab ignobiliori parte compositi; sed Misio composita est ex processione æterna nobiliori, & processione temporali ignobiliori; ergo ex hac dicenda est simpliciter temporalis. Ob easdem rationes dicenda est Misio Personæ simpliciter creata, non verò increata.

Dices: Christus Dominus constat supposito 188.
æterno, & increato, simulque humanitate creata, & temporali; & tamen dicitur simpliciter æternus, & increatus, non verò creatus, & temporalis; ergo &c. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Christus Dominus secundùm quod dicitur temporalis, aut æternus, supponit pro Supposito Divino dicto in recto, quod simpliciter est æternum: at verò Misio supponit pro libera tendentia ad effectum creatum, quæ est temporalis, ideoque temporalis dicenda est. 189.

Difficultas 3. Utrùm Misio Personæ Divinæ sit formalitas essentialis; an Notionalis? Prima sententia docet, mittere esse quid essentiale; siquidem fit ab omnibus Personis: mitti autem esse quid Notionale, & proprium Personæ missæ; siquidem connotat illius processionem. Ita *Scot. in in 1. dist. 14 q. unica. §. Licet autem. Gabr. q. unica. Marsil. in 1. q. 18. art. 1.* Secunda sententia tenet, Misionem Divinam utrumque importare, essentiale scilicet, & Notionale, illud autem principaliùs. Ita *Durand. in 1. dist. 15. q. 2. Argent. art. 2. P. Ruiz d. 108. de Trinit. sect. 6. n. 13.* Tertia sententia asserit, Misionem passivam semper esse quid Notionale: activam verò aliquando esse quid Notionale, quando scilicet est Misio Personæ authoritativa: aliquando verò quid essentiale, quando scilicet est Misio per solam determinationem ad usum authoritatis acceptæ, quæ fit à tota Trinitate. Ita *Aureol. in 1. dist. 15. art 1.*

Quarta sententia, quam sequimur, affirmat, Mis- 190.
sionem, tam activam, quàm passivam esse operationem Notionalem. Ita *D. Thom. in 1. dist. 15. q. 2. Albert. 1. p. q. 32. memb. 2. art. 1. Alens. 1. p. q. 71. memb. 3. Carthus. dist. 15. q. 2. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 1. n. 7. P. Vasq. 1. p. d. 170. cap. 3. num. 12. P. Zuniga d. ult. dub. 2. P. Amicus d. 28. num. 44.* & alii. Probatur, quia Misio est processio missi à mittente, ad effectum aliquem temporalem peculiari modo exercendum à Persona missa; sed hoc tam ex parte Personæ missæ, quàm mittentis est quid Notionale; ergo &c.

Probatur Minor quoad primam partem, quia 191.
hoc ex parte Personæ missæ est origo passiva, quâ à mittente procedit, cum habitudine ad effectum creatum à se peculiari modo terminandum; sed hoc totum est Notionale, & proprium Personæ missæ; siquidem effectus creatus, licet effectivè sit à tota Trinitate indivisibiliter; terminativè tamen, aut repræsentativè potest esse proprius unius tantùm Personæ; ergo &c. Confirmatur, quia Humanitas Christi Domini, licet effectivè sit indivisibiliter à tota Trinitate; terminativè tamen, seu hypostaticè est solius Filii: Similiter Columba, quæ apparuit in Jordane; & Ignis, qui apparuit in die Pentecostes, licet effectivè fuerint à tota Trinitate; repræsentativè tamen fuerunt solius Spiritûs Sancti; ergo etiam effectus temporalis, ad quem mittitur Persona, poterit esse effectivè à tota Trinitate, terminativè tamen, aut repræsentativè solius Personæ missæ.

Proba-

192. Probatur Minor quoad secundam partem, quia sicut Persona missa denominatur passivè missa per originem passivam, cum habitudine ad effectum creatum peculiari modo à se terminandum; ita Persona mittens denominatur activè mittens per originem activã, cum habitudine ad eundem effectum, peculiari modo operãdum à Persona missâ per virtutem acceptam à Persona mittente; ergo sicut Missio passiva est Notionalis, & propria Personæ missæ; ita etiam talis erit Missio activa Personæ mittentis. Confirmatur, quia operatio temporalis in Missione Divina est signum sensibile, & manifestativum processionis æternæ; sed hæc est perfectio Notionalis; ergo etiam Notionalis erit operatio temporalis ei correspondens.

193. Dices: Omnis operatio circa creaturam tribuitur toti Trinitati; siquidem actiones *ad extra* sunt indivisæ; ergo non potest esse specialis, sive notionalis Missio alicujus Personæ. Respondeo negando consequentiam; licet enim omnis effectus *ad extra* procedat indivisibiliter à tota Trinitate; modus tamen essendi in illo potest esse specialis, & Notionalis alicujus Personæ, ut patet in exemplis supra adductis de Humanitate Christi Domini, Columba, & Igne. Addo, quod, ut sit Missio respectu unius Personæ, satis est, quod talis Persona virtutem accipiat ab alia; siquidem hæc communicatio virtutis præsupponitur, ut Persona dicatur mitti ab alia ad illam operationem; & Persona ipsam virtutem communicans Personę missæ, dicatur illam mittere.

194. Difficultas 4. Utrùm in Personis Divinis idem sit *Mittere* atque *Dare*; & idem sit *Mitti*, atque *Dari?* Negativè. Ita *Albert. 1. p. q. 32. memb. 2. D. Thom. in 1. dist. 15. q. 1. a. 1. Capreol. ibid. quæst. 1. art 1. Conclus. 3. Scot. ibid. q. unica. Durand. ibid. q. 1. num. 6. Richard. in 1. dist. 14. art. 1. q. 3. Aureol. P. Molin. 1. p. q. 43. art. 3.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 108. de Trinit. sect. 7. num. 10.* Probatur primò, quia *Missio*, ut patet ex supra dictis, non est totaliter, & ex omni parte temporalis, creata, & contingens; sed talis est *Datio*; siquidem nihil includit æternum, increatum, & necessarium; ergo *Missio*, & *Datio* non coincidunt.

195. Probatur secundò, quia *Missio* requirit authoritatem principii producentis in Persona mittente, & processionem in Persona missa; sed *Datio* non requirit illam authoritatem principii producentis in dante, neque illam processionem in re data; ergo &c. Confirmatur, quia Pater in Divinis dicitur donari, non tamen mitti, ut infrà dicemus; ergo *Missio*, & *Datio* non sunt idem.

196. Dices: *Donum* est æternum in Deo, cùm sit ipse Spiritus Sanctus, ut supra diximus; ergo *Datio* non est temporalis, & contingens, sed necessaria, & æterna; consequenterque coincidit cum Missione. Respondeo negando consequentiam: licet enim *Donum* aptitudine, & potestate donabilitatis sit realitas increata, æterna, & necessaria, ut supra diximus: actualiter tamen *Donari* est quid creatum, temporale, & contingens.

SECTIO IX.

Quibusnam Personis Divinis Missio *competat?*

197. DIco 1. Missio passiva (de hac enim est sermo) propriè competit Filio, & Spiritui Sancto. Ita *D. Thom. 1. p. q. 43. a. 4. 5. 7. & 8. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 2. n. 5. P. Vasq. 1. p. d. 170. cap. 3. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 9. n. 9. P. Ruiz d. 108. de Trinit. sect. 8. n. 1. P. Amicus d. 28. n. 42. P. Arriaga 1. p. d. 55. sect. 3.* & alii. Probatur primò ex Scripturis Psal. 106. 20. *Misit Verbum suum, & sanavit eos.* Et Psal. 147. 8. *Emittet Verbum suum, & liquefaciet ea.* Et Isai. 19. 20. *Mitte eis Salvatorem.* Et cap 61. 1. *Ad annunciandum mansuetis misit me.* Et Matt. 10. 40. *Qui vos recipit, recipit eum, qui me misit.* Et Joan. 6. 58. *Sicut misit me vivens Pater.* Et cap. 7. 30. *Vado ad eum, qui me misit.* Et Joan. 20. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et sæpè alibi. Et de Spiritu Sancto specialiter Luc. 24. 49. *Et ego mitto promissum Patris mei in vos.* Et Joan. 15. 26. *Quem ego mittam vobis à Patre.* Et cap. 16. 7. & ad Galat. 4. 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui,* & sæpè alibi.

198. Probatur secundò ex Sanctis Patribus supra citatis *num.* 168. D. Augustin. *lib. 4. de Trinit. cap. 20.* ibi: *Non tantùm,* inquit, *dicitur missus Filius, quia Verbum caro factum est, sed etiam Verbum est missum, ut caro fieret.* Idem habet D. Cyril. *in Joan cap. 42.* & alii. Probatur tertiò ratione, quia Missio in Divinis præter effectum externum, ad quem Persona dicitur missa, dicit processionem unius Personæ missæ à Persona mittente; sed Filius in Divinis procedit à Patre; & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio; ergo Filio, & Spiritui Sancto competit propriè Missio.

199. Dico 2. Pater in Divinis, neque est missus, neque potest mitti. Ita *Magist. in 1. dist. 15. cap. penult. Alex. 1, p. q. 73. memb. 2. art. 1. Albert. 1. p. q. 32. memb. 2. art. 1. D. Thom. 1. p. q. 43. art. 4. & in 1. dist. 15. q. 2. art. unico. D. Bonav. ibid. p. 1. a. 1. q. 3. Scot. ibid. q. unica. Richard. art. 2. q. 2. Durand. q. 1. n. 6. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 2. n. 1. P. Vasq. 1. p. d. 170. cap. 3. P. Ruiz. d. 108 sect. 8. n. 1. P. Amicus d. 28. n. 42. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 9. n. 9. P. Arriaga 1. p. d. 55. sect. 3.* & alii apud cit. Probatur primò ex Sanctis Patribus D. Aug. *lib. 2. de Trinit. cap. 5.* ibi: *Pater solus nusquam legitur missus.* Et lib. 4. cap. 20. *Pater,* inquit, *cùm ex tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus. Non enim habet de quo missus sit, aut ex quo procedat.* Idem habet cap. 21. Et *lib. contr. Arian. cap. 4.* Et D. Isidor. *lib. 7. Etymolog. cap. 3. §. 4.*

200. Probatur secundò ratione, quia Missio in Divinis quidditativè includit processionem ab alio principio communicante substantiam, consilium, potestatem, determinationem, & cætera, prout supra diximus; sed Pater à nullo principio hæc habet communicata; ergo Patri non convenit Missio.

201. Dices 1. Filius, & Spiritus Sanctus se ipsos mittunt; ergo etiam Pater poterit se ipsum mittere. Respondeo dato antecedente, de quo infra; negando consequentiam; diversa ratio est, quia Filius, (idemque de Spiritu Sancto,) cooperatur ad productionem effectus, ratione cujus propriè mittitur à suo principio producente, ideoque saltem

saltem impropriè dicitur se ipsum mittere; sic enim dicitur se ipsum mittere, quia cooperatur ad Incarnationem, ratione cujus dicitur propriè missus à Patre: at verò Pater, cùm à nulla Persona propriè mittatur, ad cujus Missionis effectum ipse cooperatur, non potest, neque impropriè dici missus à se ipso.

202. Dices 2. De Patre potest dici *venire* juxta illud Joan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; ergo etiam *mitti*. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia verbum *venire* non dicit respectum ad alium, à quo proveniat ipse adventus: at verò verbum *mitti* dicit hujusmodi respectum; ideoque omnes Personæ dici possunt venire, non autem mitti, ut notavit D. Athan. *in Epist. ad Serapionem*.

203. Dices 3. De Patre dici potest *dari*, aut *donari*; ergo etiam *mitti*. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quæ proximè assignata est, nempè verba *dandi*, aut *donandi* non dicunt necessariò respectum realem ad eum, qui dat, aut donat, prout supra diximus: maximè autem illum dicit verbum *mittendi*.

204. Ex dictis colliges primò, solas Personas producentes mittere, & solas procedentes mitti propriè. Dixi *propriè*, quia licet aliquando quis dicatur mittere se, cùm hoc non sit authoritate alterius, sed propriâ, non est propriè, sed impropriè mitti. Secundò, si qui Patres videntur significare, Patrem dici missum, intelligendos esse de Missione impropriâ, non autem propriâ. Tertiò, Spiritum Sanctum non dici propriè mittere Filium, quia Filius ab Spiritu Sancto non procedit. Undè si Christus Dominus aliquando dicitur missus ab Spiritu Sancto, id intelligitur de Christo Domino ut homine, qui prout sic à tota Trinitate missus est, quia à tota procedit ad munus reparationis: De hoc tamen infrà. Adhuc tamen:

205. Quæres primò: Utrùm una Persona possit sine alia mitti? Dico 1. Una Persona potest sine alia mitti Missione visibili. Ita *Alens. Aureol. Richard. D. Thom. 1. p. q. 43. art. 7. ad 3. P. Ruiz d. 108. sect. 8. n. 9. P. Amicus d. 28. n. 47. & alii* supra cit. Probatur primò ex D. August. *lib. 2. de Trinit. cap. 5. & lib. 4. cap. 20.* ubi id expressè docuit. Secundò, quia Persona Divina dicitur mitti, quatenùs peculiari effectu manifestatur creaturis; sed potest sic manifestari, imò de facto sic fuit manifestata una, quin aliæ manifestarentur, ut patet in Incarnatione, & in apparitione linguarum Ignearum, in hac enim manifestatus est solus Spiritus Sanctus, & non Filius; in illa autem Filius, & non Spiritus Sanctus; ergo &c.

206. Dices 1. Pater non potest sine Filio mittere Spiritum Sanctum; ergo neque Spiritus Sanctus sine Filio mitti. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Pater non potest sine Filio Spiritum Sanctum producere, ideoque non potest sine Filio illum activè mittere, cùm illum sic mittant per spirationem activam, in qua Pater, & Filius sunt unum indivisibile principium, prout supra diximus: at verò in Missione passiva, cùm possit unus effectus repræsentare unam Personam sine alia; siquidem potest uni, & non alteri appropriari, ideò potest una sine alia passivè mitti Missione visibili.

207. Dices 2. Effectus, quo Persona Divina manifestatur, est communis omnibus Personis; ergo per illum non potest una sine alia manifestari; consequenterque neque mitti. Respondeo distinguendo antecedens: est communis omnibus Personis effectivè; concedo antecedens: repræsentativè, seu manifestativè; nego antecedens: cùm enim tam significatio per voces, quàm repræsentatio per symbola, sint ad placitum imponentis, quæcunque voces, & symbola possunt ad libitum imponi ad quascunque res significandas, & repræsentandas specialiter, sicque specialiter Ignis, & Columba repræsentant Spiritum Sanctum, & non Filium.

208. Dico 2. Nunquam Filius mittitur sine Spiritu Sancto, neque Spiritus Sanctus sine Filio secundùm invisibilem Missionem gratiæ. Ita *Albert. 1. p. q. 33. memb. unico. D. Thom. 1. p. q. 43. art. 5. ad 3. & 1. dist. 15. q. 4. art. 2. D. Bonav. ibid. p. 2. art. 1. q. 2. Richard. ibid. art. 4. q. 2. Durand. q. 4. art. 3. n. 8. & 9. Carthus. in 1. dist. 15. q. 1. Capreol. ibid. q. 1. art. 3 conclus. 3 P. Vasq. d. 170. cap. 3. num. 10. P. Ruiz d. 108. sect. 8. n. 11.* Probatur primò, quia per dona gratiæ tota Trinitas dicitur inhabitare mentem juxta illud Joan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; ergo huic adventui conjunctâ processione constituitur Missio invisibilis utriusque Personæ procedentis; ac proindè non mittitur una sine alia.

209. Probatur secundò, quia Spiritus Sanctus nunquam invisibiliter mittitur, nisi per gratiam gratum facientem, ut patebit ex infrà dicendis; sed per eandem etiam mittitur Filius, ut ex illo Sap. 7. *Emitte illam de sede magnitudinis tuæ, &c.* deducit D. Aug. *lib. 4. de Trinit. cap. 20.* ergo &c. Confirmatur ex illo ad Ephes. 3. ibi: *Virtute* (postulans) *corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati, & fundati*: ubi utriusque Personæ præsentiam, habitationem, & operationem simul fide viva, & charitate copulavit; ergo &c.

210. Quæres secundò: Utrùm aliqua Persona Divina se ipsam miserit? Dico 1. Una Persona Divina non mittit se ipsam propriè. Ita *Altisiodor. lib. 1. sum. Durand. in 1. dist. 15. q. 3.* & videntur ita sentire *P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 2. n. 3. & cap. 3. n. 6. P. Vas. 1. p. d. 170. cap. 3. num. 10.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 108. sect. 9. n. 15. & 16.* Probatur, quia sola illa Persona dicitur mittere propriè, quæ aliam producit; & sola illa dicitur propriè mitti, quæ ab alia producitur, ut supra diximus; sed nulla Persona Divina producit, aut producitur à se ipsa; ergo nulla se ipsam, aut à se ipsa propriè mittitur.

211. Dico 2. Tam Filius, quàm Spiritus Sanctus mittunt se ipsos, Missione saltem impropriâ. Ita *Magist. in 1. dist. 15. Alex. 1. p. q. 72. memb. 2. Albert. quæst. 33. D. Thom. in 1. dist. 15. p. 3. art. 1. & 1. p. q. 43. art. 8. D. Bonav. in 1. dist. 15. p. 1. art. 1. q. 4. Richard. ibid. art. 3. q. 1. Scot. q. unica. §. Licet. Argent. q. unica. art. 3. Ocham. & Gabr. q. unica Marsil. in 1. dist. 18. art. 2. & 4. Carthusian. ibid. dist. 15. q. 1. Aureol. ibid. p. 1. art. 1. Propositt. 2. Capreol. q. unica art. 2. Ferrar. lib. 4. contr. gent. cap. 23. Caiet. 1. p. q. 43. art. 8.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 108. de Trinit. sect. 9. n. 16.* de quo in re non dubitat *P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 3. n. 9.* & tenet *P. Vasq. 1. p. d. 170. cap. 3. §. Quintò.*

212. Probatur authoritate Hygin. Papæ *Epist. 1.* ibi: *Nam quod semet ipsum* (exinanitâ Majestatis suæ potentiâ) *idem Filius miserit, Apostolus contestatur, & dicit: Semet ipsum exinanivit.* Et D. Aug. *lib. 3. de Trin. cap. 5.* post multa de hac re ita concludit: *Ergo à Patre, & Filio missus est idem Filius, quia Verbum Patris est ipse Filius.* Et Concil. Tolet. 11. *in Confess. fidei. Filius*, inquit, *non solùm à Patre, sed etiam à*

Spiritu Sancto missus credendus est, in eo, quod per Prophetam dicitur. Et nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus. A se ipso quoque missus accipitur, pro eo, quod inseparabilis, non solùm voluntas, sed & operatio totius Trinitatis agnoscitur; sed hujusmodi Missio non est dicenda propria juxtà superiùs dicta; ergo saltem impropria.

213. Objicies 1. D. Basil. *lib. 5. contra Eunom. sect. 2. Emitte Spiritum tuum*, inquit, *& creabuntur, & renovabis faciem terræ. Nec ipse se ipsum mittit. Missionem autem vocat exitum ad opus, non de loco in locum migrationem*; ergo nulla Persona à se, sed ab alia mitti potest. Respondeo D. Basilium ibi intelligendum de Missione magis propriè, & strictè sumptâ; non autem impropriâ, & laxiori.

214. Objicies 2. D. Hieron. in Ezechiel. cap. 16. *Quod conjunctum est*, inquit, *& in uno corpore copulatum, mitti non potest, sed illud, quod extra corpus est*; ex quibus verbis colligi videtur, deberi intercedere separationem, aut distinctionem aliquam inter mittentem, & missum, ut detur missio. Respondeo D. Hieronymum etiam intelligendum esse de missione propriâ, & strictâ; non autem impropriâ, & minùs rigorosâ.

215. Objicies 3. Mittens, & missus dicuntur relativè; sed relatio requirit distinctionem realem extremorum; ergo sic debet distingui Persona mittens à missâ; consequenterque nulla potest se ipsam mittere. Respondeo distinguendo minorem: relatio, si sit realis, requirit distinctionem realem extremorum; concedo minorem: si sit rationis; nego minorem: quando autem missio est impropria, de qua loquimur, relatio est rationis, potestque esse ejusdem Personæ quasi causantis donum, aut manifestationem, ad se ipsam quasi manifestatam, aut novo modo existentem in anima.

216. Objicies 4. Missio activè dicit authoritatem in Persona mittente; passivè verò subauthoritatem in Persona missa; sed nulla Persona respectu sui ipsius potest habere authoritatem, nec subauthoritatem; ergo neque Missionem. Respondeo negando minorem: nam Missio activa largè, & impropriè sumpta dicit in Persona mittente aliqualem authoritatem, non æternæ productionis, sed operationis temporalis, ratione cujus talis Persona se ipsam manifestat, aut novo modo existit in anima.

217. Objicies 5. Persona mittens dicitur operari per eam, quæ mittitur; sic enim Pater dicitur redemisse mundum per Filium, & sanctificasse per Spiritum Sanctum; sed nulla Persona dicitur operari per aliam, nisi quatenùs est principium illi communicans substantiam, potentiam, & voluntatem operandi; ergo nulla mittit se ipsam, sed illam tantùm, cujus est principium. Respondeo distinguendo majorem: dicitur operari per eam, quæ mittitur eo modo, quo eam mittit; concedo majorem: aliter; nego majorem: Persona autem, quæ propriè, & strictè aliam mittit, per eam propriè, & strictè dicitur operari: largiùs autem, & impropriùs, si ita impropriùs, & largiùs illam mittat, sicut se ipsum mittit Filius, & Spiritus Sanctus.

218. Objicies 6. Si una Persona posset se ipsam mittere, non satis exacta ratio redderetur, cur Pater à nulla Persona, neque à se ipso mitti posset; ergo &c. Respondeo negando antecedens, satis enim conveniens ratio assignatur in eo, quod non manifestatur, Patrem procedere ab aliqua Persona; neque determinatur ad utendum potestate, & authoritate recepta ab alio principaliter, & propriè mittente.

Quæres tertiò: Quotuplex in Divinis sit Missio? Missio absolutè dividi potest in physicam, & moralem: Physica fit per realem impressionem virtutis in missum: Moralis per moralem directionem, aut imperium. Utrùm autem Missio Personæ Divinæ sit dicenda physica; an moralis? Certum inprimis est non esse moralem per veram suasionem, & imperium; siquidem hæc imperfectionem dicunt in Persona missa. Secundò, in aliquo sensu posse dici tùm physicam, tùm moralem: physicam, quia omnis Missio Personæ Divinæ includit processionem, ut supra diximus, per quam physicè Persona producens communicat productæ virtutem exercendi munus, ad quod mittitur: moralem, quia Persona missa accipit, saltem radicaliter voluntatem liberam eundi ad terminum à Persona mittente, qui modus mittendi est in genere morali. Sive autem dicatur physica, sive moralis, sive mixta: 219.

Quadrifariam dividi potest Missio Divina: Primò activè ex parte mittentis, & prout sic duplex est Missio Divina, una Patris mittentis Filium; & altera utriusque mittentis Spiritum Sanctum. Secundò passivè ex parte missi, & prout sic etiam est duplex, altera Filii missi à Patre; & altera Spiritûs Sancti missi ab utroque. Tertiò ex modo tendendi ad terminum, & prout sic etiam communiter dicitur duplex, altera ad subsistendum, id est, Verbi ad terminandam hypostaticè naturam humanam Christi Domini; altera ad apparendum, ut apparuit Spiritus Sanctus in figura Columbæ in Jordane, aut linguæ igneæ in die Pentecostes. Quibus addi potest tertia Verbi Incarnati ad existendum per unionem sacramentalem cum accidentibus Eucharisticis: Item & quarta Spiritûs Sancti ad sanctificandam animam Justi per gratiam. Quartò ex parte termini, quæ prout sic etiam est duplex, altera invisibilis, quæ habet terminum invisibilem, nempè gratiam, ad quam in anima justi mittitur Spiritus Sanctus; & altera visibilis, quæ habet terminum visibilem, qualis est Missio Verbi ad Humanitatem, vel Eucharistiam; & Spiritûs Sancti ad signa sensibilia Columbæ, Nubis, &c. Circa Missiones Invisibilem, & visibilem excitari solent variæ difficultates, quæ ad speciales materias spectant, nempè ad materiam de Incarnatione, de Eucharistia, de gratia; pro aliquibus tamen sit:

SECTIO X.

De Missione invisibili Personarum Divinarum.

Difficultas 1. An quoties alicui datur gratia sanctificans, mittatur ad eum invisibiliter Persona Divina, deturque homini justo, non solùm ipsum donum creatum gratiæ sanctificantis, sed etiam ipsa Persona Divina? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 43. art. 3. Canar. Bannez, ibid. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 5. n. 8. P. Molin. 1. p. q. 43. art. 3. concluſ. 3. P. Vasq. 1. p. q. 45. art. 3. P. Ruiz d. 109. sect. 1. n. 2. P. Amicus d. 28. num. 62.* quorum alii contrarium dicunt erroneum: alii errori proximum: alii fidei catholicæ parùm consentaneum. Probatur primò, quia Scriptura expresè docet, Personas Divinas ad nos venire, donari, mitti, & manere 220. 221.

in

in nobis, ut patet Joan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et ibid. *Apud vos manebit, & in vobis erit.* Et 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et ad Rom 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et Joan. 15. *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre*; ergo &c. Confirmatur, quia Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio; sed omnis Persona, quæ procedit à principio, & datur hominibus, eo ipso ad illos mittitur; ergo &c.

222. Probatur secundò, quia ita docent Sancti Patres, præsertim D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 26. Ipse est*, inquit, *qui de Cœlo etiam datus est in die Pentecostes.* Et infrà. *Quomodò ergo*, inquit, *Deus non est, qui dat Spiritum Sanctum? Imò quantus Deus est, qui dat Deum?* Et Serm. 15. *de Verbis Apostol. Contemne*, inquit, *Spiritum tuum; accipe Spiritum Dei.* Et Serm. 43. *de Verb. Domin. Dedit dona hominibus. Quæ dona? Spiritum Sanctum. Quis tale dat donum, qualis ipse est*; ergo &c.

223. Probatur tertiò ratione, quia Persona Divina ex vi Missionis est in termino, ad quem mittitur modo speciali, ratione cujus specialiter inhabitat creaturam; sed ille modus specialis, non tam denominat ipsum donum creatum, quàm ipsam Personam Divinam sic specialiter inhabitantem; ergo &c.

224. Difficultas 2. Qualisnam sit hic modus specialis, quò Persona Divina attingitur à creatura, physicus nè, & per substantialem præsentiam; an moralis? Respondeo aliquando esse physicum, & secundùm substantialem præsentiam; aliquando verò moralem. Primum patet in Unione Hypostatica, ratione cujus Verbum Divinum ita est conjunctum, & unitum Humanitati Christi Domini, eique substantialiter præsens, ut si per impossibile Verbum non esset ubique, adhuc esset immediatè præsens tali Humanitati. Secundum etiam patet in Missione Spiritûs sancti, qui in signis sensibilibus est ut objectum repræsentatū, & cognitum, quod habere posset, etiam si ibi non esset substantialiter præsens.

225. Quomodo autem Verbum Divinum ratione unionis Hypostaticæ sit specialiter præsens in Eucharistia? Item quomodo Spiritus Sanctus sit in omnibus justis tanquam in templo per gratiam, ut specialis protector, substantialiter nè, saltem ut principium operans; an moraliter, ut objectum per amorem, & cognitionem possidendum jure gratiæ sanctificantis? Ad proprias materias spectat. Vide *P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 5. à num. 9. P. Amicum d. 28. à num. 65.* & alios supra citatos.

226. Difficultas 3. Utrùm sola gratia gratum faciens, sive sanctificans sit effectus, & terminus, ratione cujus Persona Divina simpliciter, & perfectè mittitur: Affirmativè. Ita *Magist in 1. dist. 17. cap. Tunc enim. Alens. 1. p. q. 73. memb. 4. Albert. 1. p. q. 33. memb. unico. D. Thom. 1. p. q. 43. art. 3. D. Bonav. in 1. dist. 14. art. 2. q. 1. & dist. 15. p. 2. art. 1. q. 1. Richard. ibid. a. 4. q. 2. & art. 5. q. 2. Argent. dist. 14. q. unica. art. 4. Ocham. ibid. q. 2. Gabr. ibid. q. 2. art. 2. Carthusian. dist. 15. q. 3. Marsil. Capreol. dist. 15. q. 1. art. 3. Caiet. 1. p. 43. art. 3. Canar. P. Vasq. P. Molin.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 109. sect. 1. n. 20. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 5. n. 7. P. Tanner. d. 4. q. 4. dub. 9. num 14. P. Amicus d. 28. n. 86.* & alii. Probatur primò, quia Spiritus Sanctus tunc propriè, simpliciter, & perfectè dicitur mitti, quando nobis datur, ut in nobis sit, & inhabitet juxtà illud Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum*; sed Spiritus Sanctus non manet, neque inhabitat, nisi in justis, & sanctificatis per gratiam, ut patet ex illo Sapient. 1. *In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et idem habetur Sapient. 7. Prov. 15. *Longè est Dominus ab impiis.* Et Ecclesiast. 15 Et Job. 21. Et Hierem. 17. ergo &c.

227. Probatur secundò, quia licet aliqua Persona detur, quæ tamen non mittitur, ut supra diximus; nulla tamen mittitur, quæ non detur; siquidem Missio includit totum, quod datio, & aliquid amplius, ut diximus; sed nulla Persona datur hominibus, nisi quibus datur charitas, ut patet ex D. Aug *lib. 15. de Trinit. cap. 18. Dantur*, inquit, *& alia per Spiritum Sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt*; ergo &c.

228. Probatur tertiò, quia creatura rationalis sine charitate non est plenè, & perfectè dicata divino cultui; consequenterque non est templum Dei, simpliciter loquendo, juxta illud 1. Cor. 3. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Neque etiam potest uti, aut frui Personâ Divinâ, tanquam suâ, & propriâ; ergo nulla Persona Divina sine charitate est ei data; ac proindè neque missa.

229. Objicies 1. Fides etiam informis, includit piam affectionem erga Deum, quam etiam continet Prophetia, ideoque per illam non solùm cognoscitur, sed etiam amatur Deus aliqua dilectione; ergo Deus per hæc dona incipit esse in anima; consequenterque datur Missio Personarum sine gratia sanctificante. Respondeo in prædicto eventu dari Missionem Personarum, non quidem simpliciter, & perfectam, de qua est sermo, sed solùm secundùm quid, imperfectam, & inchoatam, ut infrà dicemus.

230. Objicies 2. D. Aug. *lib. 4. de Trinit. cap. 20.* de Filio sic scribit: *Tunc*, inquit, *unicuique mittitur, cùm à quoquam cognoscitur, atque percipitur, quantùm cognosci, & percipi potest pro captu, vel proficientis in Deum, vel perfectæ in Deo animæ rationalis*: ubi notanda est disjunctiva: *vel proficientis in Deum*; videtur enim significare, non requiri perfectionem gratiæ sanctificantis ad Missionem Filii in animam rationalem; ergo &c. Respondeo D. Aug. intelligendum esse de Missione imperfecta, inchoata, & secundùm quid; non autem simpliciter, & perfectâ; alioqui sibi contradiceret loco supra citato.

231. Instabis: Filius mittitur ad illuminandum intellectum, sicut Spiritus Sanctus ad accendendam voluntatem; sed illa illuminatio aliquando fit sine gratia sanctificante; ergo sine hac potest Filius mitti. Respondeo posse quidem ita mitti, sed imperfectè, & secundùm quid; non autem simpliciter, & perfectè.

232. Difficultas 4. Utrùm Persona Divina, saltem imperfectè, inchoatè, & secundùm quid mittatur per quemlibet actum, aut habitum supernaturalem sine gratia sanctificante? Affirmativè. Ita *Magist. in 1. dist. 15. D. Thom. 1. p. q. 43. art. 3. Alens. 1. p. q. 73. memb. 4. art. 2. D. Bonav. in 1. dist. 15. p. 2. a. 1 q. 1. Durand. dist. 14. q. 3. n. 4. P. Vasq. 1. p. q. 43. art. 3. in comment. P. Mol. P. Soar. P. Ruiz. cit. n. 19. P. Amicus d. 28. num. 86.* Probatur, quia Personæ Divinæ per omne illud ad nos mittuntur, per quod novo modo, ac titulo incipiunt esse in nobis; siquidem nihil aliud est, Personas Divinas ad nos mitti, quàm novo modo, &

titulo in nobis existere; sed ita existunt in nobis per quodcunque donum supernaturale, licet inchoatè, & imperfectè, sine gratia sanctificante; ergo &c.

233. Confirmatur, quia sicut se habet dispositio naturalis ad formam naturalem, ita se habet dispositio supernaturalis, nempè quodcunque donum supernaturale, ad formam supernaturalem, nempè ad gratiam sanctificantem; sed Deus eodem titulo, quo existit in creaturis ratione formæ naturalis, existit etiam ratione naturalis dispositionis ad illam, licet ratione formæ perfectè, & completè; ratione verò dispositionis solùm inchoatè, & imperfectè; ergo etiam eodem titulo, quo Deus existit perfectè, & simpliciter in creatura rationali per formam supernaturalem, nempè gratiam, existet in illa inchoatè, & imperfectè per dispositionem, sive quodcunque donum supernaturale, quod ad ipsam disponit; consequenterq; Personæ Divinæ per quodcunque donum supernaturale mittuntur, saltem inchoatè, & imperfectè.

234. Hinc colliges primò, tam per habitus, quàm per actus supernaturales informes, quales sunt habitus, vel actus fidei, & spei, actus attritionis, & timoris servilis, elicitos à peccatore, ad illum mitti Personas Divinas, non quidem simpliciter, & perfectè, sed imperfectè, & secundùm quid. Secundò etiam secundùm quid, & imperfectè manere Personas Divinas in peccatore, corruptâ gratiâ per peccatum mortale, ratione habitûs fidei, & spei, qui etiam corruptâ gratiâ, in peccatore manent.

235. Tertiò, quando Sacerdotibus mittitur Spiritus Sanctus quoad potestatem remittendi peccata juxta illud Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* si talis Missio fiat carentibus gratiâ sanctificante, solùm ad illos mitti Spiritum Sanctum imperfectè, & secundùm quid. Quartò, sic etiam imperfectè, & secundùm quid mitti Spiritum Sanctum ad Saulem perseverantem in odio contra David 1. Reg. cap. 19. sic ad Samsonem Judic. 15. 16. cùm tamen esset in peccato cum meretricibus: sic ad Judam, qui erat inter alios, de quibus dicit D. Leo Magn. *Serm. 2. de Pentecost. cap. 4 Ipsi quoque Beati Apostoli ante passionem Domini Sancto Spiritu non carebant*: cùm tamen de Juda dicat Christus Dominus. Joan. 6. *Unus ex vobis Diabolus est*: Sic etiam dicitur Spiritus Sanctus imperfectè, & secundùm quid missus per gratias gratis datas, præscindendo à gratia gratum faciente.

236. Difficultas 5. Utrùm Personæ Divinæ mittantur per dona merè naturalia, saltem imperfectè, & secundùm quid? Negativè. Ita *Magist. in 1. dist. 17. cap. 6. D. Thom. 1. p. q. 43. art. 3. Canar. P. Vasq. P. Molin. ibid. Richard. in 1. dist. 15. art. 5. q. 2. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 4. num. 2. & 3. P. Ruiz d. 109. sect. 2. n. 5. P. Amicus d. 28. n. 81.* & alii. Probatur, quia Personæ Divinæ per ea tantùm dona ad nos mittuntur, per quæ novo, & speciali modo in nobis existunt; siquidem ratione creationis, conservationis, & gubernationis sunt intimè præsentes omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam; sed per dona merè naturalia non existunt in nobis modo aliquo novo, & speciali; siquidem cùm hæc sint complementum naturæ, eorum productio pertinet ad eundem ordinem naturæ; ac proindè per illa non dicuntur Personæ Divinæ novo, & speciali modo existere in creaturis; consequenterque neque ad illas mitti; ergo &c.

237. Inferes: Ergo saltem dicentur missæ ad creaturas initio creationis; siquidem tunc ratione creationis incipiunt novo modo in illis existere. Respondeo negando illationem; nam Missio supponit personam existentem, ad quam Persona missa dirigitur; creaturæ autem ante creationem non supponuntur existentes, cùm per illam incipiant esse, ficque ratione illius non possunt Personæ Divinæ ad illas mitti.

Dices cum *Durand. in 1. dist. 14. q. 1. & dist. 15. q. 4. Aureol. in 1. dist. 14. art. 1. propositr. 2. & 3. & dist. 15. art. 2.* Sicut omne verum est manifestativum Filii; siquidem omne verum est nuncius Verbi Divini: ita omne bonum est manifestativum Spiritûs Sancti; ergo per omne verum mittitur Filius; & per omne bonum Spiritus Sanctus; siquidem Missio finaliter est ad manifestâdam Personam missam. Respondeo distinguendo antecedens: omne verum, & bonum est manifestativum Filii, & Spiritûs Sancti speciali modo existentium in creaturis; nego antecedens: communi modo; concedo antecedens: Missio autem non fit ad manifestandum communem, sed specialem modum, quem Deus habet in creaturis rationalibus per dona supernaturalia. 238.

Difficultas 6. Utrùm per quodlibet augmentum gratiæ gratum facientis fiat invisibilis Missio Personarum Divinarum? Dico 1. Simpliciter fit invisibilis Missio Personarum per illud augmentum gratiæ, quo justus ita proficit, ut ascendat ad aliquem novum statum gratiæ, nempè ad statum prophetiæ; miraculorum; ad fervorem charitatis, quo se exponit martyrio; ad ingressum religionis; aut ad aggrediendum quodcumque opus arduum sanctitatis. Ita *Alens. 1. p. quæst. 73. memb. 4. art. 3. D. Thom. 1. p. q. 43. art. 6. ad 2. & in 1. dist 15. quæst. 5. art. 1 D. Bonavent. ibid. part. 2. art. 1. q. 3. Canar. 1 part. quæst. 43. art. 6. ad 2. P. Vasq. ibid. in Comment. P. Ruiz d. 109. de Trinit. sect. 4. n. 12. P. Amicus d. 28. n. 91.* & alii. Probatur, quia quando cum ipso augmento gratiæ confertur novum donum, cujus vi ipse justus, aut evehitur ad novum statum; aut extenditur ad nova opera ardua, ut fit in eventibus supra adductis, Personæ Divinæ novo titulo existunt, atque inhabitant in homine justo; sed quando Persona Divina novo, & speciali titulo existit in termino, ad quem mittitur, dicitur simpliciter, & propriè missa, ut patet ex supra dictis; ergo &c. 239.

Dico 2. Per quodcumque augmentum gratiæ gratum facientis non fit simpliciter, sed minùs propriè invisibilis Missio Personarum, si justum non evehat ad altiorem statum, ut diximus. Ita Doctores proximè citati. Probatur, quia ad Missionem propriè dictam requiritur, ut vi illius novo titulo in nobis existant Personæ Divinæ; sed non ita existunt per quodcumque augmentum gratiæ sine gradu ad altiorem statum; existunt enim in nobis eodem modo, & titulo, quo antea existebant per ipsam gratiam gratum facientem; ergo &c. 240.

Objicies 1. Quodlibet augmentum gratiæ de se est sufficiens, ut vi illius Personæ divinæ novo titulo in nobis existant; ergo per quodlibet dicentur ad nos missæ. Respondeo negando consequentiam: solùm enim probat argumentum, Personas Divinas prout sic dici quodammodò, & minùs propriè missas; non verò propriè, & simpliciter, ut patet ex assignata ratione. 241.

Objicies 2. Quodlibet augmentum gratiæ sanctificantis affert majorem unionem cum Deo, & est majoris momenti, quàm extensio ad gratias 242.

gratis

gratis datas; sed per hanc, suppositâ gratiâ sanctificante, mittitur Spiritus Sanctus, ut missus est ad Apostolos jam justificatos in die Pentecostes; ergo etiam per illud. Respondeo tam per augmentum gratiæ, quàm per extensionem ad gratias gratis datas mitti quodammodò, & minùs propriè Spiritum Sanctum: non autem propriè, & simpliciter, prout patet ex supra dictis.

243. Objicies 3. D. Aug. *tract. 74. in Joan.* ubi dicit, Spiritum Sanctum per augmentum gratiæ magis nobis dari; sed quælibet Persona procedens, cùm datur, mittitur; ergo Spiritus Sanctus, qui per augmentum gratiæ dicitur magis datus, dicitur etiam magis missus. Respondeo D. Aug. intelligendum esse de Missione minùs propriâ; non autem propriâ, & simpliciter, ut patet ex supra dictis. Et eodem modo intelligendus est idem D. Aug. *lib. 4. de Trinit. cap. 20.* ubi dicit, animam per augmentum gratiæ sanctificantis profici, & perfici in Deum; sicque per idem augmentum gratiæ ad illam mitti Spiritum Sanctum; solùm enim loquitur de Missione minùs propriâ; non autem propriâ, & simpliciter. Similiter locutus est D. Bernard. *serm. 3. de Pentecoste*, ad finem.

244. Objicies 4. Per Sacramentum confirmationis datur, ac mittitur Spiritus Sanctus ad corroborandos in gratia eos, qui jam per Baptismum sunt justificati; neque enim licitè illud accipiunt, qui existunt in peccato mortali; ergo Spiritus Sanctus datur, & mittitur per augmentum gratiæ corroborantis. Respondeo mitti quidem propriè, & simpliciter per augmentum gratiæ corroborantis, si justum corroboret ad aliquem actum heroicum; non tamen aliter juxta superiùs dicta.

245. Hinc colliges primò, fieri perfectissimam Missionem Personarum ad Beatos in ipso principio beatitudinis. Patet, quia novo, & perfectissimo modo incipiunt in illis esse, & existere, tanquam objectum perfectissimè cognitum, amatum, & possessum ad fruendum; ergo &c. Confirmatur, quia in eo instanti evehuntur Beati ad altissimum statum gratiæ juxta illud ad Rom. 6. *Gratia autem Dei vita æterna*; ergo &c.

246. Secundò, quoties aliqua mysteria de novo revelantur Beatis, novam Missionem invisibilem ad eos fieri. Patet, quia tunc fit extensio quædam cognitionis Dei, per quam Deus novo modo in eis incipit esse, & existere. Undè post diem Judicii nullæ erunt Missiones; siquidem nullum dabitur augmentum cognitionis, aut gratiæ, quarum ratione Deus novo aliquo modo in eis sit.

247. Tertiò, minùs impropriè fieri Missionem invisibilem quoties aliquod Sacramentum dignè recipitur, quàm per augmentum gratiæ sine Sacramento; siquidem gratia cujuslibet Sacramenti destinatur ad peculiarem effectum, in ordine ad quem peculiari modo Spiritus Sanctus existit in anima. Undè Personæ Divinæ peculiari titulo mittuntur ad justos in hac vita, cùm per susceptionem alicujus Sacramenti novâ gratiâ sacramentali donantur, ad specialem aliquem finem ordinatâ: sicut cùm ad statum alicujus religionis, aut prophetiæ, aut alicujus actûs heroici evehuntur, prout supra diximus.

SECTIO XI.

Utrùm Persona Divina possit invisibiliter mitti sine productione alicujus doni realis, per solam denominationem extrinsecam?

248. ADvertes primò præsentem quæstionem posse dupliciter excitari: Primò, an simpliciter sit possibile, possitque Deus de potentia absoluta remittere peccatum per solam condonationem extrinsecam, & hominem acceptare ad amicitiam pristinam absque ullo intrinseco dono inhærente? Secundò, an supposita possibilitate de remissione peccati per solam condonationem extrinsecam, & acceptationem ad amicitiam Dei pristinam sine ullo intrinseco dono inhærente, in tali casu adhuc Personæ Divinæ mitterentur ad hominem missione invisibili?

249. Advertes secundò, quæstionem in primo sensu non habere hîc locum; siquidem propriam sedem habet in materia de gratia sanctificante: aut in materia de pœnitentia, ubi agitur de necessitate pœnitentiæ ad remissionem peccati. Hujus quæstionis partem affirmativam tenent *Alens. 4. p. q. 17. memb. 4. art. 6. §. 1. D. Banav. in 4. dist. 17. p. 1. art. 1. q. 1. Scot. in 1. dist. 17. q. 2. §. De secundo articulo, & in 2. dist. 28. §. Ad quæstionem & in 4. dist. 1. q. 6. & dist. 14. q. 1. & dist 16. q. 2. §. Respondeo Durand. in 1. dist. 17. q. 1. & in 4. dist 1. q. 7. Ocham. in 1. dist. 17. q. 1. & in 4. dist. 4. art 1. Major. Rub. Argent. Gabr. Arimin. Bachon. Medin. P. Soar. in 3. p. d. 8. de Pœnit. sect. 4. & lib. 7. de grat. cap. 23. P. Ægid. de Pœnit. d. 2. dub. 10.*

250. Negativam tamen partem, quam aliqui probabiliorem judicant, (de qua nos alibi,) tenent *D. Thom. 1. 2. q. 113. art, 2. & 3. & lib. 3. contr. gent. cap. 157. & de verit. q. 28. art. 2. Albert. in 4. dist. 17. art. 10. ad 1. Aureol. in 1. dist. 17. art. 2. Caiet. 1. 2. q. 113. art. 2. P. Bellarm. lib. 2. de Justificat. cap. 16. P. Valent. tom. 2. d. 8. q. 5. punct. 5. P. Vasq. 1. 2. d. 206. cap. 2. & 3. P. Amicus tom. 3. d. 33. n. 13.* & alii. Advertes tertiò, quæstionem hîc solùm excitari in secundo sensu, nempè facta suppositione, quod Deus de potentia absoluta possit remittere peccatum per solam condonationem extrinsecam, & acceptare hominem ad pristinam amicitiam absque ullo dono intrinseco homini inhærente; an scilicet eo casu dato, adhuc Spiritus Sanctus mitteretur ad talem hominem? His positis.

251. Duplex est in hac re sententia: Prima hujus Missionis possibilitatem affirmat. Ita *Greg. in 1. dist. 14. a. 1. q. unica. Conclus. 3. & art. 2. ad 2. Ocham. in 1. dist. 14. q. 2. ad 1.* & videtur consentire *Gabr. ibid. dist. 14. q. 2. dub. 3. & dist. 17. q. 1. art. 2. Conclus. 1.* Secunda sententia simpliciter negat id esse possibile, etiam de potêtia Dei absoluta. Ita *Capreol. in 1. dist. 14. art. unico. P. Molin. 1. p. q 43. art. 3. fine. P. Valent punct. 4. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 5. n. 3. & 4.* & alii. Ego autem:

252. Dico 1. Spiritus Sanctus de potentia absoluta potest mitti ad hominem, licet ei non infundatur gratia, imò & habitus charitatis, & aliarum virtutum, dummodò elevetur ad actus cognitionis

supernaturalis Dei, & charitatis, aut pœnitentiæ perfectæ, & ratione illorum acceptetur ad amicitiam. Ita *P. Ruiz d. 109. sect. 7. n. 8.* Probatur, quia in eo eventu jam daretur in homine mutatio realis, cujus ratione Spiritus Sanctus de novo veniret, & novo modo habitaret in illo; ergo &c.

253. Dico 2. Spiritus Sanctus non daretur, neque mitteretur physicè, & realiter ad hominem sic justificatum per solam condonationem, & acceptationem extrinsecam absque reali dono ei inhærente. Ita *P. Ruiz d. 109. sect. 7. n. 10. P. Amicus d. 28. n. 97. P. Præposit. 1. p. q. 43. art. 3. dub. 2. n. 12. P. Arriaga d. 55. sect. 5. n. 14.* & videntur tenere Doctores citati pro secunda sententia. Probatur, quia Missio quidditativè, & essentialiter dicit, non solùm processionem æternam Personæ missæ, sed etiam processionem, sive productionem alicujus effectus temporalis, & creati in persona, ad quam mittitur, ut supra diximus; atqui in prædicto eventu non daretur hujusmodi effectus temporalis creatus productus in homine, ut supponimus; ergo neque Missio physica, & realis Spiritus Sancti ad talem hominem sic justificatum; alioqui daretur Missio sine sua quidditate, & essentiâ, quod implicat contradictionem.

254. Dico 3. Spiritus Sanctus daretur, & mitteretur ad talem hominem moraliter. Ita Doctores proximè citati. Probatur, quia Personæ Divinæ dicuntur dari, & mitti ad creaturam rationalem, quoties in illa modo speciali existunt; sed in proposito eventu existerent in homine modo speciali, saltem morali; siquidem in eo fieret mutatio moralis proveniens ab actu libero Dei condonantis peccatum, & acceptantis hominem ad amicitiam, & gloriam pristinam, quæ stare non possunt sine mutatione, saltem morali, in ipso homine; fieret enim ex peccatore, inimico, & invisо, justus, amicus, & charus Deo per ejus extrinsecam benevolentiam, & acceptationem; ergo &c.

255. Confirmatur primò, quia Deus erga talem hominem alio modo se habet post, atque ante condonationem, & acceptationem; siquidem antea respiciebat illum ut inimicum, & infensum, postea autem ut amicum, & reconciliatum per benevolentiam, & acceptationem extrinsecam ad ejus amicitiam; ergo in tali homine esset mutatio saltem moralis, ratione cujus Spiritus Sanctus esset ad illum moraliter missus.

256. Confirmatur secundò, quia ratio Missionis Personarum ad nos desumitur ex mutatione in nobis à Deo facta; ergo qualis fuerit in nobis mutatio, talis erit ad nos Personarum Missio; sed in eo eventu fieret in homine mutatio moralis, ut patet ex dictis; ergo ad illum fieret moralis Missio Personarum; siquidem non datur major ratio, cur per mutationem physicam in homine fiat ad illum Missio physica Personarum; & non ita fiat ad eum moralis Missio Personarum per illius moralem mutationem.

257. Argues 1. contra hanc tertiam conclusionem: In facta suppositione non daretur in homine aliqua mutatio; ergo nulla ad eum fieret Personarum Missio. Respondeo distinguendo antecedens: non daretur aliqua mutatio physica; concedo antecedens: moralis; nego antecedens: Undè argumentum solùm probat, non dari Missionem physicam, quia non datur mutatio physica; non tamen non dari Missionem moralem, sicut datur moralis mutatio.

258. Argues 2. Missio Personarum non fit per earum mutationem intrinsecam, cùm sint illius incapaces, utpotè immutabiles, sed per extrinsecam existentem in creatura, ad quam mittuntur; ergo implicat mitti ad creaturam absque intrinseca mutatione ipsius creaturæ, ratione cujus incipiant in illa speciali modo habitare; sed hæc creaturæ mutatio non intelligitur absque productione alicujus doni creati; hoc autem ibi non datur; ergo neque Personarum Missio. Respondeo distinguendo antecedens quoad secundam partem; sed per extrinsecam sive physicam, sive moralem existentem in creatura; concedo antecedens: semper physicam; nego antecedens: Undè Missio Personarum, si sit physica, fit per mutationem physicam in creatura, ad quam mittuntur, quod intendit probare argumentum: si autem sit moralis, fit per mutationem moralem, quæ datur in proposito eventu, ideoque dicimus ad talem hominem fieri moralem Missionem Personarum.

259. Argues 3. Missio Personarum visibilis non potest fieri in tempore sine signo reali mutationis, sive reali forma apparitionis; ergo neque earum Missio invisibilis poterit fieri in tempore absque reali forma mutationis, sive Missionis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia apparitio importat signum sensibile, in quo Persona Divina sensibiliter manifestatur; sicque fieri non potest absque signo reali illius manifestativo: at verò Missio invisibilis, quæ fit ad animam justi, solùm per se importat peculiarem mutationem in illa; hæc autem cùm sit duplex, nempè physica, & moralis, etiam Missio poterit esse, aut physica, aut moralis, qualis erit in eo casu.

260. Argues 4. Persona Divina nequit ad creaturam mitti, quin in eâ novo, & speciali modo existat; sed non ita existit absque productione alicujus doni in illa, quod non ita producit in facta suppositione; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem: quin in ea novo, & speciali modo existat, aut moraliter, aut physicè; concedo majorem: semper physicè; nego majorem: in proposito autem eventu existeret in homine novo, & speciali modo, non physico, sed morali; sicque ad illum, non physicè, sed moraliter mitteretur Persona Divina.

261. Argues 5. Si Persona Divina prout sic mitteretur, talis Missio foret æterna; siquidem talis acceptatio ad gratiam, & ad gloriam esset ipsum æternum Dei decretum, quo ab æterno decerneret pro tali tempore acceptare creaturam ipsam ad gratiam, & ad gloriam; & nihil aliud temporale tunc daretur, ratione cujus Spiritus Sanctus diceretur in tempore missus ad talem hominem; sed Missio Personarum ad creaturas est temporalis, ut ex Sanctis Patribus supra probavimus; ergo &c.

262. Respondeo negando majorem, ad cujus probationem dicimus, decretum illud Dei de condonando peccato, & acceptando homine ad amicitiam, & gloriam, licet foret æternum, includere tamen moralem mutationem in tempore faciendam; quam cùm non includeret connotativè, & in obliquo, sed essentialiter, & in recto, prout supra diximus de quidditate Missionis physicæ, ideò talis Missio simpliciter esset temporalis ratione moralis mutationis in tempore faciendæ.

263. Argues 6. In eo eventu solùm daretur quædam veluti promissio mittendi Spiritum Sanctum ad hominem, quando ei fuerit gloria collata; sed hujusmodi

hujusmodi promissio non est præsens Missio ad hominem in via, sed solùm respicit futuram in patria; ergo &c. Respondeo dato, quod homini condonaretur peccatum, & acceptaretur ad gloriam tribuendam post mortem, quin ei in hac vita aliquid reale tribueretur, duplicem ibi esse Missionem, realem scilicet unam, & physicam, quæ fieret post mortem in patria, per receptionem visionis Dei; & alteram moralem, ut diximus, quæ foret morale quoddam jus ad illam realem, & physicam Missionem. Si tamen nunquam foret tribuenda gloria, neque aliquid reale supernaturale; tunc non esset nisi unica Missio moralis, prout supra diximus.

264. Objicies 1. contra secundam conclusionem: Spiritus sanctus toties dicitur missus, quoties simpliciter venit, & habitat in homine; sed ita veniret, & habitaret quoties homo transiret ab inimicitiâ ad amicitiam Dei; hæc enim est vis amicitiæ, ut afferat animi præsentiam; homo autem in proposito eventu transiret de inimicitia ad amicitiam; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: ita veniret, & habitaret, vel physicè, vel moraliter; concedo minorem: semper physicè; nego minorem: undè ad probationem dicimus, licet realis amicitia vim habeat afferendi realem præsentiam amici; non ita habere amicitiam, quæ sola est extrinseca Dei acceptatio, sed solùm habet vim afferendi præsentiam impropriè, & secundùm quid dictam, nempè moralem.

265. Objicies 2. Omne donabile dari potest à Deo, licet nihil aliud donet realiter distinctum ab ipso donabili, quod non sit de ejus essentia; sed Spiritus Sanctus est donabilis à Deo, cùm sit essentialiter donum, & omne donum creatum ab eo distinguitur realiter, neque est de illius essentia; ergo potest dari, ac proindè mitti absque ullo dono creato. Respondeo distinguendo consequens: potest dari, ac proindè mitti absque ullo dono creato sive physicè, sive moraliter; concedo consequentiam: physicè; nego consequentiam: in eo autem eventu, neque daretur, neque mitteretur physicè, sed tantùm moraliter, prout supra diximus.

266. Instabis: Omne factibile à Deo potest ab ipso physicè fieri, non facto omni alio, quod non est idem cum ipso; ergo omne donabile à Deo, poterit ab ipso physicè donari, consequenterque mitti, non dato omni alio, quod non est idem cum ipso donabili. Resp. negando consequentiam; diversa ratio est, quia omne, quod fit, per realem, & intrinsecam sui mutationem transit ad esse, ideoque non indiget alia re factibili, ut physicè fiat: at verò Persona Divina non mittitur per intrinsecam sui mutationem, cùm sit in se immutabilis, ideoque necessarium est mutari physicè personam, ad quam mittitur, ut ad illam dicatur physicè missa.

267. Urgebis: Donum creatum non requiritur, ut simul cum Deo det nobis Spiritum Sanctum, neq; ipse Spiritus sanctus datus tribuit nobis necessariò, sed liberè donum creatum; ergo sine illo poterit nobis dari, & ad nos mitti Spiritus Sanctus. Respondeo, Spiritum Sanctum posse prout sic nobis dari, & ad nos mitti, non physicè, sed moraliter, ut patet ex dictis.

268. Quæres hîc: Utrùm purus homo justus; aut saltem Christus Dominus, ut homo est, possit dare, & mittere Spiritum Sanctum? Negativè. Ita *D. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 26. Magist. in 1. dist. 14. cap. Hic quæritur. D. Thom. 1. p. q. 43. art. 8. & in 1. dist. 14. q. 3. Alex. 1. p. q. 72. memb. 4. Albert. 1. p. q. 32. memb. 1. D. Bonav. in 1. dist. 14. art. 2. q. 2. Richard. ibid. art. 2. Durand. q. 3. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 3. n. 3. & 4. P. Molin. 1. p. q. 43. art. 8. P. Ruiz d. 108. sect. 11. à n. 6. P. Amicus d. 28. n. 103. P. Arriaga 1. p. d. 55. sect. 3. n. 8.* & alii. Probatur primò ex D. August. loco cit. *Quomodò*, inquit, *Deus non est, qui dat Spiritum Sanctum? Imò quantus Deus est, qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum.* Et infrà loquens de Christo Domino ut homine: *In eo*, inquit, *quod de illo scriptum est, quod acceperit à Patre promissionem Spiritus Sancti, & effuderit, utraque natura monstrata est, & humana scilicet, & divina; accepit quippè ut homo, effudit ut Deus.* Ubi apertè ostendit, Spiritum Sanctum à solo Deo donari, & mitti posse; ergo &c.

269. Probatur secundò, quia nullus potest cum gratia dare, & mittere Spiritum Sanctum, nisi qui ut absolutus Dominus potest gratiam conferre; sed nullus purus homo, imò neque ipse Christus Dominus ut homo, potest sic ut absolutus Dominus gratiam conferre; ergo neque cum illâ Spiritum Sanctum donare, & mittere.

270. Confirmatur primò, quia ad id requiritur authoritas principii mittentis supra personam missam, ut supra diximus; sed nullus purus homo, imò neque Christus Dominus ut homo, habet hujusmodi authoritatem principii supra Spiritum Sanctum: neque enim illum producit ut homo, sed ut Deus; ergo &c. Secundò, quia gratia, & Personæ Divinæ sunt propria Dei; sed nullus purus homo, imò neque Christus Dominus ut homo, & ratione humanitatis, habet absolutum jus ad ea, quæ sunt propria solius Dei; siquidem nulla natura creata id habet; ergo neque Christus Dominus ut homo id habet, quia *ut homo* reduplicat tantùm supra humanitatem; consequenterque non potest gratiam, & cum eâ Spiritum Sanctum donare, & mittere.

271. Dices: Huic homini, qui dicitur Christus, convenit absolutum jus ad gratiam, & ad omnia dona supernaturalia; ergo potest ea donare; consequenterque cum illis mittere Spiritum Sanctum. Respondeo ei quidem convenire tale jus, non tamen ratione humanitatis, sed ratione Suppositi Divini subsistentis in tali humanitate, de quo hîc non est sermo; sed de Christo ut homine.

272. Objicies 1. Ille potest dare Personam Divinam, qui potest donum gratiæ conferre, cùm quo infallibiliter venit ipsa Persona; sed homo justus, aut saltem Christus Dominus, ut homo, potest illud donum conferre; ergo & Personam Divinam. Respondeo negando minorem, ut patet ex dictis; nam dare importat absolutum dominium rei dandæ; hoc autem non habet ullus purus homo, imò neque Christus ut homo supra gratiam dandam, sicque neque supra Personam mittendam.

273. Instabis: Christus Dominus ut homo est primus author gratiæ in genere principii meritorii; ergo prout sic confert gratiam authoritativè; consequenterque cum illa etiam authoritativè nobis donat Spiritum Sanctum. Respondeo negando antecedens: neque enim Christus ut homo, sed ut homo Deus est primus author gratiæ, & in genere principii meritorii; siquidem est primus in genere principii meritorii, quatenùs in eo genere est infinitè dignus: est autem prout sic infinitè dignus, non ratione humanitatis, sed Divinitatis infinitè dignificantis omnia Christi opera.

274. Objicies 2. D. Paulus de se loquens ad Galat 3. sic

sic ait: *Qui tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis*; ergo cùm id fecerit Apostolus, etiam id poterit efficere alius homo justus, & à fortiori Christus Dominus etiam ut homo. Respondeo primò cum D. Aug. ad locum cit. Apostolum ibi non aliter tribuisse Spiritum Sanctum, quàm prædicando fidem Christi, quam illis recipientibus, monstrabatur signis sensibilibus, quod in eis esset Spiritus Sanctus. Hoc idem respondet D. Thom. ad eundem locum cit. *Lect. 2.* Respõdeo secundò, Apostolum ibi locutum fuisse, non de se ipso, sed de principali causa, nempè de Deo tribuente Spiritum, & virtutem operandi miracula, ut ad locum cit. exponit D. Chrysost. & cum eo *P. Ruiz cit.*

275. Objicies 3. Minister Sacramentorum tanquam causa efficiens, producit physicè gratiam; ergo cum illa tribuit, & mittit Spiritum Sanctum. Respondeo negando antecedens; neque enim Minister Sacramentorum producit effectivè gratiam, sed tantùm verba, & adhibet materiam Sacramentorum, quæ tanquam instrumenta elevantur à Deo ad producendam gratiam, sive physicè, sivè moraliter, de quo alibi.

276. Instabis: In cap. *Præsbyteris 3. de Consecrat. dist. 4. Solis*, inquit, *debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum.* Et cap. *Novissime de Consecrat. dist. 4.* ibi: *A summo Sacerdote per impositionem manûs Paracletus traditur baptizato*; ergo videtur Ministros tradere per sacramenta Spiritum Sanctum. Respondeo ibi solùm dici, Episcopos, & Sacerdotes tradere Spiritum Sanctum tanquam ministros, qui conficiunt Sacramenta, quæ tamen Deus elevat, ut tradat, & mittat Spiritum Sanctum.

SECTIO XII.

Ad quosnam fiat invisibilis Missio Personarum?

277. Difficultas 1. Utrùm ad Christum Dominum facta fuerit invisibilis Missio Spiritûs Sancti, & Filii? Dico 1. Ab instanti conceptionis posteriùs tempore nulla invisibilis Missio facta fuit ad Christum Dominum: maximè autem in ipso conceptionis instanti. Ita *D. Thom. 1. p. q. 43. art. 6. ad 3. & a. 7. ad 6. & in 1. dist. 15. q. 5. art. 1. & dist. 16. q. 1. art. 3. Alens. 1. p. q. 73. memb. 3. art. 3. ad 2. D. Bonav. in 1. dist. 16. art. 1. q. 1. Durand. in 1. dist. 15. q. 4. n. ult. Richard. ibid. art. 5. q. 1. ad 2. Carthus. q. 4. Canar. q. 43. art. 7. p. 2.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 109. sect. 5. num. 4.* Probatur prima pars, quia Missio Personæ Divinæ requirit novum modum existendi in persona, ad quam mittitur, atque antea existebat, nempè per novum effectum, præsertim sanctificationis, & gratiæ, ut supra diximus; sed Spiritus Sanctus, & Verbum nunquam fuerunt in Christo Domino novo aliquo modo, neque effectu; siquidem ab instanti Incarnationis fuit plenus omni gratia, quæ illius perfectioni non repugnabat; ergo per nullam gratiam creatam potuit ad illum mitti Spiritus sanctus, aut Verbum.

278. Probatur secunda pars, quia Christus Dominus à principio suæ conceptionis fuit plenus omni sapientiâ, & gratiâ, non solùm increatâ per Unionem Hypostaticam ad Verbum, sed etiam creatâ per infusionem omnium habituum, & actuum, quibus homo, Deum clarè videns, ornari potuit; sed Spiritus sanctus per hæc dona cœpit inhabitare animam Christi Domini novo, ac speciali modo, quo illam non inhabitaret, si in illa non darentur talia dona creata, licet in illa permaneret unio hypostatica, ratione cujus Spiritus sanctus altiori modo eam inhabitaret; ergo &c.

Confirmatur primò, quia quoties datur Persona procedens, toties mittitur; sed in primo instanti conceptionis datus est Christo Domino Spiritus sanctus, & Verbum; ergo ad eum fuerunt missi. Secundò, quia Missio visibilis est signum Missionis invisibilis; præsertim quando destinatur ad præbendum testimonium de persona, cujus verbis Deus vult adhiberi fidem; sed Spiritus sanctus fuit missus ad Christum Dominum visibiliter Joan. 3. Matth. 3. & Luc. 3. ergo supponebatur priùs missus invisibiliter, ut hoc significaretur Missione visibili. 279.

Dices: Missio non fit, nisi ad personam præexistentem ad Missionem, ut diximus supra; sed Persona Christi Domini, prout erat homo, non sic præexistebat, antequam illi præberetur omnis plenitudo gratiæ; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: non sic præexistebat prioritate reali; concedo minorem: prioritate naturæ; nego minorem: priùs enim naturâ, quàm anima Christi Domini repleretur sapientiâ, & gratiâ creatâ, præexistebat unita Verbo Divino, & in eo priori non dùm intelligebatur illis donis ornata formaliter, sed tantùm radicaliter, sicque ad illam prout sic præexistentem facta est Missio Spiritûs sancti, & Verbi per dona creata. 280.

Instabis: Talis præexistentia prioritate naturæ non sufficit ad rationem Missionis; ergo &c. Respondeo negando antecedens: alioqui neque ad animam Beatæ Virginis in instanti suæ Immaculatæ Conceptionis; neque ad Angelos, & primos parentes in instanti suæ creationis fuisset missus Spiritus sanctus, licet tunc illis fuerit data gratia gratum faciens, quod est absurdum, & improbabile. 282.

Difficultas 2. Utrùm, & quomodò ad Angelos, & homines fiat invisibilis Missio? Dico 1. Facta fuit invisibilis Missio Spiritûs sancti, & Verbi ad Angelos. Ita *Magist. in 1. dist. 15. D. Thom. ibid. q. 5. art. 1. D. Bonav. ibid. p. 2. dub. 4. Alens. 1. p. q. 73. memb. 3. art. 2. Durand. in 1. dist. 15. q. 4. n. ult. Richard. ibid. art. 5. q. 1. ad 3.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 109. sect. 5. n. 11. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 5. n. 20. P. Amicus d. 28. n. 106. P. Arriaga d. 55. sect. 5. n. 19.* Probatur primò ex D. Aug. *lib. 4. de Trinit. cap. 20. In animas sanctas*, inquit, *se transfert, atque amicos Dei, & prophetas constituit, sicut etiam implet sanctos Angelos.* Et D. Cyril. *tom. 5. lib. 5.* ad illud Isai. cap. 16. *Spiritus Domini super me. Cùm*, inquit, *naturâ Deus existat unigenâ, cùmque ex se procedentem Spiritum immittat superis Potestatibus*; ergo &c. 283.

Probatur secundò, quia toties Personæ Divinæ dicuntur missæ invisibiliter, quoties in creatura rationali sunt, & habitant novo, ac speciali modo; sed ita sunt, & habitant in Angelis per gratiam eis collatam in primo instanti suæ creationis; ergo &c. Confirmatur ex supra dictis de Missione invisibili facta Christo Domino in instanti suæ conceptionis, quæ hîc cum proportione locum habere possunt; & etiam accommodari Virgini Sanctissimæ in instanti suæ Immaculatæ Conceptionis; sicut & primis parentibus in instanti suæ creationis. 284.

Hinc colliges ad quoslibet beatos in principio beatitudinis,

beatitudinis, sive quando novas revelationes accipiunt, fieri Missionem invisibilem, ut supra diximus *n. 245. & 246.* Quomodò autem fiat Missio ad quoslibet justos viatores, quoties intensivè, aut extensivè crescit gratia? Diximus supra à *num. 239.*

285. Dico 2. Patribus veteris Testamenti facta fuit invisibilis Missio, quando justificati sunt, aut fervorem charitatis, aut gratias gratis datas acceperunt. Ita *Magist. in 1. dist. 15. D. Thom. 1. p. q. 43. a. 6. ad 1. & in 1. dist. 15. q. 5. art. 1. D. Bonav. ibid. p. 2. dub. 3. Richard. art. 5. q. 1. ad 1. Durand. q. 4. n. ult. P. Ruiz d. 109. de Trinit. sect. 5. num. 13. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 5. n. 20. P. Amicus d. 28. n. 106.* & alii. Probatur primò ex D. Aug. *lib. 4. de Trinit. cap. 20. Si antea*, inquit, *Spiritus Sanctus non dabatur: quo impleti Prophetæ locuti sunt? Cùm apertè Scriptura multis locis ostendat, Spiritu Sancto eos locutos fuisse?* Confirmatur ex illo Luc. 2. de Simone: *Spiritus Sanctus erat in eo, & responsum acceperat à Spiritu Sancto, &c.* Et D. Leo Magn. *serm. 2. de Pentecost. cap. 3. Cùm in die Pentecostes*, ait, *Discipulos Domini Spiritus Sanctus implevit, non fuit inchoatio muneris, sed adjectio largitatis: quoniam & Patriarchæ, & Prophetæ, & Sacerdotes, omnesq; Sancti, qui prioribus fuêre temporibus, ejusdem sunt Spiritûs Sancti sanctificatione vegetati*; ergo &c.

286. Probatur secundò ratione, quia Spiritus Sanctus datur per gratiam gratum facientem, per ejus fervorem, & extensionẽ ad opera heroica, ut supra diximus; sed Patribus olim ante Verbi Divini Incarnationem data fuit hujusmodi gratia, fervor, & extensio, ut constat ex omnibus libris veteris testamenti; ergo &c.

287. Difficultas 3. Utrùm ad creaturam irrationalem mittatur, aut missa fuerit Persona Divina? Negativè. Ita *Magist. in 1. dist. 17. cap. Cùmque. Alens. 1. p. q. 73. memb. 3. a 1. D. Thom. 1. p. q. 43. art. 6. & in 1. dist. 15. q. 5. art. 1. Carthus. ibid. q. 4. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 5. n. 20. P. Ruiz d. 109. sect. 9. n. 4. P. Arriaga d. 55. sect. 5. num. 19.* & alii. Probatur, quia Missio non dicitur fieri, nisi ad terminum, ad quem destinatur Persona mittenda; sed sola creatura rationalis est hujusmodi terminus; irrationalis enim solùm est quasi medium, via, & instrumentum, per quod Spiritus Sanctus in animam rationalem venire disponit; ergo &c. Confirmatur, quia Deus solam creaturam rationalem inhabitat propter se ipsam, tanquam templum vivum juxta illud 2. Cor. 6. 16 *Vos estis templum Dei vivi*: sine quo nihil curat de materiali templo, ut patet 2. Machab. 5. *Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit. Ideò & ipse locus particeps factus est populi malorum*; ergo &c.

288. Dices 1. Missio Spiritûs Sancti destinatur ad sanctificandam creaturam; sed non solùm creatura rationalis, sed etiam irrationalis sanctificatur; sic enim in veteri testamento, quæ sacrificabantur, templum, tabernaculum, & sancta Sanctorum sanctificabantur: & in novo Testamento sanctificatur materia sacramentorum, ut constat ex benedictione fontis baptismalis; calices, chrisma, & templa consecrantur; ergo &c. Respondeo hæc omnia sanctificari, & consecrari, non propter se ipsa, neque tanquam terminos, ad quos mittitur Spiritus sanctus, sed ut instrumenta, & vias, per quas Spiritus sanctus in creaturam rationalem venire disponit. Undè sicut sanitas non est formaliter in medicina, sed tantùm in animali; sic etiam sanctitas, consecratio, gratia, & Spiritus sanctus non venit, neque habitat formaliter, & propriè; nisi in creatura rationali, & per solam attributionem ad illam cætera dicuntur esse talia.

Dices 2. Illuc mittitur Persona procedens, ubi Deus speciali, & novo modo dicitur habitare, ut supra diximus; sed Deus novo, & speciali modo sedet, & habitat in templo, ut constat 2. Reg. 7. 5. & 3. Reg. 6. 13. & cap. 8. *Dominus dixit*, inquit Salomon, *ut habitaret in nebula. Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum*; ergo &c. Respondeo majorem esse veram, dummodò Deus ibi habitet, ut in termino, ad quem propter illum destinatur venire: non autem ut in instrumento, & viâ, ut fuit in nebula, & in templo. 289.

Dices 3. Spiritus sanctus mittitur pet virtutem, & effectum; sed hæc virtus mittitur etiam ad res irrationales; sic enim precatur Sacerdos benedicens fontem baptismalem: *Descendat in hanc plenitudinem fontis aquæ virtus Spiritûs Sancti*; ergo &c. Respondeo hanc virtutem mitti ad res irrationales, ut ad media, instrumenta, & vias, per quæ Spiritus sanctus disponit in animam venire, ut diximus. 290.

SECTIO XIII.

De visibili Missione Personarum?

291. Difficultas 1. Quid sit Missio visibilis? Missio visibilis ita definitur à P. Ruiz infrà citando. *Est Divinæ Personæ destinatio ad aliquem hominem sub signo sensibili, quo manifestari possit, non tantùm Personæ illius æterna processio, sed etiam inhabitatio per gratiam, & sanctitatem in homine, ad quem mittitur.* Undè Missio visibilis tria includit: Primò includit processionem æternam Personæ missæ, quod est de ratione communi, & quasi generica Missionis. Secundò includit sensibile signum illius processionis, sive actu, sive potentiâ manifestativum. Tertiò dicit respectum ad præsentem sanctitatem hominis, ad quem pervenit; siquidem destinatur ad manifestandam inhabitationem Personæ per gratiam in illo.

292. Dices 1. Ex D. Aug. nihil amplius videtur requiri ad Missionem visibilem, quàm apparitio Personæ per aliquod signum sensibile, ut insinuare videtur *lib. 12. de Trinit. cap. 5.* ibi: *Operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus, Missio Spiritûs Sancti dicta est.* Idem habet *lib. 3. de Trinit. cap. 2.* ergo &c. Respondeo D. Aug. ad communem quidditatem Missionis etiam requirere processionem æternam, ut supra vidimus. Undè hìc solùm apposuit illud, per quod Missio visibilis distinguitur ab invisibili, cætera supponens utrique communia,

293. Dices 2. Angelus mittitur ad hominem, quoties visibiliter apparet, licet ejus sensibile signum non manifestet, neque processionem Angeli, neque sanctitatem hominis, neque inhabitationem illius in homine; ergo sic etiam poterit dici Persona Divina missa ratione solius apparitionis sensibilis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Angelus localiter movetur, sicque localiter est præsens, ubi priùs non erat, & ea ratione dicitur venire, & mitti: at verò Persona Divina non potest esse præsens, ubi antea non esset, cùm sit in omni loco, sicque solùm potest esse præsens novo, & speciali modo, ubi priùs non

erat tali modo; talis autem modus non est simpliciter, & absolutè, nisi per gratiam, ut supra diximus.

294. Hinc colliges, Missionem visibilem distingui ab apparitione, quatenùs illa hanc includit, addit tamen alias rationes supra assignatas. Undè licet Pater olim apparuerit, aut Deus in ratione Dei, talis apparitio non fuit Missio visibilis; siquidem non manifestabatur processio æterna, quam Pater, & Deus in ratione Dei non habent, cùm à nullo procedant; neque talis apparitio destinabatur ad manifestandam sanctitatem, & habitationem Dei in homine.

295. Difficultas 2. Utrùm, & quomodò Missio visibilis supponat, includat, & conveniat cum invisibili? Dico 1. Missio visibilis semper supponit invisibilem per inhabitantem gratiam. Ita *D. Thom. in 1. dist. 16. q. unica a. 1. & sumitur hìc ex a. 7. ad 4. & ad 6. D. Bonav. in 1. dist. 16. art. unico q. 1. Durand. Scot. Argent. Marsil. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 4. à n. 8.* & alii, quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 109. sect. 8. n. 3. & 9.* Probatur, quia Missio visibilis destinatur ad manifestandam invisibilem; ergo illam supponit manifestandam.

296. Dico 2. Missio visibilis non includit essentialiter, sed solùm materialiter, & in obliquo Missionem invisibilem. Ita Doctores proximè citati. Probatur primò, quia Missio visibilis manifestat invisibilem, ut diximus; ergo sunt inter se distinctæ; consequenterque una non est pars essentialis alterius.

297. Probatur secundò, quia nulla res potest existere sine eo, quod est sibi essentiale; sed Missio visibilis existit, quando jam non existit, imò præteriit invisibilis, ut patet in Christo Domino, ad quem baptizatum facta est Missio visibilis Spiritus sancti in specie columbæ, quod signum non poterat ostendere Missionem invisibilem, quæ non eo tempore, sed in instanti conceptionis fuit facta, ut diximus; ergo &c.

298. Dico 3. Missio visibilis, & invisibilis conveniunt in ratione Missionis analogicè. Ita *P. Ruiz cit. n. 12.* & alii. Probatur, quia ratio Missionis primariò convenit invisibili, quæ integram retineret quidditatem Missionis, licet non daretur Missio visibilis; huic autem secundariò, & per attributionem ad illam tanquam illius signum, ita ut, illâ sublatâ, hæc non daretur; sed hoc stare non potest cum univocatione; ergo &c.

299. Difficultas 3. Utrùm Patribus veteris testamenti factæ fuerint propriè Missiones visibiles? Negativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 43. art. 7. & in 1. dist. 16. q. 1. art. 2. & 3. ad ult. Alens. 1. p. q. 74. memb. 3. ad 1. D. Bonav. in 1. dist. 16. art. 1. q. 2. Richard. a. 1. q. 3. ad 1. Durand. q. 2. art. 1. Major. Carthusian. Aureol. Albert. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 6. n. 23. P. Ruiz d. 109 de Trinit. sect. 9. n. 10. P. Amicus d. 28. n. 106.* & alii. Probatur primò, quia Missio visibilis propriè dicta, fit ad significandam, & manifestandam inhabitationem Personæ Divinæ per gratiam in anima justorum; sed illæ apparitiones non fuerunt ad id factæ, sed ad aliud significandum; ergo &c.

300. Probatur secundò, quia ad rationem Missionis visibilis propriè dictæ requiritur, quod sit repræsentatio, & manifestatio processionis æternæ Personarum; sed nulla apparitio in veteri testamento expresè, & distinctè repræsentabat unam Personam ut distinctam, sicque neque ut procedentem ab alia, sed satis obscurè, ut scribit D. August. *lib. 2. de Trinit. cap. 17. Non evidenter,* inquit, *nominato, & designato in eis, vel Patre, vel Filio, vel Spiritu Sancto*; ergo &c.

Confirmatur primò, quia Missio visibilis per se ordinatur ad manifestandam Personam, quæ mittitur; sed illæ apparitiones solùm impropriè, & obscurè manifestabant Personas; ergo solùm impropriè dicendæ sunt Missiones. Secundò, quia congruens erat, ut priùs deberet fieri expressa Missio visibilis Verbi per Incarnationem, ad quam omnes illæ veteres apparitiones ordinabantur, tanquam umbræ ad veritatem, & figuræ ad suum prototypum; ergo &c. 301.

Hinc colliges primò, omnes illas apparitiones, de quibus fit mentio in Scriptura *Gen. 18. & Gen. 19. 13. & Gen. 32. Exod. 19.* aliisque locis, non esse dicendas Missiones, nisi impropriè, in quo sensu intelligendi sunt Sancti Patres, si qui illas Missiones appellant: tùm quia aliquo modo subobscurè significabant Personam procedentem ab alia Persona: tùm etiam quia conferebant aliquam cognitionem supernaturalem utilem ad salutem, quod sufficit ad Missionem impropriè, & secundùm quid, ut patet ex supra dictis: tùm denique quia supponebant familiaritatem Dei cum homine vidente. 302.

Secundò, nullâ notâ dignum esse, qui simpliciter, & absque aliqua declaratione, dixerit, Filium fuisse visibiliter missum humana specie ad Patres veteris testamenti: tùm quia huic propositioni favet Scriptura locis citatis, & expositio Patrum ad illa apud *P. Ruiz cit.* tùm etiam, quia sumi potest nomen *Missio visibilis* latiùs, quàm à Theologis sumitur. 303.

Tertiò, Personam Patris, licet nunquam fuerit missa, prout supra diximus, quia à nulla procedit, visibiliter tamen apparuisse Patribus veteris testamenti adeò certum est, ut teste D. August. *lib. 12. de Trinit. cap. 17.* Nimis temerarium sit dicere, Deû Patrem nunquam Patribus, aut Prophetis per aliquas visibiles formas apparuisse, Quod etiam sequenti *cap. 18.* confirmat visione Danielis *cap. 7.* 304.

Difficultas 4. Utrùm species, sub quibus Personæ Divinæ visibiliter mittebantur, factæ fuerint Angelorum ministerio? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 43. art. 7. ad 5. & in 1. dist. 16. art. 4. quæst. 1. Alens. 1. p. q. 74. memb. 4. D. Bonav. in 1. dist. 16. art. 1. q. 1. ubi Richard. Argent. Carthus. Ægid. & alii. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 6. n. 13. P. Vasq. 1. p. d. 185. cap. 2. P. Molin. 1, p. q. 51. art. 2. P. Valent. 1. p. d. 4. de Angel. q. 2. punct. 2. P. Pereir. in Gen. cap. 32. vers. 23.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 109. sect. 10. n. 4. P. Arriaga 1. p. d. 55. sect. 5. n. 19.* & alii. Probatur primò ex illo ad Galat. 3. ibi: *Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est, ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Ubi D. Hieron. *Quod ait Apostolus,* inquit, *lex per Angelos, hoc vult intelligi, quod in omni veteri testamento, ubi Angelus primum visus refertur, & postea quasi Deus loquens inducitur, Angelus quidem verè ex ministris pluribus quicumque sit visus, sed in illo Mediator loquatur, qui dicit: Ego sum Deus Abraham, &c.* Et ad Heb. 2. ibi: *Qui per Angelos factus est sermo.* Et Actor. 7. ibi: *Apparuit illi in deserto montis Synâ Angelus in igne flammæ rubi*; ergo &c. 305.

Probatur secundò authoritate Sanctor. Patrum, D. Aug. *lib. 3. de Trinit. cap. 1. & 11.* ubi post multa, quibus hanc conclusionem probare intendit ita concludit: *Jam satis,* inquit, *quantùm existimo, pro captu nostro disputatum, & demonstratum est, & firmitate authoritatis, quantum de Scripturis sanctis divina eloquia patuerunt, quod antiquis Patribus ante Incar-* 306.

Incarnationem Salvatoris, cùm Deus apparere dicebatur, voces illæ, ac species corporales per Angelos factæ sunt. Idem habet D. Greg. *lib. 28. Moral. cap. 2.* & alii.

307. Probatur tertiò ratione, quia ordinatissima Dei providentia postulat, ut creaturæ inferiores gubernentur, & illuminentur per superiores, & non immediatè per ipsum Deum; sic enim Angeli inferiores per superiores illuminantur ex D. Dionys. *cap. 7. & 8. de cœlesti hierarch.* ergo apparitiones illæ, non immediatè ab ipso Deo, sed per Angelos Patribus fuerunt factæ, & nunc hominibus Sanctis fiunt ex eodem D. Dionys. *de cœlest. hierarch. cap. 4. Per Angelos*, inquit, *nobis donatæ sunt divinæ revelationes, & gloriosos ante legem, & post legem Patres ad divinum reducebant.*

308. Confirmatur primò, quia supremum opus Incarnationis supremæ personæ creatæ, nempè Virgini Sanctissimæ, non immediatè à Deo, sed per Angelum fuit annunciatum; ergo idem dicendum de illis apparitionibus. Secundò, quia Deus utitur ministerio Angelorum ad excitandas, & promovendas interiores actiones sanctitatis; ergo à fortiori ad faciendas apparitiones visibiles.

309. Objicies 1. Si Persona Divina non operaretur, & moveret immediatè res illas, quibus debebat repræsentari, sequeretur, non Personam Divinam, sed tantùm Angelum apparere, ac mitti; siquidem ille Spiritus censetur apparere in corporibus assumptis, qui talia corpora format & movet; neque enim aliter eis unitur, nisi tanquam efficiens, & movens; hoc autem non est dicendum; ergo neque illud, ex quo sequitur.

310. Respondeo negando sequelam, & ejus probationem; neque enim ille Spiritus censetur apparere in corporibus assumptis, qui illa format, & movet, sed qui in illis repræsentatur, & cujus nomine loquuntur, & agunt, ut patet ex D. August. *contr. Adamant. cap. 9. Quemadmodum*, inquit, *Verbum Dei, quod est Christus, in Propheta loquitur veritatem, sic etiam in Angelo ipse loquitur, quando veritatem Angelus annunciat.* Quod etiam exemplo declarat. *lib. 3. de Trinit. cap. 11. Cùm verba judicis*, inquit, *præco pronunciat, non scribitur in gestis: Ille præco dixit, sed ille judex.*

311. Objicies 2. In novo Testamento non interveniebat ministerium Angelorum, ut fierent, & moverentur corpora, & voces, quibus Spiritus Sanctus mittebatur, aut Pater apparebat, & ostendebatur; ergo neque in veteri testamento. Respondeo negando antecedens: neque enim ratio ordinatæ providentiæ, quam supra assignavimus, minorem vim habet in Novo, quàm in veteri Testamento: præsertim cùm repræsentatio Personæ divinæ, quæ visibiliter mittitur, non impediatur, licet corpora repræsentantia fiant, & moveantur ministerio Angelorum, ut proximè diximus.

312. Instabis: In apparitionibus veteris Testamenti frequenter fit Angelorum mentio, non autem in Novo, sed tantùm Personæ Divinæ; ergo licet apparitiones in veteri Testamento factæ fuerint Angelorum ministerio, non ita in Novo, sed per ipsas Personas immediatè. Respondeo negando consequentiam quoad secundam partem: licet enim propter evidentiorem demonstrationem Personæ missæ; nec non ob majorem dignitatem Novi Testamenti, non fiat mentio Angelorum in Missionibus, & apparitionibus Personarum, ibi tamen in omnibus adhibebatur occultum Angelorum ministerium.

313. Difficultas 5. Utrùm signa, quibus se Deus, aut Persona divina ostendit, tam in Veteri, quàm in Novo Testamento, fuerint hypostaticè unita? Negativè. Ita *Magist. in 1. dist. 16. cap. 3. D. Thom. 1. p. p. 43. art. 7. ad 2. & in 1. dist. 16. q. 1. art 1. ad 1. ubi D. Bonav. q. 3. Scot. q. unica ad 1. Richard. a. 1. q. 5. ad 3. Argent. q. unica art. 2. Carthus. q. 3. Aureol. Marsil. q. 19. art. 3. Torres. 1. p. q. 43. art. 7. p. 2. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 6. num. 19. & 20.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz. d. 109. sect. 11. n. 5.* qui oppositum dicit dignum erroris notâ. *P. Arriaga d. 55. sect. 5. n. 19. P. Præposit. 1. p. q. 43. dub. 2. n. 4. P. Molin. 1. p. q. 43. art. 7. d. 1.* & alii.

314. Probatur primò ex Scriptura Matth. 2. Luc. 3. Marc. 1. & Joan. 1. ubi dicitur D. Joan. Baptistam vidisse *Spiritum Dei descendentem sicut columbam*, sive *quasi columbam corporali specie*: quæ denotant, Spiritum sanctum non fuisse, sed apparuisse sub imagine columbæ. Et D. August. *lib. 4. de Trinit. cap. 21* de columba, & linguis igneis sic ait: *Cùm ad ejus Personæ unitatem, sicut caro, quod Verbum factum est, non copularetur.* Et infrà. *Quis hoc dixerit, ut quidquid illud est creaturæ, per quod sonuit vox Patris, ita sit Deus Pater; aut quidquid illud est creaturæ, in quo per columbæ speciem, vel per linguas igneas Spiritus Sanctus demonstratus est, ita sit Spiritus Sanctus, sicut est Dei Filius homo ille, qui de Virgine factus est.* Idem habet *lib. 2. de Trinit. cap. 6. & in Joan. tract. 99.* Ubi id tanquam de fide docet.

315. Probatur secundò rationibus: Prima, quia cùm unio hypostatica sit res tanti momenti, non est asserenda sine testimonio Sacræ Scripturæ; hoc autem nullibi apparet. Secunda, quia quod Deus assumeret naturas irrationales, imò & inanimes, licet non implicet, ut alibi ostendimus in *Met. tr. 2. d. 4. à num. 375.* non erat conveniens, ut ibidem diximus, & alibi dicemus. Tertia, quia semel admissâ unione hypostatica columbæ, sequeretur in cæteris apparitionibus, tùm Veteris, tùm Novi Testamenti fuisse etiam corpora hypostaticè assumpta, cùm non detur major ratio; ex hoc autem plura sequerentur inconvenientia. Quarta, quia si semel assumerentur, non expediebat post unionem hypostaticam res illas statim demitti, & destrui. Quinta, quia unio hypostatica non requirebatur ad finem illarum apparitionum; ergo &c.

316. Hinc est, sententiam Tertul. *lib. de carne Christi cap. 3.* fine. meritò ab omnibus rejici, quatenùs asserit, columbam, quæ apparuit Christo baptizato, fuisse hypostaticè unitam Personæ Spiritûs Sancti; dicit enim: *Qui Spiritus cùm hoc esset, tam verè erat & columba, quàm & Spiritus: nec interfecerat substantiam propriam, assumptâ substantiâ extraneâ*: ex quo probat, Verbum potuisse carnem assumere. Neque audiendi sunt, qui cum Pamelio ad eundem lib. Tertul. *annotat. 29.* putant, idem sensisse D. Aug. *lib. de Agone Christian. cap. 22.* siquidem ibi, ut ait *P. Soar. cit. num. 19.* solùm affirmat, corpus illud columbæ fuisse verum, & reale, indicatque fuisse veram columbam (de quo infrà,) non autem dicit, fuisse hypostaticè unitam.

317. Difficultas 6. Quid utilitatis habeat signum corporeum, & visibile in Missione visibili, cùm tamen Persona divina venire non cognoscatur, nisi per interiorem mentis illuminationem? Respondeo quatuor inter alias esse hujusmodi visibilis signi utilitates. Prima, quia cùm nostra intellectualis cognitio non fiat, nisi per conversionem ad phantasmata rerum sensibilium, suaviùs, & congruentiùs cognitio etiam supernaturalis excitatur per signa sensibilia; ut rectè dixit D. Aug. *lib. 2. de*

Trinit. cap. 5. ibi: *Ut exterioribus visis hominum corda commota, à temporali manifestatione venientis, ad occultam æternitatem semper præsentis converterentur.*

318. Secunda est certitudo miraculi exterioris, atque sensibilis, quod confirmat veram esse interiorem illuminationem, & inspirationem de adventu Personæ Divinæ. Tertia est gaudium, & alacritas, quæ per illam sensibilem apparitionem in totum corpus diffunditur, cujus ratione redditur promptissimum, & aptissimum, ut ministeriis spiritualibus serviat, per quæ possit in alios gratiam, & sanctificationem diffundere. Quarta est analogia signi sensibilis, quod ut hierogliphycum multis proponitur, ut ex illo conjiciant finem, & proprietates rerum, quæ per illud significantur. Vide plura apud *D. Thom. hic art. 7. & in 1. dist. 16. art. 1. ad 6. ubi D. Bonav. art. unico q. 2. Scot. q. unica. Richard. art. 1. q. 2. Argent. q. unica art. 1. Alens. 1 1. p. q. 74. memb. 2.*

SECTIO XIV.

De qualitatibus, & circunstantiis rerum, quæ sentiuntur in Missione visibili; & singularum Missionum congruentiis.

319. DIco 1. Res, quæ sentiuntur in Missione visibili, debent esse tales, ut in illis deprehendatur aliquod miraculum superans vires naturæ. Probatur, quia alioqui talis Missio non excitabit mentem ad cognoscendam præsentiam Personæ Divinæ; aut quidem non magis, quàm omnes res naturales excitant; ergo &c.

320. Dico 2. Res præexistentes, licet aliquando significaverint Christum Dominum, aut Spiritum Sanctum, non sunt sufficientes ad Missionem, sive apparitionem, nisi *repentè*, aut *ex tempore* fiant tantùm ad significandum. Ita deducitur ex D. Aug. *lib. 2. de Trinit. cap. 5. & 6. D. Thom. 1. p. q. 43. a. 7.* & tenet cum illis *P. Ruiz d. 109. sect. 12. n. 2.* Probatur, quia ex Gloss. Ordin. ad illud Actor. 1. *Per dies quadraginta apparens eis: Apparere dicitur*, inquit, *quod insolitum est*; sed omnis Missio visibilis, ut supra diximus, includit apparitionem, & addit aliquid aliud; ergo quando fit, debet repentina, & non separata tunc temporis specie rerum sensibus offerri. Confirmatur ex Cassian. *lib. 2. de Incarnat.* ad illud ad Tit. 2. *Apparuit gratia Dei: Hoc*, inquit, *rectissimè apparuisse dicitur, quod subita quasi apparitionis luce monstratur. Sicut in Evangeliis apparuisse stellam Magis Orientalibus legimus.*

321. Hinc colliges primò, per quæcumque sacramenta tùm veteris, tùm Novæ legis non fuisse factas, nec fieri Missiones visibiles Spiritûs Sancti, licet illa sint sensibilia signa gratiæ, per quæ Spiritus sanctus invisibiliter mittitur in animam. Patet primò, quia in illis nihil repentinum, & miraculosum sensibus occurrit, quo tanquam signo monstretur adventus Spiritûs sancti. Secundò, quia Missionem visibilem Spiritûs sancti multoties comitatur, aut præcedit Missio invisibilis, ut supra diximus; signa autem sensibilia Sacramentorum in lege veteri non conferebant gratiam; & multoties eam non conferunt in lege nova propter obicem, quem recipiens apponit effectui Sacramentorum; ergo &c. Secundò colliges, neque ad Eucharistiam, neque per Eucharistiam esse ad animam Missionem visibilem Verbi divini, quandiu nihil insolitum sensibus occurrit. Tertiò colliges, Missionem visibilem universaliter non fieri ad sacramenta, neque per sacramenta ad suscipientes. Ita *Alens. 1. p. q. 74. memb. 5. D. Thom. 1. p. art. 7. ad 2. & in 1. dist. 16. q. 1. art. 1. ad 3. ubi Richard. art. unico q. 1. ad 2 Carthus. q. 1. Canar. 1. p. q. 43. a. 7. p. 1. Notab. 2. P. Soar lib. 12. de Trinit. cap. 6. n. 12. & 13. P. Ruiz d. 109. sect. 12. n. 4.*

322. Dico 3. Missiones visibiles non fiunt per imaginarias visiones, quæ solùm repræsentantur in sensibus interioribus, sed per corpora realia sensibus externis perceptibilia, præsertim visu, & auditu, quibus iidem sensus realiter immutantur. Ita D. Aug. *lib. 2. de Trinit. cap. 6. D. Thom. 1. p. q. 43. art. 7. ad 2. & in 1. dist 16. q. 1. art. 3. ad 1. ubi Richard. art. unico q. 5. Durand. q. 3. n. 9. & 10. Major. q. unica. Argent. q. unica a. 3. Carthus. q. 2. Aureol. a. 5. Marsil. q. 19. art. 4. Canar. in 1. p. q. 43. art. 7.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 109. sect. 12. n. 7.* Probatur, quia Scripturæ verba, quibus referuntur singulæ Missiones visibiles, planè, & simpliciter significant, res, quæ in illis apparuerunt, fuisse sensibus exterioribus visas, auditas, aut tactu perceptas; ergo &c.

323. Dico 4. Ad rationem Missionis visibilis non est necessarium, res illas, quæ sensibus objiciuntur, esse veras, ejusdemque naturæ, cujus apparent. Ita pro certo supponunt omnes Scholastici, licet dubitando inquirant, utrum de facto res illæ fuerint veræ, an solùm apparentes? Ita de facto inquirunt *D. Thom. 3. p. q. 39. art. 6. & 7. & in 1. dist. 16. q. 1. art. 3. ad 3. ubi Durand. Richard. Major. Carthus. Aureol. Marsil. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 6. à n. 14.* pro quo:

324. Dico 5. Res, quæ apparuerunt in signis illis, fuerunt res aliquæ veræ, & non solùm apparentes. Probatur, quia, ut diximus, fuerunt & debuerunt esse res visibiles, & sensibus percepibiles; hoc autem non haberent, nisi essent res aliquæ veræ, & quoad qualitates sensibiles, ut sic sensibus percipi possent; ergo &c.

325. Hinc colliges primò, si signum sit sonus, debere esse verum sonum, alioqui non posset auditum immutare. Secundò, si sit vox, non opus esse, ut habeat proprietatem vocis, nempè procedere immediatè ab anima, media imaginatione, seu phantasia; hæc enim proprietas non percipitur sensu auditûs; debere tamen esse sonitum formatum ad instar veræ vocis articulatæ; alioqui neque vox dici posset, neque significare id, ad quod significandum imposita est vera vox. Tertiò, si signum sit res aliqua lucida, aut ignea, debere habere veram lucem; alioqui non posset visum immutare: non tamen opus erit, ut sit verus ignis, aut quid simile, quod per se percipi non possit, ut patet ex supra dictis, & ex dicendis patebit.

326. Quartò, idem dicendum de sensibilibus communibus, quæ etiam per se percipiuntur, sicque quoties motus aliquis localis, aut figura, v. g. linguæ igneæ, dicuntur apparuisse in his signis, debet esse verus, & realis motus, & vera figura: tùm quia facillimo negotio id fieri potest; tùm etiam quia sic possunt optimè visu, & auditu percipi.

327. Dico 6. Quando corpora, quæ in his signis assumuntur sunt ex simplicibus, aut illis proximis, quæ versantur in hac aëris regione, sunt; in communi hominum usu, sunt vera corpora, & talia, qualia nominantur, ita ut si dicatur esse aër, aut ventus, aut quid simile, sit verus aër, & verus ventus,

ventus, ut dicitur. Probatur, quia hæc corpora sunt veluti prima materia, ex qua alia apparentia corpora fieri solent; ergo cùm ipsa dicuntur assumi in signa, non sunt apparentia, sed vera.

328. Hinc colliges primò, quando corpora, quæ apparere dicuntur, sunt substantiæ perfectioris, opus non esse, quod sint verè tales, quales apparêt in ipsis signis: tùm quia id necessarium non est ad usum talium signorum: tùm etiam, quia illæ substantiæ non percipiuntur, quod necessarium esse diximus ad Missiones visibiles.

329. Secundò, flatum illum à Christo Domino emissum, cùm dicitur Joan. 20. *Insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum*: fuisse verum flatum. Patet, quia insufflatio Christi Domini fuit vera, corporalis, & vitalis, fecitque verum motum localem in aëre oris Christi, quem versùs Apostolos emisit; hæc autem solùm sunt de ratione veri flatûs; neque ibi necessaria erat aliqua fictio, etiam materialis, imò vix poterat intercedere; ergo &c.

330. Tertiò, Spiritum illum vehementem, qui in die Pentecostes replevit totam domum, fuisse verum aërem, verè, ac realiter commotum, & ingressum fuisse domum illam corporalem, nempè cœnaculum. Utrùm autem fuerit verus ventus in omni rigore philosophico? Non multum curandum. Non tamen repugnat *P. Soar. cit. n. 18.*

331. Quartò, linguas illas, quæ etiam in die Pentecostes visæ sunt, certum esse non fuisse carneas; imò verius neque igneas: tùm quia verus ignis ob magnam ejus activitatem vix posset sine novo miraculo ad usum talium signorum assumi: tùm etiam quia littera ad id non cogit, imò contrarium indicare videtur, cùm dicit: *Et apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Actor. 2. tùm denique quia ad mysterium per indè erat, si linguæ illæ fuissent lucidæ, & ignitæ, ut sunt *Cometæ*. Undè *P. Soar. cit. n. 18.* credit fuisse exhalationes aliquas, aut aërem condensatum, idque sufficere.

332. Dubium majus hîc est: Utrùm columba illa, in qua Spiritus sanctus apparuit, & vilus est descendere in baptismo Christi Domini, fuerit vera columba, & verum animal? Negativè. Ita *D. Amb. lib. 1. de Sacrament. cap. 5. D. Chrysost. in Matt. hom. 12. Procop. in gen. cap. 18. Lyra in Matt. 3. D. Thom. in 1. dist. 17. q. 1. a. 3. ad 3. Ægid. ibid. q. 2. Durand. q. 34. Cajet. 3. p. q. 39. a. 7. & in Matt. 3. Torrez 1. p. q. 43. a. 7. Abulen. in Matt. 3. q. 84. D. Aug. Epist. 102. P. Molin. 1. p. q. 43. a. 7. d. 2. P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 6. & tom. 2. in 3. p. d. 27. sect. 2. P. Ruiz d. 109. de Trinit. sect. 12. n. 10. P. Præposit. 1. p. q. 43. art. 7. dub. 2. n. 4.* & alii.

333. Probatur primò ex D. Aug. cit. *Epist. 102. & lib. 3. de Mirabilibus Scriptur. cap. 5. Quamvis*, inquit, *corporali specie Spiritus Sanctus super Dominum descendere dicitur, non tamen de avibus sumpsisse columbam, sed ex aëre minimè dubitatur.* Dicent 1. D. Aug. intelligendum esse de assumptione columbæ ad unionem hypostaticam. Sed contra, quia alioqui posterior pars esset falsa; siquidem hoc modo neque veram, neque apparentem columbam assumpsit Spiritus Sanctus.

334. Dicent 2. D. Aug. solùm negare illam columbam sumptam esse ex avibus præexistentibus, non autem fuisse verum animal de novo ex aëre procreatum. Sed contra, quia id est contra rationem, quam statim subjungit dicens: *Nequaquam enim ex avibus Spiritum sanctum necesse fuit corpus assumere, dùm aves in nullo transgressæ sunt leges naturæ, &c.* Quæ ratio licet directè solùm probet, columbam non fuisse hypostaticè assumptam, hinc etiá voluit concludere, non oportuisse, ut esset vera, sed solùm apparens, ut dixerat in principio capitis, & insinuat *lib. 2. de Trinit. cap. 5.* ubi eodem modo loquitur de columba, & de igne, quem D. Aug. cit. *Epist. 102.* docet non fuisse verum ignem.

335. Probatur secundò ex D. Amb. *lib. 1. de Sacram. cap. 5. Non columba descendit*, inquit, *sed quasi columba: Christus carnem suscepit, non sicut carnem, sed carnis veritatem; Spiritus autem Sanctus in specie columbæ, non in veritate columbæ.* Et Optat. Milevitan. *lib. 4. contr. Parmenian. Spiritale*, inquit, *oleum in imagine columbæ descendit.* Et D. Nazian. *orat. 29. Descendit*, inquit, *ut columba corporeo modo conspecta.* Idem videntur sentire *D. Chrysost. Euthym. & Theophylact. Matt. 3.* qui semper vocant *speciem columbæ*, seu *quasi columbam.*

336. Probatur tertiò rationibus: Prima, quia Deus nihil frustra operatur; sed ad finem illius apparitionis satis, superque erat imago columbæ, cùm solùm esset ad repræsentandum, & significandum adventum Spiritûs sancti, ad quod satis erat similitudo columbæ; ergo non fuit verum animal, sed sola illius similitudo ministerio Angelorum ex aëre fabricata.

337. Secunda, quia sicut de igne in die Pentecostes dicitur Actor. 2. *tanquam ignis*, ita de columba dicitur Matt. & Luc. 3. *sicut columba*, & Marc. 1. *tanquam columba*, & Joan. 1. *quasi columba*; sed omnes concedunt, linguas illas non fuisse verum ignem, sed solâ ignis similitudinem; ergo etiam columba non fuit vera columba, sed illius tâtùm imago, & similitudo.

338. Tertia, quia post factam repræsentationem illam, aut columba erat corrumpenda, & destruenda, (ut contrarii fatentur;) aut erat permansura, ut cum aliis avolaret: Non primum: tùm quia superflua fuisset illius creatio: tùm etiam quia Deus non solet destruere ea, quæ condidit, quando alioqui ex propriis eorum principiis, & causis corruptio non sequitur: Non secundùm: tùm quia hoc non erat decens; tùm etiam quia ad confirmandum miraculum non erat necessarium, aut admodùm utile; ergo &c.

339. Oppositum tenent *D. Thom. 3. p. q. 39. a. 7. cum D. Aug. lib. de Agone Christian. cap. 22.* tribuitur etiam D. Chrysost. *hom. 12. in Matt. & hom. 4. in Acta.* tenent etiam D. Ansel. Matt. 3. Hugo Cardinal. in Joan. 1. & aliqui Scholastici *in 1. dist. 16.* pro quibus: Objicies 1. Si Spiritus Sanctus in sola specie columbæ apparuisset, decepisset Joannem aspicientem, & credentem esse veram columbam; hoc autem non decuit; cùm ipse sit Spiritus veritatis, quem non decet fictione uti, & homines fallere; ergo &c. Respondeo negando majorem; ipse enim Joannes agnovit non fuisse veram columbam, sed ejus effigiem, ut habetur Joan. 1. *Testimonium perhibuit Joannes dicens. Quia vidi Spiritum Sanctum descendentem quasi columbam.* Accedit, quod si argumentum esset alicujus momenti, probaret etiam, Spiritum Sanctum decepisse Apostolos, quando in specie ignis, & non in vero igne super eos descendit.

340. Objicies 2. Filius Dei apparuit in vera humanitate; ergo & Spiritus sanctus in vera colûba. Resp. negando consequentiam; diversa ratio est, quia Filius assumpsit humanitatem in unitatem Suppositi, ut per eam mereretur, & redimeret genus humanum: at verò Spiritus sanctus solùm usus est specie columbæ, ut significaret suam præsentiam, ad quod non erat opus vero animali.

341. Quæres tamen hîc: Utrùm hæc columba apparuerit super Christũ Dominum antę; an post illius

baptismum; aut utroq; tempore? Caiet. *in Matt. 3.* & alii opinantur, columbam descendisse ante baptismum, quod colligunt ex verbis Joannis: *Super quem videris Spiritum sanctum descendentem, & manentem, ipse est, qui baptizat*: ex quo sequi videtur, antequam Joannes Christum baptizaret, vidisse Spiritum descendentem & manentem super Christum, quia antea illum non cognovit, ut ipse videtur significare, cùm dixit: *Et ego nesciebam eum.* Joan. 1. 31.

342. Nihilominùs *P. Tolet. Joan. 1. annotat. 72.* id audacter dictum judicat, quatenùs sine ullo Scripturæ fundamẽto id confingunt. Certum igitur est, ut asserit ipse *P. Tolet. & P. Soar. tom. 2. in 3. p. d. 27. sect. 2.* columbam apparuisse, Jesu baptizato, ut dixit Luc. 3. imò expresè Matt. 3. dicit, Christum post baptismum ascendisse de aqua, & statim vidisse cœlos apertos, & Spiritum descendentem quasi columbam, ergo credendum est, tunc solùm apparuisse columbam. Undè ad rationem adductam dicendum est cum eodem *P. Tolet.* & cum *P. Soar. cit.* Joannem antea, cùm esset in deserto, (ad quem referenda sunt citata verba) ignorasse Christum de facie, quia eum non dùm viderat, licet certò sciret jam esse in mundo; postea ante baptismum privata revelatione illum agnovisse absque signo externo; postea autem publica revelatione, & aptiori ad testimonium de Christo reddendum.

343. Ex dictis colliges primò, cur Verbum in Missione visibili assumpserit hypostaticè terminum, sive rem in qua apparuit; & non ita assumpserit Spiritus sanctus res sensibiles, in quibus apparuit; siquidem cùm Filius sit missus ut Author nostræ justificationis, & sanctitatis, conveniens fuit, ut assumeret hypostaticè naturam humanam, ut sic Persona per illam posset nobis mereri justificationem, ut diximus: at verò in Missione Spiritûs sancti res sensibiles solùm fuerunt indicium præsentiæ illius, & sanctificationis, aut alicujus virtutis, vel gloriæ, ut in Missione Spiritûs sancti ad Christum Dominum; ad hæc autem munia opus non fuit res, in quibus apparuit, sibi hypostaticè unire, ut etiam supra diximus.

344. Secundò, posse unam Personam mitti sine alia Missione visibili. Patet, quia ab actu ad potentiam benè valet argumentum; constat autem de fide in Incarnatione solùm Filium missum fuisse Missione visibili, ut jam supra diximus. Deindè una potest peculiariter repræsentari per res externas, & non ita repræsentari alia; sic enim peculiariter apparuit Spiritus sanctus per Nubem, Columbam, &c.

345. Dices: Secluſa unione personali, reliqua omnia, quæ sunt realia, aut dicunt operationem *ad extra*, sunt cõmunia omnibus tribus Personis; ergo nulla supereſt ratio, ob quam tales Missiones censeantur propriæ Spiritûs sancti. Resp. cum *P. Soar. lib. 12. de Trinit. cap. 6. n. 22.* hujusmodi Missiones non attendi secundùm efficientiam illius formę, aut signi, sub quo dicitur fieri Missio; talis enim efficientia est communis omnibus Personis; sed attendi secundùm repræsentationem, & significationem ipsius formæ, aut signi, quam non est necesse esse communem toti Trinitati. Sicut enim hac voce *Spiritus sanctus*, ut ait D. Aug. & nos supra diximus, significatur specialiter tertia Persona, & non aliæ, ita per columbam potuit repræsentari Persona Spiritûs Sancti, & non aliæ; sicque ob hanc singulam repræsentationem talis Missio est propria Spiritûs sancti, quia sub illo signo singulariter apparere dignatus est, & ut ita appareret emiserunt eum Pater, & Filius.

Instabis: Ex communi Theologorum axiomate: *Omnia opera Trinitatis ad extra sunt indivisa*; sed 346.
Missiones illæ sunt operationes *ad extra*; ergo sunt indivisæ; consequenterque non sunt propriæ solius Spiritûs sancti. Resp. axioma illud non habere hìc locum; siquidem repræsentari per talia signa non est opus *ad extra*, sed quædam denominatio extrinseca, sive relatio rationis, qualem etiam Missio importat ex parte illa, quâ temporalis est.

Tertiò colliges, Beatissimæ Virgini datam fuisse visibilem Missionem Spiritûs sancti die Pentecostes cum omnibus Apostolis, ut omnes Scholastici pro certo supponunt, & planè colligitur ex illo Act. 1. 13. *Omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Mariâ Matre* Jesu. Et Actor. 2. 1. *Erant omnes pariter in eodem loco.* Et infrà: *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ.* 347.

Utrùm verò Beatissima Virgo alias visibiles Missiones Spiritûs sancti sibi peculiares acceperit? 348.
Negat *D. Thom. in 1. dist. 16. q. 1 art. 2. ad 4.* quia Beatissima Virgo non ordinabatur ad plantandam Ecclesiam per doctrinam, & administrationem Sacramentorum, sicut præscribit D. Paul. 1. Tim. 2. *Docere mulieri non permitto.* Et 1. Cor. 14. *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui.*

Probabilius tamen, & pium est asserere, Beatissi- 349.
mæ Virgini alias sibi peculiares Missiones visibiles datas fuisse, quibus manifestaretur ejus authoritas ad docendos Apostolos, & Evangelistas, aliosq; sui temporis discipulos, (licet non ad publicè concionandum;) siquidem fuit sine dubio superexcellens Magistra fidei post suum Filium Dominum nostrũ Jesum Christum. Ita sentiunt *Carthus. in 1. dist. 16. q. 2. ubi Aureol. a. 4. Marsil. q. 19. a. 4. dub. 4.* quos citat, & sequitur *P. Ruiz d. 109. sect. 13. n. 5.*

Hactenùs de arcano Trinitatis Mysterio, 350.
quod quia lucem habitat inaccessibilem, non tam æmulæ humanæ rationis luce, quàm ingenuæ divinæ fidei face venerabundi suspicimus: quod dignitas Mysterii exigit, planè non exegimus; nostram enim tenuitatem excellentiæ suæ meritum reprehendit; minus est, quod possumus, majus, quod debemus; hinc igitur cum D. Aug. *lib. 15. de Trinit. cap. 27. Inter hæc, quæ multa jam dixi, nihil illius summæ Trinitatis ineffabilitate dignum me dixisse audeo profiteri, sed confiteri potiùs mirificatã scientiam ejus ex me invaluisse.* Et cum eodẽ D. Aug. ibid. & c. 28. *Librum istum jam tandem aliquando precatione meliùs, quàm disputatione concludam. Domine Deus noster credimus in te Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Coram te est firmitas, & infirmitas mea: illam serva, istam sana. Coram te est scientia, & ignorantia mea. Ubi mihi aperuisti, suscipe intrantem. Ubi clausisti, aperi pulsanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge in me ista, donec me reformes ad integrum. Multæ sunt cogitationes meæ, tales nosti, cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Dona mihi non eis consentire, & si quando me delectant, eas nihilominùs improbare, nec in eis velut dormitando immorari. Domine Deus unus, Deus Trinitas, quæcumq; dixi de tuo, agnoscant & tui: si qua de meo, & tu ignosce, & tui. Amen.*

FINIS.

Laus Deo, Virginiq; Sanctissimæ, Parentibusq; meis IGNATIO, *ac* XAVERIO *Sanctissimis.*

INDEX

INDEX RERUM
HUJUS PRIMI TOMI.

In quo prior Numerus Tractatum: Secundus Disputationem: Tertius Marginalem: Quartus Paginam indicat.

Actus.

AN actus Dei liberi, si attingantur per Visionem beatam, ad illius objectum primarium spectent, tract. 1. disp. 5. num. 16. pag. 104.

An repugnet actibus Dei liberis attingi per Visionem beatam, ibid, 19, 104.

An aliqui de facto attingantur, ibid. 20, 104.

Quomodo hujusmodi actus cognoscantur à beatis ibid, à n. 25 105.

An prout cognoscuntur à beatis, sint eisdem ratio cognoscendi creaturas sub esse futuritionis, & existentiæ, ibid. 140. 118.

Qualisnam sit actus Intellectûs, in quo formaliter inadæquatè consistit Providentia, 2 1. à num. 38. 156.

Cur non sit imperium aliquod, sed judicium, sive cognitio de proportione mediorum ad finem, ibid. 41. 156.

An, & quomodò hujusmodi imperium sit impossibile in Deo. ibid. à n. 47. 156.

An si in Deo daretur, pertineret ad Intellectum, ibid. 66, 158.

Qualisnam sit actus, quo ex parte intellectûs constituitur prædestinatio formaliter, 2, 2. à num. 75. 188.

An actus constituens formaliter prædestinationem ex parte voluntatis, componatur ex intentione finis, & electione mediorum, ibid. 92, 190.

An in actibus Voluntatis divinæ detur ordo prioritatis & posterioritatis, ibid. à n. 155. 196.

Cur nullus actus necessarius Voluntatis Divinæ sit necessariò prærequisitus ad nostram prædestinationem, ibid, 180. 200.

An de facto primus actus liber Dei in nostra prædestinatione fuerit intentio gloriæ divinæ, ibid. 184, 200.

An actus liberi boni independentes à peccato antecedenter ad nostrum consensum liberum absolutè prævisum, & ante eorum esse absolutum, sint prædefiniti à Deo, ibid. à n. 644 255.

An actus supernaturales in peccato facti sint effectus prædestinationis, 2, 4, 107, 298.

An idem dicendum de omnibus actibus supernaturalibus, non solùm prout procedunt à gratiâ, sed etiam à libero hominis arbitrio, ibid. à num. 109. 298.

Qualesnam sint illi duo actus intellectûs & voluntatis, in quibus formaliter consistit reprobatio; & qualem scientiam supponant, 2. 5 à n. 24. 311.

Quinam actus intellectus & voluntatis sint principia formalia processionum divinarum, 3. 3, à n. 138, 4 8

Actus notionalis.

An actus notionales spectent ad objectum primarium Visionis beatæ. 1, 5, 11, 103. Vide *Relatio Divina*, *Processio Divina.*

Adamus.

An simul cum aliis hominibus fuerit efficaciter electus ad gloriam, 2, 2, 609, 251.

Æquale, Æqualitas.

Quænam dicantur æqualia, 3, 9, 52, 593.

An detur omnimoda æqualitas realis, & à parte rei inter Personas Divinas. ibid, à n, 53. 593.

An æqualitas conveniat Personis Divinis ratione solius Essentiæ, & non proprietatum personalium. ibid. 68, 595.

Amor.

An, & quo pacto hoc nomen *Amor* Spiritui sancto conveniat, 3, 8, à n. 144. 581.

Anastasius Imperator.

Qualis fuit ejus error de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, 3. 1, 29, 363.

Angelus.

Cur Angeli, cœteræque substantiæ separatæ non possint natutaliter Deum videre. 1, 1, à num, 78. 12.

Quandonam inceperint Angeli videre Deum, ibid. 251, 32.

An Angeli prædestinati priùs fuerint efficaciter electi ad gloriam, quàm homines. 2, 2, 589, 248.

An cuilibet homini, etiam barbaro, specialis Angelus Custos fuerit assignatus à Deo, 2 6, 74. 335.

Anima.

An anima rationalis in statu separationis accepta possit naturaliter Deum intueri, 1, 1, à num. 75, 12.

An sit improbabile, & à verâ philosophiâ alienum, asserere possibilem esse animam intellectualem, quæ dicat ordinem ad materiam corpoream, & non possit elevari divinitùs ad Deum clarè videndum, ibid. 195, 26.

An sit de fide, piorum hominum animas, quæ corpore solutæ nullâ egent purgatione, jam esse admissas ad fruendam claram Dei visionem, ibid. à n, 259, 33.

An anima Christi Domini in hac vitâ mortali habuerit perfectam visionem beatam, ibid. à num. 252. 32.

Apparitio,

INDEX

Apparitio.

Cur omnes illæ apparitiones, de quibus fit mentio in Scripturâ, non sint dicendæ missiones, nisi impropriè, 3. 9. 302. 618.

An apparitiones visibiles Personarum Divinarum factæ fuerint Angelorum ministerio, ibid. 305. 618.

Apprehensio.

An verè & propriè competat Visioni beatæ, 1, 4, 1, 77.

Argumentum

An argumenta contra mysterium Trinitatis (idemque de aliis) quæ peccant contra regulas dialecticas, aut in materiâ contra lumen naturale, possint naturaliter solvi evidenter, etiam in actu exercito, 3, 1, 242, 388.

Quid de argumentis, quæ peccant contra mysteria, quæ solo fidei lumine cognoscuntur, ibid. 243. 388.

Quid de illis, quæ peccant tam in materiâ, quàm in formâ contra lumen fidei, ibid. 245. 388.

An argumenta contra mysterium Trinitatis, licet soli lumini fidei contrarientur, possint solvi evidenter evidentiâ extrinsecâ, sive negativâ, non solùm signatè, sed etiam exercitè, ibid. 247. 388.

Ariani.

Qualiter erraverint circa mysterium Sanctissimæ Trinitatis, 3, 1, 20. 362.

Armeni

Qualis fuit illorum error de visione intuitivâ Dei respectu intellectûs creati, 1, 1, à n, 10, 4.

Assensus.

Vide *Cognitio.*

Augmentum.

An, & quomodò augmentum gratiæ, & reliquorum habituum sit effectus prædestinationis, 2. 4, 121. 299.

Auxilium.

An Deus omnibus justis, etiam reprobis dum sunt in gratiâ, conferat auxilia sufficientia nè cadant, 2. 6. à n. 20. 328.

An talia auxilia conferat omnibus peccatoribus fidelibus, ut pœnitentiam agant, & resipiscant, ibid. 27 329

An hæc auxilia conferantur omnibus peccatoribus fidelibus actu, & prosemper, ibid. 30. 329.

An Deus, quantùm est ex se, pro nullo temporis momento deneget peccatori auxilium sufficiens ad resurgendum, ibid. 33. 330.

An actu conferat auxilia sufficientia, & excitet ad pœnitentiam singulis momentis opportunis, ibid. 35, 330.

Qualianam sint hæc momenta opportuna, quibus Deus actu dat auxilia sufficientia ad pœnitentiam, ibid. à n, 36. 330.

An etiam omnibus peccatoribus obstinatis conferat auxilia sufficientia, ut pœniteant, & resipiscant, ibid. à n. 45 331.

An omnibus infidelibus, qui, cùm audierint de fide, non tamen convertuntur, prout sunt in statu infidelitatis conferat Deus auxilia sufficientia, ibid. à n 69. 333.

An etiam omnibus infidelibus, qui nunquam de fide audierunt, conferat auxilia sufficientia, ibid. 73. 335.

An hujusmodi infidelibus conferat etiam auxilia sufficientia, tùm externa, & generalia; tùm specialia, & interna, ibid. à n. 80, 335.

An infantibus, qui in utero matrum, aut defectu materiæ, aut ministri sine baptismo decedunt, confetat Deus auxilia sufficientia specialia, saltem remotè & mediatè, ibid. 94. 337.

An etiam illis conferat externa, & generalia, ibid. 96. 337.

Beati.

An elicere possint, aut de facto eliciant ex visione beatâ cognitionem Dei quiddi tativam abstractivam, tract 1. disp. 4. à n. 226 pag. 99.

An si quid Deus Beatis de novo revelet, id Beati cognoscant per cognitiones novas in proprio genere, ibid 251, 101

An de facto intueantur aliquos actus Dei liberos, 1, 5. 20. 104.

Quomodo illos cognoscant in Deo, ibid à n. 25. 105.

An videant in Deo, sive in Verbo aliquas creaturas, ibid. 36, 106.

An illas videant in Deo tanquam objectum secundarium suæ visionis, ibid. 38, 107.

An de facto cognoscant in Deo aliquas creaturas possibiles, ibid. 61. 110.

An de facto videant in Deo omnes creaturas possibiles, ibid 64, 110.

An videant in Deo aliquas creaturas futuras, ibid. 69, 110.

An omnes beati videant de facto in Deo omnes creaturas futuras, ibid. 77, 111,

An de facto cognoscant in Verbo creaturas existentes, ibid. 84 112,

Quot, & qualesnam in Deo creaturas de facto videant, ibid. 86, 112.

An omnes Beati videant in Verbo omnia mysteria fidei, quæ in via crediderunt; & qualiter illa cognoscant, ibid 87, & 92. 113.

An videant in Verbo hujus Universi machinam, compositionem, & ordinem, saltem quoad rerum species. ibid. 93. 113.

An quoad omnes species tam perfectas, quàm imperfectas, ibid 98, 114,

An quoad species tam naturales, quàm supernaturales ibid. 99, 114.

An etiam quoad individua, ibid. 100. 114.

An videant in Deo, & se ipsos, & alios Beatos, ibid. 102, 114,

Non vident cogitationes cordis, neque visiones beatas aliorum Beatorum, ibid. 104, 114

An videant omnia, quæ spectant ad illorum statum, dignitatem, aut officium, ibid 107. 114.

An videant aliquos generales eventus Ecclesiæ, quæ ad statum ipsius Ecclesiæ spectant, ibid. 111, 115.

An videant quidquid spectat ad ordinem & seriem suæ prædestinationis, ibid. 112, 115.

An videant preces & orationes, quæ in Ecclesiâ ad ipsos funduntur à viatoribus, & eorum cogitationes cordium spectantes ad proprium statum, ibid. à n. 113. 115.

De fide est, non omnes Beatos futuros esse æquales in perfectione visionis, seu beatitudinis essentialis, 1, 6, 77, 127.

Neque omnes futuri sunt inæquales in visione Beatâ, ibid. 91 129,

An sit probabile, omnes Beatos esse inæquales in gloriâ, seu visione accidentali, ibid. 96, 129.

Bonum.

Quænam sint bona naturalia, de quibus dubitari potest, an sint prædestinationis effectus, 2, 4, àn. 29, 189. Vide *Prædestinationis effectus.*

Causa.

Quid sit causa physica, & moralis. tract. 2, disp. 3, n. 2, pag. 264.

An dentur causæ aliquæ nostræ prædestinationis. Vide *Prædestinationis causa, Christus Dominus.*

An detur aliqua causa reprobationis negativæ à gloriâ aut à gratiâ congruâ ex parte reprobi. 2, 5, 88, & 95, 318.

An detur causa reprobationis positivæ ex parte reprobi, ibid. 103, 319.

Certitudo

Quid sit certitudo formalis & objectiva, 1, 4, 122. 88.

An certitudo Visionis beatæ sit major qualibet certitudine scientiæ creatæ, ibid. 122, 88.

An etiam sit major certitudine fidei, ibidem 127, 88.

Christus Dominus.

An toto vitæ tempore fuerit quoad animam beatus, 1. 1, 303, 37,

An possit dici simpliciter, & absolutè prædestinatus, 2. 2, à n 476. 234.

An Christus Dominus sub hoc nomine *Christus* possit simpliciter, & absolutè dici prædestinatus, ut esset Filius Dei naturalis, ibid 485. 235.

An *hic homo*, ostenso Christo Domino, dici possit prædestinatus, ut sit Filius Dei, ibid. 492, 236.

Cur Christus Dominus non possit dici prædestinatus ad gloriam, gratiam, & alia dona supernaturalia, sicut sunt, & dicuntur prædestinati alii homines ibid. 507, 238.

An possit ad hæc dona dici prædestinatus mediatè, ibid. 509, 238.
An etiam immediatè, & propriè, ibidem 510. 238.
An *hic homo*, ostenso Christo Domino, possit dici propriè prædestinatus ad prædicta dona, ibidem 515, 239.
An Humanitas Christi Domini possit dici prædestinata. Vide *Humanitas*.
An motivum totale, ex quo Christus Dominus fuit prædestinatus ad esse, fuerit de facto remedium peccati, ibid. 530, 241.
Probabile est, Christum Dominum fuisse de facto prædestinatum ut Redemptorem in actu secundo ante absolutam præscientiam peccati, dependenter tamen ab ejus præscientiâ conditionatâ, ibid 536, 242.
De facto non fuit prædestinatus, nisi post prævisum peccatum in esse absoluto, ibidem à n. 559, 245.
Fuit prædestinatus & electus ad esse ante prædestinationem hominum ad gloriam, & hanc eis meruit ut caput hominum, ibid 584, 248.
Fuit etiam priùs prædestinatus ut caput Angelorum, ibid 588, 248.
An fuerit causa finalis nostræ prædestinationis, 2, 3, 130 279.
An prout est causa finalis, potuerit esse causa discriminis, cur prædestinaretur hic homo potius, quàm ille, ibid. 131, 279
An fuerit causa exemplaris nostræ prædestinationis, ibid. 132 280.
An fuerit etiam causa meritoria nostræ prædestinationis secundùm primam intentionem, & electionem efficacem ad gloriam, ibidem à num. 133, 280.
An etiam quoad omnes effectus in executione, ibid. á n. 142. 281.
An nobis meruerit electionem ad gloriam, ut electio est, ibid. à num. 154, 282.
An sua merita specialiter applicuerit pro electis, expressè orando pro illis. ibid. 162, 284
An sit dicendus liber vitæ. 2, 6, 227, 353.
An Christus Dominus ut homo est, possit dare, & mittere Spiritum sanctum 3, 9, 268, 615.
Vide *Verbum Divinum. Filius Dei. Persona Filii.*

Circuminfessio.

Quid sit 3, 9, 82, 596.
An conveniat, & detur in Personis Divinis, ibid. 83, 596

Cognitio, Cognosci.

An ex visione beatâ elici queat cognitio Dei quidditativa abstractiva, 1, 4, 226. 99.
An objectum, ut censeatur cognosci, quantùm cognoscibile est, debeat cognosci summâ claritate, & intensione cognitionis possibili, 1, 7, 78. 144.
An distincta cognitio creaturarum sit necessariò conjuncta cum comprehensione Dei, ibidem à n. 90, 145.
An naturaliter dari possit cognitio saltem probabilis de mysterio Sanctissimæ Trinitatis, 3, 1, 187, 381.
An saltem ex aliquo auxilio gratiæ ordinis naturalis possit haberi cognitio evidens, aut saltem probabilis Mysterii Sanctissimæ Trinitatis, ibidem 203, 383.
Quid supposita revelatione. Vide *Sanctissimum Trinitatis Mysterium.*
An requiratur per se cognitio possibilium ad productionem Verbi Divini, 3, 7, à n 327. 559,
Vide *Notitia.*

Columba.

An columba, quæ apparuit in Baptismo Christi Domini, fuerit hypostaticè unita Personæ Spiritûs sancti, 3, 9, à n. 313, 621.
An columba illa, in qua Spiritus sanctus apparuit, fuerit vera columba, & verum animal, ibid. 332. 621.
An apparuerit ante, an post baptismum Christi Domini; aut utroque tempore, ibidem 341, 621.

Compositio

An in Personis Divinis admittenda sit compositio, 3, 5, à n. 87. 490.

Comprehensio.

Quid sit, & undè desumatur comprehensio, 1, 7, à n. 2 136.
An possit dari comprehensio Dei propriè dicta. Vide *Dei Incomprehensibilitas.*
Quid exigatur ad veram comprehensionem; ibid. 75. 143.
An si objectum cognoscatur secundùm omnes suas rationes, habitudines, & connexiones, cognitione quidem certa, sed inevidenti, sufficiat ad ejus comprehensionem, ibid. 76, 143.
An ut objectum comprehensivè cognoscatur, debeat penetrari claritate, & intensione visionis eidem commensuratâ. ibid. à n. 80, 144.
An ad comprehensionem objecti necessarium sit attingere connexiones illas, quas habet cum actibus liberis, aut effectibus purè contingentibus, ibid. 85. 145.
Vide *Cognitio.*

Concreta.

Quid concreta substantialia, & accidentalia dicant in recto, & quid in obliquo, 3, 5, 27. 484.
An concretum multiplicetur, quoties multiplicatur ejus significatum formale ibid.
Quænam concreta multiplicentur in Divinis, ibid 28, 484.

Concursus.

An concursus Essentiæ Divinæ in ratione formæ intelligibilis ad Visionem Beatam, non solùm sit necessarius, sed etiam independens ab applicatione, saltem immediatâ, & decretâ voluntatis Divinæ, 1, 2, à n. 45. 44.
An concursus, per quem Providentia Divina conservat creaturas, debeat esse totaliter immediatus. 2, 1, 268. 178.

Conditio.

Quot & quales conditiones requirantur, ut aliquod beneficium sit prædestinationis effectus, 2, 4, à n. 10, 288.
Quales requirantur, ut aliquid sit effectus reprobationis, 2. 5. à n. 110. 320.
Quot, & quales requirantur ad rationem Notionis, 3. 5. à n. 261, 509.
Quænam requirantur ad veram rationem Imaginis. 3, 7, 220, 549,

Constitutio.

An in Personis Divinis detur constitutio 3, 5, 62, 487.
An hujusmodi constitutio Personarum Divinarum sit realis, an rationis, ibidem à num. 79. 489.

Creatio.

An creatio hominis sit effectus reprobationis illius, 2, 5, 154. 324

Creatura.

An, & quomodò impossibilis sit creatura, cui connaturalis sit Visio Beata. 1, 1 à n. 143, 20.
An contraria sententia careat omni censurâ, nec sit improbabilis, ibid. à n. 167 23
An hujusmodi creatura connaturaliter beata, si foret possibilis, videret Deum lumine à se distincto; an indistincto, ibid. à n. 187, 25.
An admissâ tali creaturâ, connaturale ei foret lumen gloriæ, aut alius habitus, vel actus supernaturalis, 1, 3. 165, 71.
An dici possit, non esse improbabile, possibilem esse creaturam intellectualem ita imperfectam, ut non possit elevari divinitùs ad Visionem Beatam, 1, 1. 193, 26.
An non solùm sit improbabile, sed etiam errori proximum asserere, quod possibilis sit creatura purè spiritualis, quæ non possit divinitùs elevari ad Visionem Beatam, ibid. 194, 26.
An creatura Deum videns sit causa instrumentalis visionis beatæ. 1, 3. à n 142, 69.
An creaturæ videantur in Deo ut objectum secundarium visionis beatæ. 1, 5, à n 34 106.
An cognoscantur in Deo à Beatis ut possibiles, futuræ, & existentes, ibid, à n. 60, 110.
Vide *Beati.*
An rectè dicatur creaturas à Beatis cognosci in Verbo, tanquam in speculo voluntario, ibid. 149. 119.
An creaturæ possint etiam cognosci à Beatis in Voluntate Divina per modum simplicis complacentiæ

centiæ illasapprobante, ibid. 150. 119.
An omnes creaturæ possibiles possint attingi per visionem intuitivam Essentiæ Divinæ, 1. 6, 65. 126.

Decretum.

Cur omnia libera Dei decreta non cognoscantur à Beatis, tract. 1. disput. 5. num. 22. pag 105.
An decreta libera absoluta Voluntatis Divinæ ut talia à Beatis cognita, sint eisdem ratio cognoscendi creaturas sub esse futuritionis; & existentiæ; ibid. 140. 118.
An, si in prædestinatione decretum intendens nostram gloriam sit prius decreto eligente media, hoc præsupponat necessariò scientiam visionis absolutam illius; imò & ipsius gloriæ 2, 2, 146, 196.
An nullum ex his decretis supponat sui scientiam visionis, ibid. 149. 196.
An decretum efficax dandi gloriam prædestinatis sit eorum dilectio, ibid 451. 231.
An sit etiam propria eorum electio, ibid. 457. 232.

Definitio.

Qualis sit definitio prædestinationis, 2. 2, à n. 14. 183.
Qualis sit reprobationis, 2, 5, 18 310.
Definitio Notionis quænam sit, 3, 5, 260, 509.
Generationis, 3. 7. 34. 529.
Imaginis, ibid. 219 549,
Circumincessionis, 3, 9. 82. 596.
Missionis ibid 125. 601.
Quænam sit definitio Missionis visibilis, ibidem 291. 617.

Deus, Dei Essentia, sive *Natura.*

An Deus sive Natura Divina sit una numero, & planè indivisa. 3. 1, à n, 31, 363.
An in Deo sit unitas Essentiæ, & Personarum pluralitas, ibid 104, 371.
An Deus possit dici author, aut causa peccati in aliquo genere causæ. Vide *Peccatum. Dei voluntas.*
An Deus priùs decreverit creare naturam rationalem, quàm eam glorificare, 2, 2, à num 189, 200.
An Deus in electione ante prævisa merita cuilibet certæ & determinatæ personæ certum ac determinatum gradum gloriæ præparaverit ac definiverit, ibid. à n. 436, 230.
An, & qualia media prædestinationis Deus prædefiniverit. Vide *Prædefinitio. Media prædestinationis.*
An Deus ante scientiam conditionatam demeritorum potuerit aliquem positivè reprobare, 2, 5, 47, 313.
An in eo primo signo, in quo prævidit lapsum Adami, sive ob solum peccatum originale præcisè ut contractum, & antequam prævideret morituros sine remedio, nullum reprobaverit, ibid. à n, 67. 315.
Cur subjectum *Deus* in hac propositione: *Deus generat*: non possit supponere pro *hoc Deo* ut sic, 3, 2, 159. 412.
An Essentia divina includatur formaliter in Relationibus Personalibus. 3, 4, à n. 365 478.
An Deus unus, & Trinus sit objectum nostræ visionis beatæ, 1, 5, 3. 102.
An Essentia divina, & omnes ejus perfectiones essentiales pertineant ad objectum primarium Visionis Beatæ, ibid. 6, 103.

Dei Attributa, sive *Perfectiones Attributales.*

An Perfectiones divinæ Attributales pertineant ab objectum primarium Visionis beatæ, 1. 5. 7. 103.
Quænam Attributa Essentiæ divinæ moveant ad cognoscendas creaturas in Verbo, ibid. à num. 121. 116.
Cur nulla perfectio Dei necessaria prout sic, sive sit essentialis, sive attributalis, possit esse ratio cognoscendi creaturas existentes, ibidem 139, 118.
An unum Attributum possit distinctè videri, non visis distinctè aliis, 1. 6. 27. 122.

Dei Incomprehensibilitas.

An Deus, saltem de potentiâ absolutâ possit à Beatis comprehendi comprehensione propriè dicta, 1, 7, à n. 7. 136.
An dicatur Incomprehensibilis de potentiâ absolutâ, non solùm respectu creaturæ de facto conditæ, sed etiam cujuscunque creabilis, & possibilis. ibid, 31, 139.
Cur cognitio creata intuitiva Dei non sit ejusdem comprehensio, ibid. 34, 139,
Variæ sententiæ proponuntur, & rejiciuntur, ibid. à n. 35, 139.
Proponitur & stabilitur sententia tenenda, ibid. à n. 62, 142.
Qualenam sit fundamentum Incomprehensibilitatis divinæ, ibid. 73, 143.
An non solùm ipse Deus sit Incomprehensibilis ab intellectu creato, aut creabili, sed etiam omnia & singula ejus Attributa, ibid. 74, 143.
Cur nec dari, nec intelligi possit comprehensio Dei absque cognitione distinctâ omnium creaturarum in Verbo, ibid. 89, 145.
An ex cognitione distinctâ, & solùm definitivâ creaturarum in Verbo, inferatur comprehensio Dei. ibid. 94 145.
Quid ex earum comprehensivâ, ibidem 96. 146.
Quid ex earum comprehensiva in proprio genere, ibid. 102. 146.
An, & qualis infinitas visionis necessaria foret ad comprehensionem Dei, ibidem à num 110. 147.
Vide *Comprehensio, Cognitio, Visio comprehensiva Dei.*

Dei Invisibilitas.

An Deus intuitivè videri possit ab intellectu creato, 1, 1, à n. 5, 3.
An de potentiâ absolutâ videri possit oculis corporeis, ibid, 197. 26,
An possit intuitivè, & in se immediatè videri per potentiam sensitivam, & materialem, saltem creabilem, ibid. 223. 29.
An de potentia absoluta possit communicare viatori visionem beatam, etiam permanenter, ibid. 288, 36,
An, & quomodò possit immediatè concurrere ad sui visionem intuitivam, 1, 2, à n. 239.
An ita de facto concurrat, ibid. 14. 41.
Concurrit ad illam non solùm in ratione causæ formalis externæ, sed etiam efficientis, ibidem 28, 42.
Præter hunc concursum non reperitur in Essentia divina alius tertius, qui ab aliquibus dicitur causalitas, seu unio formalis Essentiæ cum intellectu creato, ibid. 30, 42,
An concurrat ad sui visionem per se primariò ut est, seu ut Natura est; non autem ut Voluntas, & Omnipotentia. ibid. à n. 34, 43.
An ad illam concurrat non solùm necessariò, sed etiam independenter ab applicatione liberâ voluntatis, ibid à n. 45. 44.
An etiam ad illam concurrat per se primariò secundùm omnes suas perfectiones: an solùm secundùm aliquas, ibid. à n. 64, 46.
An de potentiâ absolutâ possit producere visionem beatam in intellectu Beati passivè tantùm se habente. 1. 3. 29 57.
An sit causa principalis Visionis Beatæ, ibid. à n. 142. 69,
An, & quomodò possit elevare intellectum creatum ad sui visionem absque lumine gloriæ, & per solum suum concursum extrinsecum, ibid. à num. 186. 74.
An impossibile sit videri Deum intuitivè à Beatis, non visis, saltem confusè, omnibus ejus perfectionibus secundariis. 1. 6. 5 120.
An etiam implicet sic videri, quin hujusmodi perfectiones distinctè videantur, ibidem à num. 7. 120.
An de potentiâ absolutâ videri possit clarè Essentia divina, non visis distinctè omnibus Attributis, seu perfectionibus primariis, ibid à num. 17. 121.
An etiam de potentiâ absolutâ videri possit Essentia divina sine Relationibus, seu Personis divinis; & è contra, ibid. 30. & 39, à p 123.

Non

Non potest connaturaliter videri, quin in eâ videatur aliqua creatura possibilis ; ibidem 69, 127.

Non repugnat tamen de potentiâ absolutâ, quod videatur, nullâ creaturâ cognitâ in particulari, ibid. 70 127.

An de potentiâ absolutâ videri possit, non visis in eâ creaturis ; etiam in communi, ibidem 72. 127.

Dei Providentia, & Prædestinatio.

Vide *Providentia Divina*, *Prædestinatio Divina.*

Dei Scientia.

An Scientia simplicis intelligentiæ in Deo à Beatis cognita, sit ratio cognoscendi creaturas possibiles. 1. 5. 134. 117.

An Scientia visionis à Beatis cognita sit eisdem ratio cognoscendi creaturas sub esse futuritionis, & existentiæ, ibid. 141. 118.

Qualiter Scientia Dei speculativa, quæ continetur in Providentiâ, versetur circa peccata, 2. 1, 139 165.

Quid de Scientia Dei practica circa malitiam peccatorum, ibid 144 166.

An detur in Deo scientia media de futuris conditionatis, ibid. 277, 179.

An hujusmodi scientia media necessariò requiratur ad Providentiam Dei, ibidem à num. 279. 179.

Quænam scientia debeat in Deo præsupponi ad prædestinationem, 2. 2. à n. 126. 194.

An, & quomodò scientia visionis prærequiratur ad prædestinationem, ibidem à num. 141, 195.

Dei Voluntas, & Intellectus.

An Deus velit, & faciat monstra, quatenùs monstra sunt, 2. 1. à n. 122. 163.

An positiva volitio ordinandi peccata contineatur in quidditate Providentiæ divinæ circa illa, ibid. 147. 166.

Deus non potest peccare, ibid. 148, 166,

Non potest velle peccatum neque per se, neque per accidens. ibid. 151, 166,

Neque odisse bonum honestum, ibidem. 156. 167.

Neque velle, mala esse aut fieri à voluntate creatâ, ibidem à num. 157. 167.

An ex suppositione, quod sit peccatum, Deus velit, ut ei conveniat tota essentia peccati, & ejus passiones, ibid. 188. 169.

An Deus sibi cõplaceat in eo quod malitia peccati sit pœna sui ipsius & alterius peccati, ibid 190, 170.

An hæc propositio : *Deus peccatum vult* : logicè sit vera, quamvis logicè falsa sit hæc : *Deus vult peccatum* : ibid. 191. 170.

An Deus voluerit permittere peccatum ex intentione bonorum, quæ occasione peccati poterant evenire, ibid. 203. 171.

An volitione positivâ velit permissionem peccati, ibid. 225. 173.

Non ita permittit peccata, ut neget concursum simpliciter necessarium ad illa vitanda, ibid. 228. 173

Deus non vult peccatum, neque est causa illius ex eo, quod non adhibeat media, quibus impediatur, sed tantùm vult illud permittere, ibid. 229. 174.

An, & quomodò voluntas divina versetur circa malum pœnæ, ibid. à n. 234. 174.

Vide *Peccatum*, *Providentia Divina.*

An, & quomodò fuerit in Deo voluntas simplex salvandi omnes ante intentionem efficacem dandi gloriam electis, 2. 2. à n. 198. 202.

An hujusmodi voluntas universalis in Deo fuerit signi ; an verò beneplaciti propria, & realis, ibid. à n. 216, 204.

An non solùm sit beneplaciti, sed etiam per modum prosecutionis, ibid. 229. 205

An voluntas efficax dandi gloriam sit ante absolutam præscientiam meritorum, ibid. à num. 230. 205. Vide *Electio.*

An positâ solâ scientiâ conditionatâ demeritorum, benè potuerit dari voluntas Dei efficax excludens à regno, & deputans ad pœnam æternam, si non repugnaret Bonitati divinæ, 2, 5, 48, 313.

An Deus de facto neminem voluerit positivè excludere à regno, & ad pœnam æternam deputare ante absolutam præscientiam peccati finalis ; ibid à n. 51. 314.

An propter peccatum originale prævisum durans usque ad mortem voluerit multos excludere à regno, ibid. 66, 315,

An in Deo detur voluntas generalis excludendi omnes à regno per modum simplicis complacentiæ, 2, 6, 2. 326.

An Deus habuerit prædictam voluntatem per modum intentionis, & propositi ante prævisum peccatum Adæ ibid. 6, 327,

An post prævisum peccatum Adami habuerit Deus illam voluntatem generalem excludendi eum & posteros à Regno, ibid. 12, 327,

An habuerit hujusmodi voluntatem generalem per modum intentionis excludendi omnes reprobos adultos, ibid. 13. 327,

An in Deo detur potentia intelligendi, & volendi virtualis, & quoad nos, 3, 3, à num. 117. 426,

An intellectus, & Voluntas divina sint principium immediatum formale *quo* processionum divinarum sub ratione actûs, & non potentiæ, ibid. 128. 427.

Dictio.

Quid sit *Dictio* formaliter, 3, 3, 148, 429.

Dispensatio.

An dispensatio ad videndum Deum toto vitæ tempore fuerit concessa alicui puro viatori, 1. 1, 303. 37.

An fuerit concessa Christo Domino, ibidem.

An fuerit concessa Virgini Sanctissimæ, saltem ad breve tempus, ibid, 304, 37.

An saltem in transitu, & ad breve tempus fuerit concessa aliquibus ex Sanctis Patribus, tum veteris, tum novi Testamenti, ibidem à num. 311. 38.

Dispositio.

Quot, & quibus modis distinguatur à merito, 2. 3. 50. 270,

Quid sit dispositio positivè, & negativè sumpta, ibid. 51, 270.

An dispositio aliquando sit idem cum Providentia ; & an proprie ab illâ distinguatur, 2. 1, 94, 161.

Distinctio.

Qualis sit ejus divisio adæquata, 3. 4. 280. 469.

Distinctio virtualis quot & quibus modis sumi possit, ibid. à n. 281. 469.

An distinctio virtualis, quâ Spiratio activa distinguitur à Paternitate, & Filiatione, non sit solùm extrinseca, & per rationem, sed intrinseca physicè, ibid. 112. 452.

An distinctio virtualis inter Naturam, & Relationes divinas sit intrinseca ex naturâ rei, ibid. à n. 302, 471.

Diversitas.

Quænam sit diversitas, quâ Deus dicitur esse in creaturis, & quâ una Persona Divina est in aliâ, 3. 9. 87 597.

Divisio.

Qualis sit divisio Reprobationis, 2, 5, à num. 32. 312.

Divisio principii quænam sit, 3, 3, 2, 413.

Qualisnam sit divisio Imaginis. 3. 7. 233. 550.

Quænam sit divisio Missionis, 3. 9. à num. 219. 610.

Donum.

Quid sit *Donum*, 3. 8, 162, 583.

An Donum necessariò ut tale sit, debeat distingui realiter à Personâ donante, ibidem 164, 583.

An debeat sic distingui à persona accipiente, ibid. 166. 584.

An propriè Deo convenire possit, ibidem 168. 584.

An Donum in communi respectu creaturarum possit convenire Deo essentialiter, & communiter tribus Personis, ibid. 169, 584.

An Donum, quod est alterius dantis, non per identitatem, sed per originem, conveniat Filio, & Spiritui sancto, ibid. 170, 584.

An esse primum *Donum* ex vi suæ processionis formaliter sit proprium solius Spiritûs sancti, ibidem 171. 584.
Vide *Persona Spiritûs sancti.*

Donum perseverantiæ.

An sit effectus prædestinationis, 2. 4. 142, 302.

Effectus.

AN aliquis Effectus sit casualis respectu Providentiæ divinæ, tract. 2. disp. 1, à n. 107. pag. 162.
Cur nullus effectus sit monstrosus respectu Dei, ibid. 125, 164,
An aliquis sit contingens respectu Providentiæ divinæ. ibid. 126, 264.
Effectus prædestinationis. Vide *Gratia, Prædestinationis effectus.*
Effectus reprobationis. Vide *Peccatum.*

Electio

An, si electio mediorum est multiplex respectu alicujus prædestinati, electio posterioris medii supponat scientiam visionis absolutam prioris medii, & illius electionis. 2, 2. 152, 196.
An impossibilis sit electio efficax ad gloriam ante scientiam mediam, salvâ libertate creatâ, ibid. 236, 206.
An hujusmodi electio possibilis sit ante scientiam absolutam, sed post conditionatam, ibidem 242, 207.
An hujusmodi electio de facto fuerit ante prævisa merita in esse absoluto, ibidem à num. 268. 210.
Proponuntur, & rejiciuntur variæ sententiæ, & errores, ibid. à num. 271, 210.
Proponitur multorum Recentiorum sententia, ibid. 281, 211,
Proponitur, & probatur sententia à nobistenenda, docens electionem ad gloriam factam fuisse ante prævisionem absolutam meritorum. ibid. à n. 282. 212.
Probatur authoritate Patrum, & Conciliorum, ibid. à n. 305, 214.
Probatur rationibus, ibid. à num. 324 217.
Proponuntur, & solvuntur argumenta ab authoritate Scripturæ, & Sanctorum Patrum desumpta, ibid. à n, 347, 219,
Proponuntur, & solvuntur argumenta à ratione petita, ibid. à n. 371, 221.
An electio efficax ante prævisa merita extendatur ad omnes, qui salutem consequuntur, ibid. 418, 227,
An hujusmodi electio efficax fuerit determinata ad certas personas, sive Angelos, sive homines in particulari, & certum eorum numerum, ibid. à n. 423, 228,
An Deus in illâ electione cuilibet certæ, & determinatæ personæ, certum, ac determinatum gradum gloriæ præparaverit, ac definiverit, ibid. 436. 230.
An electio illa Dei efficax ad gloriam sit electio, & dilectio, ibid. à n 448. 231,
An hujusmodi electio, & dilectio sint unus, & idem actus, solùmque distinguantur per diversa connotata, ibid. 458. 232,
An in electione divina aliquis fuerit ordo inter prædestinatos, ibid. 461. 232.
Vide *Prædestinatio.*

Essentia, Essentiale.

Quot, & quibus modis aliquid dicatur essentiale, sive de essentiâ alterius, 3, 4 à n, 336, 475.
Essentia divina. Vide *Deus.*

Exemplar Divinum.

Vide *Idea*

Filius Dei.

AN. & quomodò Filius in divinis sit verus Deus, & ejusdem numero naturæ ac essentiæ cum Patre, tract. 3 disp. 1. à num. 42. pag. 364,
Proponuntur & solvuntur argumenta contra Filii divinitatem, ibid. à n. 54. 366.
Qualisnam sit sensus, cùm Patres dicunt, Filium Dei esse de substantia Patris, 3, 3. à n, 191, 434,
Simpliciter loquendo, & absque aliquâ declaratione, non licet concedere, Filium esse ingenitum, 3. 6. 64. 520.
Vide *Christus Dominus, Persona Filii, Verbum Divinum.*

Flatus.

An flatus ille à Christo Domino emissus, de quo fit mentio *Ioan. 20.* fuerit verus flatus, 3. 9. 329. 621.

Fœmina.

An inter Catholicos plures fœminæ salventur quàm viri, 2. 6. à n. 130, 341.

Formalitas, sive *Conceptus.*

Quotuplex formalitas distingui possit in qualibet proprietate personali, 3. 5. 136. 496,
Qualiter hujusmodi formalitates distinguantur, ibid. 137 496.
Non distinguuntur ex naturâ rei, ibid.
Neque per conceptus synonymos, ibidem 138. 496.
Neque virtualiter distinctione objectivâ perfectâ, & cum fundamento in re, ibidem 139, 496.
Distinguuntur solâ ratione ratiocinante secundùm nostrum modum concipiendi, ibid. à n. 141. 496.
Quid de formalitate subsistendi. Vide *Subsistentia.*

Generatio.

QUid sit, & quot modis considerari possit, tract. 3. disp. 7. num. 34. pag. 529
Cur sola processio Verbi, non autem Spiritûs sancti sit generatio, ibid. à n. 32. 929. Vide *Persona Filii.*

Gloria Divina.

An fuerit primum motivum, quod Deus habuit, ut nos prædestinaret, 2. 2. à n. 182, 200.
An gloria beatitudinis sit effectus prædestinationis, 2. 4. 145 302.
An etiam gloria accidentalis, ibid. 154. 304.

Gratia.

An omnis gratia congrua in prædestinato, sive sit excitans, sive præveniens sive adjuvans, sive auxilians, sit effectus prædestinationis, 2, 4, 83. 295.
An hujusmodi gratiæ congruæ in reprobis sint effectus prædestinationis, ibid. à n. 90. 296.
An gratiæ non congruæ datæ prædestinato sint effectus prædestinationis illius, ibidem à num. 92, 296.
An vocationes, sive gratiæ externæ sint etiam effectus prædestinationis, ibid. 100, 297.
An idem dicendum de gratiâ justificante, ibid. 117. 299.
An gratia per peccatum interrupta sit effectus prædestinationis quoad ejus reparationem per pœnitentiam, ibid. 124. 300.
An etiam quoad primam ejus collationem, ibid. 125. 300,
An gratia finalis, ut finalis, sit etiam effectus prædestinationis, ibid, 141. 302.
An negatio gratiæ finalis sit effectus reprobationis negativæ, 2. 5. 146. 323.
An etiam talia sint omnia, quæ sequuntur ex tali negatione actu conducentia ad pœnam æternam, ibid. 147. 324.
An quoties alicui datur gratia sanctificans, mittatur ad eum invisibiliter Persona divina, 3. 9. 221. 610.
An sola gratia sanctificans sit effectus & terminus, ratione cujus Persona Divina simpliciter, & perfectè mittitur ibid. 226. 610.

Habitus.

AN quilibet habitus ad justificationem quolibet modo pertinentes sint effectus prædestinationis, tr. 2 disp. 4 num. 120 pag. 299.
An habitus supernaturales, sive fidei, sive cujusvis alterius virtutis, evidenter cogniti, sint medium ex quo evidenter cognosci possit Mysterium Trinitatis quoad an est, 3. 1. 294, 393.

Hæresis.

Quot, & quales fuerint hæreses de Spiritu sancto, 3. 8 1. 565.

Homo.

An purus homo justus possit dare, & mittere Spiritum

Spiritum sanctum, 3. 9, 268. 615.
An homines fuerint efficaciter electi ad gloriam post prævisum peccatum Adæ in esse absoluto, 2, 2, 597. 249,
An omnes homines fuerint in eodem signo sine ullâ prioritate electi, ibid. à n. 608 251,
An ullus purus homo justus de facto meruerit electionem alterius ad gloriam, 2, 3. 109. 277.
An de potentia absoluta potuerit mereri alteris de congruo suam primam electionem ad gloriam, ibid. 115, 278.
An de facto fuerit causa meritoria prædestinationis alterius in executione quoad aliquos effectus, ibid. 121. 278.
An etiam quoad omnes effectus, ibidem 123. 278.
An potuerit saltem quoad omnes effectus in executione, ibid. 129, 279.

Humanitas.

An Humanitas Christi Domini possit dici simpliciter, & sine addito propriè prædestinata, 2, 2. 518 240.
An dicatur propriè, & verè prædestinata ad unionem hypostaticam, ibid. 519. 240.
An fuerit prædestinata *ut quod*, & ultimatè ad gratiam, gloriam, & alia dona supernaturalia, ibid. 522. 240.
An fuerit prædestinata ad hujusmodi dona *ut quo*, & mediatè ratione Unionis hypostaticæ, ibid. 526. 241.

Hypostasis.

Vide *Persona Divina, Subsistentia.*

Idea.

AN Idea, seu exemplar divinum à Beatis clarè visum sit ratio cognoscendi creaturas possibiles, tract. 1. disp. 5, à n. 128. pag. 117.

Imago.

Qualiter hîc definiatur, ac dividatur, 3, 7, 219. & 233. à p. 549.
Quas conditiones requirat, ibid. 220, 549,
An Filio in Divinis competat ratio Imaginis, 235. 550
Cur nequeat Deo convenire essentialiter, sed tantùm personaliter, ibid. 237. 550,
An, & quomodo verè & propriè competat Filio, ibid. 240, 551.
An conveniat ratione proprietatis personalis: an verò ratione Essentiæ communis, ibidem 248, 551.
Proponitur sententia tenenda, ibidem 249, 551.
Qualisnam Imago Patris sit Filius, ibid. à num. 257. 552.
Vide *Persona Filii.*

Inclusio.

Quot, & quibus modis sumi possit, 3. 4. 335. 475.

Infantes.

An omnes infantes decedentes post baptismum futuri sint æquales in Visione Beata, 1, 6. 92. 129.
An infantes, qui sine Baptismo, & originalis remedio decedunt, recipiant auxilia sufficientia ad salutem, 2, 6, à n. 93. 337.

Ingenium.

An ingenium pravum, & ad virtutum opera rebelle sit effectus reprobationis negativæ, 2. 5, 149, 324.

Innascibilitas, sive *Ingenitum.*

Vide *Persona Patris.*

Intellectus creatus.

An possit Deum clarè, & intuitivè videre. 1, 1. à n. 5. 3.
An naturali demonstratione constet, intellectum humanum pro hac vitâ non posse Deum naturaliter cognoscere intuitivè. ibid 33 7
An, & quomodo intellectus noster in hoc mortali corpore non possit naturaliter Deum videre intuitivè, ibid à n. 66 11.
Undenam proveniat hæc impossibilitas naturalis intellectus creati ad videndum Deum intuitivè, ibid. à n, 82 13.
Proponnntur, & refelluntur variæ sententiæ, ibibem.
Proponitur, & defenditur vera & catholica sententia, ibidem à num. 89. 14.
An hæc impossibilitas intellectus creati ad videndum Deum in ratione potentiæ passivæ proveniat ex eo, quod indigeat supernaturali Dei elevatione ad recipiendam Essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis, ibid. 107, 16.
An necessaria sit supernaturalis elevatio in intellectu creato ad recipiendam in se Visionem beatam; & ex hoc colligatur ejus impossibilitas naturalis in ratione potentiæ passivę ad videndum Deum, ibid. à n. 115, 17.
An prædicta impossibilitas intellectus creati ad videndum Deum reducenda sit in ipsum intellectum prout est potentia activa, ibidem à num. 128, 18.
An intellectus creatus de facto concurrat ad productionem Visionis Beatæ activè, sive effectivè, & non solùm merè passivè, 1. 3. 2. 55.
An etiam de possibili possit taliter concurrere, ibid. 8 55.
An opinio asserens, intellectum creatum de facto habere se tantùm merè passivè ad Visionem beatam, notanda sit aliquâ censurâ, ibidem 23 57.
An de potentiâ absolutâ possit Deus producere Visionem beatam in intellectu Beati merè passivè se habente, ibid. 29 57.
An intellectus Beati per talem visionem sic à solo Deo productam, posset Deum ipsum intuitivè videre, ibid à n. 34. 58.
An intellectus Beati illustratus lumine gloriæ concurrat ad Visionem Beatam ut causa principalis: an ut instrumentalis. ibid, à n 140. 69.
An concurrat ad Visionem Beatam per virtutem sibi naturalem, & non merè obedientialem, ibid. à n. 166. 72.
An, & quomodò possit divinitùs elevari ad videndum Deum per solum concursum Dei extrinsecè adjuvantis, ibid à n. 186 74
An connaturaliùs elevetur per lumen gloriæ, ibid 213, 77.
An, ut eliciat intellectiones in proprio genere, necessaria ei sit qualitas aliqua infusa, 1. 4. 202. 96.
Cur intellectus creatus non possit naturaliter cognoscere Mysterium Trinitatis quoad *an est* evidenter, seclusâ revelatione, 3. 1, 186. 381.
An, suppositâ revelatione divinâ, intellectus creatus possit naturaliter demonstrare cognitione evidenti hoc mysterium, ibid. 216. 384.
An ex Essentiâ divinâ evidenter, & quidditativè cognitâ, & ex revelatione divinâ evidenter cognitâ, possit intellectus duci in cognitionem evidentem Trinitatis quoad *an est*, ibidem 283. & 284. 392.

Intentio, & executio.

An in Deo admittendus sit ordo intentionis, & executionis distinctus, 2, 2. 165. 198.
Non fuerunt in Deo necessarii duo illi ordines, sive duo illi actus diversi, ibidem à num. 166. 198.
Non tamen implicant absolutè, ibidem 172. 198.

Judæi.

Qualiter erraverint circa Mysterium Sanctissimę Trinitatis, 3, 1, 13, 361.

Judicium.

An judicium constituens prædestinationem ex parte intellectûs, sit virtute multiplex, licet sit formaliter simplex, 2, 2. 76. 189.
Cur hoc judicium non sit per modum artis, sed prudentiæ in Deo, ibid 78 189.
An hujusmodi judicium pertineat ad scientiam simplicis intelligentiæ, ibid. 81, 189.
An hujusmodi judicium sit per modum proponentis, & practicantis convenientiam objecti; & non per modum imperii. ibid. à n. 87. 189.

Justificatio.

Vide *Gratia.*

Liber vitæ.

QUid hîc significet liber vitæ, tract. 2. disp. 6. num. 215. pag. 351.
Rejiciuntur duæ sententiæ, ibid. à n. 217. 352.

Proponitur sententia tenenda, ibidem 220. 352.

An, & quomodò gratia, & bona opera pertineant ad librum vitæ, ibid. à n. 223. 352.

An liber vitæ prædicetur de Christo Domino, ibid. 227. 353.

An sit vis quædam divina, quâ cujuslibet conscientiæ manifesta fient sua, aut aliorum facta, ibid. 229. 353.

An nomine librorum (Apoc. 20.) significentur singulorum conscientiæ, ibid. 230. 353.

Vide *Prædestinatio.*

Liber mortis.

An appellatio *libri mortis* possit admitti in Deo, 2. 6. 233. 353.

An stando usu & modo loquendi Scripturæ, congruentiùs sit non dicere *librum mortis*, ibidem 236. 354.

An, & quomodò aliquis deleatur de libro vitæ. ibid. à n. 243. 354.

Quid petierit apostolus dicens: *Optabam ego ipse anathema esse*: & quid Moyses dicens: *Dele me de libro tuo*, ibid. à n. 247. 355.

Variæ sententiæ proponuntur, ibid.

Probabilior sententia quænam sit, ibid. à n. 251. 355. & tr. 2. 5. 11. 309.

Vide *Reprobatio.*

Libertas.

Quotuplex distingui possit libertas, 3. 2. 90. 404.

An, & quomodò libertas creata non lædatur per certitudinem infallibilem prædestinationis & reprobationis divinæ, 2. 6. 171. & 180. à p. 346.

Lingua.

Quales fuerint linguæ illæ, quæ in die Pentecostes visæ sunt, 3. 9. 331. 621.

Lumen gloriæ.

An necessarium sit lumen gloriæ intellectui creato ad recipiendam in se Visionem Beatam, 1. 1. 115. 17.

An sit necessarium tanquam dispositio ad recipiendam Visionem Beatam, ibid. 120. 17.

An sit necessarium tanquam aliquid omninò requisitum, ut visio beata in intellectu recipiatur, ibid. 126. 18.

An sit de fide, necessarium esse lumen gloriæ, quo intellectus creatus elevetur ad Deum clarè videndum, 1. 3. à n. 59. 61.

An in opinione asserente, intellectum creatum, sive de facto, sive de possibili, habere se tantùm passivè respectu visionis beatæ, adhuc necessarium sit lumen gloriæ ad Deum clarè videndum, saltem de potentiâ ordinariâ, ibid. 76. 62.

An lumen gloriæ, quod de facto datur in Beatis ad videndum Deum, sit ipsum lumen Increatum, nempè Deus, ibid. à n. 83. 63.

An sit concursus Dei actualis in actu secundo, ibid. 89. 64.

An sit ipsa visio beata, quâ Beati Deum formaliter intuentur, ibid. 91. 64.

An sit qualitas infusa distincta à visione, quæ sit species quædam intelligibilis objecti, ibidem 94. 64.

An sit habitus quidam creatus ordinis supernaturalis Beatorum mentibus per se infusus, quo de facto elevantur ad visionem beatam eliciendam, ibid. 95. 65.

An prædictum lumen sit habitus facilitans potentiam ad visionem faciliùs producendam, ibidem 96. 65.

An sit habitus gratiæ, & charitatis, qui ut dispositio moralis requiritur de lege ordinaria ad videndum Deum, ibid. 97. 65.

An sit habitus, non qui confert ad visionem eliciendam, sed qui inseruit ad decorem, ibidem 98. 65.

An sit habitus per se requisitus ad visionem Dei, non tamen habeat se ex parte potentiæ simpliciter, ibid. 99. 65.

An sit habitus per se requisitus tanquam dispositio, ut intellectus possit in se recipere visionem beatam, ibid. 101. 65.

An, & quomodò sit habitus supernaturalis infusus, non solùm ad recipiendam Essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis, sed etiam ad corroborandam, & complendam potentiam in ratione potentiæ visivæ Deitatis, ibidem à num. 202. 65.

An sit de fide, lumen gloriæ esse habitum per se infusum, ibid. à n. 113. 66.

An effectivè concurrat ad Visionem beatam, ibid. 119. 67.

An sit intellectui totalis, & adæquata ratio influendi in Visionem beatam, ibid. 128. 68.

An possit esse connaturale alicui substantiæ reali, ibid. à n. 162. 71.

An sufficiat quodlibet lumen in individuo, & in qualibet intensione ad manifestandas simul non tot, quin plures perfectiones, aut creaturas in Deo, 1. 6. 121. 132.

An sufficiat quodlibet lumen ad manifestandas in Deo quaslibet creaturas seorsim acceptas, ibidem 124. 132.

An de facto lumen gloriæ nullam omninò creaturam manifestare possit successivè; maximè autem de potentiâ absolutâ, ibid. à n. 127. 132.

An determinatio luminis ad manifestandum certum numerum perfectionum, & creaturarum in Deo, proveniat ex certâ, & determinatâ illius intensione, & non ex peculiari differentiâ individuâ, ibidem 132. 133.

Macedonius.

Qualis fuit ejus error circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, tract. 3. disput. 1. num 26. pag. 362.

Malum culpæ.

Cur non sit terminus prædestinationis, 2. 2. 119. 193.

An sit effectus prædestinationis, aut reprobationis. Vide *Peccatum.*

Malum pœnæ.

Cur malum pœnæ non possit formaliter ut malum est, amari, & causari à Deo, 2. 1. 234. 174.

An possit terminare Providentiam, sive volitionem divinam, ibid. 236. 174.

An per accidens, & non per se ametur à Deo, ibid. 238. 174.

Cur propriè, & rigorosè loquendo non sit terminus prædestinationis, 2. 2. 121. 193.

An minùs propriè loquendo possit dici terminus prædestinationis, ibid. 123. 193.

An sit effectus prædestinationis, 2. 4. 155. 304.

An aliqua mala pœnæ sint effectus reprobationis positivæ, 2. 5. à n. 162. 315.

Vide *Pœna.*

Maria Virgo.

An in hac vita mortali saltem ad breve tempus habuerit visionem beatam, 1. 1. à n. 304. 37.

An electa fuerit ad gloriam in eodem signo cum aliis prædestinatis, 2. 2. 616. 252.

An visibilem missionem Spiritûs Sancti die Pentecostes cum omnibus Apostolis acceperit, 3. 9. 347. 622.

An etiam alias visibiles missiones sibi peculiares acceperit. ibid. à n. 348. 622.

Media ad salutem consequendam necessaria.

Qualia sint hæc media, 2. 2. 629. 253.

An omnia hæc media sint electis præparata, ibid 630. 253.

An inter electiones mediorum detur aliquis ordo prioritatis, ibid. 631. 254.

An hæc mediorum electio fuerit in particulari certa, & determinata, ibid. 637. 254.

An media illa prædestinationis, quæ à Deo solo dependent, & fiunt, fuerint ab æterno efficaciter prædefinita, ibid. 642. 255.

Quænam sint media supponentia peccatum, ibid. 657. 257.

An hæc media fuerint prædefinita à Deo ante præscientiam absolutam peccati, ibid. à num. 661. 257.

Meritum.

In quo distinguatur à dispositione, 2. 3. 50. 370.

Missio Divina.

Quid sit, 3. 9. 125. 601.

An, & quomodò conveniat Personis Divinis, ibid. à n. 127. 601.

An verè, & propriè eis conveniat, ibid. 134. 602.

In quonam præcipuè consistat, ibid. à n. 148. 603.

An

An consistat in sola processione, sive operatione temporali, ibid. 150. 603.
An in sola processione æternâ Personę missæ, ibid. 160. 604
An adæquatè consistat in utraque, ibid. 167. 605
Quid dicat principaliter, & de formali, ibid. à n. 181. 606
Proponuntur duæ sententiæ, ibidem.
Proponitur tertia tenenda, ibid. 183. 606.
An Missio Personæ divinæ dicenda sit simpliciter temporalis, non autem æterna, ibidem 185. 607.
An sit formalitas essentialis, an Notionalis, ibid. 189. 607
An in Personis divinis idem sit *Mittere*, atque *Dare*; & idem sit *Mitti*, atque *Dari*, ibid 194. 608
An Missio passiva propriè competat Filio, & Spiritui sancto, ibid 197 608
Cur non conveniat Patri, ibid. 199. 608
Quotuplex in Divinis sit Missio, ibidem 219. 610.
An, & quomodò fiat invisibilis Missio Personarum divinarum per quodlibet augmentum gratiæ gratum facientis, ibid à n 239 611
An fiat perfectissima Missio Personarum ad Beatos in ipso principio beatitudinis, ibidem 245. 613.
An quoties aliqua mysteria de novo revelantur Beatis, nova Missio invisibilis ad eos fiat. ibid 246. 613
An minùs impropriè fiat Missio invisibilis quoties aliquod Sacramentum dignè recipitur, quàm per augmentum gratiæ sine Sacramento. ibid. 247 613.
An, & quomodò ad Christum Dominum facta fuerit invisibilis Missio. ibid 277. 616
An, & quomodò facta fuerit ad Angelos, ibidem 282. 616.
An, & quomodò facta fuerit Patribus veteris testamenti, ibid 285. 617.
An ad creaturam irrationalem fiat, aut facta fuerit Missio Personæ divinæ, ibid 287. 617.
Quid sit Missio visibilis, ibid 291. 617.
An, & quomodò supponat, includat, & conveniat cum Missione invisibili, ibidem à num. 295. 618.
An Patribus veteris testamenti factæ fuerint propriè Missiones visibiles, ibid 299. 618
An Beatissimæ Virgini, & omnibus Apostolis data fuerit visibilis Missio Spiritûs sancti die Pentecostes, ibid, 347. 622.
An etiam Beatissimæ Virgini aliæ Missiones visibiles sibi peculiares datæ fuerint, ibidem à n 348. 622.

Modus.

An modus cognoscendi creaturas in Deo, ut in causa, Idea, Verbo, sive Scientiâ, & decretis liberis, necessariò sit per medium cognitum, 1. 5. 148. 119.

Monstrum

An monstra sint à Deo volita, & ab illo fiant quatenùs monstra sunt, 2. 1. à n. 122. 163.

Mors.

An mors temporalis considerata quoad substantiam sit effectus reprobationis negativæ, 2. 5. 157. 324.
An aliquando talis sit quoad aliquas circumstantias atroces, ibid 159. 325.
An quando ita conjuncta est cum morte æternâ, ut per modum unius sumatur cum illâ, sit effectus reprobationis positivæ, ibid. 165. 325.
An etiam talis sit quando non continuatur cum æternâ, 168. 326.

Moyses.

Quid petierit Moyses dicens: *Dele me de libro tuo*, 2. 5. 11. 309. & 2. 6. à num. 251. 355.

Mundus.

An mundus sit perfectior, quàm foret, si Deus nulla peccata permitteret, 2. 1. à n. 206. 171.

Munus.

Qualenam sit munus luminis gloriæ, 1. 3. à n. 96. 65. Vide *lumen gloriæ.*
Qualenam sit munus Spirationis activæ, 3. 4. à n. 168. 458. Vide *Spiratio.*

Natura, sive Essentia.

Quot & quibus modis sumi possit, tract. 3. disp. 4 num 334. pag 475.
Natura Divina. Vide *Deus.*

Necessitas.

Quotuplex detur necessitas, 3. 2. 90. 404.

Nomen.

Qualia sint nomina, quibus propriè significari solet tertia Trinitatis Persona, 1. 8. à n. 137. 580.
Qualia sint nomina, quæ Spiritui Sancto metaphoricè accommodantur; & quid reale, ac proprium significent, ibidem à n. 198. 587.
Qualia sint reproborum nomina, 2. 5. à num. 1. 308.

Notio.

Quot, & quibus modis sumi possit, 3. 5. à n. 257. 508.
Quid sit, & quomodò definiatur, ibid. 260 509.
Quas conditiones requirat, ibid. 261. 509.
An in Personis divinis admittendæ sint Notiones. ibid. 264. 509.
An hujusmodi Notiones sint quinque, nec plures, nec pauciores, ibid. 271. 510.
An si nomen *Notio* sumatur magis strictè, futuræ sint pauciores, quàm quinque, ibid. 295. 512.
Cur Notio Personarum non recurrat cum earum proprietate, ibid. 310. 313.
An omnes Notiones formaliter sumptæ distinguantur inter se realiter, ibid. 311. 514.

Notitia.

Quæ, & qualis sit notitia quidditativa, 1. 12. 253. 389.
Quæ, & qualis sit notitia intuitiva, ibid. 254. 389.
In quo notitia intuitiva distinguatur ab abstractiva, ibid. 255. 389.
An ex Visione beata priùs cognita possit haberi notitia evidens quidditativa non intuitiva Mysterii Trinitatis, ibidem 277. 391.
An per medium supernaturale evidenter cognitum haberi possit notitia evidens Mysterii Trinitatis, ibid. à n. 282. 392.
Vide *Cognitio.*

Numerus.

An major sit prædestinatorum, quàm reproborum numerus, 2. 6. à n. 111. 339. Vide *Prædestinationis, & reprobationis inter se comparatio.*

Objectum.

Quid dicatur objectum primarium, & secundarium alicujus cognitionis, tract. 1 disp. 5. n. 2. pag. 102.
An, & quo pacto certum sit, objectum nostræ visionis beatæ esse Deum unum, & Trinum, ibid. 3. 102.
Qualenam sit objectum, seu materia *circa quam* prædestinationis. 2. 2. à n. 102. 191
Qualenam sit objectum reprobationis, 2. 5. à n. 30. 111.
Quid sit objectum cognosci quantùm ex se cognoscibile est, 1. 7. à num 75. 143 Vide *Comprehensio.*

Oculus.

An oculi corporei possint de potentiâ absolutâ Deum intuitivè videre, 1. 1. à n. 197. 26
An sit de fide, quod oculus qui de facto datur, non possit naturaliter Deum videre in se immediatè, & intuitivè, ibid. 221 29
An licet non sit de fide, sit tamen proximum fidei, quod neque de potentiâ absolutâ possit Deum intuitivè videre, ibid. 222 29.

Omnipotentia.

An Omnipotentia divina cognita in Essentiâ sit ratio cognoscendi creaturas sub esse possibili, 1. 5. à n. 122. 116.

Operatio

Qualesnam sint operationes Providentiæ gubernantis omnia, 2. 1. 275. 178.

Opus.

An bona opera naturalia potuerint disponere positivè ad prædestinationem directè aut indirectè, 2. 3. à n. 52. 270.
An opera bona purè naturalia potuerint esse causa impetratoria prædestinationis, ibid. à n 63. 272.

An

An bona opera liberi arbitrii sint saltem conditio *sine quâ non* daret Deus prædestinationem, ibid. 79, 273.

An Patres præsertim Græci posuerint initium gratiæ, & prædestinationis in operibus naturalibus, ibid. à n. 81, 274.

Ordo.

An inter Personas divinas necessariò admittendus sit ordo realis, 3. 9. 5, 588.

Ordo prioritatis & posterioritatis. Vide *Prioritas. & Posterioritas.*

Ordo Intentionis, & executionis. Vide *Intentio, & executio.*

Origo Divina.

Vide *Processiones Divina.*

D. Paulus.

Quid postularit D. Paulus dicens: *Optabam ego ipse anathema esse pro fratribus meis*, tract. 2 disp. 5. num 11. pag. 309. & tract. 2. disp 6, à n. 251, pag. 355.

Peccatum.

An quodlibet peccatum, etiam formaliter sumptum, cadat sub Providentiam Divinam, 2. 1. à n. 131, 164.

An peccata sint à Deo provisa, ibid. 137. 165.

Qualiter peccatorum malitia attingatur à providentiâ divinâ Vide *Dei Voluntas.*

Deus non est author, neque causa peccati, neque id potest cadere in bonitatem divinam, ibid. 174. 168.

Neque potest cogere ad peccandum, ibid 176. 169.

Neque est causa physica peccati ibid. 177, 169.

Neque potest præcipere peccatum, neque licentiam, aut dispensationem peccandi concedere, ibid. 178. 169.

Neque consulere, adhortari, suadere, docere peccatum, ibid. à n. 180. 169.

Deus non est, neque fuit inventor peccati: non tentat, non instigat, non movet, non præmovet, non prævenit, non excitat, non vocat, non inclinat, nec impellit ad peccandum, ibid. à num. 183, 169.

An actiones materiales peccatorum subjciantur providentiæ divinæ, ibid 197, 171.

An sint à Deo provisæ, ibid. 200. 171.

An permissio peccati cadat sub providentiam divinam, ibid. 202. 171.

Peccatum consideratum secundùm malitiam formalem non est effectus prædestinationis, 2. 4. 161, 304.

Neque etiam consideratum secundùm materialitatem, prout hæc procedit à peccatore, ibid. 162. 304.

Neque etiam prout hæc procedit à Deo, ibidem 163. 304.

An permissio peccati tam proprii, quàm alieni, possit esse, & sæpius sit effectus prædestinationis, ibidem à num 172. 306.

Cur nullum peccatum, sive originale, sive personale, quod in mortis instanti est remissum, censeatur causa reprobationis positivæ, 2, 5, 104, 319.

Cur peccatum originale non sit causa reprobationis positivæ in omnibus, qui damnantur, ibid. 105, 319.

Cur nullum peccatum, etiam actuale, quod non conjungitur cum morte hominis, sit causa reprobationis positivæ illius, ibid. 106. 320.

An peccata finalia in adultis sint causa reprobationis positivæ, ibid. 107, 320.

An sic etiam sit in parvulis peccatum originale à Deo prævisum ut durans usque ad mortem, ibid. 109, 320.

An peccatum absolutè sit effectus reprobationis, ibid. 116. 320.

An talis sit ejus materialitas ibidem, à num. 120, 321.

An etiam talis sit ejus malitia formalis, saltem prout est pœna, ibid à n. 124, 321.

An permissio peccati sit effectus reprobationis negativæ, ibid. à n. 130, 322.

An nulla permissio peccati, etiam finalis, & ultimi, sit effectus reprobationis positivæ, ibid. 137, 322.

Perfectio.

Quid, & quotuplex sit perfectio entitativa, 3. 4, 209, 462.

An relationum divinarum perfectio sit in suo genere infinita, ibid. 242. 465.

An ex peccatorum permissione colligatur major mundi perfectio, 2, 1, 206, 171.

Personæ Divinæ in communi.

Quid in Divinis significetur nomine Personæ, 3, 5, à n 1, 481.

Qualis sit Personæ definitio, ibid 7, 482.

An detur in Deo ratio Personæ ibid. 9, 482.

An ratio Personæ communis solis divinis Personis sit univoca, ibid. à n. 19, 483.

Quot sint Personæ in Divinis, ibid 23, 483.

Assignantur aliquot regulæ servandæ in modo loquendi de Personis Divinis, ibidem à num. 34, 484.

An Personæ divinæ proprietatibus personalibus constituantur, ibid. à n. 62, 487.

Non constituuntur proprietatibus à parte rei constitutione reali, aut modali, ibid. 79 489.

Neque solâ constitutione rationis, ibidem 81, 489.

An constituantur à parte rei constitutione virtuali intrinsecâ, ibid 82 489.

An in Personis divinis admittenda sit compositio, ibid. à n. 87. 490.

An iisdem proprietatibus distinguantur, quibus constituuntur, ibid. 93 491.

An constituantur proprietatibus absolutis; an verò relativis, ibidem à n. 109, 493

An Personæ divinæ sumptæ secundùm se & à parte rei, formaliter constituantur relationibus secundùm omnes suas formalitates, ibidem 146, 497.

Non illis constituuntur quoad nos sub expressione originis, ibid 147 497.

Neque sub expressione Relationis, ibidem 152. 497.

An illis constituantur sub expressione Hypostasis, sive subsistentiæ, ibid. 163, 498

An significatum formale Personæ, nempè *Personalitas*, prout abstrahit à Divinâ, & creatâ, præscindat ab absoluto, & relativo, ibidem 172, 499.

An significatum formale Personæ Divinæ *id est*, *Personalitas Divina*, prout abstrahit à Personis Patris, Filii, & Spiritûs sancti, dicat, saltem implicitè, esse relativum, ibid, 173, 499.

An Personalitas Divina determinatæ Personæ, v. g Patris, dicat non solùm relativum, sed etiam tale relativum, ibid 176. 500.

An, & quomodò Personæ Divinæ semper constituantur Relativis, & non absolutis, ibid. 178. 500.

An distinctè videri possit una Persona Divina, quin ita distinctè videatur alia, sive opposita, sive disparata, 1. 6, à n 45. 124

Cur non possit distinctè videri Persona ut sic, non visâ distinctè Essentiâ, ibid. 42. 124

An Personæ Divinæ possint esse objectum prædestinationis, 2 3, 102, 191.

An si Personæ Divinæ ad sui cognitionem concurrant per proprias species, tales species evidenter, & quidditativè cognitæ possint ducere in cognitionem evidentem Trinitatis quoad *an est*, 3, 1, 295, 393.

Quid de unionibus hypostaticis, si tres Personæ Divinæ tres assumerent humanitates, ibidem à n. 296, 393.

An Personæ Divinæ productæ possint dici *principiatæ*, 3, 3, 232. 438.

An Personæ produceutes possint dici *Author*, sicut dicuntur *principium*, ibid. 236. 439.

Cur Personæ productæ non possint dici *Causatæ*, neque producentes dici *Causæ*, ibidem à num. 240. 439.

An, & quo pacto omnes Personæ Divinæ, prout sunt unus Deus, loquantur *ad extra* creaturis rationalibus 3. 7, 165. 543.

Persona Patris.

An prima Persona dicatur Pater propriè, & absque ullâ metaphorâ, 3. 6. à n. 2. 514

An, & quomodò ratio Patris reperiatur in primâ Personâ

Personâ modo perfectiori, quàm in creatis, ibid. 7, 514.
An nomen Patris in divinis ita sit proprium solius primæ Personæ, ut nulli alteri conveniat, ibid. 8, 515.
An hoc nomen *Pater* priùs dicatur de primâ Personâ *ad intra*, quàm de Deo *ad extra* ibid à num 9, 515.
An Paternitas sit prima proprietas personalis primæ Personæ, ibid. 13, 315.
An habeat principium reale, à quo à parte rei procedat per propriam, & realem productionem, ibid. 20. 516.
An ab Essentiâ resultet quoad nos per emanationem virtualem, ibid. 24, 516.
An ab illâ resultet ut est intellectiva, & non sub ratione Essentiæ ibid. 26. 516.
An, & quomodo *Ingenitum* esse, sit proprium solius Patris, ibid. 40. 518.
An hæc Innascibilitas Patris possit naturali ratione ostendi, ibid. 48, 519.
Qualiter esse *Ingenitum* conveniat, & non conveniat Essentiæ Divinæ, ibid. à n. 58, 520.
Cur simpliciter loquendo non liceat concedere Filio, neque Spiritui sancto esse Ingenitum, ibidem 64, & 68. à p. 520.
Quid dicat *Ingenitum* de formali, ibidem 72, 521.
Proponitur, & rejicitur sententia asserens, dicere de formali relationem positivam, quæ sit opposita relationi geniti, ibid.
Proponitur, & rejicitur altera sententia docens, dicere de formali quid positivum, ibid. 74. 521.
Proponitur sententia tenenda affirmans, dicere de formali solam negationem, ibid. à n 75. 521.
An hoc formale, quod dicit *Ingenitum*, sit mera negatio; an privatio saltem minùs propria, ibid. 95. 523.
An hæc privatio, quam dicit *Ingenitum*, fundetur proximè, & immediatè in Paternitate, ibidem 99, 524.
An Innascibilitas à parte rei fundetur in Paternitate secundùm omne, quod Paternitas includit à parte rei, ibid. 109, 525.
An quoad nos in solo conceptu primæ Hypostasis immediatè & proximè fundetur, ibidem 110, 525.
An, & quomodò Paternitas sit prior, & posterior Innascibilitate, ibid. à n. 115, 525.
An Pater Verbo, non sibi, sed Filio loquatur, 3, 7, 159, 543.
An solus Pater soli Filio *ad intra* propriè dicat, & loquatur, ibid. 162, 543.
Cur non possit dici Patrem, & Filium loqui ad Spiritum sanctum; & è contra, ibidem 164. 543.
An Pater dici possit Sapiens *Sapientiâ genitâ*, seu intelligere *Verbo*, ibid. à num. 199, 547.
An, & qualiter Pater respectu Filii, & Spiritûs sancti possit dici duplex principium, 3, 8, 68, 572.
An, & qualiter Pater, ut est principium Filii; & Filius, ut est principium Spiritûs sancti, possint dici duo principia, ibid. 70. 572.
Cur Pater non sit prior origine formaliter ex eo, quod à nullo sit, sed ex eo, quod sit alterius productivus, 3, 9, 18, 589.
An per generationem activam priùs origine respiciat Filium, quàm per spirationem activam Spiritum sanctum, ibid. 23, 590.
An Pater in Divinis neque sit missus, neque possit mitti, ibid. 199. 608.
An possit dici Initium Filii, Trinitatis, aut Deitatis, 3, 3, 239, 439.

Persona Filii.

An secunda Trinitatis Persona sit verè ac propriè Filius, 3, 7, 9, 527.
An Verbum divinum, & Filius Dei idem sint, & quoad Personam, & quoad Naturam, ibidem 14, 527.
An hæc secunda Persona sit realiter distincta à prima, ibid. 27, 528.
An sit verè, & propriè Deus, ibid. 28, 528.
An ita sit propriè Filius, ut illius Filiatio nulli alteri ex divinis Personis conveniat, ibidem 29, 529.
An secunda Persona rectè dicatur à Sanctis Patribus *Homousion*, ibid. 30, 529.
Cur non rectè appelletur hac voce *genitura*, ibid. 31, 529.
Cur Verbum Divinum dicatur generari, & esse Filium, & non ita dicatur de Spiritu Sancto, ibid. à n. 32, 529.
Proponuntur, & refutantur aliquæ rationes minùs probabiles, ibid. à num. 41, 530.
Refutantur aliæ aliorum Doctorum rationes, ibid. à n. 56. 532.
Proponitur, & stabilitur Sententia tenenda, ibid. à n. 79, 535.
Solvuntur argumenta contraria, ibid. à n. 88, 536.
An, & quomodò secunda Persona propriè dicatur Verbum, ibid. à n. 122. 539.
In quonam conveniant, & differant Verbum Increatum, & creatum, ibid. 135, 540.
An *Verbum* in Divinis ita propriè dicatur de Filio, ut de illo dicatur personaliter, non autem essentialiter, ibid. 138, 541.
Cur non possit dici Filium loqui ad Patrem, ibid. 164, 543.
An Verbum Divinum formaliter, & in recto importet relationem realem ad dicentem, ibidem 171. 544.
An etiam sic importet respectum, sive expressionem objecti, ibid. 173. 544.
An principaliùs dicat respectum objecti, quàm respectum ad dicentem, ibid. 175, 544.
An propriè dicatur esse *Verbum* creaturarum, ibid. 180, 545.
An dicatur *Verbum* creaturarum ratione notitiæ absolutæ: an potius ratione proprietatis personalis ibid. 185. 545.
Rejicitur prima sententia, ibid.
Rejicitur secunda sententia, ibid. 189, 546.
Proponitur sententia tenenda, ibid. 191, 546.
Qualiter Verbum Divinum dicatur *Sapientia Patris*, ibid. 196, 547.
An, & quo sensu hæc: *Filius est Sapiens Sapientiâ genitâ*: sit vera, ibid. à n. 216. 548.
Qualiter ratio Imaginis conveniat Filio in Divinis. Vide *Imago*.
Cur non sit Patris Imago artificialis, ibid 257, 552.
An sit naturalis realis Imago Patris, ibidem 260. 552.
An sit etiam Intentionalis, ibid 262. 553.
An solus Filius verè, & propriè sit Imago, ibid. 267. 553.
An Filius in Divinis solius Patris sit Imago, ibid. 277, 554.
Vide *Christus Dominus*, *Filius Dei*, *Verbum Divinum*.

Persona Spiritûs Sancti.

An tertia Trinitatis Persona, non solùm à Patre, sed etiam à Filio realiter procedat, 3, 8, à num. 2. 565.
An, & qualiter æquè procedat à Patre, atque à Filio. ibid. 26, 568.
An ab illis procedat, non solùm æquè primò & immediatè, sed etiam eodem modo, ibidem 41, 569.
An ab illis procedat, ut ab unico principio, ibid. 50, 570.
An ab illis procedat per se, & formaliter, ut à duobus suppositis, ibid. à n. 76. 573.
An si Spiritus sanctus à Filio nô procederet, adhuc ab illo realiter distingueretur, ibid. à n 102. 576.
An, & qualiter nomen hoc *Spiritus sanctus* tertiæ Personæ conveniat, ibid. à n. 138, 581.
Cur hoc nomen *Amor* si sumatur pro essentiali, non sit proprium Spiritus sancti, ibid. 145, 581.
An si sumatur pro notionali, sit proprium solius Spiritûs sancti. ibid. 146, 581.
An, & quo sensu dicatur à Sanctis Patribus, Patrem, & Filium diligere se Spiritu sancto, ibid. à num. 150, 582.
An Spiritus sanctus per se, & formaliter procedat ex amore Essentiæ Divinæ, ibid. 154, 582.
An sic etiam procedat ex amore trium Divinarum Personarum, ibid. 155, 582.
An etiam ex amore Spirationis activæ, ibid. 157, 583.

An etiam sic procedat ex amore creaturarum possibilium; & non futurarum, & existentium, ibid. 158, 583.

An, & qualiter sit propriè *Donum*, ibid. à n. 168. 584

An habeat propriam rationem doni, non solùm ex amore essentiali, sed etiam notionali, ibid. 188. 586.

An dici possit *Nostrum Donum: Noster Spiritus*, ibid. à n. 193 586.

Quid reale, ac proprium significent nomina metaphorica Spiritûs sancti, nempè *Digitus Dei, Mens, Facies, Complementum, Signaculum, Sigillū, Vnguentum, Odor, Virtus, Qualitas, aqua, Ignis*, & similia, ib, à n. 198, 587.

Vide *Spiritus Sanctus*.

Personarum Divinarum inter se comparatio.

An inter Personas Divinas admittendus sit aliquis ordo prioritatis, & posterioritatis. Vide *prioritas, & posterioritas*.

An omnes Personæ Divinæ sint omninò æquales realiter, & à parte rei, 3, 9, à n. 53. 593.

An sint æquales ratione solius Essentiæ, & non proprietatum personalium, ibid 68, 595.

An dici possint inæquales virtualiter, & quoad nos, ibid. 73. 595.

An totus Pater, non solùm secundùm Essentiam, sed etiam secundùm proprietatem, sive relationem sit in Filio, & Spiritu Sancto; & è contra, ibid. 105. 599.

An totus Pater sit in toto Filio, & in toto Spiritu sancto; & è contra ibid. 106 599.

An non solùm Essentia, sed etiam Relatio personalis uniuscujusque Personæ sit primò, & per se in totâ aliâ ersonâ ibid 109, 599.

An una Persona possit sine aliâ mitti Missione visibili, ibid. 205. 609.

An nunquam Filius mittatur sine Spiritu sancto, neque Spiritus sanctus sine Filio secundùm invisibilem missionem gratiæ, ibid. 208. 609.

Cur una Persona divina non mittat se ipsam propriè, ibid. 210. 609.

An tam Filius, quàm Spiritus sanctus mittant se ipsos, missione saltem impropriâ, ibidem 211. 609

An quoties alicui datur gratia sanctificans, mittatur ad eum invisibiliter Persona Divina, ibid. 221. 610.

Qualis sit hic modus specialis, quo Persona Divina attingitur à creatura, ibid 214 611.

An Personæ Divinæ, saltem imperfectè, & secundùm quid mittantur per quemlibet actum, aut habitum supernaturalem sine gratiâ sanctificante, ibid. 232. 611.

An sic mittantur per dona merè naturalia, ibid. 236, 612.

An, & quomodò invisibiliter mittantur per quodlibet augmentum gratiæ sanctificantis, ibid. à n. 239, 612.

An Persona Divina possit invisibiliter mitti sine productione alicujus doni realis, per solam denominationem extrinsecam, ibidem à num. 248, 613.

An ad creaturam irrationalem mittatur, aut missa fuerit Persona Divina, ibid. 287. 617.

An una Persona possit mitti sine aliâ missione visibili, ibid. 344. 622.

Pœna.

An pœna æterna sit effectus reprobationis negativæ. 1. 5. 147. 324.

An executio pœnæ æternæ, & omnia media ad illam in effectu infligendam, sive in Inferno, sive in Limbo, sint effectus reprobationis positivæ, ibidem 161, 325.

Vide *Malum pœna*.

Potentia

An impossibilis sit potentia sensitiva, & materialis, quæ possit connaturaliter Deum videre intuitivè, 1, 1, 224 29.

An etiam quæ id possit divinitùs elevata, ibid à n. 227, 30.

An potentia, seu virtus innata intellectûs creati ad videndum Deum sit connaturalis, saltem inchoata, & incompleta, & non merè obedientialis, 1, 3. à num. 166, 72.

An in Deo detur propria, & rigorosa potentia intelligendi, & volendi virtualis, & quoad nos, 3, 3. 117. 426.

An detur saltem impropria, ibid. 123. 427.

An potentia notionalis, sive productiva *ad intra* contineatur sub Omnipotentia, ibid à n. 152. 430. Vide *Principium*.

Prædefinitio, prædefinire.

Qualiter hîc accipiatur prædefinitio, 2, 2, 641. 255.

An Deus ab æterno prædefinierit efficaciter media illa prædestinationis, quæ ab eo solo dependent, & fiunt, ibid. 642, 255.

An prædefinierit actus bonos liberos independentes à peccato antecedenter ad nostrum consensum liberum absolutè prævisum, & ante eorum esse absolutum, ibid. à n. 644. 255.

An prædefinierit media supponentia essentialiter peccatum ante illius præscientiam absolutam, ibid, à n. 661. 257.

Cur Deus non possit prædefinire actus pravos quoad materialitatem sumptam reduplicativè ibid. 684. 260.

An prædefinierit hujusmodi actus materialiter, & specificativè sumptos, ibidem à num. 685, 260.

Prædestinatio.

An detur in Deo, 2, 2, à n 1, 181.

An ratione naturali possit demonstrari esse in Deo, ibidem 11, 182.

Quid sit prædestinatio ex vi nominis, ibid. à n. 12, 182.

Quot modis sumi possit, ibid. à n. 14. 182.

Quod particula *præ* verbo destino, seu destinatio adjuncta significet, ibid. à n 17. 183.

Qualiter definiatur prædestinatio, ibidem 15, 183.

In quo distinguatur à præscientia, ibidem 26. 183.

An ponat aliquid intrinsecum formaliter existens in prædestinato, ibid. 28. 184

An sit quid intrinsecum existens formaliter in solo Deo, ibid 39. 185.

An sit actus immanens in Deo; & ab æterno, ibid. à n. 41. 185.

An simpliciter, & absolutè sit Deo libera, ibid, 51. 186.

Cur incertum nobis sit, hunc, aut illum esse prædestinatum, ibid. 54. 186.

An prædestinatio possit dici necessaria ex suppositione, quod aliqui sint consecututi beatitudinem, ibid 55. 186.

An sit etiam necessaria necessitate congruentiæ, ibid 56. 186.

An formaliter consistat in utroque actu & intellectûs, & voluntatis divinæ. ibid. 62. 187.

An ex parte intellectus constituatur formaliter per quoddam judicium practicum absolutum, dictans convenire eligere hunc ad talem gloriam per talia media consequendam, ibid 75. 188.

Qualenam sit ejus objectum, & terminus. Vide *Objectum. Terminus*.

An prædestinatio necessariò præsupponat in Deo aliquam scientiam, ibid. 127. 194.

An necessariò præsupponat Scientiam simplicis Intelligentiæ, ibid. 129 194.

An etiam necessariò requirat Scientiam mediam, ibid 131. 194.

An, & quomodò prærequirat Scientiam Visionis, ibid. à n. 141 195,

An prædestinatio ad gloriam facta fuerit ante prævisionem absolutam meritorum, ibid. à n. 281. 212. Vide *Electio*.

Prædestinationis causa.

An, & quales sint causæ ex parte Dei ad nostram prædestinationem, 2, 3. à n. 2. 264.

An in Deo aliqua fuerit ratio specialis motiva præter consilium, & libertatem divinam, ad eligendum efficaciter ad gloriam aliquas creaturas rationales, ibid. 7. 264.

An fuerit etiam in Deo causa motiva ad aliquos tantùm Angelos, & homines eligendos, & non omnes, quot erant producendi, ibid. 9. 265.

An in Deo fuerit aliqua causa motiva ad eligendum hunc numerum prædestinatorum, & non majorem: & ad eligendum potius Petrum, quàm Paulum, ibid. à n. 10 265.

An ex parte prędestinati præcesserit causa motiva ad

An hic terminus semper sit aliquod bonum supernaturale, ibid 114. 192.
Cur non sit bonum supernaturale solius gloriæ, ibid. 115. 192.
Cur neque solius gratiæ, ibid. 116. 193.
An sit simul gratia, & gloria, ibid. 118. 193.
Cur talis terminus prædestinationis non possit esse malum culpæ, ibid 119. 193.
An, & qualiter possit esse malum pœnæ, ibidem à num. 121. 193.
Quid sit terminus *à quo*, & terminus *ad quem*, 3. 3. 184. 433.
An detur terminus *à quo* processionum Divinarum. ibid. 186. 433.
An detur in divinis terminus formalis *ad quem* distinctus per rationē à termino totali, ibid. 199. 435.
Quid sit terminus formalis, ibid. 206. 435.
Proponitur, & rejicitur sentētia P. Vasquez, ibid
Proponitur sententia tenenda, ibid. 208. 436.
Qualisnam sit terminus formalis processionum divinarum, ibid. à n. 210. 436.
An terminus respiciatur à processione divinâ sub ratione possibilis; an sub ratione existentis, ibid. à n. 225. 437.
An terminus totalis processionis divinæ possit dici *principiatus*, ibid. 232. 438.

Sanctissima Trinitas.

Quid hoc nomen *Trinitas* significet, 3. 1. 2. 360.
Quid circa Trinitatis Mysterium fides teneat, ibidem à n. 4. 360
Qualiter circa hoc Mysterium erraverint Judæi, & hæretici, ibid. à n. 12. 361.
Quomodò hoc Mysterium non sit contra lumen naturale, ibid. à n. 138. 375.
Cur, præcisâ revelatione, non possit lumine naturali cognosci evidenter quoad *quid est*. ib. 182. 80.
Cur neque quoad *an est* evidenter. ibid. 186. 381.
An lumine naturali cognosci possit saltem probabiliter, ibid. 187. 381.
An saltem per aliquod auxilium gratiæ ordinis naturalis possit evidenter, aut saltem probabiliter cognosci hoc Mysterium, ibidem 203. 383.
Supposità revelatione divinâ non potest naturaliter hoc Mysterium demonstrari cognitione evidenti, ibid 216. 384
Potest tamen naturali lumine probabiliter cognosci ex authoritate creata, ibid. 236. 387.
An etiam, supposita revelatione, & fide, possit congruentia, & convenientia hujus Mysterii naturalibus quibusdā rationibus verisimiliter suaderi, ibid, 240. 387.
An posità revelatione possint naturaliter solvi argumenta contra hoc Mysterium, ibid. à n. 241. 387.
An hoc Mysterium possit cognosci lumine supernaturali immediatè in se ipso, aut per propriam speciē evidenter quidditativè non intuitivè, ibid. 256. 389.
An ex Essentiâ divinâ evidenter, & quidditativè cognitâ possit evidenter cognosci hoc Mysterium quoad *an est*. ibid. 283. 393.
Quid ex revelatione divinâ etiam evidenter cognitâ, ibid. 285. 392.
Quid ex assensu fidei supernaturalis, & aliis actibus supernaturalibus terminatis ad hoc Mysterium, ibid. 289. 393.
Vide *Persona Divina.*

Tritheïsta.

Qualiter erraverint circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, 3. 1. 27. 363.

Verbum.

QUid, & quotuplex sit Verbum, tract 3. disp. 7. à num. 109. 538.
An respectus, quos *Verbum* formaliter importat sint prædicamentales, ibid. 117. 539.
An Verbum creatum, & increatum conveniant, & in multis differant, ibid. à n. 135. 540.
Quot, & quales respectus dicat Verbū, ib 170. 544.
An producatur per visionem beatam, 1. 4. 34. 80.

Verbum Divinum.

Cur non possit simpliciter, & absolutè dici prædestinatum ad esse Filii Dei naturalis, 2. 2. 463. 233.
Cur neque possit simpliciter, & absolutè sine aliquo addito dici prædestinatum, ibid. 464. 233.
An possit dici prædestinatum ab æterno, ut fieret homo in tempore, ibid. à n. 469. 233.
An procedat per se formaliter ex cognitione omnium absolutorum, quæ sunt in Deo, 3. 7. 286. 555.
An etiam procedat ex cognitione totius Trinitatis, ibid. à n. 297. 556.
Proponuntur variæ sententiæ, ibid,
Proponitur & defenditur sententia tenenda, ibid. 301. & 306. à pag 556.
An etiam sic procedat ex cognitione creaturarum possibilium. ibid. 327. 559.
Non procedit ex cognitione futurorum, & existentium, ibid. 357. 562.
Neque etiam ex scientiâ conditionatâ, sive objectorum sub conditione futurorum, ibid. 283. 565.
Cur Verbum Divinum in Missione visibili assumpserit hypostaticè terminum, sive rem, in quâ apparuit; & non ita assumpserit Spiritus sanctus res sensibiles. in quibus apparuit. 3. 9. 343. 622.
Vide *Christus Dominus, Filius Dei, Persona Filii.*

Visio Beatifica.

An possibilis sit visio intuitiva Dei respectu intellectus creati, 1. 1. à n. 5. 3.
Cur non possit constare demonstratione naturali aut esse possibilem Visionem beatam per vires naturales: aut esse impossibilem respectu intellectûs supernaturaliter elevati, ibid. 32. 7.
Cur naturali, & evidenti ratione demonstrari nō possit possibilitas visionis beatæ, ibid. à n. 34. 7.
An supposità divinâ revelatione, possit naturali lumine demonstrari evidenter, aut saltem probabiliter, ibid. à n. 60 10
An visio beata possit naturaliter elici ab intellectu creato. Vide *Intellectus creatus. Anima. Angelus.*
Per oculos corporis de lege ordinariâ non est cōmunicanda beatis post resurrectionem ib. 212. 29.
An falsa sit sententia asserens ex peculiari privilegio communicatam fuisse Visionem beatam per oculos corporis Sanctis Patribus in apparitionibus, quæ scribuntur eis factæ in veteri testamento, ibid. 220. 29.
An de facto sit communicanda intellectui creato, ibid. 240. 31.
An de fide certum sit fuisse de facto communicatam Sanctis Angelis, ibid. 250. 32.
An etiam sit de fide, communicatam fuisse in hac vitâ morali Animæ Christi Domini; & de facto communicari animabus Sanctis in cœlum receptis, ibid. 252. & 257. 32.
An possit communicari de potentiâ absolutâ homini viatori, etiam permanenter. ibid. 288. 36.
De lege ordinaria communicata non est, neque communicari potest homini viatori, sive ad breve tempus, sive permanenter ibid. 297. 37.
An cum aliquo in hac lege sit aliquando dispensatum, ibid. à n. 302. 37.
Probabilius est, non fuisse communicatam, etiam ad breve tempus Sanctis Patribus tum veteris, tum novi testamenti, ibid 316. 38.
An de potētia absolutâ possit à Deo produci in intellectu Beati passivè tātùm se habente 1. 3 29. 57.
An quoad productionem connaturalis sit conjuncto ex intellectu, & lumine gloriæ, ibid. 156. 71.
An visio beata sit apprehensio, 1. 4. 1. 77.
An sit cognitio definitiva, & quidditativa Dei, ibid. 3. 77.
An prout terminatur ad creaturas in Verbo, sit earum quidditativa; an verò comprehensiva, ibid. 9. 78.
An prout terminatur ad solum Deum, sit solùm cognitio intuitiva, ibid 12. 78.
An prout terminatur ad creaturas, semper sit abstractiva, ibid. 13. 78.
An prout terminatur ad Deum simul, & creaturas in Deo, sit intuitiva simul & abstractiva, ibid. 20. 79.
An sit cognitio reflexa supra se ipsam ib. 21. 79.
Proponitur prima sentētia affirmans, ibid. 22 79.
Proponitur secunda sententia negans ibid. 26 79.
Non cognoscit se ipsam primariò, etiam ut objectum partiale, ibid. 30. 79.
Reflectit supra suam existentiam cognoscitque se ipsam ut objectum secundariū partiale, ib. 31. 79.
De facto non cognoscit, neque reflectit, etiam secundariò supra suam perpetuitatem, ibid 32. 80.
An possit reflectere de possibili, ibid. 33. 80.
Cur neque de potentiâ absolutâ fieri possit, ut visio Dei aliter fiat, quàm per verbum productum, ibid. 58. 82.

An

An sit expressa, & formalis similitudo objecti beatifici, ibid. à n. 59. 82.
An sit cognitio verè, & propriè judicativa, ibid. 67. 83.
An, & quomodò perfectiones apprehensionis & judicii includat, ibid 73. 83.
An prout cadit supra objectum primarium possit esse pura apprehensio, ibid. 79. 84.
An prout sic bearet totaliter, aut partialiter intellectum Beati, ibid. 85. 84
An sit judicium formale: an verò virtuale, ib. 86. 84.
An sit notitia practica: an speculativa, ib. 87. 85.
Proponitur prima sententia dicens esse adæquatè practicam, ibid
Proponitur secunda sententia asserens esse adæquatè speculativam, ibid 91. 85.
Proponitur tertia ut probabilior affirmans esse speculativam simul, & practicam, ibid. à n. 94. 85.
An respectu objecti primarii, nempè Dei, sit speculativa, ibid. 99. 86.
An respectu creaturarum partim sit practica, & partim speculativa. ibid. 100. 86.
An utramque illam rationem speculativæ scilicet, & practicæ contineat eminenter: an etiam formaliter, ibid àn. 101. 86.
An ex his duabus rationibus principalior sit in visione beata ratio speculativæ, ibid. 103. 86.
An in ordine ad amorem beatificum sit cognitio purè speculativa, ibid. 104. 86.
An sit formaliter, aut saltem virtualiter discursiva, ibid. 111. & 120. 87.
An sit evidentior quâvis aliâ cognitione creatâ, etiam primi principii, ibid 123. 88.
An sit certior quâlibet certitudine scientiæ creatæ, ibid. 126. 88.
An etiam sit certior certitudine fidei ibid 127. 88.
An Visiones Beatæ de facto, aut saltem de possibili, specie distinguantur ex diversitate potentiarum, à quibus eliciuntur, ibid. à n. 128. 88.
An sic distinguantur ex diversâ terminatione ad diversas rationes objectivas objecti primarii, ibid. 138. 89.
An sic distinguantur ex diversâ terminatione ad objectum secundarium, ibid. 149. 91.
An sic distinguantur ex diversitate principii supernaturalis ex parte potentiæ, ibid. 156. 91.
An sic distinguantur ex eo, quod una in Deum tendat permanenter, & alia transeunter. ib 162. 92.
An admissâ de possibili visione Dei purè apprehensivâ, hæc distingueretur specie ab aliis visionibus judicativis, ibid. 165. 92.
An Visio Beata, positis requisitis ex parte objecti, & potentiæ, possit ad arbitrium voluntatis creatæ suspendi, aut quoad primam sui productionem, aut quoad continuationem, ibid. à n 167. 93.
An posito universali Dei concursu possit à causis naturalibus impediri, ibid. 177. 94.
An sit suâptè naturâ incorruptibilis, & æterna, ibid. 186. 94.
An de facto impediat intellectiones Beatorum in proprio genere, ibid. 188. 95.
An illas impediat quantùm est ex se, & ex naturâ suâ, ibid. 190. 95.
An divinitùs communicata homini viatori, eidem esset causa mortis. ibid. 205. 97.
An saltem impediret operationes sensuum internorum, & externorum, ibid. 206. 97.
An possit esse principium immediatum apprehensionis non beatificæ, per quam cognoscatur Deus, & creaturæ, sive simul, sive sigillatim, ib. 209. 97.
An sit intellectui beato principium immediatum eliciendi cognitiones partiales judicativas non beatas eorum, quæ videntur in Verbo, ibid. 215. 98.
Cur non possit esse principium immediatum eliciendi speciem memorativam eorum, quæ videntur in Verbo, ibid. 221. 98.
An possit esse saltem mediatum, ibid. 225. 98.
An possit esse, aut de facto sit principium eliciendi cognitionem Dei quidditativam abstractivam, ibidem 226. 99.
An possit de novo terminari ad plures perfectiones, aut creaturas in Deo cognitas: vel non terminari ad illas, quas antea attingebat, absque sui mutatione reali. ibid. à n. 236. 99.
Cur semel producta, ad nova objecta in Deo cognita non terminetur, ibid. 249. 101.
An visio attingens Essentiam sine Relationibus esset beatifica: & non ita attingens Essentiam sine Attributis, 1. 6. 56. 125.
An ex visione clarâ Essentiæ Divinæ sequatur necessariò visio omnium creaturarum possibilium, futurarum, & existentium, ibid. 58. 125.
An visâ Essentiâ Divinâ, possint per ejus visionem intuitivam videri omnia possibilia. ib. 65. 126.
An possibilis sit visio Beata, per quam nullæ omninò creaturæ attingantur, ibid. à n. 69. 127.
An omnibus infantibus decedentibus post baptismum æqualis conferatur Visio beata, ibid. 92. 129.
Non repugnat inter adultos esse multos æquales in visione Beatâ, ibid. 94. 129.
Probabile est inter hos esse multos æquales in gloriâ, ibid. 95. 129.
An inæqualitas objectiva Visionis Beatæ proveniat effectivè ab Essentiâ Divinâ concurrente in ratione formæ intelligibilis, ibid. 104. 130.
An hæc inæqualitas reducenda sit in lumen, & non in intellectum. ibid. 109. 130.
Qualiter hæc inæqualitas respondeat Lumini. Vide *Lumen gloriæ*.
Ex quo principio effectivè proveniat, ut visio ipsa, quæ est vitalis operatio ab intellectu, & lumine producta, has potius perfectiones divinas, & creaturas, quàm illas in individuo attingat, ibid. à num. 139. 134.
Proponuntur variæ sententiæ, ibid.
Proponitur sententia tenenda, asserens provenire ab ipso Deo concurrente ex parte potentiæ cum intellectu Beati, & lumine gloriæ, ibid. 151. 135.
Undenam proveniat prædicta inæqualitas formaliter: & quænam sit causa formalis, cur Visio Beata has potius Dei perfectiones, quàm alias Beato manifestet, ibid. 155. 135.
Cur Visio intuitiva Dei non sit ejusdem comprehensio 1. 7. à n. 34. 139.
Cur Visio comprehensiva Dei, si daretur, necessariò foret in se infinita, ibid. 110. 147.
Cur hæc visionis infinitas entitativa foret, & non solùm objectiva, ibid. 112. 147.
Qualisnam foret hæc infinitas entitativa visionis, quæ Deum comprehensivè attingeret, ib. 114. 148.
Non sufficeret extensiva, neque intensiva, ibid. 115. & 121. 148.
An datâ infinitate intensivâ visionis Beatæ, & quod hæc sufficeret ad comprehensionem Dei, necessariò hæc sequatur ad illius positionem. ibid à n. 130. 149.
An ad comprehensionem Dei, si daretur, necessaria foret infinitas essentialis in visione, ibid. à n. 137. 150.

Unio hypostatica.

Quid ex triplici Unione Hypostaticâ ad tres Divinas Personas comprehensivè cognitâ, cognosceretur de Personis Divinis. 3. 1. 299. 394.
Cur ex comprehensione trium Unionum ad tres Divinas Personas nõ possit cognosci Mysterium Trinitatis quoad quidditatem adæquatam, ibid. 302. 394.
An, & quomodò ex comprehensione Unionis Hypostaticæ, quæ de facto datur ad Personam Filii, possit cognosci Persona Patris, non tamen Spiritûs Sancti, ibid. 303. 394.

Vocatio.

Vide *Gratia, Auxilium*


Voluntas.

An Voluntas generandi sit prior prioritate virtuali, quàm generatio Filii. 3. 2. 105. 406.

FINIS.




Th
855a


P. Laurentii
Tractatus
De Deo
D. VII
26